S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI DE CIVITATE DEI LIBRI 22. IN DUOS TOMOS...

Aurelius santo Augustinus, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

36
~~fol. 12~~

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

S. AURELII AUGUSTINI Hipponenſis Epiſcopi De CIVITATE DEI

LIBRI XXII.

in duos tomos diviſi, ex vetuſtiſsimis MSS. exemplaribus emendati, juxta noviſſimam editionem Colonienſem.

Accedunt Commentarii eruditi, & integri quidem, JOAN. LUDOV. VIVIS Hiſpal. ac LEONH. COQUEI Aurelianenſis.

Cum Indice gemino, altero Locorum Sc. S. altero rerum ac verborum locupletisſimo.



FRANCOF. ac HAMBURGI.
Sumtibus ZACHARIÆ HERTELII
A. MDCLXI.

Digitized by Google

37-16-A-12

Digitized by Google

JOANNES LODOVICUS VIVES INCLYTO PRINCIPI HENRICO VIII. ANGLIÆ REGI, HYBERNIÆ DOMINO, &c.

S. D.

ITa comparatum eſt natura humanorum ingeniorum, clariſſime rex, ut illos demum verè & ex animo admiremur, quos in ea præſtare videmus arte, quæ maximè nobis inter omnes placet, ac probatur. Alij alijs dediti ſunt ſtudiis ac exercitamentis. Sic fert natura rerum, ut hac varietate ſpecioſus ac mirabilis conſiſtat mundus: & tamen, inquit ille, ſuum cuiq; pulchrum. Jam olim opibus & imperio tam latè patenti non armis & ſanguine quæſito, ſed à parentibus per manus tradito, & robore animi corporisq́;, & virtute bellica, tum charus eras omnibus, tum etiam ſuſpiciendus. Nunc verò poſtquam etiam quantum ingenij viribus ſtudiisq; ſapientiæ valeres documenta dediſti, major literatis omnibus cœpiſti eſſe ac admirabilior: non quin te antea permagni æſtimarent: præſertim qvum regno, cuius poteſtas majeſtasq́; eſt in terris ſecundum Deum maxima, animi clementiam probitatemq́; adjunxeris, quò verior fieres expreſſiorq́; naturæ principis imago: qui ut maximus, ita eſt & optimus, at prius quidem optimus, quàm maximus. Sed qui ſtudiis dediti non perinde vel divitias ſuſpiciunt, vel potentiam, quòd eſſes quidem bonus, id in te complectebantur, & amore proſequebantur ingenti: quòd rex eſſes, no ita admirandum ducebant, qvum & ſceleſti homines ſæpe reges fuerint, corporis etiam dotibus inſignes. Ubi verò tua ſacramentorum aſſertio prodiit, qua nihil vel elegantius fieri poteſt, vel purius, vel ſanctius, & uno uti verbo dicam, Chriſtianius, opinio probitatis animi tui confirmatior reddita eſt, ſi modò id fieri poterat: nam certiſſima firmiſſimaq́; in omnium animis erat multis exemplis velut clavis infixa, & admiratio jam apud omnes ſuborta. Nempe & apud illos, qui amplius auguſtiusq; nihil putant poteſtate regia, & eos qui divitias ſupra res univerſas conſtituunt: & qui corporis muneribus, formæ, lacertis, agilitati plurimum tribuunt: & qui belli artium ſunt ſtudioſi, velut omnipotentis ac rerum domini: quo ſit ut certatim principes omnes amicitiam tecum quibuscunq; poſſint rationibus viisq́;, ambiant: omnes tibi ſive fœdere, ſive qvod optatius eſt, ſanguine jungi affectantes. Nec privatorum tibi ſtudia deſunt, quæ ipſe fulgore tuarum virtutum facis: alios liberalitate ſeu magnificentia potius alliciens, alios humanitate ac ſuavitate morum, cunctos prudentia atq; juſtitia, duabus verè regiis virtutibus: qui qvum talis ſis, profectò impudentiam meam fateor, ſæpe-

numero tibi innoteſcere affectavi: quoniam hæc eſt mea ſententia, laus non mediocris tibi vel notum eſſe. Et qvum aliàs ſemper defuerit occaſio, nunc ſeipſa ſponte obtulit, paratis à me in Auguſtini libros De civitate Dei commentariis, quos qvum deſpicerem, cui dicare ſic poſſem, ut tum aliquam ipſe laboris mei gratiam inirem non omnino contemnendam: tum cui dicarentur, non perinde literas dari exiſtimaret, ac ſtipulas, & libros, ac ſarcinas capſarum moleſtas: tum etiam, ceu ad cenſorem graviſſimum mitterem, qui unus ſi approbaſſet, ſuffragiis omnium probati commendatiq; viderentur, ipſe multis nominibus rationibusque occurriſti. Primùm, quòd ea es virtute ac doctrina, ut tibi etiam dicaſſem, ſi privatus eſſes. Deinde quòd vitam hanc expeditiſſimam cernebam, qua voti facilè compos fierem jam pridē concepti & nuncupati. Accedit huc, quòd, quemadmodum experti narrant, obvius es ac expoſitus huiusmodi muneribus: quibus gratiora vix tibi ulla poſſunt contingere. Nam aurum, argentum, gemmas, veſtes, equos, arma tibi qui offerat, planè mari (quod ajunt) aquam, aut ſaltibus ligna. Et profectò ut aliis in rebus omnibus, ita in hoc quoq; prudentiſſimè agis, qui dignam virtute ac meritis tuis apud poſteros gloriam libris doctorum hominum parari cogites: ſi non meis aut mei ſimilium, certè facilem te & perhumanum literatis exhibendo, in aliquem incides, cuius ſtylo ceu penicillo quodam eruditiſſ. effigies iſtius præſtantiſſimi atq; optimi animi depicta & formata immortalitati commendetur: nec ullo oblivionis operiatur ſitu, aut vetuſtatis injuria corrumpatur, & memoratu digna non taceat poſteritas virtutum teſtis incorrupta, ſimul in gloriam tui jam olim cœlo redditi, quamvis leve hoc & negligendum, ſimul quod magnum in primis eſt, & optandum in exemplum eorum, qui tunc vivent. Præter hæc omnia congruit ſive ingenio, ſive ſtudiis tuis hoc opus, in quod Auguſtinus optimam eorum partem, quæ apud veteres legerat autores, tanquam in theſauros conjecit: nempe cum hominibus acutiſſimis ſumma præditis & eloquentia & doctrina diſputaturus. Quo factum eſt, ut aliud agens magis optimarum rerum ſervarit reliquias, domiciliis earum & quaſi ſedibus, unde prius peti ſolebant, everſis: Itaq. pro Varrone, pro Saluſtio, pro Livio, pro Cicerone in libris De rep. magni poſterioris ætatis viri hiſce Auguſtini ſcriptis ſunt adjuti: ut Hermolaus, Politianus, Blondus, Beroaldus, quæ tu omnia non ita leges, ut nova tibi & inaudita, ſed ut vetera recognoſces. Adde quod Auguſtini tuumq; ſcribendi inſtitutum eodem propemodum videntur pertinuiſſe. Nam ut tu contra Babyloniam pro meliore illa ſcripſiſti, Roma, ita & Auguſtinus contra Babyloniam illam veterem Romam Chriſtianam & ſanctiorem defendit. Congruit & magnitudini tuæ non opus meum, ſed Auguſtini, ſub quo ipſe deliteſco, ſive autor ſpectetur, ſive materia operis. Autor eſt Auguſtinus, vir deum immortalem quàm ſanctus, quàm doctus, quale ſpecimen columenq; reip. Chriſtianæ, quo uno multis ritibus, multis ſtatutis, moribus, ceremoniis piis ac venerandis eſt illa innixa, nec injuria. Fuit enim in viro illo ſtudium uberrimum, cognitio ſacrarum ſcripturarum exactiſſima, judicium acre & terſum, ingenium ad miraculum acutum. Fuit ipſe ſyncerioris pietatis diligentiſſimus propugnator, moribus manſuetiſſimis & ad charitatem evangelicam effictis, atque expreſſis, vitaq; integritate ſanctitateq; inſignis & adorandus: quæ omnia per-

ſequi

Digitized by Google

ſequîne volumine quidem juſto poſſis, nedum epiſtola. Bene quod de ſcriptore agimus omnibus noto, tibi etiam familiari. Jam opus non eſt de filiis Niobæ, quod ajunt, aut de portis Thebarum: non de ſarciendis veſtibus, aut parandis voluptatibus, non de agro colendo: quæ alioqui argumenta magnis ſunt quoq; regibus dedicata, ſed de utraq; civitate mundi & Dei, quibus angeli, dæmones, hominesq; universi continemur: ut natæ, ut educatæ ſint: ut adoleverint, quò tendant, & quid, ubi ad metam percurrerint, facturæ. Quæ ut explicet, nihil neq; prophanæ prætermiſit eruditionis, neq; ſacræ, quod non attingat & exponat. Romanorum res geſtas, deos, ſacra, & ceremonias, philoſophorum placita, cælorum terraq;, tum angelorum, dæmonum, hominum originem. Hinc quibus initiis populus Dei creverit, & quomodo usq; ad Chriſtum Dominum deductus eſt: tum duæ civitates comparantur, Dei & mundi: regnaq; adducuntur Aſſyrium, Sicyonium, Argivum, Atticum, Latinum, Perſicum. Poſt hæc quid de Chriſto vates, & Ethnici, & Judæi prædixerint. Jam dicturus de vera felicitate, opiniones veterum philoſophorum de illa confutat & refellit, Deinceps ut venturus ſit Chriſtus de bonis malisq; pronunciaturus judex vivorum & mortuorum. Ad hæc de ſceleratorum ſuppliciis. Poſtremò de gaudiis piorum & æterna felicitate. Atq; hæc omnia miro ingenio, maximo acumine, eruditione excultiſſima, ſtylo mundo & exterſo, qualis autorem per omne diſciplinarum ſcriptorumque genus verſatum exercitumq;, & res illas magnas & præſtantiſſimas, & eos quibus cum diſputabatur, decebat. Leges itaq; clariſſime & optime rex iis horis, quas tu immenſis regni negotiis atq; occupationibus ſuffuraris, ut literis & ingenij cultui impendas, ſimul noſtros commentarios deguſtabis: de quibus licet mihi dicere, quod Ovidius de ſuis Faſtorum libris dixit, cùm eos Germanico Cæſari mitteret:

Pagina judicium docti ſubitura movetur
Principis, ut Clario miſſa legenda Deo.

Quos ſi tibi non diſplicuiſſe ſenſero, nihil verebor, ne parum aliis probentur. Quis enim adeò impudens ſit, ut à tam exacto judicio diſſentire non erubeſcat? Quod ſi quis audeat, tua tamen vel tacita mihi patrocinabitur autoritas. Vale optime rex, & Vivem tibi addictiſſimum quovis loco numera, modò inter tuos.


Lovanij, Nonis Julijs. M. D. XXII.

Digitized by Google

JOANNIS LUDOVICI VIVIS VALENTINI IN SUOS COMMENTARIOS ad libros de civitate Dei D. Aurelii Auguſtini præfatio.

QUando de Auguſtino, deq; eius opere, quantum quidem videbatur, ſumus locuti, nunc cum lectore ipſo aliquanto familiarius de hiſce meis commentariis libet pauliſper commentari. Eraſmus Roterodamus vir adeò laudatus à plurimis, ut ad eum gloriæ cumulum nihil ſit mea de illo prædicatio aut perparum additura, cùm poſt Hieronymum & Cyprianum recognitos, Auguſtinum quoque eundem in modum perpurgare decreviſſet, nec uni ipſi vacaret tantum operum librorumque obire, aliis quoque magnis & præſtantibus rebus occupato, alios ſibi adjunxit ſive operis ſocios, ſive miniſtros, inter quos me etiam aſcivit: cumque aliis, quod eorum eſſet & amplior eruditio, & ingenium felicius, & diligentia dexterior: graviora mandaſſet atque majora, mihi libros attribuit De civitate Dei duos & viginti: quod opus bona ex parte tum rerum geſtarum fabularumque narrationibus, tum diſputationibus philoſophicis conſumeretur: quibus rebus bonam ætatis partem videbamur impendiſſe, magno quidem conatu ac voto, utinam pari ſucceſſu. Theologica tametſi multa inerant, tamen non ita forſan, ut aliis libris crebra, quanquam ab hac etiam ſacroſancta diſciplina numquam alieni fuimus, quantum per ætatem noſtram, & aliarum artium, quæ nos mirificè ceperunt ſtudia, licuit. Neque verò ſic ſum ad hoc ipſe munus electus, tanquam optimè rem executurus, ſed ne prorſus nullus eſſet, qui hoc ageret, reliquis Eraſmi amicis aliis in alias res intentis. Ac, ut verum fatear, arripui opus ab Eraſmo oblatum avidiſſimè, pollicitus me poſtremam commentariis impoſiturum manum ante ſecundum menſem aut tertium. Nam memineram me olim aliquot ejus operis volumina legiſſe, quæ mihi nec admodum erant viſa mendoſa, & ſatis facilia: ac ejuſmodi, in quæ non parum ejus notitiæ antiquitatis, quam jugi paraveram lectione, poſſem effundere, ut eodem labore ſimul exercerem ſtylum, atque ingenium meum: ſimul aliis mea ſtudia nonnihil afferrent fructus, ſimul aliquam ingenii atque eruditionis gratiam pararem. Et fuit illa profectò juvenilis quædam cogitatio, quæ longè aliter experiendo proceſſit, quàm ipſe mecum eram ratiocinatus, nam opus præterquam quod eſt longiſſimum, habet in ſe miram rerum omnium varietatem, hiſtorias, fabulas, naturalia, rhetorica, mathematica,

geo-



UNDE ARDET, INDE LUCET.

geographica, moralia, theologica: & horum nihil propè vel tenuiter, vel mediocriter. Jam libri erant ſupra quàm dici poſſit mendoſi, qui totam Auguſtini ſententiam prava ſcriptura aliò avertebant. Hic jam non exiguus in caſtigando ex veteribus libris, tum etiam in divinando labor: nam & divinandum ſæpenumero fuit, & conjecturis vera reſtituenda lectio: orſus nihilominus ſum ſcribere circiter Calendas Januarias, anni ſuperioris, i.e. M.D.XXI. & confecto ad finem menſis primo libro, affertur de Guilielmi Groij Cardinalis patroni mei morte, qui Vormaciæ naturæ conceſſerat. Facilè intelligere quiſque poteſt, ut ea res ſtudiorum meorum quietem concuſſerit, ſublato eo, qui mihi unus otia faciebat, quanta cupiebam. Hinc ut nulla unquam calamitas venit ſola, in morbum incidi non ſimplicem, ita ad curam valetudinis coactus ſum me Brugas conferre ad meos Hiſpanos, inter quos æger more ac modo meo commodius tractarer, covalui menſe Iunio. Et quoniam dicebantur eodem Carolus Cæſar, & Britannus Cardinalis venturi, ea me res ibi aliquot menſibus tenuit, ut Eraſmum & Morum convenirem, viderem que Tonſtallum, & Monioium, & doctos alios, tum amicos pleroſque meos, qui eodem venturi dicebantur. Eo loco ſcribere non licebat, quòd bibliothecam, qualem optabam, non haberem, unde quæ ſcribenda forent ſuppeditarentur. Tantùm libros aliquot ad vetuſta exemplaria contuli, quorum unum dederat mihi Marcus Laurinus decanus ſancti Donatiani Brugenſis: alterum Carmelitæ Brugenſes: tertium Eraſmus miſſum ad ſe Colonia Agrippina, ſcriptum, ut ferunt, manu divi Lutgeri epiſcopi, Mira dictu res quanta in codicibus varietas, ut unuſquiſque deſcribentium putaret ſibi licere verba arbitratu ſuo ponere, modò conſtaret ſenſus, quaſi interpretatio eſſet non exſcriptio. Ita in hoc libro legas arbitror, in illo puto: in hoc ſignificatũ, in illo figuratum: hic præſens, alibi iſte: hic habet ergo, ille igitur: hic æternus, ille deflexiſſe, alius inflexiſſe. Sed hæc fortaſſis tolerabilia. Quid illa detracta, quid addita, inverſa? Jam quoties erratum, quòd verſionem LXX. interpretum, quam ubique Auguſtinus adducit, voluerunt ad hanc noſtram detorquere, & ex duabus malè cohærentibus unam facere, nec aliud æquè fuit moleſtum mihi, ut variam lectionem expendere, examinare, excutere, in unoquoque capite non ſemel. Quæ erant difficiliora in commentariis annotavi, quæ verò apertiora & promptiora in margine. Id accuratius feci in locis ſanctarum literarum, propter earum myſterium. In pleriſque veriorem indicavi lectionem, & quid ſentirem, aperui. In cæteris adjeciſſe quid legerint alii contentus, nihil lectori præjudicans, liberam illi atque integram cenſuram reliqui. Fruetur per me ſuo quiſque ſive ingenio ſive judicio. Poſt Cæſaris & Cardinalis digreſſum redii Lovanium ſub finem Septembris: hic compoſitis rebus, & digeſta bibliotheca, cœpi totus in ſcriptionem incumbere: ita mihi ea hyeme uſq; ad quintumdecimum librum eſt progreſſum. Extremo vere: quòd ſalutandi erant amici, parantes in Hiſpaniam proficiſci cum Cæſare, intermiſi opus. Eraſmo ſubinde ſtimulante & inſtante, ut perficerem, ut mitterem: redii Lovani-

vanium, & quanta maximè potui diligentia menſe uno quatuor poſtremos libros abſolvi,cum bona parte decimi octavi: venique ad has præfationes ſcribendas adeò feſſus, & labore tanto tamque vario fractus, ut literas omnes libroſque neſcio quemadmodum animus averſaretur, velut crudus ſtomachus ac redundans cibos omnes: liberari tandem ea moleſtia miſerè cupiens, & univerſis atque unicis votis exoptans: ita ut cùm ad calcem perveni, nec pecuniam, nec gratiam ſtudioſorum ullam, nec aliud quicquam exiſtimarim æquè eſſe pretium operæ, ac ſolutum tandem liberatumque eſſe me labore tã ſinuoſo,& plerunque inamœno.Narrandæ fuerunt fabulæ & hiſtoriæ: deſcribendæ regiones & urbes: tum conſulendi Platonici penè omnes, & reliquæ philoſophorum nationes, & theologica tractanda, in quibus parcior quàm in profanis aliquot de cauſis fui. Primùm, quòd non decebat profanum hominem, nec natu grandem temere de ſanctiſſimis rebus vel definire, vel diſputare. Deinde quòd hiſtoria ſacrarum literarum notior ſolet eſſe lecturis Auguſtinum, & hujuſmodi autores, quàm ut opus ſit eam per me repeti, quæ indicatis locis ex ſacris libris fuſius & apertius cognoſci poteſt,quàm ut à me hîc pluribus videretur explicanda. Jam dicta ex arcanis noſtræ religionis literis, ab Auguſtino adducta nonnulla enarravimus: alia præterivimus,quòd viderem non hunc eſſe illorum explicandorum locum. Autores profanos crebros ad confirmanda Auguſtini dicta velut teſtes induximus, quòd fides dictorum penes illos eſſet, præſertim in profanis rebus, quas ab illis eſt Auguſtinus mutuatus. Nam in rebus noſtræ pietatis neque Ethnicis quicquam eſt negotii, & ſcriptoribus noſtris non perinde multis ſum uſus, ne parum firma Auguſtini autoritas exiſtimaretur, niſi illis velut tibicinibus ſuffulta. Satis enim videbatur eſſe dixiſſe Auguſtinum, Hieronymum frequentius advocavi, præcipuè ubi de linguarum ſignificationibus, aut interpretationibus agebatur: quoniam is ut Græci atque Hebræi ſermonis peritia, ita & cognitione ſanctarum ſcripturarum omnes noſtræ religionis ſcriptores longè antecellit. Nec putavi fore interpretis aut controverſias illas movere, quas noſtri theologi in ſcholis magnis animis agitant: quanquam iis prima ætate fuimus imbuti, quæ ab inſtituto, à mente rationeque Auguſtini plurimum diſſident: aſpernatuſque fuiſſet illas, atque indignatus operi ſuo admiſtas, velut tritico lolium, quacumque cæli parte purus ille ac ſanctiſſimus animus res hominum deſpectat. Itaque nec diſputandum mihi cenſui vel cum hoc hominum genere, vel cum antiquioribus, quicunque alieni à ſententia Auguſtini eſſent: nam hoc jam non eſſet interpretis, ſed defenſoris ac patroni: cùm non modò mea, ſed nec ullius defenſione aut patrocinio ille indigeat. Feci igitur quod Hieronymus in commentariis epiſtolæ adGalatas præfatur ſe feciſſe,ut magna ex parte aliorũ ſententias tantum referret:ſic & nos quid alii dixiſſent ſenſiſſentq;contenti lecturis explicuiſſe, ſententiam noſtram continuimus, veterem Academiæ morem imitati: tum quod id magis ad enarratorem alieni operis exiſtimavi pertinere, tum etiam quod cunctari & ſententiam ſuam non prodere, & conſectari

ctari magis aliena quàm ſua proferre atque oſtentare ante canos decere potius arbitrabar, qui cenſuris ac judiciis non parum autoritatis addunt, nec immeritò. Multa nunc mihi vera, certa, explorata videntur, quæ ſi diutius contingat vivere, non modò ambigua per ætatem videbuntur, ſed forſan etiam falſiſſima. Idcirco pleriſque in locis delectare magis lectorem placuit, quàm docere. Et ſi quid docerem, non tam ſeverè imperando volui perſuadere, quàm blandè rogando monendoque. Adducti ſumus nonnunquam ea cauſa, quoniam Auguſtinus fuſus eſt plerunque, ac ipſe interpres ſui; ideo labore docendi adempto ludere libuit, & lectorem in digreſſus aliquos interim non prorſus inamœnos ducere: ſimul ut mei laboris quandoque partem levarem, etſi non onere depoſito, certè frigida ſuffuſa, & per viam aliquanto munitiorem, & inter ſata cultaque ſpectatu jucunda commodiorem. Nam hæc omnia quæ dixi, & ſi habent ſuas animi ceu reparationes refectionesque, habent nihilominus ſuas ſalebras, ſuos acclives colliculos, per quos non ſine ſudore agas onus: ſuos quoque deſcenſus, per quos non ſine lapſus periculo facias iter, ne faſce preſſus in pronum ferare. Illic verò non ſtratam ullam viam invenias, nec quod recreet oculos, nec quò vel momentum divertas, ac ne ubi ſedeas quidem feſſus, cùm conferenda ſunt tempora, cùm diverſitas inter autores atque adeò adverſitas oſtendenda, cùm ſæpenumero tollenda, cùm quærendum, & evolvendum, & divinandum ubi ſit locus, quem Auguſtinus affert ex ſcriptore aliquo: quem locum invenire multum ac diu quæſitum caſus eſt ſæpius quàm eruditionis. Nam in eum incidat frequenter imperitiſſimus, quem doctus inveſtigare non potuit diu veſtigatum. Et hoc mihi tanto fuit difficilius, ac plus temporis extraxit, quòd & imparatus ad hoc opus acceſſi, cum antea quatuor aut quinque tantùm in eo volumina legiſſem, nec indices ullos mihi ex lectione confeci: vel in hunc, vel in ſimilem aliquem uſum: quos qui habent, næ hi felices in literis ſunt, quibus haud exigua laboris demitur pars. His anguſtiis & difficultatibus inopia Græcorum voluminum acceſſit, quæ eſt in hac regione mira. Nam cùm paſſim doctis fias obvius, ſi Ariſtotelem Græcum, aut Demoſthenem, aut Vetus teſtamentum, aut Pauſaniam, aut Iſocratem, aut Julium Pollucem, aut Euſtathium utendum petas, negant ſe habere, nec apud bibliopolas venales invenias. Cùm hic adeſſet Eraſmus, ejus bibliotheca adjuvabar: & illinc aliud agens, aliquot mihi decerpſeram loca, quæ ceu præſagiebat animus uſui mihi aliquando futura. Nam ea in hæc commentaria inſuli. Græcum Platonem habui in octavum, nonum, & decimum librum ſcribens: Strabonem plerunque Pauſaniam nonnunquã, ſed præcipuè cùm in decimumoctavum commentarer, & aliquot alios, quib. non perinde atque iſtis indigebam. Non quidem quòd Auguſtinus ad ſe enarrandum magnam Græcorum autorum copiam deſideret, qui Latinos tantùm eſt ſecutus, quos ſolos penè legerat, aut verſos è Græcis. Sed certè ſi adjutus majore Græcorum ſuppellectile fuiſſem, potuiſſet opus paulò exire ornatius ac locupletius. Itaque nonnulla ſunt à nobis prætermiſſa, quæ partim

ex nullo potuerunt autore peti: eorum duntaxat qui extant, partim ex reconditis Græcorum literis fuerunt eruenda, alias bibliothecam nacti Græcorum codicum ampliorem, per occaſionem ea lectori ſarciemus. Quanquàm ſedulò illud ante alia eſt à nobis advigilatum, curatumque, ne multa ſint, quæ in hoc opere ſtudioſi homines cordatique poſſent deſiderare. Quæ omnia præſtare aliis vel cognitione rerum ampliore, vel ingenio majore, vel feliciori memoria leve & facile fuiſſet. Nobis certè haud ſanè credat quiſquam, quam tædioſum fuerit ac faſtidiorum plenum: quo fit, ut plurima illa, quæ me in opus ſtimulabat, perficiendi facilitas planè perierit. At utilitas quanta ſit futura, pronunciare non eſt meum: quod nec in opere ſuo quiſquam vel incorruptus eſt judex, vel non ſuſpectus: & eventum rei ſitum in fortunæ manu poteſtateque prædicere nemo poteſt, nec ego promittere. Vivet, & legetur, & placebit, & proderit opus, ſi faverit genius: ſin adverſetur, concidet ac interibit. Multa grata ſunt & utilia tantùm ea cauſa, quod ſic libuit fortunæ. Illud modò precari poſſum, ſi quid optando proficitur, tam utile ut ſentiant opus legentes, quàm mihi grave & moleſtum fuit ſcribenti. Itaque primum illud amiſimus, ſecundum incertum eſt, tertium non profectò certius de gratia, unde nomen gloriaque ad ſcriptorem redit. Primùm non ignoro, quantum famæ admirationiſque operi etiam optimo detrahatur, quum in alium ſcribitur: id eſt, ædificatur in aliena ſuperficie, & velut ſcribendi argumentum ab alio eſt ſuppeditatum: niſi forſan in ſacras literas aliquid commenteris propter ſanctam majeſtatem earum, aut in Ariſtotelem; propter receptam ſcholis omnibus autoritatem. Accedit huc, quòd multi quibus omnia quæ negligunt, aut non capiunt, in grammaticam vertuntur, quamlibet in hoc libro ſacra & philoſophica & recondita tractaverimus, grammaticam dicent, ideo præcipuè, quòd hiſtorias narravimus, & fabulas, idem de ipſo Auguſtini opere dicturi, niſi pudor impediret, & reverentia nominis tam omnibus ſacri & admirandi. Alii hoc totum nec viſum, ne judicatum qualicunque cenſeatur nomine, rejicient, & damnabunt: ut proximè quidam theologiæ licentiatus, quum audiſſet me in libros De civitate Dei ſcribere, magno faſtidio operam meam tanquam inutilem prorſus vanamque aſpernatus eſt. Et quid, inquit, opus eſt libris illis illuſtratore plus ſatis ex ſe perſpicuis & claris? O te felicem quiſquis es, cui tam aperti facileſque ſunt hi De civitate Dei libri. Cæterùm mirari qui audiebant, vel ingenium hominis, vel eruditionem, vel certè impudentiam. Nam imperitiſſimè loquebatur, & rerum omnium veterum erat omnino expers & rudis, rogavitque ex his, qui audierant, unus, cur ſic cenſeret, quum eſſent tot hiſtoriæ, tot fabulæ, tot philoſophica, tot geographica, tot mathematica. Quid inquit, illa ad theologum? Deinde ſint a vel b, non ſum ſollicitus. Hoc illud eſt, iſtis nec Cicero, nec Vergil. nec Plin. nec alii ſimiles interprete indigent: quũ eorũ nihil inter ſit, quis fuerit Scipio, quis Cæſar, quis Pompeius, quis Cato: quæ aut ubi Cartago, Babylonia: herba ne an ſaxũ: malva, aut beta; lapis, an lignũ: magnes, vel adamas: animal, an metallũ: tigris, vel mil-

milvus: Sitne qui ardeat mons Aetna, an Alpes: ardeat ne ſulphure accenſo, an harena. Qvid dixerit, quid ſenſerit Plato, qvid atomi Democriti conficiant: qvid ſimilares partes ſint Anaxagoræ, aut diſſimilares: quid Pythagoræ tranſanimatio. Iſti ad hæc omnia linea ſunt alba, ſicut dici ſolet, in lapide albo. Tantũ illa curanda & expendenda ducunt: an Deus poſſit ſuppoſitare hanc pennam qua ſcribo: an jubere poſſit odium ſui: Poſſitne diſpenſare pontifex ſuper voto profectionis Romanæ, aut Hieroſolymitanæ: an pecuniâ ſacerdotii penſionem redimere ſit ſimonia. Verùm enimvero iſti cenſeant, quomodo voluerint cunque de opere. Nec eis ſcribo, nec eos curo mea legere: nec eorum judicium cenſuramque naucifacio, nec eis placere ſtudeo, & doctius putabo me ſcripſiſſe, ſi diſplicuero. At illud magnopere dolendum eſt, inſiſtere ſæpenumero ingeniis doctorum quidem, ſed non perinde bonorum hominum pernicioſum invidentiæ virus, quo bona opera inceſſant, lacerent, proſcindant, aut perdere conentur profutura, aut allatura lucem obſcurare. Hinc odium, & ex odio rabioſa maledicentia, & impotentis animi verba, & rixæ, & jurgia, & calumniæ. Hinc ſæpe deſperatio & deſponſio meliorum ingeniorum, quum pertæſa rem ſic amaram & inamabilem ab omni ſcribendi & juvandæ poſteritatis ratione avertuntur, plerunque & ab ſtudiis etiam: quod tantum abeſt, ut invidia ingenia fieri doleant, ut ſe hoc fructum capere ſingularem exiſtiment, ac laboris ſui præmium: finem verò quem deſtinarant, ſi conſequantur, ut ceſſent omnes, nemo benefaciat. Quod Terentius, ut alios vitæ humanæ mores, ſic & iſtum prudenter expreſſit, qvum malevolum & invidentem poetam omnibus contendiſſe viribus ait, ab ſcribendo uti deterreret, & in otium transderet. Neque vero id ego dixerim, quod ægrè feram, me vel admoneri, vel etiam reprehendi. dii meliorem mentem. Imò debere me multum profitebor potiora ſuggerenti, & reprehendenti doctè. Nam & meipſum non pigebit mutare ſententiam, ſi vel ſtudium, vel ætas alia docuerit meliora. Cæterùm permoleſtũ eſt, atque intolerandum pronunciari ſemel de toto opere, damnarique ceu imperitum aut futile, cùm nec legeris, nec forſan ſi legeris inveneris uſque adeò multa, quæ convellas: vel ipſe ſi tantundem præſtare tentes, vel non valeas, vel ſudes ſatis. Aut ſi unum, aut ad ſummum alterum deprehendas erratum, propter illa opus tantum tamque varium rejicias univerſum, & contemnas; velut ſi egregio inſperſos reprehendas corpore nevos, ut Horatius inquit. In ſumma, quandoquidem hominum linguas nec habeo in manu mea, & liberas decet in liberis ſtudiis, non deprecor quo minus ſentiat, loquaturque de opere quiſque pro libito. Si enim malum eſt opus, iraſci ob veritatem non debeo: ſin bonum, eos qui maledixerint, ſua invidentia exedet tanquam venenum: in quo uno juſtiſſima eſt invidia ipſa, cæteris in rebus iniquiſſima. Hoc ſolùm etiam atque etiam rogo, & obſecro: ut ſi quis à me diſſenſerit, volueritq; id ſcriptis teſtari, meminerit modeſtiæ, & ſine convitiis aſperisq; morſib. me, quod ignoraverim, doceat. Nam ut convitia & gravẽ fortaſſis

 objur-

objurgationem mereatur liber, non meretur inſtitutum & conatus animi mei: ita eadem opera fiet, ut ego cum aliis fructum eruditionis illius percipiam, agnoſcamque permagnum beneficium, atque habeam gratiam immortalem: & ipſe melior magiſter tum ſe profuiſſe intelligat, tùm doctrinæ ſuæ nulla immodeſtia, quæ pejor eſt quàm inſcitia, corruptæ & inquinatæ laudem ampliſſimam auferat Neque abſit ab ſtudiis humanitatis humanitas, ſerveturque illa tranquillitas animorum, qua ſuper res omnes alias Muſæ gaudent. Et incipiamus morem hunc tollere, quem invidæ omnibus furiæ in præſtantia ſtudia immiſerunt, impetendi & lacerandi eum, quem conjunctiſſimum nobis chariſſimumque debebat reddidiſſe communio ſtudiorum, ac earundem Muſarum cultura, ut prætercam baptiſmum & charitatem Chriſti: quandoquidem hæc jam olim ſurdis auribus inania ſunt nomina, & ægris oculis vanæ ſine corporibus umbræ: colamusque literas, ut nos delectent, ut juvent, non ut in certamen acerbum committant, & tela vel eruditionis, vel ſtyli ſubminiſtrent, quibus pravos affectus noſtros explentes feriamus ſauciemuſque inimicum. Sed de his rebus erit tempus, quum locum inveniam dicendi aptiorem. Nunc mihi, ut ad quod cœperam revertar, tota ſpes in iis eſt, qui candido, qui integro pectore ad lectionem horum librorum accedent, ſive docti ſint, ſive indocti. Denique ita me conſolor, ſi ab hominibus nulla redeat ad nos gratia, non deerunt, quibus adductus impulſuſque hanc me operam navaſſe nunquam pœniteat. Nam & obſecutum eſſe Eraſmo meo, tam me juvat, quàm nefas fuiſſet, quod imponeret onus recuſare, qui in me & hominis arcta mecum amicitia conjunctiſſimi & præceptoris optimè meriti jus ac poteſtatem habet. Tum interea dū hæc ſum meditatus honeſtiſſimo me exercitamento occupaſſe, & animum mentemque crebris cogitatis honeſtate ac ſanctitate refertiſſimis imbuiſſe, quæ promptiorem me atque expeditiorem ad bene & Chriſtianè vivendum reddant. Hæc una, ſi cætera deſint univerſa, abundè ampla & magnifica merces eſt. Poſtremò ut aliud nihil reputem, niſi me voluiſſe Auguſtino, & proinde Chriſto aliquid ſtudiorum meorum ſacrare, præclarè mecum actum exiſtimare debeo. Quippe qui etiam frigidæ poculum propter ſe ſuumque nomen præbitum irremuneratum ſe non præteriturum pollicitus eſt: huic quoque meæ voluntati, quam unam ille curat, gratiam referet: præſertim cùm ipſe labores omnes meos ita demum ratos mihi eſſe velim, ſi Chriſto eiusque caſtiſſimæ & integerrimæ ſponſæ eccleſiæ approbentur.

DE

DE VETERIBUS INTERPRETIBUS HUIUS OPERIS.

NArravit hodie mihi amicus quidam meus, inter colloquendum cum nonnullis fratribus Dominicani ordinis atque inſtituti, incidiſſe ſe in ſermonem de his meis commentariis: illos reſpondiſſe, in quem me operam atq; induſtriam ludere, ac potuiſſe huius temporis compendium facere, quum in libros Auguſtini De civitate Dei ſcripſerint Prædicatorii quidam fratres ad miraculum eruditè, dextrè, exactè, feliciter, nihil ſuprà. Quæ ſi ſic habent, nimis profectò confidens fui, qui me hac ingenij & eruditionis tenuitate ſcripta usq; adeò miranda ſuperare poſſe ſperarim: & demens, qui tantam lucem mea facula obſcurari poſſe crediderim: & ſtultus, ut non illis ſim uſus potius, ſicut Valerij Probi, Servij, aut Donati commentariis: & malè feriatus, ut ultro tanti temporis fecerim jacturam actum agendo, quod ajunt: & Eraſmus ipſe imprudens, qui novos commentarios mandarit ſcribendos, ubi tales eſſent veteres: & doctiſſimus quisq; ineptiſſimus huic noſtræ operæ votis favendo, ſcilicet, ut illi fratres putant, ſupervacaneæ. Quos ego fratres dejurare auſim, ne literam quidem in illis commentariis legiſſe, titulos vidiſſe ſolummodo: aut ſi legerunt, & probant, planè ſimiles ſunt ipſi commentatorum. Ut nunquam fuit animus refellere tam apertam inſcitiam, tam inſipidas expoſitorum ineptias, non collegi locos aliquot inprimis ridiculos & imperitos, ex quibus de opere toto qui non legiſſent, poſſent judicium facere, nec profectò fuit neceſſe. Nam in ſeculo jam tot literis diſciplinisq; excultiſſimo rariſsimi ſunt, qui quemcunq; in illis commentariis legerint locum, non ſtatim qualis ſit tota maſſa ex quamlibet parvo exemplo poſsint judicare. Itaq; ad doctos homines magna ſanè ac injucunda ſum moleſtia liberatus ſtultitiis illis patefaciendis. Nihil enim eſt neq; gravius, neq; inſuavius, quàm ſtulta refutare prudenter. Quæ ſi tantum indices, pro ſtultis rejicientur: ſin operam in eorum natura declaranda inſumas, non tam contemnenda reddas, quàm minus apud quosdam facias ſtulta. Nec deſunt ex hominibus eiusdem ordinis, qui cenſere poſsint: & haud dubiè cenſent quàm vilia, & deſpicienda ſint ſcripta illa non modo Auguſtino, ſed ne Theodolo, vel Faceto, vel Floreto digna: tamen quia id non illi ſolum, qui totam meam operam ceu inanem damnarunt: ſed alij permulti non credunt, tantum quia illi fratres prædicatores nuncupantur, volo iſtis rationem approbare laboris mei ſi modo approbari ſinant, aut approbationem intelligant: quorum ego aliquos credo tales eſſe, ut illis nihil inter dictionem Ciceronis & Catholicontis interſit: aut inter hiſtoriam Livij & Vincentij, vel inter cognitionem rerum Plinij & Bartholomæi Anglici, aut Hieronymi & Hugonis Carrenſis. qui poterit, cum nec Latinè ſciant, nec ullos bonos unquam attigerint ſcriptores, innutriti ſemper & ad ambas

aures

aures immerſi ſermonariis Parati, Diſcipuli, aut Dormiſecure? Ego verò ſi apud illos non mea, ſed eorum culpa non profecero, proficiam apud alios & ingenio saniore, & eruditione meliore, quales habent in ordine ſuo quosdam etiam mihi amiciſſimos, qui beneficio meliorum literarum communem popularium ſuorum & agnoſcunt errorem & dolent, & quatenus licet, & vitant. Faciam igitur invitus, quod à principio non ſtatueram, ut homines vita functos, & extra invidiam omnem jam poſitos, in judicium cenſuramq; revocem: præſertim cum illi homines, quantum mea fert opinio probi, quod potuere præſtiterint: tametſi hoc imperitum atq; ineptum, ut ferè illo erant ſeculo. Profitentur ergo ſe in hoc opus ſcribere Thomas Valois, & Nicolaus Trivet, & Jacobus de Paſſavant. Et veritates colligit Franciſcus de Maronis minorita, ne ſolum regnum prædicatores teneant. Primum Thomas Valois arbitratus credo ingens eſſe opus, & unius viribus majus, non omnia ſolus eſt obire auſus, ſed ſocium ſibi ſumpſit, ac velut ſuccedaneum ſodalem ſuum Nicolaum Trivet, tam ſimilem ſibi, quàm ovem ovo: cui ipſe lampada, quod ajunt, traderet feſſus: neſcio quo volumine: nam etſi legi, non tamen annotavi. Neq; verò aliud ſuſceperunt explicandum, quàm fabulas aut hiſtorias, ſacrilegium credo rati ſacra contrectare: in quo certè modeſtiam hominum non mediocriter laudo: quibus ſatis viſum eſt prophana contaminare, à ſacris abſtinuerunt. Ita ab undecimo ad decimumoctavum, & à decimonono ad vigeſimumſecundum nihil ferè ſcripſerunt. Quod promptum eſt unicuiq; videre: nam libri ſunt in manibus. Octavo vero & nono & decimo libris, quibus Auguſtinus adverſus Platonicos diſputat, quid dixiſſent miſelli, qui non modo Platonem, aut Platonicum ullum, ſed ne umbrã quidem Philoſophi viderant? Itaq; ne quod agant, deſit, toti ſunt in contextu partiendo & diſtribuendo. Hic Auguſtinus tractat de hoc: aut illo, & facit duo. Primum eſt, quod reprobat Platonem; ibi ſecundum, quod dicit hoc aut illud, ibi. & dicit. Tum quæ Auguſtinus purè ac Latinè dixerat, ipſi ut chartas impleant, ad ſuum cœnum, ſuamq; obſcœnitatem trahunt, ceu non aliter poſteris intellecturis. Jam in quinq; libris, & parte decimioctavi fabulæ & hiſtoriæ tractantur. Hic putant ſe eſſe in ſua harena, & vagantur jactantq; ſe, ut equus, quòd dicitur, in campo. In quibus omitto ſermonis ſordes ac ſpurcitiam, fatuaſq; & inſulſas narrationes: quas tamen ipſi interdum ex facundiſſimis deſumebant ſcriptoribus, quas nullus ſit tam impatiens ſtomachus, qui unam ex eis aut alteram poſſit devorare, niſi quibus fortè ſalubria ſunt noxia. Sed ad res ipſas veniam. Sunt certè commentarij utiles iis, qui nihil vere recteq; ſcire volunt: qualia ſunt ingenia quædam, quæ ne hiſtoriam quidem audire poſſint verè & uti geſta res eſt, narratam: nefas credo exiſtimantes aliquid remanere ſynceri ac incorrupti. Falluntur igitur infinitis locis, & fallunt, ſi quis ſequatur: tum propter confuſam incertamq; eorum, quæ ſcribebant, notitiam: tum etiam quod ignoratione Latini ſermonis in ipſis rebus paſſim labebantur. Ad hæc afferunt commentitia plerãq;, & nunquam ab autoribus vel ſomniata: partim ex geſtis Romanorum mendaciſſimis, partim quæ fando narrari audierant inter compotandum in hoſpitali cœnaculo ſodalitatis. Colligam quæ prima erunt ad manum paucula quædam, velut exempla. Primo libro, capite quinto, cum Cæſar apud Saluſtium refe-

rat

rat, quæ ſoleant in bellis fieri, rapi virgines, pueros divelli à complexu parentum: etiam commentator hæc jam eſſe à Catilina facta Cæſarem ſignificare dicit: verus ſcil. commentator quaſi commentor. Tum capite vigeſimoquarto. Portium Latronem declamatorem Catonem fuiſſe dicit, ibi egregiè diſputat, an iſte ſit, qui Catunculum puerorum compoſuerit. Et libro ſecundo, capite quarto, Atym dicit oblatum matri deûm in eius templo, ut voveret caſtitatem. Quod credo eum didiciſſe ab aliquo ex Gallis matris deûm. Et poſt paulum: Symphoniaci, inquit, ſunt canentes tubis, vel alio modo ſonitum magnum facientes. Ex dulci concentu magnos facit ſonos, atque tubas. Et paucis verbis poſt, Vocat, inquit, hic Auguſtinus Symphoniacos, qui in honorem deæ pudicitiæ quædam turpia faciebant: non melius dixiſſet, ſi illa ætate vixiſſet, & paucis interjectis verbis, Palladem dicit lavari cum matre deûm in Almoneamme. Credas Varronem hoc dicere: tantum quoniam Auguſtinus virginis cœleſtis illic meminit, ceu non eſſet alia dea virgo, quàm Pallas. Et mox: Fuit, inquit, ſcena propriè domuncula in medio theatri, quales ſunt domunculæ tabernariorum vel mercatorum in nundinis, ſecundum Huguitionem. O miſeræ Scauri & Curionis, & Pompeij ſcenæ latiſſimæ, & auro argentoq; ornatæ, quomodo ad domunculas mercatorum in nundinis recidiſtis? Sed hoc tolerabilius. & addit: in ſcena pulpitus erat, quem aſcendebant illi, qui fabulas recitabant: & quot erant carmina, tot reputabant appoſuiſſe fercula. Hæc eſt argutiſſima interpretatio ferculi. Pergit verò: Infra etiam latebant larvati hiſtriones, & mimi, qui ſubitò exeuntes coram populo motibus corporis expreſſerunt hiſtorias, ſeu fabulas recitatas: & iſti propriè fuerunt appellati ſcenici. Scena etiam quandoq; ponitur pro ipſo toto theatro, quandoque pro fabula, quandoque pro recitatione fabulæ. Hæc omnia quis neget eſſe admirabilia, cùm antea nullus unquàm audierit? Quis unquam vel theatrum dixit ſcenam vel fabulam: vel fabulæ recitationem: Tum addit Valerium Maximum dicere, antequam imago matris deûm tranſlata eſſet ex Peſſimunte, imperatores Romanos ſæpe ad Peſſimuntem iviſſe, ut vota ſoluerent. Ubi hoc unquam ſomniavit Valerius? ita non ſatis eſt te fingere, niſi & aliis mendacia aſſignes. Narrat quidem iviſſe illuc Romanos imperatores libro primo, ſed non ante matrem deûm tranſlatam: quo tempore nullus unquam Romanus eò eſt profectus. Adjicit his Pantheon templum à Domitiano magnæ matri deûm extructum fuiſſe, cum Pantheon extruxerit ante Domitianum Agrippa Jovi Victori, deinde cæteris diis. & hæc omnia in eodem verè aureo & copioſo capitulo 4. lib. 2. quod licet Cornu copiæ appelles. In ſexto verò capite verſiculi ſunt Perſij, quos ipſe feſtiviſſimè explicat:

Diſcite ò miſeri, & cauſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur,
Ordo quis datus?

Sic, inquit, ordinata eſt humana natum, quod eſt ſuper bruta animalia. Putabam eſſe infra. aut metæ quùm mollis flexus? *Metæ, inquit, id eſt, mortis. Atqui ex hac nullus eſt flexus.* Quid aſper utile, nummus habet: *hic cum ignoraret, cur aſper nummus diceretur: non defuit moralizatio. Aſper, inquit, id eſt, quantum*

 habeat

habeat aſperitatis, propter curas magnas, quas ingerit, propter quod & ſpinis comparantur divitiæ. Non ſic Perſius ſua tam acute intellexit, nec tam ſancte. Et capite octavo de poetis annotatio digna quæ ad verbum ediſcatur. Poetarum, inquit, duo ſunt genera: veteres, & novi. Veteres omnia quæ canebant, convertebant ad riſum: unde de meretriciis & ſtupris, & his quæ poterant provocare riſum tractabant: ſicut Plautus & Terentius. Novi verò reprehendebant vitia hominum nominatim, undeq; homines laceſſabant, eorum vitia carpentes vera & ficta: & pingebantur nudi, quia vitia denudabant. Tales poetæ comici Satyrici appellantur: ſicut Horatius, Perſius, Juvenalis, & huiuſmodi. Et paulò poſt: Poſſunt autem poetæ Tragici ſicut & Comici dividi in duas partes. Primi puri Tragici: ſecundi verò Elegi, tractantes de elegia, id eſt, de miſeria. Sic ille, ex Ariſtotele credo, aut ſi quis hoc quoq; doctius de poetis ſcripſit, & tamen qui nihil unquam de iis poetarum generibus audivit: non intelliget quàm frivola hæc & imperita ſint, nedum ſtulta atq; ridicula. Si audivit, huic perinde iſta erunt, cùm de novis & veteribus loquitur poetis, ac ſi quis dicat, architectorum officium eſt calceos ſuere, cerdonū verò ædificare: & cùm novos comicos vocat Satyricos, ceu quis dicat ſartores eſſe textores, cùm Comicos dixit Elegiacos, velut aliquis agaſones dicat nautas, aut tonſores carbonarios. Jam cum explicat elegia, id eſt, miſeria: non ſecus quàm ſi interpreteris: ſcrinium, id eſt, liber. & cap. IX. cum de Plauto ageret, iſte ſcripſit, inquit comœdiam, quæ appellata Aulularia, quaſi non aliam. At philoſophari quoque voluit lib. VII. Nam cùm dixiſſet Auguſtin. Menam deam, quæ menſtruis præeſt, conferre fluores menſtruos, ad eius, quod conceptum eſt, incrementum, ignarus fluorem menſtruum dici etiam muliebrem ſanguinem, qui fluxurus erat in menſe, niſi vel fœtu vel alia cauſa detineretur: incipit diſtinguere ſanguinem menſtruum: uno modo pro eo quod eſt purgamentum naturæ, & ſingulis menſibus ejicitur. Alio modo accipitur pro ſanguine, qui per ejectionem purgatur, & poſt fluor menſtruus non confert ad incrementum fœtus. niſi per accidens, ſcilicet per ſuam abſentiam. Confert enim pro tanto, quia cùm ipſe expellitur, ſanguis ille unde fœtus augetur, efficitur mundior, & ad augendum melior. Sed beatus Auguſtin. extenſivè loquens, vocat illum ſanguinem, qui deputatur, fluorem menſtruum. Hæc ille. Primum quis unquam ſanguinem illum, qui purior remanet in corpore mulieris poſt ejectum menſtruum vocavit fluorem menſtruum? Deinde quomodo iſto augentur fœtus in locis? qui ſi menſtruus ille defluat, fiunt imbecilliores: & ſi largius, & ut alio ſolet tempore effluat, abit cum eo fœtus, nec augeri nec ali poteſt. Sed libet explicationes audire vocabulorum? Exclamat Auguſtin. libr. II. O animos germane Romanos. Germane, inquit, id eſt altè, vel immaniter: nam Germani habent immania & alta corpora. Et in eodem loquens Auguſtin. de lino aut lanula flaminum, quo vinciebant caput, quem apicem nominabant, quaſi ſummitatem. Apex, inquit, nomen eſt cuiuſdam hiſtoriographi, ut jam mirandum non ſit feciſſe DEUM homines ex limo, cùm iſte faciat ex lino. Et cùm libro quarto poſuiſſet Auguſtin. inter prodigia fœminas, & gallinas & homines verſas in maſculum ſexum. Credo, inquit, literam eſſe falſam, quam tamen multi libri habent, deberet autem

tem

tem litem ſic eſſe, in homines & maſculum ſexum. Vult enim ſic dicere, quod fœminæ converſæ ſunt in homines, id eſt, in viros, & gallinæ in maſculum ſexum. O tenebras illius ætatis miſerandas, & tamen illis oculi aſſueſacti illatam jam lucem ſpectare non ſuſtinent. Claudite iſtis feneſtras omnes & rimulas, ne qua lux penetrare queat, & fruantur liberè ſua nocte, tenuem quoq; & languidulam in tenebroſo cubiculo meridie ipſo accendite lucernam. Illud in eodem miror interprete, quòd cùm graviſſ. haberet autores, & ex quibus nonnulla ſolitus eſt deſumere, poſſetq; ex eiſdem alia quædam afferre, maluit ab Iſidoro petere, aut hoc peioribus Huguitione, & Vincentio hiſtoriali: quod ſuſpicari me cogit ipſum vel alienæ eſſe uſum in citandis autoribus operæ, vel citatos, aut inveniſſe in aliquo Vade mecum, aut rapiamus totum, aut de aliquo audiviſſe. Nam definitionem DEI, quam ex Ciceronis primo Tuſ. quæſt. citat Auguſtin. colligi dicit ex his quæ in 3. De nat. deo. ſparſim tractat: & conſolationem de morte filiæ, neſcire ſe dicit, an ſit lib. 12. Orationum, cùm Cicero ipſe in Acad. & Tuſc. quæſt. Lactantius & Plinius eius libri meminerint. Valerij Sorani nihil recordatur ſe legiſſe: cùm eius ſit mentio apud Plinium, Solinum, Lactantium, Plutarchum, Servium, Macrobium. Jam ex multis Diogenibus unum, & ex multis Æſchinibus unum, & ex Socrate & Iſocrate eundem conglutinare & conferruminare invitos & malè cohærentes, non rarum: ut nec alia omnia, quæ ſi perſequi ſigillatim tentem: rem in infinitum extendero. Hæc quæ adduxi, tantum velut ſpecimina poſui, quæ prima profectò volventi librum occurrerunt. Sunt enim usq; adeò frequentia, & denſa, ut periculum non ſit, ne lateant, ſi non indicetur: extant nimirum & offerunt ſe, atq; adeo ingerunt oculis omnium volentium intueri, quæ nec in opere ipſo ſum conſectatus. Tum ne faſtidio lectori eſſem tanta prolixitate, tum quod ineptiora ſunt, quàm ut in eis refellendis aliquid collocari operæ debuerit. Quisquis mihi fidem non habet, legat ipſe, & vel judicet, ſi eſt doctus, vel à doctioribus ſententiam exquirat, illisq; aſſentiatur. Quod ſi quis eſt, qui hæc unicè forſan ac tenerè complectitur, & amat: habet non ſolùm hos commentarios, ſed etiam Huguitionem, Papiam, Græciſtam, Joan. de Garlandia, Catholicon, illis ſe omnibus oblectet, quòd ſit ei bonum proſperumque, & in eorum complexu hæreat. At Thomæ Valois & Nicolao Trivet prodiit velut ſuccenturiatus Jacobus Paſſavantius, quem nomen ipſum indicat fuiſſe ſcurram aliquem feſtivum, qui ſodalitium totum oblectabat: cui, ut credo, per jocum luſumq; nomen Paſſavant eſt à reliquis fratribus inditum. Loquendum eſt de Tertulliano, nihil mihi occurrit, reſervetur cum aliis: de Valerio Sorano, nihil mihi modo occurrit, reſervetur cum aliis: de Xenophane & Anaxagora, de Lactantio, reſervetur cum aliis. Quid malum ſunt iſta alia? ubi reſervas? in quem uſum? quid quòd nec legerat expoſitores ipſos, quibus dicit ſe ſua addere, ut lib. 3. cap. 12. ſic ſcribit: In hoc cap. 12. facit Aug. mentionem de dea Febre, de qua dicit expoſitor, quòd fuit mater Æſculapij, quòd eſt dea inferni, & quòd Numa rex ſacravit deæ Febri menſem Februarium. Atqui nunquam id expoſitor ſcripſit, niſi forſan res tam ſtulta ex codicibus ſit ab aliis fratribus, qui eam deprehenderant, raſa, ſed videlicet ſuper cœnam frater aliquis Paſſavantio narraverat id expoſi-

 poſi-

poſitorem dicere. Cæterum quo reprobet modo, audiamus. Quod non videtur bene dictum, inquit, ſalva ſui gratia. Nam ſicut infra dicetur, Æſculapius fingitur fuiſſe filius Phœbi & Coronidis: ſicut vult Ovidius ſecundo Met. Nec unquam legitur, quod Phœbus cum Febre convenerit, vel quod ex ea filium genuerit. Tum incipit philoſophari, & conjecturas quærere. Nec convenienter, inquit, Æſculapius filius Febris, cùm ipſe poſtmodum ſit habitus deus medicinæ, quæ habet febrem expellere. Jam ne omnino deſit, quod alij poſſint pro ſe reſpondere, addit: niſi dicatur ita crudelis filius, quòd matrem perſequatur ubique, & omni ſede expellat. Joculares ſunt additiones iſtæ ad riſum fratribus movendum paratæ. Iſtis omnibus accedit Franciſcus de Maronis non quivis doctor, ſed illuminatus, & veritates colligit, quaſi cætera eſſent falſa. Sed hic non magis ad hoc opus ſpectat, quàm ad cætera Auguſtin. ex quis omnibus ita videtur veritates ſelegiſſe, ac ſepoſuiſſe, ut Vergilius gemmas è ſtercoribus Ennij. Quod ſi alieni à noſtra religione Auguſtini opera ſumant in manibus, illius ſcilicet illuminatis veritatibus illuminata, quid eis veniet in mentem de huiusmodi veritatibus? quid ſuſpicabuntur? quid credent? Nimirum eſſe cætera vel parum vera, vel eccleſiæ ſuſpecta: illa tantummodo teneri & aſſeri à nobis ceu firma & indubitata, ut quæ illuminatus doctor indicarit: in quibus tamen rixoſa multa, alia ambigua, etiam falſa complura inveniat. Nam ſi omnia Auguſtini ſunt æquè vera, quid mihi cum tuis veritatibus, in quarum pleriſque nihil Auguſtini dictis addis, cùm verò addis, ſophiſticaris: & non tu Auguſtini veritatem ſequeris, ſed illum cum veritate obtorto collo, quò ipſe vis, torques, nempe ad factionem Stoicam, ut contra Thomam locutus videatur: & conaris ipſum putari dicere, quæ ne cogitavit quidem ullus ætatis illius? Jam non minus ex hiſtoria & fabulis veritates, quàm ex rebus theologicis colligis. Quæ glacies eſt, cùm Auguſtinus narrat Ninum Aſſyriis imperaſſe primum, te illico ceu veritatum plaſtem cum formulis tuis ad fingendam ex hoc veritatem accurrere, ceu non aliter futura veritate? Veritas inquis. Ninus fuit rex Aſſyriorum primus. cur quod paulò ante legitur non eſt etiam veritas? cur non quod paulò poſt? Et unum exemplum adduxi pro multis millibus. Jam quale eſt te figulum veritatum, modò aliis incerta, & in primis controverſa admiſcere: ut cùm contra Aquinatæos diſputas, quo nihil facis nec libentius, nec proinde crebrius: modo etiam tibi incerta, ut verbi gratia, cùm Holofernem illum ex libro Judith dicis fuiſſe Syrum Aſſueri & Heſter filium: de quo veritatibus aliquot poſt eam ambigis: modò etiam vel pueris falſa, ut de hoc ipſo quod Darius ſit filius Aſſueri & Heſter, tum quod tertij libri Esdræ Auguſtinus non meminerit, cùm citet ex eo quæſtionem illam de re, quæ fortitudine cæteris ante ſtaret: etiam eodem capite, quo tu id dicis libro decimooctavo, ita veritates tuas non ex una ſimplici veritate videris effingere, ſed partim ex veris, partim ex incertis, partim litigioſis, partim falſis: ut ſtatua illa, quam per quietem Nabucodonoſorus vidit, ex auro, argento, calybe, ferro, & argilla erat conflata. Sed ſint ſanè veritates iſtæ,

quantum

quantum aliis libuerit, nihil impedio, & legantur ab his, qui ejuſmodi amant. Ego verò quæ ipſe ad verbum ex Auguſtino refert, Auguſtini eſſe puto: cætera quæ de ſuo addit, non peculiarius ad Auguſtinum pertinere quàm quæ à ſummulariis aut ſententiariis autoribus de ſimilibus conſcribuntur rebus propè infinita. Hæc paucula de interpretibus hujus operis dixiſſe me laſſum & feſtinantem ad alia ſit ſatis, tantum ad bona ingenia commonefacienda non me omnino in iis libris actum egiſſe.

Quinam hominum fuerint Gothi, & quomodo Romam ceperint.

CUm Auguſtinus ex Romana captivitate occaſionem ſumpſerit ſcribendi De civitate Dei, ut iis reſponderet, qui eam cladem Chriſtianæ religioni imputabant, operæ pretium erit altius narratione repetita explicare, quinam hominum fuerint Gothi, quomodo in Italiam venerint, urbemq́ ceperint. Primum omnium ferè video conſtare, quos poſterior ætas Gothos, priorem Getas nuncupaſſe: ut illa pauca ex priſcis vocabulis non corrupit. Sic Rutilius & Claudianus poetæ, cum de Gothis loquuntur, Getas eos ſemper nominant. Oroſius itidem in hiſtoria: Getæ, inquit, qui & nunc Gothi, quos Alexander evitandos pronunciavit, Pyrrhus exhorruit, Cæſar autem declinavit, relictis vacueq́ factis ſedibus, ac totius viribus tuti Romanas ingreſſi provincias. Hieronymus in Geneſim, Gothos ab eruditis antiquis Getas nominatos eſſe teſtatur. Getæ verò ſunt, qui circa Iſtrum Fluvium habitant, ut Gothorũ ſedes. *autores ſunt Strabo, Mela, Plinius, & alij: lateq́ regionem poſſident incultam magna parte, & rigoribus immitem: tenentq́ ulteriora Iſtri ad Scythiam, & citeriora ad Thraciam, ubi Tomus Ovidij vatis exilio clara, qui ſe apud Getas agere non ſemel in Triſtibus & Ponto ſcribit: tum & Mediterranea occupant Germaniam verſus & Iſtri fontem: quos Strabo lib. ſeptimo Dacos & olim Davos nominatos eſſe ait, cùm viciniores Ponto dicerentur à Græcis Getæ, eundemq́ utriſq́ populis ſermonem eſſe. Quanquam Plinius non aliud inter hos populos videtur ſignificare diſcrimen eſſe, quàm quòd Getæ Græcis ſunt, qui Romanis Daci. Sed nos Strabonem hoc ſequemur loco. Getæ barbara & fera gens eſt, viribus atq́ animo immani mortisq́ contemptore, quod perſuaſum habeant redire animas: ſicut Mela ſcribit: aut ſi non redeant, non tamen extingui, & in meliores ſedes immigrare: quod ſi neutrum contingat, præſtare certè vitæ mortem. Fama eſt poſterioribus deinde temporibus Getas Oſtrogothos eſſe dictos, Dacos verò Viſogothos patriis nominibus, quòd hi ad Occidentem, ad Orientem illi magis ſpectarent. Confunduntur tamen plerunq́ hæ cognominationes à rerum ſcriptoribus: non modo recentioribus, ſed etiam antiquis. Hanc gentem tradunt jam olim florente cum plurimum Romana re, impetum in provinciam populi Romani Mithridatico feciſſe bello: quos L. Lucullus, qui in Aſia magno cum exercitu imperator res gerebat, è Myſia cum clade exegit. Poſt verò Bœrebiſta duce, cum ab eo ad labores militaremq́ diſciplinam eſſent* Gothorũ bella. *aſſuefacti, egreſſos regionem ſuam multas ſibi gentes ſubegiſſe, Iſtroq́ cum maxima trajecto manu Thraciam, Macedoniam, & Illyrium late depopulatos, ingentem feciſſe Romanis terrorem. Interimq́ dum in eos Romanorum arma expediuntur, Bœrebiſta fato conceſſit. Auguſtus legiones ferè decem in illos miſit, eorumq́ opes uſq́ adeò attrivit, ut ex ducentis millibus militum ad quadraginta millia copi-*

 as

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ad eorum redegerit: ac parum abſuerit, quin gentem totam imperio ſubderet Romano. Aliquot annos poſt fines Romanos ingreſſi, Oppium Sabinum conſularem virum cum exercitu ceciderunt, qui à Cornelio Fuſco, Domitiano principe poſt varia prælia tandem compreſſi ſunt. Trajanus imperator multum cum eis magnaque cum gloria belligeravit. Antonius Caracalla per occaſionem nihil tale ſuſpicantes vehementer afflixit. Gordiani verò temporibus in Romanos fines frequentiſſimè ſe effundebant, quos minor Gordianus facili opera excedere provincia coegit. Ferox & inquieta gens ſuiſq; ſedibus male contenta, ſubinde cauſas alienas invadendi quærebat. Itaq; Philippo Voſtrenſi imperatore, qui primus ex Romanis principibus Chriſtianam pietatem eſt profeſſus, multis cædibus populationibuſq; editis amplius trecenta ferè virorum millia in proximas ſibi Thraciam Myſiamq; irruerunt. Ad quos expellendos miſſus Decius, rem parum plerunq; proſperè tentatam & ipſe infectam reliquit, quam ſuccedens Philippo in principatu diſſimulavit. Gallus deinde pater & Voluſianus filius certis conditionibus ſibi iniquis pacem cum illis fecerunt: quam Gothi non admodum diuturnam ſervarunt, ignavia & ſocordia Galieni principis freti. Non jam Thraciam Miſiamq; ſed Aſiam ipſam minorem ſunt tentare adorti. Bithyniam vexatam ſpoliaverunt, reverſiq; in Europam, Thraciam, Macedoniamq; pervaſtarunt. Quibus in Achaiam venientibus Macrinus ſe objecit, eoſq; vicit, ac fugavit perſecutus, quouſq; illos intra fines ſuos compulit, quibus tamen ſe non diu continuere, quanquam egreſſi in ſtrenuiſſ. principem inciderunt, virum nec minoris fœlicitatis quàm virtutis, ſi vita modo contigiſſet in principatu diuturnior. Claudius fuit is, qui ccc. millia eorum partim delevit, partim cepit. Infinitam fuiſſe gentis hujus multitudinem oportuit. Non enim multos poſt annos Aureliano imperium tenente, ad arma redierunt, primoq; prælio ſunt ad Danubium ſuperati. Fl. Conſtantinus tanta illos cæde affecit, ut cogeret tandem multos per annos quietos eſſe. Ita enim iſti pugnabant, ut magno hoſtium malo vincerent, non minore ſuo vincerentur. Atq; hæc quidem geſſerunt Gothi, quandiu certas ipſi habuerunt ſedes. Valente principe Hunni, qui & ipſi ſunt Scythæ, ſed immitiores rudioreſq; humani commercij, in Ryphæos montes inclinatiores, inter Tanaim Maſſagetaſq; concluſi, Gothos regione quam incolerent, per vim ejecêre. Quæ tametſi rigoris intemperie parũ humanis erat uſibus commoda, tamen Hunni ſaluberrimã ſuaviſſimãq; omnium exiſtimabant, homines extra ſolis vias curſuſq; nati & educati. Hic jam Gothi ſedibus, domibus, laribus, penatibuſq; exuti, qui ultra alienos erant ſoliti fines invadere, coacti ſunt vel mortem fortiter oppetere, vel in alieni ſoli poſſeſſionem, cum ipſi nullum jam haberent, hærere. Sunt qui non Getas illos, quos Oſtrogothos diximus, veniſſe in agrum populi Romani perhibeant, ſed Viſogothos fortuna ſociorum conterritos deliberaſſe de mutandis ſedibus, veritos ne eadem eſſent paſſuri, quæ Oſtrogothi, extendentibus ſe velut marino æſtu Hunnicis armis, vicinaſq; regiones delentibus. Hæc res Viſogothos in eam ſententiam impulit, ut legatos ad Valentem Romanum imperatorem mitterent, qui gentis nomine Myſiam citra Danubium flumen ſibi incolendam peterent, ſpondentes communi nomine, ſe omnes Chriſtianam pietatem accepturos, futuroſq; bonos, fideleſq; Romanorum ſtipen-

Gothi ab Hunnis ſedib. ſuis pelluntur.

ſtipendiarios, armis ſuis opibusq́; fines illos populi Romani ab incurſibus reliquorum Scytharum ſedulo defenſuros. Quibus conditionibus adductus Valens, Lupicinum & Maximum velut duûm viros agris dividundis ad eos miſit, qui ſedes Viſogothis diſtribuerent. Hi cùm avarè crudeliterq́; haberent gentem, primum ferre Gothi, & diſſimulare injuriam, ne primo ſtatim alienæ regionis ingreſſu res novarent, exiſtimantes, cùm exatiati ſuis opibus duces eſſent, facturos ſæviendi & rapiendi finem. Sed illi dum malignè commeatus partiuntur, & curant, famem intolerabilem effecerunt, quæ & ipſis ducibus & Rom. principi exitio fuit. Gothi enim cum fame jam ſe velut belluas viderent peti, correptis tumultuoſiſſimè armis Romanos duces cum præſidiis atrociter cædunt, & ita armati totam Myſiam pervagantur, inq́; proximam tranſcendunt Thraciam, quam ſibi vectigalem reddiderunt. Hic illis occurrit Valens, pugnatumq́; eſt acriter, fuſis fugatisq́; Romanis, magna in eis facta ſtrage. Saucius Imp. in hoſtium poteſtatem vivus venit, quem illi efferatiores poſt tantum exhauſtum ſanguinem vivum cremaverunt, rectaq́; Byzantium petunt: & nullis obviam factis armis, urbem corona cingunt, quæ aliquandiu opera & conſilio Dominicæ Valentis conjugis obſidionem ſuis opibus tulit, confirmatis in fidem principis civium animis magna Dominicæ largitione. Poſt Valentiniani Valentis fratris virtute ſolutâ obſidione, retro abierunt. Valentinianus Theodoſium Hiſpanum virum accitum ex Hiſpania adoptavit, participemq́; fecit imperij. Hic Gothos multis præliis fregit contuditq́;, & ſupplices pacem coegit petere: quam cùm dediſſet, rexq́; eorum Athalaricus Byzantium ad Theodoſium ægrum viſendum veniſſet, rex in morbum lapſus aliquot poſtea menſibus moritur. Gothi toto imperij Theodoſii tempore ſub Romano imperatore militarunt: nec regem habuerunt alium, nec ducem, niſi quem Romanus dediſſet Imp. Inter hæc Theodoſius, Mediolani princeps, ſine controverſia & bello & pace optimus moritur, Baſſo & Philippo Coſs. relictis Archadio & Honorio filiis, & Placidia filia. Archadium Byzantio & illi orientali præfecit imperio, Honorium occidentali Romanæq́; urbi. Et quia juvenes admodum erant, tutores educatoresq́; teſtamento aſſignavit: illi Ruffinum, huic Stiliconem, vafrum utrumq́; & ſceleratum hominem, cujuſmodi ingenia facillimè in intimas ſe ſolent aulas inſinuare. Hi principum ætate injuria obnoxia ad ſuas ambo augendas opes magnamq́; ſibi & immodicam parandam potentiam abutentes non jam de privata aliqua magnitudine cogitare, ſed ad principale ipſum faſtigium animos nefariis cogitationibus adjecerant. Ruffinus ſibi, Stilico filio imperium affectabat. Cùm hæc uterq́; conſilio agitaret, bello opus erat ad eas res perficiendas, ut tempeſtate turbatis rebus, cùm minus eorum deſideria deprehenderentur, tum verò perficerentur facilius, perculſis principum animis bellorum terroribus, nihil non concedentibus proximis ſibi viris, & qui rerum omnium adminiſtrationibus præeſſent. Nam in pace velut ſereno & tranquillo cœlo & cognoſci tenebras ſuorum animorum, & puniri conſulentibus per ocium principibus poſſe non ignorabant. Quocirca Gothos gentem ad res novas tumultusq́; bellicos exciendos aptiſſimam ſpe ingentis prædæ uterque ſolicitat, ut ſuo principi bellum faciat. Gothi occaſionem adeſſe rati, vel rei alicujus bene gerendæ, vel certè intentato bello domum

Valens imperator vivus crematur a Gothis.

cum

Balthorũ familia.

cum haud parva redeundi præda, arma induunt, regéq; de ſuo corpore ex Balthorum illuſtri familia Halarico creato, fines ſuos magno vicinorum terrore egrediuntur. Huic ſe paulò pòſt Rhadagaſius cum ducentorum Gothorum milibus conjungit: cùmq; nulla ſatis terra multitudini alendæ eſſet, caſtra duces dividunt: diverſiſq; profecti viis per Pannoniam, Illyricum, Noricumq; incenſis vaſtatiſq; obviis rebus omnibus in Italiam veniunt. Ruffinus cùm imprudentius cogitata exequeretur, ad Theſſalonicam à militibus occiſus eſt. Stilico aſtutius conſilia celabat. & Rhadagaſus quidem per Etruriam ad urbem cum agmine veniebat longè latéq; quacunque iret fugam terrorémq; oſtendens. Trepida Romana civitas mercenarios duces venienti opponit. Rhadagaſius inconſultius exercitu caſtriſq; diſpoſitis, in loca ſe iniqua præcipitavit. Commeatibus ademptis multitudinem ſuam fame confecit. Ipſe comploratis rebus dum fugam per occulta cum paucis tentat, à Rom. militibus interceptus necatuſq; eſt. Gothorum multitudine viliſſimis preciis divendita. Secundum hanc Gothorum cladem Halaricus in Italiam venit, majoribus adhuc miſcens omnia terroribus, quàm fecerat Rhadagaſius. Ad cujus rei nuncium, Stylico qui Byzantij erat, præmiſſa copiarum parte, quæ extremum Gothorum agmen carpendo abſtinge aliqua magna agrorumq; vaſtatione hoſtem deterreret. Ipſe per oram ſuperi maris cum viribus peditatus equitatuſq; ad hoſtes pervenit, uterq; exercitus caſtra propè Ravennam contulit: Gothi Pollentiam viam obtinebant, numero quidem potiores, ſed arte & diſciplina militari nequaquàm cum exercitu Romano comparandi. Stilico bellico aſtu plerunq; Gothos ſuperavit, compulitq; in arctum quendam locum, ubi ſedens conficere potuit bellum, ſi voluiſſet: verùm cum exercitu eſſe decreverat, quouſque populares ſui Vandali in Galliam veniſſent. Pro indubio enim habebat, eam fore certam occaſionem imperii Eucherio filio parandi. Ita levibus aliquot certaminibus hoſtem laceſſendo tempus trahebat, quod Halaricus cùm per occultos meatus olfeciſſet, ad Honorium detulit. Eoq; velut munere cum placatiore ſibi Honorio ſe uſurum exiſtimaret, per eoſdem legatos, quos ad detegendum Honorio ſcelus Stiliconis miſerat, Galliæ partem ſuæ multitudini petiit; Victuros ſe legibus Romanis, nec parvo futuros uſui imperio, belliſq; Romanis, nulliſq; provincialibus vel fide vel obſequio erga Romanos ceſſuros. Imperator ancipiti malo concuſſus in partem ditionis Gothos recipere, quàm Stiliconis perfidia ſibi ſuiſq; exitium parare maluit. Neq; enim primas detulerat ad Honorium Halaricus, quòd Stilico conquereret ſcelus. Nec tamen tutum putabat quovis tempore virum tollere ex duabus uxoribus ſibi ſocerum, & opibus ſupra privatum faſtigium pollentem potentémq;. Simul igitur cum legatis Gothorum literas ad Stiliconem mittit, ut primo quoq; tempore Gothos in Galliam venire permittat. Nuncius hic fuit Stiliconi aſper & importunus: quippe & ſe fraudari tanta ſpe videbat, & ſua conſulta palàm fieri ſuſpicabatur. Hæſit aliquandiu acer & ferox animus, tandem quod tutius erat ſecutus, pariturum ſe juſſis principis ſui reſpondit. Sed ne res in totum è manibus laberetur, Saulum quendam cum Iudaicis copiis ſubornat, qui Gothorum veſtigiis proximè inſiſtens, cæſis per occaſionem aliquot milibus, irritabilem populum ad fœdus rumpendum impellat. Saulus dominico die, quo ex vetere noſtræ reli-

religionis inſtituto feriamur, cùm toti rebus ſacris intenti Gothi eſſent, impetum in eos facit, primoq; tumultu aliquot ex eis ſternit. Territi Gothi ſubito quantum in trepidatione rerum fieri poterat, num ad arma concurrendum eſſet, conſultant. Venerat enim in religionem feſto ſervatoris die arma tractare, humanum ſanguinem fundere, cædes hominum facere. Sed cùm Iudæi modum occidendi trucidandiq; non ponerent, ſibi quiſq; conſilium cepit non expectato communi, ut arma ſui tuendi gratia induceret. Cumq; jam frequentes armati conveniſſent, Halaricus pro tempore inſtructa acie imbelle genus hominum facilè ſiſtit. Hinc connixi aliquantum Gothi Iudæos fundunt, fugantq;: Et queſti coactos ſe à violatoribus humani juris divinum jus polluere ac contaminare, Chriſtum ipſum invocantes, per cujus juratum numen fœdus eſſet utrinque ſancitum, cujusq; ferias contra ſuam voluntatem cruore, cædibus, ſtrage fœdaſſent, ira incenſi, per mediam Italiam ad urbem ferre ſigna pergunt. Dimiſerat Stilico nonnullos milites tanquam ſine bello inutiles, quos ad præſentem terrorem coactus eſt ab imperatore repetere, ſimul cum ſupplemento copiarum, ut maximis viribus Gothorum conatibus obviam iretur. Honorius patefactis Stiliconis conſiliis, magnam militum manum ad eum mittit, dato ducibus occultè negocio, ut opportuno rei agendæ tempore captato, Stiliconem cum *Stilico interficitur.* filio obtruncent. Illi communicato inter ſe conſilio, dieq; deſtinato, quo imperata principis ſtrenue peragerent, diverſi Stiliconem ac filium adorti, & eos ipſos, & ex neceſſariis aliquot, qui vim parabant, Romæ in foro Pacis interficiunt. Imprudens tamen & ignavus princeps, duce ſublato, in ejus locum neminem ſurrogavit, credo ne ullus parem nactus potentiam, ſimilia moliretur. Ita exercitus ſine præcipuo aliquo duce miſerè à Gothis fuſus, per multas clades terrorem Gothici nominis ingentem imbibit. Gothi ſuperiores facti, ad urbem Romam ſigna infeſta ducunt, eamq; obſidione diu preſſam, capiunt, diripiunt majori tumultu atq; expilatione rerum, quàm cædibus aut ſtupris, aliisq; tetris ac fœdis facinoribus, quæ urbibus expugnatis committi per inſolentiam militum ſolent. Halaricus enim *Halarici* urbem ingreſſurus, duo in caſtris edicta propoſuerat. Alterum, ut à cæde & violati- *edicta.* one hominum abſtinerent, ſibi ejuſmodi res diſplicituras. Alterum, ut capitale eſſet, ſi quis eum, qui ad templa principum Apoſtolorum confugiſſet, læderet, aut ipſa templa violaret. Capta eſt à Gothis Roma anno poſt eandem conditam M.C.LXIIII. *Roma* Calend. April. Flavio & Varrone coss. Quo pacto ſit capta, parum explicant re- *capta.* rum ſcriptores. Baptiſta Egnatius ſe modum ejus reiicit ex Procopio Græco afferre, mirariq; interpretem vel eum locum ſcientem prudentemq; tranſiliiſſe: vel ſi in mutilum incidit codicem, parum animadvertiſſe, quid deeſſet. Procopium Græcum nondum vidi: fides erit penes Egnatium, hominem diligentem ac bene doctum, quantum ex ſcriptis judicare poſſum. Scribit ergo: Obſederat Romam Halaricus jam biennium, nec Honorius, qui Ravennæ deſidebat, aut ferre ſuppetias poterat, aut audebat. Nam cùm nihil minus quàm de urbis ſalute ſolicitus eſſet, Stilicone interfecto, ducem exercitui minimè præfecerat, qui rem adverſus Gothos adminiſtraret. Unde Gothis obſidendæ urbis cogitatio, Romano milite aut dilapſo, aut ſegniter rem agente. Verum eam fruſtra obſeſſam, cum expugnare vi non poſſent, ad

d dolum

dolum hoſtis barbarus vertitur. Profectionem in patriam ſimulat, trecentosq́ juvenes corporis & animi vi praſtantes deligit, quos Romanis principibus dono det, inſtructos prius, ut omni obſequio dominos ſuos promereri ſtudeant: & ad certam diem circa meridiem, cùm Romani principes ſomnò vel ocio vacarent, ad Aſinariam portam advolent: interfectisq́ improviſo inſultu cuſtodibus, portam ſibi praſto futuris aperiant. Interea Gothi cum reditum alia atq́ alia deeſſe ſibi ſimulantes differrent, trecenti illi juvenes occaſione egregiè uſi, portam ſtato diè ſuis aperiunt, & intromiſſus Gothus majore ignominia, quàm damno urbem omnem populatur. Sunt qui Proba illuſtris fœmina & opulentiſſima opera patefactam Gothis portam exiſtiment, cum plebem Romanam paſſim fame & morbis pecudum more cadentem miſeraretur: duo ſunt cognitu non indigna, unum edictum ab Halarico fuiſſe, ut quicunq́ in templa divorum confugerent, pracipuè Petri & Pauli, his nulla vis inferretur. quod & ſuma fide ſervatum. Alterum, quòd cùm nunciatum Honorio eſſet Ravenna, Romam perditam, credidit ille de pugnaci Gallo, cui nomen erat Roma, ſignificatum eſſe, admiratumq́ vehementer tam ſubito periiſſe eum, qui cum paulò antè feſtiviſſimè luſerat. Hac Egnatius. Has omnes clades maledicentiſſima & impia gens religioni Chriſtiana imputabat, negans futurum, ut capta unquam eſſet Roma, ſi deorum religiones à majoribus cultas traditasq́ poſteris tenuiſſent. quaſi verò non eandem ob cauſam, quia violatum eſt jus humanum, Galli olim vigentibus, ut ajunt, maximè impiis illis inſaniis, urbem ceperint, & diruerint: ceu non multi imperatores Chriſtiani optimè rem geſſerint, & tanquam non hac inclinatio imperij & manifeſtus ad ruinam caſus ceperit ſub imperatoribus gentilibus, & non per eandem ſocordiam ignaviamq́ Honorius amiſerit Romam, per quam Galienus Ægyptum, Aſiam & Galliam, ad quarum perditarum rumores dictis luſerit facetis. Adverſus hos igitur homines ſancta religionis, etiam ſi nulla contigiſſet calamitas, inimicos, & infenſos, libros conſcripſit Auguſtinus duos & viginti, Civitatem Dei, hoc eſt, Chriſtianam religionem adverſus rabioſas atq́ impias eorum querelas defendens.

F.LE-

F. LEONHARDI COQUÆI, AVRELII AUGUSTINIANI D. PARISIENSIS ET SEREN. M. D. HETRURIÆ A SACRIS CONFESS. PRÆFATIO IN SUOS COMMENTARIOS IN LIBB. XXII. S. AUGUSTINI DE CIVITATE DEI.

I. De inſcriptione operis.

INSCRIBUNTUR hi libri de civitate Dei; Hæc certe civitas eſt prophetarum oraculis toties prænunciata, quam à Chriſto in terris ædificandam longe antea Evangelicus ille propheta Iſaias prædixerat; *Ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus;* quæ certe divina eſt prædictio Eccleſiæ toto orbe ædificandæ. Ita interpretantur locum illum Euſeb. *Cap. 45.* Cæſar. lib. 5. demonſtr. Evang. cap. 4. Procopius ad eum locum: Hilarius l. 4. de Trinit. Orig. in cap. 11. epiſt. ad Roman. lib. 8. ubi & Iudæorum refert objectiones, quod hæc non eſſent ſub Chriſto completa: *Neque enim ædificavit (ut ajunt) civitatem Dei, neque captivitatem populi revocavit.* Verùm *non viſibiliter (inquit) ſed intelligibiliter, h. e. ſpiritaliter hæc facturus eſt Chriſtus, & prophetatus eſt Chriſtus. Nam ædificavit vere civitatem Dei, ſed ex lapidibus vivis, in quibus ſuſcitavit filios Abrahæ. ex ipſis ædificavit Eccleſiam Dei, ut convertat captivitatem populi, eorum quos in peccatis captos diabolus detinebat.* Idem divinus vates c. 54. *Fundabo te ſapphiris, & ponam jaſpidem propugnacula tua.* Quæ de hac civitate Dei interpretatur idem Orig. l. 7. contra Celſum. *Hæc civitas Regis magni, quam Regius ille vates prædixit fundandam exultatione univerſæ terræ.* Pſ. 47. de qua & pſ. 86. *Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei.* Et ibidem, *Ipſe fundavit eam altiſſimus.* De eadem Ieremiæ 31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ædificabitur civitas Domino:* Dies venturi apud prophetas, dies Meſſiæ intelliguntur: Hæc civitas refugii, in quam qui ſalvus eſſe velit, recipere ſe debeat, quæ Joanni Apocal. 20. dicitur dilecta civitas, 21. civitas ſancta, Hieruſalem nova deſcendens de cœlo à Deo. Hæc civitas, quæ Eccleſia eſt Dei viventis, ab initio mundi à Deo ædificatur in terris. Verum Chriſto cœlitus in terras delapſo non uno loco, nec ex una gente ut fere prius, ſed toto orbe terrarum illuceſcente veritate, ex omnibus gentibus ædificari cœpit, ubi per Apoſtolicam prædicationem innotuit Evangelium, virtus Dei in ſalutem omni credenti Iudæo primum & Græco, ubi in omnem terram exivit ſonus Apoſtolorum, & in fines orbis terræ verba eorum: ut cum

antea exiguis finibus contineretur, nunc vero orbis terræ regionibus definiatur, iisdemque terminis concludatur. Verum quemadmodum poſt libertatem factam Judæis redeundi in patriam à Cyro ædificata eſt denuo civitas Hieroſolymitana magno ſtudio & diligentia, licet alacriter obſiſtentibus hoſtibus. 1. Esdræ 4. & Neemiæ 4. ita cum primum in terris cœpit ædificari hæc civitas, quæ eſt Eccleſia Dei continua acceſſione fidelium, obſtitit Diabolus quantum potuit, commovit multa hoſtium, & quidem potentiſſimorum genera, qui eo omnes vires, & conatus intenderent, ne ædificaretur hæc civitas: ut vero Judæorum hoſtes, quo Reges Perſarum eis infenſos redderent, & eos inducerent ad prohibendum omnino civitatis reſtaurationem, inter cætera, ſcribebant, civitatem illam rebellem perpetuo extitiſſe Regibus, & ſi civitas illa ſemel reædificata fuerit, & muri illius inſtaurati, poſſeſſionem trans fluvium non habituros eſſe Reges, indeque magnum illis rerum ſuarum detrimentum acceſſurum: ita cum religio Chriſtiana propagaretur initio, & hæc civitas, quę eſt Eccleſia ædificaretur, in qua ſola religioſe, ac ſyncere coleretur verus Deus, hoſtes illius Reges tyrannos eo potiſſimum argumento in eam concitarunt, quod inducta hac nova religione omnes calamitates orbem invaſiſſent, magnas clades imperium accepiſſet, omnia mala per eam orbi immiſſa eſſent Diis iratis, quod jam ſpernerentur, & religiones illæ patriæ, & avitæ, quibus imperium ſteterat, in dies deterius irent, propterea ſacra illa antiqua integra ſervari debere, & religioni Chriſtianæ obviam eundum, ne latius ſerperet, aut majus incrementum acciperet, cum non aliunde tot calamitates orbem premerent. Verùm quemadmodum tandem prophetantibus Aggæo & Zacharia animos Judæi ſumpſere, civitatem, ac templum inſtauravere Dario Rege id concedente, cum ea eſſet Dei voluntas, & id contribulibus ſuis Jeremias prædixiſſet, ſic omnes conatus irriti fuere tyrannorum, ac Regum terræ, qui religionem Chriſtianam penitus extinguere, nomen Chriſtianum è terris delere, & ædificationem civitatis Dei (hoc eſt) Eccleſiæ impedire tentarunt. Ut enim egregiè Origenes libro quarto contra Celſum: *Quando Deus voluit Jeſu doctrinam inter homines invaleſcere, nihil contra eam valuerunt dæmones, quamvis nullo non rudente motu, ut Chriſtianum nomen extinguerent: Nam ſi & Reges, & Senatum, & Principes, & populos ipſos ubiq; exaſperaverunt contra doctrinam hanc, & credentes in eam; ſed verbum Dei potentius omnibus; ex ipſis obſtaculis velut alimentum ad creſcendum aſſumens longe lateq; propagatum occupabat multorum animas, Deus enim ita volebat.* Et l. 5. *Romani multa tentarunt, ut delerent nomen Chriſtianum, nihil tamen potuerunt efficere protegente eos manu Dei, cuius voluntas erat ut verbum ſuum, ex uno Judææ terra angulo profectum, diſſeminaretur per univerſum genus hominum.* & lib. 7. *Quando Deo viſum eſt etiam gentes fructum huius prædicationis percipere, irrita facta ſunt omnia conſilia hominum huic obſiſtentium: quanto magis enim eius profeſſores opprimebantur à Regibus & præſidibus gentium, populis in eos undiq; coorientibus, tanto magis creſcebat piorum numerus.* Certe juxta Gamalielis verba Act. 5. Si fuiſſet ex hominibus conſilium

hoc

hoc, aut opus, diſſolutum fuiſſet: verum quia ex Deo erat, cuius conſilium omne ſtabit, cui & fruſtrà reſiſtitur, ideo illud diſsolvi nullis unquam viribus potuit. Huius civitatis conditor, & artifex, rector ac ſummus gubernator eſt Deus: Hanc multas calumnias ab hoſtibus paſſam egregie hoc opere videbis, propugnatam ac defenſam, & à calumniis injuſtiſſime illatis aſſertam ac vindicatam: Hanc ab initio mundi ædificari cœptam in Adamo, Abele, Seth, Enos & reliquis deinceps veri Dei cultoribus, per omnes mundi ætates, perpetua ſucceſſione temporum ad finem uſque mundi, cum in terris ædificari deſinet, & tradet Chriſtus regnum Deo, & patri, ac transferentur cives huius civitatis in eam gloriam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ nec in cor hominis aſcendit, hoc toto orbe procedentem, ac decurrentem intueri licebit. E regione cernes oppoſitam illi ædificari civitatem Babylonis ſeu diaboli, quæ à parricida illo Caino cœpit, (ſi viſibilem utramq; & ex hominibus compoſitam intelligamus) & in Antichriſto, ac ſuis conſortibus tandem ultimo deſinet, cum deſcendet ignis de cœlo, ac devorabit eos, & Diabolus, qui seducebat gentes, mittetur in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi & Beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte, in ſæcula ſæculorum. Etſi vero hi viginti duo libri de utraque civitate ab Auctore ſint conſcripti Dei, & Mundi, cum de utriusque initio, procurſu, & finibus copioſè toto opere diſſerat, titulum tamen (ut idem ſcribit lib. 2. Retract. cap. 43.) à meliore acceperunt, ut de civitate Dei potius inſcriberentur; quodque potiſſimum illius inſtitutum ſit agere de civitate Dei; de oppoſita vero non niſi acceſſorie, & accidentarie, ut confert plurimum ad ea cognoſcenda perfectius, quæ ad DEI civitatem ſpectant.

Quæ occaſio fuerit D. Auguſtino ſcribendi hos libros.

Gentiles fere ubi aliquid adverſi Reipubl. vel imperio accidebat, religionem Chriſtianam ſtatim incuſabant vociferantes ob Deorum contemptum, & antiqua illa ſacra fere aboleta, & introductum Chriſti cultum à diis tot clades immitti. Id colligere licet ex epiſtola Marci Aurelii Antonini, quæ extat apud Euſeb. lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 12. & apud Nicephor. lib. 3. cap. 28. ex Orig. lib. 3. contra Celſ. ex Tertulliano in apologet. cap. 40. ex Arnobio lib. 1. contra Gentes, ex epiſtola Firmiliani Epiſcopi Cæſareæ in Cappadocia ad Cyprianum, quæ eſt apud eum 75. ubi teſtatur ob terræ motus, & calamitates, quæ contingebant nonnunquam, in Chriſtianos à Gentilibus motas eſſe perſecutiones. Ex ipſo Cypriano lib. ad Demetrianum, qui contendebat Chriſtianis imputari debere bella, famam, & peſtem, quibus tum orbis vexabatur, quod ab ipſis Dii non colerentur, cui reſpondet, ipſos potius Chriſtiani nominis hoſtes tantarum cladium cauſam eſſe, quod verum Deum non colerent, & Chriſtianos illius cultores injuſte perſequerentur. Ex Oroſio lib. 7. cap. 37. cui & hæc potiſſima fuit occaſiò ſcribendæ hiſtoriæ. Hanc calumniam Chriſtianæ religioni injuſtiſſime illatam refellerunt hi Patres: quæ eadem ratio impulit D. Augusti-

guſtinum Chriſtianæ religionis vindicem acerrimum, nec potentem ferre, ita injuſtiſſime falſo imponi ſacræ noſtræ religioni, ut hos libros de Civitate Dei conſcriberet. Cum enim Alaricus Gothorum Rex urbem cœpiſſet anno Domini 410. Honorii 16. Theodoſii junioris 3. & toto triduo prædas egiſſet, multaque damna intuliſſet, magna inde invidia à Gentilibus ubique locorum adverſus Chriſtianos conflata eſt, religioni Chriſtianæ in orbem introductæ tot calamitates adſcribuntur, Deos nimirum jam contemptos urbem, & imperium non amplius protegere. Hæc fuit cauſa D. Auguſtini conſcribendi hoc opus, ut teſtatur ipſe lib. 2. Retract. cap. 43. his verbis: *Interea Roma Gothorum irruptione agentium ſub Rege Alarico, atque impetu magnæ cladis everſa eſt, cuius everſionem Deorum falſorumque cultores, quos uſitato nomine paganos vocamus, in Chriſtianam religionem referre conantes ſolito acerbius, & amarius Deum verum blaſphemare cœperunt: unde ego exardeſcens zelo domus Dei adverſus eorum blaſphemias, vel errores, libros de Civitate DEI ſcribere inſtitui. Quod opus per aliquot annos me tenuit, eo quod alia multa intercurrebant, quæ differre non oporteret, & me prius adſolvendum occupabant.* Inter cætera vero clare demonſtrat tantum abeſſe ut religione Chriſtiana ea clades urbi acciderit, ut potius quicquid vaſtationis, trucidationis, deprædationis, concremationis, afflictionis, in iſta recentiſſima Romana clade, commiſſum eſt, hoc fecerit conſuetudo bellorum. Quod autem more novo factum eſt, quod inuſitata rerum facie immanitas barbara tam mitis apparuerit, hoc Chriſti nomini, & Chriſtiano tempori tribuendum: imò palam oſtendit impietate Gentilium talia commeruiſſe urbem, cultu vero Chriſtianæ religionis factum, ne penitus interiret. Quod confirmat D. Hierom. ſcribens ad D. Auguſt. epiſt. apud eum 26. agens enim de excidio urbis ſub nomine Hieruſalem: *Capta* (inquit) *Hieruſalem tenetur à Nabuchodonoſor, nec Jeremiæ vult audire conſilia, quin potius Ægyptum deſiderat, ut moriatur in Taphnes, & ibi ſervitute pereat ſempiterna.* Gentiles Romanos intelligens non audientes Innocentium Papam veram illis religionem annunciantem, ſed obſtinatis animis in idolorum ſuperſtitione conſeneſcere, & mori cupientes. D. Auguſtinus ipſe libro de cura pro mortuis agenda cap. 2. ſcribit ſe primo libro de civitate Dei ſatis eorum dentem retudiſſe, qui barbaricam vaſtitatem, præcipue quam Roma nuper perpeſſa eſt, Chriſtianis temporibus imputando id objiciunt, quod ſuis illic non ſubvenerit Chriſtus. Hæc ergo fuit occaſio potiſſima D. Auguſtino ſcribendi hos libros, ut etiam ex initio totius operis conſtat, cum profitetur ſe velle glorioſiſſimam Dei Civitatem adverſus eos defendere, qui conditori eius deos ſuos præferunt.

Partitio totius operis.

Petenda eſt ex citato cap. 43. lib. 2. Retract. *Hoc* (inquit) *de Civitate DEI, grande opus tandem viginti duobus libris eſt terminatum: quorum quinque primi eos refellunt, qui res humanas ita proſperari volunt, ut ad hoc multorum Deorum cultum, quos pagani colere conſueverunt neceſſarium eſſe arbitrentur, & quia*

quia prohibentur, mala iſti exoriri atque abundare contendunt. Sequentes autem quinque adverſus eos loquuntur, qui fatentur hæc mala nec defuiſſe unquam, nec defutura mortalibus, & ea nunc magna, nunc parva locis, temporibus, perſoniſque variari, ſed deorum multorum cultum, quo eis ſacrificatur propter vitam, poſt mortem futuram eſſe utilem diſputant. His ergo decem libris duæ iſtæ vanæ opiniones Chriſtianæ religioni adverſariæ refelluntur. Sed ne quiſquam nos aliena tantum redarguiſſe, non autem noſtra aſſeruiſſe reprehenderet, id agit pars altera operis huius, quæ libris duodecim continetur; quanquam ubi opus eſt, & in prioribus decem, quæ noſtra ſunt aſſeramus, & in duodecim poſterioribus redarguamus adverſa. Duodecim ergo librorum ſequentium primi quatuor continent exortum duarum civitatum, quarum eſt una Dei, altera huius Mundi. Secundi quatuor excurſum earum ſive procurſum. Tertij vero, qui & poſtremi, debitos fines. Epiſt. 102. ad Evodium duo priora ſe etiam prioribus libris effeciſſe ſcribit: *Tribus illis libris* (inquit) *de Civitate Dei contra dæmonicolas inimicos eius, duos alios addidimus, quibus quinque libris ſatis diſputatum arbitror adverſus eos, qui propter præſentis vitæ fœlicitatem Deos colendos putant, eamq́; fœlicitatem à nobis impediri opinantes, Chriſtiano nomini infeſti ſunt. Deinceps dicendum eſt, ſicut primo libro polliciti ſumus adverſus eos, qui propter vitam poſt mortem futuram neceſſarium exiſtimant cultum Deorum ſuorum, propter quam vitam nos Chriſtiani ſumus:* Et id eſt quod effeciſſe ſe dicit quinque ſequentibus libris. Quo vero anno inchoaverit hoc opus, & quando finem impoſuerit non omnino conſtat. De eo ita lib. 2. Ret. cap. 43. *Quod opus per aliquot annos me tenuit, eo quod alia multa intercurrebant, quæ differre non oporteret, & me prius adſolvendum occupabant.* Probabile eſt inchoaſſe hoc opus anno ſequenti ab urbis excidio, qui fuit 17. Honorii, Chriſti 411. & lib. de cura pro mortuis agenda c. 2. ſatis teſtatur ſe non multo poſt excidium illud urbis, illud opus inchoaſſe ſcribit: n. ſe primo lib. de Civitate Dei ſatis eorum dentem retudiſſe, qui barbaricam vaſtitatem, præcipue quam nuper Roma perpeſſa eſſet, Chriſtianis temporibus imputarent. Eam intelligens, quæ ſecuta eſt Roma capta ab Alarico Gothorum Rege: & ut ſuperius ex epiſt. 102 ad Evodium ſcripſimus, tres primum edidit libros, quibus deinde duos alios addidit: reliquos uſque ad 18. longo elapſo temporis intervallo perfecit, ſed quoto anno Domini, quantum colligi poteſt ex his, quæ ſcribit lib. 18. cap. ult. 429. ibi enim à conſulatu Theodori annos ferme 30. numerat, cumque conſtet, ipſum Theodorum conſulem fuiſſe creatum anno à Chriſto 399. dicere opus eſt circa annum Domini 429. completum lib. 18. ab Auguſtino, ac veriſimile eſt reliquos quatuor deinceps fuiſſe proſecutum, & ita paulo ante obitum tanto operi finem impoſuiſſe, cum enim natus ſit anno Dom. 455. Conſtantii imperatoris 19. Arbetione, & Folliano coſſ. an. Chr. 429. erat Auguſt. ætatis 74. biennium ante illius obitum, vixit enim anno 76. ut ſcribit Poſſidius in illius vita.

De dignitate, & utilitate horum librorum.

His

His libris ut optime, ac veriſſime ſcripſit Hier. Magius lib. 1. Miſc. c. 8. Vir eruditiſſimus ac ſanctiſſimus Aug. præter rem Eccleſiaſticam, non modicum rem litterariam promovit, ut non modo ſacrarum litterarum, Chriſtianæque Doctrinæ principem fuiſſe Auguſt. (quod citra controverſiam omnes fatentur) ex tot. operibus quæ edidit ſapientiæ plenis certo conſtet, verum & omnigenæ eruditionis ac prophanarum litterarum coryphæum, & anteſignanum fuiſſe hi libri facile doceant, hiſtoriæ præterea Romanæ, ac totius orbis populorum fuiſſe longe peritiſſimum, ut nihil neque ſacrum, neque prophanum magnum ad miraculum latuerit Auguſt. ut quod de ſcriptis D. Baſilij magni ſcribebat D. Greg. Nazianz. Quod & qui ſi prophanæ, & qui noſtræ diſciplinæ ſtudium profiterentur, in deliciis haberent illius opera, & lucubrationes, idem de ſcriptis D. Aug. nobis jure optimo aſſerendum ſit. Et multi quidem magnæ eruditionis viri, qui rei litterariæ plurimum adjumenti, & ornamenti contulerunt (ut ante me ep. ad Regem Angliæ obſervavit Ludóvicus Vives) pro Varronis doctiſſimi illius Romani antiquitatibus, quas tantopere commendat Cicero, quæ periere, aut certè hucusque in latebris jacent, pro Saluſtio, & Livio, quorum multa egregia ſcripta ad nos non pervenere, pro libris Ciceronis de Rep. hiſce Aug. libris de Civitate Dei ſunt adjuti. Refert Eghinartus in vita Carol. M. Regem illum & Imp. horum librorum lectione nec certè immerito plurimum fuiſſe delectatum; Et ferunt ubi primus ars typographica magno rei litterariæ, & litteratorum commodo inventa eſt, typis primum excuſos fuiſſe hos libros de Civitate Dei, & divinas inſtitutiones Lactantii. Et quidem ſi dignitas, & utilitas alicuius operis ex dignitate ſubjecti, ſeu rerum, quæ in eo tractantur, expendatur, ſi poſt ſcripturas canonicas, quarum dignitati nullas non modo Gentilium, imo ne ſanctorum quidem hominum, etſi divinitus in ſcribendo adjutorum ſcripturas æquare, vel etiam conferre par ſit, primum his libris D. Auguſtini locum deferat, meo quidem judicio, nec à vero aberrabit, nec cuiquam injuriam faciet: Ea enim communis eſt omnium conſenſio D. Auguſtinum inter ſacros Eccleſiæ Doctores primum locum tenere, cui vel teſte Beſſarione Græco homine & doctiſſimo, & fidei pleno, nullum habent Græci quem conferant: de cuius ſcriptis audiendum & judicium Gregorii Magni lib. 8. Epiſt. 37. ad Innocentium Africæ præfectum: *Si delitioſo cupitis pabulo ſaginari, Beati Auguſtini patriotæ veſtri opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius noſtrum furfurem non quæratis.* Verum cum multa præclara ingenii ſui, & doctrinæ monimenta poſteritati reliquerit, quibus Chriſtianam religionem magnopere illuſtravit, ut toto orbi tanquam miraculum quoddam ac divinum oraculum ſemper ſit habitus, eumque viventem, ut teſtatur D. Hieronymus ad eum ſcribens, Catholici conditorem antiquæ rurſum fidei venerarentur, atque ſuſpicerent, & ubi verſatur vel in ſcripturis interpretandis, vel in confutandis hæreticis, ac fidei dogmatibus elucidandis, & ex obſcuro in lucem eruenda Catholica veritate, mirabilem ſe oſtendat, hoc tamen opus de Civitate Dei, quo ſeſe exhibet omniſcium, nequaquam reliquis poſtha-

Orat. in Baſil. magnum

poſthabendum cenſeo, ut cum de ſcriptis illius idem nobis judicium ferre liceat, quod de ſcriptis Baſilii Magni ſcribebat olim Gregorius Nazianz. *Silentur cætera quæcunque in divinorum librorum explanatione à quibuſdam elaborata ſunt, nova prædicantur, atque is apud nos eruditiſſimus habetur, qui libros ipſius intelligit maxime, ac lingua verſat, auribuſque inſtillat, unus enim omnium loco, ſatis ſuperque eſt ad eruditionem comparandam:* Verum ut præ cæteris Baſilii lucubrationibus homilias illas in Hexameron plurimi ſe facere profitebatur, quas cum in manus ſumeret, vel in ore haberet, cum creatore conjungi, ac creationis rationes cognoſcere, creatoremque magis admirari, ac ſuſpicere ſoleret, quam antea cum ſolo aſpectu magiſtro uteretur, ſcribebat; ita cum nulla ſint ab Auguſtino elaborata, quæ non referant nobis mirabile illius ingenium, ac reconditam doctrinam, ſi quis tamen in perlegendis hiſce libris de Civitate Dei diligentiorem operam adhibeat, in cæteris quidem magnam ſacrarum litterarum, & Chriſtianæ doctrinæ, ac ſacroſanctæ Theologiæ cognitionem, in iſtis vero libris externæ preterea ſapientiæ ſummam peritiam admirari licebit: Cum enim vellet retundere calumnias hoſtium Civitatis Dei, operæ pretium viſus eſt ſibi facturus, ſi non aliunde quam ex authoritate philoſophorum, poetarum, aut Hiſtoricorum eos convinceret, quos ipſi habebant in pretio. Et in quibus ediſcendis ſuam operam, & ſtudium collocabant. Id enim ſolemne fuit antiquis patribus, ut cum diſputarent contra Gentiles, qui ſcripturas noſtras non admittebant, authoritate eorum ſapientum, quos recipiebant & aſſidue evolvebant eos refellerent, in hoc ſapienter imitati Davidem, qui cum non poſſet perferre blaſphemias ſuperbi illius Goliæ, contra Deum, & populum illius, caput illius proprio enſe amputavit, exhibet ſe alterum Davidem in his libris ſapientiſſimus juxta, ac ſanctiſſimus Auguſtinus; Gentiles illi inſtar ſuperbiſſimi & inſolentiſſimi Goliath, blaſphemias multas in Chriſtianam religionem evomebant, ac maledico ore civitatem Dei inſectabantur, tot itaque blaſphemiis, & calumniis opponit ſe Auguſtinus, adverſum hoſtes dimicat, & ita eos proſternit, ut nemo ſit æqvus rerum æſtimator, ac judex, qui non ſtatim judicet, & noſtra abunde confirmata, ac egregie propugnatam, & ab inimicis vindicatam acerrime civitatem Dei, ac religionem Chriſtianam; & Gentilium blaſphemias, ac calumnias ſatis ſuperque confutatas. Hoc etiam opere facile videre licet quæ ſit Dei civitas, ac vera Eccleſia; qui ab initio Mundi, & deinceps fuerint illius cives, cœpit enim in Adamo, in Abele, & in cæteris juſtis, progreſſa eſt ad Abrahamum uſque, in quo populus ille electus eſt, qui Dei populus, Eccleſia ſancta, etſi ex aliis gentibus non defuerint aliqui, qui eadem fide in Chriſtum venturum adſciti ſint in eamdem Eccleſiam, quæ deinde Chriſto incarnato juxta prophetam dilataverit locum tentorii ſui, ac longos fecerit funiculos ſuos, id eſt, Apoſtolis prædicantibus ſparſa per omnes gentes veritate Evangelica ubique ſeſe diffuderit, ac longe lateque propagata ſit, videbis & in his libris è regione poſitam Civitatem mundi ſeu diaboli, quæ Civitati Dei bellum inferat continuo, nec ſinat eam reſpirare, vel quieſcere, at cũ ſint mirabi-

Orat. in eundem.

les elationes maris, id eſt, huiuſce Civitatis mundi perſecutiones, verum mirabilem in altis Dominum eo magis agnoſces, qui confringat arcum, ſcutum, gladium, & bellum, & omnes hoſtium machinas ad nihilum redigat, & Civitatem ſuam ſanctam, ſeu Eccleſiam ita protegat, totque muniat præſidiis, ut & ſi magnas anguſtias patiatur, interdum vincat ſubinde, ac ſuperior evadat, & qui in eam aliquid moliuntur, cum Deo videantur pugnare, illaque curſum ſuum peragat inter perſecutiones mundi, & conſolationes Dei in omne ævum ferocientibus, ac rabientibus inimicis ſuis permanſura, donec Chriſtus ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum, tradatque regnum Deo, & Patri, id eſt electos ex fide, & ſpe qua vivunt, perducat in contemplationem Divinitatis, & exhibeat ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, ac debitos fines utrique civitati conſtituat, ut reprobi, ac maledicti, qui dicuntur vaſa iræ, & in contumeliam, eant in ſupplicium æternum, Electi vero, ac benedicti qui dicuntur vaſa miſericordiæ, & in honorem, in vitam æternam. Hic enim eſt utrique civitati finis præſtitutus, *Ut procedant qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicij*, Joh. 5. 29. cum enim nunc permixtæ ſint hæ duæ civitates, ut triticum cum paleis, at tunc permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

De Marcellino ad quem ſcripſit hos libros. D. Auguſtini.

DE D. Auguſtino in cujus libros ſcribimus, plura velle dicere, eſſet meo quidem judicio Soli meridiano lucem velle adferre, etſi multi ſanctiſſimi, ac doctiſſimi patres Chriſtianæ doctrinæ magnam lucem attulerint, nemini tamen cedere Auguſtinum certum eſt: Cum enim duo ſint, à quibus Eccleſiæ Dei eximius ſplendor accedat, vel inſignis vitæ ſanctitas, vel præclara eruditio, & multi quidem alterutro excellunt, nonnulli utroque, ut tot ſanctiſſimi Eccleſiæ Patres cum Græci, tum Latini, qui utraque ratione magnam Eccleſiæ Dei gloriam attulere; & quidem hæc duo ſint, ut olim Athenæ, & Sparta duo oculi Græciæ, ut à Gregorio Nazianzeno oratione in magnum Baſilium merito ſcriptum ſit eos, qui vitæ ſanctitate tantum, aut eruditione excellerent nihil à luſcis differre, qui vero parem in utraque laudem conſecuti eſſent, eos vere ambidextros ac perfectos eſſe, quod dicebat Chriſtus: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*, Matth. 5. utrumque certe ad miraculum in D. Auguſtino reluxit, & vitæ ſanctitas, & inſignis eruditio. De Marcellino vero ad quem ſcripſit hos libros, pauca nobis dicenda ſunt. Vir fuit in primis religioſus, ac Catholicæ fidei ſtudioſiſſimus, quo uſus eſt Auguſtinus familiariſſime, ut ad quem præter hos ſcripſerit etiam tres libros de peccatorum meritis, & remiſſione contra Pelagianos, librum de Spiritu, & littera, epiſtolas præterea 57. 158. & 159. ut hinc conſtet cum ſacrarum litterarum ac ſubtiliorum quæſtionum, quæ ex his oboriri, & reſolvi poterant, valde ſtudioſum fuiſſe. Extat & epiſtola D. Hieronymi 82. ad eumdem de origine animæ, ut enim teſtatur D. Auguſtin. epiſt. 157. ad Optatum, Marcellinus

linus ſuper hac quæſtione D. Hieronymum conſuluerat. Meminit ejuſdem valde honorifice Oroſius lib. 7. cap. 42. ubi eum ſcribit à Marino comite zelo ne ſtimulato an auro corrupto incertum, occiſum eſſe. Et Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos ſcribit eum ſub invidia tyrannidis Heraclianæ ab Hæreticis innocentem cæſum eſſe, nempe opera Donatiſtarum, quos probabile eſt Marinum comitem auro corruptum induxiſſe ad necem Marcellino inferendam, ut Heraclianæ defectionis complici; fuerat enim cognitor & judex conſtitutus ab Honorio Imperatore in collatione illa triduo Carthagine habita inter Catholicos, & Donatiſtas, ut conſtat ex l. 55. de hæret. Cod. Theodoſ. Et ex ipſo Auguſtino epiſt. 159. ad eumdem, & ſententiam pro Catholicis dixerat, & acta omnia tum à Catholicis, tum à Donatiſtis ſubſcribi curaverat, quo nomine infenſi illi Donatiſtæ, ei necem tandem ut perfido, & Heraclianæ factioni contra Imperatorem Honorium adhærenti (id enim falſo prætexebant) attulerunt, ſibi enim fortaſſe perſuadebant, ſe una cum Marcellino extinguere & abolere, quæ eo præſente adverſus ipſos confecta eſſent acta publica. Certe Marinus Comes, licet alioqui ſtrenuam operam navaſſet Reip. in profligando Heraclio tyranno, nihilominus ob Marcellini cædem militari dignitate privatus, juſſus eſt publicam agere pœnitentiam, & Marcellinus titulo Martyrii in Eccleſiaſticas tabulas referri meruit, & anniverſaria memoria honeſtari: Ita enim 8. Lal. Aprilis Carthagine 5. Marcellini martyris, qui ob Catholicæ fidei defenſionem ab Hæreticis occiſus eſt. Et hæc quidem, ut conſtet quantus & qualis vir, quam religioſus ac fidei Catholicæ ſtudioſus, ad quem hos libros ſcripſit D. Auguſtinus: Etſi vero longe antequam finis imponeretur huic operi, martyrio coronatus eſſet Marcellinus, & ad fœliciorem vitam migraſſet, quia tamen ad eum priores libros ſcripſerat D. Auguſtinus, memoriæ tanti viri integrum opus dicatum ac conſecratum eſſe voluit.

DIVI

AURELII AUGUSTINI IN LIBROS DE CIVITATE DEI EX IPSIUS AUTORIS RETRACTATIONUM LIBRO SECUNDO

Argumentum.

INTEREA Roma Gothorum irruptione, agentium ſub rege Alarico, atque impetu magnæ cladis everſa eſt: cujus everſionem deorum falſorum, mutorumque cultores, quos uſitato nomine Paganos vocamus, in Chriſtianam religionem referre conantes, ſolitò acerbiùs, & amariùs, Deum verum blaſphemare cœperunt. Unde ego exardeſcens zelo domus DEI, adverſus eorum blaſphemias, vel errores, libros De civitate Dei ſcribere inſtitui. Quod opus per aliquot annos me tenuit, eò quòd alia multa intercurrebant, quæ differre non oporteret: & me prius ad ſolvendum occupabant. Hoc autem De civitate Dei grande opus, tandem viginti duobus libris eſt terminatum: quorum quinque primi eos refellunt, qui res humanas ita proſperari volunt, ut ad hoc multorum deorum cultum, quos Pagani colere conſueverunt, neceſſarium eſſe arbitrentur: & quia prohibentur, mala iſta exoriri atque abundare contendunt. Sequentes autem quinque adverſus eos loquuntur, qui fatentur hæc mala, nec defuiſſe unquam, nec defutura mortalibus: & ea nunc magna, nunc parva, locis, temporibus, perſoniſque variari: ſed deorum multorum cultum, quo eis ſacrificatur, propter vitam poſt mortem futuram, eſſe utilem diſputant. His ergo decem libris, duæ iſtæ vanæ opiniones Chriſtianæ religioni adverſariæ refelluntur. Sed ne quiſquam nos aliena tantùm redarguiſſe, non autem noſtra aſſeruiſſe, repre-

reprehenderet, id agit pars altera, operis hujus, quæ duodecim libris continetur. Quanquam, ubi opus eſt, & in prioribus decem, quæ noſtra ſunt, aſſeramus, & in duodecim poſterioribus redarguamus adverſa. Duodecim ergo librorum ſequentium, primi quatuor continent exortum duarum civitatum: quarum eſt una Dei, altera hujus mundi. Secundi quatuor, excurſum earum, ſive procurſum. Tertii verò, qui & poſtremi, debitos fines. Ita omnes viginti & duo libri, cùm ſint de utraque civitate conſcripti, titulum tamen à meliore acceperunt, ut De civitate Dei potius vocarentur. In quorum decimo libro, non debuit pro miraculo poni in Abrahæ ſacrificio, flammam cælitus factam inter diviſas victimas cucurriſſe: quoniam hoc illi in viſione monſtratum eſt. In decimo ſeptimo libro quod dictum eſt de Samuele, non erat de filiis Aaron: dicendum potius fuit, non erat filius ſacerdotis. Filios quippe ſacerdotum, defunctis ſacerdotibus, ſuccedere magis legitimi moris fuit. Nam in filiis Aaron reperitur pater Samuelis, ſed ſacerdos non fuit: nec ita in filiis, ut eum ipſe genuerit Aaron: ſed ſicut omnes illius populi dicuntur filii Iſrael. Hoc opus ſic incipit, Glorioſiſſimam civitatem Dei, &c.

ELENCHUS CAPITUM IN DIVI AURELII AUGUSTINI DE CIVITATE DEI,

LIBRUM PRIMUM.

DE adverſariis nominis Chriſti, quibus in vaſtatione urbis propter Chriſtum Barbari pepercerunt victis.

2 Quod nulla unquam bella ita geſta ſint, ut victores propter deos eorum quos vicerant, parcerent victis.

3 Quod imprudenter Romani deos penates, qui Trojam cuſtodire non poterant, ſibi crediderint profuturos.

4 De aſylo Iunonis in Troja, quod neminem liberavit à Græcis: & baſilicis apoſtolorum, quæ omnes ad ſe confugientes à Barbaris defenderunt.

5 De generali conſuetudine hoſtium, victas civitates evertentium, quid Cato ſenſerit.

6 Quod ne Romani quidem ita ullas ceperunt civitates, ut in templis earum parcerent victis.

7 Quod in everſione urbis, quæ aſperè geſta ſunt, de conſuetudine acciderint belli: quæ verò clementer, de potentia provenerint nominis Chriſti.

8 De commodis atque incommodis, quæ bonis, atque malis plerunque communia ſunt.

9 De cauſis correptionum, propter quas, & boni, & mali pariter flagellantur.

10 Quod ſanctis in amiſſione rerũ temporalium nihil depereat.

11 De fine temporalis vitæ ſive longioris, ſive brevioris.

12 De ſepultura humanorum corporum, quæ Chriſtianis etiam ſi fuerit negata, nil adimit.

13 Quæ ſit ratio ſanctorum corporum ſepeliendi.

14 De captivitate ſanctorum, quibus nunquam divina ſolatia defuerunt.

15 De Marco Regulo, in quo captivitatis ob religionem etiam ſponte tolerandæ extat exemplum, quod tamen illi deos colenti prodeſſe non potuit.

16 An ſtupris, quæ etiam ſanctarũ forte virginum eſt paſſa captivitas, contaminari potuerit virtus animi, ſine voluntatis aſſenſu.

17 De morte voluntaria ob metum pœnæ, ſive dedecoris.

18 De aliena violentiarum libidine, quam in oppreſſo corpore mens invita perpetitur.

19 De Lucretia, quæ ſe ob illatum ſibi ſtuprum peremit.

20 Nullam eſſe autoritatem, quæ Chriſtianis in qualibet cauſa jus voluntariæ necis attribuat.

21 De interfectionibus hominum, quæ ab homicidii crimine excipiuntur.

22 Quòd nunquam poſſit mors voluntaria ad magnitudinem animi pertinere.

23 Quale exemplum ſit Catonis,

qui

qui ſe, victoriam Cæſaris non ferens, interemit.

24 Quòd in ea virtute, qua Regulus Catone præſtantior fuit, multò magis emineant Chriſtiani.

25 Quòd peccatum, non per peccatum debeat declinari.

26 De his quæ fieri non licet, cum à ſanctis facta noſcuntur, qua ratione facta credenda ſint.

27 An propter declinationem peccati, mors ſpontanea appetenda ſit.

28 Quo judicio Dei in corpora continentium libido hoſtilis peccare permiſſa ſit.

29 Quid familia Chriſti reſpondere debeat infidelibus, cùm exprobrant, quòd eam à furore hoſtium non liberaverit Chriſtus.

30 Quàm pudendis proſperitatibus affluere velint, qui de Chriſtianis temporibus conqueruntur.

31 Quibus vitiorum gradibus aucta ſit in Romanis cupido regnandi.

32 De ſcenicorum inſtitutione ludorum.

33 De vitiis Romanorum, quos patriæ non correxit everſio.

34 De clementia Dei, quæ urbis excidium temperavit.

35 De latentibus inter impios eccleſiæ filiis, & de falſis intra eccleſiam Chriſtianis.

36 De quibus cauſis ſequenti dipſutatione ſit diſſerendum.

IN LIBRUM SECUNDUM.

1 De modo qui neceſſitati diſputationis adhibendus eſt.

2 De his quæ primo volumine expedita ſunt.

3 De aſſumenda hiſtoria, qua oſtenditur quæ mala acciderint Romanis, cùm deos colerent, antequem religio Chriſtiana creſceret.

4 Quòd cultores deorum nulla unquam à diis ſuis præcepta probitatis acceperint, & in ſacris eorum turpia quæque celebraverint.

5 De obſcenitatibus, quibus mater deorum à cultorib. ſuis honorabatur.

6 Deos Paganorum nunquam bene vivendi ſanxiſſe doctrinam.

7 Inutilia eſſe inventa philoſophica ſine autoritate divina, ubi quemq; ad vitia pronum magis movet quod dii fecerint, quàm quod homines diſputaverint.

8 De ludis ſcenicis, in quibus dii non offenduntur editione ſuarum turpitudinum, ſed placantur.

9 Quid Romani veteres de cohibenda poetica licentia ſenſerint, quam Græci deorum ſecuti judicium, liberam eſſe voluerunt.

10 Qua nocendi arte dæmones velint vel falſa de ſe crimina, vel vera narrari.

11 De ſcenicis apud Græcos in reip. adminiſtrationem receptis, eo quòd placatores deorum injuſtè ab hominibus ſpernerentur.

12 Quòd Romani auferendo libertatem poetis in homines, quam dederunt in deos, melius de ſe quàm de diis ſuis ſenſerint.

13 Debuiſſe intelligere Romanos, quòd dii eorum, qui ſe turpibus ludis coli expetebant, indigni eſſent honore divino.

14 Meliorem fuiſſe Platonem, qui poetis locum in bene morata urbe nō dederit, quàm hos deos qui ſe ludis ſcenicis voluerint honorari.

15 Quos Romani quoſdā ſi deos nō

ratio-

ratione, ſed adulatione inſtituerint.

16 Quòd ſi diis ulla eſſet cura juſtitiæ, ab eis Romani accipere debuerint præcepta vivendi potius, quàm leges ab hominibus mutuare.

17 De raptu Sabinarũ aliisq; iniquitatibus, quæ in civitate Romana, etiam laudatis viguere temporibus.

18 Quæ de moribus Romanorum aut metu compreſſis, aut ſecuritate reſolutis Saluſtii prodat hiſtoria.

19 De corruptione Romanæ reipub. prius, quàm cultum deorum Chriſtus auferret.

20 Quali velint fœlicitate gaudere, & quibus moribus vivere qui tempora Chriſtianæ religionis incuſant.

21 Quæ ſententia fuerit Ciceronis de Romana republica.

22 Quòd diis Romanorum nulla unquam cura fuerit, ne malis moribus reſp. deperiret.

23 Varietates rerum temporalium non ex favore aut impugnatione dæmonũ, ſed ex Dei veri pendere judicio.

24 De Syllanis actibus, quorum ſe dæmones oſtentaverunt adjutores.

25 Quantum maligni ſpiritus ad flagitia incitent homines cùm committendis ſceleribus quaſi divinam exempli ſui interponunt autoritatem.

26 De ſecretis dæmonum monitis, quę pertinebant ad bonos mores, cùm palam in ſacris eorum omnis nequitia diſceretur.

27 Quanta everſione publicæ diſciplinæ Romani diis ſuis placandis ſacraverint obſcœna ludorum.

28 De Chriſtianæ religionis ſalubritate.

29 De abjiciendo cultu deorum cohortatio ad Romanos.

IN LIBRUM TERTIUM.

1 De adverſitatibus, quas ſoli mali metuunt, & quas ſemper paſſus eſt mundus, cùm deos coleret.

2 An dii qui à Romanis & à Græcis ſimiliter colebantur, cauſas habuerint, quibus Ilium paterentur excindi.

3 Non potuiſſe offendi deos Paridis adulterio, quod inter ipſos traditur frequentatum.

4 De ſententia Varronis, qua utile eſſe dixerit, ut ſe homines diis genitos mentiantur.

5 Non probari, quod dii adulterium Paridis punierint, quod in matre Romuli non ulti ſunt.

6 De parricidio Romuli, quod dii non vindicarunt.

7 De everſione Ilii, quod dux Marii Fimbria excidit.

8 An debuerit Iliacis Roma committi.

9 An illam pacem, quæ ſub Numæ regno fuit, deos præſtitiſſe credendum ſit.

10 An optandum fuerit, quòd tanta bellorum rabie Romanorum augeretur imperium, cùm eo ſtudio, quo ſub Numa auctum eſt, & quietum eſſe potuit & tutum.

11 De ſimulachro Cumani Apollinis, cuius fletus creditus eſt cladem Græcorum, quibus opitulari non poterat, indicare.

12 Quantos ſibi deos Romani, præter conſtitutionem Numæ adjecerint, quorum eos numeroſitas nihil adjuverit.

13 Quo jure, quo fœdere Romani obtinuerint prima conjugia.

14 De impietate belli, quod Albanis Romani intulerunt, & de victoria dominandi libidine adepta.

15 Qualis Romanorum regum vita atque exitus fuerit.

16 De primis apud Romanos conſulib. quorum alter alterũ patria pepulit, moxque Romæ poſt atrociſſima parricidia à vulnerato hoſte vulneratus interiit.

17 Poſt initia conſularis imperii quib. malis vexata fuerit Romana reſpublica, diis non opitulantibus quos colebat.

18 Quantæ clades Rom. ſub bellis Punicis triverint, fruſtra deorum præſidiis expetitis.

19 De afflictione belli Punici ſecundi, qua vires utriusq; partis conſumptę ſunt.

20 De exitio Saguntinorum, quib. propter Romanorum amicitiam pereuntibus dii Romani auxilium non tulerunt.

21 Quàm ĩgrata fuerit Romana civitas Scipioni liberatori ſuo: & in quibus moribus egerit, quando eam Saluſtius optimam fuiſſe deſcribit.

22 De Mithritatis edicto, quo omnes cives Romanos qui intra Aſiam invenirentur, juſſit occidi.

23 De interioribus malis, quibus Romana reſp. exagitata eſt, præcedente prodigio, quod in rabie omnium animalium quæ hominibus ſerviunt, fuit.

24 De diſcordia civili, quam Gracchiæ ſeditiones excitaverunt.

25 De æde Concordiæ ex ſenatuſconſulto in loco ſeditionũ & cædiũ condita.

26 De diverſis generib. belli, quæ poſt conditam ædem concordiæ ſunt ſecuta.

27 De bello civili Mariano atq; Syllano

28 Qualis fuerit Syllana victoria vindex Marianæ crudelitatis.

29 De comparatione Gotthicæ irruptionis, cum eis cladib. quas Romani, vel à Gallis, vel à bellorum civilium autorib. acceperunt.

30 De connexione bellorum, quæ adventum Chriſti plurima & graviſſima præceſſerunt.

31 Quàm impudenter præſentia incommoda Chriſto imputent, qui deos colere non ſinuntur, cum tantæ clades contra eos tempore quo colebantur extiterint.

IN LIBRUM QUARTUM.

1 De his quæ in primo volumine diſputata ſunt.

2 De his quæ libro ſecundo & tertio continentur.

3 An altitudo imperii, quæ non niſi bellis acquiritur, in bono habenda ſit, ſive fœlicium, ſive ſapientium.

4 Quàm ſimilia ſint latrociniis regna abſque juſtitia.

5 De fugitivis gladiatoribus, quorum potentia ſimilis fuerit regiæ dignitati.

6 De cupiditate Nini regis, qui ut latius dominaretur, primus intulit bella finitimis.

7 An regna terrena inter profectus ſuos atque defectus deorum vel juventur, vel deſerantur auxilio.

8 Quorum deorum præſidio putent Romani imperiũ ſuum auctũ atq; ſervatũ, cùm ſingulis vix ſingularũ rerũ tuitionem committendam eſſe crediderint.

9 An imperii Romani amplitudo & diuturnitas Jovi fuerit adſcribenda, quẽ ſummũ Deum cultores ipſius opinantur.

10 Quas opiniones ſecuti ſint, qui diverſos deos diverſis mundi partibus præfecerunt.

11 De multis diis, quos doctores paganorũ unu eundemq; Jovẽ eſſe defendunt.

12 De opinione eorum, qui Deum animam mundi, & mundum corpus Dei eſſe putaverunt.

13 De his qui ſola rationalia animantia partes eſſe unius Dei aſſerunt.

14 Augmenta regnorũ Jovi incongruenter aſcribi, cũ ſi, ut volunt, dea eſt Victoria, ipſa huic negotio ſola ſufficeret.

15 An congruat bonis latius velle regnare.

16 Quid fuerit quòd Romani omnibus rebus & omnibus motibus deos ſingulos deputantes, ædem Quietis extra portas eſſe voluerunt.

17 An ſi Jovis ſumma poteſtas eſt, etiam victoria dea debuerit exiſtimari.

18 Fœlicitatem & Fortunam qui deas putant, qua ratione fecerunt.

*19 De fortuna muliebri.

20 De Virtute & Fide, quas Pagani templis & ſacris honoraverunt, prætermittentes alia bona, quæ ſimiliter colenda fuerunt, ſi rectè aliis divinitas tribuebatur.

21 Quòd unum non intelligentes Deũ, Virtute ſaltem & Fœlicitate debuerint eſſe contenti.

22 De ſcientia colendorum deorum, quam à ſe Varro gloriatur collatam eſſe Romanis.

23 De Fœlicitate, quam Romani multorum veneratores deorum diu non coluerunt honore divino, cùm pro omnib. ſola ſufficeret.

24 Qua ratione defendant Pagani, quòd inter deos colant ipſa bona divina.

25 De uno tantum colendo Deo, qui licet nomine ignoretur, tamen fœlicitatis dator eſſe ſentitur.

26 De ludis ſcenicis, quos ſibi dii celebrari à ſuis cultoribus exegerunt.

27 De tribus generibus deorum, de quibus Scævola pontifex diſputavit.

28 An ad obtinendum dilatandumque regnum profuerit Romanis cultus deorũ.

29 De falſitate auſpicii, quo Romani regni fortitudo & ſtabilitas viſa eſt indicari.

30 Qualia de diis gentium etiam cultores eorum ſe ſentire fateantur.

31 De opinionibus Varronis, qui reprobata perſuaſione populari, licet ad notitiam veri Dei non pervenerit, unum tamen colendum eſſe cenſuerit.

32 Ob quam ſpeciem utilitatis principes gentium apud ſubjectos ſibi populos falſas religiones voluerunt permanere.

33 Quòd judicio & poteſtate veri Dei omnium renum atque regnorum ordinata ſunt tempora.

34 De regno Judæorum, quod ab uno & vero Deo inſtitutum atque ſervatum eſt, donec in vera religione manſerunt.

IN LIBRUM QUINTUM.

1 Cauſam Romani imperii, omniumq; regnorum, nec fortuitam eſſe, nec in ſtellarum poſitione conſiſtere.

2 De geminorum ſimili diſſimilique valetudine.

3 De argumento, quod ex rota figuli Nigidius mathematicus aſſumpſit in quęſtione geminorum.

4 De Eſau & Jacob geminis, multum inter ſe morum & actionum qualitate diſparibus.

5 Quibus modis convincantur mathematici vanam ſcientiam profiteri.

6 De geminis diſparis ſexus.

7 De electione diei quo uxor ducitur, quove in agro aliquid plantatur, aut ſeritur.

8 De his qui non aſtrorum poſitionẽ, ſed connexionẽ cauſarũ ex Dei voluntate pendentem Fati nomine appellant.

9 De præſcientia Dei, & libera hominis voluntate, contra Ciceronis definitionem.

10 An voluntatibus hominum aliqua dominetur neceſſitas.

11 De univerſali providentia DEI, cujus legibus omnia continentur.

12 Quibus moribus antiqui Romani meruerunt, ut Deus verus, quanvis eum non colerent, eorum augeret imperium.

13 De

13 De amore laudis, qui cùm ſit vitiũ, ob hoc virtus putatur, quia per ipſum vitia majora cohibentur.

14 De reſecando amore laudis humanæ: quoniam juſtorum gloria omnis in Deo ſit.

15 De mercede temporali, quam Deus reddidit bonis moribus Romanorum.

16 De mercede ſanctorum civium civitatis æternæ, quibus utilia ſunt Romanarum exempla virtutum.

17 Quo fructu Rom. bella geſſerint, & quantum his quos vicere contulerint.

18 Quàm alieni à jactantia debeant eſſe Chriſtiani, ſi aliquid fecerint pro dilectione æternæ patriæ, cùm tanta Romani geſſerint pro humana gloria & civitate terrena.

19 Quomodo inter ſe differant cupiditas gloriæ, & cupiditas dominationis.

20 Tam turpiter ſervire virtutes humanæ gloriæ, quàm corporis voluptati.

21 Romanum regnum à *Deo* vero eſſe diſpoſitum, à quo eſt omnis poteſtas, & cuius providentia reguntur univerſa.

22 Tempora exitusq; bellorum ex Dei pendere judicio.

23 De bello in quo Rhadagaiſus rex Gothorum dæmonum cultor uno die cũ ingentibus copiis ſuis victus eſt.

24 Quæ ſit Chriſtianorum imperat. & quàm vera fœlicitas.

25 De proſperitatibus quas Conſtantino imperatori Chriſtiano deus contulit.

26 De fide & pietate Theodoſii Auguſti.

27 Contra invidos invectio Auguſtini, qui ſcripſerunt contra editos jam libros.

IN LIBRUM SEXTUM.

1 De his qui dicunt deos à ſe, non propter præſentem vitam coli, ſed propter æternam.

2 Quid Varronem de diis gentiũ ſenſiſſe credendum ſit: quorum talia, & genera & ſacra detexit, ut reverentius cum eis ageret, ſi de illis omnino reticeret.

3 Quæ ſit partitio Varronis librorum ſuorum, quos De antiquitatibus rerum humanarum divinarumq; compoſuit.

4 Quòd ex diſputatione Varronis apud cultores deorum antiquiores res humanę quàm divinæ reperiantur.

5 De tribus generibus theologiæ ſecundum Varronem: ſcilic. uno fabuloſo, altero naturali, tertio civili.

6 De theologia mythica, i.e. fabuloſa, & de civili, contra Varronem.

7 De fabuloſæ & civilis theologiæ ſimilitudine atque concordia.

8 De interpretationibus naturalium rationum, quas doctiores pagani pro diis ſuis conantur oſtendere.

9 De officiis ſingulorum deorum.

10 De libertate Senecæ, qui vehementius civilem theologiã reprehendit, quàm Varro fabuloſam.

11 Quid de Judæis Seneca ſenſerit.

12 Quòd gentilium deorum vanitate detecta, nequeat dubitari, æternam eos vitã nemini poſſe præſtare, qui nec ipſam adjuvant temporalem.

IN LIBRUM SEPTIMUM.

1 An cùm in theologia civili divinitatem non eſſe conſtiterit, in ſelectis diis etiam inveniri poſſe credendum ſit.

2 Qui ſint dii ſelecti, & an ab officiis viliorum deorum habeantur excepti.

3 Quàm nulla ſit ratio, quæ de ſelectione quorundam deorum poſſit oſtendi, cùm multis inferioribus excellentior adminiſtratio deputetur.

4 Melius actum eſt cum diis inferioribus, qui nullis infamantur opprobriis, quàm cum ſelectis, quorum tantæ turpitudines celebrantur.

5 De paganorum ſecretiore doctrina, phyſicisque rationibus.

6 De opinione Varronis, qua arbitra-

tus eſt Deum eſſe animam mundi, qui tamen in partibus ſuis habeat animas multas, quarum divina natura ſit.

7 An rationabile fuerit Janũ & Terminum in duo numina ſeparari.

8 Ob quam cauſam cultores Jani bifrontem imaginem ipſius finxerunt, quã tamen etiam quadrifrontẽ videri volunt.

9 De Jovis poteſtate, atque eiusdem cum Jano comparatione.

10 An Jani & Jovis recta diſcretio ſit.

11 De cognominib. Jovis, quæ non ad multos deos, ſed ad unum eundemq; referuntur.

12 Quòd Jupiter etiam Pecunia nuncupetur.

13 Quòd dum exponitur quid Saturnus, quidvè ſit Genius, uterque Jupiter eſſe doceatur.

14 De Mercurii & Martis officiis.

15 De ſtellis quibusdam, quas Pagani deorum ſuorũ nominib. nuncupaverunt.

16 De Apolline & Diana, cæteriſq; ſelectis diis, quos partes mundi eſſe voluerũt.

17 Quòd etiam ipſe Varro opiniones ſuas de diis pronunciaverit ambiguas.

18 Quæ credibilior cauſa ſit, qua error paganitatis inoleverit.

19 De interpretationib. quibus colendi Saturni cauſam ratiocinantur.

20 De ſacris Cereris Eleuſinæ.

21 De turpitudine ſacrorum, quæ Libero celebrabantur.

22 De Neptuno & Salacia ac Venilia.

23 De terra quam Varro deam eſſe confirmat, eo quòd ille animus mundi, quem opinatur Deum, etiam hanc corporis ſui infimam partem permeet, eiq; vim divinam impertiatur.

24 De Telluris cognominibus, eorũq; ſignificationibus: quæ etiam ſi non erant multarũ rerum indices, non multorũ deorum debuerunt firmare opiniones.

25 Quam interpretationem de abſciſſione Atys Græcorum ſapientium doctrina repererit.

26 De turpitud[illegible] ſacrorũ Martis magnę

27 De phyſiologorũ figmentis, qui nec veram divinitatem colunt, nec eo cultu quo colenda eſt vera divinitas.

28 Quòd doctrina Varronis de theologia in nulla ſibi parte concordet.

29 Quod omnia, quæ phyſiologi ad mundum parteſque ipſius retulerunt, ad unum verum Deum referre debuerunt.

30 Qua pietate diſcernatur à creaturis creator, ne pro uno tot dii colantur, quot ſunt opera unius autoris.

31 Quibus propriè beneficiis Dei excepta generali largitate, ſectatores veritatis utantur.

32 Quòd ſacramentum redemptionis Chriſti nullis retro temporibus defuerit, ſemperque ſit diverſis ſignificationibus prædicatum.

33 Quòd per ſolam Chriſtianam religionem manifeſtari potuerit fallacia ſpirituum malignorum de hominum errore gaudentium.

34 De libris Numæ Pompilii, quos ſenatus ne ſacrorum cauſę, quales in eis habebantur, innoteſcerent, juſſit incendi.

35 De hydromantia, per quam Numa viſis quibusdam dæmonum imaginibus ludificabatur.

IN LIBRUM OCTAVUM.

1 De quæſtione naturalis theologiæ cum philoſophis excellentioris ſcientiæ diſcutienda.

2 De duobus philoſophorum generibus, i.e. Italico & Jonico, eorũq; autorib.

3 De Socratica diſciplina

4 De præcipuo inter diſcipulos Socratis Platone, qui omnem philoſophiam triplici partitione diſtinxit.

5 Quòd de theologia cum Platonicis potiſſimum diſceptandum ſit, quorum opi-

opinioni omnium philoſophorum poſtponenda ſunt dogmata.

6 De Platonicorum ſenſu in ea parte philoſophiæ, quæ phyſica nominatur.

7 Quanto excellentiores cæteris in logica, i.e. rationali philoſophia, Platonici ſint habendi.

8 Quòd etiam in morali philoſophia Platonici obtineant principatum.

9 De ea philoſophia, quæ ad veritatē fidei Chriſtianæ propius acceſſit.

10 Quæ ſit inter philoſophicas artes religioſi excellentia Chriſtiani.

11 Unde Plato illam intelligentiam potuerit acquirere, qua Chriſtianæ ſcientiæ propinquavit.

12 Quòd etiam Platonici, licet de uno vero Deo bene ſenſerint, multis tamen diis ſacra facienda cenſuerunt.

13 De ſententia Platonis, qua definivit deos non eſſe niſi bonos, amicosque virtutum.

14 De opinione eorum, qui rationales animas trium generum eſſe dixerunt, i.e. in diis cæleſtibus, in dæmonibus aereis, & in hominibus terrenis.

15 Quod neque propter aerea corpora, neque propter ſuperiora habitacula dæmones hominibus antecellunt.

16 Quid de moribus dæmonum Apuleius Platonicus ſenſerit.

17 An dignum ſit, eos ſpiritus ab homine coli, à quorum vitiis etiam oporteat liberari.

18 Qualis ſit religio, in qua docetur, quòd homines ut commendentur diis bonis, dæmonibus uti debeant advocatis.

19 De impietate artis magicæ, quæ patrocinio utitur ſpirituum malignorum.

20 An credendum ſit, quòd dii boni libentius dæmonibus quàm hominibus miſceantur.

21 An dæmonibus nunciis & interpretibus dii utantur, fallique ſe ab eis aut ignorent, aut velint.

22 De abjiciendo cultu dæmonum, contra Apuleium.

23 Quid Hermes Trimegiſtus de idololatria ſenſerit, & unde ſcire potuerit ſuperſtitiones Ægyptiacas auferendas.

24 Quomodo Hermes, parenter parentum ſuorum ſit confeſſus errorem, quem tamen doluerit deſtruendum.

25 De his quæ ſanctis angelis & hominibus poſſunt eſſe communia.

26 Quod omnis religio paganorum circa homines mortuos fuerit impleta.

27 De modo honoris, quem Chriſtiani martyribus impendunt.

IN LIBRUM NONUM.

1 Ad quem articulum diſputatio præmiſſa pervenerit, & quid diſcutiendum ſit de reſidua quæſtione.

2 An inter dæmones, quibus dii ſuperiores ſunt, ſit aliqua pars bonorum, quorum præſidio ad veram beatitudinē poſſit humana anima pervenire.

3 Quæ dæmonibus Apuleius aſcribat, quibus cùm rationem non ſubtrahat, nihil virtutis aſſignat.

4. De perturbationibus quę animo accidunt, quæ ſit Peripateticorum Stoicorumque ſententia.

5. Quòd paſſiones quæ Chriſtianos animos afficiunt, non in vitium trahant, ſed virtutem exerceant.

6 Quibus paſſionibus dæmones confitente Apuleio exagitentur, quorum ope homines apud deos aſſerit adjuvari.

7 Quod Platonici figmentis poetarum infamatos deos aſſerant de contrariorū ſtudiorum certamine, cùm hæ partes dæmonum, non deorum ſint.

8 De diis cœleſtibus, & dæmonibus aereis, hominibusque terrenis Apuleii Platonici definitio.

9 An amicitia cœleſtium deorum per inter-

interceſſionem dæmonum poſſit homini provideri.

10 Quod ſecundum Platonis ſententiam minus miſeri ſunt homines in corpore mortali, quam dæmones in æterno.

11 De opinione Platonicorum, qua putant animas hominum dæmones eſſe poſt corpora.

12 De ternis contrariis, quibus ſecundum Platonicos dæmonum hominumq; natura diſtinguitur.

13 Quomodo dæmones, ſi nec cũ diis beati, nec cum hominibus ſunt miſeri, inter utranq; partem ſine utriuſq; communione ſint medii.

14 An homines cùm ſint mortales, poſſint vera beatitudine eſſe fœlices.

15 De mediatore Dei & hominum homine Chriſto Jeſu.

16 An rationabiliter Platonici definierint deos cœleſtes, declinantes terrena contagia hominib. non miſceri, quib. ad amicitiã deorum dæmones ſuffragentur.

17 Ad conſequendã vitã beatã, quæ in participatione eſt ſummi boni, non tali mediatore indigere hominem, qualis eſt dæmon, ſed tali qualis eſt unus Chriſtus.

18 Quòd fallacia dæmonum, dum ſua interceſſione viam ſpondet ad Deum, hoc conatur ut homines à via veritatis avertat

19 Quòd appellatio dæmonũ jam nec apud cultores eorum aſſumatur in ſignificationem alicuius boni.

20 De qualitate ſcientiæ, quæ dæmones ſuperbos facit.

21 Ad quem modum dominus voluerit dæmonibus innoteſcere.

22 Quid interſit inter ſcientiã ſanctorũ angelorum, & ſcientiam dæmonum.

23 Nomen deorũ falſo aſcribi diis gentiũ, quod tamẽ & angelis ſanctis, & hominib. juſtis ex divinarũ ſcripturarũ autoritate commune eſt.

IN LIBRUM DECIMUM.

1 Veram beatitudinem ſive angelis ſive hominibus per unum Deum tribui, etiam Platonicos definiſſe: ſed utrũ hi, quos ob hoc ipſum colendos putant, uni tantum Deo, an etiam ſibi ſacrificari velint, eſſe quærendum.

2 De ſuperna illuminatione quid Plotinus Platonicus ſenſerit.

3 De verò Dei cultu, à quo Platonici, quanvis creatorem univerſitatis intellexerunt, deviarunt colendo angelos ſive bonos ſive malos honore divino.

4 Quòd uni v. Deo ſacrificiũ debeatur.

5 De ſacrificiis quæ Deus non requirit, ſed ad ſignificationem eorum obſervari voluit, quæ requirit.

6 De vèro perfecto ſacrificio.

7 Quod ſanctorum angelorum ea ſit in nos dilectio, ut nos non ſuos, ſed unius veri Dei velint cultores.

8 De miraculis quæ Deus ad corroborandam fidem piorum etiam per angelorum miniſterium promiſſis ſuis adhibere dignatus eſt.

9 De illicitis artib. erga dæmonũ cultũ, in quibus Porphyr. Platon. quædam probando, quædã quaſi improbando verſatur

10 De theurgia quæ falſam purgationem animis dæmonum invocatione promittit.

11 De epiſtolã Porphyrii ad Anebuntem Ægyptium, in qua petit diverſitate dæmonũ ſe doceri.

12 De miraculis quæ per ſanctorum angelorũ miniſterium Deus verus operatur.

13 De inviſibili Deo, qui ſe viſibilem ſæpe præſtitit, non ſecundum quod eſt, ſed ſecundum quod poterant ferre cernentes.

14 De uno Deo colendo, non ſolùm propter æterna, ſed etiam propter temporalia beneficia, quæ univerſa in ipſius providentiæ poteſtate conſiſtunt.

15 De miniſterio ſanctorum angelorum, quo providentiæ Dei ſerviunt.

16 An de promerenda beata vita his angelis ſit credendum, qui ſe coli exigunt honore divino: an verò illis qui non ſibi, ſed uni Deo ſancta præcipiunt religione ſerviri.

17. De

17 De arca teſtamenti miraculiſque ſignorum, quæ ad commendandam legis ac promiſſionis autoritatem divinitus facta ſunt.

18 Contra eos qui de miraculis, quibus Dei populus eruditus eſt, negant eccleſiaſticis libris eſſe credendum.

19 Quæ ratio ſit viſibilis ſacrificii, quod uni vero & inviſibili Deo offerri doceat vera religio.

20 De ſummo veroque ſacrificio, quod ipſe Dei & hominum mediator effectus eſt.

21 De modo poteſtatis dæmonibus datæ ad glorificandos ſanctos, qui pertulerunt jam paſſionem, qui aereos ſpiritus non placando ipſos, ſed in Deo permanendo vicerunt.

22 Unde ſit ſanctis adverſum dæmones poteſtas, & unde cordis vera purgatio.

23 De principiis, in quibus Platonici purgationem animæ eſſe profitentur.

24 De uno veroque principio, quod ſolam naturam humanam purgat atque renovat.

25 Omnes ſanctos & ſub legis tempore, & ſub prioribus ſeculis in ſacramento & fide Chriſti juſtificatos fuiſſe.

26 De inconſtantia Porphyrii inter confeſſionem veri Dei & cultum dæmonum fluctantis.

27 De impietate Porphyrii, qua etiam Apuleii tranſcendit errorem.

28 Quibus perſuaſionibus Porphyrius obcæcatus, non potuerit veram ſapientiam, quæ eſt Chriſtus, agnoſcere.

29 De incarnatione domini noſtri Ieſu Chriſti, quam confiteri Platonicorum erubeſcit impietas.

30 Quanta Platonici dogmatis Porphyrius refutaverit, & diſſentiendo correxerit.

31 Contra argumentum Platonicorum, quo animam humanam aſſerunt Deo eſſe coæternam.

32 De univerſali via animæ liberandæ, quam Porphyrius male quærendo non reperit, & quã ſola gratia Chriſtiana reſeravit.

IN LIBRVM XI.

1 De ea parte operis qua duarum civitatum, i.e. cæleſtis ac terrenæ initia & fines incipiunt demonſtrari.

2 De cognoſcendo Deo, ad cujus notitiam nemo hominum pervenit, niſi per mediatorem Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum.

3 De autoritate canonicæ ſcripturæ, divino ſpiritu conditæ.

4 De conditione mundi, quod nec intemporalis ſit, nec novo DEI ordinata conſilio, quaſi poſtea voluerit, quod antea noluerit.

5 Tã non eſſe cogitãdũ de infinitis temporũ ſpatiis ante mundũ, quàm nec de infinitis locorũ.

6 Creationis mundi & temporum unum eſſe principium, nec aliud alio præveniri.

7 De qualitate primorum dierum, quia antequam ſol fieret, veſperam & mane traduntur habuiſſe.

8 Quæ qualisve intelligenda ſit Dei requies, quã poſt opera ſex dierum requievit in ſeptimo.

9 De angelorum conditione, quid ſecundum divina teſtimonia ſentiendum eſt.

10 De ſimplici & incommutabili trinitate, patris & filii, & ſpiritus ſancti unius Dei, cui non eſt aliud qualitas, aliud ſubſtantia.

11 An eius beatitudinis, quam ſancti angeli ab initio ſui ſemper habuerunt etiam illos ſpiritus qui in veritate non ſteterunt, participes fuiſſe credendum ſit.

12 De comparatione beatitudinis juſtorum, necdum tenentium promiſſionis divinæ præmium, & primorum in paradiſo hominum ante peccatum.

13 An ita unius fœlicitatis omnes angeli ſint creati, ut neq; lapſuros ſe poſſent noſſe qui lapſi ſunt, & poſt ruinam labentium perſeverantiæ ſuæ præſcientiam acceperint, qui ſteterunt.

14 Quo genere locutionis dictum ſit de diabolo, quod in veritate non ſteterit, quia veritas non eſt in eo.

15 Quid ſentiendum ſit de eo quod ſcriptum eſt: Ab initio diabolus peccat.

16 De gradib. & differentiis creaturarũ, quod aliter pendet utilitatis uſus, aliter ordo rationis.

17 Vitium malitiæ non naturam eſſe, ſed contra naturam, cui ad peccandum non conditor cauſa eſt, ſed voluntas.

18 De pulchritudine univerſitatis, quæ per ordinationem Dei etiam ex contrariorum fit oppoſitione luculentior.

19. Quid ſentiendum videatur de eo quod ſcriptum eſt: Diviſit Deus inter lucem & tenebras.

20. De eo quod poſt diſcretionem lucis atque tenebrarum dictum eſt: Et vidit Deus lucem, quia bona eſt.

21. De æterna & incommutabili ſcientia Dei, ac voluntate, qua ſemper illi univerſa quæ fecit, ſic placuerunt facienda, quemadmodum facta.

22. De his, quibus in univerſitate rerum à bono creatore bene conditarum, quædam diſplicent, & putant nonnullam eſſe naturam malam.

23. De errore, in quo Origenis doctrina inculpatur.

24. De trinitate divina, quæ per omnia opera ſua, ſignificationis ſuæ ſparſit indicia.

25. De tripertita totius philoſophiæ diſciplina.

26. De imagine ſummæ trinitatis, quæ ſecundum quendam modum in natura eſt nec dum beatificati hominis.

27. De eſſentia, & ſcientia, & utriusque amore.

28. An etiam ipſum amorem, quo & eſſe, & ſcire diligimus, diligere debeamus, quo magis divinæ trinitatis imagini propinquamus.

29. De ſanctorum angelorum ſcientia; qua trinitatem in ipſa deitate noverunt, qua operum cauſas prius in operantis arte, quàm in ipſis operibus artificis intuentur.

30. De ſenarii numeri perfectione, qui primus partium ſuarum quantitate completur.

31. De die ſeptimo, in quo plenitudo & requies commendatur.

32. De opinione eorum, qui angelorum creationem, anteriorem nolunt eſſe, quàm mundi.

33. De duabus angelorum ſocietatibus diverſis, atque diſparibus, quæ non incongruè intelligun tur lucis & tenebrarum nominibus nuncupatæ.

34. De eo, quod quidam putant in conditione firmamenti aquarum diſcretarum nomine, angelos ſignatos, & quod quidam aquas exiſtimant non creatas.

IN LIBRUM DUODECIMUM.

1. De una bonorum malorumque angelorum natura.

2. Nullam eſſe Deo eſſentiam contrariam, quia ab eo qui ſummè eſt, & ſemper eſt, hoc totum videtur diverſum eſſe quod non eſt.

3. De inimicis Dei, non per naturam, ſed per contrariam voluntatem, quæ cùm ipſis nocet, bonæ utique naturæ nocet, quia vitium ſi non nocet, non eſt.

4. De natura irrationalium aut vita carentium quæ in ſuo genere atque ordine ab univerſitatis decore non diſcrepat.

5. Quòd in omni natura, ſpecie ac modo laudabilis ſit creator.

6. Quæ ſit cauſa beatitudinis angelorum bonorum, & quæ cauſa ſit miſeriæ angelorum malorum.

7. Cauſam efficientem malæ voluntatis non eſſe quærendam.

8. De amore perverſo quo voluntas ab incommutabili bono ad bonum mutabile deficit.

9. An ſancti angeli quem habent creatorem naturæ, eundem habeant bonæ voluntatis autorem per ſpiritum ſanctum in eis charitate diffuſa.

10. De falſitate ejus hiſtoriæ quæ multa millia annorum præteritis temporibus aſcribit.

11. De his qui hunc quidem mundum non ſempiternum putant, ſed aut innumerabiles aut eundem unum certa concluſione ſeculorum ſemper naſci & reſolvi opinantur.

12. Quid reſpondendum ſit, his qui primam conditionem hominis tardam eſſe cauſantur.

13. De revolutione ſeculorum, quibus certo fine concluſis, univerſa ſemper in eundem ordinem eundemque ſpeciem reditura quidam philoſophi crediderunt.

14. De temporali conditione generis humani, quam Deus nec novo conſilio conſtituerit, nec mutabili voluntate.

15. An ut Deus ſemper etiam dominus fuiſſe ſemper intelligatur, credendum ſit creaturam quoque nunquam defuiſſe cui dominaretur, & quomodo dicatur ſemper creatum, quod dici non poteſt coæternum.

16. Quomodo intelligendum ſit, promiſſa homini à Deo vita æterna ante tempora æterna.

17. Quid de incommutabili conſilio aut voluntate Dei fides ſana defendat contra ratiocinationes eorum, qui opera Dei ex æternitate repetita per eoſdem ſemper volunt ſeculorum redire circumitus.

18. Contra eos qui dicunt ea, quæ infinita ſunt, nec Dei poſſe ſcientia comprehendi.

19. De ſeculis ſeculorum.

20. De impietate eorum qui aſſerunt animas ſummæ veræque beatitudinis participes, iterum atque iterum per circumitus temporum ad eaſdem miſerias laboreſque redituras.

21. De conditione unius primi hominis, atque in eo generis humani.

22. Quod præſcierit Deus hominem, quem primum condidit, peccaturum ſimulque prævideritt, quantum piorum populum ex ejus genere in angelicum conſortium ſua eſſet gratia tranſlaturus.

23. De natura humanæ animæ creatæ ad imaginem Dei.

24. An ullius vel minimæ creaturæ poſſunt dici angeli creatores.

25. Omnium naturam & omnium ſpeciem univerſæ creaturæ non niſi opere Dei formari.

26. De Platonicorum opinione, qua putaverunt angelos quidem à Deo conditos, ſed ipſos eſſe humanorum corporum conditores.

27. In primo homine exortam fuiſſe omnem plenitudinem generis humani, in qua prævidit Deus, quæ pars honoranda eſſet præmio, quæ damnanda ſupplicio.

Finis Elenchi capitum.

DIVI AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, *AD MARCELLINUM* DE CIVITATE DEI, CONTRA PAGANOS, *LIBER PRIMUS.*

Cap. I.

De adverſariis nominis Chriſti, quibus, in vaſtatione Urbis propter Chriſtum, Barbari pepercerunt victis.

GLorioſiſſimam civitatem Dei, *a* ſive in hoc temporum cur- *Hab. 2.*
ſu, cum inter impios peregrinatur *a* β ex fide vivens, ſive in il-
la ſtabilitate ſedis æternæ, quam nunc expectat per patien-
tiam, γ quoadusque *b* juſtitia convertatur in judicium, dein- *Rom. 8*
ceps adeptura per excellentiam victoria ultima & pace per- *Pſal. 93.*
fecta, hoc opere ad te inſtituto; & mea promiſſione debito,
δ defendere adverſus eos, qui conditori ejus deos ſuos præ-
ferunt, fili chariſſime *c* Marcelline, ſuſcepi. Magnum opus, & arduum: ſed
Deus adjutor noſter eſt. Nam ſcio, quibus viribus opus ſit, ut perſvadeatur ſuper- *Pſal. 61.*
bis, ε quanta ſit virtus humilitatis, qua fit, ut omnia terrena cacumina, tempora-
li mobilitate nutantia, non humano uſurpata faſtu, ſed divina gratia donata
celſitudo tranſcendat. Rex enim Deus & conditor Civitatis hujus, de qua loqui
inſtituimus, in Scriptura populi ſui ſententiam divinæ legis aperuit, qua dictum
eſt: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *d* Hoc vero quod
Dei eſt, ζ ſuperbæ quoque animæ ſpiritus inflatus affectat, amatque ſibi in lau- *Iacob. 4. 1. Pet. 5.*
dibus dici, *e Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.* *Æneid. 6.*
η Unde etiam de terrena civitate, quæ cum dominari appetit, & ſi populi ſervi-
ant, ipſa ei dominandi *f* libido dominatur: non eſt prætereundum ſilentio,
quicquid dicere ſuſcepti hujus operis ratio poſtulat, & facultas datur. Ex hac
namque exiſtunt inimici, adverſus quos defendenda eſt Dei civitas, θ quorum
tamen multi correcto impietatis errore, cives in ea fiunt ſatis idonei: multi ve-

ro in eam tantis exardeſcunt ignibus odiorum, tamque manifeſtis beneficiis Redemptoris ejus ingrati ſunt, ut hodie contra eam lingvas non moverent, niſi ferrum hoſtile fugientes in ſacratis ejus locis vitam, de qua ſuperbiunt, invenirent. An non etiam illi Romani Chriſti nomini infeſti ſunt, quibus, propter Chriſtum, *ι* Barbari pepercerunt? *κ* Teſtantur hoc martyrum loca, & *λ* Baſilicæ Apoſtolorum, quæ in illa vaſtatione urbis ad ſe confugientes *g* ſuos *h* alienosque receperunt. Hucusque cruentus ſæviebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor: illo ducebantur à miſerantibus hoſtibus, quibus etiam extra ipſa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui ſimilem miſericordiam non habebant. Qui tamen etiam ipſi alibi truces atque hoſtili more ſævientes, poſteaquam ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum, quod alibi jure belli licuiſſet, tota feriendi refrenabatur immanitas, & captivandi cupiditas frangebatur. Sic evaſerunt multi, qui nunc Chriſtianis temporibus detrahunt: & mala, quæ illa civitas pertulit, Chriſto imputant: bona vero, quæ in eos, ut viverent propter Chriſti honorem facta ſunt, *μ* non imputant Chriſto noſtro, ſed Fato ſuo: cum potius deberent, ſi quid recte ſaperent, illa quæ ab hoſtibus aſpera & dura perpeſſi ſunt, illi divinæ providentiæ tribuere, *ν* quæ ſolet corruptos hominum mores *i* bellis emendare atque conterere: itemque vitam mortalium juſtam atque laudabilem talibus afflictionibus exercere, probatamque vel in meliora transferre, vel in his adhuc terris propter uſus alios detinere. Illud vero quod eis vel ubicunque, propter Chriſti nomen, vel in locis, Chriſti nomini dicatiſſimis & ampliſſimis, ac pro largiore miſericordia ad capacitatem multitudinis electis, *ξ* præter bellorum morem truculenti Barbari pepercerunt, hoc tribuere temporibus Chriſtianis: hinc Deo gratias agere, hinc *ο* ad ejus nomen veraciter currere, ut effugiant *k* pœnas ignis æterni. Quod nomen multi eorum mendaciter uſurparunt, ut effugerent pœnas præſentis exitii. Nam quos vides petulanter & procaciter inſultare ſervis Chriſti, ſunt in eis plurimi, qui illum interitum cladem que non evaſiſſent, niſi ſervos Chriſti ſe eſſe finxiſſent. & nunc ingrata ſuperbia atque impiiſſima inſania, ejus nomini reſiſtunt corde perverſo, ut ſempiternis tenebris puniantur, ad quod nomen ore vel ſubdolo confugerunt, ut temporali luce fruerentur.

IOANNIS LUDOVICI VIVIS VALENTINI, IN PRIMUM LIBRUM DE CIVITATE DEI, D. AURELII AUGUSTINI

Commentaria.

Cap. I.

Ex fide *a* vivens.] *Habacuc ſecundo: Juſtus ex fide vivet. Idem ſæpenumero Paulus. Hoc eſt enim vitæ hujus viaticum. Apud Prophetam varie legitur, tum ex fide mea, tum ex fide ſua vivet. Sic verterunt Septuaginta,* τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσεται. *b* Juſtitia convertatur in judicium. *Pſalmo nonageſimo tertio. Hebraica veritas habet:*

Marcell. Tribun. 5. 7. 258. 259.

let: Quoniam in juſtitiam convertetur judicium. De conſummatione ſeculi intelligitur, de quo eſt id quod ſequitur: Victoria ultima. Pugnat hic eccleſia quotidie, & vincit quotidie. Sed finis unius belli gradus eſt alterius. Tunc erit ei ultima & perfecta victoria, quum tota in cœlos translata in regno erit pacis pacifici regis Chriſti Jeſu. c Marcelline.] *Extant inter Epiſtolas Auguſtini aliquot ad Marcellinum, & hujus viciſſim ad Auguſtinum. Familiaritas eorum videtur conciliata in Africa. Sic enim Oroſius ſcribit de Marcellino: In his diebus præcipiente Honorio, & adjuvante Conſtantino, pax & unitas per univerſam Africam Eccleſiæ catholicæ reddita eſt, & corpus Chriſti, quod nos ſumus, grata diſceſſione ſanatum eſt, impoſita exequutione ſancti præcepti Marcellino tribuno, viro in primis prudenti & induſtrio, omniumque bonorum ſtudiorum appetentiſſimo.* d Hoc vero quod Dei eſt.] *Vel quod illi ſuperbia ſua ſibi attribuerent, quod eſſet Dei, reſiſtere videlicet ſuperbis. Vel quod tam inviſa eſt ſuperbia etiam ſuperbis, ut ſuperbiſſima Romana gens gaudeat inter laudes ſuas illud poni, quod ſuperbos debellet. Superbos fuiſſe Romanos, & aliis ſuperbis ſuperbiæ eorum gratia ſuccenſuiſſe, declarant Catonis Cenſorii verba, ex oratione quam pro Rhodienſibus in Senatu habuit: Rhodienſes, inquit, ſuperbos eſſe ajunt: id objectantes, quod mihi de liberis meis dici nolim. Sunt ſane ſuperbi. Quid ad nos attinet? Id ne imſcimini: ſi quis ſuperbior eſt quam nos? Addit his verbis Gellius libro ſeptimo. Nihil prorſus hac compellatione dici poteſt neque gravius, neque minutius adverſus homines ſuperbiſſimos facta, qui ſuperbiam in ſeſe amarent, in aliis reprehenderent.* e Parcere.] *Vergilius in ſexto Æneidos, cum laudes aliarum gentium, quibus Romanos antecellunt, percenſuiſſet, ad Romanos converſus, inquit:*

Lib. 7. c. 42.
Hujus meminit etiã Auguſt. in præfat. Breuic. tom. 7.

> Tu regere imperio populos Romane memento:
> Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
> Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Paci imponere morem, eadem forma dicitur, qua morem gerere, & morem pati. f Ipſa ei dominandi libido.] *Vetus eſt, Tyranno ſervire ſubjectos, ipſum tyrannum ſuis libidinibus & voluptatibus. Sic de Perſarum rege dicebat Diogenes Cynicus. Sic Cicero in Paradoxis de Cæſare.* g Suos.] *Chriſtianos.* h Alienos.] *Qui Chriſti pietatem non colunt, quos ipſe Auguſtinus vocat Paganos.* i Bellis emendare.] *Hoc plane conſpicuum eſt in Romanis, qui meliores erant bellorum temporibus, quam altiſſima in pace.* k Pœnas ignis æterni.] *Non has temporales ſolum, & plane momentaneas.*

Pagani quinam.

F. LEONARDI COQVÆI,
COMMENTARII IN LIBRUM PRIMUM DE CIVITATE DEI.

CAP. I.

a SIve in hoc temporum curſu.] *Civitatis Dei, ſeu Eccleſiæ duplicem indicat ſtatum, primum in hoc ſæculo, ubi ex fide vivens inter impios peregrinatur, & mul-*

ta ab illis patitur; alterum in ſtabilitate ſedis æternæ, ubi debellatis hoſtibus victoria ultima beati ſtabili pace fruuntur. Eccleſia quoad priorē ſtatum dicitur militans, quoad poſteriorem triumphans: quemadmodum tamen ad eamdem Rempubl. pertinent, qui in acie dimicant, & qui quieti agunt & procul à ſtrepitu armorum in civitate, ſic ad eamdem prorſus Eccleſiam, & qui hic peregrinantur inter hoſtes ex fide juſtificati, & qui jam beatitudine fruuntur: non niſi unius corporis caput eſt Chriſtus influens in omnia membra πολυμόρφως. quem duplicem Eccleſiæ ſtatum expreſſit D. Paul. Videmus nunc per ſpeculum, & ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et quemadmodum, licet alius eſſet ſtatus veteris teſtamenti, alius ſit nunc novi, utriuſque tamen juſti, ac fideles ejuſdem Chriſti Eccleſiæ membra cenſentur, ita nihil obſtante ſtatûs diverſitate eamdem dicimus Eccleſiam, quæ nunc inter impios peregrinatur in terris, quæque in cœlis triumphat. Et ex D. Dionyſio Eccleſiæ: ſtatus medius eſt inter ſtatum Synagogæ, & Eccleſiæ triumphantis: quemadmodum ergo Synagoga, & eccleſia præſens una eſt eccleſia; ita eccleſia hæc militans ac triumphans. Ita Donatiſtis aliquando objicientibus Catholicis, quod duas eccleſias dicerent, unam, quæ nunc habet permixtos malos, aliam, quæ poſt reſurrectionem non eſſet habitura: reſponderunt Catholici, ut refert D. Auguſt. in collat. tertii diei, & lib. ad Donatiſtas poſt collationem cap. 9. eamdem ipſam unam & ſanctam Eccleſiam nunc eſſe aliter, tunc autem aliter futuram: nunc habere malos mixtos, tunc non habituram, ſicut nunc mortalem, quod ex mortalibus conſtaret hominibus; tunc autem immortalem, quod in ea nullus eſſet vel corpore moriturus; ſicut non ideo duo Chriſti, quia prius mortuus, poſtea non moriturus.

β Ex fide vivens.] Alluſio ad locum Abacuc 2. citatum ab Apoſtolo Rom. 12. Galat. 3. Hebr. 10. & intelligitur locus de vi gratiæ, quam habituri erant credituri in Chriſtum atque eo teſtimonio D. Paulus utitur, ut probet hominem juſtificari per fidem Chriſti, & non ex operibus legis: id enim potiſſimum intendit probare, & in epiſt. ad
" Rom. & in epiſt. ad Gal. Nec vero prætereundum, quod monet Concilium Trident.
" ſeſſ. 6. cap. 8. Cum Paulus dicit, juſtificari hominem per fidem, ea verba in eo ſen-
" ſu intelligenda eſſe, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & ex-
" preſſit: ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia ſcilicet fides eſt huma-
" næ ſalutis initium & fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire. Græci codices habent ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται. Juſtus ex fide mea vivet, quomodo legit D. Hieronymus, & Euſeb. lib. 6. Evang. demonſt. Alii libri habent ὁ δὲ δίκαιός μου πίστεως ζήσεται. Hebræi legunt וצריק באמונתו יחיה Juſtus in fide ſua vivet. Verum eodem omnino accedunt. Nam & qui juſtus eſt ex fide Chriſti juſtus Dei eſt, cum juſtificetur à Deo, & juſtitia illi divinitus conferatur, & fides qua juſtificatur, donum ſit DEI. Item fides illa & illius eſt, ei ſcilicet formaliter inhærens, & Dei ut ei divinitus infuſa, & donum Dei exiſtens. Nam fides Dei donum eſt, Phil. 2.

γ Quoadusque juſtitia convertatur in judicium.] Pſal. 93. Heb. משפט ביער צרק ישוב usque ad juſtitiam revertetur judicium. 1. Quamvis differat Dominus ſua judicia, ſinatque ſuos diutius affligi, tandem tamen juſtitia & judicium reſtituen-

tuentur in ſuum locum, hoc eſt ex æquitate judicium faciet omnibus, populum enim ſuum à manu impiorum eripiet, & impios perſecutores perdet.

δ Defendere adverſus eos, qui conditori ejus.] *Scopum ſibi propoſitum aperit, ſe nimirum velle inprimis retundere calumniam infidelium, qui Civitati Dei, illiusque authori detrahunt, & vana illa numina ei præferunt. Romanos vero notat, tanquam avitæ ſuperſtitioni nimium addictos, qui religioni Chriſtianæ in orbem introductæ omnia mala, omnes calamitates imperii impie ac maledice tribuebant. Diis nimirum iratis Romanis, quod ſacra eorum reſpuerant, quæ fuit vetus calumnia Gentilium, cui etiamnum reſpondere multo antea Juſtinus Martyr apologia ad Antonium Imp. Athenagoras in orat. pro Chriſtianis. Tertull. in Apologet. & libro ad Scapulam. Cypr. lib. ad Demetrianum. Arnob. contra Gentes. Ambroſius contra Symm. Atque hi patres mihi videntur idem ſequuti inſtitutum, quod antea Joſephus contra Appionem grammaticum: oſtendit enim ibi, Judæos gentem fuiſſe antiquiſſimam, & originem habuiſſe à ſanctiſſimis Patribus, ſacra religione ac vero Dei cultu reliquos mortales antecelluiſſe: Deum verum Hebræos coluiſſe, reliquas gentes falſos Deos, Moſen divinitus leges accepiſſe, quibus regeretur ille populus, longe ſanctiſſimas, reliquorum populorum legibus præferendas: ſic eodem inſtituto patres illi ac potiſſimum D. Auguſtinus hoc opere calumniam retundit gentilium, qui Chriſtianæ religioni detrahebant, eamque longe ſanctiſſimam eſſe oſtendit, qua verus Deus colitur, quæque homini neceſſaria ſit ad ſalutem: cum Romana ſuperſtitio non niſi ab infeſtiſſimis dæmonibus in hominum pernitiem ſit introducta.*

ε Quanta ſit virtus humilitatis, qua ſit ut omnia terrena.] *Chriſtus conditor ſanctæ civitatis humilis fuit, & ſuos voluit eſſe humiles:* Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; elegit abjecta hujus mundi ut confundat ſapientes: lapis exciſus de monte ſine manibus. *1. Chriſtus humilis ex humili ac paupere Virgine natus proſtravit ac diruit ſtatuam illam magnam, qua ſignificabantur quatuor mundi imperia: fides Chriſtiana philoſophorum faſtum & ſapientiam ſuperavit: In majori honore ſunt toto orbe humiles Apoſtoli, quam ſuperbi principes. Ita in primordiis Eccleſiæ principes ac populi Chriſtianos inſectabantur, quod Chriſtum qui adeo abjectam, & humilem vitam duxiſſet in terris, pro Deo haberent. Sic adhuc ſuperbi Judæi Meſſiam præſtolantur, regno potentem, victoriis inſignem, quod nolunt ſubeſſe humili Chriſto, nec regni illius ſpiritualis myſterium in humilitate fundatum intelligant. Sicut ſuperbia initium omnis peccati, ſic Chriſti humilitatem decebat initium nobis eſſe omnis gratiæ & meriti.*

Matt. 11
1. Cor. 1.
Dan. 2.

ζ Superbæ quoque animæ ſpiritus inflatus.] *Superbiam Romanorum notavit & ipſe Cato in oratione quam habuit in Senatu pro Rhodienſibus, cujus meminit Agellius lib. 7. cap. 3.* Rhodienſes ſuperbos eſſe ajunt id objectantes, quod mihi de libris meis minime dici velim. Sint ſuperbi, quid id ad nos attinet? Ideo iraſcimini ſi quis ſuperbior eſt quam nos. *Ita ſuperbiam in ſe amabant Romani, in aliis reprehendebant.*

η Unde etiam de terrena civitate.] *Hos libros ut ſuperius dictum eſt, inſcripſit de Civitate Dei, cum tamen agat etiam de hoſtili civitate, quam terrenam hic vocat;*

verum à nobiliori inſcripſit hoc opus. Deinde ſcopus illius potiſſimus eſt agere de civitate Dei, non niſi ex accidenti de civitate terrena, quæ illi perpetuum bellum indicit, quodque illius cives ſint inimici, adverſus quos ſuſcepit defendendam civitatem Dei. Ex hac namque *(ait)* exiſtunt inimici; *non unius generis ſunt illi inimici; nam & Heretici, & Judæi, & Philoſophi, & tyranni hanc civitatem quibus potuerunt machinis expugnarunt. Et cum pluribus libris confutarit Aug. Hæreticos ſui temporis, illi nunc potiſſimum in animo eſt refellere calumniam Gentilium; qui clades imperii adſcribebant Chriſtianæ religioni.*

θ Quorum tamen multi.] *Sic novit Dominus qui ſint ejus. Ita Paul.* In me glorificabant Deum. *Ex quo Auguſtini loco colliges & ex aliis paſſim, non omnes prædeſtinatos fuiſſe ſemper membra Chriſti, & Eccleſiæ: cum hos dicat prius fuiſſe cives terrenæ civitatis: ubi ſummopere commendanda eſt Dei gratia: quod ab impietatis errore ad fidem nemo niſi beneficio Dei, per Chriſti meritum revocetur.*

ι Barbari pepercerunt.] *Sidonius Gothos barbaros vocat epiſt. lib. 3. epiſt. 5. & 7. barbari in Impp. conſtit. dicuntur quicunque Romano Imperio non parebant l. 26. cap. de Epiſc. & Cler. l. 2. c. quæ res vendi non poſſunt. l. 1. c. quæ res exportari non poſſunt. Græcis reliqui populi barbari dicebantur, ut conſtat ex Ariſt. lib. 1. Polit. & ex Strabone lib. 14. Geographiæ. Herodotus in Euterpe ſcribit, Ægyptios appellare omnes barbaros, τοὺς μὴ σφὶ ὁμογλώσσους, ut ab Ægyptiis ad Græcos manaſſe videatur. Verum ſapienter judicavit Alexander, cui cum aliquando ſuaderent, ut Græcos pro amicis, barbaros pro hoſtibus haberet, reſpondit* βέλτιον εἶναι ἀρετῇ καὶ κακίᾳ διαιρεῖν ταῦτα· πολλοὺς γὰρ καὶ τῶν Ἑλλήνων εἶναι κακούς, καὶ τῶν βαρβάρων ἀστείους. *Strabo lib. 2. Geograph. Plutarch. lib. de fortuna Alex. Certe Gothi ſub Alarico Romam invadentes non viſi ſunt barbari, qui adeo humaniter ſeſe geſſerint, & locis ſacris paſſi non ſint ullam inferri injuriam.*

κ Teſtantur hoc loca martyrum.] *In quibus ſanctorum martyrum reliquiæ jacebant, vel eorum memoria colebatur, de quo plura ad lib. 22. cap. 8. Scribit Paulus Diaconus lib. 13. præcepiſſe Alaricum, ut ſi qui in ſancta loca; præcipueque in ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli baſilicas confugiſſent, hos inprimis inviolatos ſecurosque eſſe ſinerent. Sozom. l. 9. cap. 9. & Niceph. lib. 13. cap. 35. idem ſcribunt voluiſſe Alaricum templum Divi Petri aſylum eſſe, quod in cauſa fuit, quominus Roma prorſus deleretur. qui enim ſervati ſunt (quorum ingens fuit multitudo) urbem poſtea inſtaurarunt, ut etiam referunt Oroſius lib. 7. c. 39. Caſſiodorus lib. 12. variar. epiſt. 20. Jonandes de rebus Geticis cap. 30. Iſidor. in chronico Gothorum.*

λ Baſilicæ Apoſtorum.] *Inde divina templa baſilicæ appellantur, teſte Iſidoro lib. 15. Etym. cap. 4. quia ibi Regi omnium Deo cultus & ſacrificia offeruntur. Eamdem rationem reddunt Amalarius Fortunatus lib. 3. de Eccleſiaſt. officiis cap. 2. Walfridus Strabo de rebus Eccl. cap. 6. ita etiam baſilicas Eccleſiæ, & martyrum, vocat Hieronymus in epitaphio Nepotiani, & lib. contra Vigilantium, ipſe Divus Auguſt. lib. 1. contra epiſtolam Parmeniani cap. 2. ſuis baſilicis cedere nolebant. cap. perlectiſ. 25. diſt. dicitur conſecratio baſilicarum, id eſt ſacrarum ædium pertinere ad Epiſcopū.*

μ Suos alienosque receperunt.] *D. Hieronymus epiſt. 83. ad Oceanum;* Alieni & ex-

& extra Eccleſiam ſunt Judæi, Hæretici, atque Gentiles, *ut non modo fideles ipſi, verum & ipſi hoſtes illa immunitate conceſſa Eccleſiis gauderent, nec modo capta tum urbe, verum & alias in aliquod vitæ diſcrimen adducti pagani ad Eccleſias Chriſtianorum, ut ſaluti ſuæ conſulerent, confugerunt, ut Eutropius ille, qui antea jus aſyli Eccleſiæ abrogare conatus fuerat, in quem egregium ſermonem habet Chryſoſt. tom. 5. de quo & Nicephor. lib. 13. cap. 4. hiſt. tripart. lib. 10. cap. 4. Sozimus lib. 5. ubi & refert ille author paganus, ſub Imperatore Arcadio barbaros aliquando plures quam ſepties mille Conſtantinopoli Chriſtianorum eccleſiam ingreſſos eſſe, aſylum hoc ſuæ ſaluti quærentes, juſſiſſe tamen Imperatorem in eodem loco ipſos interfici, quem eis ad evitandam facinorum commiſſorum juſtiſſimam pœnam non ſatis idoneum eſſe volebat:* Viſum eſt *(inquit)* iis qui valde Chriſtianiſabant magnum in urbe media piaculum eſſe commiſſum. *Extant LL. Impp. libro primo Cod. titul 12. unde etiam beneficium conſequuntur hoſtes Eccleſiæ. de quo vide Covarruviam lib. 2. var. cap. 20. num. 11. ubi fatetur, hanc ſententiam frequentiori auctorum calculo receptam.*

v Non imputant Chriſto noſtro, ſed fato ſuo.] *Recte redarguit hanc Romanorum calumniam ſeu potius dementiam: ſi enim fato quodam ac neceſſitate eveniunt; ergo non modo bona, ſed etiam mala, quæ acciderunt imperio, fato adſcribenda ſunt. quid ergo Chriſto, aut religioni Chriſtianæ adſcribitis tot clades, aut calamitates imperii? Quid non magis Chriſti agnoſcitis beneficium, ob cujus nomen vobis Gothi pepercere, ac vitam donavere.*

ξ Quæ ſolet corruptos hominum mores bellis emendare] *Teſtantur Procopius lib. 13. Niceph. lib. 13. c. 35. Socrates lib. 7. c. 10. Sozom. lib. 9. c. 6. divinitus impulſum fuiſſe Alaricum ut Romam everteret: cum enim pius quidam monachus in Italia ei Romam properanti conſuluiſſet, ut parceret urbi, nec ſe tantorum malorum auctorem conſtitueret, reſpondiſſe dicitur;* Se hoc invitum aggredi, ſed eſſe quendam, qui ei quotidie moleſtiam exhiberet, imo vi impelleret ac diceret, Iter capeſcito, urbem Romam vaſtato. *Non ergo Chriſtiana religio, qua ſola homines Deo ſunt grati, ſed ſcelera Romanorum cauſæ erant tot malorum, & calamitatum. Nicephorus:* Qui rectam obtinebant mentem, vindicta divina Romanos hæc pati exiſtimarunt propter ingenteis delicias, & quas exhibebant libidines. *Ex Levit. 26. Deuteron. 28. 3. Regum. 8. conſtat, bella immitti à Deo propter peccata populi. Eſa. 10. Dominus vocat Regem Aſſur virgam furoris ſui. D. Hieronymus epiſt. 3. ad Heliodorum in epitaphio Nepotiani de tot cladibus ac bellorum miſeriis loquens:* Noſtris *(inquit)* peccatis barbari fortes ſunt, noſtris vitiis Romanus ſuperatur exercitus, *poſt:* Infœlices nos, qui tantum diſplicemus Deo, ut per rabiem barbarorum illius in nos ira deſæviat.

o Præter bellorum morem.] *Obſervat Petrus Faber lib. 2. Semeſtrium cap. 18. D. Auguſtinum,* præter, & contra *pro eodem poſuiſſe: quod enim hoc capite præter bellorum morem truculentos barbaros pepercisse Romanis dixit: infra libro ſecundo, capite ſecundo, eadem de re agens, propter Chriſti nomen contra inſtitutum moremque bellorum Romanis, quo confugerent, religioſa & ampliſſima loca barbaros libera præbuiſſe ſcribit. Ita apud Suetonium initio libri de claris oratoribus & apud A-*

gellium libro decimoquinto, capite undecimo, refertur quoddam cenſorium edictum, ubi inter cætera præter conſuetudinem, ac morem majorum legitur, id eſt, contra conſuetudinem. Cæſar libro tertio, de bello civili, extra conſuetudinem dixit, pro contra, vel præter conſuetudinem. Ita Græci uſurpant præpoſitionem παρὰ, *id eſt præter, pro contra: ita apud Polyb. lib. 1. & 3.* παρὰ τὰ κοινὰ τῶν ἀνθρώπων ἔθη, παρὰ τὰς συνθήκας, παρὰ τοὺς ὅρκους. *Præter, id eſt contra communem hominum morem, conventiones, jusjurandum. Apud Diodorum lib. 1. 13. & 16.* παρὰ τοὺς τῶν ἑλλήνων ἐθισμοὺς, παρὰ τὰ κοινὰ νόμιμα, παρὰ τὸ κοινὸν ἔθος τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, & παρὰ φύσιν. *Præter id eſt contra Græcorum mores, jus gentium, reliquorum hominum conſuetudinem communem, & præter, vel contra naturam.*

π Ad ejus nomen veraciter currere, ut effugiant pœnas ignis æterni.] *In direptione urbis ad Alarico, & tanta hominum ſtrage Romani facile intelligere potuerunt, de Chriſto intelligendum eſſe decantatum olim oraculum Sybillinum, cujus meminit Cicero libro ſecundo, de divinitat. de Rege venturo ad quem confugerent, qui ſalvi eſſe cuperent. Verum ſi, ut pœnas præſentis exitii evaderent, falſo Chriſti nomen uſurparunt: melius certe ſibi conſulerent, ſi veraciter illius nomen profiterentur, ut à pœnis æternis eriperentur. Johan. 15.* Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit; *quibus ſignificatur præciſos à Chriſto igne ſempiterno inferni eſſe puniendos. Tract. 81. in Joh. obſervat ex Ezech. 15. ligna vitis præciſa nullis agricolarum uſibus prodeſſe, nullis fabrilibus operibus deputari: unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis, ſi in vite non eſt, in igne erit. vitis eſt ipſe Chriſtus Joh. 15. cui inſerti ſunt fideles per fidem: quotquot ab eo erunt præciſi, igni adjudicabuntur æterno.*

CAP. II.

Quod nulla unquam bella ita geſta ſunt, ut victores propter deos eorum quos vicerant, parcerent victis.

TOt bella geſta conſcripta ſunt, vel ante conditam Romam, *a* vel ab ejus exortu & imperio: legant, & proferant ſic ab alienigenis aliquam captam eſſe civitatem, ut hoſtes qui ceperant, β parcerent eis, quos ad deorum ſuorum templa confugiſſe compererant: aut aliquem ducem barbarum præcepiſſe, ut irrupto oppido nullus feriretur, qui in illo vel illo templo fuiſſet inventus. *a* γ
Nonne vidit Æneas Priamum per aras

Sanguine fœdantem b δ quos ipſe ſacraverat ignes?

2. Æneid. *c* Nonne Diomedes & Ulyſſes,

— cæſis ſumma cuſtodibus arcis,
ε Corripuere ſacram effigiem, manibusque cruentis
d Virgineas auſi divæ contingere vittas?

e Nec tamen quod ſequitur verum eſt,

Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri
Spes Danaûm.

Poſtea quippe vicerunt: poſtea Trojam ferro ignibusque delerunt; poſtea confuge-

fugientem ad aras Priamum obtruncaverunt. Nec ideo Troja periit, quia Minervam perdidit. Quid enim prius ipſa Minerva perdiderat, ut periret? An forte cuſtodes ſuos? Hoc ſane verum eſt: illis quippe interemptis, potuit auferri. Neque enim homines à ſimulachro, ſed ſimulachrum ab hominibus ſervabatur. *f* Quomodo ergo colebatur, ut patriam cuſtodiret & cives, quæ ſuos non valuit cuſtodire cuſtodes?

a NOnne vidit Æneas.] *Secundo Æneïdos: Vidi Hecubam, centúmq; nurus, Priamumque per aras, &c. Id contigit nocte, qua Troja eſt à Græcis capta & incenſa, cum Neoptolemus Pyrrhus, Achillis filius, Priamum ad aras occidit.* *b* Quos ipſe.] *Qua in re major eſt indignitas, quaſi nec illi dii profuerint ei, quos idem ipſe conſtituerat, & illo in loco dicaverat. Credo de Veſta intelligi, in cujus æde perpetuus ſervabatur ignis. Commentatores Vergilii parum id explicant. Liberum ſit unicuique exiſtimare.* L. Vives.

c Nonne Diomedes.] *Et hoc ex Vergilio eodem libro verbis Sinonis. De Palladio intelligendum, quod Diomedes & Ulyſſes bello Trojano rapuerunt ex Minervæ templo. Nec ſunt ſacrilegium veriti, cui cædem adjunxerunt, & nihilominus Trojanos Græci vicêre. Palladium ſimulachrum eſt Palladis, de quo tam varia tradunt rerum ſcriptores: ut ineptum ducam perſequi longius eorum opiniones. Excerpam tamen ex Varrone, Dionyſio Halicarnaſſeo, Ovidio, Plutarcho, & Servio, quæ mihi veriſimiliora videbuntur. Chryſas Pallantis filia, quum Dardano nuberet, pro dote ſecum attulit Palladium, & magnorum Deorum ſimulachra. Quibus templa Dardanus in Samothracia conſtruxit: quæ poſtea ſacra in Ilium ſunt nepotum tempore transvecta, accepto oraculo; manſuram urbem, quandiu & in ea Palladium illud. Quocirca in intimam arcis partem eſt reconditum, effićto altero quodam Palladio illi ſimillimo, quod in publico negligentius aſſervabatur. Cúmque Pyrrhus ex Heleno vate Priami filio, inexpugnabilem eſſe Trojanam urbem, ſalvo in ea Palladio, cognoviſſet, idque principibus Græcorum renuntiaſſet, Ulyſſes & Diomedes per fraudem primùm ingreſſi, deinde facta in cuſtodes vi, Palladium illud imaginarium ſurripuerunt. Alterum capta jam urbe, Sycas Æneæ tradidit cum magnis Diis, quos penates Trojanos vocant. Æneas in Italiam illa omnia ſecum advexit. Hinc ex Alba longa, ſive ut Varro putat, ex Lavinio Romam Palladium translatum eſt, ſtatutúmque in æde Veſtæ, quæ cùm deflagraret, L. Metellus Pont. Max. Palladium medio ex incendio ſuſtulit, amiſſis luminibus. Hoc Palladiũ vulgò conſpectum eſt Heliogabalo Imperatore, incenſa æde Veſtæ. Herodianus. Fuit alterum Palladium, quod Athenis in arce dicavit Nicias.* Palladiũ ſimulachrum.

d Virgineas.] *Nam Pallas virgo ſemper fuit.*

e Nec tamen quod ſequitur verum eſt.] *Nimirum, nam à mendace Sinone dicitur, quanquam verum eſſe poteſt, ſpem Danaum eſſe tunc fractam. Sed nihilominus Trojam ceperunt.*

f Quomodo ergo colebatur.] *Argumentum à minore, qui poterit ſervare cives & patriam, cùm ne cuſtodes quidem potuerit ſervare, quod erat minus, & certè natura ipſa prius?*

F.L.Coq. *a* VEl ab ejus exortu, & imperio.] *Adeo continua fuere bella Romanis prius cum finitimis populis, poſtea cum externis nationibus, ut ter tantum ab V. C. ad Chriſtum Janiculum clauſum fuiſſe (quod pacis ſignum erat) referatur.*

ϐ Parcerent eis quos ad Deorum ſuorum templa.] *Rarum quidem illud. Refert tamen Arrianus libro ſecundo de expedit. Alexandri, capta Tyro qui in templum Herculis confugerant, iis omnibus Alexandrum veniam conceſſiſſe. Simile quid referunt de Ageſilao, Xenophon in Ageſilao, & lib. 4. de rebus Græcorum, Pauſanias in Laco. Plutarch. in Æmylio, Probus in Ageſilao, eum cum gravi prælio Athenienſes & Beotios, eorumque ſocios viciſſet, eos vetuiſſe violari, qui ex fuga ſe in templum Minervæ conjeciſſent: Idque prædicabat ſe mirari, non ſacrilegorum haberi numero, qui ſupplicibus Deorum nocuiſſent. Solent etiam poetæ rebus bello aut urbis captivitate deſperatis perfugium miſeris dare in ſacra & templa. Ita Euripid. in Suppl. fuſo Thebano exercitu ab Athenienſibus,* βοὴ δὲ κωκυτός ἦν ἀνὰ πόλιν νέων, γερόντων. ἱερά τ' ἐξεπίμπλασαν φόβῳ. *Aeſchylus in eundem ſenſum,* κρεῖσσον δὲ πύργου βωμὸς ἄῤῥηκτον σάκος. *Et Æneid. 2. capta Troja inducitur Hecuba hortans Priamum, ut ad aras confugiat, non vero defenſoribus armis fidat:* Huc tandem concede, hæc ara tuebitur omneis.

γ Nonne vidit Æneas.] *Æneid. 2.* Vidi ipſe furentem Cæde Neoptolemum, geminoſque in limine Atridas, Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras Sanguine fœdantem.

δ Quos ipſe ſacraverat ignes.] *Exiſtimat Turneb. libro decimo quarto Adverſ. cap. 15 in illa ara Jovis Hercæi, ad quam Priamus occiſus fuit, ſacratum fuiſſe ignem pervigilem, & perpetuum: ideoque Maronem ſcripſiſſe:* Sanguine fœdantem quos ipſe ſacraverat ignes. *Ovid. 3. Metamorph.* Exiguumque ſenis Priami, Jovis ara cruorem combiberat.

ε Corripuere ſacram effigiem.] *Palladium, de quo plura Natal. Com. lib. 4. Mytholog. cap. 5. & Onuphrius lib. 2 de Antiq. Rom. Erat Palladis ſimulacrum, quod vana illa antiquorum ſuperſtitio olim è cœlo lapſum fuiſſe, Dardanique manibus exceptum credidit: & ſcutum fuiſſe id nonnulli putarunt. Diodorus & Dio ſentiunt ſignum fuiſſe ligneum tricubitale, cœlo lapſum in Peſſinunte urbe Phrygiæ, dextra tenens haſtam, læva colum, & fuſum, & ad eum locum bove duce deveniſſe, ubi erat Dardanus, qui dum urbem Ilium condidiſſet, Deos rogavit, ut aliquod ſignum darent durationis novæ urbis, ſtatimque apparuiſſe Palladium, à quo cum exceptum eſſet, Apollinis oraculo didicit, tamdiu manſuram urbem, donec in ea Palladium conſervaretur. Julius Firmicus Maternus libro de errore Proph. relig. capit. 16. ſcribit, fuiſſe ſimulacrum ex oſſibus Pelopis factum. Alii, ut Marcus Varro, Dionyſius, Ovidius, Plutarchus & Servius dicunt, Chryſam Pallantis filiam, cum in Arcadia Dardano nupſiſſet, pro dote ſecum abſtuliſſe Palladium, & magnorum Deorum ſimulacra, ſcilicet Penates, quibus Dardanus templa in Samothracia conſtruxit, quæ poſtea ſacra ſunt in Ilium nepotum tempore tranſvecta, & in templo Palladis, quod in arce Trojana erat, collocata, accepto oraculo, manſuram urbem, quandiu intra mœnia Palladium collocaretur, quod circa intimam arcis templique partem abditum fuit, quodam*

dam alio Palladio illi ſimillimo efficto, quod in publico negligentius aſſervabatur. Cum itaque Græci obſiderent Trojam, eamque Pyrrhus ex Heleno vate Priami filio didiciſſet, inexpugnabilem iri ſalvo in urbe Palladio, idque Græcorum principes cognoviſſent, cum nulla ſpes eſſet urbis expugnandæ, niſi prius Palladio ſublato, negotium commiſſum Diomedi & Vlyſſi, qui clam urbem ingreſſi, ubique cuſtodes aggreſſi Palladium Antenoris operá, quod ejus uxori Theanæ Palladis ſacerdoti traditum fuerat cuſtodiendum ſubripientes, ad ſuos reverſi ſunt, & urbem tutelari Palladis numine ſpoliatam, captu facilem reddiderunt. Sic ergo cæſis ſummæ cuſtodibus arcis, corripuere ſacram effigiem: quod tamen Palladium à Græcis captum imaginarium fuiſſe exiſtimant, & verum Palladium, capta jam urbe, Anchiſen Æneæ tradidiſſe cum magnis Diis, quos Penates vocabant Trojani. Silius Italicus verum Palladium raptum fuiſſe aſſerit, idque Æneæ à Diomede redditum: ut enim ex Procopio refert Cœlius Rhodiginus lib. 28. cap. 9. de morbo ſciſcitanti Diomedi redditum fuit oraculum, non prius ex morbo convaliturum, quam Trojano cuipiam Palladium reſtituiſſet, & illud Æneas cum omnibus aliis Trojanorum ſacris in Italiam advexit, Laviniique collocavit; quod deinde ab Aſcanio Albam longam translatum putant condito Veſtæ templo; & ex Alba longa ſub Rege Tullo Hoſtilio ea diruta, velut Varro putat, ex Lavino Romam translatum eſt, & in æde Veſtæ collocatum. Clemens Alexand. in protreptico ad Gentes, Palladium Diopedes appellatum fuiſſe ſcribit, ut quod à Jove devolarit. Herodianus in Commodo de Palladio refert, quod, cum templum pacis ignibus eſſet conſumptum, plurima quoque & pulcherrima urbis ædificia conflagrarunt, inter quæ etiam Veſtæ templum, ſic ut Palladium quoque conſpiceretur, quod in primis colunt, atque in arcano habent Romani, Troja, ut perhibent, avectum, ac tum primum, poſtquam in Italiam devenit conſpectum ab hominibus. Quippe raptum id Veſtales virgines media ſacra via in aulam Imperatoris tranſtulerunt. Palladium cum multis aliis Romæ urbis ornamentis Conſtantinus Imperator, inani ſuperſtitione Gentilium abrogata, Conſtantinopolim tranſtulit, & quo ab omnibus videri poſſet, medio foro ſuper columnam marmoream collocari juſſit: idque fuiſſe ſtatuam Æneam Palladis, memoriæ proditum eſt. Palladium non abſimile Diis Laban, quos furata eſt Rachel. Gen. 31. Chry. homil. 57. in Gen. ad ea verba Laban ad Jacob: Quare furatus es Deos meos? vide quanta fuit erroris gravitas, dum hi qui ratione ſunt prædití, colunt lapides & ligna. Et ſunt hi Dii tui O Laban, qui neque cum furaturi ſe quidam erant, juvare ſe potuerunt, qui enim poterant lapidei? ſimile & idolis Michæ, quæque abſtulit tribus Dan. Judic. decimo quinto. Deos meos, inquit, quos feci mihi, tuliſtis.

{ Quomodo ergo colebatur.] *Si non potuit Palladium ſaluum eſſe ſine cuſtodibus, quomodo Troja ſalus ex eo pendebat. Ita Tertull. in Apolog. cap. 29. Gentiles ſubſannat, qui ſalutem Cæſaris dicerent eſſe in poteſtate Deorum, cum ipſi magis ſint in poteſtate Cæſaris, cujus & ſunt.* Quomodo *(inquit)* habebunt ſalutem Cæſaris in poteſtate, ut eam præſtare poſſe videantur, quam facilius ipſi à Cæſare conſequuntur.

CAP. III.

Quàm imprudenter Romani deos penates, qui Trojam cuſtodire non potuerunt, ſibi crediderunt profuturos.

ECce quibus diis urbem Romani ſervandam ſe commendaſſe gaudebant, O nimium miſerabilem errorem! Et *a* nobis ſuccenſent, cùm de diis eorum talia dicimus, nec ſuccenſent autoribus ſuis, quos ut ediſcerent, mercedem dederunt: doctoréſque ipſos inſuper, & ſalario publico, & honoribus digniſſimos habuerunt. Nempe apud Vergilium, quem propterea parvuli legunt, ut videlicet Poeta magnus omniúmque præclariſſimus atque optimus, teneris ebibitus annis, non facilè oblivione poſſit aboleri, ſecundum illud Horatii:

Epiſt. 2. *a Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem*
Teſta diu.

Apud hunc ergo, Vergilium nempe, Juno inducitur infeſta Trojanis, Æolo ventorum regi adverſus eos irritando dicere:

1. Æneid. *b Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,*
Ilium in Italiam portans victóſque penates.

c β Itáne iſtis penatibus victis, Romam ne vinceretur, prudentes commendare debuerunt? *d* Sed hæc Juno dicebat velut irata mulier, quid loqueretur ignorans. Quid Æneas ipſe *e* pius toties appellatus, nónne ita narrat?

f Panthus Otriades, arcis Phœbiq; ſacerdos,
Sacra manu, victóſque deos, parvúmque nepotem
Ipſe trahit, curſúque amens ad limina tendit?

Nónne deos ipſos, quos victos non dubitat dicere, ſibi potius quàm ſe illis perhibet commendatos, cùm ei dicitur:

g Sacra ſuóſque tibi commendat Troja penates?

Si igitur Vergilius tales deos, & victos dicit, &, ut vel victi quoquo modo evaderent homini commendatos, quæ dementia eſt, exiſtimare, his tutoribus Romam ſapienter fuiſſe commiſſam, & niſi eos amiſiſſet, non potuiſſe vaſtari? Imò verò victos deos tanquam præſides ac defenſores colere, quid eſt aliud, quàm tenere non numina bona, γ ſed *h* dæmonia mala? Quanto enim ſapientius creditur, Romam ad iſtam cladem non fuiſſe venturam, niſi prius illi periſſent, ſed illos potius olim fuiſſe perituros, niſi eos, quantum potuiſſet, Roma ſervaſſet? Nam quis non cùm adverterit, videat, quanta ſit vanitate præſumptum, non poſſe vinci, ſub defenſoribus victis, & ideo periſſe, quia *i* cuſtodes perdidit deos ſuos: cùm vel ſola potuerit eſſe cauſa pereundi, cuſtodes habere voluiſſe perituros? Non itaque cùm de diis victis illa conſcriberentur, atque canerentur, poetis libebat mentiri, ſed cordatos homines cogebat veritas confiteri. Verùm iſta opportunius alio loco diligenter copioſéque tractanda ſunt. δ Nunc quod inſtitueram, de ingratis hominibus dicere, parumper explicem, ut poſſum: qui ea mala, quæ pro ſuorum morum perverſitate merito patiuntur blaſphemantes, Chriſto imputant. Quod autem illis etiam talibus propter Chriſtum parcitur, nec dignantur

tur attendere & eas linguas adverſus ejus nomen dementia ſacrilegæ perverſitatis exercent, quibus linguis uſurpaverunt mendaciter ipſum nomen ut viverent: vel quas linguas in locis ei ſacratis metuendo preſſerunt, ut illic tuti atque muniti eſſent, & ubi propter eum illæſi ab hoſtibus fuerant, inde in eum maledictis hoſtilibus proſilirent.

a QUo ſemel.] *Horatius epiſt.II. Citatur paſſim in argumentum virium aſſuefactionis in animis teneris: quale eſt illud ejuſdem, Neq; amiſſos colores Lana refert medicata fuco.* L. Vives.

b Gens inimica.] *Primo Æn. Erat Juno Trojanis inimica: Primùm, quòd genus ducebant à Dardano Jovis & Electræ filio, quæ fuit Junonis pellex. Secundùm, quia raptus Ganymedes Trois filius, Hebæ ipſius Junonis filiæ erat miniſterio prælatus. Tertiùm, quòd Antigone Laomedonteis filia Junonis formam ſprevit, idcirco verſa in ciconiam. Poſtremò, quòd in judicio de forma, victa diſceſſerat, judice Paride Priami filio.*

c Itáne iſtis pen.] *De pe. major eſt & intricatior diſputatio, quàm de Palladio. Penates quaſi penites exiſtimo dici, quòd penitiſſimi ſunt dii, & proprii. Macrobio illorum placet ſententia, qui deos penates dixerunt eſſe, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi poſſidemus. Itaque penates ſunt præſides & cuſtodes dii. Penates totius generis humani putarunt, Pallada ſummum æthera, Jovem medium æthera, Junonem infimum. Sunt & cœlo penates ſui, ut Martianus Capella in nuptiis ludit. In terra ſunt & ſui cuique civitati, ſui cuique domui penates. Nam unaquæque domus, parva quædam eſt civitas, ſeu potius unaquæque civitas, magna quædam domus. Et ut ſingulæ civitates domûſque penates habent ſuos, ita & focum quoque. Quin & curiæ ſingulæ ſingulas habent Veſtas à Romulo conſtitutas, ut ſcribit Dionyſius Halicarnaſſeus, quibus Numa, qui Romulo ſucceſſit, Veſtam communem ſuperinduxit, hoc eſt focum urbis, ut interpretatur ſecundo de legibus Cicero. Jam qui fuerint dii penates, quos Æneas in Italiam portavit, non convenit. Macrobius ex variis varia colligit. Sunt qui Neptunum & Apollinem velint, quos legimus muros Trojanos extruxiſſe. Alii Veſtam dicunt. Nam Vergilius cùm dixiſſet:*

Sacra, ſuóſque tibi commendat Troja penates, *mox addit:*
Sic ait, & manibus vittas, Veſtámque potentem
Æternúmque adytis effert penetralibus ignem.

Veſtam non tam puto ex Penatibus fuiſſe, quàm penatibus additum focum. Ideò dictator cæteriq; magiſtratus Romani, quo die dignitatem inibant, Veſtæ & Penatibus ſacra faciebant. De Veſta & penatibus ſic ſcribit ſecundo de nat. Deorum Cicero. Nam Veſtæ nomen à Græcis. Ea eſt enim, quæ ab illis ἑϛιὰ dicitur. Vis autem ejus ad aras & focos pertinet. Itaque in ea dea, quæ eſt rerum cuſtos intimarum, omnis & precatio & ſacrificatio externa eſt. Nec longè abſunt ab hac vi dii penates, ſive à penu ducto nomine: eſt enim omne, quo veſcuntur homines, penus: ſive ab eo quo penitus inſident, ex quo etiam penetrales à poetis vocantur. Tantum ille. Sed hoc loco non vacat prolixè diſputare de his rebus. Dionyſius lib. 1. in templo obſcuro & humili, quod eſt haud procul foro, duas deorum Trojanorum imagines ſe vidiſſe perhibet, Penus.

 duo-

duorum juvenum ſedentium, piláque habentium in manibus, veteris artis hujus operis; quibus ſit inſcriptio: D. penates. ſimiléſque vetuſtis pleriſque in templis conſpici juvenes militari habitu cultúque. Non dubito, quin iſti ſint Caſtor & Pollux: nam aliis locis penates po. Rom. nominantur, quod Prudentius ſignificat adverſus Symmachum: Gemini quoque fratres, corrupta de matre nothi Ledeia proles, Nocturniq; equites celſæ duo numina Romæ impendent, retinente ſolo magniq; triumphi Nuncia ſuffuſo figunt veſtigia plumbo. Iſti tamen penates Trojani non fuerunt, qui ſub ipſum Trojanum bellum vita conceſſerant, rapta jam Helena. Ideò illa ignara eorum mortis requirit eos inter Græcos proceres de muris Trojanis ſpectans apud Homerum, Iliad. γ. Sed neque hi ſunt dii magni. Varro III. de lingua Latina. Terra enim & cœlum, ut Samothracum initia docent, ſunt Dii magni, & hi, quos dixi, multis nominibus. Nam neque quas Samothracia ante portas ſtatuit duas virilis ſpecies Æneas, dii magni: neque ut vulgus putat ii Samothraces dii, qui Caſtor & Pollux. hæc ille. Penates Trojani erant magni dii, θεοὶ μεγάλοι, qui Urbi & Latio præſidebant. Inter quos erant Palladium & ignis ſempiternus. hinc Vergilius:

Magni dii.

Veſtáque mater,
Quæ Tuſcum Tiberim, & Romana palatia ſervas.

Quanquam peculiarem illum urbis tutelarem Deum nominare nefas exiſtimant, nec putatur Veſta. Illúmque quòd Valerius Soranus auſus eſſet prodere, neci deditus eſt. Sed hac de re jam nimio plura.

d Sed hæc Juno.] *Nam Servius & Donatus propterea victos penates Junonem dixiſſe ajunt, ut contemnendos faceret, ne religioni eſſet Æolo, quòd adverſum deos aliquid eſſet facturus.*

e Pius.] *Pius in deos, pius in patrem, pius in filium, quos omnes ex incendio eripuit. Eſt enim pietas officioſus erga deos, patriam, parentes, ſanguine conjunctos cultus, denique gratitudo iis quibus debemus.*

Pietas.

f Panthus.] *Secundo Æneidos.*

Ecce autem telis Panthus elapſus Achivum,
Panthus Otriades &c.

g Sacra ſuóſque.] *Verba ſunt Hectoris, per quietem ab Ænea viſi.*

Romam ad iſtam cladem.] *Argumentum ab eventu unius rei ad eventum alterius ſimilis. Senſus eſt depravatus. Sic eſt legendum. Non Romam ad iſtam cladem: ut ſit, ſapientius multò exiſtimaretur, ſi non illud putaretur Romam ad hanc cladem non fuiſſe venturam, niſi illi periiſſent, ſed illud putaretur potius, illos olim, &c.*

h Sed dæmonia mala.] *Nam malos & ignavos fuiſſe aliquos dæmonas, fatebantur veteres. Genius enim alius alio præſtabat & virtute, & ſapientia, & viribus. Erat enim alacrior & celſior genius Auguſti genio Marci Antonii, ut magus ille Ægyptius dixit apud Plutarchum in vita M. Antonii. Nec Chriſtiana religio negat inter Angelos, intérque dæmonas alios aliis eſſe natura & viribus excellentioribus.*

i Cuſtodes.] *Tales quales Plato dicit in ſua Politia eſſe magiſtratus ebrioſos & voluptarios, qui cuſtodibus ipſi indigeant.*

a ET nobis ſuccenſent.] *Si ægre ferunt (inquit) quod illis hujuſmodi Deos exprobremus: cur non magis ſuccenſent Virgilio, & aliis poetis, ex quibus eorũ vanitatem ac dementiam arguimus.* *Id familiare fuit ſanctis patribus, Gentiles ipſos coarguere, authoritate philoſophorum vel poetarum, qui apud eos alicujus eſſent authoritatis. Arati teſtimonium profert Paul. Act. 17. D. Hieronymus epiſt. 84. ad magnum oratorem, rationem adfert, cur in operibus ſuis ſecularium litterarum interdum proferret teſtimonia; quod videretur nonnulliš candorem Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus polluere:* Quis enim neſciat *(ait)* & in Moſe, & in Prophetarum voluminibus, quædam aſſumpta de Gentilium libris, & Salomonem philoſophis Tyri nonnulla propoſuiſſe, & aliqua reſpondiſſe? *Et in illa epiſtola multos adfert Eccleſiæ patres, qui contra hoſtes fidei noſtræ ſcripſerunt, uſi auctoritate philoſophorum & poetarum Gentilium, ut Davidis exemplo extorquerent de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncarent. Vide Auguſt. libro ſecundo, de doctrina Chriſt. cap. 40. Baſilium homil. de legendis libris Gentilium, Niceph. lib. 10. hiſt. Eccleſ. cap. 26. Grati. diſtinct. 37. decret. cum ſacri Theologi ex variis locis ſua argumenta petere poſſent, ſolent adverſus Hæreticos, qui ſacras ſcripturas admittunt, ex ſcripturis argumentari. Ita noſter Auguſt. ubi contra Hæreticos ſcripſit, non videbitur uſus tot teſtimoniis poetarum, ſeu externorum auctorum: Cum vero refutandæ eſſent illi calumniæ Gentilium poetarum, & aliorum auctorum, quos ipſi maxime probabant, uſurpavit teſtimonia. Et in hoc quidem opere oſtendit ſe alterum Moyſem verſatum in omni ſapientia Ægyptiorum. Virgilii ergo auctoritate amentiam inimicorum civitatis Dei, & vanitatem Deorum, quos colebant, & quibus committebant ſuam ſalutem, coarguit.*

c Itane iſtis Penatibus victis.] *Si hujuſmodi dii victi apud Trojam, quam ſtulti Romani, qui his tutoribus urbem ſuam committunt, eosque tanquam præſides & defenſores colunt. Cypr. lib. de Idolorum vanit.* Cæterum Mars Thracius, & Jupiter Creticus, & Juno vel Argiva, vel Samia, vel Pœna, vel Diana Taurica, & Deum mater Idæa, & Ægyptia portenta non numina, quæ utique, ſi quid poteſtatis habuiſſent, ſua ac ſuorum regna ſervaſſent. Plane ſunt apud Trojanos victi Penates, quos Æneas profugus adduxit. *Ita Tertull. in Apolog. cap. 26. oſtendit, Deos hujuſmodi minime Romanos in tantum ſublimitatis extuliſſe, ut orbem occuparint, ſuis enim potius faviſſent, quam alienis.* Peregrinos enim Deos *(ait)* non putem extraneæ genti magis fautum voluiſſe, quam ſuæ. *Ubi arguenda etiam dementia Romanorum, qui cum aliquam urbem oppugnarent, ſupplices Deos illius tutelares evocabant, ac precabantur, ut ſe Romam transferri paterentur, ubi ſolemnioribus ceremoniis colerentur, ut videre eſt apud T. Livium lib. 5. in obſidione Velorum, & apud Macrob. lib. 3. ſatur. cap 9. & Plinium lib. 28. cap. 2. ex Verrio Flacco, & Alexand. ab Alexan. lib. 6. Genial. dier. cap. 54. & Plutarch. in quæſtionibus Roman. quæſt. 61. ſcribit, nefas fuiſſe, tutelarem Romæ Deum dicere, aut quærere, ejusque nomen efferre, quia Romani cum carminibus quibusdam, & præſtigiis quibus putabant elici Deos, putarunt, quosdam hoſtium Deos ad ſe attraxiſſe, cavere voluerunt, ne idem ab aliis ſibi eveniret, quæ conſuetudo & apud alias nationes locum habuit, quam videntur*

F.L.C.14.

dentur reſpicere verſus illi Euripidis in Iphigenia, in Tauris, ubi Iphigenia ad Dianam: ἀλλ' εὐμενὴς ἔκβηθι βαρβάρου χθονὸς εἰς τὰς ἀθήνας, καὶ γὰρ ἐνθάδ' οὐ πρέπει ναίειν, παρόν σοι πόλιν ἔχειν εὐδαίμονα. *Inibant enim conſilium de tollenda, & è Scythia Deæ ſtatua transferenda Athenas ex oraclo. Ita miſeri homines ſalutem ſuam illis diis committebant, qui nec ſuos ſervare potuerant. Cypr. loco citato, & Minutius in Octavio.* quid iſti dii pro Romanis poſſunt, qui nihil pro ſuis adverſus eorum arma valuerunt. *Et quidem Romanos in eo fuiſſe errore, ut putarent, religione & cultu illorum deorum, urbem tot annis ſtetiſſe & imperium tam longe lateque protuliſſe, conſtat. Nam cum Theodoſius Imperator Maximo tyranno interfecto Romam veniſſet, ſuaſit Senatui, qui avitatem religionem retinere ſtudebat, ut ab errore reſipiſceret, & Chriſtianam religionem, in qua omnium ſcelerum abolitio donaretur, amplecti vellet. Sed nemo motus illius oratione dicitur, quod negarent ſe adduci poſſe, ut majorum ſuorum inſtituta novitiis Chriſtianorum inventis poſtponerent, quum illorum cuſtodia urbs incolumis prope mille, & ducentis annis conſervata fuiſſet, quibus ſi alia potiora duxiſſent, ignorare ſe, quæ ſit fortuna ſequutura. Tumque ex Senatorio ordine Symmachus imprimis parum ſe æquum religioni Chriſtianæ exhibuit, immo pro veteri ſuperſtitione apud Senatores diſſeruit: ubi ſic Romam inducit Impp. loquentem:* Hic cultus in leges meas orbem redegit, hæc ſacra Annibalem à mœnibus, à Capitolio Sennonas repulerunt. *Ex noſtris acriter Symmacho reſtiterunt imprimis D. Amb. ſoluta oratione, & Prudentius heroico carmine. D. Ambroſ. ſcribens ad Valentinianum Imp. ſuccenſet Symmacho, & Gentilibus, quod dicerent, hujusmodi deos, qui ab eis colebantur, Imperatorum eſſe defenſores.* Hoc eſt *(inquit)* quod ferre non poſſumus, quia exprobrant nobis, veſtro ſe nomine diis ſuis ſupplicare, & vobis non mandantibus ſacrilegium immane committunt, diſſimulationem pro conſenſu interpretantes. Sibi habeant præſidia ſua, ſuos ſi poſſint illi defendant. Nam ſi his, à quibus coluntur, auxilio eſſe non poſſunt, quomodo poſſunt vos defendere, à quibus non coluntur? *Ibidem ad ea quæ Symmachus:* hæc ſacra Annibalem: Dum ſacrorum potentia prædicatur, infirmitas proditur. Ergo Annibal diu ſacris inſultavit, & diis contra ſe dimicantibus usque ad muros urbis vincendo pervenit. Cur ſe obſideri paſſi ſunt, pro quibus deorum ſuorum arma pugnabant? Nam de Sennonibus quid loquar, quos Capitolii ſecreta penetrantes Romanæ reliquiæ non tuliſſent, niſi eos pavido anſer ſtrepitu prodidiſſet? En quales templa Romana præſules habent. Ubi tunc erat Juppiter? an in anſere loquebatur? Verum quid negem ſacrorum ritus militaſſe Romanis? Sed etiam Annibal eosdem deos colebat, utrum volunt igitur eligant. Si in Romanis vicerunt ſacra, in Carthaginenſibus ergo ſuperata ſunt, ſi in Carthaginenſibus triumphata ſunt, nec Romanis utique profuerunt. *Recte igitur noſter Auguſt. deridet, quod hujusmodi deorum tutela urbis ſalutem commendaſſent.*

γ Sed dæmonia mala.] *Certum eſt, dæmones extitiſſe authores tot ſuperſtitionum, eosque deos gentium, quos coluit antiquitas, vel dæmones extitiſſe, vel homines relegatos ad tartara: parum enim curabat dæmon vel coli ipſe, vel efficere, ut a-*

lii

lii colerentur, & tanquam dii haberentur, modo à vero Dei cultu hominum mentes abduceret.

δ Nunc quod inſtitueram de ingratis hominibus dicere.] *Romanos notat, qui ea mala, quæ patiebantur, Chriſto imputabant. Sozimus referente Evagrio lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 41. & Niceph. lib. 16. cap. 42. & 43. dicebat, Imperium Romanum ab eo tempore, quo Chriſtiana religio floruerat, prorſus intercidiſſe, atque interiiſſe. Uterque egregie in eum invehitur oſtendens, per Chriſtianorum fidem Romani Imperii res multis modis maxima cepiſſe incrementa.*

Cap. IV.

De aſylo Junonis in Troja, quod neminem liberavit à Græcis, & baſilicis Apoſtolorum, quæ omnes ad ſe confugientes à barbaris defenderunt.

IPſa, ut dixi, α Troja, *a* mater Romani populi, ſacratis in locis deorum ſuorum munire non potuit cives ſuos ab ignibus ferròque Græcorum, eosdem ipſos deos colentium: quin etiam *b* Junonis aſylo,

Cuſtodes lecti Phœnix, & dirus Ulyſſes,
Prædam aſſervabant: huc undique Troia gaza
Incenſis erepta adytis, menſæque deorum,
Cratereſque auro ſolidi, captiváque Veſtis
Congeritur. Pueri & pavidæ longo ordine matres
Stant circùm.

Electus eſt videlicet locus tantæ deæ ſacratus, non unde captivos non liceret educere, ſed ubi captivos liberet includere. Compara nunc aſylum illud β non cujuslibet dei gregalis, vel de turba plebis, ſed Jovis γ ipſius ſororis & conjugis, & reginæ omnium deorum, cum memoriis noſtrorum Apoſtolorum. Illuc δ incenſis templis & diis erepta ſpolia portabantur, non reddenda victis, ſed dividenda victoribus: huc autem, ε & *d* quod alibi ad ea loca compertum eſt pertinere, cum honore & obſequio religioſiſſimo reportatum eſt. Ibi amiſſa, hic ſervata libertas: ibi clauſa, hìc interdicta captivitas: ibi poſſidendi à dominantibus hoſtibus premebantur, huc liberandi à miſerantibus hoſtibus ducebantur. Poſtremò illud Junonis templum ſibi elegerat avaritia & ſuperbia *e* ζ levium Græcorum: iſtas Chriſti Baſilicas miſericordia & humilitas *f* etiam immanium barbarorum. Niſi fortè Græci quidam, in illa ſua victoria, templis deorum *g* communium pepercerunt: atque illò confugientes miſeros victóſque Trojanos ferire, vel captivare non auſi ſunt. Sed Vergilius poetarum more illa mentitus eſt. *h* Imò verò more hoſtium civitates evertentium ille deſcripſit.

al. donanda. *Cap. V. in M. S. quatuor incipit.*

a MAter Romani pop.] *Nam à Trojanis, qui ſub Ænea in Italiam venerunt, conditum eſt Lavinium, à Lavinianis Alba longa, ab Albanis Romani. Saluſtius urbem Romam condidiſſe atque habuiſſe initio Trojanos narrat, qui Ænea duce ſedibus vagabantur incertis.*

b Junonis aſylo.] *Verba ſunt Æneæ ſecundo Æneidos.*

Phœnix c Phœnix.] *Amintoris filius, Achillis fuit magiſter, qui docebat eum & benefacere & benedicere, ut Homerus ait Iliad. γ.*

d Quod alibi.] *Magna vis auri eſt è Vaticano ſubrepta, & juſſu Halarici reddita, ut Oroſius ſcribit libro ſeptimo.*

e Levium Græcorum.] *Hæc eſt Græcorum apud Romanos nota, quos ideò Græculos dicebant. Et ſunt quidam Auguſtini codices, qui habent Græculorum. Cicero pro Flacco: Quo loco etiam atque etiam facite ut recordemini, quæ ſit temeritas multitudinis, quæ levitas propria Græcorum. Idem ſignificat Lucianus in Mercede ſervientibus, & Jamblichus Græcos ſuos ingenio leves nominat.*

f Etiam immanium.] *Ad pondus comparationis hoc facit: nam barbari Græcis opponuntur, & non quilibet barbari, ſed immanes, iis qui videri volunt à ſe profectam humanitatem. Cicero ad Q. Fratrem, qui Aſiæ minori, quæ Græca eſt, præerat: Quum verò ei generi hominum præſimus, non modò in quo ipſa ſit, ſed etiam à quo ad alios perveniſſe putetur humanitas, certè iis etiam eam potiſſimum tribuere debemus, à quibus accepimus.*

g Communium.] *Nam eoſdem deos colebant Græci & Trojani.*

h Imò verò morem.] *Ne magis ſimilis crudelitatis reprehenſio ad Græcos quàm ad cæteras videatur gentes pertinere, quum in urbes hoſtiliter irrumpunt.*

L.L.Coq. α TRoja mater Romani populi.] *Salluſtius initio belli Catilinarii:* urbem Romam, ſicut ego accepi, condidere atque habuere initiò Trojani, qui Ænea duce profugi incertis ſedibus vagabantur. *Ex Livio, Plutarcho, Eutropio, Juſtino, & aliis ſcriptoribus conſtat, Romulum urbis conditorem ab Ænea Trojano originem duxiſſe. D. Hieronym. in proœmio libro ſecundo in Epiſt. ad Galat. certe quod negari non poteſt,* Romani de Ænea Aſiani hominis ſtirpe generati ſunt. *Et Tertull. in Apolog. cap. 25.* Urbem Romanam *vocat* memoriam Trojani generis.

β Non cujuslibet Dei gregalis.] *In tanta multitudine Deorum, alii dicebantur dii Majorum gentium, quod Cic. ſignificat, Summates illos ſemperque decuriæ divinæ habitos, quos D. Auguſt. Selectos vocat. Minorum gentium Deos ex hominibus illuc translatos, qui & aſcriptitii dici poſſunt nec non allecti, quos παρεγγεγραμμένους dicunt Græci, & μετοίκους, velut advenas.*

γ Jovis ipſius ſororis & conjugis.] *Macrob. lib. 1. de ſomnio Scip. cap. 17. Junonem Jovis conjugem dicit, quia aer ſubjectus eſt cœlo. Athanaſ. Orat. contra Idolat.* Priſci in Græcia, celeberrimique Dii Juppiter, Neptunus, Apollo, Vulcanus, Mercurius, & inter fœminas Juno, Ceres, Pallas, Diana, Theſei edicto, qui ibi regnavit, ut in hiſtoria eſt, accepere numen & divinitatem. *poſt:* atque utinam intra mares ſtudium illud vecors Idololatriæ conſtitiſſet, neque fœminis detuliſſent divinum numen: nam & fœminas, quas neque ad commune de Repub. conſilium fas eſt admittere, illas ipſas deorum religione ut numina venerantur. *Lactant. lib. 1. cap. 16. egregie argumentatur contra Gentiles, non poſſe deos eſſe, quos ſexus diſcernit.*

δ Et quod alibi ad ea loca compertum eſt pertinere.] *Scribit Oroſ. libro ſeptimo, capite trigeſimo nono, quod cum capta urbe diſcurrerent barbari, ac prædæ inhiarent,*

biarent, contigit, vaſa plurima aurea & argentea, quæ virgo jam grandæva cuſtodiebat, barbaro militi revelari: idque Alarico nunciatum cum eſſet, ejus juſſu ſummo cum honore ad baſilicam ſancti Petri, ad quam pertinebant, ſtupentibus omnibus fuiſſe reportata. quod idem refert Caſſiodorus libro duodecimo. Var. Epiſt. 20.

ε Illuc incenſis templis.] *Antitheſi quadam oſtendit, & quanta ſit vis religionis Chriſtianæ, quæ tantum potuerit in animis barborum, ut propter eam victis parcerent, & memoriæ Apoſtolorum tantum honorem haberent, ut confugientibus ad eorum loca, vitam & libertatem donarent; Et quanta imbecillitas deorum Penatium, qui cultores ſuos ſervare minime potuerunt: loca Apoſtolorum elegere barbari, quo confugientibus eſſet libertas, & omnia ibi ſalva eſſent. At Græci Trojam ingreſſi ſacra loca elegere, non quo ſervarent civibus vel vitam, vel libertatem, vel res ſuas, imo quo transferrent ſpolia erepta dividenda poſtea victoribus.*

ζ Levium Græcorum.] *Levitatis arguit Græcos Cic. orat. pro Ligario, & epiſt. 1. ad Quintum fratrem.*

Hoc caput jungatur ſuperiori.

Cap. V.

De generali conſuetudine hoſtium victas civitates evertentium quid Cæſar ſenſerit.

α QUem morem etiam Cæſar, ſicut ſcribit Saluſtius, nobilitatæ veritatis hiſtoricus, ſententia ſua, quam de conjuratis in Senatu habuit, commemorare non prætermittit: α Rapi virgines, pueros divelli libero parentum complexu, matres familiarum pati quæ victoribus collibuiſſet, fana atque domos ſpoliari, cædem & incendia fieri. Poſtremò armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Hic ſi fama tacuiſſet, deorum ſedibus ſolere hoſtes parcere putaremus, & hæc non ab alienigenis hoſtibus, ſed à *b* Catilina & ſociis ejus nobiliſſimis ſenatoribus, & Romanis civibus Romana templa metuebant. Sed hi videlicet perditi & patriæ parricidæ. *De Catilinæ conjuratione.*

α QUem morem etiam Cæſar.] *C. Cæſar tum prætor, qui poſteà fuit dictator, deprehenſa conjuratione Catilinæ, rogatus à Cicerone conſule, quid de conjuratis cenſeret faciundũ, ea dixit, quæ Saluſtius literis mandavit. Nec ſolùm illo civili, de quo tunc agebatur bello, ea futura dicit mala, ſed ejuſmodi ait eſſe belli ſævitiam, ea ſolere victis accidere. Cicero in Verrem. Mitto adhibitam vim ingenuis, matresfamiliâs violatas, quæ tum urbe capta commiſſa non ſunt, neque odio hoſtili, neque licentia militari, neque more belli, neque jure victoriæ. Sic ille.* *L. Vives.*

b Catilina.] *Nota eſt hiſtoria ex Saluſtio, & ipſe de ea alio in loco nonnulla dicam.*

α RApi virgines, pueros.] *Homerus urbis expugnationem deſcribens. Iliad. 9.* *F.L.Coq.*

Ἄνδρας μὲν κτείνουσι, πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει,
Τέκνα δέ τ' ἄλλοι ἄγουσι βαθυζώνους τε γυναῖκας.

Et Demoſthenes Περὶ στεφάνου: ὅτι ἀπεστερούμεθα εἰς Δελφοὺς ἐξ ἀνάγκης ὁρᾶν

 μὲν ταῦ-

ἦν ταῦτα, πάσας οἰκίας κατεσκαμμένας, τείχη περιῃρημένα, χώραν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ· γύναια δὲ καὶ παιδάρια ὀλίγα, καὶ πρεσβύτας ἀνθρώπους οἰκτρούς. Et Æſchines κατὰ Κτησιφῶντος· ἀλλὰ ταῖς γε διανοίαις ἀποβλέψατε αὐτῶν εἰς τὰς συμφοράς, καὶ κομίσατε ὁρᾶν ἁλισκομένην τὴν πόλιν, τειχῶν κατασκαφάς, ἐμπρήσεις οἴκων, ἱερὰ συλώμενα, ἀγομένας γυναῖκας, καὶ παῖδας εἰς δουλείαν, πρεσβύτας ἀνθρώπους, πρεσβύτιδας γυναῖκας ὀψὲ, μεταμανθανούσας τὴν ἐλευθερίαν.

Plato ipſe libro ſecundo de Republica docet, ex bello inter privatos, & publice multa naſci incommoda, quæ in ipſam Rempub. maxime redundant. Chryſoſt. lib. 6. de ſacerdotio egregie depingit belli incommoda & calamitates. Et cum tanta mala ex bello oriantur, debet prius conſulere princeps, An bellum, quod ſuſcipit, juſtum ſit, nec ne? Et ſi offeratur ſatisfactio ab eo, qui injuriam intulit, illi admittenda erit, potiſſimum ſi ante bellum inchoatum, & nulla adhuc edita ſtrage, oblata ſit. Hæc vero omnia quæ enumerat ex Salluſtio in oratione Cæſaris Auguſt. non ſunt de jure belli: Etſi enim liceat in bello juſto hoſtes interficere, & in ſervitutem redigere, ac eorum bona diripere, quantum ſatis eſt ad damni compenſationem, vel ad vindicandam illatam injuriam, & Ariſt. lib. 1. polit. cap. 4. omnia quæ in juſto bello capiuntur, dicat eſſe capientium. Et Plato lib. 1. de legibus, & in jure civili ff. de captivis, & jure canonico diſtinct. 1. hæc omnia confirmata ſint: ſi tamen velit princeps omnia ferro & cædibus complere, & totum hoſtis regnum, vel maximam illius partem pro leviori damno occupare, injuſtus erit omnino. Et ſi jam totum damnum reſarcitum ſit ex parta victoria, vel ex occupatione unius civitatis, longius velle progredi, non videtur prorſus carere injuſtitia.

Cap. VI.

Quòd nec Romani quidem ita ullas ceperunt civitates, ut in templis earum parcerent victis.

Quid ergò *a* per multas gentes, qui inter ſe bella geſſerunt, & nuſquam victis in deorum ſuorum ſedibus pepercerunt, noſter ſermo diſcurrat? Romanos ipſos videamus, ipſos, inquam, recolamus: reſpiciamúsque Romanos, de quorum præcipua laude dictum eſt.

Æn. 6. *Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.*

a & quod accepta injuria ignoſcere malebant, quàm perſequi: quando tot tantáſque urbes, ut latè dominarentur, expugnatas, captáſque everterunt, legatur nobis, quæ templa excipere ſolebant, ut ad ea quiſquis confugiſſet, liberaretur? *β* An illi faciebant, & ſcriptores earundem rerum geſtarum iſta reticebant? Itáne verò, qui ea, quæ laudarent, maximè requirebant, iſta præclariſſima ſecundùm ipſos pietatis indicia præterirent? *γ* Egregius Romani nominis *b* Marcus Marcellus, qui *c* Syracuſas urbem ornatiſſimam cepit, *δ* refertur eam prius fleviſſe ruituram, & ante ejus ſanguinem *d* ſuas illi lachrymas effudiſſe. *e* Geſſit & curam pudicitiæ, etiam in hoſte ſervandæ. Nam priuſquam oppidum victor juſſiſſet invadi, *ε* conſtituit edicto, ne quis corpus liberum violaret. Everſa eſt tamen civitas more bellorum, nec uſpiam legitur ab Imperatore tam caſto atque

cle-

clementi fuiſſe præceptum, ζ ut quisquis ad illud vel illud templum fugiſſet, abiret illæſus. Quod utique nullo modo præteriretur, quando nec ejus fletus, nec quod edixerat pro pudicitia minimè violanda potuit taceri. *f* η Fabius Tarentinæ everſor urbis, à ſimulachrorum deprædatione ſe abſtinuiſſe laudatur. *g* θ Nam cùm ei ſcriba ſuggeſſiſſet, quid de ſignis deorum, quæ multa capta fuerant, fieri juberet, continentiam ſuam etiam jocando condivit. Quæſivit enim cujusmodi eſſent: & cùm ei non ſolùm multa grandia, verùm etiam renunciarentur armata: Relinquamus inquit, Tarentinis deos iratos. Cùm igitur nec illius fletum, nec hujus riſum, nec illius caſtam miſericordiam, nec hujus facetam continentiam, Romanarum rerum geſtarum ſcriptores tacere potuerunt, quando prætermitterent, ſi aliquibus hominibus in honorem cujuspiam deorum ſuorum ſic pepercisſent, ut in quoquam templo cædem vel captivitatem fieri prohiberent?

a ET quod accepta injuria.] *Saluſtius in Catilinario bello, de veteribus Romanorum moribus loquens, de quibus eisdem eſt illud elogium: Ignoſcendo creviſſe.* L. Vives. Ignoſcendo creviſſe.

b Marcus Marcellus.] *Claudiæ gentes duæ fuerant: altera patritia, quæ originem ſumpſit ab Appio illo Claudio, qui ſub recentem illam regum expulſionem, ex Regillo Sabinorum Romam commigravit; & in ſenatum, interque patritias gentes lecta eſt. Altera fuit plebeja quidem, ſed non potentia minor, ut Suetonius inquit in Tiberio, nec dignitate. Ex hac primus, qui Marcellus cognominatus eſt, fuit hic, de quo Auguſtinus meminit, ut Plutarchus ex Poſidonio ſcribit. Tanta in re miror falli ſcriptorem hiſtoriæ, & rerum Romanarum peritiſſimum, quum centum annis antea fuerint Claudii Marcelli. Fuit verò hic, de quo loquimur, quater conſul, nam ſecundùm creatus conſul, ſed quia vitio, eum magiſtratum non geſſit. Si quis nunc numeret, quinque conſulatus erunt. Primùm, conſul fuit bello Gallico cum Cn. Cornelio Scipione, quo bello ſpolia optima de Viridomaro Gallorum rege retulit: eáque fuêre tertia & ultima inter tot bella à populo Romano, cum tot gentibus tam diverſis ſub ducibus geſta. Poſt ſecundum conſulatum Syracuſas expugnavit. Quartum conſul cum Q. Criſpino in inſidias temerè à ſemet præcipitatus, magnus dux, manúque promptus, & conſilio optimus, occiſus eſt, anno undecimo Punici belli ſecundi, qui undequadragies collatis ſignis dimicaverat, ut ſcribit Plinius libro ſeptimo.* Claudii. Marcellus.

c Syracuſas urbem ornatiſſimam.] *Syracuſæ civitas eſt in Sicilia, vetuſta fama, & opibus ingentibus. Hanc obſedit per triennium Marcellus, tandem expugnavit, tantúmque ex ea prædæ egeſtum eſt, quantum vix capta Carthagine, quæ tum maximè florebat, paribúsque cum populo Romano viribus contendebat, fuiſſet.* Syracuſa.

d Suas illi lachrymas.] *Livius libro vigeſimo quinto: Marcellus ut mœnia ingreſſus, ex ſuperioribus locis, urbem fermè omnium illa tempeſtate pulcherrimam ſubjectam oculis vidit, illachrymaſſe partim gaudio dicitur tantæ rei perpetratæ, partim vetuſta gloria urbis: Athenienſium claſſes demerſæ, & duo ingentes exercitus cum duobus clariſſimis ducibus deleti occurrebant, tum bella tot geſta, & opulentiſſimi tyranni, eáque momento horæ arſura omnia. Eandem ſententiam Valerius habet, de humanitate.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

e Geſſit & curam.] *Livius ibidem: Marcellus ex omnium ſententia militibus edixit, ne quis liberum corpus violaret, cætera præda futura, quod edictum ad cædes, vulnera, & pudicitiam ſpectabat.*

Fabius. *f* Fabius Tarentinæ everſor urbis.] *Secundo bello Punico Tarentum nobiliſſima Calabriæ urbs à Romanis ad Annibalem & Carthaginenſes defecit, præſidium tamen* Q. Fabius Maximus. *Romanum, cujus erat dux Livius Salinator, in arcem ſe recepit. Q. Fabius Maximus eam civitatem recuperavit, militibúsque diripiendam tradidit. Hic Fabius eſt ille, qui afflictis ſecundo bello Punico ab Annibale Romanis rebus, ſapientia ſua opem tulit, trahendóque tempus impetum illum violentiſſimum Annibalis retardavit, & de quo verè Ennius dixit:*

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Non vacat, ac ne libet quidem mihi inſectari ea, in quibus commentator hujus libri faſſus eſt: longum nimis hoc eſſet, & moleſtum admodum. Sed quia hoc loco cum aliis nonnullis errat, qui & aliena opinione ſunt iſtis in rebus docti, & ſua doctiſſimi, nec ſunt revera indocti, ideò continere me non potui, quin lectorem admonerem, non hunc primum Fabium dictum eſſe Maximum, ſed ejus avum, qui Conſul quinquies fuit, nactus id cognomen, quod cenſor cum P. Decio Mure forenſem omnem turbam in quatuor tribus conjecit, quas urbanas vocavit, tametſi haut negaverim, fuiſſe hunc Quintum Fabium, de quo hic loquitur Auguſtinus, dignum eo cognomine, etiamſi novum ab eo inciperet.

g Nam cum ei ſcriba.] *De hoc Livius libro vigeſimo ſeptimo.*

F.L.Coq. *α* Quid ergo per multas Gentes.] *Ut oſtendat, quod ingreſſi Romam Gothi pepercere confugientibus ad baſilicas Apoſtolorum, & eo ſe recipientibus, feciſſe præter morem bellorum, oſtendit, nihil unquam ſimile, ne à Romanis quidem ipſis, qui reliquas nationes religione, ac cultu deorum ſuperare videbantur, factum fuiſſe.*

β An illi faciebant & ſcriptores.] *Græcorum ac Romanorum nomen longe lateque divulgatum eſt, quod præ cæteris habuerint ſcriptores rerum ſuarum diligentiſſimos, & cum omnia eo referrent, ut ad poſteros ſui nominis gloriam relinquerent, diligentiſſime curabant etiam res ſuas in ſcriptis redigi.*

γ Egregius Romani nominis M. Marcellus.] *Hic inter præſtantiſſimos, & fortiſſimos Rom. duces habetur: primo conſulatu quem geſſit cum C. Cornelio Scipione, victoriam inſignem de Gallis reportavit, & medio conflictu Vindomarum Gallorum Regem, ut Livius; vel ut nominat Plutarchus Britomarum obvium obtruncavit, jacentique opima detraxit ſpolia. Hic eſt qui ad Nolam pugnavit cum Annibale, & victoriam ex ejus manibus eripuit, primusque docuit eum poſſe vinci, Romani 2. bello Punico contra Annibalem ut Fabium maximum clypeum, ita Marcellum ſuum enſem nominabant, & ſolebat dicere Annibal, ſe Fabium ut præceptorem, Marcellum ut pugilem reformidare: ab illo enim ne mali quidquam perpetraret, cohiberi, ab hoc autem nonnunquam graviora perpeſſum. De eo ita Virg. 6. Æneid.*

Adſpice ut inſignis ſpoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros ſupereminet omnes,

Hic

Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Siſtet eques, ſternet Pœnos, Gallumque rebellem,

Qui Syracuſas urbem ornatiſſimam.] *Syracuſæ civitas Siciliæ ampliſſima quam Archias condidit, navibus à Corintho advectis, ſub idem tempus quo Naxus & Megara ſunt conditæ: feruntque ſimul Delphos adveniſſe Myſcellum, & Archiam conſulendi oraculi gratia, interrogatosque à Deo, divitiasne mallent an ſanitatem: Archiam divitias ſibi optaſſe, Myſcellum ſanitatem: denique illi ut Syracuſas, huic ut Crotonem conderet mandaſſe; & quidem Crotoniatis eveniſſe ut ſalubrem incolerent urbem; Syracuſanos autem eo opulentiæ progreſſos, ut de ipſis quoque vulgatum ſit proverbium, quod in nimis ſumptuoſos diceretur, eos non poſſidere decimam Syracuſanorum. Strabo lib. 6. & Stephanus de urbibus. M. Marcellus conſul. III. anno V. C. 539. in Siciliam miſſus Syracuſas obſidet, & Archimedis Syracuſani admirabili ingenio præditi machinis ſæpius repulſus, tertio tandem anno poſt expugnavit. Polyph. lib. 8. Livius 24. Plutarch. in Marcello Cic. 6. in Verrem.* Siracuſis captis à Marcello tantum prædæ fuit, *ait Livius*, quantum vix capta Carthagine tum fuiſſe, cum qua viribus æquis certabatur. *Cic. 6. in Verrem miris laudibus effert eam civitatem, & tantam fuiſſe ſcribit, ut ex quatuor urbibus maximis conſtaret, quarum una inſula, alia Arcadia, tertia Tyrſe, quarta quæ poſtremo ædificata eſt, Neapolis diceretur. Strabo πεντάπολιν fuiſſe ſcribit. Livius lib. 25. Epipolas his quatuor addit.*

δ Refertur eam prius fleviſſe ruituram.] *Livius lib. 25. Plutarchus in Marcello, Valerius Max. lib. 5. cap. 1.*

ε Conſtituit edicto ne quis corpus liberum.] *Livius lib. 25. Plutarch. in Marcello.*

ζ Ut quisquis ad illud, vel illud templum.] *Immo tum parum conſultum religioni: nam ornamenta urbis, ſigna tabulasque, quibus abundabant Syracuſæ, Romam devexit, hoſtium quidem illa ſpolia, & parta belli jure: cæterum inde primum initium mirandi Græcarum artium opera, licentiaque hinc ſacra, prophanaque omnia vulgo ſpoliandi factum eſt. Livius.*

η Fabius Tarentinæ everſor urbis.] *Tarentum civitas eſt Calabriæ nobiliſſima, de qua plura Strabo. lib. 6. Secundo bello Punico proditione eam Annibal occupavit: præſidium tamen Romanum in arcem ſe recepit. Eam poſtea Fabius mirabili arte recepit, adeo ut Annibal diceret,* Et Romani ſuum habent Annibalem, eadem qua ceperamus arte Tarentum, amiſimus. *Livius lib. 26. Plutarch. in Fabio. Appian. in hiſtor. Annibalis, militibus eam diripiendam tradidit.*

θ Nam cum ei ſcriba ſuggeſſiſſet.] *Livius lib. 26. Plutar. in Fabio.*

CAP. VII.

Quòd in everſione Urbis quæ aſperè geſta ſunt, de conſuetudine acciderint belli: quæ verò clementer, de potentia provenerint nominis Chriſti.

Quic-

QUicquid igitur α vaſtationis, trucidationis, deprædationis, concremationis, afflictionis, in iſta recentiſſima Romana clade commiſſum eſt, fecit hoc conſuetudo bellorum. Quòd autem more novo factum eſt, quòd inuſitata rerum facie immanitas barbara tam mitis apparuit, ut ampliſsimæ baſilicæ implendæ populo cui parceretur, eligerentur & decernerentur, ubi nemo feriretur, unde nemo raperetur, quò liberandi multi à miſerantibus hoſtibus ducerentur, unde captivandi nulli nec à crudelibus hoſtibus abducerentur: hoc Chriſti nomini, hoc Chriſtiano tempori tribuendum, quisquis non videt, cœcus: quisquis videt, nec laudat, ingratus: quisquis laudanti reluctatur, inſanus eſt. Abſit, ut prudens quisquam hoc feritati imputet barbarorum. β Truculentiſſimas & ſuaviſſimas mentes ille terruit, ille frænavit, ille mirabiliter temperavit, qui per Prophetam

Pſ.88. tantò antè prædixit: *b* γ Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis.

L. Vives. Deſcriptio captivitatu urbium. *a* FEcit hoc conſuetudo bellorum.] *Quintilianus quæ fieri captis ſoleant urbibus octavo libro ſcribit ad hunc modum: Effuſæ per domos ac templa flammæ & ruentium tectorum fragor, & ex diverſis clamoribus unus quidam ſonus. Aliorum fuga incerta. Alii in extremo complexu ſuorum cohærentes, & infantium fœminarúmque ploratus, & malo uſque in illum diem ſervati fato ſenes: tum illa profanorum ſacrorúmque direptio, efferentium prædas, repetentiúmque diſcurſus, & acti ante ſuum quisque prædonem catenati, & conata retinere infantem ſuum mater, & ſicubi majus eſt lucrum, pugna inter victores. Hactenus ille. Hæc verò interim fiunt, quia ut ſunt milites genus hominum inſolentiſſimum, ſine modo, ſine modeſtia ulla, temperare victoriæ cupiditati & libidini, & iræ ſuæ nequeunt: interim quia vi capto oppido niſi illa ad terrorem facerent, periculum eſſet, ne ipſis eſſent patienda.*

b Viſitabo.] *De filiis David dicitur Pſalmo octogeſimo octavo: Si boni non fuerint.*

F.L.Coq. α QUicquid igitur vaſtationis.] *Oroſius lib.7.cap.39.* Tertia die barbari, quam ingreſſi urbem fuerant ſponte diſcedunt, facto quidem aliquantarum ædium incendio, ſed ne tanto quidem, quanto 700. conditionis ejus anno caſus effecerat, nam ſi exhibitā Neronis Imperatoris ſui ſpectaculis inflammationem recenſeam, proculdubio nulla comparatione æquiparabitur, ſecundum id quod excitaverat laſcivia principis, hoc quod nunc intulit ira victoris. Hæc urbis clades, & vaſtatio, quæ ſub Alarico contigit, dici poteſt comminatio potius, quam illatum flagellum, qua Romani ſunt conterriti non proſtrati: mirum enim cum nec triennium ſufficeret diripiendis tot opibus, avaritiæ deditiſſimos barbaros triduana deprædatione contentos protinus diſceſſiſſe. *Oroſ. ibidem. Paul. Diacon. lib. 13. licet Marcellinus Comes ſexto die urbe egreſſum fuiſſe dicat, ſed fides magis habenda Oroſio illorum temporum ſcriptori.*

β Trunculentiſſimas, & ſæviſſimas mentes.] *Qui nimirum etiam terruit obſidentes Samariam, 4. Reg. 5. qui & Sennacherib, profligato ab Angelo illius exercitu fugere compulit 4. Reg. 19. Immo qui terruit Laban minitantem Jacob, & eum proſequentem, in direptione urbis barbarorum mentes terruit, & frænavit.*

γ Viſi-

γ Viſitabo in virga iniquitates eorum.] *Pſal. 88. de filiis Davidis, quos paterne ſe caſtigaturum & miſericorditer pollicetur Deus, quæ eadem promiſſio extat 2. Reg. 7. Videmus ita Deum ſæpius ſe geſſiſſe cum populo Iſrael, ut eos quidem viſitaret in virga, quia ab eo recedebant, & avitam religionem, & majorum ſanctiſſima inſtituta flocci faciebant: propter pios tamen viros, qui in illo populo nunquam defuerunt, miſericordiam ſuam non omnino auferebat ab eis, ut poſt exilium, & calamitates reditum in patriam, & conſolationes pollicetur. Ita Deus voluit juſtiſſime quidem per barbaros inferri tot clades urbi, propter ſcelera, quæ in ea committebantur, & quod maxime à vana ſuperſtitione non recederent: quia vero ibi etiam pii eſſent multi, & Chriſtiana fide inſignes, horum barbarorũ Deus mentes terruit, ne tantum ſævirent, & confugientibus ad baſilicas Apoſtolorum, vitam & libertatem donarent.*

CAP. VIII.

De commodis atque incommodis, quæ bonis ac malis plerunque communia ſunt.

DIcet aliquis: α Cur ergo iſta divina miſericordia etiam ad impios ingratóſque pervenit? Cur putamus, niſi quia eam ille præbuit, β qui quotidie facit oriri ſolem ſuum ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos? γ Quamvis quidam eorum iſta cogitantes, pœnitendo ab impietate ſe corrigant: quidam verò, ſicut Apoſtolus dicit, divitias bonitatis & longanimitatis Dei contemnentes, ſecundùm duritiam cordis ſui & cor impœnitens *b* theſaurizent ſibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui *c* δ reddet unicuique ſecundùm opera ejus: Tamen patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, ſicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Itémque miſericordia Dei fovendos amplectitur bonos, ſicut ſeveritas Dei puniendos corripit malos. ε Placuit quippe divinæ providentiæ præparare in poſterum bona juſtis, quibus non fruentur injuſti: & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Iſta verò temporalia bona & mala utriſque voluit eſſe communia, ut nec bona cupidius appetantur, ζ quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerunque afficiuntur. Intereſt autem plurimum *d* η qualis ſit uſus, vel earum rerum, quæ proſperæ, vel earum, quæ *e* dicuntur adverſæ. Nam his bonis temporalibus nec bonus extollitur, nec malus frangitur, malus autem ideò hujuſcemodi infœlicitate punitur, quia fœlicitate corrumpitur. Oſtendit tamen Deus ſæpe etiam in his diſtribuendis evidentius operationem ſuam. Nam ſi nunc omne peccatum manifeſta plecteretur pœna, θ nihil ultimo judicio reſervari putaretur. Ruſſus ſi nullum peccatum nunc puniret apertè divinitas, nulla eſſe providentia divina crederetur. ι Similiter in rebus ſecundis, ſi non eas Deus quibuſdam petentibus evidentiſſima largitate concederet, non ad eum iſta pertinere diceremus. Itémque ſi omnibus eas petentibus daret, nonniſi propter talia præmia ſerviendum illi eſſe arbitraremur: nec pios nos faceret talis ſervitus, ſed potius cupidos & & avaros. Hæc quum ita ſint, quicun-

Matt. 5.

Rom. 2.

que boni malique pariter afflicti ſunt, non ideo ipſi diſtincti non ſunt, quia diſtinctum non eſt,quod utrique perpeſſi ſunt. Manet enim diſſimilitudo paſſorum etiam in ſimilitudine paſſionum,& licet ſub eodem tormento,non eſt idem virtus & vitium. Nam ſicut ſub uno igne aurum rutilat,palea fumat,& ſub eadem *f* ϰ tribula ſtipulæ comminuuntur,frumenta purgantur: λ nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: ita una eadémque vis irruens bonos probat,purificat, *g* eliquat: malos damnat, vaſtat, exterminat. Unde in eadem afflictione,mali Deum deteſtantur, atque blaſphemant: boni autem precantur & laudant. Tantum intereſt, μ non qualia,ſed qualis quiſque patiatur. Nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum,& ſuaviter fragrat unguentum.

L.Vives. *a* DIcet aliquis.] *Quum illa verba ſint de filiis David, hoc eſt, de piis dicta, quomodo ad impios quoque miſericordia Domini extenditur?*

Theſaurus. *b* Theſaurizent.] *Congregent. Nam theſaurus congregatio eſt tam bonarum rerum,quàm malarum.Hinc apud Græcos,* θησαυρὸς κακῶν,*& apud Plautum, theſaurus ſtupri.*

c Reddet.] *Vulgò habetur reddit. Auguſtinus melius: nam de futuro ſeculo loquitur Apoſtolus,& Græcè eſt,* ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ.

d Qualis ſit uſus.] *Terentius* ἑαυτὸν τιμωρούμενος. *Quæ quidem in homine dicuntur bona,*
Bona in humanis. *parentes,patriam incolumem,amicos,genus,cognatos.divitias. Atque hæc perinde ſunt,ut illius animus,qui ea poſſidet. Qui uti ſcit,ei bona: ei, qui non utitur rectè, mala. Hæc Terentius ex Platone multis in locis.*

e Dicuntur] *A populo veras rerum naturas ignorante.*

Tribulū. *f* Tribula.] *Tribulum ponit Vergilius inter inſtrumenta ruſtica primo Georgicon. Plinius libro decimo octavo: Meſſis ipſa alibi tribulis in area, alibi equorum greſſibus exteritur,alibi perticis flagellatur. Eſt ergo inſtrumentum,quo fruges maturæ in area teruntur. Id quomodo fiat,docet Varro libro de rebus ruſticis primo.*

g Eliquat.] *Liquidos facit, pertinet ad ſimilitudinem auri. Si quis velit paulò longius philoſophari,eliquantur charitate boni, ut in Canticis: Anima mea liquefacta eſt,ut dilectus loquutus eſt. Sed hæc perſequi, ſi quis hic voluerit, nullus erit finis. In ſacris libris commodius iſta.*

F.L.Coq. *a* DIcet aliquis: Cur ergo iſta divina miſericordia.] Certe judicia Dei abyſſus multa. *Pſ.* Inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. *Rom. 11.* Quis poterit ſcrutari vias ejus aut quis audebit ei dicere, operatus es iniquitatem? *Job. 36. nonnunquam immittit Deus mala, & adverſa indiſcriminatim in probos, & impios: ita cum decem tribus migrarunt in Aſſyrios, non eſt dubium tum aliquot pios, ut Tobiam, & alios exulaſſe, & cum famem trium annorum ſub Achab impio Rege à cultu Dei populum avertente pateretur Iſraël,reliquerat ſibi Dominus ſeptem millia virorum,qui non curvaverant genua ante Baal, qui & communium malorum participes fuere. Et ex regno Juda cum impiis etiam multi pii exularunt,ut Daniel, & ſocii.Nonnunquã tamen ita animadvertit Deus in impios, ut ſuos à malis,quæ immittit, liberet,ut juſtum Loth ab incendio Sodomorum; & de Rege*

Joſia

Joſia dicit ſcriptura, quod ob pietatem voluit eum Deus rapere, ne videret mala gentis ſuæ. Refert Niceph. lib. 3. c. 3. Chriſtianos, antequam obſideretur Hieroſolyma à Romanis, divinitus fuiſſe admonitos, ut civitate excederent, & in oppidum quoddam, cui Pella nomen erat, commigrarent, ut ſcilicet à piis diviniſque viris derelicta civitas divinam exciperet vindictam. Cum ergo Romæ in direptione ipſius urbis commixti fuerint fideles ſervi Dei, cum impiis idolorum cultoribus, non mirum ſi quemadmodum fideles tum participes fuere malorum urbi illatorum, ita etiam ad infideles impios ingratosque miſericordia Dei pervenerit.

β Qui quotidie oriri facit.] *Matth. 5. nomine ſolis & pluviæ intelliguntur omnia naturalia beneficia, quæ Deus in homines malos, juxta ac bonos confert.*

γ Quamvis enim quidam eorum iſta cogitantes.] Alii *(inquit)* animo ſecum reputantes Chriſti beneficium in terrendis hoſtibus, ad eum ab impietate converſi ſunt, alii vero nihil tot beneficiis moti ſunt, ut Chriſti bonus odor aliis ſit odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem: ita ſcilicet Nabuchodonoſor manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit. Pharao vero contra miſericordiſſimam Dei veritatem libero pugnavit arbitrio.

δ Reddet unicuique ſecundum opera ejus.] *Job. 34.* Opus hominis reddet ei, & juxta vias ſingulorum reſtituet eis. *Iſ. 3.* Dicite juſto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet. Væ impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei. *Prov. 12.* Juxta opera manuum ſuarum retribuitur unicuique.

ε Placuit quippe divinæ providentiæ.] *Non ex meritis, vel demeritis operum, ſed ex beneplacito ſuo alios Deus elegit ab æterno, quibus præparavit gloriam, & bona illa de quibus Apoſtolus 1. Cor. 2. & Iſa. 64.* Quod oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ Deus præparavit diligentibus ſe. *Rom. 8.* Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: *Alios verò juſtiſſimo judicio pœnis æternis reſervavit; Apud Paulum illi dicuntur vaſa miſericordiæ, hi vaſa iræ:* Ibunt hi in vitam æternam, alii vero in ignem æternum. *Dan. 12.* Multi de his qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium.

η Qualis ſit uſus.] *Bona enim ipſa temporalia ſunt ἀδιάφορα, quibus bene & male uti licet, ut cum boni, & mali ea poſſideant, utroſque tamen diſtinguat uſus ipſe. Siquidem boni illis bene utuntur, mali perperam, nec in earum rerum poſſeſſione meritum eſt, vel peccatum ullum, ſed in uſu, vel abuſu. Si quis enim illis legitime utatur, eoſque quo debet referat, bonus erit: Si vero illis fruatur, & in illis ultimo veluti conquieſcat, dicitur perverſe illis frui, quibus utendum eſt. Ita Plato in Euthidemo à rebus ipſis rerum uſum diſtinguit. Petrus Bleſenſis epiſt. 141.* Credo, divitias eſſe commendabiles ex honeſta occaſione quæſitas, ſi ſine luxu expendantur, in quantum exigit moderata neceſſitas. Abraham divitias poſſedit ad uſus licitos, multique Sanctorum Patrum in temporalium largitione effuſi, ſibi theſaurizaverunt in cœlo.

ζ Quæ mali quoque habere cernuntur.] *Cic. Tuſculana 5. Divitias cum quivis*

 indignus

indignus eas habere poſſit, in bonis non numerat: quod enim bonum eſt, id non quivis habere poteſt.

θ Nihil ultimo judicio reſervari putaretur.] *Statuit enim diē in quo judicaturus eſt orbem in æquitate: ne ergo putent impii, cum hîc ob peccata minime puniuntur, ſe evaſuros judicium Dei, nullum enim peccatum impune committitur. Verum ut etiam hic innoteſcat, non impune peccari in Deum, palam & manifeſte Deus aliquando peccatoribus infert ſupplicia: ſic aquis diluvii perdidit Deus genus humanum; ſic Sodomitas igne conſumpſit: ſic Ægyptios aquis maris ſuffocavit. Ita Schiſmaticos in deſerto terræ hiatus abſorpſit. Sed alia peccata in futurum reſervantur punienda, ut de peccato Idololatriæ commiſſo à filiis Iſraël Dominus dixit ad Moſen, Exod. 32.* In die ultionis viſitabo hoc peccatum eorum. *Lucifer Calaritanus lib. de Apoſtaticis Regibus ad Conſtantium multos oſtendit temporali felicitate potitos, qui cum eſſent impii haud dubie reſervabantur judicio Divino.* Vide, Conſtanti *(inquit)* tametſi contingat tibi in ſumma felicitate in hac temporaria verſari vita, tamen magis timere debes, quia Dei reſerveris judicio.

ι Simpliciter in rebus ſecundis.] *Intelligendum (inquit) res etiam ſecundas in præſenti vita ad Deum pertinere, neque tamen propter talia præmia Deo ſerviendum eſſe: Siquidem is eſſet ordo perverſus, idque eſſet uti fruendis, & frui utendis, ut alibi loquitur Auguſt. Ut ergo intelligamus, ea ad Deum etiam pertinere, cujus eſt orbis terrarum, & plenitudo ejus, magna largitate ea aliquibus concedit, nec tamen ea omnibus petentibus dat, ne ſubeat animum noſtrum aliqua cogitatio, propter temporalia bona fluxa, & caduca illi ſerviendum eſſe. Multis quidem ſanctiſſimis viris Deus abundantes divitias largitus eſt, Abrahamo, Iſaac, Jacob, Davidi, Salomoni, Joſaphat, qui tamen ut illa temporalia conſequerentur, vel ne ea amitterent, Deo minime ſibi ſerviendum judicabant. Deo enim propter Deum ipſum ſerviendum eſt, & ſupremus cultus deferendus, ut propter ſe ipſum amandus eſt ſumme bonus in ſeipſo exiſtens, idque primo, ac prima mentis intentione. Si quis enim eum amet ſecundaria quadam, ac minus principali intentione ut bonum proprium, eique ſerviat ut ab eo expectans beatitudinem, ſeu vitam æternam, nullum erit peccatum, nec perverſe id fiet.* Nam Moſes ipſe adſpiciebat in remunerationem, *Hebr. 11. & David:* Inclinavi cor meum ad juſtificationes tuas in æternum propter retributionem.

κ Eadem tribula.] *Genus vehiculi quo frumenta in area teruntur. utitur hac voce Virgil. 1. Georg. meminit & ejus Varro lib. 1. cap. 52. Colum. lib. 2. cap. 21.*

λ Nec ideo cum oleo amurca confunditur.] *Scribit Galen. lib. 1. de Simplicibus cap. 17. in univerſis liquoribus, qui ex fructibus exprimuntur, craſſum deferri quidpiam, quod ſpatio temporis ſubſidet, & vocatur fex in vino, & in oleo amurca.* Alii tamen & in oleo feces agnoſcunt, & ab amurca diſtinguunt, ut ſordes olei quæ præcedunt, amurca dicuntur; quæ ſequuntur, feces. *Utitur & hac voce D. Auguſt. in Pſal. 80.* In torcularibus, *inquit,* evadentium quædam tria, preſſuram, & de preſſura quædam duo, unum recondendum, & alterum projiciendum: Fit ergo in torculari conculcatio, tribulatio, pondus, & in his oleum eliquatur, occulte in gemellarium, amurca publice per plateas currit. *Et infra:* nigra tene-

bris

bris ignorantia amurca inſultet, & illa tanquam per plateas publice projecta inſultet. *Et lib. 50. homil. 8.* Potens eſt Deus ut illos convertat ad bonum, & qui nunc paleæ eſſe videntur, de zizaniis, in triticum, de amurca, in oleum tranſeant. *Et tom. 9. ſerm. de tempore barbarico:* Si oleum es, quid times preſſuram preli? non declarabitur ſpecies tua niſi etiam pondus lapidis à te ſeparaverit amurcam.

μ Non qualia, ſed qualis quisque patiatur.] *Beatos prædicat Chriſtus non quotquot patientur, ſed qui propter juſtitiam, Matth. 5.* Non facit Martyres pœna, ſed cauſa, *ut ſcribit lib. 7. contra Creſconium Grammaticum c. 48. epiſt. 61. & 167. & lib. 1. contra Gaudentium cap. 20.* Multi toleraverant tormenta vitio, non virtute, pertinacia non conſtantia, diabolo poſſidente, non perſequente.

CAP. IX.

De cauſis corruptionum, propter quas & boni & mali pariter flagellantur.

QUid igitur α in illa rerum vaſtitate Chriſtiani paſſi ſunt, quod eis non magis fideliter iſta conſiderantibus ad profectum valeret? Primò, quòd β ipſa peccata, quibus Deus indignatus implevit tantis calamitatibus mundum, humiliter cogitantes, quamvis longè abſint à facinoroſis, flagitioſis atque impiis, tamen non uſque adeò ſe à delictis deputant alienos, ut nec temporalia pro eis mala perpeti ſe judicent indignos. Excepto enim, quòd unusquisque, quamlibet laudabiliter vivens, a cedit in quibusdam carnali concupiſcentiæ, & ſi non ad facinorum immanitatem & gurgitem flagitiorum, atque impietatis abominationem, ad aliqua tamen peccata vel rara vel tantò crebriora, quantò minora. Hoc ergo excepto, quis tandem facilè reperitur, qui eosdem ipſos, γ propter quorum horrendam ſuperbiam, luxuriam & avaritiam, atque execrabiles iniquitates & impietates, Deus, ſicut b minandò prædixit, conterit terras, ſic habeat, ut habendi ſunt: ſic cum eis vivat, ut cum talibus vivendum eſt: δ Plerunque enim ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis, & corripiendis malè diſſimulatur: vel cùm laboris piget, vel os eorum verecundamur offendere: vel cùm eorum inimicitias devitamus, ne impediant, & noceant in iſtis temporalibus rebus: ſive quas adipiſci adhuc appetit noſtra cupiditas, ſive quas amittere formidat infirmitas: ita ut (quamvis bonis vita malorum diſpliceat, & ideo cum eis non incidant in illam damnationem, quæ poſt hanc vitam talibus præparatur: tamen quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt, dum eos in ſuis licet levibus & venialibus metuunt) jure cum eis temporaliter flagellentur, quamvis in æternum minimè puniantur. Jure iſtam vitam, quando divinitus affliguntur cum eis, amaram ſentiunt, cujus amando dulcedinem peccantibus eis amari eſſe noluerunt. ε Nam ſi propterea quisque objurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipſis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant infirmos alios, & premant atque avertant à fide,

 non

non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis. *c* Illud eſt culpabile, quòd hi, qui diſſimiliter vivunt, & à malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ de docere & objurgare deberent, dum eorum offenſiones cavent, ne ſibi noceant in his rebus, quibus licitè boni atque nocentes utuntur: ſed cupidius quàm oportebat eos, qui in hoc mundo peregrinantur, & ſpem ſupernæ patriæ *d* præ ſe gerunt. Non ſolùm quippe infirmiores vitam ducentes conjugalem, filios habentes, vel habere quærentes, domos ac familias poſſidentes: ζ quos Apoſtolus in Eccleſia alloquitur, docens, & monens quemadmodum vivere debeant & uxores cum maritis, & mariti cum uxoribus: & filii cum parentibus, & parentes cum filiis: & ſervi cum dominis, & domini cum ſervis: multa temporalia, multa terrena libenter adipiſcuntur, & moleſtè amittunt: propter quæ non audent offendere homines, quorum ſibi vita contaminatiſſima & conſceleratiſſima diſplicet: verum etiam hi, η qui ſuperiorem vitæ gradum tenent, nec conjugalibus vinculis irretiti ſunt, & victu parvo ac tegumento utuntur, plerunque ſuæ famæ ac ſaluti conſulentes, dum inſidias atque impetus malorum timent, ab eorum reprehenſione ſeſe abſtinent. Et quamvis non in tantum eos metuant, ut ad ſimilia perpetranda quibuslibet eorum terroribus atque improbitatibus cedant: ea ipſa tamen, quæ cum eis non perpetrant, nolunt plerunque corripere, cùm fortaſſe poſſint aliquos corripiendo corrigere: ne ſi non potuerint, ſua ſalus ac fama in periculum exitiúmque perveniant. Hoc non ea conſideratione, qua ſuam famam ac ſalutem vident eſſe neceſſariam utilitati erudiendorum hominum, ſed ea potius infirmitate, qua delectat lingua blandiens *e* & humanus dies: & reformidatur vulgi judicium, & carnis excruciatio, vel peremptio: hoc eſt, propter quædam cupiditatis vincula, non propter officia charitatis. θ Non mihi itaque videtur hæc parva eſſe cauſa, quare cum malis flagellentur & boni, quando Deo placet perditos mores etiam temporalium pœnarum afflictione punire. Flagellantur enim ſimul, non quia ſimul agunt malam vitam, ſed quia ſimul amant temporalem vitam: non quidem æqualiter, ſed tamen ſimul, quam boni contemnere deberent, ut illi correpti atque correcti conſequerentur æternam: ad quam conſequendam ſi nollent eſſe ſocii, *f* ferrentur & diligerentur inimici: quia ι donec vivunt, ſemper incertum eſt, utrum voluntatem ſint in melius mutaturi. Qua in re non utique
Ezech. 33. parem, ſed longè graviorem habent cauſam, quibus *g* per Prophetam dicitur: Ille quidem in ſuo peccato morietur, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram. *h* κ Ad hoc enim ſpeculatores, hoc eſt, populorum præpoſiti conſtituti ſunt in eccleſiis, *i* ut non parcant objurgando peccata. Nec ideò tamen ab hujuſcemodi culpa penitus alienus eſt, qui licet præpoſitus non ſit, in eis tamen, quibus vitæ hujus neceſſitate conjungitur, multa monenda, vel arguenda novit, & negligit, devitans eorum offenſiones, propter illa, quibus in hac vita non indebitis utitur, ſed plus quàm debuit delectatur. Deinde λ habent aliam cauſam boni, quare temporalibus affligantur malis: qualem habuit *k* Iob: ut
MS. c. 10. incipit. ſibi ipſe humanus animus ſit probatus & cognitus, μ quanta virtute pietatis gratis

tis Deum diligat. Quibus rectè conſideratis atque perſpectis, attende, utrum aliquid mali acciderit fidelibus & piis, quod eis non in bonum vertetur: niſi fortè putandum eſt, Apoſtolicam illam vacare ſententiam, ubi ait: *l* Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom.8.

a SEdit in quibusdam.] *Tam penitiſſimè viſceribus noſtris hæret Venereæ rei cupiditas, tam ingenitus eſt à natura nobis ille appetitus, quem ſubtiliſſimè magna illa artifex omnium animantium pectoribus indidit, quo vel aliud agentes ſtirpem propagaremus, ut ne cogitare quidem de explenda cupiditate illa poſſimus, quin voluptate neſcio qua occulta tangamur, quam plerique nimium veniale peccatum eſſe volunt.* L.Vives.

b Minando prædixit.] *Sæpe per prophetas, ut Eſaiam & Hieremiam.*

c Illud eſt culpabile.] *Cicero in Officiis: Sunt enim, qui quod ſentiunt, etſi optimum ſit, tamen invidiæ metu non audent dicere.*

d Præ ſe gerunt.] *Velut ducem itineris.*

e Et humanus dies.] *Paulus 1.Cor.4. Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Eſt humanum judicium, quo quis ab hominibus benè vel malè audit: cui contrarius eſt dies Domini, qui intima cordis ſcrutatur & judicat.*

f Ferrentur & diligerentur.] *Non ferendi ſolùm ſunt mali, ſed etiam diligendi, præcipiente domino, ut inimicos quoque diligamus. Matth.5.*

g Per Prophetam.] *Ezechielis 33. Quòd ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem ejus de manus ſpeculatoris requiram.*

h Ad hoc enim ſpeculatores.] *Eſt ἐπίσκοπος ſpeculator, & obſervator, & cuſtos, & præfectus. Cicero ad Atticum lib.7. Vult enim me Pompejus eſſe, quem tota hæc Campania & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & negotii ſumma referatur. Andromache apud Homerum Iliad. ω. Hectorem appellat Trojæ ἐπίσκοπον. Athenienſes, quos ad ſtipendiarias ſubditáſque civitates mitterent, ut quid in quaque ageretur diligenter inſpicerent, obſervaréntque, epiſcopos dixerunt, & φύλακας, quos Lacedæmonii ἁρμοστὰς. Præfectos annonæ jureconſultus Archadius epiſcopos nominavit. Sunt qui τὸ ἐπὶ in eo nomine redundare arbitrentur: de quorum numero eſt Euſtathius Homeri interpres: & σκοπὸν & ἐπίσκοπον idem eſſe.*

i Ut non parcant.] *Sic Paulus ad Titum,* ut faciunt hoc tempore noſtri epiſcopi, quos non ſine ingenti dolore paſſim videmus ad martyrium agi, quòd nimis amarum dicant veritatem, & vitia inſectentur, contemptis epiſcopatuum annuis proventibus, ita ſervet eos Chriſtus.**

k Iob.] *Nota eſt hiſtoria, de quo Hieronymus ſuper eundem: Sed hæc Iob contigerunt, ut appareat foris hominibus, quod intrinſecus erat ante Deum.*

l Scimus quoniam.] *Ad Rom. 8. Et adverſa & proſpera meritum bonis augent: nihilque eſt, quod non ipſi in incrementa ſuarum virtutum convertant.*

a IN illa rerum vaſtitate Chriſtiani paſſi ſunt.] *D. Hieronymus præfatione in Ezechielem lib.3. teſtatur, capta urbe multos Chriſtianorum profugos Hieroſolymam* F.L.Coq.

mam navigaſſe, & in Bethleem exceptos hoſpitio mendicantes quondam nobiles utriusque ſexus, atque omnibus divitiis affluentes.

β Ipſa peccata quibus Deus indignatus.] *Non alio refert ſcriptura tot flagella & calamitates in mundum ſæpius immiſſas, quàm in hominum ſcelera. Daniel. 9. calamitates populi refert in ipſorum peccata Deut. 28. & paſſim in ſcriptura. Chryſoſt. hom. 5. de pœnit.* malorum omnium conſtat peccatum eſſe cauſam: Ex peccato triſtitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes quotquot nos premunt paſſiones. *Idem homil. 1. de verbis Iſ. vidi Dominum:* peccata *(inquit)* cuncta ſorſum, deorſum miſcuerunt; illa quicquid eſt calamitatum invexerunt; illa armarunt hoſtes; illa fecerunt ut victi diſcederemus: non aliunde malorum examen invadit, quam ex hac cauſa. *Eadem Nazianz. orat. in plagam grandinis. D. Hieron. epiſt. 3. ad Heliodorum:* Noſtris, *inquit*, peccatis barbari fortes ſunt, noſtris vitiis Romanus ſuperatur exercitus.

γ Propter quorum horrendam ſuperbiam.] *Iſ. 23. Excidii Tyri cauſam refert in ſuperbiam civium. 24. deſolationem orbis deſcribens:* Terra, *inquit*, infecta eſt ab habitatoribus ſuis, quia tranſgreſſi ſunt leges, mutaverunt jus, diſſipaverunt fœdus ſempiternum, propter hoc maledictio vorabit terram.

δ Plerumque enim ab eis docendis, admonendis,] *Hæc ſunt opera charitatis, quæ erga proximos nobis ſunt exercenda, Jacobi 5.* qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum. *Auguſt. ſerm. 16. de verbis Domini:* Si negligis corrigere, pejor eo factus es qui peccavit.

ε Nam ſi propterea quiſque.] *D. Thom. 22. quæſt. 33. art. 2. ad 3. docet, correptionem fraternam aliquando meritorie, & ex charitate omitti poſſe, & citat hunc locum D. Auguſt. aliquando vero omiſſio correptionis fraternæ peccatum eſt mortale, ut ſi quis probabiliter de delinquente præſumat, quod poſſit eum à peccato retrahere, propter timorem tamen, vel cupiditatem omittit correptionem. Verum erit peccatum veniale, hæc omiſſio, ſi timor & cupiditas tardiorem faciat hominem ad corrigenda fratris delicta: ita tamen ut ſi ei conſtaret, quod fratrem poſſet á peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem non omitteret, quibus in animo ſuo præponit charitatem fraternam. Atque hoc modo viri ſancti quandoque negligunt corrigere delinquentes, in quo culpa omnino eos non carere docet, ut qui propterea aliquando temporaliter affligantur cum improbis, etſi cum eis in æternum minime puniantur, ob peccata enim venialia obnoxii ſunt hujuſmodi temporalibus pœnis: verum improbi ob mortalia etiam æternis ſubjiciuntur. Vide Sotum Relect. de ratione tegendi & deteg. ſecretum memb. 2. quæ. 2.*

ζ Quos Apoſtolus in Eccleſia alloquitur.] *Epheſ. 5. & 6.*

η Qui ſuperiorem vitæ gradum tenent.] *Varii ſunt hominum ſtatus in Eccleſia, alii enim conjugalem, alii cœlibem vitam agunt,* ſed cœlibatus conjugio longe perfectior, & ſuperior ſtatus, ut D. Paul. 1. Corin. 7. ſcribit,* & D. Hieron. fuſe contra Jovin. docet, & D. Auguſt. his verbis.*

θ Non mihi itaque videtur hæc parva eſſe cauſa.] *Temporales calamitates, quæ juſtis*

juſtis ſæpius immittuntur, & quarum participes ſunt cum improbis, eò refert quod timore vel cupiditate quadam omittant eos corripere, vel docere, vel monere, vel etiam objurgare, & in univerſum conſulere ea charitate, quam debent proximorum ſaluti.

ι Donec vivunt ſemper incertum eſt.] *Tutior pars ſemper eſt eligenda, maxime in re tanti momenti, ubi agitur de ſalute proximi. Si ergo dubium ſit. An correptione emendandus ſit frater, necne? certe correptione utendum erit, nec ad id opus eſt ſcire vel certo, vel etiam probabiliter, correptionem profuturam. Et quamdiu hic vivitur, de nullius ſalute deſperandum eſt, cum peccatores etiam graviſſimi nonnunquam reſipiſcant, & ad ſaniorem mentem redeant. D. Auguſt. lib. de corrept. & gratia, cap. 15.* neſcientes quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, & quis non pertineat, ſic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus ſalvos fieri. *Ibidem:* Ad nos, qui neſcimus quisnam ſit filius pacis aut non ſit, pertinet, nullum exceptum facere nullumque diſcernere: ſed velle omnes ſalvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem, *c. 16.* quantum ad nos pertinet, qui prædeſtinatos à non prædeſtinatis diſcernere non valemus, & ob hoc omnes ſalvos fieri velle debemus, omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda eſt à nobis medicinaliter ſevera correptio, Dei autem eſt, illis eam facere utilem, quos ipſe præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui.

κ Ad hoc enim ſpeculatores, hoc eſt, populorum præpoſiti.] *Docet, correptionem fraternam cum ſit actus charitatis, ad omnes quidem pertinere, potiſſimùm autem ad prælatos, quibus ex officio incumbit corripere ſubditos: correptio enim fraterna Eleemoſyna eſt ſpiritualis. Unde ſi omnes ad Eleemoſynam corporalem obligantur, ad ſpiritualem etiam obligabuntur, cum magis conſulendum ſit vitæ ſpirituali proximi, quàm corporali. Matth. 15, his verbis:* Si peccaverit in te frater tuus, omnibus præceptum datur. *Unde decepti ſunt quidam interpretes juris Canonici 24. q. 3. can. tam ſacerdotes, ubi ad prælatos hoc præceptum tantùm volunt pertinere. Certe habent adverſarium ſibi hoc loco D. Auguſt. & D. Tho. 2. 2. q. 33. art. 3. Theologos in quarto diſt. 19. Decèpti ſunt vero ex ipſis verbis canonis, ubi habetur, alios tantum teneri ex charitate, unde exiſtimarunt non eſſe præceptum, nec adverterunt, non omnia præcepta ad juſtitiam pertinere, ſed multa propria eſſe charitatis. Prælati quidem arctius tenentur præcepto correptionis, quàm privati homines, quibus ex officio non incumbit cura animarum, nemo tamen ab eo præcepto excipitur.*

λ Habent aliam cauſam boni.] *Chryſoſt. hom. 1. ad populum Antioch. octo cauſas enumerat variæ & omnimodæ ſanctorum afflictionis in hoc mundo, quas ſigillatim ex Scripturis confirmat.*

μ Quanta virtute pietatis, gratis Deum diligat.] *Chryſoſt. ibid de Jobo loquens:* Dominus volens demonſtrare, *inquit*, quod non ipſum ſancti colunt propter mercedem, omnem ipſius ſubſtantiam abſtulit, & paupertati tradidit. Sanctis enim hoc in remunerationem & retributionem ſufficit, Deum venerari: *id tamen intellige, ſanctos Deum colere non quidem intuitu temporalium bonorum, quæ arbi-*

E *trantur*

trantur ut ſtercora, ſed præmii æterni, ſecundo tamen loco, cum prima intentione Deum propter ipſum ament, ac debito cultu eum venerentur.

Cap. X.

Quòd ſanctis in amiſſione rerum temporalium nihil pereat.

AMiſerunt α omnia, quæ habebant: β Nunquid fidem? nunquid pietatem? nunquid *a* interioris hominis bona, qui eſt ante Deum dives: γ Hæc ſunt
1. Pet. 3. opes Chriſtianorum, quibus opulentus dicebat Apoſtolus: Eſt autem quæſtus
1. Tim. 6. magnus pietas cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, ſed nec auferre quid poſſumus: habentes autem victum & tegumentum, his contenti ſimus. δ Nam qui volunt divites fieri, ε incidunt in tentationem & laqueum, & deſideria multa ſtulta & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix eſt enim omnium malorum *b* avaritia, quam quidam appetentes, à fide pererraverunt, & inſeruerunt ſe *c* doloribus multis. Quibus ergo terrenæ divitiæ illa vaſtatione perierunt, ſi eas ſic habebant, quemadmodum *d* ab iſto foris paupere, intus divite audierant: id eſt, ſi mundo utebantur tanquam
1. Cor. 7. non utentes, potuerunt dicere, quòd ille graviter tentatus, & minimè ſuperatus,
Iob. 1. *e* Nudus exii de utero matris meæ, nudus in terram revertar. Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Ut bonus ſervus magnas facultates haberet ipſam ſui domini voluntatem, cui pediſſequus mente diteſceret, nec contriſtaretur eis rebus vivens relictis, quas fuerat citò moriens relicturus. Illi autem infirmiores, qui terrenis his bonis, quamvis ea non præponerent Chriſto, aliquantula tamen cupiditate cohærebant, quantum hæc amando peccaverint, perdendo ſenſerunt. Tantum quippe doluerunt, quantum ſe doloribus inſeruerunt: ſicut Apoſtolum dixiſſe ſuprà commemoravi. Oportebat enim, ut eis adderetur etiam experimentorum diſciplina, quibus fuerat tamdiu neglecta verborum. nam cùm dixit Apoſtolus, Qui volunt divites fieri, in tentationem incidunt, &c. profectò ζ in divitiis cupiditatem reprehendit, non facultatem, *f* qui præcepit alibi dicens,
1. Tim. 6. Præcipe divitibus hujus mundi, non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum ſuarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abundanter, ad fruendum: bene faciant, *g* divites ſint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Hæc qui de ſuis faciebant divitiis, magnis ſunt lucris levia damna ſolati: plúſque lætati ex his, quæ facilè tribuendo *h* tutius ſervaverunt, quàm contriſtati ex his, quæ timidè retinendo facilius amiſerunt. Hoc enim potuit in terra perire, quod piguit inde transferre. Nam qui receperunt conſilium Do-
Matt. 6. mini ſui dicentis: Nolite condere vobis in terra theſauros, ubi tinea & rubigo exterminant, & ubi fures effodiunt & furantur, ſed theſaurizate vobis in cœlo theſauros, quò fur non accedit, neque tinea corrumpit: ubi enim eſt theſaurus tuus, & ibi erit & cor tuum: tribulationis tempore probaverunt, quàm rectè ſapuerint, non contemnendo veraciſſimum præceptorem, & theſauri ſui fideliſ-

ſimum

ſimum invictiſſimúmque cuſtodem. Nam ſi multi ſunt gaviſi, ibi ſe habuiſſe divitias ſuas, quò contigit, ut hoſtis non accederet, quanto certius & ſecurius gaudere potuerunt, qui monitu Dei ſui illuc migraverant, quò accedi omnino non poſſet. *i* η Unde Paulinus noſter, Nolenſis Epiſcopus, ex opulentisſimo divite, voluntate pauperrimus, & copioſiſſimè ſanctus, θ quando & ipſam Nolam barbari vaſtaverunt, cùm ab eis teneretur, ſic in corde ſuo, ut ab eo poſtea cognovimus, precabatur: Domine, non excrucier propter aurum & argentum: ubi enim ſint omnia mea, tu ſcis. Ibi enim habebat omnia ſua, ubi eum condere, & theſaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixerat. Ac per hoc qui domino ſuo monenti obedierant, ubi & quomodo theſaurizare deberent, nec ipſas terrenas divitias barbaris incurſantibus amiſerunt. Quos autem non obediſſe pœnituit, quid de talibus rebus faciendum eſſet, ſi non præcedente ſapientia, certè conſequente experientia didicerunt. At enim quidam boni etiam Chriſtiani tormentis excruciati ſunt, ut bona ſua hoſtibus proderent. ι Illi verò nec prodere, nec perdere potuerunt bonum, *k* κ quo ipſi boni erant. λ Si autē torqueri, quàm *l* mammona iniquitatis prodere maluerunt, boni non erant. Admonendi autem fuerant, qui tanta patiebantur pro auro, μ quanta eſſent ſuſtinenda pro Chriſto: ut eum potius diligere diſcerent, qui pro ſe paſſos æterna felicitate ditaret, non aurum & argentum, pro quo pati miſerrimum fuit, ſeu mentiendo occultaretur, ſeu verum dicendo proderetur. Namque inter tormenta nemo Chriſtum confitendo amiſit, nemo aurum niſi negando ſervavit. Quocirca utiliora erant fortaſſe tormenta, quæ bonum incorruptibile amandum docebant, quàm illa bona, quæ ſine ullo utili fructu dominos ſui amore torquebant. Sed quidam etiam non habentes quod proderent, dum habere creduntur, torti ſunt. Et hi fortè habere cupiebant, nec ſancta voluntate pauperes erant: quibus adminiſtrandum fuit, nec facultates, ſed ipſas cupiditates talibus eſſe dignas cruciatibus. Si verò melioris vitæ propoſito reconditum aurum argentúmque non habebant, neſcio quidem, utrum cuiquam talium acciderit, ut dum habere creditur, torqueretur. Veruntamen etiam ſi accidit, profecto qui inter illa tormenta paupertatem ſanctam confitebatur, Chriſtum confitebatur. Quapropter etſi non meruit ab hoſtibus credi, non potuit tamen ſanctæ paupertatis confeſſor ſine cœleſti mercede torqueri.

Paulinus Nolenſis Epiſcopus.

L. Vives.

a INterioris hominis.] *Mentis: ſic ſæpe apud Paulum.*

b Eſt avaritia.] *Vulgò eſt cupiditas, ſed melius Auguſtinus.* φιλαργυρία *enim eſt Græcè.*

c Doloribus multis.] *Hactenus verba Pauli.*

d Ab iſto.] *A Paulo.*

e Nudus exii.] *Verba ſunt Iob, conſolantis ſe ſuper amiſſis opibus & liberis.*

f Qui præcipit alibi.] *Paulò pòſt eodem cap. 6. 1. ad Timoth.*

g Divites ſint in operibus bonis.] *Iſtis rebus erunt divites.*

h Tutius ſervaverunt.] *Qui theſaurizarunt ſibi ſempiternum in cœlo theſaurum,*

rum, ex eo quòd benignè pauperibus impertiti ſunt: quod declarat illud, quód ſequitur ex Matth. 6. cap. & ſunt Chriſti verba.

i Unde Paulinus noſter.] *Gothi poſt direptam urbem Romam per Latium, Volſcos, Campaniam, Calabros, Salentinos, Apulos, Brutios longè & latè ſparſi vagantes, & velut ingens quædam calamitas vaſtantes univerſa, Conſentiam venerunt: poſt quadraginta annos Genſericus cum Vandalis & Mauris, capta Roma totum Campaniæ tractum populatus eſt, Nolámque miſerabili ruina diruit. Hoc tempore, ut Paulus Diaconus refert, Paulinus Epiſcopus Nolanæ eccleſiæ, vir ſanctiſſimus, & ſicut Gregorius ſcribit, eloquentiſſimus profanáque eruditione in primis doctus, nec prophetici ſpiritus expers, quum redimendis Chriſtianis captivis cenſum omnem conſumpſiſſet, viderétque viduam captivum filium afflictim lugentem & lamentantem, támque immodicas lachrymas pietati admixtas, multò magis pius ipſe ferre non poſſet, cum vidua in Aphricam, ubi captivus erat filius, trajecit, ibi vicariis manibus redemptum filium matri reddidit. Paulinus verò quum ejus ſanctitas etiam barbariſſimis eſſet hominibus venerabilis, juſſus eſt in patriam cum ſuis omnibus civibus dono acceptis redire. De qua re fuſius Gregorius Romanus Pontifex lib. Dialog. III. Sed credo, Auguſtinum non de his loqui temporibus, quibus ipſe ad cœleſtem illam vitam commigrarat, ſed de primis illis Gotthorum.*

k Quo ipſi boni.] *Virtutem, quam nemo eripere poteſt, & hac ſola eſt bonum, quæ poſſidentes bonos facit: Nam ſi opes ſunt bona, ut inquit in Paradoxis Cicero, cur non reddunt poſſidentes bonos?*

Mammona. *l* Mammona iniquitatis.] *Mammona vox eſt Syra, ut Hieronymus inquit, quæ apud eos opes ſignificat, quod apud Græcos πλοῦτος: Auguſtinus in ſermone de verbis Domini, & in quæſtionibus Evangelii, Mammon Punicè lucrum eſſe dicit, multíſq; in verbis vicinas eſſe linguas, Hebræam & Afram.*

F.L. Coq. *a* A Miſerunt omnia quæ habebant.] *Occurrit objectioni, atque ex hoc loco diſce quæ ſint veræ hominis Chriſtiani divitiæ.*

β Num quid fidem?] *Recte D. Hieron.* Ejus qui fidelis eſt, totus mundus divitiarum: ejus autem qui infidelis eſt, neque obulus. *Nota eſt hiſtoria Benevoli, qui contemnens omnes minas Imperatricis Juſtinæ maluit cedere dignitatis gradu, quàm fidem prodere, & amittere. Vide & quid reſpondeat Baſilius Modeſto præfecto Valentis Imperatoris Arriani, ſibi exilium & alia minitanti apud Greg. Nazianz. orat. in Baſilium, Niceph. lib. 11. cap. 18. Socrat. lib. 4. cap. 21. Theodoret. lib. 4. cap. 17. Sozomenum lib. 6. cap. 16. Veris enim Chriſtianis id inprimis ſemper curæ fuit, ne fidem, & pietatem proderent, reliqua vero flocci fècerunt. Gregor. Nazianz. orat. 36.* Diſpendium *(inquit)* ac detrimenta omne tum in pecuniis & facultatibus, tum in corporibus æquo ferte animo, hoc autem unum nunquam patiamini, ut divinitas vobis pereat, & extorqueatur. *Chryſ. ſerm. contra Gentes, tyrannorum ſtultitiam ſubſannat, qui omnem conatum adhibuerunt, ut fidem è mentibus fidelium extorquerent.* Irridemus, *inquit*, multiplices, eoſque ſupervacuos illorum adverſus nos conatus: neque enim ſi adamantina, atque immortalia nobis corpora ineſſent, ſcorpios, ſerpentes, ignem manibus conſtringentes timeremus, quinimo

imo & hujus rei periculum vulgo oſtentantes faceremus. Eadem ratione ne ipſi quidem poſtea quam animos noſtros, fidemque in nobis tantam ſtabilivit Chriſtus, hoſtium noſtrorum venenis petiti timemus: nam ſi nobis imperatum eſt, ſuper ſerpentes, & ſcorpios, ſuper omnem item diaboli tyrannidem ambulare, multo magis ſuper lumbricos, & ſcarabæos. *Theodoret. lib. 7. de Curandis Græcorum affection. Loquutus de tormentis quæ tyranni in ſervos Dei excogitarunt:* Et tamen, *inquit*, cum tot cruciatus, multoque plures etiam adverſum Chriſtianos commmenti eſſent, moris ſiquidem erat illos verberibus cædere, mutilationibus obtruncare, perdere modis omnibus, & corrumpere, fidei theſaurum furati certe non potuerunt.

γ Hæ ſunt opes Chriſtianorum.] *Servi enim Dei non reputant divitias, eas quas alioquin mundus magni facit. Idem lib. 2. quæ. Evang. q. 34.* Nec ſunt iſtæ divitiæ niſi iniquis, qui in eis conſtituunt ſpem atque copiam beatitudinis ſuæ. A juſtis vero cum hæc poſſidentur, & quidem iſta pecunia, ſed non ſunt tamen illis divitiæ, niſi cœleſtes & ſpirituales, quibus indigentiam ſuam ſpiritualiter ſupplentes excluſa egeſtate miſeriæ beatitudinis copia ditabuntur. *Chryſoſt. in ea verba Apoſt. Rom. 1.* Gratias ago Deo meo, quod fides veſtra annunciatur. Obſerva, *inquit*, propter quid gratias agat hic Paulus. Certè non propter terrena, & peritura, ut ſunt principatus, poteſtas, & gloria, nullius enim iſta ſunt æſtimanda. Agit autem gratias pro veris bonis, pro fide, & Chriſtiana fiducia. *Cum Gentiles Chriſtianis paupertatem objicerent, ita reſpondit Minutius, in Octavio.* Quod plerique pauperes dicimur, non eſt infamia noſtra, ſed gloria: animus noſter ut luxu ſolvitur, ita frugalitate firmatur: Et tamen quis poteſt pauper eſſe, qui non eget, qui non inhiat alieno? qui Deo dives eſt? *Ibidem.* Ut qui viam terit eo felicior, quo levior incedit; ita beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate ſe ſublevat, non ſub divitiarum onere ſuſpirat; Et tamen facultates ſi utiles putaremus, à Deo poſceremus: utique indulgere poteſt aliquantulum, cujus eſt totum: Sed nos contemnere malumus opes, quàm continere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus; malumus nos bonos eſſe, quam prodigos. *Cicer. Parad. 6.* Animus hominis dives, non arca appellari ſolet, quamvis illa ſit plena, dum te inanem video, divitem non putabo. *Ibidem:* Quis dubitet, quin in virtute divitiæ poſitæ ſint, quoniam nulla poſſesſio, nulla vis auri, & argenti pluris, quam virtus æſtimanda eſt. *Plato epiſt. 7. ad Dionis propinquos:* ὁ δὲ τοὺς πλουσίους εὐδαίμονας ὀνομάζων λόγος αὐτός τε ἄθλιος γυναικῶν καὶ παιδῶν ὢν ἀνὲς. *Si divitias mirimi fecerunt, qui recte philoſophati ſunt apud Gentiles, & ſola animi bona, virtutes nimirum in pretio habuerunt; an non Chriſtiano cogitandum eſt, cujus eſt quærere ea quæ ſurſum, & non quæ ſuper terram, & omnia arbitrari, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciat, eas eſſe ſuas veras opes, & quidem ſolas, quibus Deo gratum ſe exhibet, in eumque tendit, ſcilicet fidem, & pietatem.*

δ Nam qui volunt divites fieri.] *D. Jacob. divitiarum amiſſionem oſtendit Chriſtiano non eſſe aut timendam, aut deplorandam, cum ex his multæ mala ſequantur, atque cum id Apoſtolus paſſim doceat, ut cum vocat avaritiam idolorum ſervitutem,*

tutem, etiam citat locum 1. Cor. 7. ubi docet radicem eſſe omnium malorum, & inprimis multarum hæreſum.

ε Incidunt in tentationem.] *Divitias ab iniquitate nomen accepiſſe, & iniquas à Domino appellari, quod præbeant materiam multarum iniquitatum; immo incitamenta ſunt ad omnes iniquitates, exponit D. Ambr. in comment. cap. 16. Lucæ.*

ζ In divitiis cupiditatem reprehendit, non facultatem.] *D. Hieron. epiſt. ad Salvinam 9.* Nec diviti obſunt opes, ſi eis bene utatur, nec pauperem egeſtas commendabiliorem facit, ſi inter ſordes, & inopiam peccato non careat, utriusque rei teſtimonium nobis Abraham patriarcha, & quotidiana exempla ſuppeditant, quorum alter in ſummis divitiis amicus Dei fuit, alii quotidie in ſceleribus deprehenſi pœnas legibus ſolvunt. *hactenus Hieron. Non ſunt vituperandæ divitiæ ſed perverſus uſus, & quemadmodum D. Joan. Baptiſta non præcepit militibus, ne milites eſſent, cum militare non ſit malum, ſed ut ſuis ſtipendiis eſſent contenti, & nemini moleſtiam facerent. Ita D. Paul. 1. Timoth. 6. qui locus hic citatur:* Præcipe divitibus hujus ſæculi, non quidem ne divites ſint, verùm non ſuperbe ſapere, nec in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo ſperare. *Apud Chriſtianos enim licet ſit conſilii, non tamen præcepti abdicare à ſe earum dominium, & proprietatem, ut docet idem D. Hier. epiſt. ad Hedibiam q. 1. Auguſt. epiſt. 89. qu. 4. Euſeb. lib. 1. demonſt. Evang. c. 8. Chryſoſt. hom. 8. de Pœnit. Fuit hæreſis ſectatorum Euſtathii Sebaſtienſis, ut refert Prateolus lib. 5. Elenchi hæreſium c. 33. Locupletes prorſus extorres regno cælorum. Et Hæretici quidam, qui ſe Apoſtolicos nominabant, teſte Epiphanio hæreſi 61. & D. Auguſt. hæreſ. 40. his qui res aliquas poſſiderent, omnem ſalutis ſpem adimebant.*

Epiſt. 30. ult. edi. ad Sabinum.

η Unde & Paulinus noſter.] *Eumdem epiſt. 39. ad Licentium egregie commendat:* Diſce Paulinum egregium, & ſanctum Dei ſervum, quàm grandem faſtum ſæculi hujus tanto generoſiorem, quanto humiliore cervice incunctanter excuſſerit, ut eam ſubderet Chriſti jugo, & nunc illo moderatore itineris ſui quietus, & modeſtus exultat, *&c. D. Ambr. epiſt. 36. ad Santium ait, Paulinum ex divite factum pauperem, tanquam deoneratum gravi ſarcina domui, patriæ, cognationi, quoque valedixiſſe, quo impenſius Deo ſerviret. D. Hier. epiſt. 34. ad Julianum, ait, Paulinum non ſolum divitias, ſed etiam ſeipſum domino obtuliſſe, & contra diaboli tergiverſationem: nequaquam pellem pro pelle, ſed carnes & oſſa, & animam ſuam Domino conſecraſſe. Sigebertus in Chronico ann. Chriſti 403.* Paulinus Nolæ poſtmodum Epiſcopus cum eſſet, innumerabilium prædiorum Dominus, admirabili exemplo venditis omnibus religionem expeditus elegit. *Gregor. Turon. de gloria confeſſ. c. 107. eumdem magnopere laudat, quod cum haberet divitias multas, & tam in fundorum poſſeſſione, quam in præſidio domorum valde dives eſſet, ac locuples, cum primum aures ejus Evangeliorum iſta lectio penetravit, in qua Dominus adoleſcentem pro divitiis arguit dicens.* Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, *&c. ſtatim venditis omnibus quæ habebat, pauperibus erogavit, exoneratus à cunctis cupiditatibus magiſtrum libenter ſequitur, per hæc ſe putans paradiſi divitiis locupletari, ſi videret nihil de tranſitoriis poſſidere.*

Cui majeſtas divina tribuit, ut quod impoſſibile dixerat per Evangelium, hic poſſibiliter adimplere mereretur per actum. His addit Proſper Aquitanicus lib.2. de vita contemplativa c.9. Paulinum poſt ſpontaneam paupertatem Epiſcopum factum non recuſaſſe Eccleſiæ facultates, ſed eas fideliſſime diſpenſaſſe.

ϑ Quando & Nolam barbari vaſtaverunt.] *Quod factum eſt, cùm Alaricus ab urbe recedens Campaniam, Lucaniam, Brutiosque pervaſit, & Nolam ipſam Campaniæ invaſerunt, ceperunt, atque vaſtaverunt.*

ι Illi vero nec prodere, nec perdere.] *Cic. parad. 6.* Quanti æſtimanda eſt virtus, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt unquam, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporum mutatione mutatur, qua qui præditi ſunt ſoli ſunt divites, ſoli enim poſſident res & fructuoſas & ſempiternas.

κ Bonum quo ipſi boni erant.] *Verum certe bonum, neque enim niſi falſa hominum perſuaſione ea bona ſunt, quibus homines boni non redduntur. Et Cic. ipſe.* Si opes ſunt bona, cur non reddunt poſſidentes bonos?

λ Si autem torqueri, quam mammona iniquitatis.] *Id enim eſt nimium affici erga bona externa, quæ cum corpori poſtponenda ſint, non erit laudabile, nec honeſtum, tormenta ſuſtinere propter res ipſas externas ſervandas. Porro Mammona Syriacum verbum eſt, quo ſignificantur omnia, quæ ad rem pecuniariam pertinent, ait Ang. Caninius cap. 7. de locis hebraicis.*

μ Quanta eſſent ſuſtinenda pro Chriſto.] *Cum Moſe majoris debemus æſtimare, theſauris Ægyptiorum, improperium Chriſti, Hebr. 11.* Si quid patimini propter Chriſtum beati. *Docet ergo pietatem non eſſe, pati pro auro & argento, & merito eos affligi permittente Deo; qui autem patiantur pro Chriſto, pios eſſe, quibus Deus æternam fœlicitatem concedit.*

CAP. XI.

De fine temporalis vitæ, ſive longioris, ſive brevioris.

MUltos, α inquiunt, etiam Chriſtianos fames diuturna vaſtavit. Hoc quoque in uſus ſuos boni fideles piè tolerando verterunt. Quos enim fames necavit, malis vitæ hujus ſicut corporis morbus eripuit; quos autem non necavit, docuit parcius vivere, docuit productius jejunare. Sed enim multi etiam Chriſtiani interfecti ſunt, multi multarum mortium fœda varietate conſumpti. Hoc ſi ægrè ferendum eſt, omnibus qui in hanc vitam procreati ſunt, utique commune eſt. Hoc tamen ſcio, neminem fuiſſe mortuum, qui non fuerat aliquando moriturus. Finis autem vitæ, tàm longam, quàm brevem vitam hoc idem facit. Neque enim aliud melius & aliud deterius, aut aliud majus & aliud brevius eſt, quod jam pariter non eſt. Quid autem intereſt, quo mortis genere vita iſta finiatur, quando ille, cui finitur, iterum mori non cogitur? Cùm autem unicuique mortalium ſub quotidianis vitæ hujus caſibus, innumerabiles mortes quodammodo comminentur, quamdiu incertum eſt, quænam earum ventura ſit: quæro, utrum ſatius ſit, α β unam perpeti moriendo, an omnes timere vivendo? Nec ignoro, quàm inertius eligatur, diu vivere ſub timore tot mortium, quàm ſemel mo-

Fames bona.

moriendo nullam deinceps formidare. Sed aliud eſt quod carnis ſenſus infirmiter pavidus refugit, aliud quod mentis ratio diligenter enucleata convincit. Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſerit. Neque enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur mortem. γ Non itaque multum curandum eſt eis, δ qui neceſſariò morituri ſunt, quid accidat ut moriantur, ſed moriendo, quò ire cogantur. ε Cùm igitur Chriſtiani noverint, longè meliorem fuiſſe *b* religioſi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quàm impii divitis in purpura & *c* byſſo, horrenda illa genera mortium quid mortuis obfuerunt, qui bene vixerunt?

L. Vives. *a* Unam perpeti.] *Sic Cæſar malle ſe mortem ſemel obire, quàm toties timere, dixit.*

b Religioſi pauperis.] *Nota eſt hiſtoria ex Lucæ 16. de Lazaro mendico, & locuplete luxurioſo.*

c Byſſo.] *Byſſus genus eſt lini delicatiſſimi. Plinius xix.*

F. L. Coq. α Multos, inquiunt, etiam Chriſtianos.] *Occurrit objectioni, & ex fame quam Chriſtiani paſſi ſunt in obſidione urbis, plus commodi, quam damni docet illis acceſſiſſe. Satis eſt quod nec eos fames, nec nuditas, nec gladius ſeparare potuerunt à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Rom. 8. & quod cum D. Ignatio dicant:* Veniant in me omnia tormenta diaboli, tantum ut Chriſto fruar. *Quanquam enim certum ſit, famem, peſtem, gladium immitti à Deo ob ſcelera & hominum improbitatem, ut temporibus Eliæ fames vexavit Iſraël ob Idololatriam Achabi & Jeſabelis, nonnunquam tamen etiam piis hæc accidunt, ut tunc temporis multis etiam eveniſſe non dubium eſt, ſed illa in pios uſus, inquit, etiam tolerando vertunt. Quam dira fames oppreſſerit tum urbem, conſtat ex D. Hiero. Epiſt. 16.* Fame periit antequam gladio & vix pauci qui caperentur inventi ſunt, ad nefandos cibos erupit eſurientium rabies, & ſua invicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactanti infanti, & ſuo recipit utero, quem paulo ante effuderat. *Graviſſimam famem paſſam fuiſſe Romam obſeſſam ab Alarico, ut etiam creditum ſit, quosdam humanis carnibus non abſtinuiſſe, teſtes ſunt Niceph. lib. 13. cap. 35. Sozomen. lib. 9. cap. 6. Sozimus lib. 5. Tertullian. lib. de idololatria cap. 12.* Nemo eorum quos Dominus allegit, non habeo, dixit, quo vivam, fides famem non timet. Scit etiam, famem non minus ſibi contemnendam propter Deum, quàm omne mortis genus: didicit non reſpicere vitam, quanto magis victum.

β Unam perpeti moriendo, an omnes timere vivendo?] *Idem epiſt. 45.* Quantis laboribus agitur, *inquit,* ut longiore tempore laboret, & mors cum impendet, torquet, ideo cavetur ut diutius timeatur: nam inter tot caſus fragilitatis humanæ quàm multæ mortes timentur, quarum certe una cum venerit, reſtat, cæteras non timeri, & tamen fugitur una, cum omnes timeantur.

γ Non itaque multum curandum eſt.] *Certe piis hominibus non debet eſſe mors moleſta, cum ſit illis tranſitus ad Deum. Cum Modeſtus Valentis præfectus D. Baſilio mortem minitaretur:* Mors, *inquit,* beneficii loco mihi erit, citius enim me ad Deum transmittet, cui vivo, & munere meo fungor, maximaque ex parte obii, & ad

ad quem jam pridem propero. *Quam non timenda ſit mors ipſi Chriſtiano, Chryſoſt. hom. 5. ad pop.* In hoc, *inquit*, ab infidelibus differimus: Etenim illi quidem merito timent mortem, reſurrectionis enim ſpem non habent: tu vero ad meliorem vadens vitam, & de illius ſpe philoſophari habens, qua dignus es venia de reſurrectione quidem confidens: ita vero ſicut non credentes reſurrectionem mortem timens? ſed mortem, *inquit*, non timeo, neque mori, ſed male mori, & obtruncari. Igitur Joannes male mortuus eſt, fuit enim obtruncatus: igitur Stephanus male mortuus eſt, fuit enim lapidatus, & martyres cuncti miſere ſecundum vos obiere, quando igne, aut ferro vitam finierunt; & hi quidem in mare, hi vero in præcipitium, hi autem in dentes beſtiarum incidentes ſic mortui ſunt. Non eſt male mori violenta morte finiri, ſed in peccatis mori; non dixit propheta mors violenta, ſed mors peccatorum peſſima. *Quin Cyprianus lib. de* Pſ. 33. *mortalitate*, mori timeat, ſed qui ex aqua & ſpiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Chriſti cruce & paſſione cenſetur: mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit: mori timeat, quem de ſeculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit. *Paulo poſt:* Mortalitas iſta ut Judæis, & gentilibus, & Chriſti hoſtibus peſtis eſt, ita Dei ſervis ſalutaris exceſſus eſt. hoc quod ſine ullo diſcrimine generis humani cum injuſtis moriuntur & juſti, non eſt quod putetis bonis & malis interitum eſſe communem, ad refugium juſti vocantur, ad ſupplicium rapiuntur injuſti. Et quod morimur, *inquit*, ad immortalitatem morte transgredimur, nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc contigerit exire. non eſt exitus iſte, ſed tranſitus, & temporali itinere decurſo, ad æterna trangreſſus. *Poſt.* Ejus eſt in mundo diu velle remanere, quem mundus oblectat. Quem ſæculum blandiens atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis invitat. Porro cum mundus oderit Chriſtianum, quid amas eum, qui te odit, & non magis ſequeris Chriſtum, qui te & redemit, & diligit. *D. Hiero. epiſt. 25. ad Paulam:* Lugeatur mortuus, ſed ille, quem gehenna ſuſcipit, quem tartarus devorat, in cujus pœnam æternus ignis æſtuat, nos quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obviam Chriſtus accurrit, gravamur magis, ſi diutius in tabernaculo iſto mortis habitemus. *Et ipſe D. Auguſt. epiſt. 122.* Bonos *dicit* Dei ſervos, & fideles, & ſanctos gladio barbarorum peremptos. Quid autem intereſt, utrum eos febris, an ferrum de corpore ſolverit: non qua occaſione exeant, ſed quales in ſe exeant, Dominus attendit in ſervis ſuis. *Merito ergo ſcribit hoc loco, Chriſtianis qui fame perierunt nihil nocuiſſe ſic mori, cum & moriendum fuiſſet, & piis mors non ſit timenda, in quib. bona vita præceſſit. Habes apud D. Hiero. verba Hilarionis morti vicini:* Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis ſerviſti Chriſto, & mortem times?.

d Eis qui neceſſario morituri ſunt.] *Quod ſuperius dixit: Neminem fuiſſe moriturum, qui non fuerat aliquando moriturus, D. Hier. Epiſt. 25. ad Paulam;* Cur durum ſit, quod quandoque patiendum eſt, & cur dolemus quenquam mortuum, ad hoc enim nati non ſumus, ut maneamus æterni. *Qua conſideratio-*

ne etiam plurimum conſolabantur ipſi Gentiles, οὔτε γὰρ πέφυκεν ἀθάνατος ἡμῶν οὐδείς, *Plato epiſt. 7. Et Sophocles:* πᾶσι θνατοῖσιν ἔφυ μόρος. *Lochagus, Polienidis & Syronis pater cum nuncium accepiſſet, alterum filiorum eſſe mortuum* πάλαι ᾔδειν ἔφη, ὅτι ἀποθανεῖν αὐτὸν ἔδει. Jamdudum noram, fore ei moriendum. *Plutarc. in Apophteg. Lacon. Ita Anaxagoras cum inter differendum de rebus naturalibus de filii morte nuncium acciperet:* ſciebam, *inquit,* filium me genuiſſe mortalem. *Cic. 3. Tuſc. Plutarch. in conſolatione ad Apollon. Et Seneca in conſolat. ad Polybium c. 30. & lib. de conſol. ad Martiam c. 10.* Si mortuum filium doles, ejus temporis quo natus eſt, crimen eſt, mors enim illi naſcenti determinata eſt, in hanc legem datus, hoc factum ab utero ſtatim proſequebatur. *Plutar. loco citato:* Neſcio qui fiat ut mors nobis adeo doloris plena videatur, quid enim admirationis meretur res, ſi ſciſſum eſt quod erat natura ſciſſibile, aut liquatum, quod liquabile, aut crematum, quod uſtile, ſi periit quod erat ita natum, ut interire poſſet. *Ibid.* qui vel ipſe moriturus, vel liberis morientibus indignatur, nonne perſpicuum eſt, eum oblitum eſſe, mortalem ſe natum fuiſſe, & mortales genuiſſe liberos, nec enim ſani eſt hominis ignorare hominem, animal eſſe mortale, & ad hoc natum ut moriatur.

s Cum igitur Chriſtiani noverint religioſi pauperis mortem.] *confert mortem Lazari pauperis cum morte divitis Epulonis, quod illius fuerit melior, licet violenta, utpote qui fame periit, quam hujus, cui affluebant omnia in hac vita. Eadem Chryſoſtom. hom. 5. ad pop. Antioch.*

Cap. XII.

De ſepultura humanorum corporum, quæ Chriſtianis etiam ſi fuerit negata, nil adimit.

At enim α in tanta ſtrage cadaverum, nec ſepeliri potuerunt. Neque iſtud pia fides nimium reformidat, tenens prædictum, nec abſumentes beſtias reſurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit. Nec
Matth. 10. ullo modo diceret Veritas: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere, ſi quicquam obeſſet futuræ vitæ, quicquid inimici de corporibus occiſorum facere voluiſſent. Niſi fortè quiſpiam ſic abſurdus eſt, ut contendat, eos, qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant, & timeri debere poſt mortem, ne corpus occiſum ſepeliri non ſinant. Falſum eſt ergo, quod ait Chriſtus, qui corpus occidunt, & poſtea non habeant quid faciant: ſi habent tanta, quæ de cadaveribus faciant? Abſit, ut falſum ſit, quod Veritas dixit. Dictum eſt enim, aliquid eos facere cùm occidunt, quia in corpore ſenſus eſt occidendo: poſtea verò nihil habere quod faciant, quia nullus ſenſus eſt in corpore occiſo. Multa itaque corpora Chriſtianorum terra non texit, ſed nullum eorum quiſquam à cœlo & terra ſeparavit, quam totam implet præſentia ſui, qui novit unde reſuſcitet, quod creavit. Dicitur quidem in
Pſ. 78. Pſalmo: β Poſuerunt α mortalia ſervorum tuorum eſcam volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Effuderunt ſanguinem eorum ſicut aquam

in circuitu Hieruſalem, & non erat qui ſepeliret, ſed magis ad exaggerandam crudelitatem eorum, qui iſta fecerunt, γ non ad eorum infœlicitatem, qui iſta perpeſſi ſunt. Quamvis enim hæc in conſpectu hominum dura & dira videantur: ſed precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. Proinde omnia iſta, id eſt, curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompæ exequiarum magis ſunt vivorum ſolatia, quàm ſubſidia mortuorum. *b* Si aliquid prodeſt impio ſepultura precioſa, oberit pio vilis aut nulla. δ Præclaras exequias in conſpectu hominum exhibuit *c* purpurato illi diviti turba famulorum, ſed multò clariores in conſpectu Domini hulceroſo illi pauperi miniſterium præbuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, ε ſed in Abrahæ gremium ſuſtulerunt. *d* ζ Rident hæc illi, contra quos defendendam ſuſcepimus civitatem Dei. Veruntamen η ſepulturæ curam etiam *e* eorum Philoſophi contempſerunt: & *f* ſæpe univerſi exercitus, dum pro terrena patria morerentur, ubi poſtea jacerent, vel quibus beſtiis eſca fierent, non curaverunt. Licuitque de hac re *g* poetis plauſibiliter dicere: Luc.16.

Cœlo tegitur qui non habet urnam.

Quantò minùs debent de corporibus inſepultis inſultare Chriſtianis, quibus & ipſius carnis & membrorum omnium reformatio non ſolùm ex terra, verum etiam ex aliorum elementorum ſecretiſſimo ſinu, quò dilapſa cadavera receſſerunt, *h* θ in temporis puncto reddenda, & redintegranda promittitur? 1. Cor.15.

a MOrtalia.] *Cadavera morticina* θνησιμαῖα.

b Si aliquid prodeſt impio.] *Lucanus lib. 9.*

Et æternos animam collegit in orbes.

Non illuc auro poſiti, nec thure ſepulti. Perveniunt. Sepulchra.

c Purpurato illi diviti.] *De quo ſuperiore cap.*

d Rident.] *Sepultura magna cum apud Romanos: hinc multa de religione ſepulchrorum, & pœnæ legibus additæ, qui hoc vel illud commiſerit, inſepultus abjiciatur: ſicut illud apud declamatores: qui parentes in calamitatibus deſeruerit, inſepultus abjiciatur: qui cauſas mortis in Senatu non reddiderit, inſepultus abjiciatur: homicida inſepultus abjiciatur. Sic ad popularem ſenſum pro Milone loquitur Cicero, quum infœlicius dicit cadaver Publii Clodii fuiſſe, quòd honore illo & conſueta funeris pompa caruerit.*

e Philoſophi.] *Gentilium Philoſophi, ut Diogenes Cynicus, qui ſe canibus avibúſque exponi mortuum juſſit: quúmque amici admonerent de laniatione cadaveris, apponite, inquit, mihi baculum, quo aves & canes abigam. Atqui nihil ſenties, inquiunt illi. Si nihil ſentiam, reſpondit Diogenes, quid mihi oberit laniatio? Idem fecit Menippus, & penè fuit iſtud Cynicis omnibus commune. Theodorum Cyrenæum Cicero in Tuſculanis ſcribit Lyſimacho crucem minanti reſpondiſſe: Terribilis ſit hæc purpuratis tuis, mea nihil intereſt, humine an ſublime putreſcam. Eadem eſt Socratis ſententia in Phædone Platonis.*

f Sæpe univerſi exercitus.] *Loquitur forſan de his legionibus, quas ſcribit in originibus Cato Major, ſæpe in eum alacres profectas locum, unde ſe nunquam redituras*

ras ſcirent. Quid quòd ante Herculem occiſos in bello humare non fuit mos? Eos enim ſepelire primus inſtituit Hercules, ut Ælianus in varia hiſtoria autor eſt.

g Poëtis plauſibiliter.] *Cum approbatione & plauſu populi. Lucanus in vii. de occiſis Pharſalica pugna loquens, quos Cæſar comburi aut humari vetuit, multas & graves ſententias, ut ſolet, de ea re dicit: inter cæteras verò illas ad Cæſarem converſus:*

Nil agis hac ira, tabésne cadavera ſolvat,
An rogus, haud refert: placido natura receptat
Cuncta ſinu. & *poſt:*
Capit omnia tellus
Quæ genuit: cœlo tegitur qui non habet urnam.

Idem declamator ille apud Senecam: Omnibus natura ſepulturam dedit. Naufragorum idem fluctus, qui expulit: ſuffixorum corpora crucibus in ſepulturam ſuam defluunt: eos qui vivi uruntur, pœna funerat. Et Vergilius, qui pœnas apud inferos inſepultis ſtatuit, tamen verbis Anchiſæ facilem ſepulchri jacturam eſſe dicit. Verſiculus ille Mecœnatis.

Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos:

in primis laudatur à veteribus. Porrò urna vas erat, in quo reliquiæ cadaveris combuſti ſervabantur.

h In temporis puncto.] *Primæ Corinth. 15.*

L.V. Coq. *a* AT enim in tanta ſtrage cadaverum.] *Eadem repetit, lib. de cura pro mortuis agenda, c. 2. Id objici poterat ab inimicis Chriſtianæ religionis, quibus reſpondet, piam fidem iſtud minime formidare, cum credat corpora reſurrectura, etiam ſi à beſtiis abſumerentur, quibus à Chriſto prædictum, nec capillum capitis eorum periturum: idque amplius confirmat authoritate Chriſti. Matth. 10.* Nolite timere eos, qui occidunt corpus, *&c. quod nequaquam dixiſſet, ſi futura vitæ obeſſet, quicquid inimici de corporibus occiſorum faciant. Si enim in vita non ſunt timendi, ne corpus occidant, multo minus poſt mortem, ne corpus ipſum privent ſepultura. Et certe multos legimus, cum in vivos ſævire non poſſent, in mortuos crudeles fuiſſe, & noſtra tempeſtate in quibusdam partibus, nefarios hæreticos in ſacras Divorum reliquias, quas devoverunt igni, quam crudelitatem libentius in ipſos Divos exercuiſſent, at non poterant animas detrudere cœlo, aut æterna beatitudine privare, nec efficere, ut non tandem à Deo reſuſcitentur in gloria. Refert Euſeb. lib. 5. hiſt. Eccleſ. ca. 1. crudelitatem, quam Lugduni & Viennæ non modo in vivos Chriſti ſervos Gentiles exercuerunt, verum etiam qua immanitate in eorum corpora, poſt martyrium, & quo conſilio uſi ſint.* Martyrum corpora ſex dies continuos ſub dio jacentia, & maxima ignominia affecta, poſt autem ab impiis illis, & facinoroſis carnificibus exuſta, inque cineres redacta in Rhodanum fluvium, qui illic in proximo defluit, ſpargebantur, quo nullæ quidem illorum reliquiæ amplius ſuper terram reſtarent. Iſta eo conſilio patrabant, quod Deum ſe poſſe vincere, & illis regenerationem corporum prorſus eripere arbitrati ſunt, quo ne ulla quidem *(ſic enim dicebant)* ſpes reſurrectionis illis reliqua fieret: qua freti, *inquiunt*, non ſolum

lum peregrinam quandam, & novam nobis induxerunt religionem, verum etiam neglexerunt penitus tormenta & prompto atque alacri animo ad mortem properarunt. Jam videamus, utrum ſint reſurrecturi, & utrum illorum Deus ipſos juvare, & è manibus noſtris eripere posſit. *Hæc illi, in quos recte quadrat illud Chriſti ad Saducæos:* Erratis, neſcientes ſcripturas *neque virtutem Dei, & ut hic præclare, D. Auguſt.* novit, unde reſuſcitet, quod creavit. *Et Minutius in Octavio:* Tu perire Deo credis, ſi quid oculis noſtris ſubtrahitur, corpus omne ſive areſcat in pulverem, ſive in humorem ſolvatur, vel in cinerem comprimatur, vel in nidorem tenuatur; ſubducitur nobis, ſed Deo elementorum cuſtodia reſervatur. Matth. 22.

β Poſuerunt mortalia.] *Pſa. 78. θνησιμαῖα morticinia, cadavera objecerunt volucribus cadavera ſervorum, id eſt, cultorum tuorum. Ad exaggerandam crudelitatem eorum. Immanitatis enim eſt Scythicæ, non ſepelire mortuos, Seneca ad Marciam. quam crudelitatem in Judæos exercebat Sennacherib, non ſinens eos ſepeliri. Tob. 1. & 2.*

γ Non ad eorum infelicitatem, qui iſta perpesſi ſunt.] *Chryſoſt. hom. 35. in Matthæum:* Sed dolendum eſt quispiam dicet, quoniam corpus poſt mortem omnino corrumpitur. Ego vero ideo gaudendum nobis magis cenſeo, quoniam corruptione corporis mors ipſa corrumpitur, mortalitas deſtruitur, non ſubſtantia corporis: nam ut quando æs funditur ut inde ſtatua confletur, nullam æris perditionem tunc eſſe dicimus, cum ad meliorem uſum traducatur: ſimiliter de corpore quoque tuo futurum eſt, nullis ergo lacrymis nullo mœrore, quoniam moriturus es, te lacera: tunc enim flendum eſſet, quando in hujusmodi conditione & pœna perpetuo corpus tuum permanſurum ſcires. Sed melius eſſet (inquies) ſi nulla putredine corpora tabeſcerent, ſi integritatem ſuam ſemper conſervarent. Ego vero non video, quam hoc utilitatem aut defunctis aut vivis afferre poſſet.

δ Præclaras exequias in conſpectu hominum.] *Hoc ſenſu intelligitur locus ille, qui falsò ſolet tribui Auguſtino, cum in ejus operibus nusquam reperiatur:* Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna: *quod certe nec de religioſa veneratione, qua ſanctos Eccleſia veneratur, intelligi poſſet: Nam ſuos etiam Donatiſtæ jactabant martyres, qui ut latrones vixerant. l. 2. contra lib. Petiliani c. 83. Idem epiſt. 68.* Vivunt ut latrones, moriuntur ut circumcelliones, honorantur ut martyres. *Et lib. 2. de baptiſ. contra Donatiſtas c. 10.* Iſti ſimul habere volunt & ſacrilegorum vitam & innocentium famam, & in ſceleratis factis nullam pœnam, & in pœnis juſtis martyrum gloriam. *Et unaquæque hæreſis ſacrilegos ſuos honorat martyres, quorum animæ ad tartara relegatæ. Dives enim ille epulo honorabatur præclaris exequiis, cum tamen anima ejus relegata eſſet ad inferos. Recte Chryſoſt. concione 3. de Lazaro:* Ubi quem videris improbam agentem vitam, nec quicquam hic acerbi patientem, ne putaris illum beatum, ſed defle potius, & deplora, velut illic omnia triſtia perpeſſurum, quemadmodum dives ille fecit. *Rurſus:* Ubi quem videris virtutis ſtudioſum, & eumdem innu-

innumeris affligi moleſtiis, beatum exiſtima, fœlicem judica, ut qui & hic omnia ſua peccata diluerit, & illic multam habeat paratam mercedem, quemadmodum evenit Lazaro. *D. Hiero. epiſt. 24. ad Marcell. de obitu Leæ, ubi religioſiſſimæ illius fœminæ & monaſterii præfectæ mortem laudat, cum conſulis deſignati infidelis hominis, qui per id tempus obierat, morte conferens, oſtendens quantum ſit diſcrimen inter ſanctorum, & Ethnicorum exitus, ubi vitam ipſius Leæ, & religionem, ac pietatem commendavit.* Nunc igitur, *inquit,* pro brevi labore æterna fœlicitate fruitur, excipitur Angelorum choris, Abrahæ ſinibus confovetur, & cum paupere quondam Lazaro divitem purpuratum, & non palmatum conſulem, ſed atratum, ſtillam digiti minoris cernit inquirere. O quanta rerum mutatio. Ille, quem ante paucos dies dignitatum omnium culmina præcedebant, qui quaſi de ſubjectis hoſtibus triumpharet Capitolinas aſcendit arces, quem plauſu quodam, & tripudio populus Romanus excepit, ad cujus interitum urbs univerſa commota eſt, nunc deſolatus, & nudus non in lacteo cœli palatio, ut uxor mentitur infœlix, ſed in ſordentib. tenebris continetur. Hæc vero quam unius cubiculi ſecreta vallabant, quæ pauper videbatur & tenuis, cujus vita putabatur amentia, Chriſtum ſequitur, & dicit: quæcunque audivimus, ita ut vidimus in civitate Dei noſtri, *&c. Ubi vides non diſſimilem comparationem apud D. Hiero. mortis Leæ religioſiſſimæ fœminæ cum morte purpurati illius conſulis. Et ſic apud D. Auguſt. mortis illius ulceroſi pauperis, cum morte illius purpurati divitis, & vix de micis menſæ locupletis miſerabilem ſuſtentantis animam, qui in ſinu Abrahæ recipitur, & tanto patriarcha parente lætatur. Difficile, immo impoſſibile eſt, ut & præſentibus quis & futuris fruatur bonis, ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat, ut de delitiis tranſeat ad delitias, ut in utroque ſæculo primus ſit, ut & in cœlo, & in terra appareat glorioſus. D. Ambr. lib. 1. offic. c. 15. Cur peccatores abundent opibus, & divitiis, epulentur jugiter, ſine mærore, ſine luctu; juſti autem egeant & afficiantur aut conjugum amiſſione, aut liberorum.* Satisfacere, *inquit,* debet illa Evangelii parabola. Quod dives byſſo, & purpura induebatur, & epulas copioſas exhibebat quotidie, pauper autem plenus ulceribus de menſa ejus colligebat reliquias, poſt obitum vero utriusque pauper erat in ſinu Abrahæ requiem habens, dives in ſuppliciis. *Idem epiſt. 32. ad Julianum:* Divitem purpuratum gehennæ flamma ſuſcepit: Lazarus pauper, & ulceribus plenus, cujus carnes putridas lambebant canes, & vix de micis menſæ locupletis miſerabilem ſuſtentabat animam, in ſinu Abrahæ recipitur, & tanto patriarcha parente lætatur.

s Sed in Abrahæ gremium contulerunt.] *Gremium, ſeu ſinum Abrahæ ſcriptura „ vocat locum, in quo recluſæ fuerunt animæ ſanctorum ante Chriſti paſſionem. Ita enim „ definit idem Auguſt. lib. 4. de anima, & ejus origine c. 16. remotam ſedis quietem, atq; „ ſecretam, quæ dicta eſt Abrahæ, non quod ipſe tantum ibi ſit, ſed quod ipſe pater mul„ tarum gentium ſit poſitus, quibus eſt ad imitandum fidei principatum præpoſitus, ſicut „ & Deus Abraham ſe Deum vocari voluit, cum ſit innumerabilium Deus: & epiſt. 99. „ ſcribit ibidem fuiſſe alios juſtos Patriarchas & Prophetas, & abſurdum putat de hoc „ dubitare, ſed in eadem epiſt. & 57. putat hunc locum non eſſe in inferno: quia infer-*

nus

nus in ſcriptura ſacra ſumitur in malam partem pro loco dolorum, & tormentorum, „
Sinus autem Abrahæ dicitur eſſe locus quietis, & conſolationis. Præterea Lucæ 16. „
diſtinguitur ſinus Abrahæ, in quem delatus eſt Lazarus ab Angelis, & infernus, in quo „
ſepultus eſt dives ille epulo, & dicitur magnum chaos eſſe firmatum inter unum, & al- „
terum locum. Dico nihilominus locum fuiſſe in inferioribus partibus terræ. Ex ſcri- „
ptura colligi poteſt Gen. 37. Deſcendam ad filium meum lugens in infernum, *quod* „
non niſi de loco ſanctorum patrum intelligi poteſt. Chryſ. hom. de Lazaro & divi- „
te, ſinum Abrahæ vocat paradiſum, in inferno exiſtentem. Cyrill. Alexand. lib. 1. de „
fide ad Reginas, dicit, infernum in Chriſti morte ſanctorum animas emittere compul- „
ſum eſſe. Et D. Auguſt. inf. lib. 20. cap. 15. re melius perſpecta idem ſentit, ubi rece- „
ptaculum beatarum animarum ante Chriſti mortem, inferos vocat. Dicendum eſt i- „
taque hunc locum, ſeu ſinum Abrahæ eſſe partem quandam inferni cæteris omnibus „
ſuperiorem: animæ enim ibi exiſtentes erant juſtæ & omnino mundæ, & minus diſta- „
bant à ſtatu, & ſpe beatitudinis: unde oportuit eas in ſublimiori, & honoratiori loco „
collocari. Unde Chryſoſt. in homil. de divite. Lucæ 16. notat, de divite dici exiſtente „
in inferno, elevaſſe oculos ſuos ut Lazarum videret tanquam in ſuperiori loco exiſten- „
tem, quod etiam obſervavit Tertull. lib. 4. contra Marcio. c. 34. verba ſunt Grego- „
rii lib. 12. moralium cap. 6. Nec tamen ita juſtorum animas ad infernum dicimus „
deſcendiſſe, ut in locis pœnalibus tenerentur, ſed eſſe ſuperiora inferni loca, eſſe „
& alia inferiora credenda ſunt, ut & in ſuperioribus juſti requieſcerent, & in in- „
ferioribus injuſti cruciarentur, *&c. Quando in ſymbolo fidei dicitur Chriſtũ deſcen-* „
diſſe ad inferos, inferorum nomine ſinus hic Abrahæ intelligi debet, in quo erant ani- „
mæ ſanctorum patrum. Quæ eſt communis ſententia Theologorum, maxime D. „
Tho. 3. p. q. 52. art. 2. & 3. „

ζ Rident hæc illi.] *Quod non intelligunt, parum referre ad animæ beatitudinem poſt hanc vitam pomposam, ac ſumptuoſam corporis ſepulturam, nec intelligant, quanta bona poſt mortem eos maneant in futura vita, qui piè, & Chriſtiane vixerunt, etiamſi alias inhonorati, & contempti habiti fuerint ſive in vita, ſive in morte ipſa.*

η Sepulturæ curam etiam eorum philoſophi contempſerunt.] *In prima Tuſc. meminit Cic. Theodori Cyrenæi, cui cum Rex Lyſimachus crucem minaretur:* Iſtis quæſo, *inquit,* iſta minitare purpuratis tuis. Theodori nihil intereſt, humine, an in ſublime putreſcat: *Cujus meminit & Sen. lib. de tranquillitate animi cap. 14. qui idem epiſt. 92.* Ut ex barba capillos detonſos negligimus, *inquit,* ita ille divinus animus egreſſurus hominem, quo receptaculum ſuum conferatur, ignis illud exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegatur, non magis ad ſe judicat pertinere, quam ſecundinas ad editum infantem, utrum projectum aves deferant, an conſumatur canibus præda data marinis, quid ad illum? *Diogenis præterea & Anaxagoræ meminit, quorum ille ſe inhumatum volucribus, & canibus in agrum projici juſſit: hic cum moreretur Lampſaci quærentib. amicis, num vellet Clazomenas in patriam deferri?* Nihil neceſſe eſt, *inquit,* undique enim ad inferos tantumdem eſt viæ. *Sed hos laudet Cic. cujus ſententiæ accedit Seneca, Chriſtianus tamen nemo*

laudabit,

laudabit, & longe aliamente, quam illi philoſophi, Chriſtiani aliquando ſepulturæ minimam rationem habuiſſe videntur. Socrates in Phædone de animi immortalitate diſſerens, non omnino contemnit corporis ſepulturam, ſed edicit corpus ſuum ſepeliri, ut legibus conſentaneum erit.

θ In temporis puncto reddenda, & redintegranda.] *Hic locus intelligi poteſt vel ſigillatim de reſurrectione cujuslibet, in qua tria concurrunt, primum congregatio partium corporis, ſeu cinerum, quæ miniſterio Angelorum fiet, cum enim in puncto reſurrectionis oporteat partes corporis inter ſe eſſe unitas, & loco conjunctas, quæ antea poterant eſſe loco disjunctiſſimæ, neceſſe eſt ut brevi tempore ante illud inſtans in eundem locum congregentur. Secundo fiet ad reſurrectionem præparatio, diſpoſitio, & organizatio corporis, quæ ſaltem ordine naturæ præcedet ipſam unionem cum corpore. Tertium eſt reſurrectio ipſa, quæ & ſubſtantialis, unio animæ & corporis: Et hæc tria fient in inſtanti, quia parum aut nihil interea intererit: vel loquitur de omnium futura reſurrectione, quæ ſimul fiet, & in eodem inſtanti, ut ex Johannis 5. colligi poteſt:* Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei, & procedent qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ, qui mala, in reſurrectionem judicii. *In quem locum Euthym.* Simul omnes repente ac virtute arcana coaptabit, animabit, & excitabit voce ſua ſive juſſu. *Et 1. ad Corinth. 15.* Omnes reſurgemus in momento, in ictu oculi. *Quod vero dicit Auguſt. Chriſtianis promitti reſurrectionem corporum, non ita intelligendum, improbos etiam non reſurrecturos, ſed cum promiſſio ſit bonorum, id intelligendum de reſurrectione glorioſa, quæ pertinet ad præmium bonorum, quæ Danielis 13. dicitur* reſurrectio ad vitam *Joan. 5.* Reſurrectio vitæ, *reproborum enim reſurrectio potius pertinet ad eorum pœnam, & dicitur reſurrectio in opprobrium, & reſurrectio judicii, nec cadit ſub divinas promiſſiones, licet enim pertineat ad generalem Dei providentiam, non tamen eſt aliquod gratuitum, aut particulare Dei beneficium. Ideo dicuntur non reſurrecturi impii in judicio ad beatam reſurrectionem Pſal. 1. ουκ εις ἀνάςασιν, ἀλλ' εἰς ἀνάςασιν κρίσεως. Joan. 5.*

Cap. XIII.

Quæ ſit ratio ſanctorum corpora ſepeliendi.

Nec ideò tamen α contemnenda & abjicienda ſunt corpora defunctorum, β maximéque juſtorum atque fidelium, γ quibus tanquam organis & vaſis ad omnia bona opera ſanctus uſus eſt Spiritus. Si enim paterna veſtis & annulus, ac ſi quid hujusmodi, tantò charius eſt poſteris, quantò erga parentes major affectus: nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ utique multò familiariùs atque conjunctiùs, quàm quælibet indumenta geſtamus. δ Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent. Unde & antiquorum juſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & ſepultura proviſa: ipſique dum viverent, ε de ſepeliendis vel etiam transferendis ſuis corporibus filiis mandaverunt, *b* & ζ Tobias ſepeliendo mortuos, Deum promeruiſſe, teſte Angelo commendatur. Ipſe quoque Dominus die tertio reſurrecturus, religioſæ mulieris *c* bonum opus prædicat, prædicandúmque commendat, quod unguentum

Gen. ult. *Tob. 2.* *Matth. 20.*

pre-

pretioſum ſuper membra ejus effuderit, atque hoc ad eum ſepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur *d* in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorificè tegendum ſepeliendúmque curarunt. *Ioh.19.* Verùm iſtæ autoritates non hoc admonent, quòd inſit ullus cadaveribus ſenſus: ſed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere ſignificant, propter fidem reſurrectionis aſtruendam. Ubi & illud ſalubriter dicitur, quanta poſſit eſſe remuneratio pro eleemoſynis, quas viventibus & ſentientibus exhibemus, *e* ſi neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiæque perſolvitur. Sunt quidem & alia, *f* quæ ſancti Patriarchæ de corporibus ſuis vel condendis vel transferendis prophetico ſpiritu dicta intelligi voluerunt. *Gen.47. & ult.* Non autem hic locus eſt, ut ea pertractemus, quum ſufficiant iſta, quæ diximus. Sed ſi ea, quæ ſuſtentandis viventibus ſunt neceſſaria, ſicut victus & amictus, quamvis cum gravi afflictione deſint, non frangunt in bonis perferendi tolerandique virtutem, nec eradicant ex animo pietatem, ſed exercitatam faciunt fœcundiorem: quantò magis quum deſunt ea, quæ curandis funeribus condendisque corporibus defunctorum adhiberi ſolent, non efficiunt miſeros, in occultis piorum ſedibus jam quietos? Ac per hoc, quando iſta cadaveribus Chriſtianorum in illa magnæ urbis, vel etiam aliorum oppidorum vaſtatione defuerunt, nec vivorum culpa eſt, qui non potuerunt iſta præbere, nec pœna mortuorum, qui non poſſunt iſta ſentire.

a NOn ad ornamentum.] *Platonici ſolum animum dicebant eſſe hominem, corpus animo tanquam indumentum circundatum, vel carcerem potius. Auguſt. tamen ex veriore opinione corpus partem hominis eſſe dicit.* *L.Vives.*

b Et Tobias.] *Tobiæ 2. & 12.*

c Bonum opus.] *Matthæi 26. de Maria Magdalena.*

d In Evangelio.] *Joannis 19. Joſeph & Nicodemus.*

e Si neque hoc apud Deum perit.] *Nec hauſtus aquæ frigidæ nomine Dei datus caret præmio. Matth. 10.*

f Quæ ſancti Patriarchæ.] *Jacob moriens injunxit Joſeph filio, ut in monumentum majorum ſuorum inferretur, nec relinqueretur in Ægypto, Gen. 47. Ipſe quoque Joſeph fratribus mandavit, ut & ipſi meminiſſent, & ita poſteris traderent, cùm migrarent in terram illam patribus à Deo promiſſam, oſſa ſua in eam uti transferrent, Geneſis ultimo.*

a NEc ideo tamen contemnenda, & abjicienda ſunt corpora defunctorum.] *F.L.Coq.* *Iſocrates in Panathenaico legem de ſepulturis vocat* πάλαιον ἔθος καὶ πάτριον νόμον, ᾧ πάντες ἄνθρωποι χρώμενοι διατελοῦσι, οὐχ ὡς ὑπ' ἀνθρωπίνης κειμένῳ φύσεως, ἀλλ' ὡς ὑπὸ δαιμονίας προστεταγμένῳ δυνάμεως. *Et Ariſt. lib. 1. Rhetor. ex authoritate Sophoclis juſtum naturale vocat* οἷον καὶ ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη φαίνεται λέγουσα, ὅτι δίκαιον ἀπειρημένον θάψαι τὸν Πολυνείκην ὡς φύσει ὂν τοῦτο δίκαιον. *id eſt,* Cujusmodi eſt illud, quod apud Sophoclem Antigone videtur dicere, cum juſtum eſſe aſſerit, ſepulturæ Polynicem mandare, ex eo quod naturale ſit

hoc juſtum. *Scribit Cœlius Rhodig. lib. 17. lection. antiq. c. 19. Sepulchra violaſſe, ſummum eſſe antiquitus habitum ſcelus.* Ubi corpus demortui hominis condas, *inquit lex,* ſacer eſto. *Plutarch. in Numa mortuos appellat ſacros, quorum ſacra ſint corpora. Apud Athenienſes ſepulturæ tanta cura fuit, ut etiam peremptos bello ſi quis dux honeſtare ſepultura neglexiſſet, capite plecteretur: quod Diodor. Sicul. lib. 5. bibliothc. notat, rationem reddens, cur Chabrias Athenienſis Lacedæmonios ſuperatos, & in fugam verſos proſecutus non fuerit,* ἀπέχετο παντελῶς τοῦ διωγμοῦ ἀναμνησθεὶς τῆς ἐν Ἀργινούσαις ναυμαχίας ἐν ᾗ τοὺς νικήσαντας στρατηγοὺς ὁ δῆμος ἀντὶ μεγάλης εὐεργεσίας θανάτῳ περιέβαλεν, αἰτιασάμενος, ὅτι τοὺς τετελευτηκότας κατὰ τὴν ναυμαχίαν οὐκ ἔθαψαν. *Apud eosdem, lege latum proditur, ut viator ſi forte in aliquod cadaver incideret, illud tumularet. Apud Heleos etiam lege cavebatur, ne hoſtem inſepultum quidem relinquerent. Humanitatem illam quam in ſepeliendis etiam hoſtium corporibus exhibemus, Dion. Chryſoſt. in orat.* περὶ ἔθους, *Juri gentium non ſcripto tribuit, quod* ἔθος *ipſe nominat, & apud infenſiſſimos etiam hoſtes obſervari tradit. Qui de pietatis generibus ſcripſerunt, primum locum in ſepultura eſſe voluerunt, teſte Servio ad Virg. præſertim 6. Ænei. ad illud: Pius Æneas. Apud Ulpianum & alios claſſicos authores, ſi quis mortuo, vel hoſti, vel ignoto & alieno terram injiciat, id cum miſericordiæ, religioni, pietati, humanitati tribuere legimus. Valer. Maximus lib. 5. cap. 1. ubi de Pauli Æmilii quæſito corpore, de Tiberio Gracho & M. Marcello Romanis ducibus devictis, & ſepultis ab Annibale loquitur:* Ergo humanitatis, *inquit,* dulcedo etiam in efferata barbarorum ingenia penetrat: *Et ſtatim:* Aliquanto ei Annibali, plus gloriæ Paulus, Gracchus, & Marcellus ſepulti, quàm oppreſſi attulerunt: ſiquidem illos Punico aſtu decepit, Romana manſuetudine honoravit. *2. Reg. 2. plurimum commendantur à Davide viri Iabes, Galaad, quod Saulem ſepeliſſent. Euſeb. lib. 8. hiſt. Ecclеſ. c. 19. loquens de perſecutione Maximi in Chriſtianos:* Iſte, *inquit,* immanitate longius progrediens, & rabiem prope belluinam contra pios in dies adaugens, adeo extra naturæ leges penitus egreſſus eſt, ut inanimis ſanctorum virorum corporibus ſepulturam impudens invideret. *D. Ambr. lib. de Tobia cap. 1.* Si viventes operire nudos præcipitur, quanto magis operire debemus defunctorum corpora, ſi errantes ad longiora deducere ſolemus, quanto magis ad illam æternam domum profectos, unde jam non revertentur? *poſt:* nihil hoc officio præſtantius ei conferre, qui tibi jam non poſſit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à beſtis conſortem naturæ, feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detuliſſe produntur, homines denegabunt? *Lactantius lib. 6. cap. 12.* ultimum & maximum pietatis officium eſt peregrinorum, & pauperum ſepultura. *Clementiæ adſcribit Capitolinus in Marco Antonio Philoſopho:* Tanta *inquit,* clementia fuit, ut vulgaria funera ſumptu publico juberet efferri.

β Maximeque iſtorum atque fidelium.] *Orig. lib. 8. & contra Celſum:* Solas rationales animas honorare novimus, & earum inſtrumenta ſolemni ſepulturæ honore dignamur, meretur enim rationalis animæ domicilium non projici temere ſicut brutorum cadavera; præſertim quod fuit animæ bene & ſancte inſtrumento

ſtrumento ſuo in certaminibus uſæ receptaculum. *Cyp. epiſt. 68. ubi nominat ſepulchra prophana, ſatis inſinuat in Eccleſia jam tum loca ſacra fuiſſe, in quibus fideles ſepelirentur, quæ κοιμητήρια Græcis dicuntur, ἀπὸ τοῦ κοιμᾶν, quod eſt dormire. quod fideles mortui in ſacra ſcriptura dicuntur dormientes. Et epiſt. 82. meminit cœmiterii, in quo ſub Valeriano paſſus eſt & ſepultus Sixtus Pontifex. Dionyſ. cap. 7. Eccleſ. hierar. diſertis verbis in honorato loco cum aliis ejuſdem ordinis corporibus recondi ſolere corpora fidelium defunctorum refert. Clem. Rom. lib. 6. Conſt. Apoſt. cap. 30. conventus ad cœmiteria meminit.*

γ Quibus tanquam organis, & vaſis.] *Corpora Chriſtianorum vocat Apoſtolus templum Spiritus ſancti:* An neſcitis quia membra veſtra templa ſunt Spiritus ſancti inhabitantis in vobis.

δ Hæc enim non ad ornamentum, vel adjutorium.] *Plato in Alcibiade 2. & 12. de legibus exiſtimat, nihil aliud eſſe hominem, quàm animam. & in Axiocho ait:* ἡμεῖς ἐσμὲν ψυχὴ, ζῶον ἀθάνατον ἐν θνητῷ κατειργμένον φρουρίῳ. Nos ſumus anima immortalis, incluſa in mortali loco. *Et in Phædone, ubi inducit Socratem docentem, unumquemque noſtrum ſuum eſſe animum, corpus vero tantùm inſtrumentum & domicilium animi. quem Platonis locum repetit Cicer. 2. Tuſcul. ubi & ſententiam Platonis probare videtur. Et in ſomnio Scipionis:* Tu vero emittere, & ſic habeto, te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc, neque enim tu is es quem forma iſta declarat, ſed mens cujusque eſt quisque, non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. *Seneca conſolat. ad Marciam cap. 25.* non eſt quod ad ſepulchrum filii tui curras, peſſima ejus, & ipſi moleſtiſſima iſtic jacent oſſa, cineresque, non magis illius partes, quam veſtes, aliaque tegumenta corporum. Integer ille, nihilque in terris relinquens fugit, & totus exceſſit. *Arnob. ipſe lib. 2. contra Gentes:* Quid aliud ſumus, *inquit*, quam animæ corporibus incluſæ. *Verum rectius multo Auguſt. corpus ipſum ad hominis naturam pertinere docet. Tertull. lib. de reſurrect. carnis cap. 40.* Nec anima, *inquit*, per ſemetipſam homo, quæ figmento jam homini appellato poſtea inſerta eſt: nec caro ſine anima, homo, quæ poſt exilium animæ cadaver inſcribitur, ita vocabulum Homo conſertarum ſubſtantiarum duarum quodammodo fibula eſt, ſub quo vocabulo non poſſunt eſſe niſi cohærentes.

ε De ſepeliendis vel etiam transferendis ſuis corporibus.] *Gen. 47. & 49. noluit Jacob ſepeliri in terra Ægypti, ſed transferri in terram Chanaan, & ſepeliri in ſepulchro patrum ſuorum. Cujus rei duplex cauſa reddi poteſt, litteralis una, myſtica altera. Litteralem Theodoretus hujusmodi reddit q. 49. in Geneſ.* Jacob mandavit corpus ſuum ſepeliri in Hebron, non quod de ſepultura valde ſollicitus eſſet, ut quidam putarunt, ſed ut familiam ſuam conſolaretur, & doceret, Deum illos omnes traducturum ex Ægypto, & daturum illis terram promiſſam: quod poſtea Joſeph clarius expreſſit, qui moriens ſic ait: Ecce ego morior, ſed viſitando viſitabit vos Deus, & redimet vos è terra iſta, in terram, de qua juravit patribus noſtris Abraham, Iſaac & Jacob. Et jurejurando Joſeph aſtrinxit filios Iſrael dicens: Cum viſitando viſitaverit vos Deus, efferetis etiam hinc oſſa mea vobiſcum. Ita

ut & certum ſit, & illum, & hunc denunciantes reditum hæc præcepiſſe de ſepultura. *Et Chryſoſt. hom. 67. in Gen.* Vide quod per mandatum hoc maximam eis conſolationem afferat: conſiderabant enim quod juſtus hæc non mandaſſet, niſi omnino ſciviſſet reditum ſuum futurum, & liberandos ſe à ſervitute Ægypti. *Lyranus in eum locum:* Non ſolum, *inquit*, propter Abraham, & Iſaac illic ſepultos deſiderabat Jacob ibidem ſepeliri, ſed principaliter quod in illa terra redemptio generis humani peragenda erat á Chriſto, qui in ea terra naſciturus, & converſaturus & moriturus erat, & reſurrecturus, de quibus Jacob habuit fidem, & notitiam aliquam; forſitan etiam videbat in ſpiritu, Chriſto reſurgente multos è mortuis cum eo reſurrecturos, de quorum numero ſe fore ſperabat. *Hæc Lyran. quibus addit Toſtat.* ob omnibus Catholicis credi, cum Chriſtus reſurrexit à mortuis: una cum illo alios, tum etiam ſanctum Patriarcham Jacob reſurrexiſſe. *Myſticam rationem reddit D. Auguſt. q. 161. in Geneſ.* Sepultura mortuorum ſignificat remiſſionem peccatorum, eo pertinens quod dictum eſt: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: ubi ergo ſepelienda erant hoc ſignificantia cadavera patriarcharum, niſi in ea terra, ubi ille crucifixus eſt, cujus ſanguine facta eſt remiſſio peccatorum: mortibus enim Patriarcharum peccata ſignificata ſunt hominum. *Hactenus Auguſt. Jacob itaque tam ſtudioſe mandans ſepeliri corpus ſuum in terra Chanaan, prophetice ſignificavit deſiderium remiſſionis peccatorum, & ſuorum, & univerſi generis humani, præſtandum à Chriſto per mortem ſuam in ea terra obeundam: non ſine myſterio certe tales ac tanti homines tantam curam de transferendis in terram Chanaan, ibique ſepeliendis ſuis corporibus geſſerunt, quod infra indicat D. Auguſt. Sunt quidem & alia, quæ ſancti Patriarchæ de corporibus ſuis vel condendis, vel transferendis prophetico ſpiritu dicta intelligi voluerunt. Eſt enim alias ea fidelium ſecuritas, quod ubicumque corpora eorum ſepeliantur, vel inſepulta etiam inimicorum rabie relinquantur, aut pro eorum libidine dilacerata abſumantur, non ideo vel minus integra, vel minus glorioſa in eorum reſurrectione futura.*

ζ Et Tobias ſepeliendo mortuos.] *Eadem ſcribit lib. de cura pro mortuis agenda cap. 3. Laudatur Tobias c. 2. hiſt. ſuæ, quod plus Deum timens, quam Regem rapiebat corpora occiſorum, & occultabat in domo ſua, & mediis noctibus ſepeliebat, & cap. 12. hoc illius pium opus ab Angelo valde commendatur.*

η Non hoc admonent, quòd inſit ullus cadaveribus ſenſus] *Idem lib. de cura pro mortuis agenda cap. 9.* Quæ tandem miſericordia præſtatur nihil ſentientibus? An forte hoc revocandum eſt ad illam opinionem, quod inferni fluvium inſepulti non poterant tranſmeare? Abſit hoc à fide Chriſtiana, alioqui peſſime actum eſt cum tanta martyrum multitudine, quorum non potuerunt corpora ſepeliri, & fallaciter eis veritas dixit. Nolite timere eos qui corpus occidunt, & poſtea non habent, quod faciant, ſi eis tanta mala facere potuerunt, quibus impedirent ad loca exoptata tranſire? ſed quia hoc ſine ulla dubitatione falſiſſimum eſt, nec aliquid obeſt fidelibus negata eorum corporibus ſepultura, nec aliquid, ſi exhibeatur infidelibus prodeſt:

Cur

Cur ergo illi qui Saulem, & filium ejus ſepelierunt, miſericordiam feciſſe dicuntur, & ob hoc à Rege pio benedicuntur, niſi quia bene afficiuntur corda miſerantium, quando ea dolent in mortuorum corporibus alienis, quæ illo affectu, quo nemo unquam carnem ſuam odio habet, nolunt fieri poſt mortem ſuam corporibus ſuis, & quod ſibi exhiberi volunt, quando ſenſuri non ſunt, aliis non ſentientibus curant exhibere, dum ipſi ſentiunt.

CAP. XIV.

De captivitate ſanctorum, quibus nunquam divina ſolatia defuerunt.

SEd multi, *α* inquiunt, Chriſtiani etiam captivi ducti ſunt. Hoc ſanè miſerrimum eſt, ſi aliquò duci potuerunt, ubi Deum ſuum non invenerunt. Sunt in Scripturis ſanctis hujus etiam cladis magna ſolatia. *a* *β* Fuerunt in captivitate tres pueri, fuit Daniel, fuerunt *b* alii Prophetæ, nec Deus defuit conſolator. Sic ergo non deſeruit fideles ſuos ſub dominatione gentis, licet barbaræ, tamen humanæ, qui *γ* Prophetam non deſeruit nec *c* in viſceribus beluæ. *δ* Hæc quoque illi cum quibus agimus malunt irridere, quàm credere: *ε* qui tamen in ſuis literis credunt *d* Arionem Methymnæum nobiliſſimum cithariſtam, cùm eſſet ejectus de navi, exceptum Delphini dorſo, & ad terras pervectum. Verùm illud noſtrum de Jona incredibilius eſt. Planè incredibilius, quia mirabilius: & mirabilius, quia potentius. *Dan. 1. Iona 2.*

a FUerunt in captivitate.] *Danielis primo: Ananias, Miſáel, & Azarias cum Daniele captivi fuerunt Nabuchodonoſoris.* *L. Vives.*

b Alii Prophetæ.] *Ut Hieremias, Ezechiel, & alii.*

c In viſceribus beluæ.] *Jonam intellige, qui triduum fuit in ventre ceti, imago hæc eſt Chriſti Servatoris reſurgentis è morte ad vitam.*

d Arionem Methymnæum.] *Arionis fabula & Delphini vulgata eſt apud ſcriptores. Herodotus eam primus ſcripſit, libro Muſarum primo, hinc Ovidius in Faſtis, & Plinius libro nono, & Gellius lib. xvi. & Ælianus de animalibus, & alii permulti. Fuit Arion citharœdus ex Methymna Lesbi inſulæ oppido, temporibus ſeptem Græciæ ſapientum, nam Periandro fuit chariſſimus. Sunt qui putent eum tragici carminis fuiſſe inventorem, chorúmque inſtituiſſe, & ceciniſſe carmen dithyrambicum. Hic cùm ex Italia magno facto quæſtu domum rediret, vidérétque pecuniæ gratia conjurare in ſuam perniciem nautas, rogavit ut ſibi cæteris captis, vitam ſolam relinquerent: cúmque id non impetraſſet, blanditiis exoravit, ut fidibus pauliſper liceret canere, quò mortem ſuam cantu illo conſolaretur. Ad ſuavitatem ſonitus congregatos ferunt Delphinos aliquot, ipſúmque Ariona non ignarum naturæ illius animalis, antequam inde dilaberetur, cum cithara & toto cultu deſiliiſſe in dorſum unius ex illis, qui eum placidè ad Tænarum devexit: ibique viſitur ſimulachrum delphini vehentis, & hominis inſidentis. Plinius aſſerit, eſſe delphinum amicum homini animal, idque multis exemplis confirmat.*

e Quia mirabilius.] *Intra viſcera ſervatum eſſe tam diu.*

F.L.Coq. α Sed multi, inquiunt, Chriſtiani etiam captivi ducti ſunt.] *Objectioni occurrit, & captivitatem nihil nocere ſervis Dei demonſtrat, quocunque enim ducuntur, adeſt eis Deus præſens. Idem epiſt. 122. ad Victorianum, qua eum conſolatur ſuper malis, quæ barbari graſſentes per Italiam, & Hiſpaniam inferebant ſanctis viris, & ſacris virginibus.* Graviſſima ſane, *inquit*, & multum dolenda eſt illa captivitas fœminarum ſanctarum atque caſtarum, ſed non eſt captivus earum Deus, nec captivas deſerit ſuas, ſi novit ſuas. Nam & illi ſancti quorum paſſiones, & confeſſiones de ſcripturis ſanctis commemoravi, ab hoſtibus ducti, atque in captivitate poſiti *(Danielem & ſocios intelligit)* illa dixerunt, quæ conſcripta leguntur à nobis, ut diſcamus, captivos Dei ſervos non deſeri à Domino ſuo. *D. Baſilius reſpondit Modeſto præfecto Valentis minitanti ſibi exilium:* Nec ego ullum exilium cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum ac neque terram hanc, quam nunc incolo meam habeo, & eam omnẽ, in qua projectus fuero pro mea duco: immo ut rectius loquar, univerſam terram Dei eſſe ſcio, cujus advena ego ſum, atque peregrinus.

β Fuerunt in captivitate tres pueri.] *Danielem, & ſocios, & alios prophetas Deus permiſit in captivitatem duci, tum ut ſuis eſſent ſolatio, eosque in cultu veri Dei continerent, ne ad impias ſuperſtitiones gentium, cum quibus verſabantur, declinarent: cum ut per eos barbaris Regibus, & gentibus nomen, & majeſtas Dei unius ac veri innoteſceret: tum etiam non dubium eſt, captivitatem illam potius fuiſſe utilitati ſanctis, quam damno, cum omnia electis cooperentur in bonum: ſi quid enim in Deum offendiſſent captivitate illa, quam patienter tulerunt, expiatum eſt. Ita reſpondet D. Auguſt. epiſt. citata ſimilem objectionem moventibus.* Si nos iſta meruimus, quare & ſervi Dei barbarorum ferro perempti ſunt, & ancillæ Dei captivæ ductæ ſunt. Quantamlibet, *inquit*, juſtitiam ſervemus, quantamlibet domino obedientiam exhibeamus. Nunquid meliores eſſe poſſumus illis viris, qui in caminum ignis pro conſervanda lege Dei projecti ſunt? *Et tamen tum illi, tum etiam Daniel fatentur ſibi juſte à Deo ob peccata inflictas eſſe hujusmodi calamitates, Chryſ. ſerm. 9. de reſurrect. Captivitatis perſecutionem ſi non deſit fides, poſſe in martyrium imputari, ſcribit.*

γ Qui prophetam non deſeruit, nec in viſceribus belluæ.] *Jonam intelligit, qui triduum fuit in ventre ceti, figuram Chriſti. Jonæ 2. Matth. 12.*

δ Hæc quoque illi cum quibus agimus.] *Idem epiſt. 49. ad Deogratias q. 6. reſpondet ad hanc quæſtionem de Jonæ hiſtoria, tanquam propoſitam ex irriſione gentilium, quibus ἀπίθανον, & incredibile videbatur transvoratum cum veſte hominem fuiſſe in corde piſcis.* Hoc genus quæſtionis, *inquit*, multo cachinno à paganis graviter irriſum animadvertitur: *ad quod reſpondet, quod aut omnia divina miracula credenda non ſint, aut hoc cur non credatur nulla cauſa ſit.* In ipſum autem Chriſtum, quod tertio die reſurrexit, *inquit*, non crederemus, ſi fides Chriſtianorum metueret cachinnum paganorum.

ε Qui tamen in ſuis literis credunt Arionem.] *Simile eſt, quod epiſtola citata ſcribit. Et tamen ſi hoc quod de Jona ſcriptum eſt, Apulejus Madaurenſis, vel Apollonius*

lonius Thianeus feciſſe dicerentur, quorum multa mira nullo fideli auctore jactitant, quamvis & dæmones nonnulla faciant Angelis ſanctis ſimilia, non veritate, ſed ſpecie, non ſapientia, ſed plane fallacia; tamen ſi de iſtis ut dixi, quos Magos, vel philoſophos laudabiliter nominant, tale aliquid narraretur, non jam in buccis creparet riſus, ſed typhus. Arionis Methymnæi hiſtoriæ ſeu potius fabulæ meminit Herodotus lib. 1. Plin. lib. 9. cap. 8. Agellius lib. 16. cap. 19.

CAP. XV.

De Regulo, in quo captivitatis ob religionem etiam ſponte tolerandæ extat exemplum, quod tamen illi Deos colenti prodeſſe non potuit.

HAbent tamen iſti de captivitate religionis cauſa etiam ſponte toleranda, & in ſuis præclaris viris nobiliſſimum exemplum. *a* α Marcus Attilius Regulus Imperator populi Romani captivus apud Carthaginienſes fuit. Qui cùm ſibi mallent à Romanis ſuos reddi, quàm eorum tenere captivos, ad hoc impetrandum etiam juſtum præcipuè Regulum cum legatis ſuis Romam miſerunt, prius juratione conſtrictum, ſi quod volebant minimè peregiſſet, rediturum eſſe Carthaginem. Perrexit ille, atque in ſenatu contraria perſuaſit: quoniam non arbitrabatur utile eſſe Romanæ reip. mutare captivos. Nec poſt hanc perſuaſionem à ſuis ad hoſtes redire compulſus eſt: ſed quod juraverat, id ſponte implevit. *al. quid.* At illi eum excogitatis atque horrendis cruciatibus necaverunt. *b* β Incluſum quippe anguſto ligno ubi ſtare cogeretur, clavisque acutiſſimis undique confixo, ut ſe in nullam ejus partem ſine pœnis atrociſſimis inclinaret, etiam vigilando peremerunt. Meritò certè laudant virtutem, tam magna infœlicitate majorem. *c* γ Et per deos ille juraverat, quorum pro cultu prohibito, has generi humano clades iſti opinantur infligi. Qui ergo propterea colebantur, ut iſtam vitam proſperam redderent, ſi verum juranti has irrogari pœnas ſeu voluere, ſeu permiſere, quid perjuro gravius irati facere potuerunt? *d* Sed cur ratiocinationem meam non potius ad utrumque concludam? Deos certè ſi ille coluit, δ ut propter jurisjurandi fidem, nec remaneret in patria, nec inde quolibet ire, ſed ad ſuos acerrimos inimicos redire minimè dubitaret: hoc ſi huic vitæ utile exiſtimabat, cujus tam horrendum exitum meruit, proculdubio fallebatur. Suo quippe docuit exemplo, nihil Deos ad iſtam temporalem fœlicitatem ſuis prodeſſe cultoribus, quandoquidem ille eorum deditus cultui, & victus & captivus abductus eſt: & quia noluit aliter quàm per eos juraverat facere, novo ac prius inaudito nimiúmque horribili ſupplicii genere cruciatus extinctus eſt: ſi autem cultus deorum poſt hanc vitam velut mercedem reddit fœlicitatem, cur calumniantur temporibus Chriſtianis, ideò dicentes Urbi accidiſſe illam calamitatem, quia deos ſuos colere deſtitit, cùm potuerit etiam illos diligentiſſimè colens tam infœlix fieri, quam ille Regulus fuit? Niſi fortè contra clariſſimam veritatem, tanta quiſquam dementia miræ cœcitatis obnititur, ut contendere audeat, univerſam civitatem deos colentem infœlicem eſſe non poſſe, unum verò hominem poſſe: quòd videlicet potentia deorum ſuorum mul-

multos potius ſit idonea conſervare, quàm ſingulos, *e* cum multitudo conſtet ex ſingulis? Si autem dicunt, M. Regulum etiam in illa captivitate, illiſque cruciatibus corporis, animi *f* *s* virtute beatum eſſe potuiſſe, virtus potius vera quæratur, qua beata poſſit eſſe & civitas. Neque enim aliunde beata civitas, aliunde homo: cùm *ζ* aliud civitas non ſit, quàm concors hominum multitudo. Quamobrem nondum interim diſputo, qualis in Regulo virtus fuerit. Sufficit nunc quòd iſto nobiliſſimo exemplo coguntur fateri, non propter corporis bona, vel earum rerum, quæ extrinſecus homini accidunt, colendos Deos: quandoquidem ille carere his omnibus maluit, quàm deos, per quos juravit, offendere. Sed quid faciemus hominibus, qui gloriantur, talem ſe habuiſſe civem, qualem timent habere civitatem? Quòd ſi non timent, tale ergo aliquid, quale accidit Regulo, etiam civitati tam diligenter, quàm ille, deos colenti accidere potuiſſe fateantur, & Chriſtianis temporibus non calumnientur. Verùm quia de illis Chriſtianis orta quæſtio eſt; qui etiam captivi ducti ſunt: hoc intueantur & taceant, qui ſaluberrimæ religioni hinc impudenter atque imprudenter illudunt: quia ſi diis eorum probro non fuit, quòd attentiſſimus cultor illorum, dum eis jurisjurandi fidem ſervaret, patria caruit, dum aliam non haberet, captivúſque apud hoſtes longa morte & ſupplicio novæ crudelitatis occiſus eſt, multò minus nomen criminandum eſt Chriſtianum, in captivitate ſacratorum ſuorum, qui *η* ſupernam patriam veraci fide expectantes, etiam *g* in ſuis ſedibus *θ* peregrinos ſe eſſe noverunt. 1. Pet. 2.

L. Vives. Attilius Regulus. *a* MArcus Attilius Regulus.] *Hiſtoria hæc eſt etiam celebris: ſcribunt eam plurimi. M. Attilius Regulus primo Punico bello conſul cum L. Manlio Volſone factus eſt: utrique conſuli Africum bellum eſt mandatum: quod ſolum ea tempeſtate gerebat po. Ro. Attilius primus omnium Romanorum exercitum in Africam tranſportavit, ibique victos aliquot præliis Carthaginienſes implorare aliena auxilia coëgit. Accitus eſt è Lacedæmone Xanthippus homo in bellis exercitatiſſimus, cujus virtute reparatum eſt bellum, & commiſſa pugna, in qua Ro. exercitus eſt cæſus, & ipſe Imperator Attilius in poteſtatem hoſtium vivus venit. Qui cùm per aliquot annos eſſet inter alios captivos Carthagine ſervatus anno belli quarto decimo, à condita Roma quingenteſimo tertio, ad ſenatum legatus de commutandis captivis miſſus eſt, fide data rediturum ſe, ſi non impetraſſet, cujus gratia mittebatur. Romam cùm veniſſet, ſenatúſque illi datus eſſet, ſententiam eſt à conſule conſulari rogatus loco, quam dicere primùm recuſavit. Deinde juſſus à ſenatu dicere, diſſuaſit quod Carthaginienſes petebant, quòd captivi Carthaginienſes, qui Romæ erant, juvenes eſſent, & bello boni: Romani verò, qui eſſent Carthagine, ſenes, bello jam inutiles, nec conſiliis magnopere neceſſarii. Itaque ei cunctus ſenatus aſſenſus eſt. Cúmque à liberis, conſanguineis, gentilibus, propinquis, neceſſariis, clientibus, quæ maxima pars populi erat, retineretur, fidem hoſti datam liberare prorſus voluit, non ignarus, infecta re, & quidem ſe diſſuadente infenſiſſimos ſibi Afros habiturum, moriendúmque ſibi per exquiſitiſſima ſupplicia eſſe. Ita Carthaginem reverſus, legatione renunciata, per longa & nova cruciamenta interiit.*

Inclu-

b Incluſum.] *Alii alio dicunt eum mortis genere periiſſe: in perpetua vigilia conſentiunt omnes. Valerius libro nono de machina, in qua undique præacuti ſtimuli eminebant, meminit, quem Auguſtinus ſequitur.*

c Et per Deos.] *Significantius fuiſſet, ſi addidiſſet, quod emphaſin haberet: Et per illos Deos ille juraverat, quorum &c.*

d Sed cur ratiocinationem meam.] *Dilemma, ſi præmium bene cultæ religionis illorum Deorum eſt in hac vita, cur ſic obiit Attilius ejus obſervantiſſimus? ſi eſt poſt hanc vitam, cur proſperitatem hujus tanquam mercedem expetunt?*

e Cùm multitudo conſtet ex ſingulis.] *Si ſint ergo ſinguli miſeri, quid poterit eſſe multitudo fœlix?*

f Virtute beatum.] *Sic Cicero ſentit multis in locis, ſic Seneca, ſic docti & ſapientes omnes, qui de Regulo loquuntur.*

g In ſuis ſedibus.] *Terreſtribus.*

α MArcus Attilius Regulus.] *Hic primo bello Punico primus Romanorum ducum exercitum in Africam trajecit, & ita vires Carthaginenſium attrivit, ut coacti ſint aliunde implorare auxilia. Accitus è Lacedæmone Xantippus homo rei militaris periti ſſimus, cujus virtute reparatum eſt bellum, cæſi Romani, Attilius ipſe vivus in hoſtium poteſtatem venit: aliquot poſt annis miſſus eſt ad Senatum legatus de permutandis captivis, jurejurando pollicitus, ſe, ſi non impetraſſet, rediturum, quod & fecit. Vide Polyb. lib. 1. Appianum initio Lybici. Florum lib. 2. tit. 2. Eutrop. in 2. cap. 3. Oroſ. lib. 4. c. 8. 9. & 10. Zonaram tom. 2. Sabellic. Ennead. 4. lib. 9. Cic. 3. offic. miris laudibus effert Attilium Regulum, quod privatæ utilitati patriam antepoſuerit. Reddi enim captivos Carthaginenſibus, negavit eſſe utile, illos enim adoleſcentes eſſe, & bonos duces, ſe jam confectum ſenectute: Et cum juraſſet Carthaginenſibus, niſi perſuaſiſſet ſenatui de remittendis captivis, Carthaginem ſe rediturum, quamquam non ignoraret, ſe ad crudeliſſimum hoſtem, & ad exquiſita ſupplicia proficiſci, jusjurandum tamen conſervandum putabat.*

β Incluſum quippe anguſto ligno.] *Cic. orat. in Piſonem:* Marcum Attilium Regulum Carthaginenſes reſectis palpebris illigatum in machina vigilando necaverunt. *Val. Max. lib. 9. c. 2.* tormentum, *inquit,* haud dignum paſſo, auctoribus digniſſimum. *Oroſ. lib. 4. cap. 10. Appian. in Lybico.* Αὐτὸν οἱ Καρχηδόνιοι καθείρξαντες ἐν γαλεάγρᾳ κέντρα πάντοθεν ἐχούσῃ διέφθειραν: Carthaginenſes cavea incluſum ſtimulis undique extantibus confecerunt. *Agell. lib. 6. c. 4. fuſius refert ex Tuberone, & Tuditano novis exemplorum modis excruciatum à Pœnis Regulum: in atras & profundiſſimas tenebras eum claudebant, & poſtea ubi erat viſus ſol ardentiſſimus repente educebant, & adverſus ictus Solis oppoſitum continebant, & intendere in cœlum oculos cogebant, palpebras quoque ejus ne connivere poſſet, ſurſum & deorſum diductas inſuebant. Tuditanus autem ſomno diu prohibitum, atque ita vita privatum refert. Idque ubi Romæ cognitum eſt, nobiliſſimos Pœnorum captivos liberis Reguli à ſenatu deditos, & ab his in armario muricibus præfixo deſtitutos, eodemque inſomnio cruciatos interiiſſe.*

γ Et per Deos ille juraverat.] *Objicitis his, qui Chriſtum colunt, tot calamitates*

H accidiſſe,

accidiſſe, plures in captivitatem ductos eſſe, vel etiam crudeliſſime periiſſe. At regulus cum per deos, quos colitis, & quorum cultum retinendum clamatis, juraſſet, propter jurisjurandi religionem, ne in Deos peccaret, redire ad hoſtes voluit, dii tamen illi nihil ei ad fœlicitatem terrenam conferre potuerunt, cum eum horrendis cruciatibus hoſtes necaverint. Quid ergo, *inquit*, calumniantur Chriſtianis temporibus dicentes, ideo urbi accidiſſe calamitatem illam, quia Deorum cultum abjecit, cum potuerit etiam illos diligentiſſime colens tam infœlix fieri, quàm Regulus fuit.

δ Ut propter jurisjurandi fidem.] *Eſt jusjurandum, ait Cic. 3. offic.* affirmatio religioſa per divorum numen, vel religionem aliquam interpoſita: quod autem affirmate, quaſi Deo teſte promiſeris, id tenendum eſt. *Tanta fuit apud Romanos jurisjurandi religio, ut licet nō coegerint Regulum jurejurando adactum Carthaginem redire: ut tamen refert Cic. ex Polyb. cum poſt Cannenſem pugnam decem nobiliſſimos Annibal Romam miſiſſet juratos, ſe redituros in eā caſtra, quibus erant potiti Pœni, niſi de redimendis captivis impetraviſſent, novem reverti ſſe a ſenatu re non impetrata, unum ex decem qui paulo poſtquam egreſſus erat è caſtris rediiſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus Romæ remanſiſſe, quod reditu in caſtra, liberatum ſe eſſe jurejurando interpretaretur: at non recte, fuit enim ſtulta calliditas. Itaque decrevit ſenatus, ut ille veterator & callidus vinctus ad Annibalem duceretur. Cic. 3. offic.* Nullum vinculum ad aſtringendam fidem jurejurando, majores arctius eſſe voluerunt.

ε Animi virtute beatum eſſe potuiſſe.] *Cic. lib. 3. offic. Seneca lib. 5. de beneficiis c. 3. & epiſt. 71. fuit in Regulo primum fides, quæ eſt dictorum, conventorumque conſtantia, & veritas: nec enim fidem fefellit: quæ etiam hoſti ſervanda eſt, fuit in eo amor patriæ, cujus utilitatem privatæ prætulit, ſumma conſtantia & fortitudo in adverſis.*

ζ Cum aliud civitas non ſit.] *Agellius lib. 18. c. 7. ex Verrio Flacco: civitatem & pro loco, & pro oppido, & pro jure quoque omnium, & pro hominum multitudine ſumi ſcribit. Servius ad illud 2. Æneid. Invadunt urbem:* Urbs, *ait*, muros ſignificat, civitas ejus habitatores. *Non. Marcell.* Inter urbem, & civitatem hoc intereſt, urbs eſt, ædificia; civitas, incolæ.

η Qui ſupernam patriam veraci fide expectantes.] *2. Petri 3.* Novos vero cœlos, & novam terram ſecundum promiſſa illius expectamus.

θ Peregrinos ſe eſſe noverunt] *D. Paulus Hebr. 11. de ſanctis patribus:* Juxta fidem, *inquit*, defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas adſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. *Jacob, Geneſ. 47. dies quos vixerat ſuper terram, vocat dies peregrinationis ſuæ. Pſal. 38.* Advena ſum ego, & peregrinus ſicut omnes patres mei. *2. Cor. 5.* quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. *Ita Tertull. Apologe. c. 1. de religione Chriſtiana loquens:* Scit, *inquit*, ſe peregrinum in terris agere, inter extraneos facile inimicos invenire. *Notat B. Hierony. epiſt. 129. in ſcriptura habitatores terræ appellari peccatores, non autem juſtos, hos namque peregrinos & advenas*

venas vocari ſolere: Non enim habemus hic civitatem permanentem, ſed futuram inquirimus. *Hebr. 13. Ad Philip. 3.* noſtra converſatio in cœlis eſt, ex quo & ſalvatorem expectamus. *1. Petri 2.* dilecti obſecro vos tanquam advenas & peregrinos: *Fideles in hoc mundo viatores vocamus, quemadmodum & beatos comprehenſores. D. Ambroſ. lib. 2. de Abraham cap. 9. expendens illa verba Geneſ. 15.* Peregrinum futurum erit ſemen tuum, quia, *inquit,* verum ſemen Abrahæ peregrinatur in hoc mundo. Illud enim verum ſemen eſt, de quo dictum eſt: *In Iſaac erit ſemen tuum. Cujusmodi ſunt fideles, qui quemadmodum Abraham pater ille fidelium inter impios ſemper peregrinatus eſt, ita peregrinantur in hoc mundo.*

Cap. XVI.

An ſtupris, quæ etiam ſanctarum forte virginum eſt paſſa captivitas, contaminari potuerit virtus animi, ſine voluntatis aſſenſu.

MAgnum ſanè crimen ſe putant objicere Chriſtianis, cùm eorum exaggerantes captivitatem, addunt etiam ſtupra commiſſa, α non ſolùm in aliena matrimonia virginéſque nupturas, ſed etiam β in quaſdam ſanctimoniales, Hic verò non fides, non pietas, non ipſa virtus, quæ caſtitas dicitur, ſed noſtra potius diſputatio *a* inter pudorem atque rationem quibuſdam coarctatur anguſtiis. *b* Nec tantùm curamus hîc alienis reſponſionem reddere, γ quantum ipſis noſtris conſolationem. Sit igitur in primis poſitum atque firmatum, virtutem qua rectè vivitur *c* ab animi ſede membris corporis imperare, ſanctúmque corpus uſu fieri ſanctæ voluntatis. Quæ inconcuſſa ac ſtabili permanente, quicquid alius de corpore, vel in corpore fecerit, *d* quod ſine peccato proprio non valeat evitari, præter culpam eſſe patientis. δ Sed quia non ſolùm quod ad dolorem, verum etiam quod ad libidinem pertinet, in corpore alieno perpetrari poteſt, quicquid tale perpetratum fuerit, & ſi retentam conſtantiſſimo animo pudicitiam non excutit, pudorem tamen incutit: ne credatur factum cum mentis etiam voluntate, quod fieri fortaſſe ſine carnis aliqua voluptate non potuit. Ac per hoc & quæ ſe occiderunt, ne quicquam hujusmodi paterentur, quis humanus affectus eis nolit ignoſci? Et quæ ſe occidere noluerunt, ne ſuo facinore alienum flagitium devitarent, quisquis eis hoc crimini dederit, ipſe crimine inſipientiæ non carebit.

a INter pudorem atque rationem.] *Pudor enim probibet etiam corporis violationem non vocari malam, ratio id jubet.* L. Vives.

b Nec tantùm.] *Erunt hæc quæ dicentur noſtris Chriſtianis mulieribus, quarum corpora violata ſunt, vice cujusdam conſolationis.*

c Ab animi ſede.] *Sic Platonici in capite, tanquam in arce, rationem cum virtute ſtatuunt, mandatricem operum proſpecturámque labori, ut Claudianus inquit.*

d Quod ſine peccato.] *Nam alio modo, ſi ſine peccato noſtro vitare poſſimus, anniti pro viribus debemus, ut vitetur.*

NOn ſolum in aliena matrimonia virginesque nupturas.] *D. Hierony. epiſt. 3. ad Heliodorum de illorum temporum calamitate loquens.* Quot matronæ, F. L. Coq.

inquit, quot virgines Dei, & ingenua, nobiliaque corpora his bellis fuere ludibrio? *Epiſt. 8. ad Demetriadem:* Dudum inter barbaras tremuiſti manus, aviæ & matris ſinu, & palliis tegebaris: vidiſti te captivam, & pudicitiam tuam non tuæ poteſtatis, horruiſti truces hoſtium vultus, raptas virgines Dei tanto gemitu conſpexiſti. *Notandum enim quod quamquam Alaricus Chriſtianis parcendum edixiſſet, qui in urbis eccleſiis invenirentur, alii vero hoſtium loco haberentur, cum Chriſtiani primo non agnoſcerentur, compertos tamen poſtea Chriſtianos barbaricus furor venia dignos exiſtimavit. Verum quia non omnium Gothorum eadem erat humanitas, atque religio, vel metus Alarici, ut ejus edicto parerent, non omnibus in tot miſeriis ea fœlicitas obtigit, ut apprehenſæ fœminæ dimitterentur à barbaris, quia plures extra Eccleſias repertas ſacras virgines ſecum duxerunt: hoc igitur inter alia Gentiles Chriſtianis objiciebant: Verum optime reſpondet, non poſſe virginitatem per vim illatam pati diſpendium.*

β In quaſdam ſanctimoniales.] *Id eſt virgines Deo devotas, dicatas, & conſecratas. unde conſtat, jam tempore D. Auguſtini virgines Deo conſecrari ſolitas ad cuſtodiendam virginitatem. Quod idem ex aliis illius locis manifeſtum, ut lib. de ſancta virginitate paſſim. lib. 8. confeſſ. cap. 6. in Pſal. 78. 83. lib. de unit. Eccleſ. cap. 2. ex D. Ambroſio ad virginem lapſam c. 5. & lib. de inſtitut. virg. cap. 17. Et lib. 1. de virginibus ſub finem, & lib. 3. item de virginib. ex D. Hieron. epiſt. 8. ad Demetriadem. epiſt. 20. ad Marcellam. Immo id conſtat ex antiquiore Tertul. lib. de velandis virginibus, cujus libri plurima loca legit ad hoc inſtitutum Pammelius num. 1. & ex D. Cypriano lib. de diſciplina, & habitu virginum, & epiſt. 62. ad Pomponium, quibus locis Pammelius idem plura de antiquitate voti virginitatis in fœminis,* [*quarum & nonnullæ ab initio naſcentis Eccleſiæ Deo conſecrabantur, ut de Iphigenia à D. Mattheo conſecrata refert Abdias.*] *Non hoc loco modo ſanctimoniales appellat D. Auguſt. verum & ſerm. 22. de verbis Domini in Evange. Matthæi,* quæ proprie, & excellentiori ſanctitate virgines in Eccleſia nominantur, quas etiam uſitatiori vocabulo ſanctimoniales appellare conſuevimus. *Et in Pſal. 99.* Invenis Sanctimoniales indiſciplinatas, numquid ideo Sanctimonium reprehendendum eſt? *lib. 20. contra Fauſtum cap. 2. vocat etiam Sanctimoniales, Et infra lib. 22. cap. 8.*

γ Quantum ipſis noſtris conſolationem.] *Magnum certe ſolatium, cum intelligunt honeſtæ mulieres, & caſtæ, cum non potuerunt vim hoſtium effugere, ſe nihilominus diſpendium nullum feciſſe virtutis, nihilque apud Deum demeruiſſe. Idem lib. 1. de libero arbitrio cap. 5.* de pudicitia quis dubitaverit, quin ea ſit in animo conſtituta, quandoquidem virtus eſt? unde à violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt. *Epi. 122. ad Victorianum.* Ad Deum ingemiſcentibus omnino ſuis aderit, qui ſuis adeſſe conſuevit, & aut nihil in eorum caſtiſſimis membris libidine hoſtili perpetrari permittet, aut ſi permittit, cum earum animus nulla conſenſionis turpitudine maculatur, etiam carnem ſuam defendit à crimine: Et quidquid in ea nec commiſit, nec permiſit libido patientis, ſolius erit culpa facientis, omniſq; illa violentia, non pro corruptionis turpitudine, ſed pro paſſionis vulnere deputabitur. *Et epiſt. 180. ad Honoratum:* magis timeamus ne ſenſu interiore corru-

corrupto pereat caſtitas fidei, quam ne fœmina ſi violenter conſtuprentur in carne, quia violentia non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur, quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis ſuæ turpiter carne non utitur; ſed ſine conſenſione tolerat, quod alius operatur. *D. Ambroſ. lib. 2. de virginib.* Tolerabilius eſt mentem virginem, quam carnem habere. Utrumque bonum ſi liceat, ſi non liceat ſaltem non homini caſtæ, ſed Deo ſimus. *ibidem.* Virgo proſtitui poteſt, adulterari non poteſt. Ubicumque Dei virgo eſt, templum Dei eſt, nec lupanaria infamant caſtitatem, ſed caſtitas etiam loci abolet infamiam. *Idem ad virginem lapſam cap. 4.* Revera non poteſt caro corrumpi, niſi mens ante fuerit corrupta. *Orig. lib. 2. ad cap. 2. epiſt. ad Rom.* Neque enim fieri poteſt, ut ſi ante quis non mœchatur in corde, mœchari poſſit in corpore, *D. Hieron. lib. Hebr. q. 111. in Geneſ. q. 12.* corpus mulieris non vis maculat, ſed voluntas. *Leo Papa epiſt. 85. cap. 2.* Injuſtum eſt eas in eo vel argui, vel notari, quod non voluntas amiſit, ſed vis hoſtilis eripuit.

d Sed quia non ſolum quod ad dolorem.] *Huc referri poſſunt quæ ſcribit Leo primus epiſt. 85. ad Epiſcopos Africæ. cap. 2.* De his autem, quæ in ſacro virginitatis propoſito conſtitutæ barbaricam pertulere violentiam, & integritatem pudoris non animo, ſed corpore perdidere, ea nobis ſervanda videtur moderatio, ut neque in viduarum dejiciantur gradum, nec in ſacrarum, & perſeverantium virginum numero cenſeantur. *c. 5.* Illæ famulæ Dei quæ integritatem pudoris oppreſſione barbarica perdidere, laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia ſua, ſi ſe incontaminatis non audeant comparare virginibus. *Quamvis enim omne peccatum ex voluntate naſcatur, & potuerit corruptione carnis mens invicta non pollui, minus tamen hoc eis oberit, ſi quod poterant animo non amittere, doleant ſe vel corpore perdidiſſe, & recitatur 32. qu. 5.*

e Quod fieri fortaſſe ſine carnis aliqua voluptate.] *Unde tamen non tollitur virginitas, immunitas enim ab hujusmodi delectatione ad virginitatem ſe habet tantum materialiter: ipſum vero propoſitum perpetuo abſtinendi à tali delectatione ſe habet formaliter, & completive in virginitate. D. Thom. 1. 2. q. 152. artic. 1. in corp. & ad 4. docet, quod quando præter propoſitum mentis per violentiam illatam, cui mens non conſentit, caro delectationem experitur, non perditur virginitas, quia talis pollutio non accidit per impudicitiam, quam virginitas excludit.*

CAP. XVII.

De morte voluntaria ob metum pœnæ ſive dedecoris.

NAm *a* utique ſi non licet privata poteſtate alicui hominem occidere vel nocentem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit, profectò etiam qui ſeipſum occidit, homicida eſt. Et tantò fit nocentior cùm ſe occiderit, quantò innocentior in ea cauſa fuit, qua ſe occidendum putavit. *a* β Nam ſi Judæ factum meritò deteſtamur, *b* eúmque veritas judicat, cùm ſe laqueo ſuſpendit, ſceleratæ illius traditionis auxiſſe potius quàm expiaſſe commiſſum, quoniam Dei miſericordiam deſperando *c* γ exitiabiliter pœnitens, nullum ſibi ſalubris Matth. 27. Act. 1.

pœnitentiæ locum reliquit: quantò magis à ſua nece ſe abſtinere debet, qui tali ſupplicio, quid in ſe puniat non habet? Judas enim cùm ſe occidit, ſceleratum hominem occidit: & tamen non ſolùm Chriſti, verum etiam ſuæ mortis reus finivit hanc vitam, quia licet propter ſuum ſcelus, alio ſcelere ſuo occiſus eſt.

L. Vives. *a* NAm ſi Judæ factum.] *Hoc notum eſt omnibus ex Evangelio.*

b Eúmque veritas judicat.] *Actuum primo Petrus, & quòd Dominum prodiderit, & quòd ſe ſuſpenderit impiè & nefariè feciſſe pronunciat.*

c Exitiabiliter.] *Ita enim pœnituit eum, ut non ſatis ſe poſſe pœnitere tanti ſceleris deſperavit.*

F.L.Coq. *a* NAm utique ſi non licet.] *Verba hæc referuntur 23. q. 5. Nulla ratione licere ſibi necem adferre, multis capitibus diſſerit Auguſt. & hic quidem initio, quemadmodum non licet alterum privata auctoritate occidere, ita neque ſeipſum. Utrumque manifeſte ſcriptura improbat Geneſ. 9.* Quicumque effuderit ſanguinem humanum, effundetur ſanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. *Eſt iſtud 5. præceptum decalogi, Exod. 20. & Deuter. 6.* Non occides. *1. Joan. 3.* Scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in ſeipſo manentem. *D. Auguſt. epiſt. 61.* Nullis jubentibus legibus, vel legitimis poteſtatibus non licere alterum occidere etiam volentem, & petentem & vivere jam non volentem, ſatis indicat ſcriptura regnorum; ubi Rex David Regis Saulis interfectorem juſſit occidi: cum ille dixiſſet ab eo jam ſaucio, atque ſemivivo, petitum ſe fuiſſe, ut hoc faceret. *Ita qui ſe ipſum occidit homicida eſt, & non niſi ſcelerate, & contra omnes leges id facit. Atque id docet plerumque contra Donatiſtas, qui ſibi voluntarias mortes inferebant.*

b Nam ſi Judæ factum.] *D. Auguſt. lib. 1. contra Gaudentium cap. 37.* Ille idem traditorem id facere compulit, qui & illum puerum, quem ſanavit Dominus, in aquam & ignem ſæpe dejecit, & gregem porcorum in mare præcipitavit, & ipſi Dominò præcipitium de pinna templi audaci præſumptione ſuggeſſit, *ubi ſcribit, & Donatiſtas ejuſdem inſtinctu diaboli ſe ipſos in voluntariam mortem præcipitantes imitari Judam traditorem. Et lib. 2. contra litteras Petiliani. cap. 49. Donatiſtas ſibi mortem ſpontaneam afferentes, inimicos Chriſti, amicos diaboli, diſcipulos ſeductoris, condiſcipulos traditoris appellat, ſpontaneas enim mortes ab uno magiſtro utrique didicerunt, ille laqueum, iſti præcipitium. Eleganter Leo ſerm. 3. de paſſione Domini alloquens impium Judam:* Cordis tui, *inquit,* ſecutus es rabiem, & ſtante diabolo à dextris tuis, iniquitatem, quam in ſanctorum omnium armaveras caput, in tuum verticem retorſiſti, ut quia facinus tuum omnem menſuram ultionis exceſſerat, te haberet impietas tua judicem, te pateretur tua pœna carnificem. *Notat Cornel. Janſen. in concordiam Evangel. cap. 140. in multis impium Achitophel, qui etiam ſe laqueo ſuſpendit 2. Reg. 17. figuram fuiſſe Judæ, primum enim inſurgente impio Abſalone in patrem Davidem, cum prius fuiſſet patri familiariſſimus ab eo deficiens impio filio, & rebelli adhæſit: Ita Judas deficiens à Domino verò Davide, cui prius fuerat intimus, Judaico ſe conjunxit populo, cum in Chriſtum verum patrem inſurgeret, & ejus necem meditaretur. fuit ejuſdem typus in eo quod filio*

filio contra patrem conſilium ſuggeſſit, quo ille opprimeretur, offerens ſe ipſum in ducem exercitus, qui perſequeretur latentem Davidem: Ita Judas Judæis conſultor fuit, & dux eorum qui comprehenderunt Jeſum. Actor. 1. uterque tandem laqueo vitam finivit: & ut dicit Auguſt. propter ſcelus ſuum alio ſcelere occiſus eſt. Non licet ergo ulla authoritate ſibi manus violentas afferre, quod & alibi etiam idem ſcribit. ut epiſt. 52. Nolo dicere, quantum ſit nefas ſe ipſum hominem occidere inſontem, cum omnino non debeat vel merentem. *Hieron. in cap. 1. Jonæ,* Non eſt noſtrum, mortem arripere, ſed oblatam ab aliis libenter excipere. Unde & in perſecutionibus non licet propria perire manu, ſed percutienti colla ſubmittere. *Chryſoſt. homil. 82. in Joan. ad illud verbum Domini ad Petrum:* alius præcinget te & ducet, quo tu non vis, non niſi incentore diabolo hoc facinus committi docet. Nemo, *inquit,* ſine dolore à corpore diſſolvitur, divina hoc utiliter diſpenſante providentia, ne multi violentam mortem eligerent: nam ſi etiam ſic hoc diabolus perſuadere poteſt, & quam plurimos in præcipitia, & voragines impulit, niſi tantum animæ eſſet corporis deſiderium, in parvo etiam mœrore multi ſibi mortem conſciſcerent. *Id etiam philoſophi facile agnovere. Plato in Phædone Socratem & Cebetem Philoſophos in dialogi formam de hac re diſputantes inducens, nomine Socratis ſuam aperit ſententiam ſic inquiens Socrates,* Profecto ſermo ille, qui de his in arcanis habetur, in quadam cuſtodia eſſe homines, non decere quemquam ex hac ſeipſum ſolvere, neque aufugere, magnus quidem mihi videtur, neque cognitu facilis. Verumtamen id mihi, ô Cebes, recte apparet dictum, deos quidem curam habere noſtri, nos vero homines unam quandam ex poſſeſſionibus eſſe deorum. An non ita tibi videtur? *Cebes:* mihi quidem. *Socrates:* nonne igitur & tu ſi quis ex mancipiis tuis ſeipſum perimeret, cum tu nullo modo id permiſiſſes, iraſcereris utiq; illi, & ſi poteſtatem habeas, pœna quadam afficeres? *Cebes:* omninò. *Ubi Plato pulcherrima ſimilitudine ſuam ſententiã expreſſit. Ariſt. 5. Ethic. c. ult. dicit, eum injuriam inferre civitati, indeque ab ea, pœna & ignominia affici. Cic. 1. Tuſc.* vetat dominans ille in nobis Deus injuſſu hinc nos ſuo demigrare. *Paulo poſt:* Vir, *inquit,* ſapiens lætus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit, nec tamen illa vincula carceris ruperit; leges enim vetant, ſed tanquam à magiſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic à Deo evocatus atque emiſſus exierit. Vetat Pythag. *ait idem in Catone,* injuſſu Imperatoris, id eſt Dei, de præſidio, & ſtatione vitæ diſcedere. *Lactant. lib. 3. cap. 18.* Sicut in hanc vitam non ſponte noſtra venimus, ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod nobis aſſignatum eſt, ejuſdem juſſu nobis recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit, tandiu habitaturos, donec jubeat emitti. *Qua ratione nulli liceat ſeipſum occidere, vide D. Tho. 2. 2. qu. 68. art. 5.*

y Exitiabiliter pœnitens.] *Ut enim pœnitentia ſit fructifera, debet eſſe cum ſpe veniæ. D. Thom. 3. par. q. 85. art. 3. & 5. de pœnitentia. Et Leo ſerm. 5. de paſſione Domini;* Merito ſicut Propheta prædixerat, oratio ejus facta eſt in peccatum, quoniam conſummato ſcelere tam perverſa impii converſio fuit, ut etiam pœnitendo peccaret.

Cap.

Cap. XVIII.

De aliena violentiarum libidine, quam in oppreſſo corpore mens invita perpetitur.

Cur autem homo qui mali nihil fecit, ſibi malefaciat, & ſeipſum interficiendo hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem: atque in ſe perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum? *a* At enim, ne vel aliena polluat libido, metuitur. Non polluet, ſi aliena erit. Si autem polluet, aliena non erit. *β* Sed cùm pudicitia virtus ſit animi, *a γ* comitémque habeat fortitudinem, qua potius quælibet mala tolerare, quàm malo conſentire decernat. *b* Nullus autem magnanimus & pudicus in poteſtate habeat, quid de ſua carne fiat, ſed tantùm quid annuat mente, vel renuat: Quis tandem ſana mente putaverit, ſe perdere pudicitiam, ſi fortè in apprehenſa & oppreſſa carne ſua exerceatur & expleatur libido non ſua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia virtus animi non erit: nec pertinebit *c δ* ad ea bona quibus bene vivitur, ſed *ε* in bonis corporis numerabitur: qualia ſunt, vires, pulchritudo, ſana integráque valetudo, ac ſi quid hujuſcemodi eſt, *d* quæ bona, etiam ſi minuantur, bonam juſtámque vitam omninò non minuunt. *d* Quòd ſi tale aliquid eſt pudicitia, ut quid pro illa ne amittatur, etiam cum periculo corporis laboratur? Si autem animi bonum eſt, *f* etiam oppreſſo corpore non amittitur. Quin etiam ſanctæ continentiæ bonum eſt, cùm immunditiæ carnalium concupiſcentiarum non cedit, & ipſum corpus ſanctificatur: & ideò cum eis non cedere inconcuſſa intentione perſiſtit, *g* nec de ipſo corpore perit caſtitas, quia eo ſanctè utendi perſeverat voluntas, & quantum in ipſo eſt, etiam facultas. Neque enim eo corpus ſanctum eſt, quòd ejus membra ſunt integra, aut eo quòd nullo contrectantur attactu, cùm poſſint diverſis etiam caſibus, vulnerata vim perpeti: & medici aliquando ſaluti opitulantes, hæc ibi faciant, quæ horret aſpectus. *h ζ* Obſtetrix virginis cujuſdam integritatem manu velut explorans, ſive malevolentia, ſive inſcitia, ſive caſu dum inſpicit, perdidit. Non opinor, quenquam tam ſtultè ſapere, ut huic periiſſe aliquid exiſtimet, etiam de ipſius corporis ſanctitate, quamvis membri illius integritate jam perdita. *η* Quocirca propoſito animi permanente, per quod etiam corpus ſanctificari meruit, *i* nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſervat perſeverantia continentiæ ſuæ. An verò ſi aliqua fœmina mente corrupta, violatóque propoſito, quod Deo voverat, pergat vitianda ad deceptorem ſuum, adhuc eam pergentem ſanctam vel corpore dicimus, ea ſanctitate animi per quam corpus ſanctificabatur amiſſa atque deſtructa? abſit hic error. Et hinc potius admoneamur, ita non amitti corporis ſanctitatem, manente animi ſanctitate, etiam corpore oppreſſo, *θ* ſicut amittitur corporis ſanctitas violata animi ſanctitate, etiam corpore intacto. * Quamobrem quia non habet quod in ſe morte ſpontanea puniat fœmina, ſine ulla conſenſione ſua, violenter oppreſſa, & alieno compreſſa peccato: quantò minus antequam hoc fiat, ne admittatur homicidium

al. ſanctitas.

dium

dium certum, cùm ipſum flagitium quamvis alienum adhuc pendet incertum? An fortè huic perſpicuæ rationi, qua dicimus corpore oppreſſo, nequaquam propoſito caſtitatis ulla in malum conſenſione mutato, illius tantùm eſſe flagitium, qui opprimens concubuerit, non illius, quæ oppreſſa concumbenti nulla voluntate conſenſerit, contradicere audebunt hi, contra quos fœminarum Chriſtianarum in captivitate oppreſſarum, non tantùm mentes, verùm etiam corpora ſancta defendimus?

a COmitémque habeat fortitudinem.] *Connexæ namque ſunt virtutes omnes, & inter ſeſe complexæ, ut Philoſophi docent. Sed eſt nonnullis major inter ſe cognatio & conjunctio, quàm cum aliis.* L.Vives.

b Nullis autem magnanimus.] *Hic Plutarchus, niſi memoria fallor, ex Menandro dicit, non eſſe boni ac fortis viri dicere: Hoc non patiar, eſſe verò ejus dicere: Hoc non faciam.*

c Ad ea bona.] *Ad virtutes: nam triplex genus bonorum fecerunt Platonici & Peripatetici, quos populus ſecutus eſt: bonorum animi, bonorum corporis, bonorum fortunæ ſive externorum.* Bona triplicia.

d Quæ bona etiamſi.] *Hoc non modò ex ſententia Stoicorum, ſed etiam Platonis & Peripateticorum: qui externa & corporis bona, tametſi ad beatitudinem nonnihil, ad bonam tamen ſanctámque vitam nihil dicebant pertinere.*

e Quòd ſi tale aliquid.] *Si ex bonis eſt corporis, non eſt tanti, ut corporis jactura fiat propter eam: præſtantius enim debet cenſeri corpus quàm ipſa.*

f Etiam oppreſſo corpore.] *Sic ægram animi Brutus & Colatinus Lucretiam conſolabantur, de qua proximo loquetur capite, avertendo noxam à coacta in autorem delicti, ut inquit Livius, mentem peccare, non corpus. Et unde conſilium abfuerit, culpam abeſſe: Et nutrix illa apud Senecam Hippolyto: Mens impudicam facere, non caſus ſolet.*

g Nec de ipſo.] *Caſtitas corporis ex illa manat, quæ in mente eſt.*

h Obſtetrix virginis cujusdam.] *Videtur rem factam narrare, quoniam cujusdam dicit.*

i Nec ipſi corpori.] *Quàm ad vulgarem ſenſum illud dictum eſt, ſive à Bruto, ſive à Livio, homine utroque ingenii & prudentiæ non vulgaris, de ſanguine Lucretiæ jam occiſæ loquente: Per hunc caſtiſſimum ante regiam injuriam ſanguinem juro, quaſi verò poſt regiam injuriam non etiam fuerit caſtiſſimus, ſi libido omnis ab animo abfuerit, ut abfuiſſe putant.*

a AT enim ne vel aliena polluat libido.] *Referuntur 32. q. 5. quo loco pudicitiam violenter eripi non poſſe multorum teſtimoniis comprobatur. Poterat exiſtimare aliquis, licere ſibi violentas manus afferre, ne per alienam libidinem in oppreſſo corpore mens invita violentiam patiatur. Id igitur hoc cap. refutat, cum ea injuria nihil ſit nocitura, nec virtus ipſa pudicitiæ, quæ eſt in animo, aliquid damni patiatur, niſi tu in alterius facinus conſentias: licet enim mors potius ſuſtinenda ſit, quàm alterius libidini conſentiendum, vel etiam minimum peccatum committendum. Verum debet ſuſtineri illata ab alio, non eam ſibi quis inferre, ne per alienam libi-* F.L.Coq.

dinem vim patiatur: id enim eſſet in ſe perpetrare peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum. Hæc eadem doctrina eſt D. Thom. ſumta ex D. Auguſt. 2.2. q. 64. art. 5.

β Sed cum pudicitia virtus ſit animi.] *Cypr. lib. de bono pudicitiæ miris eam laudibus extollit:* pudicitia, *inquit*, eſt honor corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, fons caſtitatis, pax domus, concordiæ caput. *Et infra:* quid aliud eſt pudicitia, quàm mens honeſta ad cuſtodiam corporis data, ut ſexibus redditus pudor ſeveritate ſignatus fidem honoris de incorrupta ſobole ſervaret? *Multa etiam in ejus laudem Tertull. lib. de pudicitia, & inter cætera hæc primis verbis:* Pudicitia flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis.

γ Comitemque habeat fortitudinem.] *Connexas eſſe virtutes, docuit D. Thom. 1.2. q. 23. art. 1. quod docet Ariſt. 6. Ethic. cap. 13. Cic. 2. Tuſc. in qua ſententia fuerunt etiam veteres patres. In primis Auguſt. ipſe epiſt. 29. licet non probet hanc ſententiam tanquam divinam, qua dicitur: qui unam virtutem habuerit, omnes habere, eique nullas ineſſe, cui una defuerit, ſed hominibus hoc viſum eſſe multum quidem ingenioſis, ſed tamen hominibus: non tamen improbat. Et lib. 6. de Trinit. cap. 4. ſcribit, virtutes, quæ ſunt in animo humano, nullo modo ſeparari ab invicem. D. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 27. lib. 2. cap. 9. & lib. 5. in Lucam, in illud Lucæ:* Beati pauperes. connexæ ſunt, *inquit*, concatenatæque virtutes. *D. Hieronym. epiſt. ad Fabiolam de 42. manſionibus filiorum Iſrael, circa manſionem 38. dicit de virtutibus:* Hærent ſibi, & inter ſe connexæ ſunt, ut qui una caruerit, omnibus careat. *Epiſt. 26. ad Pammachium probat axioma illud Stoicorum, Virtutes omnes inter ſe eſſe connexas, & lib. 1. contra Pelagianos ſcribit, hanc Philoſophorum eſſe ſententiam. D. Greg. lib. 1. Moral. cap. 39.* Neque enim, *inquit*, unaquæque virtus vere virtus eſt, ſi mixta aliis virtutibus non eſt. *Et lib. 22. cap. 1.* una virtus ſine aliis aut omnino nulla eſt, aut imperfecta. *Hæc tamen connexio non ita intelligenda eſt, ut ne ſecundum eſſentiam quidem ulla poſſit virtus absque aliis conſiſtere, ſed quod nulla poſſit ſine reliquis habere perfectum ſtatum virtutis, qui in hoc conſiſtit, ut ipſa virtus ob nullam difficultatem, ſive in materia propria, ſive in aliena à recto officio deficiat. V. G.* Si ſit aliqua mulier caſta & pudica, quæ concupiſcentiam carnis facile reprimat, quod eſt officium hujusmodi virtutis, ſi tamen careat fortitudine, propoſito ſibi periculo mortis facile conſentiet alienæ libidini, nec modo contra fortitudinem, ſed etiam contra temperantiam peccabit, eo quod munus temperantiæ ſit in eo caſu abſtinere etiam à turpi delectatione, ſupponit igitur recte hoc loco pudicitiam, quæ virtus eſt animi, comitem habere fortitudinem.

δ Ad ea bona, quibus bene vivitur.] *Virtutes intelligit lib. 1. Retract. cap. 9. virtutem ſic definit; quod ſit qualitas animi, qua recte vivitur, qua nemo male utitur.*

ε In bonis corporis numerabitur: qualia ſunt vires.] *Cic. 5. Tuſc. ex ſententia Peripateticorum tria genera bonorum enumerat, Animi, Corporis, & Fortunæ. Eodem modo Plato, referente Laertio, bonorum tria genera enumerabat.* τὰ μὲν ἐν ψυχῇ, τὰ δὲ ἐν σώματι, τὰ δ' ἐκτός.

ζ Obſte-

ζ Obſtetrix virginis cujuſdam integritatem.] *Virginitas perfecta quadam temperantia eſt, per quam firmo quodam animi propoſito quis abſtinet ab omni actu venereo, conſervans illibatam corporis puritatem & integritatem. Juxta illud Ambroſii lib. de virginibus.* Caſtitas virginalis eſt expers contagionis integritas. *Verum ex doctrina D. Auguſt. hoc loco conſtat, per integritatem corporis eam non intelligi, quæ nullo prorſus caſu ſublata ſit, ſed quæ per nullam voluntariam obſcœnitatem ſit violata. Neque enim huic virgini periit aliquid etiam de corporis ſanctitate, quæ quodam obſtetricis contactu perdidit integritatem: Ea etiam corporis puritas, quæ in virgine deſideratur, non intelligitur, quæ per nullam omnino fœditatem polluta ſit, ſed quæ non ſit polluta per propriam voluntatem. Id poſt D. Auguſt. docet & D. Thom. 2. 2. qu. 152. art. 1. in corpore, & ad 3. Integritas corporalis membri per accidens ſe habet ad virginitatem, ſcilicet per hoc, quod ex propoſito voluntatis abſtinet quis à delectatione venerea, remanet integritas in membro corporeo. Unde ſi contingat, quod per alium modum, aliquo caſu membri integritas corrumpatur, non magis præjudicat virginitati, quàm ſi corrumpatur manus, aut pes.*

η Quocirca propoſito animi permanente.] *Conſiſtit enim virginitas formaliter & completive in hujuſmodi propoſito perpetuo abſtinendi à delectatione venerea, integritas vero carnis abſque omni experimento venereæ delectationis eſt tantum materiale in ipſa virginitate. lib. de ſancta virginitate, cap. 13. virginitatem definit, quod ſit in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio: quod ita interpretatur D. Thom. 2. 2. qu. 152. arti. 1. ad 1. non quod oporteat ſemper virginem actu talem meditationem habere, ſed quia hoc debet in propoſito gerere, ut perpetuo in hoc perſeveret. Epiſto 160. ſcribit, non eripi pudicitiam carnis, ſi mente ſervatur. Et epiſt. 180. ad Honorat.* Violentiâ, *inquit,* non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur, quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis ſua turpiter carne non utitur, ſed ſine conſenſione tolerat, quod alius operatur. *Et Lactant. lib. 6. cap. 23.* mens eſt profecto quæ peccat, quæ immoderatæ libidinis factum cogitatione complectitur, in hac crimen eſt, in hac omne delictum.

θ Sicut amittitur corporis ſanctitas violata.] *Eodem accedit, quod ſcribit lib. de ſancta virginitate cap. 8.* Sicut nemo utitur impudice corpore, niſi ſpiritu prius correpta nequitia, ita nemo pudicitiam ſervat in corpore, niſi ſpiritu prius inſita charitate. *D. Hieron. epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis: Hujuſmodi in quibus perit mente virginitas, vocat virgines malas, virgines carne non ſpiritu, virgines ſtultas, quæ oleum non habentes excluduntur à ſponſo. Quo accedit, quod ſcribit loco citato Lactantius:* Nam etſi corpus nulla ſit labe maculatum, non conſtat tamen pudicitia; nam ſi animus inceſtus eſt, nec illibata caſtitas videri poteſt, ubi conſcientiam cupiditas inquinavit. *Et quæ animo virginitatem amiſit, nec corpore virgo eſt, ait Baſilius lib. de vera virginitate: Hæc enim non à corporibus ad animas manat, ſed cum incorporalis animæ propria, & præcipua ſit, ejus pretioſiſſima integritate corpora quoque incorrupta ſervantur.*

CAP. XIX.

De Lucretia, quæ ſe ob illatum ſibi ſtuprum peremit.

Lucretiam α certè matronam nobilem veterémq; Romanam, pudicitiæ magnis efferunt laudibus. Hujus corpore cùm violenter oppreſſo, Tarquinii regis filius libidinosè potitus eſſet, β illa ſcelus improbiſſimi juvenis marito Colatino & propinquo Bruto, viris clariſſimis & fortiſſimis indicavit, γ eóſque b ad vindictam conſtrinxit. Deinde fœdi in ſe commiſſi ſceleris ægra atque impatiens ſe peremit. Quid dicemus? Adultera hæc, an caſta judicanda eſt? quis in hac controverſia laborandum putaverit? Egregiè quidam ex hoc veraciterque declamans ait: Mirabile dictu, δ duo fuerunt, & adulterium unus admiſit. Splendidè atque veriſſimè. Intuens enim in duorum corporum commixtione, unius inquinatiſſimam cupiditatem, alterius caſtiſſimam voluntatem: & non quid conjunctione membrorum, ſed quid animorum diverſitate ageretur, attendens: Duo, inquit fuerunt, & adulterium unus admiſit. Sed quid eſt hoc, quod in eam gravius vindicatur, quæ adulterium non admiſit? d ε Ille patria etiam cum patre pulſus eſt: hæc ſummo eſt mactata ſupplicio. Si non eſt illa impudicitia, qua invita comprimitur, non eſt hæc juſtitia, qua caſta punitur. ζ Vos appello leges judicéſque Romani. Nempe poſt patrata facinora, η nec quenquam e ſceleſtum & indemnatum impunè voluiſtis occidi. Si ergo ad veſtrum judicium quiſquam deferret hoc crimen, vobiſque probaretur: non ſolùm indemnatam, verum etiam caſtam & innocentem interfectam eſſe mulierem: nónne eum, qui id feciſſet, ſeveritate congrua plecteretis? Hoc fecit illa Lucretia, illa ſic prædicata Lucretia innocentem, caſtam, vim perpeſſam f Lucretiam inſuper interemit. Proferte ſententiam. Quòd ſi propterea non poteſtis, quia non aſtat, quam punire poſſitis, cur interfectricem innocentis & caſtæ tanta prædicatione laudatis? Quam certè θ apud infernos judices, etiam tales, quales poetarum veſtrorum carminibus cantitantur, nulla ratione defenditis. g conſtitutam ſcilicet inter illos.

Virg. Æn. 6.

> ι *Qui ſibi letum*
> *Inſontes peperere manu, lucémque peroſi,*
> *Projecere animas.*

Cui ad ſuperna redire cupienti

> *Fata obſtant, triſtiq; palus innabilis unda. Alligat.*

An fortè ideo ibi non eſt, quia non inſontem, ſed malè ſibi conſciam ſe peremit? Quid ſi enim h quod ipſa tantummodo noſſe poterat, quamvis juveni violenter irruenti, etiam ſua libidine illecta conſenſit? Idque in ſe puniens ita doluit, ut morte putaret expiandum? quanquam ne ſic quidem occidere ſe debuit, ſi fructuoſam poſſet apud Deos falſos agere pœnitentiam. Veruntamen ſi fortè ita eſt, κ falſúmque eſt illud, quòd duo fuerunt, & adulterium unus admiſit, ſed potius ambo adulterium commiſerunt, unus manifeſta invaſione, altera latente conſenſione, non ſe occidit inſontem, i & ideo poteſt à literatis ejus defenſoribus dici non eſſe apud inferos inter illos, qui ſibi letum inſontes peperere ma-

re manu. Sed ita hæc cauſa ex utroque latere coarctatur, ut ſi extenuatur homicidium, adulterium confirmetur: ſi purgatur adulterium, homicidium cumuletur. *k* Nec omnino invenitur exitus, ubi dicitur: λ Si adultera, cur laudata? ſi pudica, cur occiſa? Nobis tamen in hoc tam nobili fœminæ hujus exemplo, ad iſtos refutandos, qui Chriſtianis fœminis in captivitate compreſſis, alieni ab omni cogitatione ſanctitatis inſultant: ſufficit, quod in præclaris ejus laudibus dictum eſt: Duo fuerunt, & adulterium unus admiſit. Talis enim ab eis Lucretia magis credita eſt, quæ ſe nullo adulterino potuerit maculare conſenſu. Quod ergo ſeipſam quoniam adulterium pertulit, etiam non adultera occidit, non eſt pudicitiæ charitas, ſed pudoris infirmitas. Puduit enim eam turpitudinis alienæ in ſe commiſſæ, *l* etiam ſi non ſecum: *m* μ & Romana mulier laudis avida nimium verita eſt, ne putaretur quod violenter eſt paſſa cùm viveret, libenter paſſa, *n* ſi viveret. Unde ad oculos hominum mentis ſuæ teſtem illam pœnam adhibendam putavit, quibus conſcientiam demonſtrare non potuit. Sociam quippe facti ſe credi erubuit, ſi quod alius in ea fecerat turpiter, ferret ipſa patienter. Non hoc fœminæ Chriſtianæ fecerunt, quæ paſſæ ſimilia vivunt. Tamen nec in ſe ultæ ſunt crimen alienum, ne aliorum ſceleribus adderent ſua, ſi quoniam hoſtes in eis concupiſcendo ſtupra commiſerant, illæ in ſeipſis homicidia erubeſcenda committerent. Habent quippe intus gloriam caſtitatis; *o* ν teſtimonium conſcientiæ: habent autem coram oculis Dei ſui, nec requirunt amplius: ubi quid rectè faciant, non amplius habent, ne devient ab autoritate legis divinæ, cùm malè devitant offenſionem ſuſpicionis humanæ.

a Lucretiam certè.] *Hæc Lucretiæ hiſtoria vulgaris eſt, quamvis eam Dionyſius paulum aliter, quàm Livius tradat, ſed in ſumma rei conſentiunt.* L. Vives.

b Ad vindictam conſtrinxit.] *Livius verbis Lucretiæ: Sed date dextras fidémque, haud impunè adultero fore: dant ordine omnes fidem.*

c Egregiè quidam.] *Nondum quis hic fuerit, legi. Scholiaſtes noſter Vergilium dicit eſſe, ac ſe à magno quodam viro, qui hiſtorias multas legerat, ſcriptum inveniſſe. Quaſi verò, qui multas legit hiſtorias, poſſit ex ſe novam de rebus antiquis confingere. Sed nec Vergilius declamavit unquam, nec cauſam egiſſe niſi unam, idq́ ſemel traditur, ac forſan in illa una, quæ nunquam extitit, magnus ille hiſtoriarum lector divinavit hoc dictum eſſe. Cujus rei affirmandæ licentiam habebat, quia multas legerat hiſtorias, & eò majorem, ſi vel Licentiatus erat, vel Doctor.* Vergilio egit cauſam unam.

d Ille patria.] *Expulſus Tarquinius rex cum regia ſtirpe, de hoc libro tertio.*

e Sceleſtum & indemnatum.] *Cicero ſcribit de capite civis Romani legibus eſſe cautum, ne judicium ferretur, niſi à toto populo magnis comitiis, quæ dicuntur Centuriata. Modum & ordinem judicii ponit in oratione pro domo ſua, & Plutarchus in Gracchis.* De capite civis Ro. qualiter judicabatur.

f Lucretiam inſuper.] *Hoc enim auget rem, Lucretiam fuiſſe: hoc eſt, patritiam & primariam civitatis fœminam.*

g Conſtitutam ſcilicet inter illos.] *Vergilius in ſexto, novem circulis inferna contineri narrat: in quorum tertio dicit.*

Inferorũ novem circuli.

Proxima deinde tenent mæſti loca, qui ſibi letum,
Inſontes peperere manu, lucémque peroſi,
Projecere animas: quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores?
Fata obſtant, triſtiq; palus innabilis unda
Alligat, & novies Styx interfuſa coercet.

h Quod ipſa tantummodo.] *Neque enim alius ſcire poteſt, an & ipſa voluptate aliqua delinita tacitè conſenſerit.*

i Et ideo poteſt non literatis ejus defenſoribus.] *Melius ſic: Ideo poteſt à literatis ejus defenſoribus, vel à non literatis ejus defenſoribus.*

Dilemma.

k Nec omninò invenitur exitus.] *Dilemma eſt hoc: Si adultera, cur laudata? ſi pudica, cur occiſa? Hoc genus argumenti veteres, qui de rhetorica præceperunt arte, vel infirmatione alterius partis ſolvi dicunt, vel converſione, quam ἀντιςροφὴν vocant. Exempla ſunt apud Ciceronem in Rhet. Neutrum inveniri poſſe huic concluſioni exitum, Auguſtinus dicit.*

Antiſtrophe.

l Etiam ſi non ſecum.] *Nam aliena ipſa fuit à conſenſu turpitudinis.*

Romani laudis avidi.

m Et Rom. mulier.] *Romana enim gens avidiſſima fuit laudis, de qua dictum eſt:*

Vincit amor patriæ, laudúmque immenſa cupido.

Quin & ipſa Lucretia, ut Ovid. de ea inquit in Faſtis.

Succubuit famæ victa puella metu.

n Si viveret.] *Poſt adulterium in ſe perpetratum.*

o Teſtimonium conſcientiæ.] *Paulus 2. ad Corinth. 1. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Idem Stoici & cuncti ex gentibus ſapientes dixerunt.*

F.L.Coq.

α LUcretiam certe.] *Hiſtoria ſtupratæ à Sexto Tarquinio Lucretiæ, & mortis ejus, indeque facta mutatio ſtatus Reipub. legi poteſt apud Livium lib. 1. & Dionyſ. lib. 4. qui licet non nihil in tota hiſtoria enarranda à ſe diſſideant, in eo tamen quod potiſſimum eſt, conſentiunt. Cic. lib. 2. de finibus bon. & mal.* Stuprata per vim Lucretia à Regis filio teſtata cives ſeipſam interemit: Hic dolor pop. Rom. duce, & authore Bruto cauſa civitati libertatis fuit, ob ejusque mulieris memoriam, primo anno & vir & pater ejus conſul eſt factus.

β Illa ſcelus improbiſſimi juvenis marito Collatino.] *Ita Livius narrat, Lucretiam poſt ſcelus, à Sexto Tarquinio in ſe perpetratum, mæſtam animo nuncium eumdem Romam ad Patrem & Ardeam quæ tum à Tarquinio obſidebatur, ad virum miſiſſe, ut cum ſingulis fidelibus amicis venirent, his præſentibus rem totam ordine expoſuiſſe, rogaſſe, ut vindictam de adultero ſumerent, ſibiquè mortem conſciviſſe. Dionyſius vero refert, eam Collatia Romam ad Patrem contendiſſe poſt facinus tam indignũ, eum precatã eſſe, ut convocaret omnes, quotquot poſſet, cognatos & amicos, quo facto, illis rei atrocitatem expoſuiſſe, ſibique necem attuliſſe, abſentibus marito Collatino, & Junio Bruto, qui in caſtris erant, eosque tantum poſt mortem Lucretiæ quod acciderat didiciſſe, & ad defectionem tum Cives, tum etiam milites compuliſſe. Videtur ſequi Livium hoc loco.*

γ Eos-

γ Eoſque ad vindictam conſtrinxit.] *Ex intemperantia veneris atrociſſima ſæpe bella & miſerabiles principum, ac populorum clades ſucceſſere. Herodot. lib. 1. Prima inter Græcos & Barbaros bella ex raptu fœminarum exorta ſcribit. Plurima bella ob fœminas exarſiſſe atrociſſima, teſtatur Athenæus lib. 13. unde fortaſſe natum proverbium:* Mulierum exitia. *Notiſſimum eſt hoc exemplum Lucretiæ, & etiam Virginiæ apud Romanos, & apud Græcos Helenæ, apud Hebræos Dinæ filiæ Jacob, Geneſ. 34.*

δ Duo fuerunt, & adulterium unus admiſit.] *Ita apud Livium:* Conſolabantur ægram animi, avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti, mentem peccare, non peccare: & unde conſilium abfuerit, culpam abeſſe.

ε Ille patria cum patre pulſus eſt.] *De hoc infra lib. 3. c. 15.*

ζ Vos appello leges, judicesque Romani.] *Diſputat Ariſt. lib. 1. Rhetor. ad Theodect. & lib. 3. polit. cap. 11. Num melius gubernetur Reſpublica per ſolos judices ſine ullis legibus, an per ſolas leges ſine judicibus: Docet, ſatius eſſe omnia præſcribi legibus, quam relinqui judicum arbitrio, quia ſi leges ipſæ ſemper obſervarentur, etſi privati quidam paterentur incommoda, ſubſiſteret tamen ipſa Reſpublica: verum ſi omnia relinquerentur judicum arbitrio, facile Reſpub. everteretur injuſtitia vel malitia judicum: ſed optime gubernatur Reſpub. per leges ac Judices: nam leges juvant ipſos judices, ut melius, quid juſtum ſit & æquum, diſcernant: Et cum aliquando ſummum jus ſit ſumma injuria. Cic. 1. offic. & apud Columellam lib. 1. de re ruſtica: ſummum jus antiqui ſummam putarint crucem. Nec tam inſpicienda ſint aliquando verba legis, quàm mens ſeu intentio legislatoris, & contingat ut occurrente aliquo caſu, qui prævisus non fuerat à conditore legis, opus ſit diſpenſatione, vel etiam interpretatione legis, quæ ἐπιείκεια dicitur. Neceſſarii ſunt etiam in Repub. judices. Reſpubl. ergo Romana, & legibus, & judicibus adminiſtrabatur. Cic. pro Aulo Cluentio:* Mens & animus, & conſilium & ſententia civitatis poſita eſt in legibus: ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine lege, ſuis partibus & neruis, ac ſanguine & membris uti non poteſt, legum miniſtri, magiſtratus, legum interpretes, judices. *Idem lib. 3. de legib. Magiſtratum dicit eſſe legem loquentem, & legem mutum magiſtratum. Et de magiſtratibus quidem hæc ſcribit:* Magiſtratibus opus eſt, ſine quorum prudentia & diligentia eſſe civitas non poteſt: quorum deſcriptione omnis Reſpu. moderata continetur.

η Nec quemquam ſceleſtum indemnatum.] *Scribit idem lib. 3. contra Creſconium cap. 49. nimis inſolitum eſſe legibus Romanis quemquam eo adigere, ut ſibi voluntariam mortem conferat, & lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 20. dicit eſſe inſolita ſupplicia Romanis poteſtatibus. Ita Tertul. in apologet. cap. 1. eo reprehendit Gentiles, quod religionem Chriſtianam inauditam damnarent. Cic. lib. 1. de legib. Illam injuſtam & tyrannicam legem appellat, quam inter-rex tulit ut dictator, quem vellet civium indicta cauſa impune poſſet occidere. Pomponius Læt. lib. de legib. Rom. teſtatur, Valerium Publicolam legem tuliſſe, ut nulli magiſtratui liceret corpus Romani civis indicta cauſa condemnare, liceretque damnatis ad populum provocare. Cic. pro domo ſua ad pontifices Clodium Tribunum pleb. alloquens:* quo jure, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite civis indemnati tuliſti? *Poſt:* proſcriptionis

ptionis miſerrimum nomen illud, & omnis acerbitatis Syllani temporis quid habet, quod maxime ſit inſigne ad memoriam crudelitatis? opinor pœnam in cives Romanos nominatim ſine judicio conſtitutam: atque id ſancivere LL. ne indicta cauſa quis damnaretur, multo magis ne indemnatus mortem ſubiret. *L. de Requirendis, vel abſentibus damnandis:* Ne quis abſens puniatur, vel damnetur, neq; etiam inaudita cauſa quemquam damnari æquitatis ratio patitur. *Extat & lex Conſtantini 6. Cod. de pœnis: neminem morti adjudicandum, quin prius ore proprio crimen confeſſus fuerit, vel ita in objecto flagitio ſit deprehenſus, ut vix ipſe ea quæ commiſerit, negare ſufficiat. Dicitur quis indemnatus, de quo judicium redditum ac pronunciatum non eſt. Cic. pro domo ſua:* Poteſt igitur damnati pœnam ſuſtinere non damnatus: *In L. Piſonem:* Indemnati civis, atque integri capitis perſecutio.

θ Apud infernos judices.] *Tres poëtæ fabulantur apud inferos, quod juſtitiam inter mortales imprimis coluerint, judices conſtitutos, Minoem, Æacum, & Rhadamantum. Home. Odyſſ.* Λ.

Ἔνθ' ἤτοι Μίνωα ἴδον Διὸς ἀγλαὸν υἱὸν
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νεκύεσσιν,
Ἥμενον· οἱ δέ μιν ἀμφὶ δίκας εἴροντο ἄνακτα,
Ἥμενοι ἑσταότες τε κατ' εὐρυπυλὲς ἄϊδος δῶ.

Virg. 6. Æneid.

Quæſitor Minos urnam movet, ille Silentum
Conſiliumque vocat: vitasque & crimina diſcit.

Plato in Axiocho de Minoe, & Rhadamanto: ἐνταυθοῖ καθίζοντε δικαστὰς ἀνακρίνοντες τῶν ἀφικνουμένων ἕκαστον τίνα βίον βεβίωκε καὶ τίσιν ἐπιτηδεύμασιν ἐνῳκίσθη τῷ σώματι.

ι Qui ſibi lethum.] *Verſus ſunt Virg. 6. Æneid. ubi apud inferos, inter cæteros eorum animas torqueri dicit, qui ut ærumnas evitarent, ſe interemerunt,* αὐτόχειρες, αὐτοθάνατοι.

κ Falſumque illud eſt quod duo fuere.] *Licet tantis laudibus efferatur Lucretia, non fuit tamen omnino expers culpæ, conſenſit enim tandem in facinus, licet nonnihil eam excuſet aut metus infamiæ, aut etiam mortis incuſſus. Adulterium ſane ad eorum genus retulerim, de quibus Ariſt. 3. Ethic. cap. 1.* Quædam fortaſſe ſunt, ad quæ perpetranda nemo cogi, compellive poteſt, ſed potius extrema quæque pati, & mori convenit.

λ Si adultera.] *Hoc eſt dilemma, ſpecies argumentationis, quam Cic. in Rhetor. complexionem vocat, in qua utrum conceſſeris reprehenditur, ejusque ponit exemplum lib. 1. de invent.* ſi improbus eſt, cur uteris, ſi probus, cur accuſas? *Ad eundem modum Auguſt.* vel adulterii rea fuit, ſicque non eſt, cur ejus pudicitiam tot evehant laudibus, vel homicidii ſi pudica, quod ſe inſontem occiderit, ut ſi extenues homicidium, adulterium confirmes: ſi purges adulterium, homicidium cumules. *utrimq; adverſarium capit. frequens argumentandi ratio apud D. Auguſt. ita lib. 1. contra Creſconium cap. 13. qui eloquentiam, & dialecticam reprehendebat. Is nec-*

utebatur tamen; ſi noxia ſunt, quare hoc facis? ſi non ſunt, cur arguis? *Et epiſt.61. ſimili argumento utitur:* ſi iſte innocens & juſtus non fuit, cur proponitur imitandus? ſi autem innocens, & juſtus fuit, quare interfector innocentis & juſti, inſuper putatur eſſe laudandus? *Et lib.1. de conſenſu Evangeliſtarum. cap.16.* ſi fefellerunt Prophetæ, cur tanta manifeſtatione completur? ſi verum dixerunt, cur tantæ divinitati reſiſtitur? *Et cap.17. contra Paganos, qui ſpreto uno Chriſto reliquos deos colebant:* ſi magnæ virtutis eſt, cur exiſtimandus eſt improbandus? Si paucæ, nulliusque virtutis eſt, cur tantum potuit improbatus? ſi bonus eſt, cur à cæteris bonis ſolus ſeparatur? ſi malus eſt, cur à tot bonis unus non ſeparatur? ſi verax eſt, cur ejus præcepta reſpuuntur? ſi mendax eſt, cur ejus prædicta complentur? *Quo genere argumentandi utitur & Tertull. in apolog. cap. 2. contra reſcriptum Trajani, volentis non inquirendos Chriſtianos, oblatos tamen puniendos.* ſi damnas, cur non inquiris? ſi non inquiris, cur non abſolvis?

μ Et Romana mulier laudis avida.] *Cic. in orat. pro lege Manilia teſtatur, Romanos præter cæteras gentes ſemper appetentes gloriæ atque laudis fuiſſe.* Ne videretur, *inquit,* libenter paſſa, ſi viveret, *id eſt, conſenſiſſe in adulterium. Tertull. lib. ad Martyres. cap. 4.* Lucretia vim ſtupri paſſa, cultrum ſibi adegit in conſpectu propinquorum, ut gloriam caſtitati ſuæ pareret. *D. Hieron. epiſt. 11. ad Agerochiam:* Lucretia amiſſa gloria caſtitatis noluit pollutæ pudicitiæ ſupervivere.

ν Gloriam caſtitatis, teſtimonium conſcientiæ.] *2. Corint.1.* gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. *D. Auguſt. lib. contra Secundum Manichæum cap. 1.* Senti de Auguſtino quicquid libet, ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet. *Et recitatur 11. q.3. & alia patrum teſtimonia ad hanc rem.*

CAP. XX.

Nullam eſſe autoritatem, quæ Chriſtianis in qualibet cauſa jus voluntariæ necis attribuat.

NEque enim α fruſtra in ſanctis canonicis libris nuſquam nobis divinitus præceptum permiſſúmve reperiri poteſt, ut vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis, β vel ullius carendi cavendive mali cauſa, nobiſmetipſis necem inferamus. Nam & prohibitos nos eſſe intelligendum eſt, ubi lex ait: Non occides: *Exod.20* præſertim, quia non addidit, proximum tuum: ſicut falſum teſtimonium cum vetaret: Falſum, inquit, teſtimonium non dices adverſus proximum tuum. Nec ideo tamen ſi adverſus ſeipſum quiſquam falſum teſtimonium dixerit, ab hoc crimine ſe putaverit alienum, quoniam regulam diligendi proximum à ſemetipſo dilector accepit: quandoquidem ſcriptum eſt: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Porrò ſi falſi teſtimonii non minus reus eſt, γ qui de ſeipſo *Matth. 22.* falſum fatetur, quàm ſi adverſus proximum hoc faceret: cùm in eo præcepto, quo falſum teſtimonium prohibetur, adverſus proximum prohibeatur, poſſitque non rectè intelligentibus videri non eſſe prohibitum, ut adverſus ſeipſum quiſquam falſus teſtis aſſiſtat: quantò magis intelligendum eſt, non licere homini ſeipſum occidere, cùm in eo quod ſcriptum eſt: Non occides: nihilo deinde

inde addito, nullus, nec ipſe utique cui præcipitur, intelligitur exceptus? ϐ Unde quidam hoc præceptum etiam in beſtias ac pecora conantur extendere, ut ex hoc nullum etiam eorum liceat occidere. ε Cur non ergo & herbas, & quicquid humo radicitus alitur ac figitur? Nam & hoc genus rerum, a quamvis non ſentiat, dicitur tamen vivere: ac per hoc poteſt & mori: proinde etiam, cùm vis adhibetur, occidi. Unde & Apoſtolus cùm de hujuſcemodi ſeminibus

1. Cor. 15. loqueretur: Tu, inquit, quod ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur. Et in

Pſ. 77. Pſalmo ſcriptum eſt: Occidit vites eorum in grandine. Nunquid igitur ob hoc cùm audimus: Non occides, virgultum vellere nefas dicimus, & Manichæorum errori inſaniſſimè acquieſcimus? His igitur deliramentis remotis, cùm legimus,

Exod. 20 Non occides: ſi propterea non accipimus, hoc dictum eſſe de frutetis: quia nullus eſt eis ſenſus: nec de animantibus irrationalibus, volatilibus, natatilibus, ambulatilibus, reptilibus: quia nulla nobis ratione ſociantur, quam non eis datum eſt nobiſcum habere communem: ζ unde juſtiſſima ordinatione creatoris & vita & mors eorum noſtris uſibus ſubditur: η reſtat ergo ut de hominibus intelligamus, quod dictum eſt, Non occides: non alterum, ergo nec te. ϑ Neque enim qui ſe occidit, aliud quàm hominem occidit.

L. Vives. Stirpes animatæ. a Quamvis non ſentiat, dicitur vivere.] *Ariſtoteles animatos dicit ſtirpes, & viventes, inſenſibiles tamen. Plato ex Empedoclis ſententia animales illos ait, & ſentientes. Utrumcunque ſit, mori poſſunt, quia vivunt.*

F. L. Coq. α Neque enim fruſtra in ſanctis canonicisque libris.] *Potuiſſet quis objicere, in ſacris libris nusquam prohiberi ſui ipſius occiſionem. Docet igitur hoc cap. prohibitam eſſe hoc præcepto (*non occides*) quod ita intelligitur, ut nec ipſe, cui præcipitur, intelligatur exceptus, quod probat argumento à minori. Nam in præcepto de non ferendo falſo teſtimonio proximum incluſit, ſi tamen adverſus ſeipſum quis ferat falſum teſtimonium, reus erit transgreſſionis illius præcepti: Ergo etiam ſi quis ſe ipſum occidat, non erit expers culpæ: cum in præcepto (*non occides*) nihil addito, nullus nec ipſe cui præcipitur, videatur exceptus: deinde cum regulam diligendi proximum, dilector ſumat à ſeipſo, quod patet ex eo præcepto,* Diliges proximum tuum ſicut teipſum. *ſi prohibetur alterius occiſio, multo magis ſui ipſius.*

ϐ Vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis vel ullius.] *Extat apud Joſephum lib. 7. de bello Judaico, cap. 28. luculenta Eleazari oratio, qua Judæos ad voluntariam necem ſibi inferendam hortatur, ut venirent in poteſtatem Romanorum: Suadet autem tum ab immortalitate animæ, tum à majore illius libertate, & perfectiore ad Deum ſimilitudine ubi eſt à corpore ſejuncta, quam dum eſſet ei conjuncta:* nam mors quidem *inquit,* libertatem animis præſtans ad proprium purumque locum eas dimittit, ab omni clade futuras intactas, donec autem mortali corpore vinctæ ſunt, unaquæque malis ejus implentur, quod veriſimile dicitur mortuæ ſunt: divino enim cum mortali ſocietas turpis eſt: multum quidem poteſt anima juncta cum corpore, inſtrumentum enim facit ſuum latenter id movens, & ultra mortalem naturam geſtus producens: verumtamen cum pudore quo in terram detrahitur, quodque ab ea pendet abſoluta proprium locum receperit, tunc beatam,

tam, & undique liberam participat fortitudinem. *Suadet tum etiam exemplo Gymnoſophiſt. apud Indos.* Illi enim, *inquit*, cum ſint boni viri, vitæ quidem tempus quaſi quoddam neceſſarium naturæ munus inviti ſuſtinent: properant autem amicos corporibus ſolvere, nulloque urgente, neque exagitantē malo, propter immortalis converſationis deſiderium: aliis quidem prædicunt ſe eſſe abituros, nec eſt qui prohibeat quisquam, ſed omnes fortunatiſſimos appellantes eos, ad familiares ſuos mandata mittunt, ita certam; veramque animis inter ſe conſuetudinem credidere, ipſi autem cum mandata perceperunt, igni traditis corporibus, ut immaculata puraque anima ſecernatur, laudati moriuntur. *Illos autem ſui beatos ducunt, quod immortalitatis ordinem jam recipiant. Verum illi ſapientes quidem, ſed ſuo ſenſu, nec enim via eſt hæc obtinendæ immortalitatis, cum potius tanto ſcelere mors animæ inferatur, & longe aliud ex ſacris litteris, quæ certam regulam credendi, & vitam legi Dei conformem inſtituendi continent, ut ait Auguſt. edocti ſumus. Et Judæos Eleazarus ad tantum ſcelus exhortans id fecit ducto argumento ab exemplo Gymnoſophiſtarum, qui in eum errorem à dæmone procul dubio impulſi erant, ut hanc ſibi perſuaderent eſſe viam ad immortalitatem, & majorem animi libertatem. Verum minime id ex ſcripturis ſacris, ſecundum quas de cæteris litteris fidelium, vel infidelium libere judicamus, ut ſcribit lib. 2. contra Creſconium cap. 31. neque ab exemplo majorum, qui divinitus edocti fuerunt, Deoque gratiſſimi vixerunt, id ſuadere potuiſſet. Et hic quidem fuit veſanus error Gymnoſophiſtarum, teſte Curtio lib. 8. ut occupare fati diem, pulchrum ducerent.*

γ Qui de ſe ipſo falſum fatetur.] *Quale ſit peccatum infamare ſe ipſum, vel etiam crimen de ſe falſum fateri, & id ne liceat alicui metu tormentorum, diſputatur à Theologis. Certe infamare ſeipſum Cajet. putat eſſe peccatum mortale ex ſuo genere: exiſtimat enim, hominem non eſſe dominum ſuæ famæ, ſicut nec ſuæ vitæ. Alii tamen & fere communiter docent, longe diſparem eſſe rationem famæ, & vitæ, quòd vita hominis non ſubſit proprio illius arbitrio, ſicut fama; & homo ſit dominus propriæ famæ, ſicut aliarum rerum externarum. Poteſt enim ſibi ipſi famam acquirere ſicut divitias; docent itaque, non eſſe peccatum mortale famam prodigere, ut nec bona externa, nec eadem ratio eſt infamationis proximi, nec enim aliquis Dominus eſt famæ alterius, ut propriæ. Et ut docet D. Thom. 1. 2. qu. 73. artic. 4. ad 1. quando ad notitiam alicujus detractiones contra ipſum factæ aliorum relationibus perveniunt ſui arbitrii eſt, quod ſuæ famæ detrimentum patiatur, niſi hoc vergat in periculum aliorum: non autem ſui arbitrii, quod patiatur detrimentum famæ alterius, ſi non reſiſtat. Quod ergo dicit D. Auguſt. in præcepto quo quis prohibetur ferre falſum teſtimonium adverſus proximum, prohiberi etiam, ne quis adverſus ſeipſum falſum dicat teſtimonium, & utrumque prohiberi, ſicut prohibetur occiſio tum alterius, tum ſui ipſius. Non id ita intelligendum eſt, quod utrinque eadem ſit ratio peccati; Et quod quemadmodum eſt mortale peccatum ſeipſum occidere, quemadmodum & proximum, imo & gravius, quod non ſit vitæ ſuæ dominus, ut nec vitæ proximi: ita peccatum ſit mortale non minus falſum de ſe, quam de proximo crimen fateri: cum aliquis ſit famæ propriæ dominus, non autem famæ proximi. Verum quod utrumque repu-*

gnet charitati, quam ſibi quis debet, ut & proximo: deinde quod ſit veniale peccatum ſaltem propriam famam prodigere, & gravius quidem prodigalitate ipſa divitiarum: & ubi etiam falſa alicujus criminis proditio cauſa foret mortis: aut ubi ex famæ proditione alteri, nec ipſi tantum confitenti damnum notabile immineret: vel etiam ſi ſibi ipſi nefanda flagitia imponeret, tunc famæ adeò prodigus minimè à culpa lethali excuſaretur. Deinde quia mentitur, qui de ſe ipſo falſum fatetur: omne verò mendacium peccatum eſt, nunquam à mendacio ſaltem veniali excuſabitur. Ita docet Adri. in 4. q. 37. de reſtitutione, & quod lib. 2. Sotus lib. de ratione tegendi & detegendi ſecretum, in c. lib. 1. q. 3. & lib. 5. de juſt. & jure q. 10. artic. 2. Navar. in Man. cap. 18. num. 27. 28. & 29. Covar. lib. 1. variar. cap. 2. num. 8. Gregor. de Valentia 22. diſput. 5. q. 17. puncto 2. Pater Salon, & Petrus de Aragon.

δ Unde quidam hoc præceptum etiam in beſtias.] *Ut Marcionitæ, teſte Epiphanio hæreſi 42. Et Manichæi, teſte D. Auguſt. lib. 6. contra Fauſtum cap. 6. & 8.*

ε Cur ergo non herbas.] *Manichæi, ut ſcribit paulo infra, hoc præcepto prohiberi volebant interfectionem cujuscunque viventis, qui propterea nec audebant ipſis herbis vitam auferre, quod idem teſtatur loco citato & lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 17. unde agrum etiam ſpinis purgare nefas ducebant: & agriculturam, quæ omnium artium eſt innocentiſſima, tanquam plurium homicidiorum ream dementes accuſabant, ut ſcribit idem lib. de hæreſibus hæreſi 46. & in Pſal. 140. quod expedire dicerent homini fœneratorem eſſe quam agricolam.*

ζ Unde juſtiſſima ordinatione creatoris.] *Id conſtat ex prima rerum conditione, qua omnia animalia propter hominis uſum ſunt creata, propterea jure naturæ Ariſtot. lib. 1. Politicor. cap. 5. & lib. 7. cap. 2. vult, venationem eſſe licitam, & D. Thom. prima p. q. 96. art. 1. & 22. q. 64. art. 1. per eam enim homo ſibi vendicat, quod ſuum eſt naturaliter. Num vero ante diluvium, an tantum poſt diluvium licitus fuerit eſus carnium, non omnium eadem eſt ſententia. Alii enim interdictum volunt uſum carnium ante diluvium ex 1. cap. Geneſ. ubi Deus herbas, & fructus herbarum tantum videtur conceſſiſſe ad victum, & cap. 9. omne quod movetur, erit vobis in cibum, quaſi id antea non licuiſſet, & hæc videtur eſſe ſententia D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 6. ad 2. Alii è contrario non tantum licuiſſe eſum carnium, ſed etiam volunt in uſu fuiſſe, tum quod humana vita vix aliter ſuſtentari poterat, tum quod inter omnia alimenta, homines tunc non ignoraſſent, id conveniens maxime fuiſſe. Denique ex ſacrificiis, quæ paſſim ante diluvium offerebantur, quorum aliquam partem veriſimile eſt in uſum ſacrificantium ceſſiſſe. Alii mediam ſequuntur ſententiam, liberum fuiſſe ante diluvium, vel carnibus veſci, vel non veſci. De hac quæſtione videri poteſt inter cæteros Pererius lib. 4. in Geneſ. diſputat. ult. & Victoria Relect. de Temperantia num. 3.*

η Reſtat ut de hominibus.] *Ita intelligendum hoc præceptum docet, ut cædes hominis prohibeatur, ut tamen ſenſus hujus præcepti ſit, quem habet D. Thom. 1. 2. qu. 100. artic. 8. ad 3. non occidendum indebite, id eſt contra rectam rationem, nec enim indiſcriminatim omnis hominis cædes hoc præcepto prohibetur, qui fuit error Valdenſium, authore Guidone Carmel. & Alphonſo à Caſtro lib. 11. v. occidere. Immo aliqua præcipitur, & juſtiſſimæ ſunt leges principum conſentaneæque maximè legi di-*

vinæ

vina & naturali, quæ nefariis hominibus mortem inferunt: non enim ſine cauſa princeps gladium portat, quia vindex eſt in eos, qui male agunt. Rom. 13.

θ Neque enim, qui ſe occidit, aliud quam hominem occidit.] *Idem lib. 1. contra Gaudentium cap. 8.* Ea quippe cogitatione, quæ occidere ſe ipſe molitur, innocentia prius exſpoliatur, ut cum ſe occidit, non innocens moriatur. *Lactant. lib. 3. cap. 18.* Si homicida nefarius eſt, quia hominis extinctor eſt, eodem ſceleri obſtrictus eſt, qui ſe necat, quia hominem necat. Immo vero majus eſſe id facinus exiſtimandum eſt, cujus ultio Deo ſoli ſubjacet.

CAP. XXI.

De interfectionibus hominum, quæ ab homicidii crimine excipiuntur.

QUasdam verò exceptiones eadem ipſa divina fecit autoritas, ut non liceat hominem occidi. Sed his exceptis quos Deus occidi jubet, ſive data lege, ſive ad perſonam pro tempore expreſſa juſſione. α Non autem ipſe occidit, qui miniſterium debet jubenti, ſicut adminiculum gladius eſt utenti. Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum eſt, Non occides: *a* β qui Deo autore bella geſſerunt, aut perſonam gerentes publicæ poteſtatis ſecundùm ejus leges, hoc eſt, juſtiſſimæ rationis imperium, ſceleratos morte punierunt. *al imperio.* γ Et Abraham non ſolùm non eſt culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus eſt nomine pietatis, quòd voluit filium nequaquam ſceleratè, ſed obedienter occidere. *Abraham. Gen. 22.* Et meritò quæritur, utrum pro juſſu Dei ſit habendum, quod *b* δ Iepte filiam quæ patri occurrit, occidit, cùm ſe immolaturum Deo id voviſſet, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurriſſet. *Iepte. Iud. 11.* *c* ε Nec Sampſon aliter excuſatur: quòd ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit: niſi quia ſpiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat. *Sampſon. Iud. 16.* His igitur exceptis, quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet, quisquis hominem vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.

a QUi Deo autore.] *Ut Judæi, qui geſſerunt quidem bella, ſed jubente diſertis verbis Deo.* * *Quòd ſi illi pii ſunt habiti, quòd ut Deo parerent, contra humanitatem omnem bellum & cædem hoſtibus attulerunt, profectò non poſſumus nos non eſſe omnium maximè impii, qui tam multa millia etiam Chriſtianorum vetante Deo contrucidemus.* * *L. Viues.*

b Iepte.] *Jud. 11. cujus factum ſimile videtur ei, quod de Agamemnone ſcribunt Tragici, qui in Aulide filiam Iphigeniam immolavit Dianæ. Iepte ſacrificium multi reprobant: nam votum de his rebus, quæ ſolent immolari cum bona Dei gratia, erat interpretandum, ut illud quoque Agamemnonis.*

c Nec Sampſon.] *Judicum decimo ſexto.*

α NOn autem ipſe occidit.] *Referuntur 23. q. 3. c. ſi non licet. Idem docet qu. 71. in Exodum: Interpretans enim præceptum:* Non putandum eſt, *inquit*, fieri contra hoc præceptum, quando lex occidit, vel occidi aliquem Deus jubet. Ille enim facit, qui jubet, quando miniſterium negare non licet. *F. L. Coq.*

β Qui Deo authore bella geſſerunt.] *Scribit lib. 22. contra Fauſtum cap. 74.*

Manichæos omnia omnino bella damnaſſe, adeoque improbabant bella geſta per Moyſen. Sed nimirum ſcripturis veteris teſtamenti non credebant impii Manichæi. Vetus teſtamentum non eſſe à bono Deo, impie aſſerebant, ubi conſtat, Deo authore bella geſta ſæpius. Num. 25. Loquutus eſt Dominus ad Moyſem dicens: Hoſtes vos ſentiant Madianitæ, & percutite eos, quia & ipſi hoſtiliter egerunt contra vos. *1. Reg. 15.* Hæc dicit Dominus exercituum. Recenſui quæcunque fecit Amalech Iſrael, quando reſtitit ei in via, cum deſcenderet de Ægypto, nunc ergo vade, & percute Amalech, & demolire univerſa ejus: *Quæ ex tam multis locis ejus generis adducta ſunt. Moſes, Joſua, David, Machabæi fuerant ſanctiſſimi viri, qui multa bella geſſere. Conſtat, ſæpe Iſraëlitis fudiſſe hoſtes divinitus adjutos. Exod. 17. Deuter. 1. 13. Joſue 10. 2. Paralip. 20. libri Machab. vide 23. q. 1. aliquot Patrum teſtimonia in hanc rem citata.*

γ Et Abraham non ſolum.] *Geneſ. 22. Deus præcepit Abrahamo, ut filium Iſaac immolaret: ille non ſegniter, ſed prompte Deo obedivit. D. Paul. Hebr. 11. in hoc facto extollit fidem Abrahæ:* Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones, ad quem dictum eſt, quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen, arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. non culpandus, *inquit,* crimine crudelitatis, ſed nomine pietatis & obedientiæ plurimum commendandus. *Idem ſcribit & lib. 22. contra Fauſtum cap. 73* Tantum intereſt in ordine naturali, quid à quo agatur, & ſub quo quisque agat: Abraham ſi filium ſponte immolaret, quid niſi horribilis, & inſanus ? Deo autem jubente quid niſi fidens & devotus? *Poſt.* In occidendo filio ſpontaneus motus execrabilis: Deo autem jubente obſecundans famulatus non ſolum non culpabilis, verum etiam laudabilis invenitur. *Et q. 36. in lib. Judicum.* Ita Deus legitima illa conſtituit, ut leges non ſibi, ſed hominibus daret. Unde quodcunque præter illa ipſa præcepit, non à transgreſſoribus, ſed potius à piis, & obedientibus impletum intelligendum eſt, ut Abraham de immolando filio, &c. *Neque tum tanquam diſpenſator intelligendus diſpenſaſſe in ſua lege, ſeu præcepto de non occidendo, ſed tanquam Dominus vitæ & mortis præcepit illam immolationem Iſaac, quemadmodum cum jubente Deo Hebræi abſtulerunt ab Ægyptiis vaſa aurea & argentea, non diſpenſavit Deus in præcepto de non committendo furto, verum tanquam dominus potuit transferre, & revera tranſtulit dominium ab Ægyptiis in Hebræos, ut ſua ſibi vendicarent, non aliena ab invitis dominis raperent. Id docet D. Thom. 1. 2. q. 94. art. 5. ad 2. & 2. 2. q. 64. art. 6. ad 17. & q. 104. art 4. ad 2. & 154. art. 2. ad 2. Idem Auguſt. q. 49. in eundem lib. ſcribit, Deum tam grave præceptum Abrahamo impoſuiſſe, non quod delectaretur humanis ſacrificiis, ut impii calumniabantur Manichæi, ſed ut fidem probaret ipſius.* non ſolum in ſua lege poſtea, *inquit,* verum etiam tunc Dominus in ipſo Abrahæ filio, talibus ſacrificiis quod non delectaretur, oſtendit, cum patrem, cujus fidem jubendo probaverat, à filii tamen interfectione prohibuit, ac arietem quo ſacrificium licite ſecundum veterem congruam temporibus conſuetudinem compleretur, oppoſuit. *Et D. Chryſoſt. homil. quadam in illud dictum Apoſtoli,* nolo vos ignorare de dormientibus, *1. Theſſal. 4.*

Deus

Deus propterea juſſit, *inquit*, non ut ſanguinis effuſio fieret, ſed ut Abrahæ mentem ſibi demonſtraret, ut illius promptitudinem in totius orbis meditullio celebraret: ut omnes ex eo doceret, Dei mandata tum liberis, tum naturæ, tum rebus omnibus, tum ipſi etiam animæ anteponenda eſſe: *quo eodem loco multis verbis fidem Abrahæ, & alacritatem in obediendo commendat.*

δ Quod Jephte filiam.] *Judic. 11. inſerit quæſtionem de Jephte, an ſit probandum factum ipſius, in immolatione filiæ, cum voviſſet, ſe, quicquid primo occurreret victori domum revertenti, Deo immolaturum, eam inſolutam relinquit, q. 49. ſuper lib. Judic. dicit eſſe quæſtionem magnam, & ad judicandum difficillimam, ubi eam fuſe tractat, & id factum improbat, & concludit, hoc quod fecit Jephte, facto Abrahæ diſtare:* quoniam ipſe juſſus obtulit filium; iſte autem fecit, quod & lege vetabatur, & nullo ſpeciali jubebatur imperio. Si autem quemquam movet, quomodo pie crediderit Abraham, Dominum talibus ſacrificiis delectari, ſi hæc illicite offerantur Deo, & putat, recte credidiſſe etiam Jephte, quod tale ſacrificium Deo poſſit eſſe acceptum: primo conſideret aliud eſſe ultro vovere, aliud jubenti obtemperare. Non enim ſi aliquid præter morem in domo à Domino inſtitutum ſervo jubetur, atque id laudabili obedientia facit, ideo non eſt plectendus, ſi hoc facere ſponte præſumpſerit. Deinde habebat quod crederet Abraham, ut propter divinum imperium non parceret filio, non credens, Deum tales victimas libenter accipere, ſed hoc eum propterea juſſiſſe, ut reſuſcitaret occiſum, & hinc aliquid tanquam Deus ſapiens demonſtraret: nam hoc de illo etiam in epiſt. legitur, quæ inſcribitur ad Hebræos, & fides ejus, quia hoc de Deo crediderit, quod poſſet filium ejus ſuſcitare, laudatur. Iſte vero & Deo non jubente, neque poſcente, & contra legitimum ejus præceptum ultro ſacrificium vovit humanum. *Joſeph. lib. 5. Antiquit. cap. 9. ſcribit, neque legitimum, neque Deo gratum ſacrificium feciſſe. Probabile eſt, quod licet Jephte temerarius fuerit in vovendo, & imprudens in voto ſolvendo, crudelitatis tamen & impietatis nomine eum minime arguendum, quia putavit, religione ſe adſtringi ad ſolvendum, & religionem tanti fecit, ac tantum ſcelus reputavit non adimplere votum, ut invitus licet ac gemens unicam filiam ſibi dilectiſſimam, & ex lege bonorum hæredem non dubitaverit occidere. licet itaque factum improbandum ſit, ejus tamen pium ac religioſum animum & fortem ad Deum colendum non improbabiliter aſſerimus. Ita Hierony. in cap. 7. Hierem.* Quod ſi Jephte obtulit filiam ſuam virginem Deo, non ſacrificium placuit, ſed animus offerentis. *Immo aliqui eum à peccato eximunt, quod ignorantia invincibili laboraret, neque eo tempore adhuc res eſſet ſatis explicata, neque propheta eſſet, quem conſuleret, nec ſit improbabile, quod Abulen. affirmat q. 48. cap. 11. Judicum. Ne ſummum quidem ſacerdotem ſciviſſe hæc interpretari. Probabile etiam eſt, quod ſentiunt nonnulli, Jephte non occidiſſe filiam, ſed recluſiſſe duntaxat, & perpetuæ virginitati conſecraſſe. In hac ſententia ſunt Lyranus, Vatablus, Iſidorus Clarius, Arias Montanus, &, teſte Genebrardo in Chronologia, recentiores Rabbini: ubi dicit, ſe ab aliquo Hebræo accepiſſe, iſtos hanc loci Judicum interpretationem excogitaſſe, ne inde typus filii Dei à Patre ſacrificati duceretur. Verùm contraria ſententia eſt communis,*

munis, quam aſſerunt veteres Hebræi, & Joſephus loco citato. D. Auguſt. hoc loco, & qu. 49. ſuper Judic. lib. D. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 50. & lib. 3. de virginibus. Gregorius Nazianz. orat. de Machabæis, Theodoret. q. 19. ſuper Judic. Chryſoſt. tom. 1. homilia de Jephte, & homil. 14. ad pop. Antioch. Athan. in Synopſi. probabilius tamen eſt, quod docet D. Thom. 2. 2. q. 88. artic. 2. non poſſe ulla ratione à peccato eum excuſari, quia non modo hominem contra jus naturæ, verum etiam filiam truculentiſſime morti adegit: quod itaque in ejus hiſtoria præmittitur, Spiritum ſanctum fuiſſe factum ſuper eum, nec ad voti emiſſionem, nec ad ejus ſolutionem referendum eſt, quia ex auctoritate Hieronymi lib. 1. contra Jovin. fuit ſtultus in vovendo, & impius in reddendo: ſed eo referendum eſt, quod dicitur zelo inflammatus Ammonitas Dei hoſtes adortus eſſe. Nec movere nos debet, quod à D. Paulo Hebr. 11. inter ſanctos veteris teſtamenti commemoratur: probabile enim eſt, eum pœnituiſſe delicti, nec ſcriptura omnia ſanctorum opera probat, ut ſcribit ipſe Auguſt lib. 1. contra Gaudentium cap. 31. Athan. in Synopſi. Huic Jephte voto non diſſimile refertur apud Gentiles votum Agamemnonis, cujus meminit Cic. lib. 3. offic. qui cum devoviſſet Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet in illo anno, immolavit Iphigeniam, quia nihil erat illo anno natum pulchrius. Promiſſum potius non faciendum, *ait*, quàm tam tetrum facinus admittendum: *Ubi lumine naturæ Cic. ipſe agnovit, hujuſmodi vota citra impietatem minime perſolvi poſſe.*

5 Nec Sampſon aliter.] *Judic. 16. excuſat Sampſonem ab homicidio, quod ſe ipſum ruina domus oppreſſerit cum hoſtibus, ſed intus latenter jubente ſpiritu, cujus virtute tot miracula faciebat. Et rectè quando quis ex inſtinctu Spiritus ſancti ſe occidit, tum utitur malo ad bonum, ad quod ſuapte natura ordinatur & refertur, nempe ad faciendum Dei voluntatem. Eadem ratione eum excuſat D. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 5. ad Lyran. in cap. 16. & Abulenſ. q. 54. in idem caput: & id facile colligitur ex Scriptura. cum enim videret, Philiſtæos ſibi non modo illudere, verum etiam cum maximo Dei opprobrio, ſuam de illo victoriam idolis ſuis acceptam referre, non tam ſui vindicandi, quàm honoris divini ſtudioſus, invocavit Dominum, & priſtinam fortitudinem in ultionem inimicorum ſibi reſtitui poſtulavit duplici nomine injurioſorum & infenſiſſimorum, tum privatarum injuriarum adverſum ſe, tum etiam publicarum adverſus religionem & paternam diſciplinam, Iſraëliticamque dignitatem: & apprehenſis & concuſſis fortiter columnis, quibus innitebatur domus, ubi ad ejus, Deique ſui potiſſimum injuriam congregati erant principes, ac reliqua multitudo Philiſtinorum, eam evertit, & prolatis ultimis verbis:* moriatur anima mea cum Philiſtim, *ruina domus una cum illis oppreſſus eſt. D. Auguſt. lib. 1. contra Gaud. cap. 31.* Quod cum inimicis occidit ſe ipſum, quando ſuper ſe atque illos evertit domum, mortem, quam mox ab eis fuerat perpeſſurus, communem voluit cum illis habere, quam non poſſet evadere. Quandoquidem non ſua ſponte fecit, ſed hoc ſpiritui Dei tribuendum eſt, qui uſus eſt eo, ut faceret, quando illi affuit, quod facere non poterat, quando idem ſpiritus defuit. Sicut Abrahæ factum, quando filium voluit immolare, quod Deo jubente fuit obedientia, Deo non jubente quid fuit niſi dementia? *Certè ut conſiderat Arias Montanus in eum locum, fieri non pote-*

potent, ut unus tot res adverſus tam multos tam feliciter conficere potuiſſet, niſi dextro, propitio, præſenteque numine, & ſpiritu, robur atque animos ſervo ſuo ſibi dicato ſuggerente, cui nec numen ipſum divinum, niſi in juſta cauſa adfuiſſet. Et D. Paul. ad Hebr. 11. eum adſcribit numero ſanctorum veteris teſtamenti, quod minimè feciſſet, ſi in ultimo illo vitæ ſpiritu peccatum aliquod, quod non niſi mortale fuiſſet, perpetraſſet. Victoria relect. de homicidio ſublata omni revelatione, vel divina inſpiratione etiam oſtendit excuſari poſſe Sampſonem: non enim ex intentione ſe interfecit, ſed voluit hoſtes opprimere & interficere, unde mors ipſius ſecuta eſt: optaſſet enim ipſe alios, ſi fieri potuiſſet, ſe ſalvo perdere, quod ſine nova revelatione licitum habetur. Quis enim dubitat, quin aliquis in prælio vel civitatem defendendo poſſet etiam de morte propria certiſſimus, facinus aggredi, quod ſit quidem patriæ ſaluti, hoſtibus vero magno detrimento futurum? ut de Eleazaro legitur Machab. 1. cap. 6. qui ingreſſus ſub ventrem Elephantis, cui Antiochum Regem inſidere credebat, Elephantem quidem gladio confodit, ipſe vero beſtiæ ruina oppreſſus præclaram mortem invenit, qua ſe libenter, ut dicit Scriptura, pro populo ſuo poſuit: quod factum adeò non vituperatur, ut Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 40. miris Eleazarum laudibus efferat.

CAP. XXII.

Quòd nunquam poſſit mors voluntaria ad magnitudinem animi pertinere.

ET quicunque hoc in ſeipſis perpetraverunt, α animi magnitudine fortaſſe mirandi, non ſapientiæ ſanitate laudandi ſunt. Quanquam ſi rationem diligentius conſulas, nec ipſa quidem animi magnitudo rectè nominatur, ubi quiſque non valendo tolerare, vel quæque aſpera, vel aliena peccata, ſe ipſum interemerit. β Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non poteſt, vel duram ſui corporis ſervitutem, vel ſtultam vulgi opinionem. Majórque animus meritò dicendus eſt, qui vitam ærumnoſam magis poteſt ferre, quàm fugere, & humanum judicium maximè vulgare, a quod plerunque caligine erroris involvitur, præ conſcientiæ luce ac puritate contemnere. Quamobrem ſi magno animo fieri putandum eſt, cùm ſibi homo ingerit mortem, ille potius b γ Cleombrotus in hac animi magnitudine reperitur: quem δ ferunt lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animæ diſputavit, ſe præcipitem dediſſe de muro, atque ita ex hac vita migraſſe ad eam, quam credidit eſſe meliorem. Nihil enim urgebat aut calamitatis, aut criminis, ſeu verum, ſeu falſum, quod non valendo ferre ſe auferret, ſed ad capeſſendam mortem, atque ad hujus vitæ ſuavia vincula rumpenda ſola affuit animi magnitudo. Quod tamen magnè potius factum eſſet quàm benè, ε teſtis ei potuit eſſe Plato ipſe, quem legerat: qui profectò id præcipuè potiſſimúmque feciſſet, vel etiam fieri præcepiſſet, niſi ea mente, qua immortalitatem animæ vidit, nequaquam faciendum, c quin etiam prohibendum eſſe judicaſſet.

a QUod plerunque caligine erroris.] *Populum ſapientes olim magnum erroris magiſtrum ſoliti ſunt appellare.* L. Vives.

b Theobrotus.] *Legendum Cleombrotus. Hic fuit Ambraciota, qui lecto Platonis Phædone de immortalitate animæ, ut ex hac vita, quæ eſt velut mors quædam, ad immortalitatem migraret, è muro ſe in mare dedit præcipitem, cùm nihil ei mali contigiſſet. Cicero eſt autor in primo Tuſc. quæſt. In eum extat epigramma Callimachi Græcum.*

Latinum memini me legere:

Vita vale, muro præceps delapſus ab alto
Dixiſti moriens Ambraciota puer:
Nullum in morte malum credens: ſed ſcripta Platonis,
Non ita erant animo percipienda tuo.

Fuit & alius Cleombrotus Lacedæmoniorum rex, quem Epaminundas Thebanus vicit.

c Quin etiam prohibendum.] *Et quidem in eodem Phædone in principio, nefas eſſe dicit, hominem ſibimet manus afferre: nec aliter iraſci Deum, ſi id fiat, quàm Dominum, ſi quod ſe mancipiorum occiderit: aliiſque multis in locis ait, migrare ex hac vita nulli hominum licere injuſſu Dei. Sumus enim hîc omnes velut in acie, loco unicuique ſuo ab Imperatore Deo aſſignato: majorique ſupplicio afficiendum deſertorem vitæ, quàm deſertorem militiæ.*

F. L. Cap. *a* Magis enim mens infirma deprehenditur.] *Id docet Ariſt. lib. 3. Ethic. cap. 7.* Mortem, *inquit*, ſibi conſciſcere, ut vel paupertatem vel amorem, vel moleſti quidpiam fugiamus, fortis viri minime eſt, ſed potius timidi: quippe cum laborioſa fugere moleſtum ſit, neque hanc mortem ſuſtinet quiſpiam, quia honeſtum ſit, ſed ut malum evitet ac fugiat: *ubi Euſtratius:* nonnulla ſunt, quæ licet ad ignavum & imbellem hominem ſpectent, ſpeciem tamen quandam fortitudinis præ ſe ferunt, ut paupertatis, vel amoris, vel moleſtiæ alicujus evitandæ cauſa mortem ſibi conſciſcere: moleſtias enim fugere quocunque modo velle, mollis ac languidi hominis eſt. *Joſeph in præclara illa orat. quam habuit ad ſocios, ut eos à voluntaria nece revocaret, quæ extat lib. 3. de bello Judaico c. 14. & apud Hegeſippum lib. 3. c. 18. inter cætera ait,* Timidus eſt, & qui non vult mori, quando oportet, & qui vult, quando non oportet. *Poſt:* Quis enim ignorat, fœmineæ timiditatis eſſe & muliebris formidinis, ne moriare, mori velle. An quia graviora ſupplicia exacturus eſt adverſarius, ideo præveniendum putatis? At viri fortis eſt ſemet occidere: imo vero ignaviſſimi quantum opinor; nam & gubernatorem timidiſſimum puto, qui tempeſtatem metuens antè vim turbinis navem ſponte ſubmergit. Quin etiam propria manu perire, à communi omnium animalium natura diſcrepat; eoque modo in creatorem noſtrum Deum ſummum ſcelus admittitur. *Et multa ibi ad hanc rem, ex quibus colligas, abjecti puſillique animi eſſe αὐτοφονίαν καὶ αὐτοχειρίαν. Atque eadem ſententia eſt Platonis lib. 9. de legibus; & Galen. lib. 5. de locis affectis:* ἀνὴρ δ' ὐδεὶς μεγαλόψυχος ὔτε ἐπὶ λύπαις, ὔτε ἐπὶ ταῖς ἄλλοις, ὔτε λύπης ἰσχυροτέραις θανάτῳ περιέπεσεν.

β Animi magnitudine fortaſſe mirandi.] *Non defuere, quibus ſcelus nullum, quin & virtus videretur, vitam ſibi ipſi quandoque abripere. Cic. orat. pro Cluentio,* fortes

fortes viros mortem ſibi ipſis in magnis doloribus conſciſcere dicit, & Æſchines κατὰ Κτησιφῶντος. *Et Stoicus Seneca epiſt. 12. 17. 24. 58. 59. 70. 71. 78. & lib. Cur bonis mala accidunt, cum ſit providentia, & aliis ex eadem ſecta, quibus* ἐξαγωγὴ εὔλογος, *animorum è corporibus videretur: & Indorum ſapientibus ita viſum eſſe conſtat ex Curtio lib. 8. & Arriano lib. 7. de expeditione Alexandri, & Plutarch. in Alexandro; Suetonius in vita Othonis, de ejus morte loquens, quam ſibi ipſe intulerat, laudat ut fortiſſimum virum; cum enim ejus vitam, & mores parum laudatos deſcripſiſſet:* Per quæ factum putem, *inquit,* ut mors ejus minime congruens vitæ majori miraculo fieret. *Et Dion:* κάκιστα ἀνθρώπων ζήσας, κάλλιστα ἀπέθανε καὶ κακουργότατα τὴν ἀρχὴν ἀρξάσας ἄριστα αὐτῆς ἀπηλλάγη. *Juſtus Lipſius, vir noſtra ætate ſi quis alius de litteris humanioribus quam optime meritus, centuria 2. epiſto. 26. reſpondens amico quærenti, An ſapienti fas aut jus conſciſcere ſibi mortem, licet nihil omnino definire ſe dicat, præter definita piis ſapientibusque viris, non omnino tamen improbat Stoicorum ſententiam, quibus* αὐτοχειρία *placuit, licet non* ἀορίστως, *aut ſemper, quæ tamen Chriſtiano viro improbanda fuiſſet, maxime cum fateatur, religionis noſtræ leges, ex quibus rerum judicium magis quam ex antiquorum philoſophorum placitis petendum eſt, id prohibere: neque ad rem ſimilitudo illa, qua utitur, dum ait:* Ut in domo conductitia ſi habitem, nihil peccem, ſi paulum exeam ante diem penſionis. *Ita hic videtur, qui enim ante penſionis diem è domo illa exit, ſuo ipſius jure cedit, nullique injuriam infert, nullius leges transgreditur: qui vero citius, quam Deus ſtatuerit, è vita properat, in alienum ipſe jus, quod penes Rempub. & Deum ipſum eſt, invadit, is injuriam facit naturæ, ac Dei leges violat. D. Hieron. ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ:* Nullam animam recipio, quæ me nolente ſeparatur à à corpore: tales ſtulta philoſophia habeat martyres. *D. Auguſt. epiſt. 8. ſcribit de his qui ſibi mortem afferunt, ne veniant in manus hoſtium,* Solent iſta in litteris Gentilium laudari.

γ Ille potius Cleombrotus.] *Hujus meminit Cic. in 1. Tuſc. Lactant. lib. 3. c. 18.* Quid Ambraciotes ille, qui cum eumdem librum (Platonis de immortalitate animorum) perlegiſſet, præcipitem ſe dedit, nullam aliam ob cauſam, niſi quod Platoni credidit? *Gregor. Nazianz. orat. 1. in Julianum: Cleombroti Ambraciotæ præcipitium, diſputationis de anima lectione permoti. Extat in eum epigramma Callimachi.*

Εἴπας ἅλιε χαῖρε Κλεόμβροτος ὠ Ἐμβρακιώτης,
Ἥλατο ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἑλλάδα.
Ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακόν: ἀλλὰ Πλάτωνος
Ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμα ἀναλεξάμενος.

δ Lecto Platonis libro.] *Phædonem potiſſimum intelligit, in quo multis argumentis docet immortalitatem animorum. Inter antiquos philoſophos acerrimus immortalitatis animarum propugnator & vindex fuit Plato, ut conſtat ex Timæo, Philebo, Menone, & lib. de Repub. adeo ut etiam judicia poſt mortem, pœnasque & præmia conſtituat.*

ε Teſtis eſſe potuit Plato ipſe.] *Certe in Phædone, qui dialogus eſt de immortalitate*

litate animorum, docet aperte ſtatim initio, nemini licere mortem ſibi conſciſcere: non eſt itaque ex ſcelere Cleombroti redarguenda Platonis doctrina, quod facit Lactantius lib. 3. cap. 18. non ſunt improbandæ ſcripturæ ſacræ, quod eas hæretici perperam interpretantur, & ex illis errores ſuos confirment: Neque rejiciendi ſancti patres, qui recte ſenſerunt, & docuerunt, quod eorum authoritatem in argumentum ſui erroris, à quo quam longiſſime abſuerunt, aliquando adducant hæretici; Nec Plato in illo dialogo vult, omnibus fœlicem illam vitam poſt mortem ſine ullo diſcrimine contingere, immo aperte docet, viam ad illam fœlicitatem eſſe vitam ex virtute conſtitutam: ſcelera vero ad æternam infœlicitatem aditum patefacere & cum in cæteris dialogis Platonis, tum in eo potiſſimum multa ſunt, quæ ad doctrinam Chriſtianam proxime accedunt.

Cap. XXIII.

Quale exemplum ſit Catonis, qui victoriam Cæſaris non ferens, ſe interemit.

Ratio exemplis anteponenda. AT enim multi ſe interemerunt, ne in manus hoſtium pervenirent. Non modò quærimus, utrum ſit factum, ſed utrum fuerit faciendum. α Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda eſt, cui quidem & exempla concordant: ſed illa, quæ tantò digniora ſunt imitatione, quantò excellentiora pietate. β Non fecerunt Patriarchæ, non Prophetæ, non Apoſtoli: quia & ipſe Dominus Chriſtus, quando eos, ſi perſequutionem paterentur, fugere admonuit de civitate in civitatem, potuit admonere, ut ſibi manus inferrent, ne in manus perſequentium pervenirent. *Matth. 10.* Porrò ſi hoc ille non juſſit aut monuit, ut hoc modo ſui ex hac vita migrarent, quibus migrantibus manſiones æternas ſe præparaturum eſſe promiſit, *Ioh. 14.* quælibet exempla opponant gentes, quæ ignorant Deum, manifeſtum eſt, hoc non licere colentibus unum verum Deum. Sed tamen illi etiam præter Lucretiam, de qua ſuprà ſatis, quod videbatur, diximus, non facilè reperiunt, de cujus autoritate præſcribant, *a* γ niſi illum Catonem, qui ſe Uticæ occidit: *b* non quia ſolus id fecit, ſed quia *c* δ vir doctus *d* & ε probus habebatur, ut meritò putaretur, rectè etiam fieri potuiſſe vel poſſe, quod fecit. De cujus facto quid potiſſimum dicam, niſi quòd amici ejus etiam *e* docti quidam viri, qui hoc fieri prudentius diſſuadebant, imbecillioris quàm fortioris animi facinus eſſe cenſuerunt? quo demonſtraretur non honeſtas turpia præcavens, ſed infirmitas adverſa non ſuſtinens. *f* ζ Hoc & ipſe Cato in ſuo chariſſimo filio indicavit. Nam ſi turpe erat ſub victoria Cæſaris vivere, cur autor hujus turpitudinis pater filio fuit, quem de Cæſaris benignitate omnia ſperare præcepit? Cur non & illum ſecum coëgit ad mortem? *g* η Nam ſi eum filium, qui contra imperium in hoſtem pugnaverat etiam victorem, laudabiliter Torquatus occidit, cur victus victo filio pepercit Cato, qui non pepercit ſibi? An turpius erat contra imperium eſſe victorem, quàm contra decus ferre victorem? Nullo modo igitur Catô turpe eſſe judicavit ſub victore Cæſare vivere, alioquin ab hac turpitudine paterno ferro filium liberaret. Quid eſt ergo, niſi quòd filium

quantum amavit, cui parci à Cæſare & ſperavit & voluit, tantum gloriæ ipſius Cæſaris, *h* *h* ne ab illo etiam ſibi parceretur, *i* *i* ut ipſe Cæſar dixiſſe fertur, invidit: aut ut aliquid nos mitius dicamus, erubuit?

a NIſi illum Catonem.] *Catones ſunt ex gente Porcia, è Tuſculo Latinorum oppido oriunda. Primus, qui in ea gente Cato, hoc eſt, cautus & prudens eſt dictus, fuit M. Porcius, homo novus, ſed maximos honores aſſequutus, conſulatum, cenſuram, triumphum. Hujus pronepos fuit M. Porcius Cato, uterque maximus & innocentiſſimus vir. Ille Major, hic Minor appellatus eſt. Minor prætorius adhuc bello civili Pompejano, Pompeji, hoc eſt, ipſius reip. & libertatis partes adverſus C. Cæſaris tyrannidem ſecutus eſt: victo ad Pharſaliam à Cæſare Pompejo, & in Africa Scipione Metello Pompei ſocero, ipſe fracta fortuna partium, cùm omnia ſuperata eſſe à Cæſare videret, Utica, quæ civitas eſt in Africa, perlecto prius bis eadem ipſa nocte Platonis Phædone de animæ immortalitate, gladio ſe transfixit.* L.Vives. Catones.

b Non quia ſolus.] *Nam alii aliis bellis permultis ſe occiderant, ne poteſtatem ſui hoſtibus facerent. Et in eodem civili Scipio, Metellus & Afranius, & Iuba rex ſe interemerunt.*

c Vir doctus.] *Stoicus & Græcæ ſapientiæ callentiſſimus.*

d Et probus.] *Catonis utriusque & innocentia & ſapientia etiam in proverbium abierunt. Unde & illud apud Juvenalem:* Catonis ſanctitas.

Tertius è cœlo cecidit Cato.

Hunc Catonem ſic ad Vinicium deſcribit Vellejus Paterculus: Hic genitus proavo M. Catone principe illo familiæ Porciæ, homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio Diis quàm hominibus propior: qui nunquam rectè fecit, ut facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat, cuique id ſolum viſum eſt rationem habere, quod haberet juſtitiam: omnibus humanis vitiis immunis, ſemper fortunam in ſua poteſtate habuit. Hæc Vellejus, ut & Senecæ, & Lucani, & Ciceronis, & Saluſtii, aliorúmque ampliſſima de Catone teſtimonia prætermittam.

e Docti quidam.] *Uticæ cum Catone dicuntur fuiſſe Apollonides Stoicus, & Demetrius Peripateticus, & Cleanthes Medicus. Nam Cato Græcos philoſophos multum in comitatu habebat, quantúmque oderat eos proavus, tantum dilexit pronepos. Et nocte, qua ſe occidit, Plutarchus refert, diſputationem ſuper cœnam ortam de his rebus, quæ ad veram hominis libertatem pertinerent: in qua Demetrius multa dixiſſet adverſus ea, quæ conſtantiſſimè affirmabat Cato, de laude eorum, qui ſe occiderent, adeò ut ſuſpicionem aliis faceret, eum ſua ſe manu ſtatuiſſe tollere.*

f Hoc & ipſe.] *Plutarchus ſcribit, cùm Cæſar Uticam acceſſiſſet, Catonem eos, quos ſecum habebat navigio dimiſiſſe, ſuaſiſſéque vehementer filio, ut & ipſe cum aliis navigaret, qui nunquam adduci potuit, ut patrem relinqueret. Huic filio juveni Cæſar, ut Livius lib. cxiiii. & Cæſar ipſe in bello Africo ſcribunt, ignovit: fuitque in Venere intemperans, ut Plutarchus in vita patris tradit. Sed pro patria in acie Philippenſi in partibus M. Bruti conſobrini ſui fortiter pugnans interiit, nec excedere ex acie voluit fugientibus jam primoribus.* Catonis filius.

Manlius Torquatus. g Nam ſi eum filium.] *T. Manlius Torquatus conſul, filium, quòd contra edictum pugnaverat, tametſi proſperè, ſecuri percuti juſſit: de hoc alibi.*

b Ne ab illo.] *Catonem tradit Plutarchus, nec voluiſſe quicquam à Cæſare petere, nec pro ſe peti permiſiſſe.*

i Ut ipſe Cæſar.] *Nota eſt illa Cæſaris vox ad nuntium mortis Catonis: Invideo Cato gloriæ tuæ, nam & tu invidiſti meæ: ne inter cætera mea præclarè facta numeraretur & illud, me Catonem ſervaſſe. Libros ſcripſit Cæſar Anticatones duos contra Catonem, ut Cicero ipſe & Suetonius meminerunt. Ea volumina vir clariſſimus Cardinalis Leodienſis confirmavit, ſe in antiqua quadam bibliotheca Leodii vidiſſe, & curaturum, ut ad me mitterentur. Quod ſi fecerit, non invidebo ſtudioſis hominibus lectionem eorum.*

F.L.Coq. α SAna quippe ratio exemplis anteponenda.] *Citantur hæc diſt. 9. capit. ultimo, quibus conſonant & illa: non exemplis, ſed legibus judicandum. l. nemo, C. de ſent. & interlocut. omnium judicum, nec tam ſpectandum quid antea factum ſit, quam quid fieri debeat: l. ſed licet 12. ff. de offic. præſ.*

β Non fecerunt Patriarchæ.] *Chryſoſt. homil. 27. in Geneſ. Patriarchas vocat præceptores à Deo datos reliquo hominum generi, qui ſua virtute omnes nos inſtruere, & quaſi medici ægrotantes curare poſſint: de his & non de Philoſophis Gentilium dixit D. Bernhardus lib. de modo vivendi ad ſororem cap. 16.* propterea Deus poſuit virtutes ad exemplum noſtrum, ut per veſtigia ipſorum poſſimus pervenire ad regna ſanctorum. *In mortalibus argumentum ab exemplis ſanctorum plurimum valet. Innocent. Pontifex diſt. 20. In morum judiciis ſanctorum exempla nos ſequi voluit. Quemadmodum & Hierony. lib. 1. contra Pelagium, objicienti, eam eſſe communem Philoſophorum ſententiam, quod qui unam virtutem, cæteras etiam omnes habeat, reſpondet, eam quidem philoſophorum eſſe ſententiam, ſed non Apoſtolorum: neque eſſe illi curæ, quid Ariſtoteles, ſed quid Paulus doceat, ita nobis curæ eſſe non debet, quid apud Gentiles ſapientes æſtimati, ſed quid Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli in ſacris libris celebrati fecerint.*

γ Niſi illum Catonem.] *De morte Catonis ita Cic. lib. 9. epiſt. familiarium ſcribens ad Papyr. Pætum.* Cæteri quidem Pompejus, Lentulus tuus, Scipio, Afranius, fœde perierunt, at Cato præclare. *Et lib. 1. offic. hoc factum Catonis commendat.* Differentia naturarum, *inquit*, tantam habet vim, ut nonnunquam mortem ſibi conſciſcere alius debeat, alius in eadem cauſa non debeat, non enim alia in cauſa M. Cato fuit, alia cæteri, qui ſe in Africa Cæſari tradiderunt. Atqui cæteris forſitan vitio datum eſſet, ſi ſe interemiſiſſent, propterea quod eorum vita levior, & mores fuerant faciliores. Catoni autem cum incredibilem tribuiſſet natura gravitatem, eamque ipſe perpetua conſtantia roboraſſet, ſemperque in propoſito, ſuſceptoque conſilio permanſiſſet, moriendum potius, quam tyranni vultus aſpiciendus fuit. *Et 1. Tuſc.* Cato ſic abiit è vita, ut cauſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet: vetat enim dominans ille in nobis Deus, injuſſu hinc ſuo demigrare: cum vero cauſam juſtam Deus ipſe dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, ſæpe multis, næ ille medius fidius vir ſapiens lætus ex his tenebris in lucem illam excedere-

exceſſerit; nec tamen illa vincula carceris ruperit: leges enim vetant, ſed tanquam à magiſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima ſic à Deo evocatus, atque emiſſus exierit. *Ubi recte quidem cum Auguſtino ſentit, non licere ex hac vita ſine juſſu Dei diſcedere: verum cauſam juſtam Deum dediſſe Catoni, qua ſibi necem afferret, perverſe ſentit, & id recte hoc cap. improbatur. Seneca etiam tanquam Stoicus ab hoc facto mirifice Catonem commendat epiſt. 24. 67. 70. lib. de tranquillitate animi cap. 15. & alibi paſſim. Dion lib. 43.* ὁ μὲν οὖν Κάτων καὶ δημοτικώτατος καὶ ἰσχυρότατος καὶ ἰσχυρογνωμονέστατος πάντων τῶν κατ' ἑαυτὸν ἀνθρώπων γενόμενος μεγάλην δόξαν, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ θανάτου ἔλαβεν. ὥστε καὶ ἐπωνυμίαν Οὐτικήσιος, ὅτι ἐν τῇ Οὐτικῇ οὕτως ἐτελεύτησεν, ὅτι τε δημοσίᾳ ὑπ' αὐτῶν ἐτάφη, κτήσασθαι.

δ Vir doctus.] *Catonem perfectum Stoicum vocat Cic. 1. paradoxo, Lactant. lib. 3. cap. 18. eum Romanæ ſapientiæ vocat principem. Platonis librum de anima legiſſe, antequam ſibi manus afferret, teſtes ſunt Plutarch. in Catone, Dion lib. 43. Appianus lib. 2. de bellis civilibus.*

ε Et probus.] *Salluſtius in conjurat. Catilin. de Catone loquens.* Non divitiis, *inquit*, cum divite, nec factione cum factioſo, ſed cum ſtrenuo virtute, cum moderato pudore, cum innocente abſtinentia certabat, eſſe quam videri bonus malebat. *Seneca lib. de tranquillitate animi cap. 15. eum virtutum vivam imaginem vocat, & certius virtutis exemplar, quam Herculem, aut Ulyſſem. Vellejus Paterculus lib. 2. hominem eum vocat virtuti ſimillimum, & per omnia diis, quam hominibus ingenio propiorem: qui nunquam recte fecit, ut facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat, cuique id ſolum ſit viſum rationem habere, quod haberet juſtitiam, hominem omnibus humanis vitiis immunem.*

ζ Hoc & ipſe Cato in ſuo chariſſimo filio.] *Teſtatur Dion lib. 43. Catonem juſſiſſe filium ad Cæſarem proficiſci, eique ecquid non ipſe idem hoc faceret? interroganti reſpondiſſe,* Ὅτι ἐγὼ μὲν ἐν τῇ ἐλευθερίᾳ καὶ παρρησίᾳ τραφεὶς οὐ δύναμαι τὴν δουλείαν ἐκ μεταβολῆς ἐπὶ γηρείας μαθεῖν, σοὶ δὲ ἐν τοιαύτῃ καταστάσει, καὶ γεννηθέντι, καὶ τραφέντι τὸν δαίμονα, τὸν λαχόντα σε θεραπεύειν προσήκει. *Ego quidem in libertate vitæ, dicendique educatus non poſſum immutata vitæ ratione ſenex ſervituti me aſſuefacere, te vero qui in hujusmodi rerum ſtatu es natus & educatus, eam fortunam, quæ tibi obtigit, amplecti decet, & filio ignovit Cæſar.*

η Nam ſi eum filium.] *Livius lib. 8. Agellius lib. 17. cap. 21. Val. Max. lib. 2. cap. 7. Oroſ. lib. 3. cap. 9.*

θ Ne ab illo ſibi parceretur.] *Dion:* Τοῦ θανάτου πολὺ τὸ παρὰ τοῦ Καίσαρος ἔλεον χαλεπώτερον ἡγεῖτο εἶναι. *id eſt,* miſericordiam Cæſaris morte ſibi longe graviorem exiſtimabat: *Sciebat enim, Cæſarem, quo bene mereri de Repub. videretur, & clementiæ opinionem compararet, ſibi parciturum.*

ι Ut ipſe Cæſar.] *Intellecta morte Catonis dixiſſe fertur:* ὦ Κάτων φθονῶ σοι τοῦ θανάτου καὶ γὰρ ἐμοὶ τῆς σαυτοῦ σωτηρίας ἐφθόνησας. *Plutarch. in Catone. Dion lib. 43. Appia. lib. 2. de bellis civilibus.*

Cap.

Cap. XXIV.

Quòd in ea virtute, qua Regulus Catone præſtantior fuit, multò magis emineant Chriſtiani.

NOlunt autem iſti, contra quos agimus, *a* ut ſanctum virum Iob, qui tam horrenda mala *a* in ſua carne perpeti maluit, quàm illata ſibi morte omnibus carere cruciatibus: vel alios ſanctos ex noſtris literis ſumma autoritate celſiſſimis, fidéque digniſſimis, qui captivitatem dominationémque hoſtium ferre, quàm ſibi necem inferre maluerunt, Catoni præferamus: ſed ex literis eorum eidem *β* illi Marco Catoni Marcum Regulum præferamus. Cato enim nunquam Cæſarem vicerat, cui victus dedignatus eſt ſubjici, & ne ſubjiceretur, à ſeipſo elegit occidi: Regulus autem Pœnos jam vicerat, imperióque Romano Romanus Imperator non ex civibus dolendam, ſed ex hoſtibus laudandam victoriam reportaverat: ab eis tamen poſtea victus, maluit eos ferre ſerviendo, quàm eis ſe auferre moriendo. Proinde ſervavit, & ſub Carthaginienſium dominatione patientiam, & in Romanorum dilectione conſtantiam: nec victum auferens corpus ab hoſtibus, nec invictum animum à civibus. Nec quòd ſe occidere noluit, vitæ hujus amore fecit. Hoc probavit, cùm cauſa promiſſi jurisque jurandi ad eosdem hoſtes, quos gravius in ſenatu verbis, quàm in bello armis offenderat, ſine ulla dubitatione remeavit. Tantus itaque vitæ hujus contemptor, cum ſævientibus hoſtibus, per quaslibet pœnas eam finire, quàm ſe ipſe perimere maluit, magnum ſcelus eſſe, ſi homo ſe interimat, proculdubio judicavit. Inter omnes ſuos laudabiles, & virtutum inſignibus illuſtres viros non proferunt Romani meliorem, quem neque fœlicitas corruperit, nam in tanta victoria *b* pauperrimus permanſit, nec infœlicitas fregerit: nam ad tanta exitia revertit intrepidus. *γ* Porrò ſi fortiſſimi & præclariſſimi viri terrenæ patriæ defenſores, Deorúmque licet falſorum, non tamen fallaces cultores, ſed veraciſſimi etiam juratores, qui hoſtes victos more ac jure belli ferire potuerunt, hi ab hoſtibus victi ſeipſos ferire noluerunt, & cùm mortem minimè formidarent, victores tamen dominos ferre, quàm eam ſibi inferre maluerunt: quantò magis Chriſtiani verum Deum colentes, & ſupernæ patriæ ſuſpirantes, ab hoc facinore temperabunt, ſi eos divina diſpoſitio vel probandos, vel emendandos ad tempus hoſtibus ſubjugaverit, quos in illa humilitate non deſerit, qui propter eos tam humiliter venit Altiſſimus: *c* præſertim quos nullius militaris poteſtatis, vel talis militiæ jura conſtringunt, ipſum hoſtem ferire ſuperatum?

L. Vives. *a* IN ſua carne.] *Ulcere enim peſſimo eſt afflictus.*

b Pauperrimus.] *Livius lib. 18. & Valerius in Exemplis de paupertate. Cùm Attilius prorogatum in proximum annum imperium cognoviſſet, conſulibus de ſucceſſore ſibi mittendo ſcripſit. Inter cauſas cur provincia vellet decedere, illam attulit præcipuam, quòd agellus ſuus ſeptem jugerum, quem ſolum habebat, à mercenario vaſtaretur, quòd ſi ita pergeret facere, non fore, unde uxor & liberi ſui alerentur: ſenatus dato ædilibus negotio, patrimonio Attilii proſpexit.*

c Præſertim quos.] *Alienam facit hanc pugnandi rationem a Chriſtiana pietate, id eſt, inhumanitatem ſæviſſimam à manſuetiſſima humanitate.*

α UT ſanctum virum Job.] *Hoc epitheto etiam decoratur Tobiæ 2. Hanc tentationem ideo permiſit Dominus evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus; ſicut & ſancti Job. Beatum Job vocat paſſim Origenes. Hierony. ad Demetriadem tom. 4. de Job loquens,* O virum, *inquit,* ante Evangelium, Evangelicum, & Apoſtolicum ante Apoſtolica præcepta, Apoſtolorum diſcipulum. *D. Greg. lib. 1. moral. cap. 3. dicit, eum Evangelicam ſecutum eſſe perfectionem, ſubſtantiam ſuam mente reliquendo, & homil. 19. in Eze. vocat eum ſanctum, & civem cœleſtis patriæ. Gregorio Nazianz. orat. in Athanaſium dicitur,* ἄνθρωπος ἀληθινὸς, ἄμεμπτος, δίκαιος, θεοσεβὴς, καὶ ὅσα μεμαρτύρηται. *id eſt,* veritatis cultor, irreprehenſibilis, juſtus, pius, & quæcunque illi teſtimonio ſcripturæ tribuuntur. *dicitur in ſcriptura vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo miris laudibus commendatur & in ſcriptura, & à patribus; ſed præ cæteris videri poſſunt in ejus laudem aliquot pulcherrimæ homiliæ apud D. Chryſoſt. tom. 1.* F.L.Coq.

β Eidem illi M. Catoni M. Regulum.] *Confert Catonem cum Regulo, huncque illo longe præſtantiorem virtute, & animi fortitudine fuiſſe docet, qui Pœnis à ſe primum victis, deinde victus maluit illis ſubjici, & extrema quæque tormenta pati, quàm ſibi mortem conſciſcere, ut ſe à ſervitute, & tot malis ſemel eriperet, & quæ ſumma illius laus eſt, ſervavit, & ſub Carthaginenſium dominatione patientiam, & in Romanorum dilectione conſtantiam, nec victum auferens corpus ab hoſtibus, nec invictum animum à civibus: At Cato nunquam victo Cæſare ab eo victus, ne ei ſubjiceretur, ſibi violentas manus attulit. Fortitudinem Reguli commendare videtur & ex noſtris Tertul. lib. ad martyres cap. 5.*

γ Porro ſi fortiſſimi.] *Argumentum à minori ad majus. ſi enim adeo animi fortitudine excellunt Regulus & alii falſorum Deorum cultores, ut quamquam mortem nihil formidarent, eam tamen ſibi non attulerunt, ne hoſtibus ſubjicerentur: quanto magis Chriſtiani veri Dei cultores, ac longe fœliciorem vitam ſibi nec falſo promittentes à tanto facinore abſtinebunt, ſi eos divina providentia vel probandos vel emendandos ad tempus aliquod hoſtibus ſubjecerit.*

CAP. XXV.

Quòd peccatum non per peccatum debeat declinari.

QUis ergò α tam malus error obrepit, ut homo ſe occidat, vel quia in eum peccavit, vel ne in eum peccet inimicus, cùm vel peccatorẽ vel peccaturũ ipſum occidere nõ audeat inimicũ? At enim timendũ eſt & cavendũ, ne libidini hoſtili ſubditum corpus illecebroſiſſima voluptate animũ alliciat conſentire peccato. Proinde, inquiunt, non jam propter alienum, ſed propter ſuum peccatum, antequam hoc quisque committat, ſe debet occidere. Nullo modo quidem hoc faciet animus, ut conſentiat libidini carnis ſuæ, aliena libidine concitatæ, qui Deo potius ejúsque ſapientiæ, quàm corporis concupiſcentiæ ſubjectus eſt. Verumtamen ſi deteſtabile facinus & damnabile ſcelus eſt, etiam ſeipſum hominem oc- *al. concitante.* *al. corporis concupiſcentiæq.*

M cide-

cidere, ſicut veritas manifeſta proclamat, quis ita deſipiat, ut dicat: Jam nunc peccemus, ne poſtea forte peccemus: jam nunc perpetremus homicidium, ne fortè poſtea incidamus in adulterium: β Nónne ſi tantum dominatur iniquitas, ut non innocentia, ſed potius peccata eligantur, ſatius eſt incertum de futuro adulterium, quàm certum de præſenti homicidium? Nónne ſatius eſt flagitium committere, quod pœnitendo ſanetur, quàm tale facinus, ubi locus ſalubris talis pœnitentiæ non relinquitur? Hæc dixi propter eos vel eas, quæ non alieni, ſed proprii peccati devitandi cauſa, ne ſub alterius libidine etiam excitatæ ſuæ forte conſentiant, vim ſibi qua moriantur inferendam putant. Cæterùm γ abſit à mente Chriſtiana, quæ in Deo ſuo fidit, in eóque ſpe poſita, ejus adjutorio nititur: abſit, inquam, ut mens talis quibuslibet carnis voluptatibus ad conſenſum turpitudinis cedat. δ a Quòd ſi illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris b moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem quaſi lege ſua movetur: quantò magis absque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi absque culpa eſt in corpore dormientis?

L. Vives. a Quòd ſi illa concupiſcentialis.] *Movetur enim ex ſe libido corporis, etiam voluntate reſiſtente ac repugnante. Hinc victa voluntate à carne, naſcitur pudor: ut aliàs dicetur fuſius.*

b Moribundis.] *Membra hæc noſtra morti ſubdita quotidiè moriuntur, & tamen vitam quandam videntur per ſe habere aliam à vita animi: quantò magis absque culpa eſt, ſi motus illi libidinis inter dormiendum excitantur ſine culpa, quia natura illos agitat absque aſſenſu voluntatis, quantò minus erunt ſine culpa, ubi non ſolùm* F.L.Coq. *quieſcit voluntas, ſicut in ſomno, verum etiam adverſatur, & obſiſtit?*

α Quis ergo tam malus error.] *Oſtendit hoc capite, non eſſe committendum aliquod peccatum, quale eſſet ſui ipſius occiſio, ut quis fugiat peccatum vel alterius, vel etiam proprium, & id eſſet uti malo ad bonum, ad quod ſuapte natura ordinatum non eſt, cum conſenſus in peccatum ex noſtra pendeat voluntate, & mors ſuapte natura non poſſit eſſe cauſa alicujus boni. Cui doctrinæ conformat ſententia Apoſtoli Rom. 3.* Non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona: *tum quia perperam peccatum certum in præſenti committitur, ut vitetur incertum futurum: id enim perinde eſt, ac ſi dicat aliquis: Nunc peccemus, ne poſtea forte peccemus: fieri enim poteſt, ut licet incidas in hoſtes, te tamen ad turpia non impellant, vel etiam tui ſit juris conſentire, vel diſſentire, ut omnino non pecces, ſi vis inferatur citra ullum tuum conſenſum. vide D. Thom. 2.2 qu. 64. art. 5. ad 3.*

β Nonne ſi tantum dominatur iniquitas.] *Duplici argumento probat, neminem debere ſibi manus adferre, etiam ad evitandum proprium peccatum. 1. Quia etſi tantum dominetur iniquitas, ut peccata eligantur, ſatius eſt incertum in futurum adulterium, quam certum in præſenti homicidium. 2. Quia etſi committas in futurum adulterium, at pœnitentia ſanari poterit, ſiquidem usque ad extremum vitæ ſpiritum relinquitur homini pœnitentiæ locus: at ſi quis ita inſaniat, ut ſibi manus violentas afferat, tanti flagitii non amplius eum pœnitere poterit.*

γ Abſit à mente Chriſtiana.] *Tertull. in Apologet. cap. 9. & 46. & lib. de Spectaculis*

culis cap. 17. Minutius in Octavio, & Juſtinus martyr. Apolog. 2. pro Chriſtianis caſtitatem Chriſtianorum plurimum commendant, agentes de impudicitia & intemperantiis Gentilium. Idem Tertull. in Apolog. cap. 50. Nam & proxime ad Penonem damnando Chriſtianam potiusquam ad Leonem, confeſſi eſtis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & omni morte reputari. *Plinius Secundus lib. 10. epiſt. 97. ad Trajanum teſtatur, moris id fuiſſe Chriſtianis, ſe ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furtum, ne latrocinia, ne adulteria committerent. Et Sozomenus lib. 9. cap. 10. Et Niceph. lib. 13. cap. 35. magnopere celebrant cujusdam matronæ nobilis Chriſtianæ caſtitatem, quæ capta urbe ab Alarico, milite quodam eam ad concubitum ſollicitante, & adverſanti ſtricto gladio mortem ei minitante, nullo terrore adduci potuit, ut obſcœni quid in corpore pateretur, optabilius ſibi rata mori cum caſtitate, quam vivere expertam alium virum, quam illum, cum quo legitimo matrimonio conjuncta erat. Atque plurimas fuiſſe hujusmodi, quæ nullis minis eo ſint adductæ ut diſpendium caſtitatis paterentur, minime dubitandum. Minima Dei gratia ſufficit, qua homo adjutus omnes illecebras, & carnis voluptates facile ſuperet. Debent Chriſtiani cum Apoſt. Rom. 7. mente quidem ſervire legi Dei, licet carne ſerviant legi peccati: debent & ſpiritu ambulare, & deſideria carnis non perficere, Galat. 5. de quibus ibidem:* qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis *Rom. 8.* qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt, vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu; ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis.

ϑ Quod ſi illa concupiſcentialis inobedientia.] [*Ex hoc loco conſtat, concupiſcentiam non eſſe peccatum, cui non accedit voluntatis conſenſus.*] *Idem ſerm. 5. de verbis Apoſtoli,* quicunque carnalibus concupiſcentiis credis, atque conſentis, totus carnalis es. Si autem concupiſcis quidem, poſt concupiſcentias autem tuas non eas, mente ſpiritualis es, carne carnalis, & cæt. ſi hujusmodi motus libidinis, *inquit*, & concupiſcentiæ carnalis inter dormiendum excitatur ſine culpa: multo magis ſi inter vigilandum excitetur, & reluctetur voluntas citra ullam culpam [*quæ eſt doctrina concilii Tridentini ſeſſ. 5. decret. de peccato orig. nec aliter dici peccatum, niſi quod ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.*] *Et id paſſim docet D. Auguſt. qua de re plura Bellarm. tom. 4. lib. 5. de Amiſſ. gratiæ, & ſtatu peccati cap. 7. & deinceps, & fuſe Stapletonius lib. 3. de juſtific. qui eſt de concupiſcentia in renatis.*

CAP. XXVI.

De his, quæ fieri non licet, cùm à ſanctis facta noſcuntur, qua ratione facta credenda ſint.

SEd quædam, α inquiunt, ſanctæ fœminæ tempore perſecutionis, ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque necaturum ſe flumen projecerunt: eóque modo defunctæ ſunt, earúmque martyria in Catholica Eccleſia veneratione celeberrima frequentantur. β De his nihil temerè audeo judicare. Utrum enim Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus, ut earum memoriam ſic honoret, divina perſuaſerit autoritas, neſcio, & fieri poteſt, ut ita ſit. *Pelagia cum ſuis apud Ambr. de Virg. l. 3. Sophron. l. 8. H. E. Peculiaris vocatio.*

Quid ſi enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ: nec errantes, ſed obedientes: ſicut de Sampſone aliud nobis fas non eſt credere? Cùm autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obſequium pietatis accuſet? γ Sed non ideo ſine ſcelere facit, quisquis Deo immolare filium decreverit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit. δ Nam & miles, cùm obediens poteſtati, ſub qua legitimè conſtitutus eſt, hominem occidit, nulla civitatis ſuæ lege reus eſt homicidii: imò niſi fecerit, reus eſt imperii deſerti atque contempti. Quòd ſi ſua ſponte atque autoritate feciſſet, in crimen effuſi humani ſanguinis incidiſſet. Itaque unde punitur, ſi fecerit injuſſus, inde punietur, niſi fecerit juſſus. Quòd ſi ita eſt jubente Imperatore, quantò magis jubente creatore? Qui ergò audit, non licere ſe occidere, faciat ſi juſſit, cujus non licet juſſa contemnere. Tantummodo videat, utrum divina juſſio nullo nutet incerto. *b* Nos per aurem conſcientiam convenimus, occultorum nobis judicium non uſurpamus. Nemo ſcit, quid agatur in homine, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter ſua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari. Neminem velut deſiderio vitæ melioris, quæ poſt mortem ſperatur: quia reos ſuæ mortis, melior poſt mortem vita non ſuſcipit.

al. legibus. *1. Cor. 2.*

L. Vives. *Pelagia.* *a* Sed quædam inquiunt.] *Pelagiam ſcribit Ambroſius libr. 3. de virginibus, cùm matre & ſororibus præcipitem ſe dediſſe in flumen, ne à perſequenti milite violaretur: eam tamen, ut idem inquit, martyrum numero Eccleſia aſſcripſit. Item Sophroniam, quæ ſe occidit, ne vim à Maxentio Cæſare pateretur: ut Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria perhibet.* *Sophronia.*

b Nos per aurem.] *Ab exterioribus judicium de interioribus facimus: in occulta enim acies noſtra non penetrat.*

F.L.Coq. α Sed quoniam, inquiunt, ſanctæ fœminæ.] *Extat apud Euſeb. lib. 8. hiſt. Eccleſ. cap. 24. hiſtoria de muliere quadam Antiochiæ nobiliſſima, quæ cum geminas filias virgines haberet, corporis pulchritudine & ætate integra præſtantes, timeretque ne eis abuterētur ad explendam nefariam libidinem impii ſatellites, ab eis cum interea duceretur, cum ad medium iter ventum eſſet, paululum de via decedendi naturalis neceſſitatis cauſa poteſtatem poſtulavit, qua impetrata derepente ad fluvii ripam profectæ ſe in profluentem gurgitem præcipitarunt. Et hæ fortaſſe ſunt eædem, de quibus Cedrenus fol. 220. quæ fuerunt uxor & duæ filiæ Adaucti martyris, quæ ſe in amnem præcipitarunt, ne earum violaretur pudicitia, de quibus* ζητητέον, *inquit,* εἰ ἐμβιβασθῶσιν εἰς μάρτυρας *quæſtio eſt,* An ſint in martyres referendæ? *Idem Euſeb. lib. 1. de vita Conſtant. cap. 28. & Niceph. lib. 7. cap. 21. referunt de muliere Romana nobiliſſima & caſtiſſima, Sophroniam vocat Ruffinus, quæ cum perducenda eſſet ad impium Maxentium, jamque pro foribus ædium aſtare audiret impios ſatelli-*

tes,

tes, & miniſtros libidinis ipſius, & maritus etiam metus cauſa permiſiſſet eam abreptam duci, paulum temporis propoſcit, ut corpus decenter ornaret, itaque cubiculum ingreditur, & cum ſola eſſet, enſe ſeipſam transfixit, ſicque mortua ſtatim concidit, quo facto oſtendit, ſolam Chriſtianorum continentiam eſſe, quæ nec libidine expugnari, nec flagitio peremi, labefactarive poſſit. Pelagiam virginem Antiochenam mirifice laudat Ambroſ. lib. 3. de Virginib. & epiſt. 7. ad Simplicianum, de qua etiam extant duæ præclaræ orationes D. Joannis Chryſoſt. apud Lippomanum tom. 7. & Sur. tom. 3. die 9. Junii, de qua etiam eſt illuſtris mentio in actis Luciani martyris presbyteri Antiocheni in hæc verba: Ajunt, Pelagiam fuiſſe ex ejus, nempe Luciani, diſcipulis, quæ Antiochiæ Syriæ vixit, quæ etiam dicitur è tecto altiſſimo ſeipſam dejeciſſe, cum acceſſiſſent qui eam erant comprehenſuri, timens ne abominandum quid per vim ſuſtineret (erat enim virgo) & eo modo eſſe mortuam. *Hæc ibi ex Joanne presbytero Nicomedienſi, qui acta Luciani martyris ſcripſit. Seſe etiam Pelagiæ mater & ſorores præcipitarunt in flumen, ut ibidem narrat Ambroſ. eamdem perſequens hiſtoriam. Baron. Annal. tom. 3. anni Domini 303. putat, hanc hiſtoriam Ambroſii eamdem eſſe cum ſuperiori Euſebii lib. 8. cap. 24. de muliere illa nobiliſſima Antiochena habente geminas filias virgines, licet paulo aliter ab Ambroſio rem geſtam recenſeat. Hoc loco videtur eas intelligere Aug. cum dicit, earum martyria in Eccleſia Catholica veneratione celeberrima frequentari. Siquidem ut tradit S. Joannes Chryſoſt. natalis dies ſanctæ Pelagiæ tabulis Eccleſiaſticis, celebritate annua repetendus, & feſto die colendus Antiochiæ ſolemnis erat, & fuit non tantum Antiochiæ, ſed & Conſtantinopoli celebris memoria S. Pelagiæ, cujus baſilicam impius Conſtantinus Copronymus demolitus eſt, ut teſtatur Cedrenus in compendio: nec tantum ipſam, ſed & matrem, & ſorores, quæ ſe præcipites in flumen dedere, antiquitas habuit in honore. Refert & Procopius libr. 2. de bello Perſico, capta Antiochia à Coſroë Rege Perſarum duas Antiochenas fœminas illuſtres, ne quid ab hoſtibus turpe paterentur, curſu ſtatim ad Orontem contendiſſe, & opertis flammeolo capitibus ſe in profluentem, jeciſſe: Non abſimilem hiſtoriam ſcribit Nicolaus Olaus in hiſtoria Attilæ, quod cum Attila cœpiſſet Aquilejiam, quam triennio obſederat, in civitate fuiſſe tum fœminam religione, & pudicitia non minus, quam genere nobilem: forma vero tam inſignem, ut omnes alias ejus urbis fœminas facile præcellerit, cui nomen Digna fuit. Hæc cum audiret Hunnos in omnes uſque ad mortem ſævire, præterquam fœminas pulchritudine præſtantes, in ſuperiorem ædium ſuarum partem confugit, ſtatuens prius mori, ſi quis Hunnorum vim ſibi intentare vellet, quam pudicitiam amittere. Igitur dum quiſpiam militum decore ipſius captus, eamque inſecutus violare conaretur, Digna in fluvium Natizontem ſub ædes defluentem ſe præcipitavit: ita pudiciſſima fœmina militis ſpurciſſimi turpem libidinem morte ſua evaſit. Simile quid referunt de Nicerati conjuge, cujus meminit D. Hieron. lib. 1. contra Jovini. quæ impatiens injuriæ viri mortem ſibi conſcivit, ne triginta tyrannorum, quos Lyſander urbi Athenarum impoſuerat, libidinem ſuſtineret.*

β De his nihil temere audeo judicare.] *Ita loquitur paulo temperatius fortaſſe, quia ita exigebat ratio temporis ob circumcelliones, qui ſtulta opinione martyrii paſ-*

ſim ſibi tum mortem conſciſcebant, ut teſtatur lib. 3. contra Creſconium, cap. 49. & ad Donatiſtas poſt collationem cap. 17. & lib. 1. contra Gaudent. cap. 26. dicit iſtam circumcellionum inſaniam, non martyrum gloriam. Et cap. 36. quaſdam ſanctimoniales Donatiſtarum gravidas per ſaxa ſcribit ſe miſiſſe, & diſſilientibus uteris homicidiorum & ſtuprorum ſcelera prodidiſſe. Et lib. 3. contra Creſconium cap. 49. dicit, hoc malum voluntariæ mortis ſibi inferendæ inter tot hæreſes ſub Chriſtiano voca-
» *bulo errantes proprium eſſe hæreſis Donatiſtarum.* [*Id tamen omnibus Catholicis in-*
» *dubitatum eſt, Eccleſiam in canonizatione ſanctorum minime poſſe errare: ut ſine ul-*
» *la dubitatione hi in gratia Dei, & vita diſceſſiſſe, & beatitudine frui cenſendi ſint,*
» *quorum martyria celebrantur vel quos in ſanctorum numerum retulit Eccleſia, nec*
» *minor eſt ipſius Eccleſiæ, quæ regitur à Spiritu ſancto, quæque columna eſt & firma-*
» *mamentum veritatis, quam ſcripturæ authoritas. Ut igitur propter ſcripturæ au-*
» *thoritatem, quæ Sampſonem refert in catalogum ſanctorum, Auguſt. eum excuſat,*
» *quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſerit, ſiquidem id fecit latenter inſpi-*
» *rante Deo. Idem dicendum de hujusmodi virginibus, quæ ne ſubjicerentur libidini*
» *perditiſſimorum nebulonum, ſeſe in flumen præcipites dedere, ſiquidem earum marty-*
» *ria celebrat Eccleſia: ſed recte docet, ut eas excuſemus à culpa, nos non poſſe alio con-*
» *fugere, quam ad divinam inſpirationem,* Si hoc fecerunt, *inquit,* non humanitus
» deceptæ, ſed divinitus juſſæ, nec errantes, ſed obedientes, Deo nimirum intus in-
» ſpiranti]

γ Sed non ideo ſine ſcelere facit.] *In quæſtione 49. ſuper lib. Judicum docet, non debuiſſe Jephte exemplo Abrahami immolare filiam:* Fecit enim, *inquit,* Abraham quod Dominus ſpecialiter fieri præcepit, non generali lege, ut talia ſibi ſacrificia fierent aliquando mandavit: imo fieri omnino prohibuit. Diſtat itaque hoc quod Jephte fecit, à facto Abrahæ, quoniam ipſe juſſus obtulit filium, iſte autem fecit, quod & lege vetabatur, & nullo ſpeciali jubebatur imperio. *Poſt:* Aliud eſt ultro vovere, aliud jubenti obtemperare: non enim ſi aliquid præter morem in domo à Domino inſtitutum ſervo jubetur, atque id laudabili obedientia facit, ideo non eſt plectendus, ſi hoc facere ſponte præſumpſerit. *Ita quæſt. 39. in Exod. docet ex facto Hebræorum, qui vaſa aurea, & argentea Ægyptiorum tulerunt, non debere quemquam inde ſumere exemplum ad exſpoliandum iſto modo proximum:* Hoc enim Deus juſſit, qui noverat quid quemque pati oporteret: nec Iſraelitæ furtum fecerunt, ſed Deo jubenti miniſterium præbuerunt. *Et lib. 22. contra Fauſtum cap. 73.* Lex æterna ita medio quodam loco poſuit aliqua hominibus, ut in eis uſurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis autem jure obedientia laudetur. *Abraham ſi ſpontaneus in occidendo filio motus fuiſſet, execrabilis haberetur, at jubenti Deo obſecundans famulatus eſt, quæ recitantur 23. quæſt. 5. can. lex æterna.*

δ Nam & miles cum obediens poteſtati.] *Huc ſpectat quod ſcribit lib. 22. contra Fauſtum cap. 75.* Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſtulat, ut ſuſcipiendi belli authoritas tantum penes principem ſit, executionis vero miniſterium milites debeant paci ſalutique communi: *Quod tamen ſcribit militi obedien-*

dien-

diendum eſſe poteſtati, ſub qua conſtitutus eſt, nec reum eſſe homicidii, ſi juſſus occidat hominem, imo niſi fecerit, reum eſſe imperii deſerti atque contempti, id plane in bello juſto, vel ſaltem de cujus injuſtitia militi non conſtat intelligendum eſt: ubi enim conſtat manifeſte, aliquid eſſe contra Dei præceptum, cujuſmodi eſt injuſtum bellum, nequaquam ſuperiori præcipienti obtemperandum eſt. Hæc verba D. Auguſtini recitantur 23. q. 5. can. miles. non igitur omnia bella culpanda: nam ut ſcribit epiſt. 5. ad Marcellinum comitem: Si Chriſtiana diſciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus in Evangelio conſilium ſalutis petentibus diceretur, ut abjicerent arma, ſeque militiæ omnino ſubtraherent: dictum eſt autem: neminem concuſſeritis, nulli injuriam feceritis, contenti eſtote ſtipendiis veſtris. *Vide eumdem epiſt. 205. ad Bonifacium in hanc ſententiam. Et lib. 22. cap. 37. contra Fauſtum Manichæum, & ſerm 19. de verbis Domini. Inſulſus ille Eraſmus annotat. in cap. 3. Lucæ, & præfatione in Enchiridio militis Chriſtiani, Evangelicis & Apoſtolicis litteris dicit adverſari Auguſtinum, qui bellis patrocinetur, ubi impudentiſſime mentitur, ut ex ſacris ſcripturis paſſim conſtat, ſed nobis plus unus Auguſtinus, quam plures Eraſmi.*

Cap. XXVII.

An propter declinationem peccati mors ſpontanea appetenda ſit.

Reſtat *a* una cauſa, de qua dicere cœperam, qua utile putatur, ut ſe quiſquam occidat, ſcilicet ne in peccatum irruat, vel blandiente voluptate, vel dolore ſæviente. Quam cauſam, ſi voluerimus admittere, eò uſque progreſſa perveniet, ut hortandi ſint homines, tunc ſe potius interimere, *β* cùm lavacro ſanctæ regenerationis abluti, *γ* univerſorum remiſſionem acceperint peccatorum. *δ* Tunc enim tempus eſt cavendi omnia futura peccata, cùm omnia ſunt deleta præterita, quòd ſi morte ſpontanea rectè fit, cur non tunc potiſſimùm fit? Cur baptizatus ſibi quiſque parcit? Cur liberatum caput tot rurſus vitæ hujus periculis inſerit, cùm ſit facillimæ poteſtatis, illata ſibi nece omnia devitare, ſcriptúmque ſit: Qui amat periculum, incidit in illud? Cur ergo amantur tot & tanta pericula, vel certè etiam ſi non amantur, ſuſcipiuntur? Cur manet in hac vita, cui abſcedere licitum eſt? An verò tam inſulſa perverſitas cor evertit, & à conſideratione veritatis avertit: ut ſi ſe quiſquam interimere debeat, ne unius captivantis dominatu corruat in peccatum, vivendum ſibi exiſtimet, ut ipſum perferat mundum per omnes horas tentationibus plenum, & talibus, qualis ſub uno domino formidatur, & innumerabilibus cæteris, ſine quibus hæc vita non ducitur? Quid igitur cauſæ eſt, cur in eis exhortationibus tempora conſumamus: *a* *ε* quibus baptizatos alloquendo ſtudeamus accendere, *b* ſive ad virginalem integritatem, ſive ad continentiam vidualem, ſive ad ipſam thori conjugalis fidem, cùm habeamus meliora, & ab omnibus peccandi periculis remota compendia, ut quibuſcunque poſt remiſſionem recentiſſimam peccatorum, ad arripiendam mortem, ſibique ingerendam perſuadere potuerimus, eos ad dominum ſaniores purioréſque mittamus? Porrò ſi quiſquis hoc aggrediendum atque perſuadendum putat, non dico deſipit, ſed inſanit, qua tandem fronte homini

mini dicit: Interfice te, ne parvis tuis peccatis adjicias gravius, dum vivis ſub domino barbaris moribus impudico, qui non poteſt niſi ſceleratiſſimè dicere: Interfice te, peccatis tuis omnibus abſolutis, ne rurſus talia vel etiam pejora committas, dum vivis in mundo, tot impuris voluptatibus illecebroſo, tot nefandis crudelitatibus furioſo, *c* tot erroribus & terroribus inimico? Hoc quia nefas eſt dicere, nefas eſt profectò ſe occidere. *d* ζ Nam ſi hoc ſponte faciendi ulla cauſa juſta eſſe poſſet: Quia verò nec iſta eſt, ergo nulla eſt. Non itaque vobis, ô fideles Chriſti, ſit tædio vita veſtra, ſi ludibrio fuit hoſtibus caſtitas veſtra. Habetis magnam verámque conſolationem, *i* η ſi fidam conſcientiam retinetis, non vos conſenſiſſe peccatis eorum, qui in vos peccare permiſſi ſunt.

L.Vives. *a* QUibus baptizatos alloquendo.] * *Ne quis fallatur hoc loco, nemo olim ſacro admovebatur baptiſterio, niſi adulta jam ætate, & cùm idem ipſe & ſciret quid ſibi myſtica illa vellet aqua, & ſe ablui illa peteret, nec ſemel peteret. Cujus rei imaginem adhuc in noſtris infantium baptiſmis videmus. Nam rogatur etiam, num infans eo die natus, vel pridie, velitne baptizari, idque ter: pro quo ſuſceptores reſpondent, velle. Audio in quibuſdam Italiæ urbibus morem veterem magna ex parte adhuc conſervari. hæc dicta ſint mihi tantùm, ut Auguſtini ſenſus fiat apertior.**

b Sive ad virginalem.] *Tangit tres ſtatus bene viventium in Eccleſia.*

c Tot erroribus & terroribus.] *Septimi caſus.*

d Nam ſi hoc ſponte.] *Clauſulis accommodus arguendi modus per repugnantiam, cum ſublato annexo, & id quoque cui annexum eſt, neceſſe eſt auferri. meminit in Topicis Cicero.*

F.L.Coq. *a* C*Um in calce ſuperioris capitis docuiſſet, nemini ob alias cauſas licere ſibi mortem afferre, nunc differit, neque id licitum eſſe, ne quis in peccatum irruat, vel blandiente voluptate, vel dolore ſæviente: ſi enim hanc cauſam admittimus tanquam legitimam ſibi necis inferendæ, id certe conſulendum potius, ut fiat ſtatim à baptiſmo ſuſcepto. eo enim omnia peccata integrè remittuntur & qui in eo ſtatu moreretur, ſtatim evolaret ad cælum. Si quis igitur habeat legitimam cauſam, ut citra peccatum ſibi manus afferat violentas, tum certe maxime id faciendum erit.*

β Cum lavacro ſanctæ regenerationis abluti.] *Ita Baptiſmus vocatur ab Apoſtolo ad Titum 3,* Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti. *ad Epheſ. 5.* lavacrum aquæ in verbo vitæ. *Et definitur in catechiſmo Tridentino:* Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ. *Docet Gregor. Nazianz. orat. in ſanctum baptiſma, quod quemadmodum Chriſtus hujus muneris author multis & diverſis nominibus appellatur, ita ipſum quoque munus varia nomina ſortitur.* Donum, *inquit,* vocamus, gratiam, baptiſmum, unctionem, illuminationem, immortalitatis indumentum, regenerationis lavacrum, ſigillum, ac denique excellentiſſimo quoque nomine appellamus, quod multiplex hujus beneficii utilitas multas quoq; appellationes nobis pepererit. Donum igitur, quia his, qui nihil prius contulerant, datur, gratia, quia etiam pœnæ obnoxiis; baptiſmus, quia peccatum aqua obrutum ſepelitur; unctio, quia ſacroſanctus & regius, hujuſmodi enim erant qui ungebantur; illuminatio, quia ſplendor &

dor & claritas; indumentum, quia ignominiæ noſtræ velamen eſt; lavacrum, quia abluit; ſigillum, quia conſecratio eſt ac Domini ſignificatio. *Eadem fere extant de his nominibus baptiſmi apud Clementem Alexandrin. lib.1. pæd. c.6.* Dicitur lavacrum, quia per baptiſmum lavamur, & mundamur à peccatis: dicitur regeneratio, quia in baptiſmo vetus homo noſter moritur, & naſcitur novus homo, qui ſecundum Deum creatus eſt. Dicitur hic lavacrum regenerationis, ut indicetur duplex illius effectus: lavat enim, & ſanctificat. Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, & regenerati in novam creaturam: *1. Cor. 6. Tanta enim virtus eſt illius aquæ, ut corpora tangat, & cor abluat. Nomine lavacri utuntur paſſim etiam Patres, ut Tertull. lib. de baptiſm. Cyrillus Hieroſ. Catech. 3. myſtag. Chryſoſt. homil. ad baptizandos, ubi docet, qua ratione multis nominibus vocetur, ſed in primis de appellatione lavacri diſſerit:* divinæ gratiæ lavacrum, *inquit*, non corporis, ſed animæ maculam ſordesque mundare conſuevit: non enim eos, qui mortua corpora tetigerunt, ut lavacrum Judaicum, ſed eos qui operibus mortuis gravantur, efficit mundos. Etſi mollis, etſi fornicator, etſi idolis ſerviens, etſi quid aliud hujusmodi generis quiſpiam reperiatur, etſi omni humana deteſtabilitate fuerit prægravatus, etſi totius malitiæ nodis aſtrictus cum ad illam natatoriam venerit, cum illius fontis divinos ſenſerit rivos, ſolis radiis mundior elevatur, &c.

γ Univerſorum remiſſionem acceperunt peccatorum.] *Expreſſam hujus rei imaginem & figuram intueri licet in Naaman Syro, 4. Reg. 6. qui cum ſepties Jordanis aqua ſe abluiſſet, ita à lepra mundatus eſt, ut ejus caro caro pueri videretur. Quare baptiſmi proprius effectus ait Chryſ. eſt peccatorum omnium ſive originis vitio, ſive noſtra culpa contracta ſint, remiſſio. Act. 2. baptizetur unusquisque veſtrum in remiſſionem peccatorum. Ubi confutatam vides hæreſim illam Audeorum & Meſſalianorum, cujus meminit hiſtoria tripartita lib. 7. cap. 11. & Damaſc. lib. de hæreſib. & Lindanus lib. 2. ſui dubitantii, qui nullam omnino vim tribuebant baptiſmo ad animi ſordes abluendas. In eundem fere errorem impegerunt hæretici noſtri temporis. Symbolum Nicænum, confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. [quod contra hæreticos interpretamur, ut dicantur remitti non modo ut non imputentur, verùm etiam ut non ſint, quæ eſt doctrina concilii Flor. in unione Armeniorum, & Trid. ſeſſ. 5. can. 5. Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema ſit.] Idem patet ex Clemente epiſt. 4. Inn. 1. epiſt. ad concilium Carthag. Gelaſio 1. epiſt. 5. Inn. c. Majores de baptiſmo & ejus effectu. Hæc fuit doctrina omnium patrum. Orig. hom. 5. in Joſ. & hom. 4. in can. Cl. Ale. 1. Pæd. cap. 6. Chryſoſt. hom ad baptizandos. qua decem præſtantiſſimos baptiſmi effectus recenſet relatos ex eodem ab Auguſt. lib. 1. contra Julian. cap. 6. primus eſt peccata remittere: ſecundus in filios Dei nos adoptare: tertius nos ſanctificare: quartus coram Deo nos juſtos efficere: Quintus, facere nos hæredes regni cœlorum; ſextus, participes ejusdem naturæ, & cohæredes cum Chriſto; ſeptimus, facere nos vera membra Chriſti, & Eccleſiæ: octavus, templum Spiritus ſancti; nonus facere nos*

organa, per quæ S.S. operatur; decimus capaces omnium ſacramentorum. Cyp. ſerm. de ablut. pedum, poſt baptiſmum ne veſtigia quidem peccatorum remanere docet. Hieron. epiſt. 83. ad Oceanum, nihil veteris hominis in baptiſmo reſervari ſcribit. Amb. lib. 3. offic. c. 14. peccata docet in baptizatis mundari, elui, conſumi, ſerm. 31. & in Pſal. 36. & lib. 3. in Lucam, purgari, detergi, abſtergi, Gregor. lib. 9. regiſtri epiſt. 39. Hæreticos quoſdam anathematizat, qui per baptiſmum peccata ſuperficie tenus duntaxat dimitti aſſerebant. Et paulo poſt animam in baptiſmo docet radicitus ab omni peccato abſolvi. & ibidem: qui dicit peccata in baptiſmate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos: ſi autẽ fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur neceſſe eſt, in baptiſmate peccata funditus mori, quia nimirum plus valet in abſolutione noſtra veritas, quam umbra veritatis. Hæc eſt Aug. doctrina non hoc loco modo, verum & lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 13 Baptiſmus, *inquit,* dat indulgentiam peccatorum, & aufert crimina, non radit. *& cap. 14.* ſine peccato in hac vita neminem dixerim, non quia peccatum aliquod remaneat, quod in baptiſmo non remittatur, ſed quia quotidie fieri non quieſcunt. *Et lib. 3. cap. 3.* baptiſmus abluit peccata omnia, prorſus omnium factorum, dictorum, cogitationum, ſive originalia, ſive addita, ſive quæ ignoranter ſive quæ ſcienter admiſſa ſunt. *Eadem repetit lib. 3. de Symbolo ad Catech. cap. 34. lib. 1. de nuptiis, & concupi. cap. 7. lib. de peccato Originali, & lib. 6. contra Julianum cap. 5. Et in Enchiridio cap. 52.* Quemadmodum in Chriſto vera mors facta eſt, ſic in vobis vera remiſſio peccatorum, & quemadmodum in illo vera reſurrectio, ita in vobis vera juſtificatio.

d Tum enim tempus eſt cavendi omnia futura peccata.] *His verbis refellitur error Joviniani, qui ut refert D. Hieron. lib. 2. adverſus eundem, & Auguſt. Hæreſi 82. baptiſmo tantum tribuebat, ut non ſolum per eum peccata expiari diceret, verum etiam omnem poteſtatem peccandi tollit. Et Joan. Calvinus referente Bellarmin. lib de baptiſmo cap. 14. docuit hominem ſemel vere juſtificatum non poſſe unquam excidere à gratia, & ſalute. An non Simon Magus baptizatus fuit, & excidit à gratia, & ſalute? Et hic Auguſt. aperte ſcribit, eum qui baptizatus fuit, & baptiſmi virtute omnium peccatorum remiſſionem conſecutus eſt, ſubjacere mille periculis peccandi.*

e Quibus baptizatos alloquendo.] *Multi enim ex Gentilibus convertebantur ad religionem Chriſtianam, & antequam ſacramento initiarentur, edocebantur myſteria fidei, & adultorum baptiſmo deputatum erat tempus Paſchæ & Pentecoſtes, extra quæ tempora non niſi infirmi, & qui mortis, ægritudinis, obſidionis, aut naufragii periculo urgebantur, baptizari olim conſueverunt. Colligitur ex Tertull. lib. de baptiſmo cap. 19. Ambroſ. lib. de myſteriis Paſchæ: Baſil. homil. Exhort. ad ſacrum baptiſma. Niceph. lib. 13. hiſt. Eccleſ. cap. 19. Hieronym. epiſt. ad Pammachium contra errores Joan. Hieroſ. Gratiano de conſecrat. diſt. 4. per multa capita. baptiſmum pervulorum ad traditionem Apoſtolorum referunt Dionyſ. Eccl. hierarch. cap. 7. Orig. in Epiſt. ad Rom. D. Auguſt. lib. 10. de Geneſi ad literam cap. 23. & lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 24. Gregor. Nazianz. orat. in ſanctum lavacrum.*

Cyrill.

Cyrill. Hieroſolym. Catech. myſtag. 1. Cypr. epiſt. 59. D. Auguſtinus ab univerſa Eccleſia obſervatum fuiſſe teſtatur præſertim epiſt. 28. lib. 3. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 6. 7. 8. & 9. lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. 8. & lib. 2. contra Julianum cap. 3. D. Hieronym. lib. 3. contra Pelag. ſub finem citans illam epiſt. Cyprian. Concil. Milevit. can. 2. anathemate eum damnat, qui negat parvulos baptizandos recentes ab utero matrum, quæ fuſius dicta, ne quis moveatur authoritate Ludovici Vivis, qui hoc loco ſcribit, neminem olim ſolitum ſacro admoveri baptiſterio, niſi jam adultæ ætate, & cùm idem ipſe ſciret, quid ſibi vellet myſtica illa aqua.

ζ Non vobis, ô fideles, ſit tædio veſtra vita.] *Hanc nobis prorogat Deus, ut ad conſecutionem majoris præmii, plura merita accumulemus, & Chriſtiano hoc ſibi proponenti non debet eſſe tædio hæc vita:* Nec enim venit Chriſtus, ut nos excuteret, exigeretque ex hac vita, *ait Chryſoſt. in cap. 1. ad Galat.* ſed ut nos in hoc mundo relictos dignos efficeret, qui in cœlis verſemur. *Ibidem.* Num hæc vita mala, in qua Deum agnovimus, in qua de futuris philoſophamur, in qua ex hominibus facti ſumus Angeli, cumque cœleſtibus virtutibus choros ſimul ducimus?

η Si fidam conſcientiam retinetis.] *Gloria enim noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, de quo S. Iob gloriabatur. cap. 2. non reprehendit me cor meum, in omni vita mea 1. Joan. 3. ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

CAP. XXVIII.

Quo judicio Dei in corpora continentium libido hoſtilis peccare permiſſa ſit?

QUod ſi α fortè, cur permiſſi ſint, quæritis, alta quidem eſt providentia β creatoris mundi atque rectoris, & γ inſcrutabilia ſunt judicia ejus, *a* & δ inveſtigabiles viæ ejus. Veruntamē interrogate fideliter animas veſtras; ne fortè de iſto integritatis & continentiæ vel pudicitiæ bono ε vos inflatius extuliſtis, & humanis laudibus delectatæ, in hoc etiam aliquibus invidiſtis? Non accuſo, quod neſcio, nec audio, quod vobis interrogata veſtra reſpondent. Tamen ſi ita eſſe reſponderint, nolite mirari *b* hoc vos amiſiſſe, unde hominibus *c* placere geſtiiſtis: illud vobis remanſiſſe, quod oſtendi hominibus non poteſt. Si peccantibus non conſenſiſtis divinæ gratiæ, ne amitteretur, divinum acceſſit auxilium: humanæ gloriæ, ne amaretur, humanum ſucceſſit opprobrium. In utroque conſolamini puſillanimes: illinc probatæ, hinc caſtigatæ: illinc juſtificatæ, hinc
emendatæ. Quarum verò corda interrogata reſpondent, nunquam ζ ſe de bo- Rom. 8.
no virginitatis vel viduitatis vel conjugalis pudicitiæ ſuperbiſſe, *d* ſed humili- Pſal. 2.
bus conſentiendo, η de dono Dei *e* cum tremore exultaſſe, nec invidiſſe cuiquam paris excellentiam ſanctitatis & caſtitatis: ſed humana laude poſtpoſita, quæ tantò major deferri ſolet, quantò eſt bonum rarius, quod exigit laudem, θ optaſſe potiùs, ut earum amplior numerus eſſet, quàm ut ipſæ in paucitate amplius eminerent. Nec iſtæ quidem quæ tales ſunt, ſi earum quoque aliquas barbarica libido compreſſit, permiſſum hoc eſſe *f* cauſentur: ι nec ideò credant

Deum iſta negligere, quia permittit, quod nemo impunè committit. Quædam enim velut pondera malarum cupiditatum, & per occultum præſens divinum judicium relaxantur, & quædam manifeſto ultimo reſervantur. Fortaſſis autem iſtæ, quæ bene ſibi ſunt conſciæ, non ſe ex iſto caſtitatis bono cor inflatum extuliſſe, & tamen vim hoſtilem in carne perpeſſæ ſunt, habebant aliquid latentis infirmitatis, quæ poſſet in ſuperbiæ faſtum, *g* ſi hanc humilitatem in vaſtatione illa evaſiſſent, extolli. *h* κ Sicut ergo quidam morte rapti ſunt, ne malitia mutaret intellectum eorum, ita *i* quidam ab iſtis vi raptum eſt, ne proſperitas mutaret modeſtiam earum. λ Utrisque igitur, quæ de carne ſua, quòd turpem nullius eſſent perpeſſæ contactum, vel jàm ſuperbiebant, vel ſuperbire, ſi nec hoſtium violentia contrectatæ eſſent, forſitan poterant: non ablata eſt caſtitas, ſed humilitas perſuaſa. Illarum tumori occurſum eſt *k* immanenti, iſtarum occurſum eſt imminenti. μ Quanquam & illud non ſit tacendum, quòd quibusdam, quæ iſta perpeſſæ ſunt, potuit videri continentiæ bonum in bonis corporalibus deputandum: & tunc manere, ſi nullius libidine corpus attrectaretur: non autem eſſe poſitum in ſolo adjuto divinitus robore voluntatis, ut ſit ſanctum & corpus & ſpiritus: nec tale bonum eſſe, quod invito animo non poſſit auferri. Qui error eis fortaſſe ſublatus eſt. Cùm enim cogitant, qua conſcientia Deo ſervierint, & fide inconcuſſa non de illo ſentiunt, quòd ita ſibi ſervientes, eúmque ita invocantes deſerere ullo modo potuerit, quantúmque illi caſtitas placeat, dubitare non poſſunt, vident eſſe conſequens, nequaquam illum fuiſſe permiſſurum, ut hæc acciderent ſanctis ſuis, ſi eo modo ν perire poſſet ſanctitas, quam contulit & diligit in eis.

L.Vives. *a* ET inveſtigabiles.] *Sic enim vulgò legitur ad Romanos undecimo pro contrario, id eſt, minimè inveſtigabiles. Inveſtigabilia enim ſunt ea, quæ veſtigando inveniuntur: viæ autem Domini humanæ menti inveſtigari non poſſunt. Græcè* ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ.

b Hoc vos amiſiſſe.] *Famam & integrum nomen amiſiſſe, pudicitiam retinuiſſe.*

c Placere geſtiiſtis.] *Hoc eſt, placere cupiiſtis.*

d Sed humilibus conſentiendo.] *Ad Rom. 12. Non altum ſapientes, ſed humilibus conſentientes* ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι.

e Cum tremore exultaſſe.] *Pſal. 2. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

f Cauſentur.] *Non in eo ſignificatu, quo nunc philoſophi in ſcholis, id eſt, cauſa ſint, ſed cauſam afferant: ut apud Vergil.*

Cauſando noſtros in longum ducis amores.

g Si hanc humilitatem.] *Puto hic accipi pro humiliatione, qua quis dejicitur calamitate aliqua, niſi quis malit legere: Quæ poſſet in ſuperbiæ faſtum, ſi hanc humilitatem in vaſtatione illa evaſiſſent, extollere.*

h Sicut ergo quidam.] *Verba ſunt Sapientiæ quarto, de Enoch: ſed hic non de illo intelligendum: nam is vivens ad Dominum translatus eſt, ſed de aliis, qui mortui ſunt, & ad Dominum è vita traducti eadem cauſa, qua ille vivens aſſumptus.*

i Qui-

i Quidam.] *Vetat pudor dicere, quid illud ſit.*

k Immanenti.] *Non ut Philoſophi, id eſt, per aliquod tempus moranti, ſed jam intus manenti: quod verbum poſuit Auguſtinus, figuram agnominationis captans in illis duobus, immanens & imminens, quod in aliis multis facit.* Agnominatio.

a Quod ſi forte cur permiſſi ſint, quæritis.] *In calce ſuperioris capitis dixerat: hanc eſſe magnam, veramque conſolationem fidelibus, ſi fidam retinentes conſcientiam eorum peccatis minimè conſenſiſſent, qui in eos permiſſi erant peccare. Quæri itaque poterit, Cur permiſſa illa libido hoſtilis in corpora continentium peccare? Ut ſcribit lib. 3. de Trinit. cap. 4. nihil fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiori, inviſibili atque intelligibili aula ſummi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur. Sed ut præclarè in Enchiridio cap. 11. ſcribit:* Adeò bonus eſt Deus, ut nullo modo mala permitteret, niſi inde majora bona eſſet eliciturus. *Inter cætera bona, quæ Deus ex permiſſione malorum elicere novit, ea ſunt, quæ enumerat Damaſc. lib. 2. fidei orthodoxæ, cap. 29.* Sunt quædam, *inquit*, ſecundùm permiſſionem, nam ſinit frequenter juſtum incidere in tentationes, ut virtutem, quæ in illo latebat, aliis apertam, manifeſtamque faciat, ut in Iob. *Aliquando ſinit quidpiam abſurdum fieri, ut per operationem, quæ abſurda videtur, magnum aliquid & admirabile dirigat & operetur, ut per crucem ſalutem hominum, & alio etiam modo ſinit ſanctum male affici, ut ex recta conſcientia non excidat, aut ex indulta ei virtute gratiæ, in ſuperbiam non extollatur, ut in Paulo: quo referri debet, quod hic Deus permiſerit, ut libidini barbarorum nonnullæ pudicæ mulieres invitæ ſubderentur, ne proſperitas mutaret modeſtiam earum, aut ne de integritatis bono inflatius extollerentur.* F.L.Coq.

β Creatoris mundi, atque Rectoris.] *Ut intelligamus, Deum & mundum creaſſe, & illius providentiam gerere, nec alium ei regendo præfeciſſe. Iob 34.* Quem conſtituit alium ſuper terram? aut quem poſuit ſuper orbem, quem fabricatus eſt? *In quem locum D. Gregor.* Per ſe mundum regit, quem per ſe condidit, nec eget alienis adjutoriis ad regendum, qui non negligit, quod creavit, quod bene creavit, utique bene regit, quia quod pie condidit, impie non diſponit, & qui nondum facta curavit, ut eſſent, quæ nunc facta ſunt, non deſerit.

γ Inſcrutabilia ſunt judicia ejus.] *Iob. 36.* Quis poterit ſcrutari vias ejus? aut quis audet ei dicere, operatus es iniquitatem? *ubi Olympiodorus:* Nemo providentiæ divinæ conſilia exquirere audet, nec fas eſt cuiquam dicere, injuſti quidpiam ab eo geſtum eſſe. *Pſal 35.* Judicia Dei abyſſus multa. *Rom. 11.* Quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus. *Solet appellare Auguſtinus judicia Dei juſtiſſima quidem, nobis tamen occulta.*

δ Inveſtigabiles viæ ejus.] *q. d. impenetrabiles pro inveſtigabiles, ut Epheſ. 3. vocat,* Inveſtigabiles divitias Chriſti beneficia gratiæ nobis per Chriſtum collocata. *Græcè enim legitur, ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ.*

ε Vos inflatius extuliſtis. *Serm. 53. de verbis Domini ſecundùm Joannem contra continentes ſuperbos fusè concionatur, inter cætera verò:* Quid prodeſt, *inquit*, cui ineſt continentia, ſi dominatur ſuperbia? contempſit, unde natus eſt homo, &

appetit unde cecidit Diabolus. nuptias contempſiſti, bene feciſti, aliquid melius elegiſti, ſed noli ſuperbire: de nuptiis homo natus eſt, de ſuperbia Angeli ceciderunt. *Poſt:* Majorem habebit locum filia virgo, minorem locum mater maritata: ambæ tamen ibi quomodo fulgida ſtella, obſcura ſtella, ambæ tamen in cœlo: ſi vero mater tua fuerit humilis, tu ſuperba, illa habebit qualemcumque locum, tu autem nullum. *lib. de Sancta Virginit. cap. 31. monet virginibus maxime cavendam eſſe ſuperbiam.* Cum perpetuæ continentiæ profeſſores, ſe conjugatis comparantes ſecundùm ſcripturas compererim eos infra eſſe, & mercede, & voto, & præmio, ſtatim veniet in mentem, quod ſcriptum eſt, quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. *In Pſal. 76.* Melior virgo humilis, quàm maritata humilis, ſed melior maritata humilis, quàm virgo ſuperba. *D. Greg. parte 3. paſtor. admonit. 29.* Admonendi ſunt peccata carnis ignorantes, ut & præeminere virginitatem conjugio ſciant, & tamen ſe ſuper conjuges non extollant, quatenus dum & virginitatem præferant, & ſe poſtponant, & iſtud non deſerant, quod melius eſſe æſtiment, & ſe cuſtodiant. quo inaniter non ſe exaltent. Id enim ſemper homo ſibi proponere debet, ſe Dei gratia eſſe id, quod eſt, nec de ipſa Dei gratia ſe extollendo ſpernere cæteros.

ζ De bono virginitatis, vel viduitatis, vel conjugalis pudicitiæ.] *Tres ſtatus bene viventium in Eccleſia: D. Hieronym. lib. 1. contra Jovin. eum erroris damnat, quod nuptias æquaret virginitati, & hæc tria confert cum centeſimo, & ſexageſimo, & trigeſimo fructu. Matth. 13. qui quanquam de una terra, & de uno ſemente naſcatur, tamen multum differt in numero: trigeſimum refert ad nuptias, quibus præfert viduas per ſexageſimum ſignificatas: quanto enim major eſt difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abſtinere, tanto majus erit præmium: centeſimus numerus exprimit virginitatis coronam. Sic virginitatem præfert nuptiis, ut has etiam honorabiles, & commendatione dignas ponat.* Nunc ergo, *inquit,* cum hæreticorum ſit damnare conjugia, & Dei ſpernere conditionem, quicquid Jovinianus de laude dixerit nuptiarum, libenter audimus, Eccleſia enim matrimonia non damnat, ſed ſubjicit, non abjicit, ſed diſpenſat, ſciens in magna domo non ſolum eſſe vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia. *Ignatius epiſt. 6. ad Philadelphienſes, ubi virgines commendavit, quæ ſolùm Chriſtum præ oculis habent, & ejus patrem in precibus ſuis à ſpiritu illuminatæ, & tot ſanctos, qui in caſtitate de vita exierunt, ſubjungit:* Non vituperamus cæteros beatos, quod nuptiis dederint operam. Opto enim dignus eis inventus ad veſtigia eorum in regno inveniri. *Eadem D. Ambroſ. lib. 1. de Virginib. D. Greg. parte 3. Paſtor. admonit. 29. Damaſc. lib. 4. Fidei orthodoxæ cap. 25. D. Cypr. lib. de diſciplina, & habitu virginum, virgines vocat,* Florem Eccleſiaſtici germinis, decus & ornamentum gratiæ & ſpiritualis, lætam indolem, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imaginem reſpondentem ad ſanctimoniam Domini, illuſtriorem portionem gregis Chriſti.

η De dono Dei.] *Non modo ergo donum Dei virginitas, verum etiam viduitas, & conjugalis pudicitia, quod docet Apoſt. 1. Corinth. 6. ubi loquens de virginibus &* nu-

nuptiis: Unusquisque, *inquit*, proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic. *D.Hieronym.lib.1.contra Jovin.* Quoniam in Eccleſia diverſa ſunt dona, concedo & nuptias, ne videar damnare naturam. Simulque conſidera, quod aliud donum virginitatis ſit, aliud nuptiarum: ſi enim eadem eſſet merces nuptiarum & virginum; nunquam dixiſſet poſt præceptum continentiæ, ſed unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic, ubi proprietas ſingulorum eſt, ibi altrinſecus diverſitas. Concedo & nuptias eſſe Dei donum, ſed inter donum & donum magna diverſitas eſt. *Da qua re Auguſt. ipſe lib. de ſancta virginitate cap.45. & 46.*

ℓ Optaſſe potius, ut earum amplior numerus eſſet.] *Charitas enim non æmulatur. In hoc certe imitantes ſervum Dei Moſem, cui cum nunciatum eſſet Eldad & Medad, ſuper quos requieverat ſpiritus Domini, prophetare in caſtris, & Joſue ſervus illius, ut ſibi videbatur honori Moſis conſulens, moneret, ut prohiberet eos à prophetando: ille è contra.* Quid, *inquit*, æmularis pro me, quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det ei Dominus ſpiritum ſuum? *Nu.11.*

ι Nec ideo credant Deum iſta negligere.] *Docet Deo quidem permittente committi tot mala, & inter cætera, ut vis inferatur caſtis quidem mulieribus & pudicis, non tamen impune id Deum laturum, quia enim mala permittat, non ideo ea quis impune committit. Quo referri poteſt, quod ſcribit libro de divinitate dæmon. cum enim illi objiceretur, divinationes dæmonum non eſſe malas, nec Deo diſplicere, alioquin omnipotens, & juſtus fieri non permitteret, ſi malæ & injuſtæ eſſent. Reſpondet,* non ideo hæc debere juſta videri, quod ea fieri ſinat omnipotentiſſimus & juſtiſſimus Deus, nam & alia injuſta manifeſtiſſime fieri ſicut homicidia, furta, adulteria, rapinas, & cætera hujusmodi, quæ quamvis juſto Deo, eo quod injuſta ſint ſine dubitatione diſpliceant, idem tamen omnipotens ea fieri certa judicii ſui ratione permittit, non utique impune, ſed ad eorum damnationem, à quibus fiunt, quæ diſplicent juſto. *Et 2. cap. id concludit:* Unde colligitur, quod Deus aliquid & improbet juſtus, & tamen permittat omnipotens: *Poſt:* Non ideò putandum aliquid juſte & bene fieri, quia hoc omnipotens, quamvis ei diſpliceat, fieri tamen ſinit, fatendumque eſſe etiam illa mala, quæ contra religionem, qua colitur Deus, fiunt, & diſplicere Deo juſto, & ratione judicii ejus, ab omnipotente permitti. Quamvis ergo permiſerit, ut matronæ nobiles, & caſtæ, vel etiam virgines Deo conſecratæ fuerint ludibrio hoſtibus in direptione urbis, eisque abuſi fuerint ad libidinem, minimè tamen ea impune committi putandum eſt.

κ Sicut ergo quidam morte rapti ſunt.] *Locus ex Sap. 4. exponitur à Cornelio Janſenio in illum locum poſt. D. Amb. In orat. de obitu fratris, & in Pſalm. 40. & 43. de translatione Enoch. Cypr. lib. de immortalitate c. 8. D. Auguſt. epiſt. 105. & 107. & lib. de præſtinat. Sanctorum. cap. 14. exponunt de tranſlatione juſtorum per mortem. Hoc certe magnum eſt gratiæ divinæ beneficium, quod juſtos Deus ad ſe vocet, cum ſunt in gratia, qui ſi diutius relicti eſſent in vita, in peccata laberentur ſicque damnarentur.*

λ Utrisque igitur.] *Alta Dei providentia rectè conſultum eſt etiam illis, quas Deus per-*

us permiſit à Barbaris vi opprimi: vel enim jam ſuperbiebant, quòd turpem nullius eſſent paſſæ contactum; vel fortaſſe inde elatæ fuiſſent, ſi nec violentia hoſtium eſſent oppreſſæ: non eſt oblata caſtitas, quæ in animo reſidet, quod Dei gratiæ tribuendum: ſed humilitas perſuaſa, quæ eſt magnum bonum. Etſi enim integritatem corporis amiſerunt, at integritatem animi retinuerunt, cum autem ſuperbirent de integritate corporis, eam ut amitterent, Deus in earum bonum permiſit, ut ſuperbiam deponerent, & humilitatem ſectarentur.

μ Quamquam & iſtud non ſit tacendum.] *Fuit etiam, inquit, fortaſſe occaſio depellendi errorem ex animis earum, quibusdam enim iſta perpeſſis videri potuit bonum continentiæ in corporis bonis deputandum; & tunc manere, ſi nullius libidini vel opprobrio corpus ipſum exponatur: non eſſe vero hujusmodi bonum, quod invito animo non poſſit auferri: at cum cogitant, qua conſcientia Deo ſervierint, & fide inconcuſſa ſibi perſuadent, Deum ſuper ſuis adeſſe ipſum pie invocantibus & colentibus, neque permittere, ut bonum, quod in illis ei maxime placet, amittant; hujusmodi vero norunt eſſe bonum caſtitatis, certe hinc facile intelligunt, ſe, quamvis corporalem integritatem amiſerint, ſanctitatem tamen, quam eis contulit, & in illis diligit, ſe minime amiſiſſe: potuit ergo ab eis auferri quidem corporalis integritas, ſed ſanctitas, fides, dilectio Dei, integrum mentis propoſitum, ab eis invitis minime unquam potuit auferri.*

ν Perire poſſet ſanctitas, quam contulit.] *Sanctitatem ita definit Dionyſ. lib. de divinis nominibus cap. 12. quod ſit,* ἡ παντὸς ἄγοις ἐλευθέρα ϗ παντελὴς, ϗ πάντη ἄχραντος καθαρότης *id eſt,* ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata munditia, *D. Thom. 2.2. q. 81. art. 8. diſtinguit religionem & ſanctitatem, quod religio illa propriè reſpiciat, quæ ad Dei cultum potiſſimum attinent, cujusmodi ſunt ceremoniæ & ſacrificia: ſanctitas vero primo & principaliter mentem reſpicit, quam ut in Deum convertat, cætera virtutum omnium opera adhibet.*

Cap. XXIX.

Quid familia Chriſti reſpondere debeat infidelibus, cùm exprobant, quòd eam in furore hoſtium non liberaverit Chriſtus.

HAbet itaque α omnis familia ſummi & veri Dei conſolationem ſuam, non fallacem, nec in ſpe rerum nutantium vel labentium conſtitutam, vitámque etiam ipſam temporalem minimè pœnitendam, in qua eruditur ad æternam bonisque terrenis tanquam peregrina utitur, nec capitur, malis autem aut probatur, aut emendatur. Illi verò, qui probitati ejus inſultant, eique dicunt, cùm fortè in aliqua temporalia mala devenerit: *Pſ.41.* β ubi eſt Deus tuus? Ipſi dicant: γ Ubi ſint Dii eorum, quum talia patiuntur? δ pro quibus evitandis eos vel colunt, vel colendos eſſe contendunt? Nam iſta reſpondet: ε Deus meus ubique præſens eſt, ubique totus, nuſquam incluſus: qui poſſit adeſſe ſecretus, abeſſe non motus. Ille cùm adverſis rebus exagitat, aut merita examinat, aut peccata caſtigat, ζ mercedémque mihi æternam pro toleratis piè malis temporalibus ſervat. Vos autem, qui eſtis, cum quibus loqui dignum ſit, ſaltem de Diis veſtris,

quantò

quantò minus de Deo meo, qui *b* terribilis eſt ſuper omnes Deos? quoniam omnes Dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. *Pſ. 95.*

a UBi eſt Deus tuus?] *Pſal. 41. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi eſt Deus tuus?* *L. Vives.*

b Qui terribilis.] *Pſalmo nonageſimo quinto.*

a OMnis familia ſummi & veri Dei.] *Fideles hi ſunt, qui dicuntur Iſ. 62.* Populus fidelis redemptus à Domino, *à D. Petro* gens ſancta, regale ſacerdotium, populus acquiſitionis, *qui in eadem domo, nempe Eccleſia, eodem cibo ſpirituali aluntur, iisdem ſacramentis initiantur, & conſecrantur, in eandem hæreditatem aſciſcuntur, & iisdem legibus vivunt, qui dicuntur* domeſtici Dei. *Epheſ. 2. Et Deus dicitur* Paterfamilias. *Matt. 20. & 21. Ita Cyp. ſerm. de lapſis fideles vocat Domini familiam. Eo accedit quod ſcribit Minutius:* Nos quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, ut ſpei cohæredes. *F. L. Coq.*

β Ubi eſt Deus tuus.] *Ex Pſal. 41. ubi pſaltes oſtendit in juſtorum perſona, quam ægre ferre, impios ſibi illud objicere, quaſi dicant, nullius videtur virtutis & poteſtatis, ut qui te in calamitatibus tamdiu deſerat, ita Pſal. 113.* Nequaquam dicant gentes, ubi eſt Deus eorum. *ſcilicet Iſraelitarum, cujus poteſtate & majeſtate glorientur, cum nihil poſſit: quod Moſes etiam maxime reformidabat, ne idololatræ Deum ipſum haberent ludibrio Exod. 32. Hæc probra objeciſſe Gentiles Chriſtianis, quos videbant tam dira pati tormenta, pœnam & ultionem de eis, ſuis diis repetentibus, ut falſo ſibi perſuadebant, teſtis eſt Euſ. lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 4.* Ubi jam illorum Deus? quid illis hæc profuit religio, quam ſuæ ipſorum vitæ præpoſuerunt.

γ Ipſi dicant, ubi ſint Dii eorum.] *In illa vaſtatione urbis paſſi ſunt Gentiles, ut & Chriſtiani, cultores idolorum, ut & cultores Chriſti. Quod objicitis familiæ Chriſti, bene idem vobis poteſt objici: ubi eſt Deus tuus? At ubi dii eorum interea, dum talia patiuntur, quæ ut evitent, ad eos confugiendum, iisque cultum exhibendum cenſent? non enim tam pro fœlicitate terrena, & evitandis malis hujus mundi fideles putant Chriſtum colendum, quam ut ſalutem, pro qua ſuis promerenda & largienda potiſſimum venit Chriſtus, adipiſcantur.*

δ Pro quibus evitandis.] *In rebus afflictis ſolebant Romani ad Deos confugere. Livius lib. 3.* Cum non minor Romæ morbo ſtrages, quam ferro in bello ſociorum facta eſſet, inops Senatus auxilii humani ad Deos populũ ac vota vertit, juſſi cum conjugibus & liberis ſupplicatum ire, pacemque expoſcere Deũm. *Et lib. 6.* cum triſtem hyemem gravis peſtilensque omnibus animalibus æſtas excepiſſet, lectiſternio Deos Apollinem, Latonamque & Dianam, Herculem, Venerem, atque Neptunum tribus quam ampliſſime tum apparari poterat ſtratis lectis placavere. *Et id quidem quoties aliqua clades vel calamitas urbem invaderet. Ita refert Sozomenus poſt Zoſimum Ethnicum lib. 5. lib. 9. cap. 6. & Niceph. lib. 13. c. 35. uſum eſſe Senatoribus, qui adhuc ſuperſtitione gentilitia tenebantur, cum Roma obſidione premeretur ab Alarico, & peſtis & fames urbem affligeret, ut in Capitolio, & reliquis templis ſacrificaretur.*

ε Deus meus ubique præſens.] *Idem epiſt. 112. ad Paulinum:* Nuſquam abſens

eſt, qui cœlum & terram implet, nec ſpaciis includitur parvis, magniſque diffunditur; ſed ubique totus eſt, & nullo continetur loco. *Et epiſt. 52. ad Dardanum in ſolutione quæſt. 1. lib. 7. conf. cap. 5. Id de fide eſt. Hierem. 23.* Cœlum & terram ego impleo. *Sap. 1.* Spiritus Domini replevit orbem terrarum. *Pſal. 128.* Quo ibo à ſpiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam. *2. Par. 6.* Cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt: *neque opus eſt, ad id confirmandum patrum teſtimonia congerere, Deum enim ubique eſſe ita compertum eſt,* ut, *teſte Athan. orat. contra Gentes,* ratio & fama id apud omnes obtinuerit, & quemadmodum Deus, quia æternus nullo circumſcribitur tempore, ſed in infinitum ſua æternitate omnem temporis durationem excedit, ſic quia immenſus nullo definitur loco, imò ſua immenſitate locum omnem longe ſuperat. *Id ergo, inquit, reſponſura eſt familia Dei ſuis obtrectatoribus Deum ſuum ubique præſentem eſſe, quaſi dicat, ea Dei mei eſt natura, & majeſtas, ut cum ubique ſit præſens, nulli loco abſens, facile ubi volet mihi ſuppetias ferre poſſit: nam Dii Gentium ſunt veluti Baal ille, quorum cultores irridet Elias 3. Reg. 19.* Forſitan eſt in diverſorio, *&c.*

ζ Mercedemque mihi æternam.] *Ita Deus ſolet recreare ſuos, repræſentando eorum animis æterna bona ipſis promiſſa, & in cœlis præparata, quæ oculos non vidit, nec auris audivit, Iſ. 64. 1. Cor. 2. & Rom. 8.* Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, & breve, & momentaneum hujus tribulationis tempus æternum gloriæ pondus operatur in cœlis. *Merces illa Deus eſt: ita enim Abrahamo dictum à Deo,* Ero merces tua magna nimis: *licet enim hæredes ſimus Dei, & deferatur beatitudo tanquam hæreditas filiis,*
„ [*at etiam tanquam merces laborantibus, & mediante divina gratia apud Deum me-*
„ *rentibus, Matth. 20.* Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam. & gaudete,
„ & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis.] *Geneſ. 25. Abraham hæredem bonorum Iſaac filium ex libera inſtituit, filiis verò concubinarum dedit munera. Ita Deus alienis quidem largitur temporalia bona, ſuos vero æternorum bonorum hæredes inſtituit. Tertull. in Apolog. de Secta Chriſtianorum cap. 1.* Scit, *inquit,* ſe genus, ſedem, ſpem, gratiam duplicem in cœlis habere. *Et cap. 18.* Producto ævo iſto judicaturus eſt cultores ſuos in vitæ æternæ retributionem. *D. Cyprian. ad Demetrianum:* Nullus dolor eſt de incurſione dolorum præſentium, quibus fiducia eſt futurorum bonorum. per ipſa quæ nos cruciant, & fatigant, probari & coronari nos ſcimus & fidimus.

Cap. XXX.

Quòd pudendis proſperitatibus affluere velint, qui de Chriſtianis temporibus conqueruntur.

SI Naſica ille α Scipio veſter quondam pontifex viveret, β quem ſub terrore belli Punici in ſuſcipiendis Phrygiis ſacris, cùm vir optimus quæreretur, univerſus ſenatus elegit, cujus os fortaſſe non auderetis aſpicere; ipſe vos ab hac impudentia cohiberet. Cur enim afflicti rebus adverſis de temporibus querimini γ Chriſtianis, niſi quia veſtram luxuriam cupitis habere ſecuram, & perditiſſimis

tiſſimis moribus, remota omni moleſtiarum aſperitate, diffluere. Neque enim propterea cupitis habere pacem, & omni genere copiarum abundare, ut his bonis honeſtè utamini, hoc eſt, modeſtè, ſobriè, temperanter, piè ſed ut infinita varietas voluptatum inſanis effuſionibus exquiratur: ſecundiſque rebus ea mala oriantur in moribus, quæ ſævientibus pejora ſint hoſtibus. *b* δ At ille Scipio pontifex maximus veſter, ille judicio totius ſenatus vir optimus, ε iſtam vobis metuens calamitatem, nolebat æmulam tunc imperii Romani Carthaginem dirui, & decernenti, ut dirueretur ζ contradicebat Catoni, timens infirmis animis hoſtem, ſecuritatem: *c* & tanquam pupillus civibus idoneum tutorem, neceſſarium videns eſſe terrorem. Nec eum ſententia fefellit, re ipſa probatum eſt, quàm verum diceret. *d* η Deleta quippe Carthagine, magno ſcilicet terrore Romanæ Reipublicæ depulſo & extincto, tanta de rebus proſperis orta mala continuò ſubſecuta ſunt, ut erupta dirûptáque concordia, ϑ prius ſævis *e* cruentiſque ſeditionibus, deinde mox *f* malarum connexione cauſarum, ι bellis etiam civilibus tantæ ſtrages ederentur, tantus ſanguis effunderetur, tanta cupiditate proſcriptionum ac rapinarum ferveret immanitas, ut Romani illi, qui vita integriore mala metuebant ab hoſtibus, perdita integritate vitæ, crudeliora paterentur à civibus, κ eáque ipſa libido dominandi, quæ inter alia vitia generis humani immoderatior inerat univerſo populo Romano, poſteaquam in paucis potentioribus vicit, obtritos, fatigatóſque cæteros etiam jugo ſervitutis oppreſſit. *al. moracior.*

a S[I] Naſica.] *Filius fuit hic Cnei Cornelii Scipionis, qui cum P. fratre in Hiſpania ab Afris interemptus eſt, bello Punico ſecundo, ejus belli anno xiiii. cùm à decemviris librorum Sibyllinorum carmen eſſet inter Sibyllina inventum, fore ut hoſtes ex Italia pellerentur, ſi mater Deum ex Peſinunte civitate Phrygiæ Romam afferretur, legati ſunt ad Attalum miſſi, qui tum ibi regnabat, ut ſenatus & pop. nomine matrem Deum ab eo peterent. In via Delphicum Apollinem legati convenêre, ſciſcitantes ecquid ſpei poſſent de impetranda matre Deum ab Attalo habere. Oraculo bonum ſunt animum habere juſſi, impetraturos ab Attalo quod peterent: cæterùm curarent, ut ab optimo totius civitatis viro Romæ exciperetur. Cùm ergò Oſtiam appuliſſet navis, cum ſimulachro deæ, à juratis patribus de optimo civitatis viro ſententias dicere, P. Cornelius Scipio Naſica adoleſcens, ne dum quæſtura primo dignitatis gradu functus, vir optimus judicatus eſt, qui & ſacra ex S. C. excepit. Livius lib. xxix. & alii permulti.* *L. Vives. Scipio Naſica.*

b At ille Scipio.] *Anno ab Urbe condita D. C. cùm legati Rom. qui Carthaginem iverant, renunciaſſent, ingentem ſe navalis materiæ vim Carthagine inveniſſe, conſultatum eſt in ſenatu de bello Carthagini ex ſuſpicione inferendo. M. Porcius Cato cenſorius, ut ſecurus aliquando tandem viveret pop. Rom. non modò bellum Carthagini faciendum eſſe cenſebat, ſed omnino excidendum terrorem. Naſica, de quo ſum locutus, nolebat nimio otio pop. Rom. luxuriare & diffluere: volebat aliquid eſſe, quod velut frænum eſſet effuſæ multorum virorum libidini, ideò non modò non eſſe delendam Carthaginem, ſed ne bellum quidem ſine legitima & magna cauſa inferendum ducebat. Livius & alii.* *Belli Punici origo.*

c Et tanquam pupillus civibus.] *Appium Claudium dicere ſolitum ſcribit Valerius, melius popul. Rom. negotium quàm otium commendari: quòd is pop. nimia quiete in deſidiam reſolveretur, & negotium nomen horridum civitatis Roman. mores in ſuo ſtatu continuit, blandæ appellationis quies plurimis vitiis infecit.*

Negotium quàm otium Rom. melius.

d Deleta quippe Carthagine.] *Saluſtius in bello Jugur. nam ante Carthaginem deletam pop. & ſenatus Rom. placidè modeſtéque remp. inter ſe tractabant: neque gloriæ certamen, neque dominationis inter cives erat, metus hoſtis in bonis artibus civitatem continebat, ſed ubi illa formido à mentibus diſceſſit, ſcilicet ea, quæ res ſecundæ amant, laſcivia atque ſuperbia inceſſere.*

e Cruentisque ſeditionibus.] *Tiberii Gracchi, deinde C. fratris, in quibus primum uſque ad ſanguinem civilem ventum eſt, quorum prior fuit decem annis poſt deletam Carthaginem.*

f Malarum connexione cauſarum.] *Nam ex ſeditione C. Gracchi ortus eſt tribunatus Livii Druſi, quem patres equitibus, qui ex lege Gracchi judicabant, oppoſuerunt. Ex hoc bellum ſociale, quòd promiſſa à Livio Druſo civitas non præſtaretur: ex hoc Mithridaticum, cùm Mithridates rex Ponti confiſus diſcordiæ Italiæ multa civium millia, quæ in ſuo regno negotiabantur, juſſit interfici. Ex hoc bella civilia Mariana, cùm Marius provinciam & bellum Mithridaticum L. Syllæ vellet eripere. Ex hujus ſeminibus Sertorianum, Lepidanum, conjuratio Catilinæ, poſtremò Pompejanum. Hinc Cæſaris regnum, quo occiſo bella civilia, Antonianum, Philippenſe Bruti & Caſſii: Siculum Sexti Pompeji, Actiacum. Tandem reſpublica in monarchiam & tyrannidem verſa eſt.*

Bella civilia.

L. Coq. α SI Naſica ille Scipio.] *Filius fuit Cnei Scipionis, qui in Hiſpania occubuit cum fratre P. Scipione, Scipionis Africani majoris conſobrinus. De eo Plinius lib. 7. c. 34.* Vir optimus ſemel à condito ævo judicatus eſt Scipio Naſica à jurato Senatu.

β Quem ſub terrore belli Punici in ſuſcipiendis Phrygiis ſacris.] *Cic. in oratione de Aruſpicum reſponſis:* Defeſſa Italia Punico bello, atque ab Annibale vexata ſacra iſta noſtri majores aſcita ex Phrygia Romæ collocarunt, quæ vir is accepit, qui vir optimus eſt à Senatu judicatus P. Scipio. *Ita refert hiſtoriam Livius lib. 29.* In libris Sybillinis propter crebrius eo anno *(qui fuit ab V. C. 549.)* de cœlo lapidatum, inſpectis, invenerunt, quandocumque hoſtis alienigena terræ Italiæ bellum intuliſſet, eum pelli Italia, vincique poſſe, ſi mater Idæa Peſſinunte Romam advecta eſſet. Mittunt itaque ad Attalum Regem legatos, qui Aſiam petentes, protinus Delfos cum aſcendiſſent, oraculum adierunt conſulentes ad quod negotium domo miſſi eſſent, perficiendi ejus, quam ſibi ſpem, populoque Romano portenderet. Reſponſum eſſe ferunt, per Attalum Regem compotes ejus fore quod peterent, cum Romam deam devexiſſent, tum curarent, ut eam, qui vir optimus Romæ eſſet, hoſpitio acciperet. Pergamum ad Regem venerunt. Is legatos comiter acceptos Peſſinuntem in Phrygiam deduxit, ſacrumque eis lapidem, quem matrem Deum incolæ eſſe dicebant, tradidit, ac deportare Romam juſſit. Præmiſſus à legatis M. Valerius Falco nunciavit deam apportari, quærendum virum optimum in civitate eſſe, qui eam rite hoſpitio acciperet. Scipio

pio Naſica ſolus dignus, cujus manibus tangeretur reciperetúrque ſimulachrum, judicatus eſt. *Plura Ovid. 4. faſt. & Feneſtella de ſacerdotiis Rom. c. 12. ubi citat verſus ex libris Sybillinis.*

Mater abeſt, matrem jubeo, Romane, requiras:
Cum veniet, caſta eſt accipienda manu.

A Juvenale hoſpes numinis Idæi *appellatur. Ita perpetuo videtur dæmon res Dei æmulatus, ut ſacris hiſtoriis non omnino diſſimiles reperiamus externas de cultu falſorum Deorum: quemadmodum enim quondam Rex David ſervus Dei viventis reducere voluit arcam Dei in civitatem Hieruſalem, ſed recepta eſt in domum Obeddon viri optimi, cui in omnibus benedixit Deus; ita non niſi ab optimo viro, ut vana illa ſuperſtitione facilius deciperet humanas mentes, recipiendam matrem Deorum oraculum reſpondit.*

y Niſi quia veſtram luxuriam cupitis.] *Lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 33. calumniæ Gentilium non diſſimiliter reſpondet, qui de fœlicitatis rerum humanarum diminutione per Chriſtiana tempora conquerebantur.* Si libros, *inquit*, ſuorum philoſophorum legant ea reprehendentium, quæ nunc eis etiam recuſantibus & murmurantibus ſubtrahuntur, tum vero magnam laudem reperient temporum Chriſtianorum, quid enim eis minuitur fœlicitatis, niſi quod peſſime, luxurioſeque abutebantur in magnam creatoris injuriam? *poſt*: Quapropter aut philoſophos ſuos arguant, qui talia in luxorioſis hominibus reprehenderunt, aut Deos ſuos frangant, qui talia de ſuis cultorib. exegerunt, ſi tamen jam inveniant vel quos frangant, vel quos abſcondant. Chriſtianorum vero temporibus defectum rerum ſecundarum, quibus in turpia & noxia diffluebant, blaſphemando imputare deſiſtant, ne magis nos, unde amplius Chriſti poteſtas laudetur, admoneant. Si enim per Chriſtiana tempora ſubtrahebatur materia vitiorum, magis inde commendanda, & non niſi ab eis traduci poterant, & calumniam pati, qui ſtertere in vitiis, & deliciis diffluere geſtiebant. *Idem in epiſt. 5. ad Marcell.* Nihil eſt infœlicius fœlicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur, ſed perverſa, & adverſa corda mortalium felices res humanas putant, cum tectorum ſplendor attenditur, & labes non attenditur animorum: cum theatrorum moles exſtruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutum. *ita ut plurimum ſatius eſſet adverſa pati, quam rebus ſecundis abundare: videre eſt Chriſtianos prioribus temporibus cum infenſos haberent Imperatores, & perſecutionibus continuis vexarentur, ſanctitate & bonis moribus floruiſſe. Verum, ut auctor eſt Euſ. lib. 8. Eccl. hiſt. cap. 1.* Ubi liberata eſt Eccleſia à perſecutione, præ nimia quadam licentia in mollitiem delicatam, & ſegnitiem diſſolutam prolapſi ſunt, alii aliis invidere, maledictis inſectari, ſeſe invicem petulantibus linguis tanquam mutuis armis oppugnare, nonnunquam verborum contumelias velut haſtas unus in alium intorquere, præſides Eccleſiarum alter alterius vires infringere, & populus in populum ſeditionem concitare cœperunt. *quibus ſimilia apud Cyp. ſerm. de lapſis,* adeo ut omnia vitia facilè in Remp. Chriſtianam irrepſerint, cum quieti ab hoſtibus & perſecutoribus viverent.

Secundis itaque rebus, ut loquitur hoc loco Aug. ea mala oriebantur in moribus, quæ ſævientibus pejora ſunt hoſtib. Exprobrat itaque merito Romanis Gentilibus, quod non deſiderent calamitatibus, quas Chriſtianis temporibus adſcribebant, liberari, ut pace, ut & reliquis bonis honeſte uterentur, verum ut ſecurius luxuriarentur, & perditiſſimis moribus remota omni moleſtiarum aſperitate diffluerent.

δ At ille Scipio pontifex Maximus.] *Confirmat, quod ſuperius dixerat, authoritate Scipionis Naſicæ, qui nolebat, Carthaginem Romani imperii æmulam dirui,* ne poſtea pop. Rom. dum nihil ſibi timet ab hoſtibus, in omnia voluptatum genera dilaberetur: *Nec fallax fuit judicium & divinatio Scipionis, ut colligere licet ex his, quæ ſcribit Salluſtius in bello Jugurthino.* Ante Carthaginem deletam populus & Senatus Romanus placide, modeſteque inter ſeſe Rempub. tractabant, neque gloriæ, neque dominationis certamen inter cives erat: metus ab hoſtibus in bonis artibus civitatem retinebat: ſed ubi illa formido mentibus deceſſit, ſcilicet ea, quæ ſecundas res amat, laſcivia, atque ſuperbia inceſſere: Ita quod in adverſis rebus optaverunt otium, poſtquam adepti ſunt, aſperius acerbiusque fuit: namque cœpere nobilitas dignitatem in ſuperbiam, plebs libertatem in libidinem vertere; *& reliqua mala quæ deinceps enumerat.*

ε Iſtam vobis metuens calamitatem.] *Dionyſ. lib. 10. latiſſime deſcribit, quemadmodum urbs tempore belli ſemper concors fuerit, & divitiis aucta: in pace vero ſeditionibus flagrarit, ac depauperata fuerit. Ariſt. 7. de Repub.* αἱ πλεῖϛαι τῶν τοιούτων πολέων πολεμοῦσαι μὲν σώζονται, κατακτησάμεναι δὲ τὴν ἀρχὴν ἀπόλλυνται, τὴν γὰρ βαφὴν ἀφιᾶσιν ὥσπερ ὁ σίδηρος εἰρήνην ἄγοντες i. major pars hujusmodi civitatum, dum bellum gerunt, conſervantur, poſtquam autem potitæ ſunt imperio, pereunt. *Lacedæmonii cum vi urbem quandam cœpiſſent, Ephori qui ſcirent, quantum militaris diſciplina metu illius & certaminibus aſſiduis cuſtodita, nunquam eſſet dilapſa, non quidem victoria efferri cœperunt, ſed dicere non dubitarunt,* οἴχεσθαι τὰ παλαίσματα τῶν νέων, periiſſe luctationem juvenum. *Rurſus pollicente Rege, ſe urbem quamdam funditus everſurum, quæ Lacedæmoniis plerunque negotia exhibuerat, haudquaquam permiſerunt, cum dicerent:* Minime ſubvertendam τὴν ἀκόνην τῶν νέων i. e. Juventutis cotem.

ζ Contradicebat Catoni.] *Teſtis eſt Plutarch. in Catone Majore, & Livius lib. 49. inter M. Portium Catonem & Scipionem Naſicam, quorum alterum ſapientiſſimum virum in civitate habebant, alter vir optimus à Senatu judicatus erat, diverſis certatum eſſe ſententiis, Catone ſuadente bellum, & ut omnino deleretur Carthago, Naſica diſſuadente, ſed pervicit Catonis ſententia. Plin. lib. 15. natur. hiſt. cap. 29.* Cato pernitiali odio Carthaginis flagrans, nepotumque ſecuritatis anxius cum clamaret omni ſenatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curiam præcocem ex ea provincia ficum, oſtendenſque patribus: Interrogo vos, *inquit,* quando hoc pomum demptum putetis ex arbore. Cum inter omnes recentem eſſe conſtaret. Atqui tertium ante diem, *inquit,* ſcitote decerptum Carthagine, tam prope à muris habemus hoſtem: ſtatimque ſumptum eſt Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta eſt, ſic tanta illa urbs, & de terrarum orbe per 120. annos æmula unius pomi argumento everſa eſt.

η De-

ς Deleta quippe Carthagine.] *Quod oſtenſum ſupra ex his, quæ ſcribit Salluſtius, quibus ſubjungere licet, quæ ſcribit Vellejus Paterculus initio lib. 2.* Potentiæ Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ poſterior aperuit; quippe remoto Carthaginis metu, ſublataque imperii æmula non gradu, ſed præcipiti curſu à virtute deſcitum, ad vitia tranſcurſum, vetus diſciplina deſerta, nova inducta, in ſomnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis in otium converſa civitas.

θ Prius ſævis, cruen. ſedition.] *Quemadmodum quæ inter extraneos eſt inimicitia, bellum vocatur, ſic quæ inter cives, ſeditio, ut quoties Græci adverſus Barbaros, vel adverſus Græcos ipſi Barbari pugnabant, dicemus ipſos bellum gerere, & hoſtes eſſe natura:* Quando vero Græci, *inquit Plato lib. 5. de Repub.* adverſus Græcos inſurgent, dicemus quidem amicos natura eſſe, morbo autem laborare, & has inimicitias dicemus ſeditionem, eamque peſſimum morbum. *Scholiaſtes Thucydidis* πόλεμος ὁ τῶν ἀλλοτρίων· στάσις δὲ ἐμφύλιος. Atque ſeditionem diſſenſionem civium dici voluit, quaſi ſeorſum itionem, quod ſeorſum eant alii ad alios, *ut ex Cic. 6. de Rep. refert Nonius Marcell. de malis, quæ ex ſeditione oriuntur, & cauſis. Plura Dion. Chryſ. 38. orat. Libanius declamat. 42. Ariſt. lib. 5. Politic. c. 7.*

ι Bellis etiam civilibus tantæ ſtrages ederentur] *Civilia bella Reip. ſemper fuere exitialia & pernitioſa maxime, ut non immerito dixerit Homerus.* Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου, ὀκρυόεντος, *graviter eos incuſans, qui hujus animi ſunt, ut bello civili delectentur. Et Cic.* ipſe nec privatos focos, nec publicas leges videtur, nec libertatis jura cura habere, quem diſcordiæ, quem cædes civium, quem bellum civile delectet.

κ Eaque ipſa libido dominandi.] *Arguit immoderatam dominandi libidinem in Romanis, quæ cum omnibus innata videretur, ubi in aliquot potentioribus obtinuit, cæteros obtritos, & fatigatos jugo ſervitutis oppreſſit. Ac primum ipſe Sylla ſuo ſolus arbitratu Rempub. aliquandiu rexit, primus omnium auſus privata vita mutare tyrannidem. Hæc deinde ambitio comperta eſt in Pompejo, M. Craſſo. & C. Cæſare qui in unum conſpirarunt, ut omnia ad arbitrium in Repub. ſtatuerent. Deinde in Pompejo ipſo, & Cæſare, de quibus Lucanus:* Nec quemquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem, Pompejusque parem. *Et ipſe Cæſar poſtremo, ſublatis optimis civibus & potentiſſimis Senatoribus, Rempub. oppreſſit, ac tyrannidem invaſit, qui referente Cicerone 3. offic. & Suetonio, hos verſus Euripidis ſemper habebat in ore.* Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι κάλλιστον ἀδικεῖν· ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών· *quos latinitate ſic Cic. donavit.* Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia violandum eſt, aliis rebus pietatem colas. *Quod ait, cæteros fatigatos diſcordiis civilibus jugo ſervitutis oppreſſiſſe, eo referri poteſt, quod ſtatim initio ſcribit Tacitus,* cuncta bellis civilibus feſſa, nomine principis Auguſtum ſibi imperium accepiſſe.

CAP. XXXI.

Quibus vitiorum gradibus aucta ſit in Romanis cupido regnandi.

NAm quando illa quieſceret in ſuperbiſſimis mentibus, α donec continuatis honoribus ad poteſtatem regiam perveniret? Honorum porrò continuan-

Ambitio. Avaritia. Luxuria. Res secunda.

nuandorum facultas non eſſet, β niſi ambitio prævaleret. Minimè autem prævaleret ambitio, niſi in populo avaritia luxuriáque corrupto. Avarus verò luxurioſúſque populus ſecundis rebus effectus eſt, γ quas Naſica ille providentiſſimè cavendas eſſe cenſebat, quando civitatem hoſtium maximam, fortiſſimam, opulentiſſimámque nolebat auferri: ut timore libido premeretur: libido preſſa non luxuriaretur, luxuriáque cohibita nec avaritia graſſaretur. Quibus vitiis obſeratis: civitati utilis virtus floreret & creſceret, eique virtuti libertas congrua permaneret. Hinc etiam erat, & ex hac providentiſſima patriæ charitate veniebat, quod idem ipſe veſter pontifex maximus à ſenatu temporis illius, quod ſæpè dicendum eſt, electus, ſine ulla ſententiarum diſcrepantia vir optimus *a* δ caveam theatri ſenatum conſtruere molientem, ε ab hac diſpoſitione & cupiditate compeſcuit: perſuaſitque oratione graviſſima, ζ ne *b* Græcam luxuriam virilibus patriæ moribus paterentur obrepere, & ad virtutem labefactandam enervandámque Romanam peregrinæ conſentire nequitiæ, tantúmque autoritate valuit, ut ejus verbis commota ſenatoria providentia etiam ſubſellia, quibus *c* ad horam congeſtis in ludorum ſpectaculo jam uti civitas cœperat, deinceps prohiberet apponi. Quanto ſtudio iſte ab urbe Roma *d* η ludos ipſos ſcenicos abſtuliſſet, ſi autoritati eorum, quos Deos putabat, reſiſtere auderet, quos eſſe noxios dæmones non intelligebat: aut ſi intelligebat, placandos etiam ipſe potius, quam contemnendos Deos exiſtimabat. θ Nondum enim fuerat declarata gentibus ſuperna doctrina, quæ fide cor mundans ad cœleſtia vel ſupercœleſtia capeſſenda, humili pietate humanum mutaret affectum, & à dominatu ſuperborum dæmonum liberaret.

L. Vives. Theatrũ Romæ.

δ Caveam theatri.] *Livius lib. xlviii. & Valerius de inſtit. antiquis. Vale. Meſſala & Caſſius cenſores theatrum faciendum locaverant, in quo populus Rom. ſedens ſpectaret ludos. Naſica id ne fieret, in ſenatu obtinuit, tanquam publicis moribus nociturum. Ita S. C. totus ille theatricus apparatus deſtructus eſt, cautúmque eodem S. C. ne quis in urbe aut propius mille paſſus ſubſellia imponeret, ſedénsve ludos ſpectaret. Paulò ante Punicum bellum tertium pop. Rom. per aliquot annos ſpectavit ſtans uſque ad deletam Corinthum, quo tempore L. Mummius ludis, quos in triumpho fecit, theatrum erexit, ſed temporarium. Primum manſurum theatrum Pompejus Magnus Romæ extruxit lapide quadrato, autore Corn. Tacito lib. xiiii. ad exemplum illius, quod Mitylenis viderat bello Mithridatico.*

Cavea Theatri.

a Cavea.] *Alibi alia, in theatro locum medium ſignificat, in quo poſtea fuerunt equitum ſedes per cuneos diſtincta: interdum etiam pro conſeſſu totius pop. accipitur, ut Servius viii. Æneid. ait.*

b Græcam luxuriam.] *Græci multis ſeculis antè Romanos theatra habuerant, & nomen ipſum Græcum rem ex Græcia deductam oſtendit. Dicitur enim à* θεᾶσθαι, *quod eſt ſpectare.*

c Ad horam.] *Ad tempus, nam theatra Romæ antè fuerunt temporaria, quàm manſura, & ſicut Tacitus inquit, ſubitariis gradibus, & ſcena in tempus ſtructa.*

d Ludos ipſos ſcenicos.] *Qui in ſcena exhibebantur: de quibus proximo libro.*

Donec

α DOnec continuatis honoribus ad poteſtatem Regiam.] *Ita Sueto. de Julio Cæſare:* quidam captum putant imperii conſuetudine, penſitatisque & ſuis, & inimicorum viribus uſum occaſione rapiendæ dominationis, quam ætate prima concupiſſet. *Et Æmil. Probus de Miltiade:* Miltiades multum in imperiis Magiſtratibusque verſatus, non videbatur poſſe eſſe privatus, præſertim cum conſuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. *Habent hoc diuturna imperia, ut facile quemvis hominem ad illicita rapiant, & cupiditate firmandæ potentiæ inflamment, quod veriſſime ſcriptum à Dione.* Ἀρχαὶ αἱ μακρότεραι καὶ πολυχρονιώτεραι ἐπαίρουσι τοὺς πολλοὺς, καὶ εἰς νεωτεροποιίαν ἐξάγουσι. longiora imperia, & diuturniora multis ſpiritus attollunt, & ad rerum novarum molitionem præcipites impellunt. F.L.Coq.

β Niſi ambitio prævaleret.] *Alex. ab Alex. lib. 3. Genial. dierum cap. 17. obſervat, longo tempore poſt urbem conditam, nullam de ambitu legem fuiſſe latam, quia in dandis magiſtratibus, & conferendis honoribus priſci Romani non largitione & ambitu, ſed vera virtute nitebantur, ac propter res egregie geſtas domi militiæque meritos cives prætura, ædilitate, & conſulatu ampliſſimisque honoribus honeſtabant. Verum ubi omnia vitia in cives Romanos ſerpere ſenſim cœperunt, plures leges ſucceſſu temporum latæ ſunt, quibus ambitioni & cupiditati hominum obviam iretur, quia poſtea usque adeo mores degenerarunt, & ambitio mentes hominum pervaſit, ut ſine diſcrimine nullo pudore, aut modeſtia in aſſignandis honoribus propalam largitiones fierent, neque præturas, conſulatus, aut poteſtates mercari turpe ducerent, adeo verum fuit prævaluiſſe ambitionem in populo, quod ſcribit Auguſt. avaritia corrupto. Julius Cæſar hac via aditum ſibi paravit ad tyrannidem, auctoribus Dione & Suetonio: Et hic idem morbus etiam aliquando Athenas occupavit: cum enim antea incorrupti mores fuiſſent, primus Anytus Athlenconis filius largitionibus immodicis pecunias erogaſſe, & ſuffragia mercatus fuiſſe dicitur pernitiali exemplo magnæ turpitudinis, & dedecoris inde ſubſecuti.*

γ Quas Naſica ille prudentiſſime cavendas.] *Naſica oſtendit optimum ſaluberrimumque fuiſſe conſilium, de non evertenda Carthagine, ea enim eversá facile prævidit, Romanos omni metu ſolutos ſeſe daturos avaritæ, luxuriæque, adeoque corrupto his vitiis populo non defuturos, quorum ambitio facile Reipubl. ſtatum everteret: timore vero hoſtili libido comprimebatur, libido compreſſa non luxuriabatur, cohibita luxuria, nec avaritia graſſabatur.*

δ Caveam theatri.] *Area erat in medio theatri, in qua equitum ſubſellia conſtituta eſſe conſueverant, quod velis tecta caveæ ſimilitudinem haberent. Quandoque ponitur pro populi conſeſſu. 5. Æneid.* hic totum caveæ conſeſſum ingentis. *Ubi Servius caveam interpretatur eſſe conſeſſum populi. Et 8. Æneid.* conſeſſu caveæ magnis Circenſibus actis. *Cavea, inquit, eſt ubi populus ſpectat. Plautus in Amphitruo.* per totam caveam ſpectatoribus, *ubi Lambinus:* Cavea eſt unde populus ſpectat, ſeu ubi ſpectandi gratia ſedet. *Et Seneca lib. de Tranquillitate animi c. 11.* Verba ad ſummam caveam ſpectantia, *ubi Muretus.* Summam caveam plebem, quæ ex ſumma cavea ſpectare ludos ſolebat. *Cavea theatri, & Amphiteatri meminit Tertull. l. de ſpectaculis c. 30. & Chryſ. hom. de Kalendis.*

ε Ab hac diſpoſitione, & cupiditate compeſcuit.] *Livius lib. 48.* Cum locatum à Cenſoribus theatrum exſtrueretur, *P.* Cornelio Naſica auctore, tanquam inutile, & nociturum publicis moribus ex S. C. deſtructum eſt. *Val. lib. 2. c. 4.* Theatra inchoata quidem ſunt à Meſſala & Caſſio cenſoribus, cæterum auctore Scipione Naſica omnem apparatum operis eorum ſubjectum haſtæ venire placuit. *Appian. lib. 1. de bellis civilibus:* τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ Σκιπίων ὕπατος καθῄρει τὸ θέατρον ὃ Λούκιος Κάσσιος ἤρχετο, καὶ ἤδη που τέλος ἐλάμβανεν, ὡς καὶ τόδε στάσεων ἀρχὴν ἑτέρων ἢ οὐ χρήσιμον ὅλως Ἑλληνικαῖς ἡδυπαθείαις Ῥωμαίους ἐθίζεσθαι. i.e. per idem tempus Scipio Cos. theatrum demolitus eſt, inchoatum à Luc. Caſſio, & tum pene abſolutum, quod hæc quoque videretur novarum ſeditionum materia, vel quod exiſtimaret, non eſſe è Republ. populum Græcanicis voluptatibus aſſueſcere. *Quo alludit Tertull. lib. de ſpectaculis cap. 10.* ſæpe Cenſores renaſcentia theatra deſtruebant, moribus conſulentes, quorum ſcilicet periculum ingens de laſcivia prævidebant. *Et in Apologet. cap. 6.* Illæ leges abierunt, quæ theatra, ſtuprandis moribus orientia, ſtatim deſtruebant. Vellejus Caſſius cenſor à lupercali in palatium verſus theatrum facere inſtituit, cui in moliendo eximia civitatis ſeveritas, & Coſ. Scipio reſtitere.

ζ Ne Græcam luxuriam.] *Apud Græcos enim in uſu erant theatra, & hujuſmodi ſpectacula, & ludi publici, & Cyprian. lib. de ſpectaculis* Græca vocat certamina, *quo nomine dicuntur apud Tacitum lib. 14. Annalium, ut quæ inde habuerint originem. Et fere omnis luxus è Græcia Romam invectus, & authore Æmylio Probo in præfatione:* In ſcenam prodire, & populo eſſe ſpectaculo, apud Græcos non fuit opprobrio. *Ludos etiam à Græcis Latinos, & Etruſcos, ut multos alios ritus fuiſſe mutuatos, atque ab his ad Romanos fluxiſſe, Dionyſ. l. 7. in fine oſtendit.*

η Ludos ipſos ſcenicos abſtuliſſet, ſi auctoritati eorum] *Anno ab V. C. 389. cum Roma peſtilentia graſſaretur, P. Sulpitio Petino, C. Licinio Stolone Coſſ. ludi ſcenici inter alia cœleſtis iræ placamina inſtituti dicuntur. Livius lib. 7. Tertull. lib. de ſpectaculis cap. 5. ludos primum religionis nomine inter cæteros ritus ſuperſtitionum inſtitutos eſſe, & diebus feſtis, & templis deorum reputatos oſtendit, & Cyprian. ludorum omnium matrem idololatriam fuiſſe aſſerit:* Quod enim ſpectaculum ſine idolo? quis ludus ſine ſacrificio? quod certamen non conſecratum mortuo? *Et de ludorum ſcenicorum origine:* Cæterum dum urbem fames occupaſſet, *inquit,* ad advocationem populi acquiſiti ſunt ludi ſcenici, & Cereri, & Libero dicati, poſtmodum, reliquiſque idolis & mortuis.

θ Nondum enim fuerat declarata gentibus.] *Nam ante Chriſtum in paucis hominibus primum dæmone mentes hominum transverſum agente, ac deinde à temporibus Abrahami in ſolo fere populo Judaico per Patriarchas, Moſen, & Prophetas divinitus illuſtratos, edocto, illuxit ſuperna doctrina, ſed Chriſtus tandem venit in plenitudine temporis, ut eſſet lumen ad revelationem gentium, ipſe expectatio Gentium, Geneſ. 49.* deſideratus cunctis gentibus, *Aggæi. 2.* datus in lucem gentium, *Iſai. 47.* teſtis ac doctor gentibus, *Iſai. 55. Sed cur tamdiu dilatum ſit tantum beneficium, toti hominum generi adeo neceſſarium? ea difficultas movebatur à Porphyrio*

pagano,

pagano, ut videre eſt apud D. Auguſt. epiſt. 49. q. 2. & ab aliis gentilibus, ut auctor eſt Arnob. l. 2. contra gentes. quid viſum ſit Deo Regi atque Principi, ut ante horas pauculas ſoſpitator Chriſtus cœli ex arcibus mitteretur. *Quibus ibidem plura reſpondet. De quo aliàs plura dicendi opportunior offeret ſeſe locus.*

CAP. XXXII.

De ſcenicorum inſtitutione ludorum.

VEruntamen ſcitote, qui iſta neſcitis: & qui vos iſta ſcire diſſimulatis, advertite, qui adverſus liberatorem à talibus dominis liberati murmuratis: *α* ludi ſcenici, *a* ſpectacula turpitudinum, & licentia vanitatum non hominum vitiis, *β* ſed Deorum veſtrorum juſſis Romæ inſtituti ſunt. *b γ* Tolerabilius divinos honores deferretis illi Scipioni, quàm Deos ejuſmodi coleretis. Neque enim erant illi Dii ſuo pontifice meliores. Ecce attendite, ſi mens tam diu potatis erroribus ebria, vos aliquid ſanum conſiderare permittit: Dii propter ſedandam corporum peſtilentiam ludos ſibi ſcenicos exhiberi jubebant, pontifex autem veſter propter animorum cavendam peſtilentiam, ipſam ſcenam conſtrui prohibebat. Si aliqua luce mentis animum corpori præponitis, eligite, quem colatis. *c δ* Neque enim & illa corporum peſtilentia, ideo conquievit, quia populo bellicoſo, & *d ε* ſolis antea ludis Circenſibus aſſueto, ludorum ſcenicorum delicata ſubintravit inſania: *ζ* ſed aſtutia ſpirituum nefandorum prævidens illam peſtilentiam jam fine debito ceſſaturam, aliam longè graviorem, qua plurimum gaudet, ex hac occaſione non corporibus, ſed moribus curavit immittere: quæ animos miſerorum tantis obcœcavit tenebris, tanta deformitate fœdavit, ut etiam modò, quod incredibile forſitan erit, ſi à noſtris poſteris audietur, Romana urbe vaſtata, quos peſtilentia iſta poſſedit, atque inde fugientes, Carthaginem pervenire potuerunt, in theatris quotidie certatim *e* pro hiſtrionibus inſanirent.

a SPectacula turpitudinum.] *Nam fœdiſſima & viſu fiebant, & auditu dicebantur.*

b Tolerabilius divinos honores.] *Tertullianus in Apologetico dicit, ſatius fuiſſe Deos fieri, ſapientiæ Socratem, juſtitiæ Ariſtidem, militiæ Themiſtoclem, eloquentiæ Ciceronem, fœlicitatis Syllam, opum Craſſum, ſublimitatis Pompejum, gravitatis Catonem. Hi enim Diis ipſis præſtabant hiſce rebus. Non diſſimularunt multi veterum, bonos viros meliores Diis ſuis eſſe. Sic Seneca libro de tranquillitate vitæ ſecundo: Catonem Uticenſem certius viri ſapientis fuiſſe exemplum, quàm Herculem, aut Ulyſſem affirmat. Eundem Lucanus verum patriæ parentem nominat, digniſſimum aris Romanis.* *L. Vives. Viri præſtantes.*

c Neque enim & illa corporum.] *Livius lib. vii. Neque tamen ludorum primum initium procurandis religionibus inſtitutum, aut religione animos, aut corpora morbis levavit.*

d Solis antea ludis Circenſibus aſſueto.] *Circenſes ludos primus Romæ fecit Romulus, quarto menſe ab Urbe condita, ut ſcribit Fabius Pictor, quo die Sabinas rapuit. Longius tempus alii tradunt, quod magis crediderim. Circenſes dictos ſcribit Ser-* *Circenſes ludi.*

vius, quòd enſibus circundarent. Nam cùm rudis vetuſtas non loca hujuſmodi ludis apta ædificaſſet, inter enſes & flumina eos agebant, ut ignavis utrinque præſens eſſet periculum. Poſtea Tarquinio Priſco rege locus eſt deſignatus Circo, qui poſtmodum Maximus eſt dictus, ut Livius refert, ſingulis annis iſti ludi ſunt celebrati, & Magni, ac Romani, & Circenſes variè dicti. Equi & pugiles certabant. Sacri fuerunt Conſo, quem Græci ἱπποποσειδῶνα *vocant, id eſt, Neptunum equeſtrem, cujus templum Dionyſius ait ab Evandro in Latio erectum, diémque feſtum ſtatutum, quem illi* ἱπποκρατίων, *Latini Conſualia nominant: quo die ceſſabant ab operibus equi & muli, ſertisque redimebantur.*

ἱπποποσειδῶν. Conſenſus.

d Solis antea ludis.] *Valer. de inſtit. & Liv. lib. 7. autores.*

e Pro hiſtrionibus.] *Non ſe pro hiſtrionibus gerebant. nec ſic intelligendus Auguſtinus, quod non admonerem, niſi quidam ſic exiſtimarent, ſed quòd ſtudio ſpectandi hiſtriones inſaniebant.*

F. L. Coq. α LUdi ſcenici ſpectacula turpitudinum.] *Tertull. lib. de ſpect. cap. 17. theatrum appellat,* Privatum conſiſtorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur: ita ſumma gratia ejus de ſpurcitia plurium concinnata eſt, quam Attellanus geſticulator, quam mimus etiam per mulieres repræſentat ſexum pudoris exterminans, ut facilius domi, quam in ſcena erubeſcant. *Cyp. item l. de ſpect.* ut ad ſcenæ jam ſales inverecundos tranſitum faciam, pudet referre, quæ dicuntur, pudet etiam accuſare, quæ fiunt, agentium ſtrophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, ſcurriles jocos, paraſitos ſordidos, *&c. Et epiſt. 2. turpitudinem hujuſmodi ludorum ſcenicorum amplius depingit, & Lactantius lib. 6. c. 20.* In ſcenis neſcio an ſit corruptela deterior, an vitioſior. Nam & comicæ fabulæ de ſtupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum, & quo magis ſunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo magis ſententiarum elegantia perſuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ verſus numeroſi & ornati. Item tragicæ hiſtoriæ ſubjiciunt oculis parricidia & inceſta Regum malorum, & cothurnata ſcelera demonſtrant, hiſtrionum quoque impudiciſſimi motus quid aliud niſi libidines docent & inſtigant? Quorum enervata corpora, & in muliebrem inceſſum habitumque molita impudicas fœminas inhoneſtis geſtibus mentientes. quid de mimis loquar, corruptelarum perferentibus diſciplinam? qui docent adulteria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera? quid juvenes aut virgines faciant, cum & fieri ſine pudore, & ſpectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique, quid facere poſſint & inflammantur libidine, quæ aſpectu maxime concitatur, ac ſe quiſque pro ſexu in illis imaginibus præfigurat, probantque illa dum rident, & adhærentibus vitiis corruptores ad cubicula revertuntur. *Et Seneca ipſe epiſt. 7.* Nihil tam damnoſum, *inquit,* bonis moribus, quam in ſpectaculo deſidere: tunc enim per voluptatem facilius vitia ſurrepunt. quid me exiſtimas dicere? avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior. *Et Chryſoſt. homil. quadam ad eos, qui, concione relicta, ad theatra concurrunt, ea vocat* communem civitatem corruptelam.

β Sed Deorum veſtrorum juſſis Romæ inſtituti.] *Hac ratione Tertull. Cyp. lib. de*

de ſpectaculis, Lactant. lib. 6. cap. 20. dehortantur Chriſtianos ab hujuſmodi ſpectaculis, quorum mater ſit idololatria; quodque ſi quis ſpectaculis interſit, ad qua religionis gratia convenitur, diſceſſit à Dei cultu, & ad Deos ſe contulit, quorum natales, & feſta celebravit: nam ludorum hujuſmodi celebrationes Deorum feſta erant, ſiquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes erant conſtituti, ubi & ſingulis Deis ſingulos ludos ſcribit fuiſſe conſecratos. Cyp. Quando id, quod in honore alicujus idoli, *ait*, ab Ethnicis agitur, à fidelibus Chriſtianis ſpectaculo frequentatur, & idololatria gentilis aſſeritur, & in contumeliam Dei religio vera & divina calcatur. *Poſtea: omnia iſta ſpectaculorum genera damnavit ſcriptura, ſcilicet, quando Idololatriam ſuſtulit ludorum omnium matrem. Macrob. ipſe li. Saturn.* Sacra celebritas eſt, *inquit*, vel cum ſacrificia Diis offeruntur, vel cum divinæ res epulationibus celebrantur, vel cum ludi in honorem aguntur Deorum, vel cum feriæ obſervantur. *Inventa eſſe Dæmonum, docet & Chryſoſt. hom. 6. in Matth.* Hic ille eſt Diabolus, *inquit*, qui etiam in artem jocos locosque digeſſit, ut per hæc ad ſe traheret milites Chriſti, virtutiſque eorum nervos faceret molliores: propterea in urbibus etiam theatra conſtruxit, & illos riſuum inventores parans lues ab illis profecta per totam deinde ſerpit civitatem, ac talem perniciem excitat: *ubi & hujuſmodi theatra dæmonum officinas vocat.*

γ Tolerabilius divinos honores.] *Nimirum Deus potius habendus erat Romanis Scipio Naſica, cui cura erat in primis, ne corrupti mores introducerentur, & civium animos inficerent, & Rempub. tandem everterent, quàm falſo exiſtimati Dii, qui ſpectacula & ludos in perniciem civium & morum corruptionem exhiberi ſibi jubebant. Et quemadmodum animus corpori præferendus eſt, ita Naſica, qui ad avertendam animorum peſtilentiã Scenicos ludos fieri prohibebat, Diis Romanis, qui eos ſibi ad avertendam peſtilentiam corporum, & animorum inducendam exhiberi volebant, ut ſalubrius eſſet Romanis uti conſilio Naſicæ, quam ſequi juſſa Deorum. Quo referri poteſt, quod habet Lactantius lib. 5. c. 10.* Deorum cultores bonos & juſtos nullo modo eſſe poſſe: Quomodo enim ſanguine abſtinebunt, qui colunt cruentos Deos Martem atque Bellonam? quomodo aut parentibus parcent, qui expulſorem patris ſui Jovem? aut natis ex ſe infantibus, qui colunt Saturnum? quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt deam nudam, & adulteram, & quaſi apud Deos proſtitutam? quomodo rapinis & fraudibus abſtinebunt, qui Mercurii furta noverunt, docentes, non fraudis eſſe decipere, ſed aſtutiæ? quomodo libidines coercebunt, qui Jovem, Herculem, Liberum, Apollinem, cæteroſque venerantur, quorum adulteria, & ſtupra in mares & fœminas non tantum doctis nota ſunt, ſed exprimuntur etiam in theatris atque cantantur, ut ſint omnibus notiora! *poſſuntne inter hæc juſti eſſe homines, qui etiamſi natura ſint boni, ab ipſis tamen Diis erudiuntur ad injuſtitiam! Romani igitur cum eos Deos colerent, qui inducerent pravos mores, peſtem animorum, quomodo exculti eſſe poterant virtutibus, probis moribus? quod ait,* tolerabilius divinos honores delaturos fuiſſe Scipioni, quam Diis, *ſimile quid ſcribit epiſt. 5. ad Marcellinum.* Riſu quidem dignum eſſe, quod velint Gentiles Apollonium & Apulejum, cæteroſque magicarum artium

tium peritiſſimos conferre Chriſto, vel etiam præferre, tolerabilius tamen ferendum eſſe, quando iſtos ei comparent, quam Deos ſuos: multo enim melior, quod fatendum eſt, Apollonius fuit, quam tot ſtuprorum auctor & perpetrator, quem Jovem nominant: *& Juſtinus Martyr l. de Monarchia Dei oſtendit, fictitios illos Deos ne hominibus quidem comparandos eſſe. Et Tertull. in Apol. cap. 10. demonſtrat apertè, multos ex hominibus Diis illis præferendos eſſe, & illis potius, quam iſtis divinos honores deferendos fuiſſe.*

δ Neque enim & illa corporum peſtilentiæ.] *Livius lib 7. loquutus de ludis ſcenicis, tum primum ad avertendam cæleſtem iram inſtitutis:* Nec tamen, *inquit,* ludorum primum initium procurandis religionibus datum, aut religione animos, aut corpora morbis levavit.

ε Solis antea ludis Circenſibus aſſueto.] *Livius lib. 7. de ludis Scenicis:* nova, *inquit,* res bellicoſo populo: nam Circi modo ſpectaculum fuerat.

ζ Sed aſtutia ſpirituum nefandorum prævidens.] *Quæ enim futura ſunt neceſſario, vel ex aliqua diſpoſitione cauſarum naturalium ſecutura, certum eſt, dæmones præcognoſcere poſſe: deinde quemadmodum docet ipſe lib. de divinat. dæmon. cap. 5. & lib. 2. de Gen. ad litteram cap. 17. dæmones ea prædicunt, quæ ipſimet facturi ſunt: ita fortaſſis illa peſtilentia à dæmonibus immiſſa erat, fiunt enim immiſſiones per Angelos malos, ut eſſet occaſio inducendorum ludorum Scenicorum ad avertendam illam peſtilentiam, cum tamen inde longe gravior peſtilentia animorum induceretur, & ipſi interim dæmones facile prævideraut, quando ceſſatura eſſet peſtis illa, vel etiam eam ipſi ut primum immiſerunt, facile avertere poterant. Hæc enim eſt dæmonis calliditas, ut cum videatur ſaluti corporis conſulere, animo interim extremam adferat perniciem.* Itaque conſtat, beneficia dæmonum omnibus nocentiora eſſe vulneribus, *ut ſcribit Leo Papa ſerm. 19. de paſſione Domini.*

Cap. XXXIII.

De vitiis Romanorum, quos patriæ non correxit everſio.

O Mentes α amentes, quis eſt hic tantus non error, ſed furor, β ut exitium veſtrum, ſicut audivimus, plangentibus Orientalibus populis, & maximis civitatibus in remotiſſimis terris, publicum luctum mœrorémque ducentibus, vos theatra quæreretis, intraretis, impleretis, & multò inſaniora quàm fuerant antea faceretis? Hanc animorum labem ac peſtem, hanc probitatis & honeſtatis everſionem vobis Scipio ille metuebat, quando conſtitui theatra prohibebat: quando rebus proſperis vos facilè corrumpi atque everti poſſe cernebat: quando vos ab hoſtili terrore ſecuros eſſe nolebat: neque enim cenſebat ille, fœlicem eſſe γ remp. ſtantibus mœnibus, ruentibus moribus: ſed in vobis plus valuit, quod dæmones impii ſeduxerunt, quàm quod homines providi præcaverunt. Hinc eſt, quòd mala, quæ facitis, vobis imputari non vultis: mala verò, quæ patimini, Chriſtianis temporibus imputatis. Neque enim in veſtra ſecuritate pacatam rempub. ſed luxuriam quæritis impunitam, qui depravati rebus proſperis, nec corrigi potuiſtis adverſis. Volebat vos ille Scipio terreri ab hoſte, ne in luxuri-

xuriam fueretis, *a* δ vos nec contriti ab hoſte luxuriam repreſſiſtis: *b* ε perdidiſtis utilitatem calamitatis, & miſerrimi facti eſtis, & peſſimi permanſiſtis. Et tamen quòd vivitis, Dei eſt, ζ qui vobis parcendo admonet, ut corrigamini pœnitendo: qui vobis etiam ingratis præſtitit, η ut vel ſub nomine ſervorum ejus, vel in locis martyrum ejus hoſtiles manus evaderetis.

a VOs nec contriti.] *Quia Carthagine effuſiſſimo ſtudio ludos ſpectabatis.* L. Vives.

b Perdidiſtis utilitatem calamitatis.] *Qua homines emendantur, & icti ſapiunt, & pro merito eis deputatur, cùm patienter adverſa tolerant. Plato in Gorgia calamitates ac ſupplicia, & ipſis, qui perferunt, & ſpectatoribus utilia eſſe ait: utrique enim redduntur meliores, illi dolore, hi exemplo.*

a O Mentes amentes.] *Elegantia antitheta. Sic apud Cic. 3. de orat.* Innuptæ nuptiæ, *& 1. Philippica.* inſepulta ſepultura. *Sic Ennius* artem inertem dixit, *& Horat. lib. 1. Carm. Ode 34.* Sapientiam inſanientem. *Græcis item* γάμοι ἄγαμοι, βίος ἀβίωτος, ἄδωρα δῶρα, χάρις ἄχαρις, ἔργα ἄνεργα, πότμος ἄποτμος, μήτηρ ἀμήτωρ, κόσμος ἄκοσμος. *Sic apud Plutarchum in Pericle, & apud Baſilium epiſt. ad Gregor. de vita ſolitaria* δυσέρωτας ἔρωτας, amores perditiſſimi. *Apud Sophoclem in Antigone,* φρένες δύσφρενες, *ita* πόνοι δύσπονοι. *Apud Syneſium epiſt. 154.* συλλογισμοὶ ἀσυλλόγιστοι. *Apud Baſilium Seleuciæ orat.* εἰς τὰ ὀλύμπια. ἀθέατος θέα, ſpectaculum nō ſpectandum. *Apud Gregor. Nazianzen.* ἑορτὴ ἀνέορτος. *Apud Epiph.* νύμφη ἄνυμφος. F. L. Coq.

β Exitium veſtrum plangentibus orientalibus populis.] *Extat epiſt. 16. D. Hieron. ad Principiam virginem, in qua allato nuncio de obſeſſione urbis oſtendit, quantum augeretur. Dum hæc aguntur,* in Iebus, *inquit,* terribilis de occidente rumor affertur, obſideri Romam, & auro ſalutem civium redimi, ſpoliatosque rurſum circumdari, ut poſt ſubſtantiam, vitam quoque perderent, hæret vox, & ſingultus intercipiunt verba dictantis, capitur urbs, quæ totum cepit orbem, imo fame perit, antequam gladio, & vix pauci, qui caperentur, inventi ſunt, *& quæ ſequuntur. & epiſt. 82. ad Marcellin. & Anapſichiam.* Ille animus meus occidentalium provinciarum, & maxime urbis Romanæ vaſtatione confuſus eſt, ut juxta vulgare proverbium proprium quoque ignorarem vocabulum, diuque tacui, ſciens, tempus eſſe lacrymarum. *Nec dubium, quin multi cum Hieron. in orientalibus populis, ut hic ſcribit Auguſt. calamitatem illam urbis Romæ deflerent, cum interim tantum phreneſi laborarent Romani, ut ſuam ipſi calamitatem non ſentirent, ſed qui cladi ſuperfuerant, Carthagini vel aliis in locis, ad quæ ſe receperant, theatra implerent, adeo ſpectandorum ludorum deſiderio flagrabant.*

γ Stantibus mœnibus, ruentibus moribus.] *Socrates interrogatus, quænam civitas munitiſſima eſſet, reſpondit:* ἣ ἄνδρας ἔχουσα ἀγαθούς, quæ bonos viros habet. *Plato in Alcibiade 1.* οὐκ ἄρα τειχῶν, οὐδὲ τριήρων, οὐδὲ νεωρίων δέονται αἱ πόλεις ὦ Ἀλκιβιάδη εἰ μέλλουσιν εὐδαιμονήσειν οὐδὲ πλήθους, οὐδὲ μεγέθους ἄνευ ἀρετῆς. nec mœnib. nec navib9, triremibusq; atq; navalib9, nec multitudine absq; virtute civitas ad fœlicitatē opus habet. *Interrogatus aliquādo Ageſilaus, cur Sparta non cingeretur mœnibus?* Cives armatos & inter ſe conſentientes ſatis eſſe ad urbis præſidium,

ſidium, reſpondit. *Dicebat enim, civitatem non ſaxis, aut vallis; ſed incolarum virtute muniri, quos ſi conjungat concordia, nullus poteſt firmior eſſe murus.*

δ Vos nec contriti ab hoſte luxuriam repreſſiſtis.] *Indurati ut quondam Pharao, qui flagellis Dei nihil emendabatur, quibus per Iſaiam dicitur:* ſuper quæ percutiam vos, ultra addentes prævaricationem: *tantum abeſt, ut percuſſi ſanarentur, & flagellis Dei emendarentur, ut flagitia flagitiis adderent, ut deſperata omnino videretur ſanitas.*

ε Perdidiſtis utilitatem calamitatis.] *Hieron. epiſt. 11. ad Gaudent.* Proh nefas! orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt. Urbs inclyta, & Romani imperii caput uno hauſta eſt incendio: nulla eſt regio, quæ non exules Romanos habeat: in cineres ac favillas ſacræ quondam Eccleſiæ conciderunt, & tamen ſtudemus avaritiæ. *Immittit Dominus calamitates, ut homines emendentur & reſipiſcant, priorem errorem agnoſcant, & à peccando tandem deſiſtant. Romani verò, cum nihil emendarent, nihil ex calamitate conſecuti ſunt utilitatis. ſed magis in peccato obfirmati manſerunt.*

ζ Qui vobis parcendo admonet, ut corrigamini. *Rom. 2.* An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te invitat? *2. Petr. 3.* Patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. *Idem ſerm. de excidio urbis:* manu emendantis Dei correpta eſt potius civitas illa, quàm perdita, &c.

η Ut vel ſub nomine ſervorum ejus.] *Multi enim ex Gentilibus, quod ſcirent edictum Alarici, ſe Chriſtianos mentiti ſunt, & ſic evaſerunt. Oroſ. lib. 7. cap. 39. Non diſſimile huic, quod refert Joſephus de Samaritanis, qui erant infenſiſſimi hoſtes Judæorum, cum tamen viderent, eos ab Alexandro Macedone honorifice tractari, Judæos ſe eſſe mentiti ſunt.*

CAP. XXXIV.

De clementia Dei, qua Urbis excidium temperavit.

ROmulus α & Remus *a* aſylum conſtituiſſe perhibentur, quò quisquis confugeret, β ab omni noxa liber eſſet, augere γ quærentes creandæ multitudinem civitatis. Mirandum in honorem Chriſti præceſſit exemplum. Hoc conſtituerunt everſores Urbis, quod inſtituerant antea conditores. δ Quid autem ſi hoc fecerunt illi, ut civium ſuorum numerus ſuppleretur, quod fecerunt iſti, ut ſuorum hoſtium numeroſitas ſervaretur? Hæc & talia, ſi qua uberius & commodius potuerit, reſpondeat inimicis ſuis redempta familia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & peregrina civitas regis Chriſti.

L. Vives. *a* ASylum.] *Locus eſt ſacer, unde fas non erat quenquam rapere, nam inde habet nomen. συλάω namque eſt raptio, & ἄλφα στερητικὸν, id eſt privativum. Hinc per lambdaciſmum factum eſt aſylum pro aſyrum. Servius lib. 8. Æneid. Tametſi συλᾶν eſt etiam ἀφαιρεῖσθαι, hoc eſt, tollere, auferre: ut apud Homer. ἐσύλα τεύχεα καλά: abſtulit pulchra arma. Poſtquàm Hercules migravit è terris, nepotes ejus timentes inſidias eorum, quos avus afflixerat, Athenis ſibi primum aſylum,* hoc

hoc eſt, templum miſericordiæ collocarunt: unde nullus poſſet abduci: quod etiam Statius dicit: Herculeos fama eſt fundaſſe nepotes. Aſylum Romulus & Remus ſtruxerunt inter arcem & Capitolium, loco Intermontio nominato, ut multitudo facinoroſorum ſpe impunitatis eò conflueret, ad novam urbem incolendam. Cui divo divæve templum ſit pro aſylo erectum, non conſtat, & Dionyſius ignorare ſe dicit. Sunt qui Vejovi tradant: celebrabatur tamen aſyli locus 4. Nonas Feb. Ovid. 2. Faſtorum. In Græcia & Aſia multa fuerunt aſyla. Tiberius Cæſar pertæſus nimiam illorum licentiam, jura omnibus ferè illis ademit, ut Suetonius & Tacitus perhibent.

α Remus & Romulus aſylum conſtituiſſe.] *Ante Remi necem vult aſylum fuiſſe conſtitutum, ut etiam lib. 1. de conſenſu Evangel. cap. 12. his verbis:* Neque enim, quando aſylum conſtituerint Remus & Romulus, ut quisquis cujuslibet ſceleris conſcius eo confugiſſet, multum haberet commiſſum: *in quo ſecutus videtur Plutarchum: quantum tamen colligitur ex Livio lib. 1. Dion. lib. 2. Strab. lib. 5. Oroſio l. 2. c. 4. non niſi poſt necem Remi fratris Romulus aſylum conſtituit. Id fecit exemplo aliarum civitatum. Primum enim Cadmus, dum Thebas conderet, aſylum aperuiſſe fertur, ad quod confugientes ſine diſcrimine liberi aut ſervi ab omni pœna tuti erant. Nonnulli à prognatis Herculis aſylum Athenis primo inſtitutum ferunt, quod* βωμὸν ἐλέυς. aram miſericordiæ dixere, *ad quod oppreſſis confugere fas erat. In Rhœteo littore fuit Ajacis aſylum, & in Sigæo Achillis. De pluribus hujusmodi aſylis, & eorum immunitate vide Corn. Tacit. lib. 3. Annal. & Alex. ab Alex. lib. 3. Genialium dierum cap. 20. Coraſ. lib 5. miſcell. cap. 23. Covarr. lib. var. cap. 20.* Aſylum locus erat ſacer, unde nefas erat quemquam rapere, *& licet nonnulli deducant à verbo* συλάω, *quod eſt rapio, mihi tamen magis probatur deduci à verbo* συλάω, *quod eſt prædor, ſpolio, ut ſit aſylum quaſi inſpoliatum, à præda immune, & ex conſequenti à violentia tutum quaſi ſacroſanctum.* F.L.Coq.

β Ab omni noxa.] *Hinc Juvenalis.* Et tamen ut longe repetas longeque revolvas, Novam ab infami gentem deducis aſylo. *Et D. Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evang. c. 12. Primordia Romanorum vocat* facinoroſorum aſylum, *& Lactant. lib. 7. cap. 7. eo deprimit Romanorum originem.* Romulus, *inquit*, urbem condidit, paſtores, inter quos adoleverat, convocavit, cumque is numerus colendæ urbi parum idoneus videretur, conſtituit aſylum, eo paſſim confugerunt ex finitimis locis peſſimi quique ſine ullo conditionis diſcrimine, ita conflavit ex his omnibus populum, legitque in Senatum eos, qui ætate anteibant, & patres appellavit, quorum conſilio gereret omnia. *Et Minutius in Octavio ita deſcribit incunabula imperii:* Nonne, *ait*, in ortu ſuo & ſcelere collecti, & muniti immanitatis ſuæ terrore creverunt? nam aſylo prima plebs congregata eſt, confluxerant perditi, facinoroſi, inceſti, ſicarii, proditores. *Cypr. lib. de idolorum vanitate:* Si ad originem imperii Romani redeas, erubeſcas, populus de ſceleribus, & nocentibus congregatur, & aſylo conſtituto facit numerum impunitas criminum.

γ Augere quærentes creandæ multitudinem civitatis.] *Cauſam ob quam Romulus aſylum Romæ conſtituerit, tradit Dionyſ. lib. 2. ad augendam ſcilicet incolis urbem, & ad alliciendos ex vicinis urbibus, agrisque habitatores Romæ nondum populoſæ.*

loſa. Livius lib. 1. Ne vana urbis magnitudo eſſet, adjiciendo multitudinis cauſa locum, qui nunc ſeptus denſis ſentibus inter duos lucos eſt, aſylum aperuit: eo ex finitimis populis turba omnis ſine diſcrimine, liber an ſervus eſſet, avida rerum novarum aufugit. *Plutarch. in Romulo.*

δ Quid ante magnum.] Conditores urbis, *inquit*, aſylum conſtituerunt, *Sed ut urbem ipſam naſcentem civibus replerent, quod non niſi humano conſilio & prudentiæ aſcribi debet, neque id primus fecit Romulus: Everſores verò urbis Gothi aſylum conſtituerunt baſilicas Apoſtolorum, ut hoſtes ſuos ſervarent, quod certè inauditum.*

Cap. XXXV.

De latentibus inter impios Eccleſiæ filiis, & de falſis intra Eccleſiam Chriſtianis.

MEmineris α ſanè in ipſis inimicis ſuis latere cives futuros, ne infructuoſum vel apud ipſos putet, quòd *a* donec perveniat ad confeſſos, portat infenſos: ſicut ex illorum numero etiam Dei civitas habet ſecum, quandiu peregrinatur in mundo, β connexos communione ſacramentorum, *b* nec ſecum futuros γ in æterna ſorte ſanctorum, qui partim in occulto, partim in aperto ſunt. Qui etiam cum ipſis inimicis adverſus Deum, cujus ſacramentum gerunt, murmurare non dubitant: δ modò cum illis theatra, modò eccleſias nobiſcum replentes. De correctione autem quorundam etiam talium multò minus eſt deſperandum, ſi apud apertiſſimos adverſarios prædeſtinati amici latitant, adhuc ignorati etiam ſibi. ε Perplexæ quippè ſunt iſtæ duæ civitates in hoc ſeculo, invicémque permixtæ, *c* ζ donec ultimo judicio dirimantur: de quarum exortu & procurſu & debitis finibus, quod dicendum arbitror, quantum divinitus adjuvabor, expediam propter gloriam civitatis Dei, *d* quæ alienis à contrario comparatis clarius eminebit.

L. Vives. *a* DOnec perveniat ad confeſſos.] *Ad declarationem ultimam, quid quisque confiteatur, quod tunc demum fiet, cùm aperti erunt conſcientiarum libri: id eſt, in futura vita.*

b Nec ſecum futuros.] *Juxta illud Domini: Multi vocati, pauci electi.*

c Donec ultimo.] *Sic in Evangelio: Angeli ſeparabunt malos de medio juſtorum in conſummatione ſeculi.*

d Quæ alienis à contrario.] *Sic Ariſtoteles: Contraria inter ſe collata liquidiùs dignoſcuntur.*

F. L. Coq. α MEminerit ſanè in ipſis inimicis.] *Docet aliquos nunc longè alienos à Chriſto, & à fide, imò ejus eſſe inimicos, qui tamen cives futuri ſunt Eccleſiæ militantis. Alios verò eſſe in Eccleſia, & illius cives, cum illa utpote connexos ſacramentorum communione, ſecum tamen minimè futuros in æterna ſorte ſanctorum. Ex quo conſtat, neque prædeſtinatos eſſe ſemper membra Chriſti vel Eccleſiæ, neque omnes iſtos, vel fideles, qui ſunt in Eccleſia, pertinere ad prædeſtinatorum vel electorum numerum; quod docet illuſtriſſ. Bellarm. lib. 3. de Eccleſ. cap. 10. Ex his verbis Auguſtini.*

In

In Concilio Conſtant. damnata eſt hereſis Ioannis Wiclef. ſeſſ.15. qui volebat Eccleſiam eſſe congregationem prædeſtinatorum, ita ut ſoli, & omnes prædeſtinati ſpectarent ad Eccleſiam: *at prædeſtinatos aliquando ad Eccleſiam minimè pertinere, reprobos verò illius aliquando membra eſſe, conſtat ex doctrina hujus capitis. Certè Eccleſia ipſa Matth. 13. comparatur* Sagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. *Matth. 3.* Areæ *comparatur,* in qua non modo triticum congregandum in horreum, ſed etiam paleæ comburendæ igni inextinguibili reperiuntur. *Matth. 22. comparatur* convivio nuptiali, ad quod admiſſi ſunt boni & mali. *Poſtea tamen mali non habentes veſtem nuptialem,* projiciuntur in tenebras exteriores: *unde concludit,* ſunt multi vocati, pauci verò electi, *id eſt, multi ſunt in Eccleſia, quæ eſt cœtus ſanctorum, qui tamen non ſunt de electis. Matth. 25. comparatur* decem virginibus, ex quibus quinque prudentes intrant cum ſponſo ad nuptias, quinque fatuæ excluduntur. *2. Tim. 2.* In magna domo ſunt vaſa aurea & argentea, lignea, & fictilia: quædam in gloriam, quædam in contumeliam, *id eſt, in eadem Eccleſia ſunt electi & reprobi. Duobus exemplis Pauli & Judæ id patet manifeſtiſſimè. Paulus enim aliquando latuit inter inimicos, civis tamen futurus Eccleſiæ: è contra Judas aliquando in Eccleſia fuit diſcipulus Chriſti cum reliquis Apoſtolis, in eamdem familiam & ſocietatem ſanctam vocatus, cum illis tamen in æterna ſorte ſanctorum minimè futurus. Ita Auguſtin. in Pſalm. 3. dicit, Judam filium fuiſſe Chriſti, & tamen perſecutum eſſe patrem ſuum, quomodo Abſolon perſequebatur Davidem. Et lib. de unitate Eccleſiæ, cap. 13. dicit, Judam in Eccleſia fuiſſe, in qua erant cæteri Apoſtoli, & tract. 61. in Joannem de Juda:* unus, *inquit,* numero, non merito: unus ſpecie, non virtute, commixtione corporali, non vinculo ſpirituali, carnis adjunctione, non cordis ſocius unitate. *Chryſoſt. homil. 6. in 2. ad Timotheum dicit, Paulum fuiſſe* vas fictile, ſed verſum eſſe in aureum, *& Judam fuiſſe* vas aureum, ſed converſum in fictile. *Id quod docent Theologi, duobus modis poſſe dici hominem Chriſti ovem, membrum, filium, vel etiam civem civitatis Dei, uno modo ſecundum prædeſtinationem æternam, altero modo ſecundum præſentem juſtitiam. quæ doctrina colligitur ex Aug. paſſim. lib. 4. de baptiſmo cap. 3.* Secundum præſcientiam, *inquit,* multi etiam, qui apertè foris ſunt, & hæretici appellantur, multis & bonis catholicis meliores ſunt. *Et c. 10.* Et foris multa frumenta ſunt, & intus multa zizania. *Et tract. 5. in Joannem.* Secundum præſcientiam & prædeſtinationem, quàm multæ oves foris? quam multi lupi intus? *Poſt,* quid eſt, quod dixi, quam multæ oves foris? quam multi luxuriantur caſti futuri? quam multi blaſphemant Chriſtum credituri in Chriſtum? *Hi ſunt, quos hic dicit latere in ipſis inimicis cives futuros?* hi oves ſunt, *inquit,* veruntamen modo alienam vocem audiant, alienos ſequuntur. *Item:* quam multi intus laudant, blaſphematuri: caſti ſunt fornicaturi, ſtant caſuri? & non ſunt oves: de prædeſtinatis enim, *ait,* loquimur: *& hi ſunt, quos ſecundo loco dicit civitatem Dei habere ſecum, quamdiu peregrinatur in hoc mundo, connexos quidem communione ſacramentorum, non futuros tamen ſecum in æterna ſorte ſanctorum. Et libr. 7. de baptiſmo cap. 51. duo genera tradit in Dei domo exiſtentium, alios ita eſſe in domo, ut ſint Dei*

domus ipſa, quam dicit ædificari ſupra petram, quæ domus ſit in vaſis aureis & argenteis, ex lapidibus pretioſis, & lignis imputribilibus: Alios autem ita dicit eſſe in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad ſocietatem fructiferæ, pacificæque juſtitiæ, ſed ſicut eſſe palea dicitur in frumentis. Eandem doctrinam tradit & lib. de bono perſeverantiæ c. 8. & lib. de corrept. & gratia cap. 9.

β Connexos communione Sacramentorum.] *Cum Eccleſia ſit viſibilis, debent illius membra aliquorum ſignorum externorum participatione colligari: rectè enim D. Auguſt. lib. 9. contra Fauſtum cap. 11.* In nullum nomen religionis ſive verum, ſive falſum poſſunt homines coadunari, niſi aliquorum ſignorum & ſacramentorum colligatione. *Idem in breviculo collationis collat. 3. Eccleſiam conſiderat tanquam corpus vivum, in quo eſt anima & corpus, & quidem anima ſunt interna dona Spiritus ſancti, fides, ſpes, charitas: corpus ſunt externa profeſſio fidei, & communio ſacramentorum, ex quo fit, ut quidam ſint perfectiſſimè in Eccleſia, ſcilicet de anima & corpore illius, nec modò externa profeſſione fidei, & communicatione ſacramentorum, ſed etiam participatione chariſmatum & donorum Spiritus ſancti: aliqui verò ſunt de anima, non de corpore Eccleſiæ, ut ſi quis catechumenus vel excommunicatus fidem & charitatem haberet: nonnulli poſtremo ſunt de corpore, & non de anima Eccleſiæ, atque hos fortaſſe hic intelligit, cum dicit, civitatem Dei habere nonnullos connexos ſibi communione ſacramentorum, nec futuros ſecum in æterna ſorte ſanctorum, quos etiam lib. 7. de baptiſmo, cap. 57. dicit,* ſic eſſe in domo per communionem ſacramentorum, ut extra domum ſint per diverſitatem morum. *Licet etiam hi intelligi poſſint, qui non modo ſunt de corpore Eccleſiæ, verum etiam de illius anima, hoc eſt, qui illius cives non modo externa profeſſione fidei, & communione ſacramentorum, ſed etiam participatione donorum Spiritus ſancti: multi enim tales ſunt in Eccleſia, qui tamen minimè futuri ſunt in æterna ſorte ſanctorum, cum à gratia tandem excidant.*

γ In æterna ſorte ſanctorum] *Vocat ſanctorum ſortem, quia ut ſors non omnibus contingit, ſed quibusdam, & in ea quidam quibusdam præferantur: ita bona illa æterna, quæ præparavit Deus diligentibus ſe, quibusdam, non omnibus ex gratia Dei, & Chriſti merito conferuntur. Epheſ. 1. ſcribit Apoſt.* nos ſorte in Chriſto vocatos, *ut intelligamus, beneficium noſtræ vocationis non fuiſſe omnibus commune, ſed nobis peculiare, ubi ſermo eſt de vocatione, quæ eſt effectus prædeſtinationis, quam ſequitur æterna ipſa ſors ſanctorum, nimirum collatio beatitudinis æternæ.*

δ Modo cum illis theatra, modo Eccleſias.] *Ut ergo fidelium eſt adire Eccleſias, ita qui theatra adeunt ad diaboli ſortem magis pertinent quam Chriſti. Hi vero de quibus loquitur, non abſimiles videntur Samaritanis, qui cum legibus Moſis, & ceremoniis Judæorum retinebant ritus Gentilium, quin etiam vana numina colebant. Tertull. lib. de ſpectac. multis rationibus oſtendit, non licere Chriſtiano theatra adire, cap. 3.* quia ex idololatria univerſa ſpectaculorum paratura conſtet, *& manifeſte oſtendit cap. 24. quod Ethnici maxime intelligant aliquem factum Chriſtianum de repudio ſpectaculorum. Itaque negat manifeſte, qui, per quod agnoſcitur, tollit. cap. 25. theatrum vocat* Eccleſiam diaboli. *quale eſt, de Eccleſia Dei, in Eccleſiam diabo-*

liten-

li tendere? de cœlo, quod ajunt, in cœnum? illas manus, quas ad Dominum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem fatigare? ex ore quo amen in ſanctum protuleris, gladiatori teſtimonium reddere? εἰς αἰῶνας *alii omnino dicere niſi Deo Chriſto? cap. 26. refert de muliere quadam Chriſtiana, quæ theatrum adierat, & inde cum dæmonio redierat, & cum in exorciſmo oneraretur ſpiritus immundus, quod auſus eſſet fidelem aggredi,* conſtanter & juſtiſſime quidem, *inquit*, feci, in meo enim inveni. *Et Cyprian. eum imitatus, & adire ſpectacula dicit eſſe idololatriam profiteri, quod eorum mater ſit idololatria, & quod ſimulacris ſint dicata. quibus etiamſi non eſſent dicata, adeunda tamen non eſſent ſpectacula Chriſtianis fidelibus, quoniam* [illegible] *non haberent crimen, habebant in ſe & maximam & parum congruentem fidelibus vanitatem. Et Chryſoſt. tom. 1. homil. quadam de David & Saule, graviter invehitur in Chriſtianos adeuntes ſpectacula:* non metuis, *inquit*, non expaveſcis, dum oculis, quibus illic lectum qui eſt in orcheſtra ſpectas, ubi deteſtandæ adulteri fabulæ peraguntur, iiſdem hanc ſacram menſam intueris: ubi tremenda peraguntur myſteria? dum iiſdem auribus audis & ſcortum obſœne loquens, & Prophetam, Apoſtolumque ad arcana ſcripturæ introducentem? dum eodem corde & lethalia ſumis venena, & hanc hoſtiam ſanctam & tremendam? *Baſil. Seleuciæ Epiſcopus orat.* εἰς τὰ ὀλύμπια. *Præterea cætera, quæ in hanc rem ſcribit,* αὖ μεταξὺ τῆς ἀθεάτου θέας ἁρπαχθῇς, ὑπὸ θανάτου. κλέπτει γὰρ ὡς ἴστε τῶν ζώντων ὁ θάνατος καὶ τὴν προθεσμίαν οὐκ οἶδεν, ἐν ποίᾳ σε τάξει κατατάξει ὁ χριστὸς, ἐν τῇ τῶν ἑλλήνων, ἀλλὰ τῆς πίστεως περιφέρεις τὸ σύμβολον· ἀλλὰ τοῖς πιστεύουσι συναριθμήσῃ, καὶ πῶς τοῦτο ποιήσῃ τῶν τοῖς ἕλλησι συγχορεύοντα. i.e. Si dum ſpectacula minime ſpectanda ſpectas, abreptus eſſes à morte; mors enim (ut noſtis ipſi) viventes furatur, neque legem ſibi præſtitutam novit, quo te Chriſtus collocaret, an ordine Græcorum? at fidei ſymbolum circumfers; credentium? hoc vero qui faciat cum eo, qui cum Græcis choreas miſcet. *Quo vides, quam indignum ſit Chriſtiano, cujus ſit adire Eccleſiam ad divina percipienda myſteria, ipſis ſpectaculis intereſſe.*

ε Perplexæ ſunt iſtæ duæ civitates.] *In civitate Dei, hoc eſt in Eccleſia aliqui ſunt, qui pertinent ad ſortem diaboli, ſive ſint hæretici occulti ſive mali catholici, qui in peccatis perſeverant, ſive etiam juſti, qui à gratia tandem excidunt: in civitate etiam diaboli nonnulli ſunt, qui pertinent ad ſortem Domini, ut prædeſtinati qui nunc ſunt inter infideles. Judas primo erat in ovili Chriſti, & in Civitate Dei, Paulus extra ovile, & in civitate diaboli.*

ζ Donec ultimo judicio dirimantur.] *Tunc enim permundabit aream ſuam, & triticum congregabit in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili, Matth. 3. Non habebit tum Eccleſia malos permixtos, ut quamdiu hic militat, habitura eſt:* Exhibebit ſibi *tum Chriſtus* glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam. *Epheſ. 5.*

CAP. XXXVI.

De quibus cauſis ſequenti diſputatione ſit differendum.

SEd adhuc α quædam mihi dicenda ſunt adverſum eos, qui Romanæ reipublicæ clades in religionem noſtram referunt: β quia γ Diis ſuis ſacrificare

prohibentur. δ Commemoranda enim ſunt, quæ & quanta occurrere potuerint, vel ſatis eſſe videbuntur mala, quæ illa civitas pertulit, vel ad ejus imperium pertinentes provinciæ, antequam eorum ſacrificia prohibita fuiſſent, quæ omnia proculdubio nobis tribuerent, ε ſi jam vel illis clareret noſtra religio, vel ita eos ζ à ſacris ſacrilegis prohiberet. Deinde monſtrandum eſt, quos eorum mores, & quam ob cauſam η verus Deus ad augendum imperium adjuvare dignatus eſt, *a* θ in cujus poteſtate ſunt regna omnia: quámque nihil eos adjuverint hi, quos Deos putant: quin potius quantum decipiendo & fallendo nocuerint. Poſtremò adverſus eos dicetur, qui manifeſtiſſimis documentis confutari atque convicti conantur aſſerere, non propter vitæ præſentis utilitatem, ſed propter eam, quæ poſt mortem futura eſt, colendos eſſe Deos. Quæ niſi fallor, quæſtio multò erit *b* operoſior, & ſublimiori diſputatione dignior, ut & contra philoſophos in ea diſſeratur: *c* non quoslibet, ſed qui apud illos excellentiſſima gloria clari ſunt, & nobiscum multa ſentiunt: ι ſcilicet de animæ immortalitate, & κ quòd Deus verus mundum condiderit, & λ de providentia ejus, qua univerſum, quod condidit, regit. Sed quoniam & ipſi μ in illis, quæ contra nos ſentiunt, refellendi ſunt, deeſſe huic officio non debemus: ut refutatis impiis contradictionibus pro viribus, quas Deus impartiet, aſſeramus civitatem Dei, verámque pietatem, & Dei cultum, in quo uno veraciter ſempiterna beatitudo promittitur. Hic itaque modus ſit hujus voluminis, ut deinceps diſpoſita ab alio ſumamus exordio.

al. ſubtiliori.

L.Vives. *a* IN cujus poteſtate ſunt regna omnia.] *Sic Matth. 28. Chriſtus loquitur: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.*

b Operoſior.] *Difficilior, majoris operæ.*

c Non quoslibet.] *Non vulgares aut extremæ notæ, id eſt enim quilibet interdum, ut apud Græcos ὁ τυχὼν frequens. Hoc capite Auguſtinus, quid hactenus fecerit, quidque facturus poſthac ſit, breviter exponit.*

F.L.Coq. α SEd adhuc quædam mihi dicenda.] *Antequam quod eſt potiſſimum ſui inſtituti, aggrediatur agere, ſcilicet de exordio, & progreſſu, & finibus utriusque civitatis, ac in primis civitatis Dei, dicit, primùm ſibi diſſerendum adverſus eos Gentiles, qui Romani imperii cladem Chriſtianæ religioni aſcribebant, ubi enim tot calamitatibus videbant ſe urgeri, putabant ſibi deos iratos, ad quos placandos Capitolium, & cætera Deorum templa adire ſolebant, eosque ſacrificiis placare ſe putabant. Cum igitur religione Chriſtiana à ſacrificando prohiberentur, & jam Conſtantinus, & ſucceſſores Chriſtiani Principes juſſiſſent claudi templa idolorum, propterea Chriſtianæ religioni referebant acceptas hujusmodi clades.*

ε Qua diis ſuis ſacrificare prohibentur.] *Referunt Euſeb. lib. 2. de vita Conſtantini, cap. 43. & 44. & lib. 4. cap. 23. & Niceph. lib. 7. cap. 46. Conſtantinum feſtos Græcorum dies, ſimulacrorum victimas, & orgia, incantationes, & ſacra dæmonum prohibuiſſe prorſus, & interdixiſſe: ac deinceps omnes Impp. Chriſtiani ſuſtulerunt omnia hujusmodi idolorum ſacrificia. Ut enim docet Theodoret. lib. 5. hiſt. Eccleſ. c. 20.* Conſtantini filii diligenter ſecuti ſunt paterna veſtigia, & cum ea impius Julia-

nus reſtituiſſet, Jovinianus imperio potitus ſimulacrorum cultum omnino prohibuit. *Valentinianus ille magnus eisdem legibus Europam præclare gubernavit, & cum hæreticus Valens gentilibus feciſſet poteſtatem, eam quam probarent religionem amplectendi, & eos colendi deos, quos ipſi pro diis haberent, eisque ſacrificia offerendi, ea fideliſſimus Imperator Theodoſius radicitus exſtirpavit, & ſempiterna oblivione curavit obruenda. Vide Niceph. lib. 12. cap. 25. Extant ll. Imp. lib. 1. Cod. tit. 14. de paganis & ſacrificiis, contra hujusmodi impia idolorum ſacrificia. Hujusmodi legum meminit D. Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evang. c. 27.* Nunc, *inquit*, quærunt ubi ſe abſcondant, cum ſacrificare volunt, vel ubi deos ipſos ſuos retrudant, ne à Chriſtianis inveniantur, atque frangantur, unde hoc niſi à tenore legum atque Regum, per quos Deus Iſrael ſuam erexit poteſtatem in ſubditos Chriſti nominis.

γ Diis ſuis ſacrificare.] *Non enim id in Gentilibus reprehenditur, quod ſacrificarent, cum id ſit juris naturæ, ſed quod falſis diis, & non vero Deo, cui uni cultus latriæ debetur, ſacrificarent. Quod diſerte docet lib. 20. contra Fauſtum cap. 18. Dicit Apoſt. inquit, 1. Cor. 10.* Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo, *non quod offerebatur, culpans, ſed quia illis offerebatur. Et epiſt. 49. ad Deogratias q. 3.* Qui Chriſtianas literas utriusque teſtamenti ſciunt, non hoc culpant in ſacrilegis ritibus paganorum, quod conſtruant templa, & inſtruant ſacrificia & inſtituant ſacerdotia, ſed quod hæc idolis, & dæmoniis exhibeant. *poſt:* ſatis intelligi poteſt, non tam ipſam immolationem *(nam vero Deo priſci ſancti immolaverunt.)* ſed quod diis falſis & impiis dæmonibus immolatur, reprehendi à vera religione in ſuperſtitionibus gentium.

δ Commemoranda ſunt enim, quæ & quanta.] *Diſerte oſtendit, non eſſe tot clades aſcribendas religioni Chriſtianæ; ſiquidem non nunc primum in tot mala incidit vel urbs ipſa, vel ad ejus imperium pertinentes provinciæ, cum religionem Chriſtianam amplexati ſunt Romani, & Deorum templa averſa, antiqui ritus ſublati, & ſacrificia penitus interdicta: antea enim, cum etiam ad deos confugerent, multas clades acceperunt, ut ex hiſtoriis notum eſt.*

ε Si jam vel illis clareret noſtra religio.] *Scribit enim Euſeb. lib. 1. hiſt. Eccleſ. c. 4.* Etſi nomen Chriſtianorum recens ſit, Chriſtianam tamen religionem antiquiſſimam eſſe, immo ab ipſo mundi exordio cœpiſſe, ut enim patrum antiquorum & noſtra una, & eadem fides eſt in Chriſtum ſalvatorem, ita una & eadem religio. *Auguſt. ipſe lib. de vera relig. cap. 1.* Res ipſa, quæ nunc vera religio Chriſtiana nuncupatur, erat & apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipſe Chriſtus veniret in carne: *Videri poteſt Irenæus lib. 4. c. 42. Epiphanius initio operis contra Hæreſes.*

ζ A ſacris ſacrilegis.] *Qua phraſi ſæpiſſime utitur. lib. 8. confeſſ. cap. 2.* Sacrorumque ſacrilegorum particeps. *ibidem:* non erubeſcitis de ſacris ſacrilegis. *Epiſt. 2. vocat cœtus varios,* illicitorum, non ſacrorum, ſed ſacrilegiorum: *ibidem,* ritus ſacrilegos. *Et epiſt. 49. ad Deogratias,* Neque illinc excuſant impii ſua ſacrilega ſacra. *lib. 20. contra Fauſtum, cap. 23.* In ſacrilegis ſacris ſuis. *lib. 6. de Baptiſmo contra Donatiſtas vocat idolorum* Sacrilega ſacra. *lib. 4. de Trinitate cap. 10.* Per

ſacra

ſacra ſacrilegia irretiens. *Ita vocat Lactant. lib. 1. cap. 21.* ſacrilega ſacra. *Optatus lib. 2. contra Parmeniam:* In Eccleſia multa fuerunt ſchiſmata, nec Paganis licebat exercere ſacra ſacrilega. *& lib. 3.* Quia ad ſacra ſacrilega venire non poterat. *& lib. 6.* Quis vidit ſacra ſacrilega. *Sidon. lib. 3. epiſt. 4.* Sacris ſacrilegis renunciavit. *Proſper Aquitanicus 3. parte prædict. 7.* Sane in ſacris ſacrilegis. *Oroſ. lib. 4. cap. 7.* De quo ſacrorum, imo ſacrilegiorum genere quid diſcutiendum ſit, non invenio. *Ita Curtius lib. 4. morem Carthaginenſium in immolando Saturno, ingenuo puero,* ſacrilegium *verius, quam* ſacrificium *nominat,*

η Verus Deus ad augendum imperium.] *Lib. 1. de Conſenſu Evan. cap. 12. Romanos arguit, quod Deorum religionibus imperium ſuum creviſſe arbitrarentur: In quo, ait, eos plurium fallacia dæmonum decipiebat: nam utique intelligere debemus, occulta Dei voluntate, penes quem rerum ſumma poteſtas eſt, ſibi datum & auctum regnum, non illorum Deorum favore, qui ſi aliquid in hac re poteſtatis habuiſſent, ſuos potius protexiſſent, ne à Romanis ſuperarentur, aut ipſos eis Romanos edomitos ſubjugaſſent. Incrementum & magnitudo Romani imperii præmonſtrata fuerat apud Danielem. Primo in illa ſtatua Nabuchodonoſor. Secundo in illa quarta beſtia terribili. unde ſicut reliqua tria imperia divina providentia conſtituta fuere, ſic & quartum Romanorum: Faſſus eſt primum ipſe Nabuchodonoſor; deinde Cyrus Rex Perſarum, imperium à Deo cœli, quem Hebræi pie colebant, ſibi delatum, Daniel. 4. 1. Eſdræ 1.*

θ In cujus poteſtate ſunt regna omnia.] *Proverb. 8.* Per me Reges regnant. *Daniel 2.* Ipſe transfert regna, & conſtituit: *Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitias. Eccleſ. 10.* In manu Dei eſt poteſtas terrarum, ſedes ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. *Ipſe eſt* Rex Regum, & Dominus Dominantium. *Homer.* ἐκ Διὸς βασιλῆες, *qui* & Regibus Jovem, σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας. i.e. Sceptrum & conſilia dare *ſcribit.*

ι De animæ immortalitate.] *Lib. 13. de Trinit. cap. 9. aſſerit, quosdam philoſophos naturali ratione animorum immortalitatem inveniſſe: quamvis pauci, inquit, idque ægre invenerint. Epiſt. 3. ait, apud Græcos primum Pherecidem Aſſyrium de animæ immortalitate diſputaſſe, & Pythagoram Samium illius diſputationis novitate permotum ex Athleta in philoſophum vertiſſe. Orig. homil. 7. in Leviticum:* Multi ex philoſophis immortalem animam ſentiunt, & remunerationem bonorum quibusdam poſitam confitentur. *Chryſoſt. hom. 4. de Providentia, aſſerit, eos philoſophos, qui de animi immortalitate dubitant, ſit ne dies in meridie, dubitare. Plato eam diſertis verbis aſſeruit in Phædone, in Menone, 1. de legib. 12. de Repub. de quo vide Lactant. lib. 7. c. 8. & Tertull. lib. de anima c. 54. teſtis eſt, Pythagoram, Empedoclem, Platonem cognoviſſe animæ immortalitatem. Ariſtoteles multis eam negaſſe videtur, cum tamen doctrina illius multa extent loca, ex quibus animæ immortalitatem colligere liceat.*

κ Quod Deus verus mundum condiderit.] *Ita Plato in Timæo inter cæteros tradit, quam doctrinam hauſiſſe Platonem ex oraculis Prophetarum, ſcribit Juſtinus Apolog. 2. pro Chriſtianis. Et Clemens Alex. lib. 5. ſtromatum, & Euſeb. lib. 11. de præparat.*

parat. Evangelicæ c. 15. licet Ariſtoteles mundum faciat æternum, rationes tamen, quibus id probavit, minime exiſtimavit eſſe demonſtrativas aut neceſſarias, cum 1. Topic. inter problemata ponat, An mundus ſit æternus.

λ De providentia.] *De divina providentia variæ quidem fuerunt apud Philoſophos ſententiæ, aliis eam negantibus, vel ad ſuperiora tantum extendentibus: qui tamen melius philoſophati, eam etiam faſſi ſunt ad minima quæque ſeſe porrigere. Tertull. in Apologet. cap. 47.* Platonici, *inquit*, Deum curantem rerum aſſeverant, contrà Epicurei otioſum & inexercitum, & ut ita dicam neminem humanis rebus.

μ In illis, quæ contra nos ſentiunt, refellendi ſunt.] *Quemadmodum Deuter. 21. concedebatur Hebræis, ut ſi quam alienigenam jure belli cepiſſent, eam in domum introducere poſſent, & ducere in uxorem, prius tamen unguibus & crinibus reſecatis: ita dogmata quidem philoſophorum, in quibus bene ſenſerunt, amplecti, & in uſum noſtrum transferre poſſumus, omnibus tamen ſuperfluis & inutilibus refutatis & rejectis.* Apud ſacrilegos enim, *ut ſcribit lib. 2. contra literas Petiliani cap. 29.* inveniuntur teſtimonia veritatis, nec propter iſta tamen illos approbamus, nec propter illos iſta damnamus. *Et ut populus Iſrael vaſa aurea atque argentea Ægyptiorum ſibi vendicavit non auctoritate propria, ſed præcepto Dei, ipſis Ægyptiis neſcienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur, cum tamen eorundem idola & onera gravia deteſtaretur ac fugeret, ita aurum ſapientiæ, & argentum eloquentiæ philoſophorum uſurpare, & nobis vendicare debemus, ſpretis ac rejectis falſis dogmatibus & vanis opinionibus, quibus à veritate Chriſtiana diſſident, ut egregie docet lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 40. & Tertull. lib. de anima, cap. 3.* Si qua, *inquit*, de nitoribus Philoſophiæ candidum & purum aerem veritatis infuſcant, ea erunt Chriſtianis enubilanda.

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI *AD MARCELLINUM* DE CIVITATE DEI *LIBER SECUNDUS*

CAP. I.

De modo, qui neceſſitati diſputationis adhibendus eſt.

SI rationi perſpicuæ veritatis infirmus humanæ conſuetudinis ſenſus non auderet obſiſtere, ſed doctrinæ ſalubri languorem ſuum tanquam medicinæ ſubderet, α donec divino adjutorio fidè pietatis β impetrante ſanaretur, non multo ſermone opus eſſet ad convincendum quemlibet vanæ opinationis errorem, his, qui rectè ſentiunt, & ſenſa verbis ſufficientibus explicant. Nunc verò quoniam ille eſt major & tetrior inſipientium morbus animorum, quo irratio-

ſacra ſacrilegia irretiens. *Ita vocat Lactant. lib. 1. cap. 21.* ſacrilega ſacra. *Optatus lib. 2. contra Parmeniam:* In Eccleſia multa fuerunt ſchiſmata, nec Paganis licebat exercere ſacra ſacrilega. *& lib. 3.* Quia ad ſacra ſacrilega venire non poterat. *& lib. 6.* Quis vidit ſacra ſacrilega. *Sidon. lib. 3. epiſt. 4.* Sacris ſacrilegis renunciavit. *Proſper Aquitanicus 3. parte prædict. 7.* Sane in ſacris ſacrilegis. *Oroſ. lib. 4. cap. 7.* De quo ſacrorum, imo ſacrilegiorum genere quid diſcutiendum ſit, non invenio. *Ita Curtius lib. 4. morem Carthaginenſium in immolando Saturno, ingenuo puero,* ſacrilegium *verius, quam* ſacrificium *nominat,*

η Verus Deus ad augendum imperium.] *Lib. 1. de Conſenſu Evan. cap. 12. Romanos arguit, quod Deorum religionibus imperium ſuum creviſſe arbitrarentur: In quo, ait, eos plurium fallacia dæmonum decipiebat: nam utique intelligere debemus, occulta Dei voluntate, penes quem rerum ſumma poteſtas eſt, ſibi datum & auctum regnum, non illorum Deorum favore, qui ſi aliquid in hac re poteſtatis habuiſſent, ſuos potius protexiſſent, ne à Romanis ſuperarentur, aut ipſos eis Romanos edomitos ſubjugaſſent. Incrementum & magnitudo Romani imperii præmonſtrata fuerat apud Danielem. Primo in illa ſtatua Nabuchodonoſor. Secundo in illa quarta beſtia terribili. unde ſicut reliqua tria imperia divina providentia conſtituta fuere, ſic & quartum Romanorum: Faſſus eſt primum ipſe Nabuchodonoſor; deinde Cyrus Rex Perſarum, imperium à Deo cœli, quem Hebræi pie colebant, ſibi delatum, Daniel. 4. 1. Eſdræ 1.*

θ In cujus poteſtate ſunt regna omnia.] *Proverb. 8.* Per me Reges regnant. *Daniel 2.* Ipſe transfert regna, & conſtituit: *Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitias. Eccleſ. 10.* In manu Dei eſt poteſtas terrarum, ſedes ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. *Ipſe eſt* Rex Regum, & Dominus Dominantium. *Homer.* ἐκ Διὸς βασιλῆες, *qui* & Regibus Jovem, σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας. i.e. Sceptrum & conſilia dare *ſcribit.*

ι De animæ immortalitate.] *Lib. 13. de Trinit. cap. 9. aſſerit, quosdam philoſophos naturali ratione animorum immortalitatem inveniſſe: quamvis pauci, inquit, idque ægre invenerint. Epiſt. 3. ait, apud Græcos primum Pherecidem Aſſyrium de animæ immortalitate diſputaſſe, & Pythagoram Samium illius diſputationis novitate permotum ex Athleta in philoſophum vertiſſe. Orig. homil. 7. in Leviticum:* Multi ex philoſophis immortalem animam ſentiunt, & remunerationem bonorum quibusdam poſitam confitentur. *Chryſoſt. hom. 4. de Providentia, aſſerit, eos philoſophos, qui de animi immortalitate dubitant, ſit ne dies in meridie, dubitare. Plato eam diſertis verbis aſſeruit in Phædone, in Menone, 1. de legib. 12. de Repub. de quo vide Lactant. lib. 7. c. 8. & Tertull. lib. de anima c. 54. teſtis eſt, Pythagoram, Empedoclem, Platonem cognoviſſe animæ immortalitatem. Ariſtoteles multis eam negaſſe videtur, cum tamen doctrina illius multa extent loca, ex quibus animæ immortalitatem colligere liceat.*

κ Quod Deus verus mundum condiderit.] *Ita Plato in Timæo inter cæteros tradit, quam doctrinam hauſiſſe Platonem ex oraculis Prophetarum, ſcribit Juſtinus Apolog. 2. pro Chriſtianis. Et Clemens Alex. lib. 5. ſtromatum, & Euſeb. lib. 11. de præparat.*

parat. Evangelicæ c. 15. licet Ariſtoteles mundum faciat æternum, rationes tamen, quibus id probavit, minime exiſtimavit eſſe demonſtrativas aut neceſſarias, cum 1. Topic. inter problemata ponat, An mundus ſit æternus.

λ De providentia.] *De divina providentia variæ quidem fuerunt apud Philoſophos ſententiæ, aliis eam negantibus, vel ad ſuperiora tantum extendentibus: qui tamen melius philoſophati, eam etiam faſſi ſunt ad minima quæque ſeſe porrigere. Tertull. in Apologet. cap. 47.* Platonici, *inquit*, Deum curantem rerum aſſeverant, contrà Epicurei otioſum & inexercitum, & ut ita dicam neminem humanis rebus.

μ In illis, quæ contra nos ſentiunt, refellendi ſunt.] *Quemadmodum Deuter. 21. concedebatur Hebræis, ut ſi quam alienigenam jure belli cepiſſent, eam in domum introducere poſſent, & ducere in uxorem, prius tamen unguibus & crinibus reſecatis: ita dogmata quidem philoſophorum, in quibus bene ſenſerunt, amplecti, & in uſum noſtrum transferre poſſumus, omnibus tamen ſuperfluis & inutilibus refutatis & rejectis.* Apud ſacrilegos enim, *ut ſcribit lib. 2. contra literas Petiliani cap. 29.* inveniuntur teſtimonia veritatis, nec propter iſta tamen illos approbamus, nec propter illos iſta damnamus. *Et ut populus Iſrael vaſa aurea atque argentea Ægyptiorum ſibi vendicavit non auctoritate propria, ſed præcepto Dei, ipſis Ægyptiis neſcienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur, cum tamen eorundem idola & onera gravia deteſtaretur ac fugeret, ita aurum ſapientiæ, & argentum eloquentiæ philoſophorum uſurpare, & nobis vendicare debemus, ſpretis ac rejectis falſis dogmatibus & vanis opinionibus, quibus à veritate Chriſtiana diſſident, ut egregie docet lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 40. & Tertull. lib. de anima, cap. 3.* Si qua, *inquit*, de nitoribus Philoſophiæ candidum & purum aerem veritatis infuſcant, ea erunt Chriſtianis enubilanda.

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI *AD MARCELLINUM* DE CIVITATE DEI

LIBER SECUNDUS

CAP. I.

De modo, qui neceſſitati diſputationis adhibendus eſt.

SI rationi perſpicuæ veritatis infirmus humanæ conſuetudinis ſenſus non auderet obſiſtere, ſed doctrinæ ſalubri languorem ſuum tanquam medicinæ ſubderet, α donec divino adjutorio fide pietatis β impetrante ſanaretur, non multo ſermone opus eſſet ad convincendum quemlibet vanæ opinationis errorem, his, qui rectè ſentiunt, & ſenſa verbis ſufficientibus explicant. Nunc verò quoniam ille eſt major & tetrior inſipientium morbus animorum, quo irratio-

tionabiles motus ſuos etiam poſt rationem plenè redditam, quanta homini ab homine debetur, ſive nimia cœcitate, qua nec aperta cernuntur, ſive obſtinatisſima pervicacia, qua & ea, quæ cernuntur, non feruntur, tanquam ipſam rationem veritatémque defendunt, *a* fit neceſſitas copioſius dicendi plerunque res claras, velut eas non ſpectantibus intuendas, ſed quodammodo tangendas, palpantibus & conniventibus offeramus. Et tamen quis diſceptandi finis erit & loquendi modus, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus ſemper exiſtimemus? Nam qui vel non poſſunt intelligere, quod dicitur, vel tam duri ſunt adverſitate mentis, ut etiamſi intellexerint, non obediant, reſpondent ut ſcriptum eſt, & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani ſunt. Quorum dicta contraria ſi toties velimus refellere, quoties obnixa fronte ſtatuerunt non curare quid dicant, *al. cogitare.* dum quocunque modo noſtris diſputationibus contradicant, quàm ſit infinitum & ærumnoſum & infructuoſum vides. Quamobrem nec teipſum, mi fili Marcelline, nec alios, quibus hic labor noſter in Chriſti charitate utiliter ac liberaliter ſervit, tales meorum ſcriptorum velim judices, qui reſponſionem ſemper deſiderent, cùm his quæ leguntur, audierint aliquid contradici, ne fiant ſimiles earum mulierculārum, quas commemorat Apoſtolus: *2. Tim. 3.* Semper diſcentes, & ad veritatis ſcientiam nunquam pervenientes.

L. Vives. *a* FIt neceſſitas.] *Figura Græca* καὶ τοῦτο τί συμβαίνειν ἀνάγκη *apud Demoſthenem, quod eſt apud illos frequentiſſimum: tametſi apud Latinos ſit hæc loquendi forma. Neceſſitas eſt ut labores, ſicut apud Quintilianum.*

F. L. Coq. *a* DOnec divino adjutorio fide pietatis.] *Non niſi præveniente Dei gratia credere poſſumus, ut docet lib. de Spiritu & litera cap. 34. & lib. de prædeſt. Sanctorum c. 5.* Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem naturæ eſt hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ eſt fidelium. Illa itaque natura, in qua data eſt nobis poſſibilitas habendi fidem, non diſcernit ab homine hominem, ipſa verò fides diſcernit à fideli infidelem. Ac per hoc ubi dicitur: quis te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti? quisquis audet dicere, habeo ex me ipſo fidem, non ergo accepi, profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati, non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino: Ideo ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet, quis te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti? *Et c. 5. fatetur, ſe aliquando erraſſe, putando fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, & ut prædicato Evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, nec nos præparari gratia Dei, quod certe ibi retractat: id vero ſcripſerat, antequam eſſet Epiſcopus in expoſit. inchoata in epiſt. ad Rom. ut ipſemet ſcribit lib. 1. retract. cap. 23. Et fidem Dei donum eſſe, Epheſ. 2. docet Apoſt. ad Philip. 1. nobis donatum eſſe, ut in Chriſtum credamus. Id definitum in Concil. Milevitano c. 4. & Arauſic. c. 5. & in Trident. ſeſſ. 6. can. 3. his verbis:* Si quis dixerit, hominem ſine præveniente gratia Dei, & eius auxilio credere, diligere, & ſperare poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. *Vocat vero hic fidem pietatis, quia quemadmodum in hæreſi non ſolum eſt error in intellectu, ſed etiam pertinacia in voluntate,*

te, ſic fides licet ſit in intellectu, requirit tamen etiam piam quamdam affectionem voluntatis.

β Impetrante ſanaretur.] *Quia licet fides ipſa, ut ſola non juſtificat impium, ita nec ſit perfecta ſanitas animæ, eſt tamen diſpoſitio ad juſtificationem & ſanitatem animæ, & eam impetrat, ut docet epiſt. 106.* Hæc eſt fides qua impetratur largitas ſpiritus, *juxta illud:* Nos ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus. *lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 7.* Fides prima datur ex qua cætera impetrantur. *lib. de Spir. & litera c. 30.* Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ, per gratiam ſanitas animæ. [*Dicitur vero fides ab Auguſt. impetrare ſanitatem, & aliàs impetrare gratiam & juſtificationem, non quia vel proxime & immediate, vel per ſe & virtute ſua fides hoc impetret, ſed quia mediantibus aliis operationibus quarum omnium fides radix eſt & fundamentum, charitas & juſtificatio impetrantur.*] *Quod epiſt. 106. ſcripſit, ante omne meritum præcedere fidem, quæ ſane gratis data meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ob hoc enim ipſum meretur ampliora, quia pie agnoſcit fides, à quo ſibi bona ſunt omnia: non ergo meretur merito & dignitate actus ſui, ſed quia egregie hominem diſponit, ut juſtificationis donum accipiat, docens animam humanam, ut à Deo illud petat, & petendo accipiat; & certe fidem eſſe initium juſtificationis & ſanitatis animæ, docet Apoſt. Rom. 10.* Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit; ſed quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent ſine prædicante? quomodo prædicabunt, niſi mittantur? *Hunc ordinem juſtificationis deſcribit, ut primo ſit miſſio prædicatorum. Secundo ipſa prædicatio Evangelii 3. fides. 4. invocatio. 5. ſalus, id eſt, juſtificatio, quæ eſt ſanitas animæ à languore & morbo peccati: Et cum miſſio & prædicatio extra nos ſint, prima inchoatio ſanitatis animæ in nobis eſt fides, quam ſequitur invocatio. Clemens Alex. lib. 2. Strom. vocat* fidem primam ad ſalutem inclinationem, poſt quam timor, & ſpes & pœnitentia.

γ Quis diſceptandi finis erit.] *Certe hujusmodi ſpernendi ſunt, qui convicti arreptique mentis pravæ perturbatione acquieſcere nolunt veritati, contentionibus delectantur & paſcuntur, & ſolo ſtudio contradicendi laborant, quibus ut ſcribit Greg. Nazian. orat. 1. de Theologia contra Eunomianos:* Non aures duntaxat, ſed & lingua, atque adeo manus ipſæ pruriunt prophanis vocum inanitatibus & contentionibus falſo nominatæ ſcientiæ, pugnisque diſputationum nullam utilitatem afferentibus.

δ Dum quocunque modo noſtris diſputationibus contradicant.] *Illis non abſimiles ſunt, quos deſcribit Apoſt. 1. Timoth. 6.* Qui non acquieſcunt ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, ſuperbi, nihil ſcientes, ſed languentes circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, ſufficit illis, quod perpetuo contendant, nec veritati quantumvis manifeſtæ volunt cedere, nimia ſuperbia prudentiæ ſuæ innituntur, cum tamen ubi humilitas, ibi ſapientia. *Proverb. 3. Et hic non modo Gentiles philoſophos, verum & Hæreticos videtur depingere, qui cum intelli-*

gentiam habeant errorum tenebris involutam, non poſſunt inviolatæ ac puræ veritatis veram notitiam, ac ſcripturarum habere intelligentiam, adeo adhærent ſuis pravis opinionibus, ut quæcumque ratio quantumvis perſpicua adſeratur in contrarium, aut præ nimia cæcitate non cernant, quæ eſt ignorantia craſſa & ſupina, aut præ obſtinatiſſima pervicacitate, quæ eſt ignorantia affectata mater omnium errorum, quæ cernunt, non ferant.

ε Semper diſcentes.] *2. Timoth. 3. quæ verba nonnulli ad eos referunt, de quibus antea Apoſt.* Qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas. *D. Auguſt. refert ad eas mulierculas, quas ibidem dicit Apoſt.* Oneratas peccatis, quæ ducuntur vanis deſideriis: *quomodo intelligit etiam D. Hierony. in Eccleſ. cap. 7. & ita referenda eſſe, Græcus ipſe textus docet. Ea enim verba* πάντοτε μανθάνοντα, καὶ μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν δυνάμενα, *referuntur ad præcedentia* τὰ γυναικάρια σεσωρευμένα ἁμαρτίαις, ἀγόμενα ἐπιθυμίαις ποικίλαις. *non ad ea quæ paulo antecedunt,* οἱ ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας καὶ αἰχμαλωτεύοντες, *qui defectus non quidem ſexui, aut naturæ earum tribuendus eſt, quo fit ut veritatem nunquam apprehendant, ſed ſubinde ſemper ex curioſitate quadam nova inquirant, nec unquam in id, quod ſcire earum maxime refert, mentis aciem aut oculos convertant.*

CAP. II.

De his, quæ primo volumine expedita ſunt.

SUperiore itaque libro, cùm de civitate Dei dicere inſtituiſſem, unde hoc univerſum opus illo adjuvante in manus ſumptum eſt, occurrit mihi reſpondendum eſſe primitus eis, qui hæc bella, quibus mundus iſte conteritur, maximéque Romanæ urbis recentem à barbaris vaſtationem α Chriſtianæ religioni tribuunt, qua prohibentur β nefandis ſacrificiis ſervire dæmonibus: γ cùm potius hoc deberent tribuere Chriſto, quod propter ejus nomen contra inſtitutum morémque bellorum eis quò confugerent, religioſa & ampliſſima loca barbari libera præbuerunt, atque in multis famulatum debitum Chriſto: non ſolùm verum, ſed etiam timore confictum ſic honoraverunt, δ ut quod in eos belli jure fieri licuiſſet, illicitum ſibi eſſe judicarent. ε Inde incidit quæſtio, cur hæc divina beneficia etiam ad impios ingratóſque pervenerint? & cur illa itidem dura, quæ hoſtiliter facta ſunt, pios cum impiis pariter afflixerint? Quam quæſtionem per multa diffuſam, in hujus ævi quotidianis vel Dei muneribus, vel hominum cladibus: quæ quoniam utraque benè vel malè viventibus permixtè atque indiſcretè ſæpè accidunt, ſolent multos movere: ut pro ſuſcepti operis neceſſitate diſſolverem: aliquantum immoratus ſum, maximè ad conſolandas ſanctas fœminas & piè caſtas, in quibus ab hoſte aliquid perpetratum eſt, quod intulit verecundiæ dolorem, & ſi non abſtulit pudicitiæ firmitatem, ne pœniteat eas vitæ, apud quas non eſt, unde poſſit pœnitere nequitiæ. Deinde pauca dixi in eos, qui Chriſtianos adverſis illis rebus affectos, & præcipuè pudorem humiliatarum fœminarum, quamvis caſtarum atque ſanctarum, protervitate impudentiſſima exagitant, cùm ſint nequiſſimi & irreverendiſſimi, ζ & longè ab eis ipſis Romanis dege-

degeneres: *a* quorum præclara multa laudantur, & literarum memoria celebrantur, imò illorum gloriæ vehementer adverſi. *b* 9 Romam quippe curà partam veterum auctámque laboribus, fœdiorem ſtantem fecerant quàm ruentem: quandoquidem in ruina ejus lapides & ligna, in iſtorum autem vita omnia, non murorum, ſed morum munimenta atque ornamenta ceciderunt, cùm funeſtioribus eorum corda cupiditatibus, quàm ignibus tecta illius urbis arderent. Quibus dictis, primum terminavi librum: deinceps itaque dicere inſtitui, quanta mala civitas illa perpeſſa ſit ab origine ſua: ſive apud ſeipſam, ſive in provinciis jam ſibi ſubjectis, quæ omnia Chriſtianæ religioni tribuerent, ſi jam tunc Evangelica doctrina adverſus falſos & fallaces eorum Deos *a* teſtificatione liberrima perſonaret.

a QUam quæſtionem.] *Illa erat præcipua quæſtio eorum philoſophorum, qui Dei providentia mundum negabant regi, ut Plutarchus ſcribit libro de placitis philoſophorum primo.* L.Vives.

b Romam quippe.] *In vetuſto exemplari, quod mihi vir & literarum & literatorum amantiſſimus M. Laurinus ſancti Donatiani Brugenſis decanus accommodavit, ſic ſcribebatur: Romam quippe partam veterum auctámque laboribus, alibi paratam.* Marc. Laurinus.

a VAſtationem Chriſtianæ religioni tribuunt.] *Immo vero quod ſpreto Deo nefandis ſacrificiis ſervirent dæmonibus, tot cladibus afficiebantur. Tertull. lib. ad Scapulam, cap. 3. & D. Cypr. ad Demetrianum:* Quod crebrius bella continuant; quod ſterilitas & fames ſollicitudinem cumulant, quod ſævientibus morbis valetudo frangitur, quod humanum genus luis populatione vaſtatur, & hoc ſcias eſſe prædictum in noviſſimis temporibus multiplicari mala, & adverſa variari, & appropinquante jam die judicii magis ac magis in plagas generis humani cenſuram Dei indignantis accendi: non enim, ſicut tua falſa querimonia & imperitia veritatis ignara jactat & clamitat, iſta accidunt, quod Dii veſtri à nobis non colantur, ſed quod à vobis non colatur Deus: nam cum ipſe ſit mundi Dominus & rector, & cuncta arbitrio ejus & nutu gerantur, nec quicquam fieri poſſit, niſi quod aut fecerit, aut fieri ipſe permiſerit, utique quando ea fiunt, quæ iram Dei indignantis oſtendunt, non propter nos fiunt, à quibus Deus colitur, ſed delictis & meritis veſtris irrogantur, à quibus Deus omnipotens nec quæritur, nec timetur: nec relictis vanis ſuperſtitionibus religio vera cognoſcitur, ut qui Deus unus eſt omnibus, unus colatur ab omnibus & rogetur. *Impius ille Maximinus apud Euſeb. lib. 9. hiſt. Eccl. c. 6. Et apud Niceph. lib. 7. c. 25. edicto contra Chriſtianos,* profitetur, Deorum veneratione ac religioſo cultu factum eſſe, ut ſuis temporibus neque fames, neque peſtilentia, aut bellum vexet provincias imperii, & jucundiſſima pace fruantur, quæ mala omnia, hiſque multo graviora ſæpenumero antea dicit obtigiſſe ob perniciosum illum, *(ita impius ille)* & vanum errorem hominum nequam & improborum, Chriſtianorum ſcilicet, unde Chriſtianos decernit exterminandos: *Sed ſacrilegas leges in pios latas, & blaſphemias impuriſſimi hominis, & perſecutiones ſuorum non impune diutius tulit Deus: ubi enim impi-* F.L.Coq.

am illam legem de tollendis è medio Chriſtianis ſancivit, tempeſtate, fame, peſte, inuſitato morbo, ac multis aliis cladibus affectum eſt ſub Maximino imperium, nec jam illæ clades à vanis diis immittebantur, quod religio Chriſtiana coleretur, immo à Chriſto vero Deo, quod ſpreto illius cultu inanes deos venerarentur, & tam iniquas leges in ſuos promulgaret.

β Nefandis ſacrificiis.] *Philo lib. 3. de vita Moſis,* θυσίας ἀθύτους *vocat ſacrificia nefanda, eodem libro,* ἄθυτοι θυσίαι καὶ ἀνίεροι ἱερουργίαι καὶ εὐχαὶ παλίμφημοι. *D. Chryſ. contra gentes vocat* fœda myſteria. *Greg. Nazianz. orat. 1. in Julianum, vocat* Juliani impuras & ſceleratas orationes & deliramenta, & ſceleſtiora ſacrificia, *quæ ſcilicet dæmonibus impius ille apoſtata exhibebat. Clem. Ale.* ἀμυήτους μυήσεις καὶ ἀνοργιάστους τελετάς *vocat* prophana myſteria & execrandas ceremonias.

γ Cum potius hoc deberent tribuere Chriſto.] *D. Chryſoſt. lib. contra Gentes, in hoc bonitatem Chriſti commendat, quod à dira & immani tyrannide dæmonum non modo nos, qui ipſum adoramus, ſed eos etiam, à quibus blaſphemiis & conviciis laceratur, expedierit: ita nomen ſuum non modo Chriſtianis, ſed etiam Gentilibus nominis ſui inimicis, in vaſtatione urbis voluit eſſe ſalutare. Ingratiſſimi plane qui retribuunt mala pro bonis, & in benefactorem Chriſtum tot evomunt blaſphemias.*

δ Quod in eos belli jure licuiſſet.] *Eos ſcilicet interficere, id enim in bello juſto jure ipſo belli licet; nec ſine divino nutu Alaricus urbem invaſit, ut hac ratione juſtum illi fuiſſe bellum tum videatur.*

ε Inde incidit quæſtio.] *In clade illa urbis, adeoque in univerſum omnibus cladibus, vel etiam beneficiis, quibus Deus genus humanum afficit, indiſcriminatim & mali participes fuere beneficiorum Dei, quæ ob bonos confert toti hominum generi, & boni & pii non expertes ſunt etiam cladium & calamitatum, quas ob improborum demerita jure Deus immittit. Id eſt, quod torſit aliquando ſanctos, cur proſperitatibus hic ſæpenumero impii affluant, & tot interim mala pii ſuſtineant. Hierem. 12. Abacuc. 1. Job. 20. Pſal. 72. & in illa vaſtatione urbis utrumque contigit, ut & Gentiles Chriſti jurati hoſtes ad baſilicas Apoſtolorum ſimul cum Chriſtianis confugerent, ſicque innoxii omnino & tuti ſervarentur: ſed & Chriſtiani in illa calamitate etiam paſſi ſunt jacturam bonorum, aliqui fame perierunt, nonnullæ matronæ nobiles etiam Chriſtianæ vim in corpore paſſæ ſunt. Hanc quæſtionem movet hoc cap. quam poſtea per multa capita, ut longe lateque patet, adeoque fere in dies occurrit, diſſolvit. Ut commixti nunc ſunt boni cum malis, & mali cum bonis, in præſenti ita res habet: verum cum eos Dominus ab invicem non ſecus ac Hebræos ab Ægyptiis ſegregabit, tum tenebræ denſiſſimæ, quas Chriſtus vocat tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium, malos involvent, ſplendidiſſima vero lux divinæ gloriæ ſanctis affulgebit. Obſervandum deinde, quod, quamvis eadem mala & calamitates immittantur, & impiis, & ſervis Dei, quamdiu hic agunt permixti cum impiis, varium tamen in utriuſque habent exitum; valent illis ad profectum, ne ſuperbiant, ſed humiliores fiant,*
„ *[ad meritum præterea, & expiationem peccatorum,]* electis enim omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti: *at malis magis in interitum.*

ζ Lon-

ζ Longe ab eis ipſis Romanis degeneres.] *Quod Cic. aperte profitetur 2. offic. & Salluſt. in conjuratione Catilinæ. Idem Cic. 1. paradoxo ſcribit, veteres illos Romanos nihil ſibi propoſuiſſe præter honeſtum, nec cogitaſſe quicquam in vita ſibi expetendum, niſi quod laudibile eſſe, & præclarum videretur.*

η Quorum præclara multa laudantur.] *In antiquis illis Romanis hæc laudari poſſunt, ſummus amor patriæ ac Reipub. pro qua tuenda & conſervanda non modo externa bona nihil pendebant, eorumque jacturam libenter faciebant, ut mallent eſſe pauperes in divite Repub. quam divites in paupere Repub. ſed etiam ſanguinem ipſum ac vitam profundere non dubitarent. Deinde ſummum ſtudium & obſervantia civilis juſtitiæ, atque humanæ fidei tam domi, quam foris, tam erga ſuos cives, quam erga exteros, immo hoſtes ipſos : magnitudo præterea & conſtantia animi etiam cum vincebantur invicti, & in maximis cladibus erecti & excelſi. Denique eximia & excellens prudentia in regendis populis, incomparabilis diſciplinæ militaris excellentia, de qua multa apud Joſeph. lib. 3. de bello Judaico cap. 5. habes etiam lib. 1. Machab. cap. 8. virtutes Romanorum egregie commendatas : Hinc colligere licet, non omnes infidelium actiones eſſe vituperio dignas. Ita lib. de ſpir. & lit. cap. 29. docet, bonas & laudabiles eſſe infidelium virtutes, ſic in epiſt. 130. converſionem & continentiam Polemonis* Dei donum *nominat. Epiſt. 99. ad Evodium fatetur, quorundam infidelium vitas fuiſſe ſecundum quendam modum laudabiles, & ea quæ fecerunt laudabiliter quamvis non ad fidem veræ pietatis referebantur. epiſt. 5. ad Marcelli. Romanos ſuam Rempub. auxiſſe virtutibus, etſi non habentes veram pietatem, cuſtodientes tamen quandam ſui generis probitatem. Deum quoque oſtendiſſe in illo imperio, quantum valerent civiles etiam ſine vera religione virtutes. Eo Romanos celebrat Salluſt.* Quod magis dandis, quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. *quæ Athenienſium laus eſt apud Thucydid.* οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ, ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους. *Dionyſ. lib. 2. ſcribit,* nihil mirandum eſſe, ſi Romanis ſemper fœlices contingerent bellorum exitus , quippe qui nunquam arma niſi juſtis de cauſis ſumpſerint, quod illis præcipue deorum favorem conciliavit in rebus dubiis. *Et Livius lib. 1.* nulla unquam Reſpub. nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit. *Non deſunt qui pronunciarint, Imperii & virtutum larem fuiſſe Romam, ut ſcribit Rhodig. lib. 18. lect. ant. cap. 25. certe ipſe Ammianus ita eam appellat lib. 4, Sidonius Romam appellat* legum domicilium , gymnaſium literarum, curiam dignitatum, verticem mundi, & patriam libertatis, *lib. 1. Epiſt. 6.*

θ Romam quippe cura partam veterum auctamque laboribus.] *Non aliis actibus tantum imperium auctum eſt , quam virtute ac fortitudine præſtantiſſimorum ac fortiſſimorum, quos per omnem ætatem ab initio ſui protulit , ducum. Dionyſ. initio lib. 1. quibus ſtudiis partum ſit tantum , tamque late patens imperium ſcribens:* deſinant, *inquit,* incuſare fortunam, quaſi indigne civitati huic tantum conceſſerit imperium, edocti ex noſtra hiſtoria: quam innumeras virorum virtutes protulit, mox ex quo eſt condita, quibus nec pietate , nec juſtitia, nec perpetua per omnem vitam temperantia, ac ne bellica quidem fortitudine præſtantiores ulla unquam civitas tulit, non Græca, non Barbara. *Livius lib. 1.* Ad illa quiſque acri-

ter

ter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibusque artibus domi militiæque, & partum & auctum imperium ſit, Romanos vero perſtringit nunc Auguſt. quod longe degeneres ſint à virtutibus majorum, quibus ſtabat Romana vis, & imperium.

i Teſtificatione liberrima.] *Chriſtus:* quæ dico vobis in tenebris, prædicate ſuper tecta. *id videre licet 2. 3. & 4. Actuum, & deinceps quanta libertate, quamque intrepide, nihil populorum, principum ac Regum minas reformidantes, prædicarint Apoſtoli Evangelium.*

Cap. III.

De aſſumenda hiſtoria, qua oſtenditur, quæ mala acciderint Romanis, cùm Deos colerent, antequam religio Chriſtiana creſceret.

MEmento autem, me iſta commemorantem adhuc contra imperitos agere, ex quorum imperitia illud quoque ortum eſt vulgare proverbium: *a α* Pluvia defecit, cauſa Chriſtiani nominis. Sunt namque, qui eorum ſtudiis liberalibus inſtituti amant hiſtoriam, qua facillimè iſta noverunt. Sed ut nobis ineruditorum turbas infeſtiſſimas reddant, ſe noſſe diſſimulant, atque hoc apud vulgus affirmare nituntur, clades, quibus per certa intervalla locorum & temporum genus *β* humanum *b* oportet affligi, cauſa accidere nominis Chriſtiani, quod contra Deos ſuos ingenti fama & præclariſſima celebritate *γ* per cuncta diffunditur. Recolant ergo nobiſcum, *δ* antequam Chriſtus veniſſet in carne: antequam ejus nomen ea, cui fruſtra invident, gloria populis innoteſceret: quibus calamitatibus res Romanæ multipliciter varieque contritæ ſunt, & in his defendant, ſi poſſunt, Deos ſuos, ſi propterea coluntur, ne iſta mala patiantur cultores eorum, quorum ſi quid nunc paſſi fuerint, nobis imputanda eſſe contendunt. Cur enim ea, quæ dicturus ſum, permiſerunt accidere cultoribus ſuis, antequam eos declaratum Chriſti nomen offenderet, eorumque ſacrificia prohiberet?

L. Vives. Chriſtianum nomen quàm olim Rom. exoſum.

a PLuvia defecit.] *Significat, ita dictum illud fuiſſe ab impiis hominibus jactatum, ut quicquid mali accideret, imputandum eſſe Chriſtianis judicarent. Tertullianus: Prætexentes ſanè ad odii defenſionem illam quoque vanitatem, quòd exiſtiment, omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam. Si Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi cælum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianus ad leonem acclamatur. Cyprianus contra Demetrianum: Sed enim cùm dicas, plurimos conqueri, quòd bella crebrius ſurgant, quòd lues, quòd fames ſæviant, quòd imbres, quòd pluvias ſerena longa ſuſpendant, nobis imputari, ultra tacere non oportet.*

b Oportet affligi.] *Ita ferente ſorte rerum humanarum mirè viciſſitudinaria, & fato illo, quæ ipſa eſt omnipotentis Dei voluntas.*

F.L. Coq. *α* PLuvia defuit, cauſa Chriſtiani.] *Hujuſmodi calumnias imperitorum Ethnicorum vocat Arnobius lib. 1.* popularia verba, *quod ſermones iſtiuſmodi fierent ab imperitia populari. Tertull. in Apologet. cap. 40.* prætexentes ad odii defenſionem

illam

illam quoque vanitatem, quod exiſtiment, omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam: ſi Tyberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi cælum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem. *Cypr. ad Demetr.* Cum dicas, plurimos conqueri, quod bella crebrius ſurgant, quod lues, quod fames ſæviant, quodque imbres & pluvias ſerena longa ſuſpendant, nobis imputari, tacere ultra non oportet. Quemadmodum Hebræi illi in deſerto mortem ſchiſmatici illius Chore & ſociorum in Moſem referebant, ingrati in Deum & Moſem: ita hi hujusmodi mala, quæ Deus ob eorum flagitia & ſcelera immittebat, ingrati in Chriſtum & ſervos ejus Chriſtianis aſcribebant. *& ut impius ille Achab, Eliæ Prophetæ Domini aliquando objecit, quod conturbaret Iſrael, id eſt tantorum malorum, & famis, & ſterilitatis populo auctor eſſe, cui contra reſpondit: Non ego turbavi Iſrael, ſed tu & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim. Ita Gentibus calumniantibus Chriſtianam religionem, & tot malorum cauſam aſſerentibus reſpondere jure poterant Chriſtiani, non pietatem in Deum, ſed eorum impietatem & idololatriam tot calamitates ſibi accerſere, & quemadmodum indignis illis Elias precibus à Deo pluviam impetravit, ſic nonnunquam in ſimilem neceſſitatem adacti favorem divinum precibus Chriſtianorum experti ſunt illi Gentiles, ut refert Juſtinus Martyr Apolog. 2. pro Chriſtianis, quod cum in maximo periculo eſſet exercitus Romanorum, Chriſtiani, qui tum in exercitu militabant, precibus ad Deum fuſis pluviam impetrarunt. refert idem & Tertull. in Apolog. cap. 5. & lib. ad Scapulam, cap. 4. Niceph. lib. 4. cap. 12. Oroſ. lib. 7. cap. 15. Extat & epiſtola Marci Imperatoris ad ſenatum apud eundem Juſtinum, qua id teſtatur:* projicientes ſe in terram Chriſtiani non pro me tantum, ſed pro univerſo exercitu, qui tum aderant precati ſunt, ita ut ſolatio nobis eſſent in præſenti fame & ſiti, in quintam enim jam diem, aquam quod ea defeciſſet, non ceperamus: nam in meditullio Germaniæ, & in finibus hoſtium eramus: ſimulatque vero illi in terram ſunt provoluti, & Deum precatione invocaverunt, quem ego ignorabam, confeſtim aqua de cœlo eſt conſecuta, ad nos illa quidem frigidiſſima, in Romanorum vero imminentes hoſtes grando ignea. *Et ea quidem ſunt adducta, ut quam aperta eſſet calumnia Gentilium, amplius confirmaretur.*

β Genus humanum oportet affligi.] *Alioqui enim nimia licentia inſoleſceret, & in vitia omnis generis facile præceps rueret. Cypr. ad Demetr.* Ecce irrogantur divinitus plagæ, & nullus Dei metus eſt: Ecce verbera deſuper & flagella non deſunt, & trepidatio nulla, nulla formido eſt. *Quid ſi non intercederet rebus humanis vel iſta cenſura, quanta adhuc in hominibus eſſet audacia facinorum impunitate ſecura.*

γ Per cuncta diffunditur.] *Auguſtini tempore jam nomen Chriſti toti fere orbi innotuerat, & fama nominis Chriſtiani ad omnes pervenerat, & in omnibus fere gentibus Deus habebat cultores ſuos, ut jam adimpleta videretur prophetia Pſalmi 18.* In omnem terram exivit ſonus eorum, *quod de prædicatione Apoſtolica interpretatur Apoſt. Rom. 10. de quo videri poteſt, epiſt. 80. ad Heſychium, Et lib. 1. de conſenſu Evangel. cap. 30. & lib. contra Judæos cap. 7. Irenæus lib. 1. cap. 3. ſcribebat*

jam ſuo tempore fundatas fuiſſe Eccleſias in Germaniis, in Hiberis, in Celtis, in Oriente, in Ægypto, in Scytia, Et Tertull. in Apologet. cap. 1. Obſeſſam vociferantur civitatem in agris, in caſtellis, in inſulis Chriſtianos, omnem ſexum, ætatem, conditionem, etiam dignitatem transgredi ad hoc nomen quaſi detrimento mœrent. *Et cap. 37.* Exteri ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum, &c. Sola vobis reliquimus templa. *Origen. lib. 2. contra Celſum ſcribebat, prædicatum jam ſuo tempore Evangelium in omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, terris Græcorum, Barbarorumque, nec ullum eſſe genus hominum, à quo Chriſtiana doctrina recepta non eſſet. Et Plinius Epiſt. ad Trajanum de Chriſtianis:* Neque civitates tantum, ſed vicos etiam, atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio pervagata eſt. *Immo longe ante Auguſtinum, quam ingens eſſet Chriſtianorum multitudo, videri poteſt apud Tertull. lib. ad Scapulam cap. 2.* ut mirabile dictu ſit, quam brevi ſeſe diffuderit per orbem Chriſtiana religio, ut non niſi miraculo tantum opus adſcribi poſſit. *Arnob. lib. 1. contra Gentes:* Nonne vel hæc ſaltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod jam per omnes terras, in tam brevi tempore & ſpatio immenſi nominis hujus ſacramenta diffuſa ſunt? Quod nulla jam natio eſt tam barbari moris & manſuetudinem neſciens, quæ non ejus ad mores verſa mollierit aſperitatem ſuam, & in placidos ſenſus aſſumpta tranquillitate migraverit.

δ Antequam Chriſtus veniſſet in carnem.] *Tertull. in Apologet. cap. 40.* Oro vos ante Tiberium, *id eſt*, ante Chriſti adventum, quantæ clades orbem & urbem ceciderunt? legimus Hierapolin, & Delon, & Rhodon, & Coon inſulas multis cum millibus hominum peſſum abiiſſe: memorat & Plato majorem Aſiæ & Africæ terram Atlantico mari ereptam; ſed & mare Corinthium terræmotus ebibit, & vis undarum Lucaniam Italiæ abſciſſam in Siciliæ nomen relegavit. hæc utique non ſine injuria incolentium accidere potuerunt; ubi vero tunc non dicam deorum veſtrorum contemptores Chriſtiani, ſed ipſi dii veſtri, cum totum orbem cataclyſmus abolevit? Poſt: nemo adhuc Romæ verum Deum adorabat, cum Annibal apud Cannas per Romanos annulos cædes ſuas modio metiebatur: omnes dii veſtri ab omnibus colebantur, cum & ipſum Capitolium Senones occupaverunt. *Immo antequam Chriſtus veniret in terras, majoribus calamitatibus attritus & vexatus fuit mundus, quam poſt ejus adventum, ut ibidem egregie docet:* ſi priſtinas clades comparemus, *inquit*, leviora nunc accidunt ex quo Chriſtianos à Deo orbis accepit. Ex eo enim & innocentia ſæculi iniquitates temperavit, & deprecatores Dei eſſe cœperunt. *His ſimilia Arnobius lib. primo contra Gentes, & Juſtin. quæſtione 126. ad Orthodoxos.*

CAP. IV.

Quòd cultores Deorum nulla unquam à Diis ſuis præcepta probitatis acceperint, & in ſacris eorum turpia quæque celebraverint.

α PRimò ipſos mores ne peſſimos haberent, quare Dii eorum curare noluerunt? Deus enim verus eos, à quibus non colebatur, β meritò neglexit: Dii

Dii autem illi, à quorum cultu ſe prohiberi homines ingratiſſimi conqueruntur, cultores ſuos ad bene vivendum, γ quare nullis legibus adjuverunt? Utique dignum erat, δ ut quomodo iſti illorum ſacra, ita illi iſtorum curarent facta. Sed reſpondetur, quòd ε voluntate propria quiſque malus eſt. Quis hoc negaverit? Veruntamen pertinebat ad conſultores Deos, vitæ bonæ præcepta non occultare populis cultoribus ſuis, ſed clara prædicatione præbere: per vates etiam convenire atque arguere peccantes, palàm minari pœnas malè agentibus, præmia rectè viventibus polliceri. Quid unquam tale in Deorum illorum templis prompta & eminenti voce concrepuit? ζ Veniebamus nos etiam aliquando adoleſcentes ad ſpectacula *a* η ludibriaque ſacrilegiorum: ſpectabamus *b* θ arreptitios, audiebamus *c* ſymphoniacos, ludis turpiſſimis, ι qui Diis Deabuſque exhibebantur, *d* oblectabamur. κ Cœleſti virgini, λ & Berecynthiæ matri Deorum omnium ante ejus lecticam *e* μ die ſolenni lavationis ejus, talia per publicum cantitabantur *f* à nequisſimis ſcenicis, qualia non dico matrem Deorum, ſed matrem qualiumcunque ſenatorum, vel quorumlibet honeſtorum virorum, imò verò qualia nec matrem ipſorum ſcenicorum deceret audire. Habet enim quiddam erga parentes humana ν verecundia, quod nec ipſa nequitia poſſit auferre. Illam enim ξ turpitudinem obſcœnorum dictorum atque factorum, ſcenicos ipſos domi ſuæ *g* pro ludendi cauſa coram matribus ſuis agere puderet, quàm per publicum agebant coram Deorum omnium matre, ſpectante & audiente utriusque ſexus frequentiſſima multitudine. Quæ ſi illecta curioſitate adeſſe potuit circumfuſa, ſaltem offenſa caſtitate debuit abire confuſa. Quæ ſunt ſacrilegia, ſi illa erant ſacra? aut quæ inquinatio, ſi illa lavatio? *h* Et hæc fercula appellabantur, quaſi celebraretur convivium, quo velut ſuis epulis immunda dæmonia paſcerentur. Quis enim non ſentiat, cujusmodi ſpiritus talibus obſcœnitatibus delectentur: niſi vel ο neſciens, utrum omninò ſint ulli immundi ſpiritus π, Deorum nomine decipientes: vel talem agens vitam, in qua iſtos potius, quàm Deum verum & optet propitios, & formidet iratos?

Vitæ præcepta à Diis nõ præſtita ſuis cultoribus.

Berecynthia Deûm mater.

Fercula ſpiritibus immundis exhibita.

L. Vives.

a [Ludibria ſacrilegiorum.] *Invertit illud, ſacra ludorum, vel ludos ſacros.*

Mater Deûm.

b [Spectabamus arreptitios.] *Locus hic poſtulat, ut de matre Deum nonnulla dicam. Diodorus Siculus libro ſuæ Bibliothecæs quarto, de matre Deûm non uno modo narrat fabulam. Primùm enim ſcribit, Cœlum ex Titæa conjuge liberos ſuſcepiſſe quinque & quadraginta, muliebris ſexus duos, Reginam & Opem: quarum Reginam ætate & prudentia præſtantiorem, in gratiam matris fratres omnes educaſſe, ideò dictam matrem Deum, nupſiſſeque Hyperioni fratri, ex quo Solem & Lunam genuerit: qui cùm ſcelere avunculorum interiſſent, ipſam in furorem verſam, cum tympanis cymbaliſque terram ſuæ ditionis peragraſſe, morémque ejusmodi manſiſſe poſt ejus fatum. Addit Diodorus aliam fabulam: Menoem vetuſtiſſimum Phrygiæ regem ex uxore Dindymene filiam procreaſſe, quam exponi juſſerit in monte Cybelio, infantem à feris enutritam evaſiſſe in admirabilem pulchritudinem: inventámque à muliere paſtoria educatam pro ſua, dictámque à monte, in quo eſſet expoſita, Cybelem, mul-*

Cybele quæ ex-

tes inve- nerit. *multas artes ingenii acumine & inveniſſe & edocuiſſe mortales: ſicut cantum tibiæ, luſus, choreas, cymbalorum tympanorúmque ſonitus, artem præterea veterinariam, & infantum morbis lenimenta: quibus quòd multi curarentur pueri, idcirco eam magnam matrem nominatam eſſe. Quæ cùm adoleviſſet, juvenem amarit terræ illius, nomine Atym, ex eóque gravidam eſſe, à Menoe patre, qui famam de virtute factiſque ejus acceperat, revocatam pro virgine, cujus flagitio cognito, Atym & nutrices juſſu regis affectos eſſe ſupplicio: Cybelem amore incenſam ex deſiderio Atys inſaniiſſe, domoque paterna egreſſam ſolam cum fiſtula & tympano, paſſis crinibus totam regionem peragraſſe dementatam, veniſſeque in Nyſam ad Dionyſium: aliquot verò annis poſt eam jam mortuam, cùm & difficultate annonæ & morbo in Phrygia laboraretur,* Atys. *oraculo juſſi ſint Phryges Atym & Cybelem venerari: hinc ſacra ceremoniáſque magnæ matris Deum ortas. Hæc ex Diodoro, haud dubiè quin originem rei attulerit. Sed hanc alii Jovis, Junonis, Neptuni, & Plutonis matrem fuiſſe autumant, ideò Rheam & Latinè Opem dictam: eandem eſſe Cybelem & Veſtam. Nec dubito, quin hæc res geſta confundatur, ut nuſquam ferè non ſit in Deorum fabulis, virginémque haberi, nempe Veſtam, eámque ob cauſam exciſſum eſſe Atym juvenem formoſiſſimum, quem cùm illa adamaſſet, præcepiſſetque, ne cum muliere ſe ulla unquam commiſceret, illéque præcepto Deæ neglecto, nympham Sangritidem adamaſſet, à Cybele virilitate diminutus eſt, idcirco & ſacerdotibus gaudet, in eum modum deformatis. Et quoniam hanc Phrygii plurimum in monte Ida coluerunt, hinc nomen Idææ matris* Galli ſacerdotes. *invenit, & Berecynthia, à monte etiam ejuſdem Phrygiæ. Sacerdotes Gallos nuncuparunt à Gallo amne Phrygiæ, cujus aqua phanaticos potantes reddit. Ipſi quoque Galli inſani caput per furorem rotant, cultriſque faciem & muſculos corporis totius diſſecant, morſibus quoque ſeipſos impetunt, cùm majore ſe correptos furore, vel ſimulant, vel revera ſentiunt. Deam iſtam, hoc eſt, ingens in Ida ſaxum, quam incolæ Deûm* Megaleſia. *matrem vocabant, Romam legati advexerunt, pridie Idus Aprileis, eóq; die feriæ ejus celebrantur & ludi, quæ Megaleſia dixerunt. Livius lib. xxix. ſic de matre Idæa loquens, inquit: In ædem Victoriæ, quæ eſt in Palatio, pertulere Deam pridie Idus Aprileis. Iſq; dies feſtus fuit. Populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectiſterniúmque & ludi fuere Megaleſia appellata. & lib. xxxvi. Per idem fere tempus ædes matris magnæ Idææ dedicata eſt, quàm Deam is P. Cornelius advectam ex Aſia, P. Cornelio Scipione, cui poſtea Africano fuit cognomen, P. Licinio Coſſ. in Palatium à mari detulerat, locaverant ædem faciendam M. Livius, C. Claudius cenſores, M. Cornelio, T. Sempronio Coſſ. tertio decimo anno poſtquam locata erat, dedicavit eam M. Junius Brutus: ludique ob dedicationem ejus facti, quos primos ſcenicos fuiſſe, Antias Valerius eſt autor, Megaleſia appellatos. Hæc Livius, cum quibus Varro conſentit lib. de lingua Latina. 3.*

b Abreptitios] *Lymphatos, furore correptos, quales erant Galli Berecynthiæ, hos arreptitios Auguſtin. ſuper Gen. areptos ſpiritus nominat.*

c Symphoniacos.] *Modulatores, ἀπὸ τῆς συμφωνίας, id eſt, concentu & modulatione. In feſto Cybeles multi edebantur ſonitus compoſiti, & ad numerum: ut tibiis & tympanis. Ovid. lib. 4. Faſtorum:*

Pro-

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit,& Idææ feſta parentis erunt.
Ibunt ſemimares, & inania tympana tundent,
Aeráque tinnitus,ære repulſa dabunt. *Et pòſt.*
Tibia dat Phrygios,ut dedit antè, modos.

Et tibiam Diodorus inventum dicit eſſe Cybeles,à qua doctus eſt Marſyas,qui cum Apolline certavit.

d Oblectabantur.] *Locus non videtur carere mendo: ſic, ut puto legendus: Ludis turpiſſimis oblectabamur, qui Diis Deabúſque exhibebantur, celeſtique virgini Berecynthiæ matri Deorum omnium. Hanc enim tametſi prolibus abundantem,tamen virginem dicebant eſſe, ut quæ eſſet etiam Veſta, tum quòd talis voluit à patre Menoe videri & credi.*

e Die ſolenni lavationis ejus.] *Pridie Idus Aprilis,mater Deûm magna pompa à Gallis ad Almonem fluvium producebatur, qui non procul ab Urbe Tiberi miſcetur, ibique ad confluentem duorum amnium abluebatur veteri inſtituto. Nam quo primum die ex Aſia illuc eſt advecta, à ſacerdote lota eſt,isque mos poſtea per ſingulos annos eſt ſervatus. Lucan. in primo:* Matris Deûm ablutio.

Et lotam parvo revocant Almone Cybelem.

Apertius Ovidius in quarto:

Eſt locus,in Tiberim quo lubricus influit Almon,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veſte ſacerdos,
Almonis dominam ſacráque lavit aquis.

Prudentius in martyrio Romani:

Nudare plantas atque carpentum ſcio
Lapis nigellus evehendus eſſedo,
Quem ad lavachrum præeundo ducitis,
Almonis uſque pervenitis rivulum.
Proceres togatos matris Idææ ſacris,
Muliebris oris clauſus argento ſedet,
Pedes remotis atterentes calceis.

f A nequiſſimis ſcenicis.] *Primi anni ſingulis ludi ſcenici erant Megaleſia, in quibus hiſtriones ad novum opus egredientes, mira laſcivia ſpurciſſima & turpiſſima quæque in matrem Deûm & Atym dictitabant: tum & alii per id temporis etiam honeſtiſſ. Romanorum cultu diſſimulato, ut noſci non poſſent, licentioſiſſimè per urbem vagabantur, nullis verbis factisque fœdis parcentes,ut autor Herodianus in Commodo.*

g Proludendi.] *Exercendi ſui gratia & meditandi artem.*

h Et hæc Fercula.] *A ferendo, quòd in ſolenni, ſive ſacrorum,ſive triumphi ferrentur ac geſtarentur reverenter, ut in ſacrificiis ludisque Deorum ſimulachra, clarorum virorum ſtatuæ: in triumphis imagines urbium devictarum, arma hoſtibus detracta, pecuniæ, captivæ & reliqua ſpolia. Sic Cicero & Suetonius,& cæteri.* Fercula.

At quæ ſacris menſæ apponuntur, quoniam lancibus feruntur ſolicitè, & quaſi reverenter fercula nominantur.

F.L.Coq. a Primo ipſos mores ne peſſimos haberent.] *Quemadmodum enim, auctore D. Dionyſio, Deus ſua bonitate homines ad ſui ſimilitudinem pro viribus adducit; ita improbi dæmones quantum poſſunt à vero Dei cultu (quo ſublato, facile ab honeſto & à recta vivendi ratione deflectunt) homines avocant, & in omnia flagitia præcipites agunt: imo pugnabant hæc ex diametro, Gentiles cultores eſſe deorum, & bonis eſſe moribus. Lactant. lib. 5. cap. 8.* diſcite (ſi quid vobis reliquæ mentis eſt) homines ideo malos & injuſtos eſſe, quia dii coluntur: & vos manente cultu deorum juſtitiam deſideratis in terra, quod fieri nullo pacto poteſt: *Ex quo facile intelligere poterant, non deos, ſed dæmones ſe improbos colere, qui id unum contenderent, ut homines improbi evaderent. Chryſoſtom. libro contra Gentes, cum docuiſſet, homines per dæmones in errorem adductos eo impietatis proceſſiſſe, ut quos genuerant, victimas dæmonibus immolarent:* Hæc, *inquit*, hujuſmodi fuiſſe conſtat, ut abunde probare poſſint his quidem certe, qui mente prorſus alienata nequaquam ſunt, quinam plane eſſent operum illorum artifices, ut flagitioſi, ut omnibus modis ſceleſti, ut nihil non ad vitæ ſtatusque noſtri ſubverſionem molientes. *Et homil. 5. in epiſt. ad Tit. depingit mores illorum Gentilium, quam feri, quam barbari, quam ab omni humanitate alieni fuerint.* Ante adventum Chriſti, *inquit*, nihil erat humana feritate deterius: omnes quippe adverſus ſe invicem velut inimici & hoſtes feralia inter ſe exercebant odia, filios mactabant parentes, atque in ipſa viſcera ſua per ſummam infamiam ferebantur: nihil tum firmum erat ac ſtabile, non naturalis & conſcripta lex arcendis ſceleribus quicquam habebat momenti, ſed perverſa erant omnia, ubique fervebant adulteria, cædes, & ſi quid gravius dici & excogitari poteſt; furta virtutis habebantur loco, & nimium quidem incongrue, qnandoquidem hujuſmodi Deos venerabantur: monebant quotidie oracula, illum atque illum perimi: Dicam aliquid ex illius temporis hiſtoria, Androgeus quidam Minois filius cum Athenas profectus eſſet, atque in luctaminis contentione viciſſet, exolvit pœnas & interemptus eſt: Apollo igitur malum majore malo curare pergens, bis ſeptem pueros pro eo adduci juſſit, ac perimi. Quid hac tyrannide gravius? quid ea immanitate dici poteſt acerbius? at id factum eſt, & homo dæmonis inſania concitatus ut oraculo obtemperaret, abiit, necavitque viros. Vides, quam neceſſario error invaluit. Quid enim non præſumerent homines, quid iniquitatis non admitterent, qui tam ſceleſtos, inventoresque malorum colerent Deos? *Paulo poſt:* Pueros laſcive amabant: fuit quidam apud illos præclari nominis, opinionisque philoſophus, qui leges tulit, ne ſervis liceret amare pueros, quaſi ea res virtutis eſſet, magnoque in pretio habenda: aperte denique ac in publico pleriſque cum uxoribus congredi, legitimum erat. At ſi quis illorum cuncta perſequi velit, inveniet illos in ipſam naturam impie fuiſſe contumelioſos. Et cum tantis errorum tenebris totus orbis obſitus eſſet, nemo cõtra ferebat leges, nemo prohibebat, ſed omnia illorum poemata his ſceleribus plena ſunt, adulteriis, impudicitiis, puerorumque violationibus omnia fer-

ſervent, pernoctationes execrandæ fiebant, mulieresque ad ea ſpectacula vocabantur. O ſceleſtum illud nocturnum, funeſtumque ſpectaculum; in theatro fiebat ea pernoctatio & virgo inter adoleſcentes inſanos, atque ebriam turbam ſedere cogebatur, *&c.* Tenebroſa profecto celebritas & execranda omnino opera, quæ ab ipſis in ea celebritate gerebantur. *Paulo poſt de παιδεραστία loquens, quæ frequens erat apud Gentiles:* Gemitu, *inquit*, lachrymisque digniſſimum eſt, quod ex ignorantia veri tantum ſcelus præſumebatur impune, neque id ipſorum Deus prohibebat, verùm deſpiciebat naturam, cum illa tanta violaretur inſania. *Ita mores Gentilium ante adventum Chriſti depingit Chryſoſt. qui tantum abeſt ut improbarentur eorum Diis, ut pleraque flagitioſiſſima illis præſciberent, de quibus & Lactant. lib. 6. cap. 23.*

β Merito neglexit.] *Act. 14.* In præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas: id exigebant eorum ſcelera, ut à Deo negligerentur omnino. *Ita D. Paul. Rom. 1. improbitatem morum in Gentilibus refert in neglectum cultus divini.* Cum Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt, *&c.* Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, *Atque ibi enumerat ſcelera multa, in quæ prolapſi ſunt, à Deo ita deſerti, & arbitrio ſuo relicti. Hæc pœna peccati eſt deſeri à Deo, ac omnino negligi, idque extremum malorum eſt, quod præclare docet Philo lib. quod deterius potiori inſidietur:* Si navem, *inquit*, mari jactatam gubernator deſerat, an non neceſſum eſt eam navigationem aberrare? Si quadrigas auriga in Circenſibus, an non neceſſum eſt eas turbatas ferri curſu devio? quid civitas, ſi deſtituatur magiſtratibus aut legibus? nonne civitas illa opprimetur malis maximis? Atqui natura comparatum eſt, corpus abſente anima, animam abſente ratione, rationem deſtitutam virtute interire funditus. quod ſi hæc ſingula rebꝰ deſtitutis nocent tantopere, quantã miſeriam in deſtitutis à Deo agnoſcimus? quos ille averſatus tanquam deſertores ordinis exterminavit procul à ſanctiſſimis ſuis legibus, indignos ſua providentia habitos. In univerſum enim ſcire oportet, quod qui præſtantioris ope deſtituitur, fit obnoxius maximis culpis & criminibus, quando enim dices imperitum artis lædi maxime? nonne quando à ſcientia maxime deſeritur? quando vero indoctum & valde ineruditum, nonne quando à doctrina & diſciplina derelinquitur? quid inſipientes? quando infelices pronunciamus potentiſſime, nonne quando omnino repelluntur à prudentia, quando vero imperantes & injuſtos? nonne cum à temperantia juſtitiaque damnantur exilio perpetuo? quando vero impios? nonne quando pietas eos à ſacris ſuis excludit? *hactenus Philo. Nihil ergo mirum, ſi ita à Deo neglecti tam pravis fuerint moribus: certe ut ibidem docet,* Longe præſtat à Deo caſtigari, quam ab eodem omnino negligi. *Ezech. 16. cum abominationes omnes, & fornicationes populi cum idolis recenſuiſſet, ſubjungit tandem:* Requieſcet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, ne iraſcar amplius. *Magna ira eſt (ut ait D. Hierony. epiſt. 33. ad Caſtrutium)* quando peccantibus non iraſcatur Deus. *Et in Pſal. 140.* Magna Dei ira eſt, Deum non iraſci. *Ita ergo ſe gerit cum impiis, dum illos libere & impune peccare permittit, quaſi ad ſe nihil pertineant,*

neant, ut poſtea acerbiſſimis cruciatibus, iisque nusquam terminandis torqueantur. Pſal. 80. Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis. *Oſeæ. 4.* Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint adulteratæ. *Contra vero de piis ait Pſal. 88.* Viſitabo in virga omnes iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem meam non auferam ab eis. *Hebr. 12.* Quem diligit Dominus, corripit, & caſtigat omnem filium quem recipit. Non erudit *(ait Hieron. epiſt. cit.)* Pater, niſi quem amat: non corripit magiſter diſcipulum niſi eum, quem ardentioris cernit ingenii: Medicus ſi ceſſaverit curare, deſperat.

γ Quare nullis legibus audiverunt] *Quod docet Euſeb. lib. 5. de demonſt. Evange. in Proœmio Apud Theodor. lib. 9. de curat. Græc. affect. videre licet, quam impiæ leges apud Gentiles, maxime circa abominanda Deorum vanorum ſacra receptæ ſunt & obſervatæ.*

δ Ut quomodo iſti illorum ſacra.] *Ita videmus Deum ſe geſſiſſe cum populo ſuo, cui ut leges ſacrificiorum ac ceremoniarum, quibus coleretur, præſcripſit, ſic leges ſtatuit ſanctiſſimas, ad quarum normam vitam componerent.* Et Chriſtus ipſe *(ait Chryſoſt. lib. contra Gentes.)* cum admirabilis ſit ob ea quæ edidit miracula, nimirum ob ea quæ dedit præcepta, nihilominus quam ob miracula jure ab omnibus adorari, & Deus credi debet. *Euſeb. lib. 5. de præparat. Evang. cap. 5. inde colligit Deos illos pernicioſos eſſe dæmones:* Non enim modeſtiam, *inquit*, aut juſtitiam exemplo docuerunt, ſed alii obſcœnis voluptatibus, alii pugnis, alii venationibus gaudent.

ε Voluntate propria quisque malus eſt.] *Cyrill. lib. 3. contra Julianum:* Uniuscujusque mens eſt ſibi lex, & ad id quod videtur libera: atque ita etiam ſi malis & iniquis quibusdam imbuantur legibus, nihilominus tamen ad meliora & utilia facile volentes tranſient, non naturæ legibus ad turpiora aſtricti, neque vinculis inevitabilibus ad hoc quod præter voluntatem eſt coacti, ſed liberi ſunt ut eant ad hoc, quod melius eſt. *D. Dionyſ. cap. 9. cœleſt. hierar. eo refert errorem tot Gentilium, qui à vero Dei cultu deviarunt:* Si quis, *inquit*, inquirere pergat, quid ſit cur Hebræorum populus ſolus ad Dei divinarumque rerum intelligentiam ſubvectus ſit, reſpondendum, non oportere imputari rectiſſimæ gubernationi Angelorum, ſi gentes aliæ ad eorum, qui Dii non ſunt, culturam devolutæ ſunt, ſed illis ipſis in primis, qui motibus propriis à recto calle, quo ad Deum aſcendere poſſent, deviarunt. *Poſt:* Hujus rei etiam ipſi Hebræorum populo impingitur, atque id ipſum paſſus memoratur: Scientiam, *inquit*, Dei repuliſti, & poſt cor tuum ambulaſti, neque enim coactam habemus vitam, neque liberi arbitrii gratia divinitus indulta mortalibus, providentiæ divinæ luce & ſplendore obtunditur.

ζ Veniebamus nos etiam aliquando adoleſcentes.] *Quaſi dicat, quod habetur ad Titum. 3.* Eramus aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis. *Meminit. lib. 3. confeſſ. cap. 1.* Rapiebant me ſpectacula theatrica plena imaginibus miſeriarum mearum & fomitibus ignis mei, *& infra cap. 26,*

η Ludi-

η Ludibriaque ſacrilegiorum.] *Sic merito vocat quos ludos ſacros falſo reputabant Gentiles. ſupra lib. 1. cap. 3. vocavit,* Spectacula turpitudinum: *Exhibebantur enim in illis ludis adulteria & flagitia Deorum, quibus facile ſpectatores ad omnia vitia incitabantur: Minut. in Octavio:* Nos qui moribus & pudore cenſemur, merito malis voluptatibus & pompis veſtris, & ſpectaculis abſtinemus, quorum & de ſacris originem novimus, & noxia blandimenta damnamus: nam in ludis curulibus quis non rideat populi in ſe rixantis inſaniam? in Gladiatoriis homicidii diſciplinam? in Scenicis etiam non minor furor: turpitudo prolixior: nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monſtrat, nunc enervis hiſtrio amorem eum fingit, infligit; Idem Deos veſtros induendo ſtupra, ſuſpiria, odia dedecorat. *Caſſiod. lib. 1. variar. epiſt. 27.* Mores graves in ſpectaculis quis requirat? ad circum neſciunt convenire Catones. *Et lib. 3. epiſt. 51.* Spectaculum expellens graviſſimos mores, invitans leviſſimas contentiones, evacuator honeſtatis, fons irriguus jurgiorum, quod vetuſtas quidem habuit ſacrum, ſed contentioſa poſteritas fecit eſſe ludibrium.

θ Arreptitios.] *A dæmone correptos. Veteres* arreptitium *dicebant* larvatum, *quaſi à* larvis arreptum. *Intelligit Berecynthiæ ſacerdotes, qui Galli dicebantur à Gallo amne Phrygiæ, cujus aqua phanaticos potantes reddebat:* Ipſi inſani caput per furorem rotant, cultriſque faciem & muſculos corporis totius diſſecant, morſibus quoque ſeipſos impetunt cum majore ſe correptos furore vel ſimulant, vel revera ſentiunt.

ι Qui diis, deabuſque exhibebantur.] *Teſtatur Lactant. lib. 6. cap. 12. diverſis diis diverſos ludos conſecratos, nam* venationes *quæ vocantur munera,* Saturno attributæ ſunt, *ludi* Scenici *Libero,* Circenſes *Neptuno;* paulatim vero, *inquit,* & cæteris diis idem honos tribui cæpit, ſingulique ludi nominibus eorum conſecrati ſunt. *Tertull. lib. de ſpectaculis cap. 6. idem diſerte docet. Vide etiam Alex. ab Genial. dier. lib. 6. cap. 19.*

κ Cœleſti virgini.] *Hæc maxime in Africa colebatur, conſtat ex Tertull. in Apologet. cap. 24.* unicuique provinciæ & civitati ſuus Deus eſt, ut Africæ Cœleſtis. *Illius mentio eſt apud Trebellium Pollionem in 30. tyrannis:* Afri, *inquit,* Celſum Imperatorem appellarunt peplo Deæ Cœleſtis ornatum. *Et apud Marcell. lib. 22. quo loco ſcribit,* Aſclepiadem philoſophum Deæ Cœleſtis argenteum breve figmentum quocumque ibat, ſecum ſolitum afferre. *Apud eundem Tertull. in Apologet. cap. 23.* Iſta ipſa Dea Cœleſtis pluviarum pollicitatrix: *Ex quibus falſum eſſe conſtat, quod aliqui exiſtimant, Cœleſtem Dei nomen fuiſſe non Deæ, quos ſequi videtur Salvianus lib. 8. de providentia Dei. Ut tamen teſtatur Pithœus lib. 1. Adverſ. ſubſ. cap. 4. in vetuſtiſſimo & optimo exemplari librorum Salviani, quibus locis cœleſtis mentionem facit, conſtanter ubique ſcriptum eſt,* Cœleſtem illam, *non* illum: *quod amplius confirmat Illuſtriſſ. Baron. tom. 5. Annal. ann. Chriſti 399. ubi plura de Cœleſti Dea ex inſcriptione quadam inciſa baſi, ſuper quam Cœleſtis ſimulachrum extructum erat.* Invictæ Cœleſti Aurel. Oneſimus. *Unius Auguſtini teſtimonium, qui Apher erat, & Cœleſtem virginem appellat, utpote Deam, inſtar omnium nobis eſſe debet.*

bet. Quæ verò Dea ſub nomine Cæleſtis virginis coleretur, non ſatis conſtat; & ex Apulejo, initio lib. 11. metamorph. conſtat idem ſimulachrum non unius, ſed diverſorum numinum nomina continuiſſe. Turneb. lib. 22. Adverſar. c. 25. Uraniam *intelligit, quæ vox Græca Latinæ reſpondet, & conſonat illud Herodiani lib. 5.* Λίβυες αὐτὴν οὐρανίαν καλοῦσι, Φοίνικες δ' Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι σελήνην εἶναι θέλοντες. *Et illud Xiphilini in Heliogabalo,* τὴν οὐρανίαν τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐπελέξατο. *De ea D. Ambroſ. ſcribens contra Symmachum:* Quam Cœleſtem Afri, Mitram Perſæ, plerique Venerem colunt pro diverſitate nominis, non pro numinis varietate. *Philaſtr. Brix. in catalogo Hæreſ. cap. 16. ſentit, idem eſſe idolum, quod Sidonii, & illis propinqui ex Judæis idololatræ coluerunt* reginam Cœli, *quam Carthaginenſes appellarunt* Cœleſtem virginem: *Alia, inquit,* eſt hæreſis in Judæis, qui reginam, quam & fortunam cœli nuncupant, & Cœleſtem vocant, in Africa colunt, eique ſacrificia offerre non dubitant. *At fieri quidem poterat, ut idem idolum apud varias gentes variis diceretur nominibus. Sic reginam illam cœli, ſive Cæleſtem virginem Afrorum Deam Apulejus ſic loquentem inducit:* Me primigenii Phryges Peſſinunticam appellant Deum matrem, hinc Autocthones Attici Cecropiam Minervam, illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem, Cretes ſagittiferi Dictynnam Dianam, Siculi trilingues Proſerpinam Stygiam, Eleuſinii vetuſtam Deam Cererem, Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecatem, Ramnuſiam alii, & qui naſcentis Dei ſolis illuſtrantur radiis Æthiopes, Ariique, priſcaque doctrina pollentes Ægyptii ceremoniis me prorſus propriis percolentes, appellant vero nomine reginam Iſidem. *Salvian. lib. 8. de provid. Dei:* Cœleſti Afrorum dæmoni ideò reor veteres pagani tam ſpecioſæ appellationis titulum dederunt, ut quia in ea non erat numen, nomen aliquod eſſet. *De templi illius Deæ omnium famoſiſſimi apud Carthaginem demolitione ſub Aurelio antiſtite, Proſper lib. 3. de prædict. c. 38.*

λ Et Berecynthiæ matri omnium Deorum.] *Virg. 6. Æneid.* Berecynthia mater Læta Deum partu, centum complexa nepotes, Omnes cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes. *Et lib. 9.* Ipſa Deum fertur genitrix Berecynthia. *In quem locum Servius ſcribit, ita dictam eſſe à monte Phrygiæ* Berecyntho. *Eam Phrygiam matrem vocat etiam Virg. 7. Æneid. varia hujus Deæ fuiſſe nomina, ut* Cybelem, Rheam, bonam Deam, *teſtatur Alexander ab Alex. lib. 6. genial. dier. cap. 4. de ea ita Minutius in Octavio.* De Cibele Dyndimena pudet dicere, quæ adulterum ſuum infœliciter placitum, quoniam & ipſa deformis & vetula, ut multorum Deorum mater, ad ſtuprum illicere non poterat, exſecrat, ut Deum ſcilicet faceret Eunuchum; propter hanc fabulam Galli eam, & ſemiviri corporis ſupplicio colunt: hæc jam non ſunt ſacra, tormenta ſunt, quod formæ ipſæ & habitus, nonne arguunt ludibria & dedecora Deorum? *Clemens Alexandrinus Dardanum ſcribit matris Deorum inſtituiſſe myſteria: meminit & Lactant. lib. 1. cap. 21. matris Deum, & Gallorum ipſius ſacerdotum, de quibus etiam vide Feneſtell. cap. 12. & Pompon. Lætum cap. 12. de ſacerdotiis Roman. de quibus etiam infra lib. 7. cap. 27.*

μ Die ſolenni lavationis ejus.] *Pridie Idus Aprilis mater Deum magna pompa à Gallis ad Almonem fluvium producebatur, qui non procul ab urbe in Tyberim influit*

ſluit,ibique ad confluentem duorum amnium ex veteri inſtituto abluebatur: quia quo primum die ex Aſia illuc advecta eſt,lota fuit, & hic mos ſingulis annis repetebatur,& eodem die ludi celebrabantur, & ſpectacula populo exhibebantur in honorem Deæ,in quibus omnibus licebat perſonas induere, quas cuique libitum fuiſſet, auctor eſt Herodianus in vita Commodi.

ν Quod nec ipſa nequitia poſſit auferre.] *Eſt enim ipſa verecundia ſeu obſervantia erga parentes,dictamen legis naturæ, quæ ſcripta eſt in cordibus hominum, quam nec ulla delet iniquitas,ut habet Auguſt.lib.2. Confeſſ.cap.4.*

ξ Turpitudinem obſcœnorum dictorum atque factorum.] *De ea turpitudine infra lib. 7. cap. 25. Minut. in Octa. Lactant. lib. 1. cap. 21. Matern. de errore proph. relig. cap. 3. diſertè Chryſoſt. lib. contra Gentes oſtendit, eos dæmones ſeu Deos vanos non alios habere ſacrorum ſuorum adminiſtros, quam maleficos, præſtigiatores, ut non alii,quam peſtes hominum ſint, qui myſteria ea peragunt: qui enim temperans, modeſtus, caſtus eſt, is nec commeſſationem admittet, nec temulentiam, nec dictu fœdum aliquod verbum proferet, nec alteri cuiquam id genus fœditatibus inſervienti aures ſuas accommodabit: quanquam oportebat, ſi quam illi humanæ virtutis curam gereret,ſi quam fœlicitatis aſſeclarum ſuorum rationem haberent,nihil potius requirere,quam vitam optimam,quam mores rectè emendatos, prætermiſſis illis indecoris dapibus,quibus tamen (quando nihil habent antiquius hominum exitio) magnopere delectantur: iisdem coli ſe profitentes, quibus tum noſtra mortalium vita ſubvertitur, tum honeſtas omnis radicitus revellitur.*

ο Neſciens utrum omnino ſint illi immundi ſpiritus.] *De hoc controverſia fuit inter antiquos: exiſtimarunt enim nonnulli, quod hominum vanitas & ſuperſtitio dæmones invenerit aut fecerit. Sed de ea re dubitare non licet,tota Scriptura veteris & novi teſtamenti id teſtatur. Levitici 17. interdicitur immolari hoſtias dæmonibus. Deut.32. arguuntur impietatis & ingratitudinis, qui immolaverunt dæmoniis, & non Deo. 2.Paralip.2. dicitur de Hieroboam, quod conſtituit ſacerdotes excelſorum & dæmoniorum. Apud Tobiam eſt prolixa hiſtoria de dæmonio Aſmodeo & Iob.1. ipſius Satan. Unde mirum quomodo Saducæi apud Judæos negarint eſſe aliquos ſpiritus, cum ſcripturas ſacras admitterent. Ex novo teſtamento eadem veritas magis conſtat. Sed quam id certo conſtat ex ſcripturis ſacris,tam fuit olim dubitatum & controverſum inter philoſophos. Peripatetici ut plurimum negant omnino dæmones eſſe; teſtis eſt Averroes in epiſt. de reſurrect. Hanc fuiſſe ſententiam Ariſtotelis,quod nullas noverit ſubſtantias ſeparatas,præter motores orbium: & de arreptitiis,qui videtur à dæmonibus agitari,dicit vexari humore malancholico in proble. par. 30. & Alex. inter Peripateticos conſtanter tuetur hanc partem, quæ etiam fuit ante Ariſtotelem opinio Democriti. Putant Peripatetici vulgo opinionem de dæmonibus hinc natam, quod ſapientes hæc terriculamenta & larvas commenti fuerint, ad arcendos & terrendos improbos à ſceleribus,quod poſt hanc vitam ſuperſint ultores malorum,quos dæmonas vocant. Et Simplicius lib. de anima Pythagoram tradit hujus figmenti primum auctorem extitiſſe. Sed melius ſenſerunt alii philoſophi,dari hujuſmodi ſpiritus immundos,quos dæmonas vocant, ut Empedocles, Pythagoras,*

Socrates, Plato. Tertull.in Apologe.cap.22. Sciunt dæmonas philoſophi, Socrate ipſo ad dæmonis arbitrium expectante. *Minut. in Octa.* Eos ſpiritus dæmonas eſſe poetæ ſciunt, philoſophi diſſerunt, Socrates novit, qui ad nutum & arbitrium aſſidentis ſibi dæmonis vel declinabat negotia vel petebat. *Plato in politico ſcribit, animas impiorum poſt mortem cruciari ab ultoribus. In ſymposio dæmones apertè ponit: huic ſententiæ ſubſcribunt omnes Platonici, Mercurius in Poimandro, Proclus in Alcibiade, Iamblichus de myſteriis Ægypitorum, Calcidius in comment. Porphyrius lib. de occaſionibus. Plotinus lib. de proprio cujusque, Apulejus, qui etiam librum de dæmone Socratis ſcripſit. Ex Peripateticis etiam nonnulli, poſthabita ſententia Ariſtotelis, huic adhæſerunt. Porphyrius in hanc ſententiam citavit Theophraſtum, in qua etiam fuit Ammonius philoſophus, Hermes & Aſclepius ejus auditor, ut eſt apud Lactant. lib. 2. c. 16. affirmant, dæmones eſſe inimicos & vexatores hominum, quos ideò Triſmegiſtus* Ἀγγέλους πονηρὸς *appellat.*

π Deorum nomine decipientes.] *Id oſtendit Lactant. lib. 2. cap. 15. & 19. Et lib. 4. c. 27.* Iidem, *inquit*, dæmones, quos fatentur execrandos eſſe, iidem Dii, quibus ſupplicant. *ibidem:* Illi nequiſſimi ſpiritus ubi adjurantur, ibi ſe dæmones confitentur; ubi coluntur, ibi ſe Deos profitentur, ut errores hominibus immittant & avocent à veri Dei notione, per quam ſolam poteſt mors æterna vitari, quia enim divinitatem per ſe ipſos non poterant affectare, *ait ibidem Lactantius,* aſciverunt ſibi nomina potentium Regum, ſub quorum titulis honores ſibi Deorum vendicarent. *Minut. in Octa.* Ipſe Saturnus & Jupiter, & quicquid dæmonum colitis victi dolore, quod ſunt eloquantur: nec utique in turpitudinem ſui, nonnullis præſertim veſtrum aſſidentibus mentiuntur. Ipſis teſtibus eſſe eos dæmonas de ſe verum confitentibus credite. *Clemens Alexandrin. ſerm. exhort. ad Gentes:* πῶς οὖν ἔτι θεοὶ τὰ εἴδωλα, καὶ οἱ δαίμονες βδέλυρα ὄντως, καὶ πνεύματα ἀκάθαρτα πρὸς πάντων ὁμολογούμενα γήινα καὶ δεισάλεα κατωβρίθοντες, *&c.*

Cap. V.

De obſcœnitatibus, quibus mater Deorum à cultoribus ſuis honorabatur.

α NEquaquam iſtos, qui flagitioſiſſimè conſuetudinis vitiis oblectari magis quàm obluctari ſtudent, ſed illum ipſum Naſicam Scipionem, qui vir optimus à Senatu electus eſt, cujus manibus ejusdem dæmonis ſimulachrum ſuſceptum eſt, in urbemque pervectum, habere de hac re judicem vellem. Diceret nobis utrum matrem ſuam tam optimè de rep. vellet mereri, ut ei divini honores decernerentur: β ſicut & Græcos & Romanos aliasque gentes conſtat quibusdam decreviſſe mortalibus, quorum erga ſe beneficia magni penderant, eosque immortales factos, atque in deorum numerum receptos eſſe crediderant. Profectò ille tantam fœlicitatem ſuæ matri, ſi fieri poſſet, optaret. Porrò ſi ab illo deinde quæreremus, utrum inter ejus divinos honores vellet illa turpia celebrari: nonne ſe malle clamaret, ut ſua mater ſine ullo ſenſu mortua jaceret, γ quàm

Honores divini benefactoribus olim decreti.

ad hoc dea viveret, ut illa libenter audiret? Abſit ut ſenator populi Romani ea mente præditus, qua theatrum ædificari δ in urbe fortium virorum prohibuit, ſic vellet coli matrem ſuam, ut talibus dea ſacris propitiaretur, qualibus matrona verbis offenderetur. Nec ullo modo crederet verecundiam laudabilis fœminæ, ita in contrarium divinitate mutari, ε ut honoribus eam talibus advocarent cultores ſui: qualibus convitiis in quempiam jaculatis, cùm inter homines viveret, niſi aures clauderet, ſeſeque ſubtraheret, erubeſcerent pro illa & propinqui, & maritus, & liberi. Proinde talis mater deûm, qualem habere matrem puderet quemlibet etiam peſſimum virum, Romanas occupatura mentes quæſivit optimum virum, non quem monendo & adjuvando faceret, ſed quem fallendo deciperet: ζ ei ſimilis α de qua ſcriptum eſt: Mulier autem virorum precioſas animas captat, ut illæ magnæ indolis animus hoc velut divino teſtimonio ſublimatus, & verè ſe optimum exiſtimans, veram pietatem religionemque non quæreret, ſine qua omne quamvis laudabile ingenium ſuperbia vaneſcit & decidit. Quo modo igitur η niſi inſidiosè quæreret Dea illa optimum virum, cùm talia quærat in ſuis ſacris, qualia viri optimi abhorrent ſuis adhiberi conviviis. Prov. 6.

α DE qua ſcriptum eſt.] *Prover. ſexto, nos Capit legimus: Auguſtinus Captat, juxta Septuaginta, ἀγρεύει, quaſi venatur.* L. Vives.

α NEquaquam iſtos, qui flagitioſiſſimæ.] *Quemadmodum de ſaporibus palatum ſanum recte judicat, infectum non item; ita vir bonus & juſtus bonum à malo, rectumque à pravo egregie diſcernit, contra autem omnis affectus animi perturbati tollit judicium veri, idque adulterat. Recte itaque docet Ariſt. lib. 3. Ethic. cap. 4. & lib. 10. c. 5.* Probum virum, ᾗ τοιοῦτος, quatenus talis eſt, menſuram eſſe uniuscujusque rei. *id eſt, de ea judicandum eſſe, prout vir probus ſtatuerit. Recte igitur D. Auguſt. cum ſuperius invectus eſſet in Scenicos, qui nihil non obſcenum & turpe dicebant, & exhibebant in theatris publice coram deorum omnium matre, imo hac ratione ſe eam divinis honoribus colere profitebantur, an matrem cujuslibet Senatoris; vel etiam Scenici ea deceret audire, vel ſpectare domi privatim: dicit ſe habere velle judicem Scipionem Naſicam virum optimum à Senatu judicatum, non flagitioſiſſimos illos & vitiis omnibus ſordidos, qui propterea de honeſto judicium ferre minime poſſunt.* F.L.Coq.

β Sicut & Græcos, & Romanos, aliasque Gentes.] *Maternus de errore proph. relig.* Amat enim Græcorum levitas eos, qui ſibi aliquid contulerunt, vel qui conſilio & virtute ſe juverunt divinis appellare nominibus, & ſic ab ipſis beneficiorum gratia repenſatur, ut Deus eſſe credant, qui ſibi aliquando profuerunt. *Cic. lib. 2. de Nat. Deor.* Suſcepit autem vita hominum & conſuetudo communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama & voluntate tollerent. *Et lib. 3. de Nat. Deor.* Jam vero in Græcia multos habent ex hominibus Deos, Alabandi Alabandum, Tenedi Tenon, Leucotheam, quæ fuit Ino, & ejus Palæmonem filium: cuncta Græcia Herculem, Æſculapium, Tindaridas: Romulum noſtri, aliosque complures, quos quaſi novos & aſcriptitios cives in cœlum receptos putant: Illis vero præſertim divinos honores tribuunt, qui vel civitates con-

diderunt, vel tyrannos occiderunt, ac vindices fuere libertatis. *Sic ibidem Cic.* Alabadenſes ſanctius Alabandum colũt,à quo eſt urbs illa condita,quam quemquam nobilium deorum. *Et in oratione pro Milone:* Cum ſciam Græcos homines deorum honores tribuiſſe iis,qui tyrannos occiderunt: Sic apud Romanos Imperatores,quorum virtute res Romana creviſſet,& imperii fines longe lateque propagati fuiſſent, publice in deorum numerum relati, & publica religione culti fuere.*Teſtatur id etiam Lactant.lib.1.cap.15.& Arnob.lib.1.contra gentes.Et Tertull. lib.1. contra Marcionem, cap.11.* Error orbis, *inquit,* propterea deos præſumpſit, quos homines interdum confitetur, quoniam aliquid ab unoquoque proſpectum videtur utilitatibus & commodis vitæ. *Chryſoſt. hom.1. ad populum:* Multi qui & bella bene geſſerant, erexerant trophæa, & urbes ædificaverant, & aliis hujuſmodi demeruerant, ſui temporis homines, dii à multis exiſtimati ſunt, & templis & aris honorati. Et omnis Gentilium deorum numerus ex his omnibus conflatus eſt. *Euſeb. lib.2. de præpar. Evangel. cap.1. ex Theologia Ægyptiorum deducit, deos mortales homines fuiſſe, ſed virtute ac beneficiis, quia vitam communem excoluerant, immortalitatem conſecutos. De publica re benemeritis etiam mulieribus divinos honores decretos fuiſſe, ac tandem pro deabus habitas teſtatur illud Plutarchi lib. de virtutibus mulierum:* τῇ Λαμψάκῃ πρώτερον ἡρωικὰς τιμὰς ἀποδιδόντες, ὕστερον ὡς θεῷ θύειν ἐψηφίσαντο, *id eſt,* Lampſacæ cum initio heroicos honores tribuiſſent, poſtmodum ut numini ſacrificandum decreverunt.

γ Quam ad hoc dea viveret.] *Ita Arnob. lib.5. contra Gentes:* Hoſce ne vobis deos importatis, inſinuatis, infligitis,quorum ſimiles nec vos eſſe, nec alium velitis quemquam ſanguinis gradu & jure familiaritatis adjunctum.

δ In urbe fortium virorum.] *Romam hoc elogio celebrat, quam* civitatem Regum *aliquando appellavit Cyneas:* lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium *vocat Cic. orat.4. in Catil. Martial. lib.12.* Terrarum dea, gentiumque Roma, cui par eſt nihil, & nihil ſecundum. *Virg.6.Æneid.* Illa inclyta Roma imperium terris, animos æquabit olympo. *Iſidor. lib.8. cap.6.* Roma ſola urbs, cætera oppida. *Fab. lib.8. Urbem nomen commune* κατ᾽ ἐξοχὴν Romam *accipi, quemadmodum* ἄστυ *olim pro Athenis Athenæo lib.1.& ex eo Suida* ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης, *dicitur, D. Hierony. lib. contra Jovin. ad finem:* urbs potens, urbs orbis domina, urbs Apoſtoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum, Roma aut fortitudinis nomen eſt apud Græcos, aut ſublimitatis juxta Hebræos. *Plinius Romanos hoc elogio extollit:* Gentium in toto orbe præſtantiſſima una omni virtute haud dubie Romana extitit. *lib.3. cap.15.* Hic eſt domitor orbis populus, qui gentes & regna diriget. *Florus in prologo:* Populus Romanus à Romulo in Cæſarem Auguſtum 700. per annos tanta opera bello paceque geſſit,ita late per orbem terrarum arma circumtulit, ut qui res ejus legunt, non unius populi, ſed generis humani facta diſcant. *Arnob. lib.4. vocat* gentem Martiam, & regnatorem populum. *Merito igitur* urbs fortium virorum *ab Auguſtino celebratur.*

ε Ut honoribus eam talibus advocarent cultores ſui.] *Tertull. Senatorem quemdam, qui antea Chriſtianus & conſul defeciſſet à religione, & matris deum ſacerdos*

cerdos fieri non eſſet veritus, verſibus quibuſdam increpans inter cætera ſic habet:

Quis patiatur enim te matrem credere magnam
Poſſe deam dici, rurſusque putare colendam,
Cujus cultores infamia turpis inurit.

ζ Ei ſimilis de qua ſcriptum eſt.] *Quemadmodum in ſcriptura ſacra idololatria fornicatio nominatur, ſic non ab re magna dea, quæ voluit induci in urbem manibus optimi viri, recte meretrici captanti & decipienti animas pretioſas comparatur. Locus eſt proverb. 6. Apud 70. ita legitur* Γυνὴ δ' ἀνδρῶν τιμίας ψυχὰς ἀγρεύει. *Hebr.* תצוד venabitur. *Monet D. Auguſt. lib. de vera relig. cap. 45.* Non ſit nobis religio, cultus dæmonum, quia omnis ſuperſtitio cum ſit magna pœna hominum & periculoſiſſima turpitudo, honor eſt & triumphus illorum.

η Niſi inſidioſe quæreret.] *Non enim dæmones venerabantur, vel amabant virtutem in Scipione Naſica, ſed ut eo conſilio Romanos fallerent, qui numini illi vano, tanto facilius ſibi perſuaderent ineſſe divinitatem, quod non niſi ab optimo viro introduci vellet in urbem.*

CAP. VI.

Deos paganorum nunquam bene vivendi ſanxiſſe doctrinam.

Hinc eſt, quod α de vita & moribus civitatum atque populorum, β à quibus colebantur illa numina, non curarunt, ut tam horrendis & deteſtabilibus malis, non in agro & vitibus, non in domo atque pecunia, non denique in ipſo corpore, quod menti ſubditur, ſed in ipſa mente, in ipſo rectore carnis animo, eos impleri ac peſſimos fieri ſine ulla ſua terribili prohibitione permitterent. Aut ſi prohibebant, hoc oſtendatur potius, hoc probetur. Nec nobis neſcio, quos ſuſurros pauciſſimorum auribus anhelatos, & arcana velut religione traditos jactant, quibus vitæ probitas caſtitasque diſcatur: ſed demonſtrentur atque commemorentur loca talibus aliquando conventiculis conſecrata: non ubi ludi agerentur obſcœnis vocibus & motibus hiſtrionum, a nec γ ubi Fugalia celebrarentur, effuſa omni licentia turpitudinum, & verè Fugalia, ſed pudoris & *al. nom.* honeſtatis: ſed ubi populi audirent, quid Dii præciperent de cohibenda avaritia, ambitione frangenda, luxuria refrænanda: ubi diſcerent miſeri, quod diſcendum *b* Perſius increpat, dicens:

Diſcitéque, ô miſeri, & cauſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, c aut metæ quàm mollis flexus, & unde:
d Quis modus argenti, e quid fas optare, f quid aſper
Utile nummus habet: patriæ chariſque propinquis,
Quantum elargiri deceat, g quem te Deus eſſe
Juſſit, & humana qua parte locatus es in re.

Dicatur in quibus locis hæc docentium Deorum ſolebant præcepta recitari, & à cultoribus eorum populis frequenter audiri, ſicut nos oſtendimus δ ad hoc eccleſias inſtitutas, ε quaquaverſum religio Chriſtiana diffunditur.

ζ Nec

L. Vives. Fugalia.

a Nam & Fugalia.] *De Fugalibus nihil me apud alios memini legere. Nec dubitarem aliquid ex conjectura admonere, & lectori permittere, ut aliud pro eo verbum ſubſtitueret, niſi idem Auguſtinus adderet, & verè Fugalia, ſcilicet pudoris & honeſtatis. Et quanquàm non ignoro conjecturas veritate occulta bonas, eadem patefacta ridiculas plerunque eſſe, tamen tentabo, ſi hac quoque parte prodeſſe ſtudiis poſſim: ſi non afferendo verum, certè excitando, ut quæratur. Primùm Varro lib. de lingua Latina quinto ſic ſcribit: Junio menſe populi Fugia videtur nominatus, quòd eo die repente tumultu fugerit populus. Non multò enim poſt hic dies fuit, quàm Gallorum deceſſus ex Urbe. Et qui tunc ſub Urbe populi, ut Ficulneates ac Fidenates, & finitimi alii contra nos conjuraverunt, aliquot hujus diei veſtigia fugæ in ſacris apparent. De quibus rebus antiquitatum libri plura referunt. Hactenus Varronis verba.*

Fugia Dea.

Hoc eſt Fugiæ Deæ feſtum, quæ eſt lætitiæ Dea, à fugatis hoſtibus nominata. Nam poſtridie ejus diei vicini populi ſunt devicti à Romano, magnáque celebritate & lætitia omnium agi ferias illas, quòd periculum fuerit, ne à finitimis gentibus reliquiæ Romani nominis, quæ Gallicæ cladi ſuperfuerant, tollerentur. Quam

Vitula Dea.

Deam Hylus libro de Diis Vitulam vocat. Piſo Vitulam victoriam dici ſcribit, ſicut Macrobius teſtatur in Saturnalibus. Erant ergo Fugalia, vel Fugialia poſtridie Nonas Junias Lætitiæ Deæ lætiſſimus dies. In quo credibile eſt populum in omnem licentiam ſolutiſſimum atque effuſiſſimum fuiſſe. Hæc nolim cuiquam eſſe præjudicii loco, ſed ſolùm dicta, ut alii acutius & diligentius rem veſtigent, ſi modò tanti æſtimabunt.

b Perſius.] *Satyra tertia ex præcepto vetere, quo pro foribus templi Apollinis Delphici Amphictyones ſcripſere: Noſce teipſum, hæc Perſius dicit.*

Metæ Circi.

c Aut metæ quàm mollis flexus.] *Metæ erant in Circo ſeptem. Domitianus ludis quibusdam, ne curreretur niſi uſque ad quintam indixit, ut citiùs peragi poſſent ludi apparatiſſ. quos edebat. Suetonius in ejus vita. Septies illæ omnes attingebantur metæ. Arsque erat & induſtria non parva in equis rotiſque flectendis ad finem metarum, ne poſterior dexteritate flectendi priorem anteverteret. Propertius:*

Aut prius infecto depoſcit præmia curſu,
Septima quàm metam triverit ante rota.

Huc ſpectat illud Horatii principii Odarum.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegiſſe juvat, metáque fervidis Evitata rotis.

Erant & curſores quidam in Græciæ certaminibus, quibus non ſat erat ex lege certaminis perveniſſe ad metam: niſi recurrerent unde venerant, & circumactu celerrimo ubi metam pertigerant, διαυλοδρόμους *vocant. nam* δίαυλος *eſt ſpatii circuitio, ut ſcribit Vitruvius lib. 5. qui ſexies ſpatium circuibant* δολιχοδρόμοι *ſunt dicti. Hic eſt proprius ſignificatus flexus & metæ. Perſius aut rectè ſentit eſſe mollem flexum à virtute ad vitium: aut obliquè non eſſe facilem à vitio ad virtutem, ubi illud aſſuetudine in humana mente invaluerit, tyrannidémque occuparit. Idcirco ne vitio aſſueſcamus monet, quoniam non ſit in manu noſtra jugum ejus ſemel admiſſum excutere, quoties & quando velimus. Aut de flexu ætatis intelligit, cùm ab ado-*

διαυλοδρόμοι

leſcen-

leſcentia in virilem ætatem tranſimus, quo tempore mores mutari decet. Sicut ille apud Terentium ait: aut à virili & actuoſa ætate ad ſeniorem & quietiorem. De quo flexu Cicero in primo de oratore: Si infinitus forenſium rerum labor, & ambitionis occupatio de curſu honorum etiam ætatis flexu contigiſſet. Sed apertius pro M. Cælio & per eandem metaphoram: In hoc flexu quaſi ætatis, nihil enim occultabo fretus humanitate ac ſapientia veſtra, fama adoleſcentis paulum hæſit ad metas notitia muliebri & infælici vicinitate. Et Seneca lib. de tranquill. vitæ primo: Non in curſu tantum Circique certamine, ſed in ſpatiis vitæ interius flectendum eſt.

c Et undæ.] Genitivus eſt ab unda, ſimili genere metaphoræ. In naumachia ſunt metæ conſtitutæ, ad quas ſubitò navis eſſet convertenda. Vergil. in quinto.

> Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam.
> Conſtituit ſignum nautis pater: unde reverti
> Scirent, & longos ubi circumflectere curſus.

In vetuſto exemplari legebatur: Quæ mollis flexus, & unde, quod non eſt uſque adeò abſurdum. Sic legit Antonius Nebriſſenſis noſter grammaticus diligentiſſ.

d Quis modus argenti.] Ex Platone, ex quo Perſius omnia, quæ de moribus diſſerit. In Phædro Socrates ſic precatur: O amice Pan, & cæteri Dii date obſecro, ut intrinſecus pulcher efficiar, quæque mihi extrinſecus addita ſunt, internorum ſint amica, ſolum ſapientem divitem exiſtimem: hujus verò auri tantum elargimini, quantum nec ſuſtinere nec geſtare alius, quàm vir temperans queat. Hæc ille. Sunt enim faciles opes magis optandæ, quàm immodicæ.

e Quid fas optare.] Et hoc ex Alcibiade ſecundo Platonis de voto: in quo Plato docet, quid optandum à Diis. Eandem Socratis ſententiam ponit Valerius in ſeptimo. Juvenalis de votis:

> Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

Niſi intelligatur, quid fas optare in argento, nam & prius eſt de ea re, & quod ſequitur: Quid aſper utile nu[illegible]s habet.

f Aſper.] Numus expreſſo ſigno & extanti aſper eſt tactu, uſu tritus fit levis. Sic vaſa argentea cælata, in quibus aliquid eminet, Plinius aſpera nominat. Suetonius numum aſperum dixit in Nerone: Aurum obryzum & numum aſperum ingenti faſtigio exegit. An pro noviter percuſſo, an quia meliores erant aſperi, quàm qui plana erant nota, quales fuerint ne olim, non ſat ſcio. Inæqualem numum dici aſperum oſtendit aſperitatis definitio in Timæo Platonis: Aſperitas, inquit, eſt durities inæqualitati permixta. *Aſper numus. Aſperitas.*

g Quem te Deus eſſe juſſit & humo.] Etiam ex Platone, qui Deum facit Imperatorem generis humani, aſſignantem ſuum unicuique in ſtatione hac & veluti militia locum, à quo non licet diſcedere injuſſu illius. Facit hoc ad rectum officium vitæ, ut quiſque ſciat, quæ pars ſit generis humani, ut juxta illam vivat, ſatisfaciatque muneri ſuo, ſit ne agricola an urbanus, ſervus an liber, tum cerdo, ſartor, philoſophus, ſacerdos, miles, princeps, magiſtratus, privatus.

a DE vita & moribus civitatum atque populorum.] Ita Euſeb. lib. 5. de demonſtr. Evang. in præfat. & lib. 4. de præparat. Evang. & Athanaſ. orat. contra *F.L.Coq.*

V

tra Gentes oſtendunt, nihil unquam boni, aut honeſti, aut cum virtute conjunctum à diis illis in homines profectum. Apud populos cultores vanorum deorum antiquitus licita erant multa flagitia. Minutius in Octavio. Jus eſt apud Perſas miſceri cum matribus: Ægyptiis & Athenis cum ſororibus legitima connubia: memoriæ & tragœdiæ veſtræ inceſtis gloriantur, & ſic deos colitis inceſtos cum matre, cum ſorore, cum filia conjunctos. *Cyril. l. 4. contra Julianum:* Chaldæos ferunt matres ducere uxores, & in ſorores inſanire, & turpiſſima quæque facere nemine redarguente : imo ad hoc exhortantibus legibus, quæ contra naturam. *Indeque refellit calumniam, ſeu mavis blaſphemiam Juliani vana illa numina deos gentium bonos appellantis.* Bonos, dic obſecro, deos & præſides, tibi & tecum ſentientibus datos eſſe dicis? quales nam & quibus præſidentes gentibus? num Tauricam habitantibus Cherſoneſum, & Scythis, crudeliſſimisque aliis barbaris, qui manſuetudinem & placiditatem nihil faciunt, appreciant autem gravem iram & impotentiam animi, prophanosque alios mores inſuper, & gloriam putant homicidium? num Perſas curant, quibus honeſtum & dignum eſt nuptias cum matribus habere? *Lactant. lib. 4. cap. 1. in idololatriam ipſam refert omne ſcelus & nefas, quod ſparſum eſt in totum genus humanum.*

β A quibus colebantur illa numina] *Apud diverſos enim populos, & in diverſis civitatibus varia etiam numina colebantur. Tertull. in Apolog. cap. 24.* Unicuique provinciæ & civitati ſuus Deus eſt, ut Syriæ Aſtartes, Arabiæ Diſares, ut Norici Belenus *&c. Minut. in Octa.* Per univerſa imperia, provincias, oppida videmus ſingulos ſacrorum ritus Gentiles habere, & deos colere municipes, ut Eleuſinios Cererem; Phrygas Magnam matrem; Epidaurios Æſculapium; Chaldæos Belum; Aſtartem Syros; Dianam Tauricos; Gallos Mercurium: univerſa Romanos. *Clemens Alexandr. lib. 7. ſtromat.* Deos ſibi ſimiles quaſcunque finxiſſe nationes forma ſimili, habitu corporis, moribus & affectibus. *Athenagoras Apolog. pro Chriſtianis:* Ne illis quidem ipſis, *inquit*, qui nobis hoc vitio vertunt, quod non eoſdem, quos ipſi agnoſcunt, deos ſequamur, inter ſe convenit. Nempe Athenienſes ſibi Celeum & Metaniram deos ſtatuerunt, Lacedæmonii Menelaum, cui & ſacrificia & dies feſtos peragunt. Ilienſes, qui ne nomen quidem illius audiunt & tanquam hoſtis audire nolunt, ſuum celebrant Hectorem, Chii Ariſteum, eumdem & Jovem & Apollinem exiſtimantes.

γ Ubi Fugalia celebrarentur.] *Feſta fuerunt Romæ in memoriam exactorum Regum ac liberatæ Reip. inſtituta. Cenſorinus de die natali, feſtum hoc* Regifugium *vocat, quod eo die Tarquinius ab exercitu ad Porſenam Etruſcorum Regem fugiſſet. Celebrantur autem Fugalia menſe Februario poſt exacta Terminalia. Quod vero celebrarentur effuſa omni licentia turpitudinis & laſciviæ, alluſione facta ad ſignificatum nominis, recte ea vocat* Fugalia pudoris & honeſtatis. *Alii codices habent* (non pudoris,) *ut velit in hujusmodi feſtis fuiſſe locum omni laſciviæ, ſublato omni pudore & honeſtate: ut facile intelligerent Romani etiam ratione duce ſe non diis bonis, quibus cara ſit virtus, ſed malignis ſpiritibus hujusmodi ſacrilegia exhibere.*

δ Ad hoc Eccleſias inſtitutas,] *Ex Dionyſ. Eccleſ. hierar. cap. 3. colligitur fuiſſe ritum*

ritum antiquiſſimum in Eccleſia, ut poſt ſymboli pronunciationem ſequeretur prædicatio verbi Dei. Omnibus ſe invicem ſalutantibus myſtica ſacrorum voluminum prædicatio perficitur: *ubi Sinconienſis*: prædicatur vel ab hierarcha, vel ab alio de ſacris voluminibus novi & veteris Teſtamenti. *Clemens Rom. lib. 8. conſtitu. Apoſt. cap. 4.* Poſt lectionem legis, & prophetarum, epiſtolarum noſtrarum, Actuum, atque Evangelii, ordinatus ſalutet Eccleſiam his verbis: Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei noſtri, & communicatio Spiritus ſancti cum omnibus vobis amen. Et omnes reſpondeant: Et cum ſpiritu tuo: poſt hæc verba alloquatur populum ſermonibus exhortatoriis. *Orig. homil.9. in Levitic.* Si ad Eccleſiam frequenter venias, aurem divinis literis admoveas; explanationem mandatorum cœleſtium capias, ſicut cibis & deliciis caro, ita ſpiritus verbis divinis convaleſcet cum ſenſibus *&c. Auguſt. lib.3. Confeſſ. cap.5.* Et eum *(ſcilicet Ambroſium)* in populo verbum Dei recte tractantem omni die dominico audiebam, *Scilicet in Eccleſia, quo confluebat populus. Plerisque patrum ſynodis diligenter cautum & ſancitum fuit, ut qui præſunt Eccleſiis, omnibus quidem diebus præcipue Dominicis clerum & populum doceant pietatis & orthodoxæ fidei eloquia: quod repetitum eſt & in concil. Trident. ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4. Ad alios quidem fines etiam Eccleſiæ ſunt inſtitutæ, [ut ad juge illud, & incruentum ſacrificium » Deo offerendum,] ad orandum. Nam ex Chryſoſt. homil. 3. contra Anomæos:* Etſi » domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non poteſt ut domi tam bene ores, quam in Eccleſia, ubi tot patres, ubi clamor fœlici ſocietate excitatus ad Deum immortalem refertur. *Et hom. 79 ad populum:* Et domi quidem orari poteſt, ſic autem ut in Eccleſia non poteſt, ubi tanta patrum multitudo, ubi clamor unanimiter excitatus ad Deum emittitur: non ita Dominum per te ſolum orans audieris, ut cum fratribus tuis.

s Quaquaverſum religio Chriſtiana diffunditur.] *Latius certe quam ullum unquam dilatatum fuerit imperium. Tertul. lib. contra Judæos cap. 7. ubi oſtendiſſet quælibet imperia terris limitibus fuiſſe concluſa:* Chriſti autem regnum & nomen, *inquit,* ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur.

CAP. VII.

Inutilia eſſe inventa philoſophica ſine autoritate divina, ubi quemquam ad vitia pronum magis movet, quod Dii fecerint, quàm quod homines diſputaverint.

α AN forte nobis philoſophorum ſcholas diſputationesque memorabunt? Primò β hæc non Romana, ſed Græca ſunt: aut ſi propterea jam Romana, quia & γ Græcia facta eſt Romana provincia, non Deorum præcepta ſunt, ſed hominum inventa, qui utcunque conati ſunt ingeniis acutiſſimis præditi ratiocinando veſtigare, *a* quid in rerum natura latitaret: *b* δ quid in moribus appetendum eſſet atque fugiendum: *c* quid in ipſis ratiocinandi regulis certâ connexione traheretur, aut quid non eſſet conſequens, vel etiam repugnaret. Et qui- *Philoſophia præcepta.*

quidam eorum quædam magna, *ſ* quantum divinitus adjuti ſunt, invenerunt: & quantum autem humanitus impediti ſunt, erraverunt: maximè *d* cùm *n* eorum ſuperbiæ juſtè providentia divina reſiſteret, ut viam pietatis ab humilitate in ſuperna ſurgentem, etiam iſtorum comparatione monſtraret. unde poſtea nobis erit in Dei veri & Domini voluntate diſquirendi ac diſſerendi locus. Veruntamen ſi philoſophi aliquid invenerunt, quod agendæ bonæ vitæ beatæque adipiſcendæ ſatis eſſe poſſit: quantò juſtius talibus divini honores decernuntur? Quantò melius & honeſtius in Platonis templo libri ejus legerentur, quàm in templis dæmonum *ð* Galli abſcinderentur, *e* molles conſecrarentur, inſani ſecarentur, & quicquid aliud vel crudele, vel turpe, vel turpiter crudele, vel crudeliter turpe in ſacris talium Deorum celebrari ſolet? Quantò ſatius erat ad erudiendam ad juſtitiam juventutem publicè recitari leges atque inſtituta majorum? *f* Omnes enim cultores talium Deorum mox, ut eos libido perpulerit, *g* ferventi, ut ait Perſius, tincta veneno, *ı* magis intuentur, quid Jupiter fecerit, quàm quid docuerit Plato, vel cenſuerit Cato. *h* Hinc apud Terentium flagitioſus adoleſcens ſpectat tabulam quandam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc, Jovem quo pacto Danaë miſiſſe ajunt in gremium quondam imbrem aureum: atque ab hac tanta autoritate adhibet patrocinium turpitudini ſuæ, cùm in ea ſe jactat imitari Deum. At quem Deum? inquit: Qui templa cœli ſummo ſonitu concutit, ego homuncio id non facerem? Ego verò illud feci ac lubens.

Philoſophis potius, quàm Gentilium Diis honores decernendi.

Sat. 2.

in Eunuch.

L. Vives. *a* Quid in rerum natura.] *Triplicem philoſophiæ partem attingit, hic naturalem.*

b Quid in moribus.] *Moralem.*

c Quid in ipſis.] *Rationalem ſeu dialecticam: de quibus alibi.*

d Cum eorum ſuperbiæ.] *Quòd ſuis ingeniis, quæcunque invenerent, referebant accepta, nihil beneficio Dei tribuentes. De qua re fusè diſputat Lactantius.*

e Molles conſecrarentur.] *Erant omnes iſti Galli pathici homines, ſpurciſſimis flagitiis obruti. De quibus Apulejus multa narrat nefanda lib. 8. & 9. ſui Aſini. Item Lucianus, unde Apulejus ſumpſit argumentum.*

f Omnes enim cultores talium Deorum.] *Eorum, quos colimus, exemplis plurimum movemur. Similes enim illis evadere ſtudemus, ſive homines ſint, ſive Dii. Populus principis ſimilis eſſe affectat: diſcipuli præceptoris, quem colunt: & mortales eorum, quos pro immortalibus venerantur. Hinc nobis & Chriſti & ſanctorum noſtræ religionis propoſita ad imitationem exempla. Plato lib. de repu. 2. eam cauſam inter cæteras affert, cur poetas nolit in ſua civitate, quod, quæ de Diis ſint commenti, peſſimum ſint legentibus exemplum: ſicut bella, rapinæ, ſeditiones, adulteria, furta, & ſimilia. Ex quo loco ſumpta ſunt illa verba, quibus loquentem Menippum Lucianus facit ἐν νεκυομαντείᾳ: Ego igitur, inquit, cùm puer adhuc eſſem, audirémque Homerum & Heſiodum ſeditiones ac bella canentes, non ſemideorum modo, ſed ipſorum etiam Deorum adulteria quoque, violentias, rapinas, ſupplicia, patrum expulſiones, & fratrum & ſororum nuptias. Hæc me hercle omnia bona pulchráque putabam,*

bam, & ſtudioſè erga ea afficiebar. Neque enim Deos unquam putavi mœchaturos, aut ſeditiones invicem fuiſſe moturos, niſi de his rebus perinde ac bonis judicaſſent. Hæc ille. Quæ nos maluimus Thomæ Mori verbis dicere, quàm noſtris: cujus laudes obiter atque aliud agentem attingere penè ſit nefas. Grandibus enim voluminibus vix adhuc totæ queant explicari. Quis enim de illius ingenii acumine, de judicii acrimonia, de varietate eruditionis atque præſtantia, de facunda linguæ eloquentia, de ſuavitate morum ac probitate: in providendis rebus conſilio, in exequendis dexteritate, in omnibus moderatione, integritate, æquitate, fide, ſatis pro dignitate dixerit? niſi uno verbo ſumma, perfecta, undique abſoluta, ſuis omnibus conſummata numeris dixerit: niſi id quod res eſt, exemplaria, ſpecimina, ſui quódque generis affirmarit? Magna loquor, & mirabuntur, qui Morum non norunt: ſed ſciunt vera me loqui, qui norunt, qui libros legerint, qui actus vel viderint, vel audierint, fidem facillimè habebunt. Cæterùm in hujus viri laudibus velut in latiſſimo pelago erit aliud tempus, quo liceat vela pandere, & nos totos proſperrimæ auræ committere, ſcriberéque tum multa, tum maxima, idque ſecundis lectoribus. Thomas Morus.

g Ferventi tincta veneno.] *Perſius Satyra tertia:*

Cùm dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno.

De omni bili intelligitur, quod eſt fervens venenum: ſed hìc pro ſemine genitali poſuit Auguſtinus, ſicut virtus apud alios.

h Hinc apud Terentium.] *In Eunucho, Chærea, qui pro Eunucho ad Thaidem à Parmenone erat deductus, flagrans amore virginis Thaidi dono à Thraſone milite data, de ſtupro, quod ipſe virgini obtulerat, Antiphoni ſocio narrans, ſic inquit: Dum apparatur, virgo in conclavi ſedet ſuſpectans tabulam pictam, ubi inerat pictura hæc, Jovem quo pacto Danae miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum. Egomet quoque id ſpectare cœpi, & quia conſimilem luſerat jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi, Deum ſeſe in hominem convertiſſe, atque per alienas tegulas veniſſe clanculum per impluvium, fucum factum mulieri. At quem Deum? qui templa cœli ſumma ſonitu concutit. Ego homuncio hoc non facerem? ego illud verò ita feci, ac lubens. Hactenus verba illius. Danae formoſa virgo à patre Acriſio ſervabatur in turri, nec ulli virorum ad eam erat acceſſus: quam Jupiter cùm adamaret, aurea pluvia per impluvium turri illapſus vitiavit: hoc eſt muneribus aureis, quibus nihil eſt ſatis occluſum atque obſeptum, & ipſius virginis & cuſtodum animos corrupit.* Danae.

a AN nobis forte philoſophorum ſcholas.] *Potuiſſet aliquis reſpondere, non quidem in Deorum templis doceri virtutes ſectandas & fugienda vitia: in ſcholis tamen philoſophorum optima quæque præcepta tradi, & ſaluberrima vitæ inſtituta doceri de cohibenda avaritia, ambitione frangenda, luxuria refrænanda. Cic. 3. & 4. Tuſcul.* Philoſophos virtutis magiſtros *nominat & 1. Tuſcul.* Philoſophiam *vocat* vitæ ducem, virtutis indagatricem expultricemque vitiorum, quæ urbes pepererit, diſſipatos homines vitæ convocarit, quæ eos inter ſe primo domiciliis & vocum communione junxerit: inventricem legum, F.L.Coq.

 gum,

gum, magiſtram morum & diſciplinæ, ab eaque dicit peccatorum noſtrorum omnem correctionem petendam. *Multa de virtutibus, de recte inſtituenda vita & conſentanea rectæ rationi tradiderunt philoſophi, licet alias cæcutierint, & in tenebris immerſi eſſent infidelitatis. Quod Tertull. lib. de anima docet his verbis:* Non negabimus, *inquit*, philoſophos aliquando juxta noſtra ſenſiſſe: teſtimonium eſt veritatis etiam in inventis ipſis: nonnunquam in procella confuſis veſtigiis cœli, & freti, aliquis portus offenditur fœlici errore: nonnunquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenduntur cæca fœlicitate, ſed & natura pleraque ſuggeruntur, quaſi de publico ſenſu, quo animam Deus dotare dignatus eſt. *Et Minut. in Octa. oſtendit Philoſophos de Deo multa bene nobiſcum ſenſiſſe,* ut quivis arbitretur aut nunc Chriſtianos philoſophos eſſe, aut philoſophos fuiſſe jam tunc Chriſtianos. *Et Juſtin. Martyr. apolog. 1. ſcribit Platonis doctrinam à Chriſti præceptis non longe eſſe alienam.*

β Hæc non Romana, ſed Græca ſunt.] *A Græcis certum eſt ad Romanos philoſophiam fluxiſſe; & fatetur Cic 1. Tuſc. Græciam Romanos doctrina & omni literarum genere ſuperaviſſe. Diog. Laert. in proœmio contendit non à Barbaris, ut ſentiebant aliqui, ſed à Græcis initium ſumpſiſſe, de quo alias plura.*

γ Græcia facta eſt Romana provincia] *Scipione Africano minore, & C. Livio Druſo Coſſ. anno V. C. DC. VI. bellum indictum eſt Achais ſolis tum ex univerſa Græcia nimis potentibus, quod apud Corinthum legatos Romanorum violaſſent. Bellum illud à Q. Metello Macedoniæ prætore inchoatum, anno ſequenti L. Mummius Conſul cum Corinthi excidio confecit, & omnibus Græcis arma ademit, & ex decem legatorum, quos ſenatus miſerat, ſententia, provincia conſtituta eſt, tributum Græcis impoſitum, concilia ſublata, inſtitutumque ut eo quotannis Prætor mitteretur, qui non Græciæ, ſed Achaiæ præfectus appellaretur, quod Græciā Romani per Achæos tum Græciæ principes ſubegiſſent. Hæc Livius libro 52. Flor. lib. 2. capit. 16. Eutrop. lib. 4. Pauſan. lib. 2. & 7. Juſtin. lib. 34. Oroſ. lib. 5. cap. 3.*

δ Quid in rerum natura latitaret.] *Platonici & Stoici diviſerunt philoſophiam in tres partes, ut refert Laert. in vita Platonis, & Zenonis:* In diſſerendi ſubtilitatem, naturæ obſcuritatem, & vitam ac mores. i.e. in Logicam, Phyſicam & Ethicam. *Hic ergo triplicem hanc philoſophiæ partem attingit, cujus etiam diviſionis meminit infra lib. 8. cap. 4. & Euſeb. lib. 11. de præpar. Evangel cap. 1. & Orig. hom. 14. in Geneſim. Et Seneca epiſt. 89.* Philoſophiæ tres partes eſſe dixerunt & maximi & plurimi auctores: Moralem, Naturalem & Rationalem, prima componit animum, ſecunda rerum naturam ſcrutatur, tertia proprietates verborum exigit, & ſtructuram & argumentationes, ne pro vero falſa ſurrepant.

ε Quantum divinitus adjuti ſunt.] *Ubi enim veritatem attigere, non dubium affulſiſſe illis lucem divinam. Deus enim eſt,* qui docet hominem ſcientiam. *Pſal. 93.* Et qui docet nos ſupra jumenta terræ. *Job. 35. interius enim tribuit homini intellectum & lumen, quo poſſit veritatem ipſam indagare. Et Cic. 1. Tuſc. Philoſophiam vocat* inventum Deorum, *& Plato in Timæo:* μεῖζον φιλοσοφίας ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν. *Quod idem apud Cic. lib. 1. Acad. qu.*

nul-

nullum majus aut melius philoſophia à diis datum munus homini. *Dionyſ. epiſt. 7. ad Policarp. retorquet in Apolophanem, quod objiciebat, parricidam illam appellans eum, ut qui Græcorum dictis atque ſententiis in eos ipſos parum juſte uteretur:* Atqui nos contra, *inquit*, verius objicere poſſemus Græcos potius adverſus divina divinis uti injuſtiſſime, ac nefario ſcelere per ſapientiam Dei, divinæ religionis cultum evacuare moliri: *ubi dogmata philoſophorum, in quibus bene ſenſerunt, divina vocat, & philoſophiam ſapientiam Dei, & D. ipſe Auguſt. lib. 6. de Baptiſ. contra Donatiſt. cap. 43. & lib. 7. cap. 56. In ipſis Ethnicis aliquid divinum reperiri, & rectum in doctrinis ſcribit, quod nec ſtatim eſt improbandum, & ſi quid ſapienter à Gentilibus dictum, non continuo cum auctoris nomine ſpernere nos debere dicta monet Orig. hom. 11. in Exodum. Et quidquid uſquam recte ab eis dictum, noſtrum eſſe Chriſtianorum ſcribit Juſtin. Apolog. 1. pro Chriſtianis.*

ζ Quantum autem humanitus impediti ſunt, erraverunt.] *D. Hieron. in cap. 44. Iſai. ait, philoſophorum ſapientiam maximam partem erroris fuiſſe. De erroribus philoſophorum legi poſſunt Juſtinus Martyr. in orat. parænet. ad Gent. Et in Apolog. 2. Clem. Alex. libro 5. ſtromat. Orig. lib. 5. contra Celſum, Lactant. lib. 3. divin. Inſtit. Theodoret lib. 6. de cur. Græc. affect. & libro 9. multas refert leges Platonis rationi & naturæ ipſi omnino diſſonas. Et Euſeb. lib. 8. cap. 2. Platonem ait conſcripſiſſe leges verbis inanibus, unde nulla utilitas niſi forte eloquentiæ conſecuta eſt. Hermias item philoſophus Chriſtianus tom. 4. bibliothec. Sanctorum Patrum. Joan. Picus Mirandulanus libr. 6. contra philoſophos, & Gentilium philoſophiam. Canus libro 10. de locis cap. 5. colligit multos errores Ariſtotelis.*

η Eorum ſuperbiæ providentia divina juſte reſiſteret.] Superbis enim Deus reſiſtit, & humilibus dat gratiam. *Prov. Chriſtus Matth. 11.* Confiteor tibi pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. *1. Corinth. 1.* ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi inquiſitor hujus ſæculi?

θ Galli abſcinderentur.] *Sacerdotes erant execti Cybeles, quos tradit Herodianus ſic dictos à Gallo fluvio, apud quem orgia celebrant evirati deæ ſacerdotes. Horum meminit Minut. in Octa. Tert. in Apol. cap. 23. & 25. Lactant. lib. 1. cap. 21. de his plura Pomponius Læt. de ſacerd. Rom. c. 12. & Feneſtella. cap. item 12.*

ι Magis intuentur quid Juppiter fecerit.] *Julius Firmic. lib. de errorib. proph. relig. cap. 13.* Quicunque hæc ſacra deorum devota mente venerantur, cuicumque placet ſuperſtitionis iſtius metuenda contagio, aut malis ſuis ſolatium quærit, aut facinora eorum tacita collaudat cogitatione, hoc optans, hoc quærens, hoc utique magnopere deſiderans, ut & ſibi liceat, quod diis ſuis licuit, & ut ſe ad conſortium talis vitæ morum ſimilitudo perducat: adulterio delectatur aliquis, Jovem reſpicit, & inde cupiditatis ſuæ fomenta conquirit, probat, imitatur, & laudat, quod Deus ſuus cygno fallit, in tauro rapit, ludit in Satyro, & ut liberalis in flagitiis eſſe conſueſcat, quod incluſam regiam virginem auro largiter fluentem corruperit, puerorum aliquis delectatur amplexibus, Ganymedem in ſinu Jovis quærat, inceſtum deſiderantibus à Jove ſumantur exempla, cum matre concubuit, ſororem duxit uxorem & ut integrum facinus impleret inceſti, fili-

am quoque animo corruptoris aggreſſus eſt, *ibidem :* Semina plane omnium ſcelerum à diis ſuis peccantium turba collegit, & ut perditus animus impune facinus poſſet admittere, ex præcedentibus facinorum exemplis majore ſe auctoritate defendit. *Arnob. lib. 5.* contra Gentes: Ita erga non protinus ab hujusmodi fugiendum diis longe, ac ne irrepat in animum tam impuræ religionis obſcænitas, audientia tota claudenda eſt : quis eſt enim mortalium tam pudicis moribus inſtitutus, quem non ad hujusmodi furias deorum documenta pruritent? Aut quis ſuas comprimere cupiditates à cognatis valeat, reverendisque perſonis, cum apud ſuperos ſanctum nihil in libidinum videat confuſione ſervatum! *D. Cyp. epiſt. 2. ad Donat.* Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Jovem illum ſuum non magis regno, quam vitiis principem, in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem; nunc in plumas oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubeſcentium raptus miniſtris avibus proſilire. Quære jam nunc an poſſit eſſe qui ſpectat integer vel pudicus. Deos ſuos, quos venerantur, imitantur, fiunt miſeris & religioſa delicta. *Cyr. lib. 7. contra Julianum:* Apud illos invenio deos abſurdis non abhorrentes, & ad obſcœnas voluptates omnes ſe conferentes. Eum autem, qui didicerit adorare peſſimis omnibus irretitos, quis poſtea futurus ſit dicere, prætermitto. *Et Nazianz. orat. in ſancta lumi. hoc graviſſimum eſſe docet,* quod flagitioſos deos & vitiorum patronos effinxerunt, ut peccatum non modo crimine careat, ſed præclarum etiam ac divinum cenſeatur, ad ea videlicet, quæ pro diis adorantur, defenſionis cauſa confugiens, quis tandem illis perſuaſerit, ut placidi & moderati ſint, cum deos perturbationum duces & patronos habeant, ubi vitium non modo turpe, ſed honorificum etiam exiſtimatur, utpote deorum aliquem protendens, cujus iſta perturbatio ſit, atque aris & ſacrificiis ornatur. *Et D. Amb. lib. 1. de Virginibus:* Quid de ſacris Phrygiis loquar in quibus impudicitia? diſciplina eſt, atque utinam ſexus fragilioris. quid de Orgiis Liberi? ubi religionis myſterium eſt incentivum libidinis; qualis ergo ibi poteſt eſſe vita Sacerdotum, ubi colitur ſtuprum deorum? *Athanaſ. orat. contra Gentes.* Hinc mala in homines ingenti numero incubuerunt, quum enim viderent deos ſuos iſtiusmodi rebus oblectari, ſtatim eos iisdem delictis æmulati ſunt, egregium facinus arbitrati, ſi exempla eorum, quos ſummos cenſebant, imitarentur, atque inde factum eſt, ut ſceleribus homicidiorum, parricidiorum omniumque libidinum ſuccubuerint, nam propemodum omnes ætates omnibus libidinibus ſcatent, ob immanitatem morum quam in diis ſuis conſpiciunt. *D. Auguſt. ipſe lib. 1. confeſſio. cap. 16. loquens de obſcœnis deorum fabulis confictis ab Homero :* Hæc fingebat Homerus, *inquit,* ſed hominibus flagitioſis divina tribuendo, ne flagitia putarentur, & ut quisquis ea feciſſet non homines perditos, ſed cœleſtes deos videretur imitatus. *Fulgent. in Mytholog. in fabula Mercurii:* ſi furtis præfuere dii, non erat opus criminibus judice, ex quo culpæ habuere cœleſtem auctorem. *Lactant. lib. 1. cap. 10.* Stultus M. Tullius, qui C. Verri adulteria objecerit, eadem Juppiter, quem colebat admiſit, qui Clodio ſororis inceſtum, at eidem Opt. Max, eadem fuit & ſoror & conjux.

x Hinc

x Hinc apud Terentium.] *Idem loco citato meminit ejuſdem flagitioſi Terentiani adoleſcentis:* vide, *inquit,* quemadmodum ſe concitat ad libidinem quaſi cœleſti magiſterio. *Et epiſt 202.* Terentianus ille adoleſcens, qui ſpectans tabulam pictam in pariete, ubi pictura inerat de adulterio Regis Deorum, libidinem qua rapiebatur ſtimulis etiam tantæ auctoritatis accendit: nullo modo in illud flagitium vel concupiſcendo laberetur, vel perpetrando immergeretur, ſi Catonem maluiſſet imitari, quam Jovem. *Similis locus huic Terentii extat & apud Ariſtophanem in Nubibus, ubi Phidippidi hac ratione perſuadetur facilime licitum eſſe quævis amplecti vitia:* Μοιχὸς γὰρ ἢν τύχῃς ἁλούς; τάδ' ἀντερεῖς, πρὸς αὐτόν. ὡς οὐδὲν ἠδίκηκας, εἶτ' εἰς τὸν Δία ἐπανενεγκεῖν κἀκεῖνος ὡς ἥττων ἔρωτός ἐστι καὶ γυναικῶν· καίτοι σὺ θνητὸς ὢν θεοῦ πῶς μεῖζον ἂν δύναιο; i.e. Si fueris in adulterio deprehenſus, hæc contra objicies, ut nihil injuriæ cuiquam intuleris, quin & in Jovem culpam rejicies, quod amore victus inierit fœminas, tu vero cum humuncio ſis, quomodo plus quam Deus ipſe poſſis?

CAP. VIII.

De ludis ſcenicis, in quibus Dii non offenduntur editione ſuarum turpitudinum, ſed placantur.

AT enim non traduntur iſta ſacris Deorum, *a* ſed fabulis poetarum. Nolo dicere illa myſtica quam iſta theatrica eſſe turpiora. Hoc dico, quòd negantes convincit hiſtoria, eosdem illos ludos, in quibus regnant figmenta poetarum, non per imperitum obſequium ſacris Deorum ſuorum intuliſſe Romanos, *β* ſed ipſos Deos, ut ſibi ſolenniter æderentur, & honori ſuo conſecrarentur acerbè imperando, & quodammodo extorquendo feciſſe. Quod in primo libro brevi commemoratione perſtrinxit. *a* Nam ingraveſcente peſtilentia ludi ſcenici autoritate pont. Romæ primitus inſtituti ſunt. Quis igitur in † agenda vita non ea ſibi potius ſectanda arbitraretur, *γ* quæ actitantur ludis autoritate divina inſtitutis, quàm ea, quæ ſcriptitantur legibus humano conſilio promulgatis? *δ* Adulterum Jovem ſi poetæ fallaciter prodiderunt, Dii hi utique quia † caſti quibus tantum nefas per humanos ludos confictum eſt, non quia neglectum eſt iraſci ac vindicare debuerunt. *h* Et hæc ſunt *ε* ſcenicorum tolerabiliora ludorum, *ζ* comœdiæ ſcilicet & tragœdiæ, hoc eſt fabulæ poetarum agendæ in ſpectaculis, multa rerum turpitudine, ſed nulla ſaltem ſicut alia multa verborum obſcœnitate compoſitæ: quas etiam *η* inter ſtudia, quæ honeſta ac liberalia vocantur, *θ* pueri legere & diſcere coguntur à ſenibus.

[Margin: † al. agenda. — † al. caſti quia tantum.]

a NAm ingraveſcente.] *Quoniam & hoc libro, & aliis ſequentibus Auguſt. de ludis ſcenicis plerunque meminit, locus poſtulare videtur, ut de illis nonnulla dicam: & quæ ſparſim multis capitibus eſſent dicenda, hic omnia una ſerie contexam, quo melius intelligantur. Et primùm de eorum origine apud Græcos, poſtmodum apud Romanos. Nam imitatio ex Græcia manavit in Italiam. Veteres igitur in Græcia agricolæ, cùm ſacrum Libero pro anni proventu facerent, incenſis altaribus primùm*

[Margin: L. Vives. — Fabularum theatri origo.]

mùm aliquid vice precum cantillabant: deinde quò propitiorem ſibi redderent Liberum, ejus geſta, victorias, ſubactóſque reges, illius triumphos, & regum calamitates concinnebant. Cœpit præmium induſtriæ proponi caper, vel capri ſacrificati corium vini plenum. Et ingenia tum præmio non parvi apud ruſticos homines & tenues pretii, tum oſtentandi ſui gratia carmina confinxerunt, incondita primùm paucáque: deinde, ut fit, plura & elimatiora: cúmque in devictis à Libero regibus parum eſſet in ſingulos annos materiæ, ad reliquos reges illis calamitatibus ſimiles itum eſt, déque

Tragœdia. ipſis multa ſunt cantata. Atque hæc eſt nuncupata tragœdia, vel ἀπὸ τῦ τράγυ, hoc eſt hirco, quem accipiebat victor in certamine: vel à fæcibus vindemiarum, quibus

Comœdia. os perungebantur, quas Græci τρύγας vocant. Comœdiam, ſunt qui eiſdem cœptam ſacris velint: aliis ſacris Apollinis Nomii, hoc eſt paſtorum vicorúmque præſidis: quidam per idem tempus utrique Deo ſacrificari tradunt. Dicam quod eſt vulgatius: Athenienſibus per pagos adhuc diſperſis, necdum coactis in urbem à Theſeo, agricolæ peractis ſacris, tum eos, qui in ſacrificio fuerant, tum etiam viatores ſalſis dictis impetebant, riſumque excitabant ſpectatoribus. Urbe conſtructa, ſolenni & ſtato tempore, vetere more in urbem agricolæ plauſtris vecti veniebant, faceta dicacitate modò ruſticos modò etiam pleroſque de urbanis inceſſentes, præcipuè ſi à quoquam erant injuria affecti. Et hæc quidem comœdia eſt dicta, vel ἀπὸ τῶν κωμῶν, id eſt, à vicis pagiſque, in quibus agebatur, vel ἐπεὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκώμαζον, quòd in viis laſcivirent, & dictis petulantioribus luderent. Nam eo tempore nondum villas & vicos Athenienſes κώμας dicebant, ſed δήμους. Placuit hic mos urbano populo, & eos, qui dicendo valebant, ad eruditius ſcribendum de eo argumenti genere carmen ſunt adhortati. Ita ſenſim ruſtici ſunt excluſi, qui ſimplicitate ſua, ſive odio, ſive invidia momorderunt quidem, ſed non cruento morſu. Poetæ urbani primùm, acrius cùm taxaſſent civium facta, profuerunt nonnihil, quòd à ſceleribus multos metu retrahebant: caeterùm cœperunt affectibus vel ſuis, vel amicorum ſervire, ſimultates aſperè exercere, ſtylis pro telis abutentes, principes viros interdum nihil commeritos in ſcena proſcindere, idque nominatim. Quod cùm eſſet paſſus Alcibia-

Eupolis. des ab Eupolide in Baptis fabula, illum corripi juſſit, ac mergi in mare. nam tum fortè Alcibiades Imperator erat, claſſemque habebat in Piræo: cúmque mergeretur poeta, illud ſubinde Alcibiades ingerebat: Tu me in ſcena ſæpè merſiſti Eupoli, ego te in mari. Hujus exemplo ſatis territis poëtis, ſucceſſit lex opera Alcibiadis lata, ne quem liceret nominatim in ſcena taxare: ita genus illud comœdiæ abolitum eſt, di-

Comœdia vetus, media, & nova. ctáque eſt vetus comœdia, hoc eſt ἀρχαία. Succeſſit media, quæ obliquis dictis perſtringebantur multi tacitis nominibus: & eo in ſuſpicionem venit nobilitati, tanquam ſua facta notarentur. Ita in totum eſt ſublata, repertáque eſt nova, quæ de mediocribus perſonis luſit confictis nominibus, & argumento tam alieno ab iis, quæ faciebat nobilitas, ut manifeſtum eſſet, quoſvis potius quàm nobiles perſtringi: deinde affectibus tam moderatis, ut nemo de ſe dici etiam nominatim ægrè admodum tuliſſet. Hujus princeps fuit Menander, qui cum Alexandro Macedone vixit paulò minor eo. Vetus bellis Peloponneſiacis viguit, in quo Ariſtophani plurimi deferunt palmam: quamvis in media quoque multum eum valuiſſe dicant. Sed haud dubiè Antipha-

nes

tes Lariſſæus fuit in hoc genere facilè primus. Atque hæc quidem in Græcia. Romæ verò cum anno ab Urbe condita circiter quadringenteſimum, T. Sulpitio Potito. C. Licinio Stolone Coſſ. & ſuperiore anno peſtilentia laboratum eſſet, & eodem laboraretur, ex libris Sibyllinis ludi ſcenici ſunt voti: nova res in populo bellicoſo. Ludiones ſunt ex Hetruria aſciti, qui gentis nomine hiſtriones nuncupantur, hique ad tibicinis cantum taciti ſaltarunt, motibus non omnino, ut illa ætate, inconcinnis, neque verſum dixere ullum. Ruſtici in Italia vetuſto Græciæ more peractis ſacris, poſt meſſem, gratulatique Deis de bono anni proventu, hilariores, opere perfecto, ruſticana quædam dicta in ſe invicem jactabant ad riſum movendum: interim ſpurcis verbis non abſtinentes: interim paulò mordacius attingentes, idque alternis verſibus, qui dicebantur Feſcenini, à Feſcenina civitate Hetruriæ. Hos cœperunt Romani hiſtriones imitari, ſed parcentes nominibus. nam id jam antea Duodecim tabulis erat cautum ne fieret. Feſcenini ſenſim ex ſcena abierunt, relicti nuptiis & triumphis, Feſcenini. *fabulæque cœptæ ſunt introduci, quæ delectarent ſine cujusquam offenſione. quod Horatius epiſtola ad Auguſtum attingit. Ita cùm nominatim lædi quemquam in ſcena non liceret, ex Græco ritu alia fabularum genera ſunt Romam adducta, nova ſcilicet Comœdia & Satyra: non illa, quæ uno carminis genere in vitia invehebatur,* Satyra. *qualem ſcripſere Horatius, Perſius & Juvenalis: nam huic initium dedit Lucilius, qui ſub Scipione Æmiliano meruit bello Numantino: ſed in quam introducebantur Satyri contumelioſi & ſpurci, tunicis villoſis, motu gravi, inconditóque & ruſticano. Scena erat floribus, frondibus, herbis virentibus inſtructa, in faciem montium ſylvarum & ſpeluncarum, ſicut ſcæna tragœdiarum regalem magnificentiam imitantur, &* Scenarum ornatus. *comicæ mediocrium ac plebejorum ædificiorum rationem, ut Vitruvius libro quinto ſcribit. Ab iſtis Satyris primam fabulam juſtam Græco modo Latinis verſibus fecit* Fabula prima Romæ. *Livius Andronicus Salinatoris libertus, anno à condita Roma quingenteſimo decimo quarto, Appio Claudio Cæci filio, Sempronio Tuditano conſulibus, bello Punico primo, aliquot annis antè perfecto ex digeſtione temporum Attici. Secuti ſunt hunc Nævius, Plautus, Ennius, Terentius, & alii permulti, qui comœdias ſcripſere. Reliqua de ludis ſcenicis ſuis locis dicentur.*

b Et hæc ſunt ſcenicorum tolerabiliora.] *In ludis interim fabulæ juſto argumento exhibebantur populo: interim hiſtriones motus dabant impudicos ſilentio, nonnunquam quædam dicebant in rationem feſti confecta. E fabulis ſunt nonnullæ palliatæ, quarum argumentum eſt Græcum, hiſtrionesque pallio more Græco utuntur: quales ſunt omnes Terentianæ & Plautinæ: aliæ togatæ, quarum argumentum* Palliata fabula. *ex Romanis petitur, ludionesque toga Romano indumento amiciuntur: quales ſunt Afranii, Et ex togatis, aliæ ſunt prætextatæ, cùm res Imperatorum & principum Romanorum aguntur, neceſſeque eſt eſſe prætextam in ſcena, veſtimentum magiſtratuum Romanorum: à quibus non multum crediderim argumento abfuiſſe trabeatas,* Togata, Prætextata, Trabeata. *quas C. Melius Spoletanus Mecœnatis libertus invenit. Ac neſcio an fuerint eædem, qua in re nihil habeo certi. Aliæ tabernariæ, in quibus de rebus vulgi agitur. Sunt tragœdiæ, ſunt comœdiæ, ſunt Satyræ, ſunt etiam Mimi, qui dicuntur Planipedes, quòd nec ſocco* Mimi. *nituntur, nec cothurno, ſed planis pedibus exeunt in proſcenium, quamvis Satyras &*

Mimos ſub comœdia video comprehendi, quin & tragœdiam ſpeciem eſſe comœdiæ quidam affirmant. Tragœdia magna infortunia continet, ardentes affectus, atrocia ſcelera, minimum turpitudinis. Comœdia amores, nequitias, flagitia tractat, quæ in fabulam induxit Menander, ut Macedonibus ejuſmodi rebus deditis placeret. Satyra laſciviores habet Faunos & Sylvanos, qui jocis & ſalibus agreſtibus delectabant: interim admixtis lacbrymis, ſed ut erant Dii immundi & illoti, ſpurciora jactabant & fœdiora dictu auditúque. In Mimis licentia maxima, nullis parcebant turpibus. Et tamen hæc tolerabiliora erant præ aliis rebus, quæ in Bacchanalibus agebantur, quæ propter incredibilem turpitudinem ex Italia Senatusconſulto ſunt ejecta: vel in Saturnalibus, vel in Floralibus, quos ludos per meretrices & perditiſſimorum hominum genera celebrabant. Quorum Floralium actores cùm Deam ipſam non revererentur, unum hominem Catonem ſunt reveriti, quo præſente agere recuſarunt.

Floralia.

F.L.Cog. a SEd fabulis poetarum.] *Tertull. in Apolog. cap. 24. Poetas vocat* dedecoratores deorum: Hic Apollinem, *inquit*, Admeto Regi paſcendis pecoribus addicit; ille Neptuni ſtructorias operas Laomedonti locat. Eſt & ille de Lyricis *(Pindarum dico)* qui Æſculapium canit avaritiæ merito, qua medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicatum, malus Juppiter ſi fulmen illius eſt, impius in nepotem, invidus in artificem. Hæc neque vera prodi, neque falſa confingi apud religioſiſſimos oportebat. *Cic. lib. 1. de nat. poetarum deliramenta & fabulas de diis confictas redarguit, qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt deos, feceruntque ut eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus: odia præterea, diſſidia, diſcordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effuſas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortaleſque ex immortalibus procreatos. Præclare idem alibi:* Fingebat hæc Homerus & humana ad deos transferebat, mallem divina ad nos. *Poetas etiam de diis talia fingentes reprehendit Pindarus in Olympiis* ἐςὶ δ' ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά. *Eſt autem homini conveniens de diis dicere boneſta. Hujuſmodi poetarum fabulas merito Plato rejecit à ſua Repub. ut quæ mores facile corrumpant, & ad omnem intemperiem, & laſciviam homines facile inducant.*

b Ipſos deos ut ſibi ſolemniter ederentur, & honori ſuo ſacrarentur.] *Si quando vel peſtis, vel ſeditio civitatem terreret, vel gravis aliqua belli calamitas alicunde impendere videretur, tum II. viri S. C. juſſi libros Sibyllinos non ſine ceremoniis ac ſacrificio publice adibant, ex iiſque oraculis malorum impendentium cauſas & remedia quærebant, quibus ſacrificiis, ludiſve deorum iras placari, adverſitateſque impendentes à Republ. averti poſſent. Ex horum deinde relatione ac ſententia Senatus vel ludos, vel lectiſternia, vel ſacrificia malorum avertendorum cauſa publice decernebat. Ludi etiam aliquando in honorem deorum vovebantur. Refert Livius lib. 6. Camillum dictatorem belli cauſa contra Vejos dictum ludos magnos Vejis captis ſe facturum ex S. C. voviſſe M. Fulvius prætor, auctore eodem Livio lib. 39. ludos magnos Jovi Opt. Max. vovit eo die, quo Ambraciam cepit. Et ludorum votivorum paſſim meminit Livius lib. 25. lib. 40. & 42. Tertull. & Cypr. lib. de ſpectaculis. Et Lactant. lib. 6. cap. 20. ſcribunt ludos inſtitutos fuiſſe in honorem deorum & religio-*

ligionis cauſa: adeoque idololatriam eorum cauſam eſſe, atque his placari numina exiſtimabant. Arnob. lib. 7. contra Gentes. Vos æris tinnitibus & tibiarum ſonis, vos equorum curriculis & theatralibus ludis perſuaſum habetis deos delectari & affici, iraſque aliquando conceptus eorum ſatisfactione molliri.

γ Quæ actitantur ludis auctoritate divina.] *Pluris enim apud homines valere debet divina auctoritas, quam humanum conſilium, & cum dii hominibus ſint longe ſuperiores, illis obtemperandum videtur magis, maxime cum nihil rectum & honeſtum videantur poſſe præcipere: hominum vero cum ſit judicium fallax, nec ſemper diſcernat verum à falſo, honeſtum à turpi, ea poſſunt præcipere, quæ honeſta minime ſint, nec rationi conſentanea.*

δ Adulterum Jovem ſi poetæ fallaciter prodiderunt.] *Pindarus in Olympiis* ἦ θαύματα πολλὰ καὶ πού τι βροτῶν φρένα, ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις ἐξαπατῶντι μῦθοι. i. e. Mortalium mentem magis, quam verus ſermo diverſis variegatæ mendaciis decipiunt fabulæ. Sed Jovi divinitatem potius fallaciter tribuêre, quam adulterium, *Auguſt. lib. 1. Confeſſ. cap. 18.* Nonne ego in te lego & tonantem Jovem & adulterantem? Et utique non poſſet hæc duo, ſed actum eſt, ut haberet auctoritatem ad imitandum verum adulterium lenocinante falſo tonitruo.

ε Scenicorum tolerabiliora ludorum.] *Intelligit tolerabiliora fuiſſe præ aliis rebus, quæ in Bacchanalibus agebantur, quæ propter incredibilem turpitudinem S. C. ex Italia ſunt ejecta: vel in Saturnalibus, vel in Floralibus, quos ludos per meretrices & perditiſſimos homines celebrabant, cum omni laſcivia & turpitudine. Lactant. libr. 1. capit 20. Arnob. libro ſeptimo contra Gentes, Alexand. ab Alexan. lib. 6. capit. 8.*

ζ Comœdiæ ſcilicet & tragœdiæ.] *Tertull. lib. de Spect. cap. 18. vocat tragœdias & comœdias*, ſcelerum & libidinum auctrices, cruentas & laſcivas impias & prodigas.

η Inter ſtudia, quæ honeſta & liberalia vocantur.] *Ita vocantur à Tacito lib. 3. à Cicerone lib. 1. de oratore, ingenuæ artes. 2. Tuſc.* Liberalis eruditio & doctrina. *2. Academic. quæſt.* Liberalis & digna homine nobili doctrina: *dicuntur liberales artes Ulpiano* ἐλευθέρια μαθήματα, *quæ ſolius ingenii, non manuum miniſterio peraguntur, ideo liberales dictæ, quod liberum hominem deceant maximè: nam manibus & corporis labore victum quærere illiberale quiddam habet & ſervile. Platoni epiſt. 7.* ἐλευθέρα παιδία. *Plutarcho in Themiſtocle.* ἐλευθέραι διατριβαί. *liberalia ſtudia:* ἐλευθέριαι παιδίαι, ἐγκύκλια μαθήματα. *Tertull. lib. de Idololat. cap. 10.* ſecularia ſtudia, *& lib. de Spect. cap. 18.* doctrina ſecularis literaturæ.

θ Pueri legere & diſcere.] *Lib. 1. confeſſ. cap. 16. de hujuſmodi fabulis, quas puer didicerat, loquens:* Non accuſo, *inquit*, verba quaſi vaſa electa, ſed vitium erroris, quod in eis nobis propinabatur ab ebriis doctoribus, & niſi biberemus cædebamur, nec appellare ad aliquem judicem ſobrium licebat.

Cap. IX.

Quid Romani veteres de cohibenda poetica licentia ſenſerint, quam Græci Deorum ſecuti judicium, liberam eſſe voluerunt.

Quid autem hic ſenſerint Romani veteres, *a* α Cicero teſtatur in libris, quos de Republica ſcripſit, *b* β ubi Scipio diſputans ait: Nunquam comœdiæ niſi conſuetudo vitæ pateretur, probare ſua theatris flagitia potuiſſent. Et Græci quidam antiquiores vitioſæ ſuæ opinionis quandam convenientiam ſervaverunt, γ apud quos fuit etiam lege conceſſum, *c* δ ut quod vellet comœdia nominatim, vel de quo vellet, diceret. Itaque ſicut in eiſdem libris loquitur Africanus, quem illa non attigit, vel potius quem non vexavit, cui pepercit? Eſto: populares homines improbos, in repub. ſeditioſos, *d* ε Cleonem, *e* ζ Cleophontem, *f* η Hyperbolum læſit. Patiamur, inquit, & ſi hujuſmodi cives, à *g* θ cenſore melius eſt quàm à poeta notari: *h* ι ſed Periclem, cùm jam ſuæ civitati maxima autoritate plurimos annos domi & belli præfuiſſet, violari verſibus, & eos agi in ſcena non plus decuit, *i* κ quàm ſi Plautus, inquit, noſter voluiſſet, aut λ Nævius, *k* μ Publio & Cneo Scipioni, *l* ν aut Cæcilius *m* ξ Marco Catoni maledicere. Deinde paulò poſt noſtræ, inquit, contrà duodecim tabulæ *n* ο cum perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt, ſi quis *o* † actitaviſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam faceret, flagitiúmve alteri. Præclarè. Judiciis enim ac magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire, niſi ea lege ut reſpondere liceat, & judicio defendere. Hæc ex Ciceronis quarto de republica libro ad verbum excerpenda arbitratus ſum, nonnullis propter faciliorem intellectum vel prætermiſſis, vel paululum commutatis. Multum enim ad rem pertinent quam molior explicare, ſi potero. Dicit deinde alia, & ſic concludit hunc locum, ut oſtendat veteribus diſplicuiſſe Romanis, vel laudari quenquam in ſcena vivum hominem, vel vituperari. Sed ut dixi, hoc Græci quanquam inverecundius, tamen convenientius licere noluerunt, cùm viderent Diis ſuis accepta & grata eſſe opprobria, non tantùm hominum, verùm & ipſorum Deorum in ſcenicis fabulis: ſive à poetis eſſent illa conficta: π ſive flagitia eorum vera commemorarentur & agerentur in theatris, atque ab eorum cultoribus utinam ſolo riſu ac non etiam imitatione digna viderentur. Nimis enim ſuperbum fuit famæ parcere principum civitatis & civium, ubi ſuæ famæ parci numina noluerunt. nam quod affertur pro defenſione, non illa vera in Deos dici, ſed falſa atque conficta: idipſum eſt ſceleſtius, ſi pietatem conſulas religionis: ſi autem malitiam dæmonum cogites, quid aſtutius ad decipiendum atque callidius? Cùm enim probrum jacitur in principem patriæ bonum atque utilem, nonnè tantò eſt indignius, quantò à veritate remotius, & à vita illius alienius? Quæ igitur ſupplicia ſufficiunt, cùm Deo fit iſta, tam nefaria, tam inſignis injuria?

al. occentaviſſet.

a Ci-

L. Vives. Ciceronis libri de republica.

a Cicero teſtatur in libro quarto de rep.] *Si quos antiquorum libros ex iis, qui vel omnino amiſſi ſunt, vel certè non extant, vellem extare, ſunt iſti ſex Ciceronis de republica: neque enim dubito, quin opus fuerit admirabile: facio ex his fragmentis, quæ vidi, conjecturam. Audio apud quosdam tanquā aurea mala aſſervari, interim dum non prodeunt, conjecturæ ex aliis ipſius Ciceronis locis collectæ nos docent.*

Scipiones.

b Ubi Scipio.] *Gens Cornelia inter cætera cognomina, & illud Scipionum ſumpſit ab eo, qui patre cæco & ſenecta infirmo vice Scipionis erat. Clari ex hac familia fuerunt complures, de quibus dicam ſuo loco. Hic, quem in libris de repub. loquentem facit Cicero, fuit L. Æmilii Pauli, qui Perſeum Macedoniæ regem vicit, filius: quem Scipio Africani Majoris filius adoptavit, ideo à gente, in qua eſt natus Æmilianus, cognominatur. Carthaginem & Numantiam delevit.*

Veteres comœdia Nebula Ariſtophanis.

c Ut quod vellet comœdia.] *ἀρχαία, hoc eſt vetus: dixi jam de hac re, fiebat, ut cives metu ne in ſcena traducerētur, vel pergerent bene vivere, ſi ſic inſtituerant, vel à ſcelerum via retraherentur. Socrates expedire dicebat, ſeipſum de induſtria comicis offerre. Nam ſi meritò quidem reprehenderint, emendabimur: ſin falsò, tum illa nihil ad nos attinebunt. Et ipſe Socrates innocentiſſimus & ſanctiſſimus vir, irriſus erat ab Ariſtophane in Nebulis, fabula nebulonica, quam poeta in hoc ſolùm ediderat. Quod fuit vel maximum argumentum, ſcriptores veteris comœdiæ linguam jam tum habuiſſe venalem, vel perturbationibus animi transverſos agi.*

Cleon.

d Cleonem.] *Cleon Byrſopola homo ſeditioſus, Niciæ, Demoſtheni, & bonis ferè omnibus inimicus fuit: bello tamen non malus, ut Thucydides & Plutarchus ſcribunt. In hunc ſcripſit Ariſtophanes fabulam, quam ἱππεῖς nominavit, hoc eſt, equites: cujus quum peculatum & tyrannicas opes vellet populo patefacere, opifex perſonam Cleonis ſe facturum negavit, veritus illius potentiam. Poeta fæcibus hiſtriones unxit, qui quum in ſcenā prodire reformidarēt, Ariſtophanes ipſi perſonam Cleonis ſolus ſuſtinuit, tanta rabie in illum erat accenſus. Propter quod factū accuſatus à Cleone, talentis quinq; multatꝰ eſt, ut ipſe in Acharnēſibꝰ comœdia quæritur, hoc eſt, revomuit quantū hauſerat. Nam fortaſſe pretio à Nicia & Demoſthene accepto ad ſcribendam fabulam erat adductꝰ, ut in Nephelis fecit pecunia ab Anito & Melito Socratis inimicis accepta. Homo, qui per ebrietatē multa conſcripſit. Cleonis meminit etiā Plutarchꝰ in Politica.*

Equites Ariſtophanis.

e Cleophontem.] *Hunc etiam Plutarchus ſimilem Cleonis fuiſſe dicit.* Cleophō.

Hyperbolus.

f Hyperbolum.] *Et hujus tanquam improbi civis meminit Thucydides, & Plutarchus, & Lucianus ἐν μισανθρώπῳ oſtraciſmo, quod genus erat ſuffragiorum, ex urbe eſt ejectus, non metu pœnitentiæ vel dignitatis, ut alii, ſed tanquam publicum civitatis dedecus & opprobrium. Cicero in Bruto de Glaucia loquens: Homo, inquit, ſimillimus Atheníenſis Hyperboli, cujus improbitatem veteres Atticorum comœdiæ notarunt. Ab Eupolide Hyperbolum notatum ſubſignificat Quintilianus in primo Inſtitutionum de muſica loquens. De hoc ſcripſit caput Cælius in farragine Antiquarum lect. libro nono.*

Cenſor.

g A cenſore.] *Quinto quoque anno duo creabantur, qui cenſui, hoc eſt, æſtimationi opum faciendæ, & judicio de moribus, deque exiſtimatione uniuscujusque civis præeſſent. Cenſores ſunt dicti à cenſu. Nam, ut Feſtus inquit, tanti quisque ſua bo-*

na faciebat, quanti illi æſtimaſſent, & magiſtri morum. Sic Cicero ad Appium Pulchrum.

Pericles. *b* Sed Periclem.] *Hic eloquentia & magnis civilibus artibus populum Athenienſem ita ſibi conciliavit, ut princeps in ea republica per multos annos fuerit: domi &* πειθώ. *foris conſilio bonus, & fœlicitate par. In hujus labiis ſeſſit aſſe* πειθώ, *hoc eſt, perſuadendi Deam, & ut Cicero in tertio de oratore interpretatur, leporem: ut Ennius Suadam, Horatius diminutivum hujus Suadelam dixit, Eupolis antiquæ comœdiæ autor ſcripſit. Eorum verſuum ſententia eſt apud Ciceronem ſæpe & Quintilianum, Græci aliquot verſus, nam Eupolis comœdiæ, ut alia permulta intercidere: ſunt apud Plinium Cæcilium libro Epiſtolarum primo, pars etiam apud Suidam. Neutrius iſtorum meminiſſe Politianum in capite Centuriæ ſuæ, ubi de hoc agit, miror. Sed verſus ipſos petit ab interprete quodam Ariſtidis Græci, eoque innominato: tametſi non negarim plures illic eſſe, quàm vel apud Suidam, vel Plinium. Ariſtophanes etiam comœdiæ veteris ſcriptor fulgura Periclem ore miſiſſe & tonitrua dicit, miſcuiſſeque totam Græciam. Et hoc quidem Ariſtophanes & Eupolis dicebant, quum illi convitiarentur ac male dicerent: ſicut Cicero libro de oratore tertio, & de perfecto Oratore, & Quintilianus libro duodecimo inquiunt. Inceſſebatur quoque Pericles à comicis, quòd capite eſſet oblongo, idcirco galeatus ſemper depingebatur.*

Plautus. *i* Quàm ſi Plautus, inquit, noſter.] *Primus poeta Latinus fuit Livius, ut dixi, hunc ſecutus eſt Nævius: qui bello primo Punico militavit. Deinde Plautus Nævio ferè æqualis: qui reliquit comœdias, quarum maxima pars adhuc extat, quo poeta nemo magis & ſua & proximæ ætatis hominibus placuit. Scipio noſtrum appellat, quem nunquam viderat, ſed quia Latinus fuit, nam de Græcis erat loquutus antea.*

Scipiones fratres. *k* P. & C. Scipioni.] *Fratres hi fuerunt, &, ſi Servio credimus, gemini, quorum P. genuit Africanum ſuperiorem, C. Naſicam virum optimum, de quo diximus. Uterque in Hiſpania occubuit à Pœnis occiſus ſecundo Punico bello, quod cœptum eſt P. Cos. Hos duos fratres Cicero pro Cornelio Gallo, duo fulmina imperii appellat. Sunt qui putent de eiſdem intelligi illud Vergilii in ſexto: Duo fulmina belli Scipiadas, ex Lucretio mutuatum: Scipiades belli fulmen. Carthaginis horror. Horum ergò tempore illi poetæ vixerunt.*

Cæcilius. *l* Aut Cæcilius.] *Cæcilius Statius bello Macedonico & Aſiatico floruit cum Ennio, cujus fuit contubernalis. Volcatius Sedigitus palmam ei de comicis tribuit, Horatius gravitatem. Ejus nihil supereſt, ſermonem non admodum videtur Cicero probare.*

Cato ſenior. *m* M. Catoni.] *Seni, qui primus ex familia Porcia geſſit honores, is Tuſculi natus eſt, & uſque ad conſulatum, triumphum & cenſuram pervenit. Homo novus, toti nobilitati invidioſus, maximæ fuit in republica autoritatis. Vixit cum Ennio & Cæcilio.*

n Cùm perpaucas res capite ſanxiſſent.] *Pauciſſima fuerant apud Rom. veteres crimina, quorum pœna eſſet capitalis, multò adhuc pauciora apud ſequentes: nam lex Porcia vetabat condemnatis civibus vitam adimi, ſed exilium permitti. Ita capite puniri eos, qui carmen in alium ſcripſiſſent, incredibiliter exhorruiſſe infamiam Ro-*

am Romanos ſignificat. Sed videat lector, an de capitis diminutione lex iſta intelligatur, de qua inquit Feſtus: Capite diminutus appellatur, qui civitate mulctatus eſt: qui liber alteri mancipio datus eſt, cui aqua & igni interdictum eſt, quæ à Jureconſultis maxima capitis diminutio nominatur. Nam capitis diminutio eſt illis triplex: maxima, minor, minima. Hoc admonendi gratia dixerim, non interpoſita ſententia mea. Horatius in epiſtola ad Auguſtum: Quin etiam lex pœnâque dicta, malo quæ nollet carmine quenquam deſcribi, vertêre modum formidine fuſtis. Porphyrio fuſtuarium dicit ſupplicium eſſe conſtitutum in autorem carminum infamium. Acron in metaphoram vertit dictum. Capitis diminutio.

o Actitaviſſet.] *Codex vetuſtus occentaviſſet, credo melius. Feſtus: Occentaſſent antiqui dicebant, quod nunc convitium fecerint dicimus: quod id clarè & cum quodam canore fit, ut procul exaudiri poſſit, quod turpe habetur.* Occentare.

α CIcero teſtatur in libris, quos de Repub. ſcripſit.] *Quemadmodum Plato ille divinus libros de legibus, & de Repub. ſcripſit. ita Cic. patriæ ſtudioſus libros de legibus qui extant, & de Repub. qui injuria temporum perierunt, edidit. Eos non raro citat Auguſt. nec alia nunc ſuperſunt fragmenta horum librorum, quam quæ ex illis citat Auguſtinus.* F.L.Coq.

β Ubi Scipio diſputans.] *Scipio cognomen fuit Corneliorum, cui P. Cornelius initium dedit, qui quod patrem luminibus orbum vice ſcipionis regeret, primus id cognomen eſt ſortitus, & illud deinceps ad poſteros ſuos tranſtulit. Ex ea gente clariſſimi rebus geſtis plures fuere: quem vero inducit Cic. in ſuis libris de Republ. diſputantem, & cujus hic meminit Auguſt. fuit Scipio Æmylianus, qui & Africanus minor, P. Æmilii, qui Perſem Regem Macedoniæ vicit, filius, à filio Africani majoris in familiam Scipionum adoptatus, qui Numantiam & Carthaginem excidit.*

γ Apud quos fuit lege conceſſum. *Ita verum eſſe deprehenditur, quod ſcribit Cic. lib. 1. de leg.* Stultiſſimum eſſe exiſtimare, omnia juſta eſſe, quæ ſcita ſunt in populorum inſtitutis, aut legibus. *Et 2. de Legib.* Quod multa pernitioſa, multa peſtifera ſciſcuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quam ſi latores aliqua conceſſu ſuo ſanxerint, nam neque Medicorum præcepta dici verè poſſent, ſi quæ inſcii imperitique pro ſalutaribus mortifera conſcripſerint. *Et Plato in Minoe cum definit legem δόγμα πόλεως,* decretum civitatis: *non tamen improbum decretum vult eſſe legem. Apud Auguſt. lib. 1. de lib. arbitr.* Lex in tantum habet vim legis, in quantum participat rationem juſtitiæ.

δ Ut quod vellet Comœdia nominatim.] *Id quàm alienum eſſet à legib. optime inſtitutis, recte intellexit Plato; qui Athenis natus, educatus, & edoctus nunquam tamen probavit eam licentiam, imo 11. de legibus id vetat omnino:* ποιητῇ δὲ κωμῳδίας ἢ τινὸς ἰαμβῶν ἢ μουσῶν μελῳδίας μὴ ἐξέστω μήτε λόγῳ μήτε εἰκόνι, μήτε θυμῷ μήτε ἄνευ θυμοῦ, μηδαμῶς μηδένα τῶν πολιτῶν κωμῳδεῖν. ἐὰν δέ τις ἀπειθῇ τοὺς ἀθλοθέτας ἐξείργειν ἐκ τῆς χώρας τὸ παράπαν αὐθήμερον ἢ ζημιοῦσθαι μναῖς τρισὶν ἱεραῖς τοῦ θεοῦ οὗ ἂν ὁ ἀγὼν ᾖ. *Id eſt,* Poetæ, Comicæ vel Jambicæ, muſicæve melodiæ auctori, nec verbo, nec imagine, nec perſona civium cujusque famæ detrahere fas eſto, ſive id per iram, ſive absque ira faciat. eum qui aliter fecerit, Attlothetæ eodem i-

pſo die, è theatro exterminanto, aut tribus minis multanto, quæ illi Deo cui certamen ſanctum eſt, dedicanto. *Dictam volunt Comœdiam ἀπὸ τῶν κωμῶν id eſt* à vicis, *eo quod Athenienſibus nondum in urbem coactis, & adhuc per vicos diſperſis, prima poematis hujus rudimenta à juventute inventa credantur: ſive ut alii volunt à* Como *laſciviæ, & comeſſationis Deo, cui juventus indulgens rudia & inculta carmina profundebat, quibus quos videbatur, nominatim perſtringebat. Verum cum eo genere licentiæ poetæ nimis petulanter abuterentur, atque optimi cujuſque nomen invaderent, lege cautum eſt, ne hoc poematis genere cuiquam in poſterum uti liceret.* Verterunt itaque ſtilum, *ait Horatius,* formidine fuſtis, *& in veteris comœdiæ locum nova ſucceſſit, in qua ficta argumenta tractare cœperunt, & humanæ vitæ ſimilitudinem, veluti penicillo quodam exprimere. Quod ergo dicit in Comœdia licuiſſe apud Græcos pro libito de quocumque loqui, & optimi cujuſque famam & nomen proſcindere, id de vetere comœdia intelligendum. Plato in Minoe, hanc famam de Minoe ideo ſparſam & diſſeminatam dicit, imperitum & durum hominem extitiſſe, cum alioqui vir bonus, & νομεὺς ἀγαθὸς fuiſſet, quod coegiſſet Athenienſes vectigalia pendere, ideoque eorum in ſe odium conflaſſet, apud quos tum omne aliud eruditionis genus, tum verò Poetices & tragicæ maxime abundaret. Ita enim Socrates:* διὸ καὶ σὺ, ὦ βέλτιστε, ἐὰν σωφρονῇς, εὐλαβὴς εἴης καὶ ἄλλος πᾶς ἀνὴρ ὅτῳ μέλει τοῦ εὐδόκιμος εἶναι, μηδέποτε ἀπεχθάνεσθαι ἀνδρὶ ποιητικῷ μηδενί· οἱ γὰρ ποιηταὶ μέγα δύνανται εἰς δόξαν ἐφ' ὁπότερ' ἂν ποιῶσιν εἰς τοὺς ἀνθρώπους εὐλογοῦντες ἢ κατηγοροῦντες ὃ δὲ καὶ ἐξήμαρτεν ὁ Μίνως πολεμήσας τῇδε τῇ πόλει *id eſt,* Ideo mihi crede ſi ſapis, etiam atque etiam videris, aliuſque quilibet cui curæ eſt commodam nominis famam conſervare, ne cuiquam poetæ ſis unquam infenſus: poetæ enim maximum poſſunt in utramvis partem, ſive ad laudem, ſive ad vituperationem. qua in re graviter peccavit Minos illato in hanc urbem bello, quæ ut omni alio eruditionis genere, tum vero poetices & tragicæ maxime abundabat.

ε Cleonem.] *Hic cum pacem Græciæ non æquo animo toleraret, Niciæ in primis, ac bonis omnibus, ſalutis Reipub. ſtudioſis, adverſabatur. Eum inſectatur Ariſtoph. in ea comœdia, quæ dicitur* ἱππεῖς. equites. *De eo Thucid. lib. 4. belli Pelopon. Et Plutarch. in Nicia. Eum vocat Thucidides* virum popularem & in dicendo populo acceptiſſimum.

ζ Cleophontem.] *Hic fuit concionator ſeditioſus ac turbulentus, cujus meminit Æſch. in orat.* περὶ παραπρεσβείας.

η Hyperbolum.] *Plutarchus illius meminit in Nicia, & ſordidiſſimum virum, & ſceleſtiſſimum, & impudentiſſimum fuiſſe dicit, & qui propter eam quam in Rep. gloriam nactus eſt, civitatem univerſam ignominia affecerat: Cum vero Nicias, & Alcibiades potentiſſimi eſſent Athenis & in eorum alterum Oſtraciſmi ſors haud dubie caſura videretur, effecere communi conſenſu utriuſque familiares, ut illorum neuter, ſed Hyperbolus urbe pelleretur, & nemo poſt eum oſtraciſmi pœna damnatus eſt, cum indignaretur populus ejus ſupplicii dignitatem imminutam, quod decretum eſſet in virum ſordidiſſimum, huic enim ſupplicio auctoritatis aliquid ineſſe arbitrabantur, & juris quidem oſtraciſmum pro ſupplicio rectiſſime dari; eo vero potius ho-*

more

nore & præmio ſordidiſſimum hominem affici, quam pœna & ſupplicio putabant, cum ante eum non niſi viris optimis contigiſſet. In eo itaque viro finis per oſtraciſmum puniendi factus eſt, ut auctor eſt ibidem Plutarch. Non enim eo utebantur ad criminis improbitatem caſtigandam, ſed ad potentiam moderandam, *teſte Ariſt. lib. 5. Polit. cap. 6. Cic. in Bruto de Servilio Glaucia, quem poſt natos homines fuiſſe dicit improbiſſimum, loquens: Homo, inquit, ſimillimus Athenienſis Hyperboli, cujus improbitatem veteres Atticorum comœdiæ notaverunt.*

θ A Cenſore melius eſt.] *De Cenſoribus Pomponius Læt. de magiſt. Rom. cap. 21. & Feneſt. cap. 17. Primi cenſores creati fuere anno ab V. C. 310.* L. Papyrius Mugillanus & L. Sempronius Atratinus. *auctor Livius lib. 4. Horum meminit Cic. lib. 9. epiſt. ad Papyrum Pætum dicens, principem Papyriæ gentis fuiſſe Papyrium Mugillanum, qui conſul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea Cenſor cum eodem fuiſſet annis poſt Romam conditam 312. Cenſuræ verò magiſtratus à parvis initiis tantum deinde incrementum cepit, ut morum, & diſciplinæ Romanæ regimen, Senatus, Equitumque centuriæ, populusque omnis Romanus decoris, dedecorisque diſcrimen, publicorum inſuper privatorumque locorum jus, vectigalia denique populi Romani ſub ejus magiſtratus ditione, nutu atque arbitrio eſſent: non ſolum enim mores cujusque civis, ſed etiam ſoboles, familia, fortuna, poſſeſſionesque Cenſorum arbitrio ſubjiciebantur. Ita enim appellati,* quod ad ipſorum cenſionem *(ut vult Varro.)* i. e. arbitrium cenſeretur populus, *vel ut vult Sext. Pompejus,* quod quisque tanti ſua æſtimaret, quantum illi cenſuiſſent. *De cenſoria poteſtate vide Liv. loc. cit. & Cic. 3. de leg. & Plutarch. in P. Æmylio. Creabantur comitiis centuriatis ex patritiorum ordine, poſtea tamen communicato cum plebe conſulatu, plebejis etiam hominibus ad cenſuram patuit aditus, creatusque Cenſor primus ex plebe* C. Marius Rutilius, *anno V. C. DII. lege etiam publica latum, ut alter Cenſorum ex plebe crearetur. Quinquennalis primum erat hic magiſtratus, ſed lege Æmylia lata à M. Æmylio in ſecunda dictatura ſancitum, ne plusquam annua & ſemeſtris eſſet cenſura. De cenſura ita Suidas:* ἀρχὴ μεγίστη καὶ πασῶν ἐντιμοτάτη παρὰ Ῥωμαίοις κέκριται τοῦ διὰ πάσης γεγόνοσιν ἐνδόξου πολιτείας ἀμωμήτῳ βίῳ χρησαμένους κληρουμένη. *Cic. cenſuram magiſtram pudoris, & modeſtiæ appellat. Val. Max. Pacis magiſtram & cuſtodem vocat, lib. II. cap. 9. Eamque in urbe præcipuum decus, ac ſtabilitatem imperii Romani eſſe dicit. Plutarch. ampliſſimum magiſtratum, & quodammodo perfectiſſimum in Repub. culmen.*

ι Sed Periclem.] *Pericles Athenis annos 40. in adminiſtratione Reipub. principatum tenuit, plurimum enim auctoritate, & eloquentia pollebat.* Olympius, *à Comicis dicebatur, quod tonare in concionibus & fulmen ciere videretur. Ita Ariſtoph. in comœdia* Ἀχαρνῆς: Ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης Ὀλύμπιος ἤστραπτεν, ἐβρόντα, συνεκύκα τὴν Ἑλλάδα; *quas voces in eum conjeciſſe illius ætatis comicos tum ſerio, tum joco, teſtis eſt Plut. in ejus vita. De eo ita Cic. in Bruto:* Hujus ſuavitate maxime hilaratæ ſunt Athenæ, hujus ubertatem & copiam admiratæ, ejusdem vim dicendi, terroremque timuerunt. *De Pericle vide etiam Thucydidem lib. 2. utiliſſimum fuiſſe*

Reipub. & domi & foris ex his auctorib. conſtat. Julian. epiſt. ad Proæreſium eum laudat ὡς ζηλοῦντα τὸν Περικλέα ἔξω τοῦ συνταράττειν καὶ συγχεῖν τὴν Ἑλλάδα.

κ Quam ſi Plautus noſter.] *De eo Cyrillus Dialog. 8. de poetarum hiſtoria pag. 884. fuit autem poeta Comicus, cujus Comediæ etiam hodie omnium manibus teruntur, quas horis ſucceſſivis, quibus à verſanda molâ otium erat in piſtrino, fertur ſcripſiſſe. Refert Fabius lib. 10. cap. 1. dixiſſe Varronem*, Muſas, *Ælii Stolonis ſententia*, Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui vellent. *Extat hujuſmodi Epitaphium Plauti apud Gellium lib. 5. cap. 14.* Poſtquam eſt morte captus Plautus, comœdia luget, ſcena eſt deſerta, deinde riſus jocusque & numeri innumeri ſimul omnes collachrymaverunt.

λ Aut Nævius.] *Scribit Euſeb. 144. Olympiade in Utica Africæ Nævium diem obiiſſe, cum eò pulſus eſſet factione nobilium & præcipue Metelli & Scipionis Africani, quos ipſe odio eſt inſectatus, & ſuis verſibus Satyrice perſtrinxit. Unde Gyrald. Dialog. 8. de poetar. hiſt. pag. 881. Hujus etiam extat epitaphium apud Gellium ibidem plenum* ſuperbiæ Campanæ: Immortales, mortales ſi foret fas flere, flerent divæ Camœnæ, Nævium poetam. Itaque poſtquam eſt Orchio traditus theſauro, obliti ſunt Romæ latina lingua loquier. *Idem Gellius lib. 3. cap. 3. de Nævio teſtatur, fabulas eum duas in carcere ſcripſiſſe Ariolum, & Leontem, cum ob aſſiduam maledicentiam, & probra in principes civitatis de Græcorum poetarum more dicta in vincula Romæ à Triumviris conjectus eſſet.*

μ P. & Cn. Scipioni.] *Fratres hi fuerunt, ſi Servio credimus, gemini, quos illis verbis intelligit Virg.* duo fulmina belli Scipiadas. *Et Cic. orat. pro Corn. Balbo eos* dua fulmina imperii, *appellat, & 1. paradoxo* duo propugnacula belli. *Hi cum miſſi eſſent in Hiſpaniam, & multa præclare geſſiſſent, Q. Fulvio. & Ap. Clodio Coſſ. anno ab U. C. 541. & conſilium de opprimendo hoſte cogitaſſent, P. Scipio ab hoſtibus circumventus occiditur, Cn. Scipio undetrigeſimo die poſt fratris obitum, octavo anno poſtquam in Hiſpaniam venerat, pariter occiſus eſt. De his Flor. lib. 2. tit. 27.* Prima per Pyrenæum jugum ſigna Romana Pub. & Cn. Scipionis intulerunt, præliisque ingentibus Annonem & Aſdrubalem fratrem Annibalis cæciderunt. Raptaque erat impetu Hiſpania, niſi fortiſſimi viri in ipſa victoria ſua oppreſſi punica fraude cecidiſſent, terra marique victores.

ν Aut Cæcilius.] *Natione Gallus poeta Comicus Ennii contubernalis, & anno poſt eum deceſſit, ſepultus poſt Janiculum. Cic. ad Att. lib. 7.* malum Latinitatis auctorem *vocat. Volatius tamen Comicorum palmam ei concedit. Ejus meminit Vellejus lib. 1. Agellius l. 3. c. 16. lib. 4. c 20. & l. 7. cap. 21.*

ξ M. Catoni.] *Cenſori, qui & primus ex familia Porcia honores in Rep. adeptus eſt, & maximæ fuit auctoritatis; de quo Virg. 6. Æne.* quis te magne Cato tacitum, aut te Coſſe relinquat.

ο Noſtræ contra XII. tabulæ.] *Quemadmodum Lacedæmones legibus non ſcriptis, ſed his quas à majoribus acceperant moribus comparatas, tanquam per manus traditas ex inſtituto Lycurgi utebantur. Ita Athenienſes legibus ſcriptis, quas etiam tabulis æreis commendabant. Si quid enim perpetuum & nunquam intermoriturum*

rum vetuſtas commendabat, in æs incidere conſuevit. unde legimus apud Platonem in Minoe, ipſum Minoem leges ſuas æreis tabulis juſſiſſe inſcribi, & quotannis ter per univerſam Græciã circumferrri. Tabulæ in quibus leges deſcribebantur, Athenienſibus dicebãtur κυρβεῖς; & erant quadratæ. Lucanio dicũtur Αξωνες, auctore Alciato lib. 2. prætermiſſ. Romani ergo in hoc Athenienſes ſunt imitati, quod leges ſuas tabulis eburneis inſcriptas in æs incidi, atque in ærarium recondi voluere: nam ab Athenienſibus etiam potiſſimum leges ſuas accepere. Ut enim referunt Livius lib. 3. Dion lib. 10. Diodor. lib. 2. & Feneſt. l. de Magiſtr. Rom. cap. 14. Romani ab V. C. *301. ut vult Eutropius.* Olympiadis *81.* anno *3. ut vult Euſeb.* tres legatos inſtructos publicis triremibus Athenas miſerunt, qui Solonis leges ſcriptas referrent. Allatis è Græcia legibus, conſtituti ſunt Decemviri, qui ex iiſdem Græcis legibus & patriis conſuetudinibus Romanas leges conderent & ſcriberent: & cum prius decem tabulis tum Romanas, tum Græcas leges promulgaſſent, duas viſum eſt adjiciendas, quib. totius Romani juris corpus poſſet abſolvi, atque ita legum XII. tabulas effecerunt, quæ & ll. XII. tabularum, & ll. Decemvirales dicuntur. *quas tripartitas fuiſſe Auſonius hoc diſticho ſignificavit.*

Jus triplex, tabulæ quod ter ſanxere quaternæ,
Sacrum privatum, populi, commune quod uſquam eſt.

Craſſus apud Cic. lib. 1. de oratore has XII. tabulas philoſophorum omnium bibliothecas & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate ſuperare teſtatur. Hinc omnis vetuſtatis memoria, antiquitatis effigies, publici privatique juris auctoritas, Reipub. regendæ ratio, majorum conſuetudo, ad omnem denique virtutem via cognoſcitur. *Apud Agellium lib. 20. cap. 1. dicit Favorinus non minus cupide ſe tabulas iſtas XII. legiſſe, quam X. libros Platonis de legibus. Ex his omnem fontem publici privatique juris manaſſe apud Romanos in immenſo aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulo, Livius affirmat.*

π In his hanc quoque ſanciendam putarunt.] *Cum pauciſſima apud Romanos cum veteres, tum ſequentes crimina pœna capitis mulctata fuerint, capite puniri eos, qui libellum famoſum ſcripſiſſent in aliũ, ſatis arguit, id Romanis valde exoſum fuiſſe, cum ita habeat lex:* Si quis occentaſſet, actitaſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam faceret flagitiumque alteri precaretur, capite pœnas luito. *Cic. item. 4. Tuſcul. meminit*: quamquam id quidem etiam XII. tabulæ declarant, condi jam tum ſolitum eſſe carmen, quod ne liceret fieri ad alterius injuriam leges ſanxerunt. *Hujus legis meminit Arnob. lib. 4. contra Gentes:* Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, X-viralibus ſcitis evadere noluiſtis impune. *Hor. ſat. 1. lib. 2.* Si mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt Judiciumque. *1. lex lata eſt, & actio in eum datur, & epiſt. ad Auguſt.* Quin etiam lex, Pœnaque lata malo quæ nollet carmine quemquam Deſcribi.

ϱ Sive flagitia eorum vera.] *Plato lib. 2. de Rep. ea quæ à poetis de diis obſcœna & turpia traduntur, minime commemoranda ſcribit ſed potius premenda ſilentio: ideoque & hujusmodi poetarum fabulas à ſua Rep. omnino explodit.*

σ In Principem patriæ bonum, atque utilem.] *Neminem quidem licet probro*

afficere, ſed longe gravius erit crimen, ſi in principes viros probra conjiciantur. Plato ipſe in Minoe ſcribit, cavendum eſſe in primis magnopere, ne peccemus in deos, ne verbo quidem: Deinde nec in divinos, in quo numero habendi ſunt in primis boni principes, de quib. illud: Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. *Extat lex Theodoſii, Arcadii, & Honorii AAA. in eos qui Imperatori maledixiſſent.*

Cap. X.

Quà nocendi arte dæmones velint vel falſa de ſe crimina, vel vera narrari.

SEd maligni ſpiritus, quos iſti Deos putant, etiam flagitia, quæ non admiſerunt, de ſe dici volunt: *a* dum tamen humanas mentes his opinionibus velut retibus induant, β & ad prædeſtinatum ſupplicium ſecum trahant: ſive homines iſta commiſerint, quos Deos haberi volunt, qui humanis erroribus gaudent, pro quibus etiam ſe colendos mille nocendi fallendique artibus interponunt: ſive etiam nullorum hominum illa crimina vera ſint, quæ tamen de numinibus fingi libenter accipiunt fallaciſſimi ſpiritus, ut ad ſceleſta ac turpia perpetranda, velut ab ipſo cœlo traduci in terra, ſatis idonea videatur autoritas. Cùm igitur Græci talium numinum ſervos ſe eſſe ſentirent, inter tot & tanta eorum theatrica opprobria parcendum ſibi à poetis nullo modo putaverunt: vel Diis ſuis etiam ſic conſimilari appetentes: vel metuentes, ne honeſtiorem famam ipſi requirendo, & eis ſe hoc modo præferendo, illos ad iracundiam provocarent.

In exempl. MSS. his incipit cap. II. † Ad hanc convenientiam pertinet, quòd etiam *a* γ ſcenicos actores earundem fabularum, non parvo civitatis ſuæ honore dignos exiſtimarunt. Siquidem quod in eo quoque de republica libro commemoratur, *b* δ Æſchines Athenienſis, *c* vir eloquentiſſimus, cùm adoleſcens tragœdias actitaviſſet, rempublicam capeſſivit: & ε Ariſtodemum *d* tragicum item actorem maximis de rebus pacis ac belli, legatum ad Philippum Athenienſes ſæpè miſerunt. Non enim conſentaneum putabatur, cùm eaſdem artes eoſdémque ſcenicos ludos, etiam Diis ſuis acceptos viderent, illos, per quos agerentur, in infamium loco ac numero deputari.

L. Vives. *a* SCenicos actores earundem fabularum.] *Æmilius Probus de Græcis loquens, In ſcenam verò prodire, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eiſdem gentibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur.*

Æſchines. *b* Æſchines.] *Athenienſis orator, Demoſthenis inimicus, tragœdias egit in ſcena. Ideò Demoſthenes in oratione de corona, πίθηκον τραγικὸν eum vocat. Quintilianus hypocritam eum fuiſſe dicit: id eſt, hiſtrionem. Plutarchus in 10. rhetoribus exercuiſſe eum tragœdias ſcribit. Idem Philoſtratus in Sophiſtis, qui eum non coactum vertiſſe ſolum exilii gratia ſcribit, ſed quum judicio de Cteſiphonte victus eſſet, ad Alexandrum contendiſſe, qui tunc Aſiæ imperabat: ubi verò de ejus morte in itinere intellexit, flexiſſe curſum Rhodum, captúmque inſulæ amœnitate ſtudiis apta, reſediſſe in eo loco. Æſchines ipſe epiſtola quadam ad populum Athenienſem videtur affirmare, hiſtricam ſe artem deſeruiſſe, antequam ad rempublicam accederet.*

c Vir eloquentiſſimus.] *Eloquentiſſimum fuiſſe, ſatis conſtat, & quidem ampla & decora voce, nec deſunt, qui proximum ei poſt Demoſthenem locum aſſignent. natura magis valuit, quàm arte. Quidam illum nullius fuiſſe diſcipulum tradunt, ſed repentè è ſcriba factum oratorem, dixiſſeque primùm adverſus Philippum Macedoniæ regem: hinc famam popularem gratiámque auſpicatum, ideo & miſſum ad eundem regem legatum. Alii magiſtros ei dant Platonem & Iſocratem, quidam Leodamanta. Genus illud dicendi Rhodium, inter Aſianum & Atticum medium Æſchines Rhodi in ſeceſſu inſtituit, cùm ibi aperuiſſet ſcholam.*

d Ariſtodemum.] *Hic, ut Demoſthenes ſcribit, legatus ad Philippum profectus eſt cum Demoſthene ipſo & Æſchine. Hic eſt Ariſtodemus, quem cùm rogaſſet Demoſthenes, quid mercedis accepiſſet, ut ageret, illeque talentum reſpondiſſet: At ego, inquit Demoſthenes, plus accepi ut tacerem. Autor Critolaus.* *Ariſto-demus.*

α DUm tamen humanas mentes.] *Minut. in Octa.* Ad ſolatium calamitatis ſuæ non deſinunt perditi jam perdere, & depravati errorem pravitatis infundere, & alienati à Deo inductis pravis religionibus à Deo ſegregare. *Cyp. lib. de idol. vanit.* Non aliud illis ſtudium eſt, quam homines à Deo avocare, & ad ſuperſtitionem ſui ab intellectu veræ religionis avertere: cum ſint ipſi pœnales, quæ veræ ſibi ad pœnam comites, quos ad crimen ſuum fecerunt ſibi errore participes, humanis errorib. gaudent. *Aug. l. de divinat. dæmon. cap. 6.* fallunt etiam ſtudio fallendi, & invida voluntate, qua hominum errore lætantur. *F.L. Cap.*

β Ad prædeſtinatum ſupplicium.] *Proprie quidem* prædeſtinatio *uſurpatur pro* deſtinatione alicujus in vitam æternam, *quomodo uſurpatur à Paulo Rom. 8. & alibi, & à Patribus & Doctoribus Scholaſticis, ſicque diſtinguitur* à reprobatione. *Aliquando vero latius patet, & ſignificat tam* deſtinationem hominis in vitam æternam, quàm in ſupplicium, *quo ſenſu etiam* reprobationem *comprehendit. atque ita hic uſurpatur ab Aug. cum dicit* malignos ſpiritus ad prædeſtinatum ſupplicium ſecum homines trahere. *quo ſenſu etiam loquitur Fulgent. lib. 1. ad Monimum.* Deum iniquos ad ſupplicium juſte prædeſtinaſſe, *& alibi:* ad interitum prædeſtinaſſe. *Subdole admodum dæmones hujusmodi flagitia inanium Deorum vel vera, vel ficta in ſcenas & theatra induxerunt, ut ita facilius homines pravis moribus inficerent, cum ſibi facile perſuaderent imitatione dignos eſſe, quibus aliquam divinitatem ineſſe putarent.*

γ Scenicos actores earundem fabularum.] *Teſtatur Æmilius Probus in proœmio, apud Græcos* in ſcenam prodire, & populo fieri ſpectaculo nemini fuiſſe turpitudini: quæ omnia apud nos, *inquit*, partim infamia, partim humilia, partim ab honeſtate remota ponuntur, *quod & teſtatur Arnob. lib. 7. Recte itaque Lactant. lib. 1. cap. 20. de Græcis:* Quid mirum, *inquit*, ſi ab hac gente univerſa flagitia manarunt, apud quam ipſa flagitia religioſa ſunt, eaque non modo non vitantur, verum etiam coluntur.

δ Æſchines Athenienſis cum adoleſcens tragœdias actitaviſſet.] *Sæpe objicit Æſchini Demoſthenes hoc artificium Scenicum, ut cum illum appellat τριταγωνιστὴν deterrimum, tertii ordinis hiſtrionem, qui tertias & ultimas fabulæ partes agat. In orat.*

orat. περὶ Στεφάνου. καὶ κακὸν κακῶς σε μάλιστα μὲν οἱ θεοὶ ἔπειτα δὲ οὗτοι πάντες ἀπολέσειαν πονηρὸν ὄντα πολίτην καὶ προδότην καὶ τριταγωνιστήν. *Ex quibus conſtat, hoc illum ei maledicti loco objicere, quod malus actor fuiſſet. Plato etiam fertur fuiſſe ſummus Athleta, & poſt multiplices victorias philoſophiæ ſe dediſſe.*

e Ariſtodemum Tragicum] *Hujus meminit Agellius lib. 11. cap. 9. Et Plutarchus in Æſchine ait, illum operam dediſſe Ariſtodemo in Tritagoniſtis & Dionyſiis, idque ex Demoſthenis ſententia aſtruit.*

Cap. XI.

De ſcenicis apud Græcos in reipub. adminiſtrationem receptis, eo quòd placatores Deorum injuſtè ab hominibus ſpernerentur.

HÆc Græci turpiter quidem, ſed ſanè Diis ſuis omnino congruenter, *a* α qui nec vitam civium lacerandam linguis poetarum & hiſtrionum ſubtrahere auſi ſunt, à quibus cernebant Deorũ vitam, eisdem ipſis Diis volentibus & libentibus carpi: & ipſos homines, per quos iſta in theatris agebantur, quæ numinibus, quibus ſubditi erant, grata eſſe cognoverant, non ſolùm minimè ſpernendos in civitate, verùm etiam maximè honorandos putaverunt. Quid enim cauſæ reperire poſſent, β cur ſacerdotes honorarent: quia per eos victimas Diis acceptabiles offerebant, & ſcenicos probroſos haberent, per quos illam voluptatem ſive honorem Diis exhiberi petentibus, & niſi fieret iraſcentibus, eorum admonitione didicerant: γ cùm præſertim *b* Labeo, quem hujuſcemodi rerum peritiſſimum prædicant, δ numina bona à numinibus malis, ε iſta etiam cultus diverſitate diſtinguat: *c* ζ ut malos Deos propiciari cædibus & triſtibus ſupplicationibus aſſerat, bonos autem obſequiis lætis atque jucundis: qualia ſunt, ut ipſe ait, ludi, η convivia, *d* θ lectiſternia. Quod totum quale ſit, poſtea, ſi Deus juverit, diligentius diſſeremus. Nunc ad rem præſentem quod attinet, ſive Diis omnibus omnia tanquam bonis permixtè tribuantur, neque enim eſſe decet Deos malos, cùm potius iſti, quia immundi ſunt ſpiritus, omnes ſint mali: ſive certa diſcretione, ſicut Labeoni viſum eſt, illis illa, iſtis iſta diſtribuantur obſequia: competentiſſimè Græci utroſque honore dignos ducunt, & ſacerdotes, per quos victimæ miniſtrantur, & ſcenicos per quos ludi exhibentur. Ne vel omnibus Diis ſuis, etſi ludi omnibus grati ſunt, vel quod eſt indignius his, quos bonos putant, ſi ludi ab eis ſolis amantur, facere convincantur injuriam.

Spiritus immundi omnes dæmones mali.

L. Vives. *a* QUi nec vitam civium.] *Siſicheus cùm populo comœdiam exhiberet, qua Cleanthem Stoicum conviciis proſcindebat, cæteris indignantibus ferunt philoſophum dixiſſe, iniquum eſſe, cùm Hercules & Dionyſius maledictis hiſtrionum paſſim inceſſantur, nec iraſcantur, homines iraſci.*

Labeones.

b Labeo.] *Labeones fuerunt tres, maxima juris civilis ſcientia præditi: ſed unus omnium doctiſſimus Antiſtius Labeo, qui cum Cæſare Auguſto vixit. Trebatii Teſtæ diſcipulus: non juris modò, ſed totius quoque antiquitatis, omniúmque artium peritiſſimus, & planè polyhiſtor, ut refert Gellius. Auguſto non admodum charus propter magnam ingenii linguæque libertatem. Opinio hæc ejus ex Platonica & Stoica*

diſci-

diſciplina videtur manaſſe, quamvis nonnullis immutatis. Nam Platonici Deos omnes bonos dicebant: inter dæmonas verò, & heroas quoſdam bonos, quoſdam malos. Porphyrius in ſacrificiis ait, verum & pium cultorem nunquam ſacrificaturum aliquod animal Diis, ſed dæmonibus. Idem in libro de via intelligabilium, fuſius explicat, qui boni dæmones, qui mali. ſed de hoc alibi.

c Ut malos Deos.] *Quo pejores Dii ſunt, & inferiores, eo triſtiore genere ſupplicationum volunt propiciari, ut Dii inferi, Pluto, Proſerpina, & alii. Lucanus verbis Erictus ad inferna numina:* Sacrificia triſtitia.

Si vos ſatis ore nefando
Pollutóque voco: ſi nunquam hæc carmina fibris
Humanis jejuna cano: ſi pectora plena
Sæpe dedi, & lavi calido profecta cerebro.
Si quis, qui veſtris caput extáque lancibus infans
Impoſuit, victurus erat.

d Lectiſternia.] *De his libro tertio.*

α QUi nec vitam civium.] *Refert Laert. Cleantem philoſophum cum aliquando à Soſitheo poeta convitiis proſcinderetur in theatro indignantibus ob id auditoribus dixiſſe:* ἄτοπον εἶναι τὸν μὲν Διόνυσον καὶ τὸν Ηρακλέα φλυαρουμένους ὑπὸ τῶν ποιητῶν μὴ ὀργίζεσθαι, αὐτὸν δὲ ἐπὶ τῇ τυχούσῃ βλασφημίᾳ δυσχεραίνειν. *Indecens eſſe, liberum patrem, atque Herculem à poetis illudi, nec iraſci, ſe autem levi maledicto indignari. Tanta erat poetarum licentia apud Græcos, ut optimum quemque proſcinderent: ita videmus in Nebulis Socratem, quem tantopere ob ſapientiam, frugalitatem & temperantiam admirata eſt antiquitas, ab Ariſtophane irriſum. Tradit Laert. lib. 3. ex Heraclida, juvenem Platonem adeo fuiſſe verecundum, adeo compoſitum, ut nunquam riſiſſe, niſi modice deprehenſus ſit: cum tamen eſſet hujuſmodi, ne ſic quidem comicorum convincia effugit.* τοιοῦτος δ᾽ ὢς ὅμως ἐσκώφθη καὶ αὐτὸς ὑπὸ τῶν κωμικῶν. P.L. Coq.

β Cur ſacerdotes honorent.] *Jul. Firm. de errore proph. relig. cap. 13. de hujuſmodi vanis portentis locutus:* Ad theatrum, *inquit*, potius templa transferte, ut in ſcenis religionum iſtarum ſecreta tradantur, & ut nihil prætermittat improbitas, hiſtriones facite ſacerdotes, alter dignior locus religionibus iſtis inveniri non poterit. Illic amores deorum vilis turba decantet, illic caſus, morteſque ſaltatores: illic deorum in templis ab impiis & facinoroſis magiſtris melius mens perdita, & muliebris docetur facinus. *Cæterum etiam ſuperſtitioſis Gentilibus ſacerdotium in magno fuit honore, de quo vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8. Non modo ex ſacra ſcriptura Gen. 47. colligimus, Ægyptiis ſacerdotes plurimi æſtimatos fuiſſe, ut quibus cibaria ex horreis publicis præberentur: Verum etiam Strabo lib. 17. Ægyptiorum gentem dividens trifariam, cum alii eſſent milites, alii agricolæ, & alii ſacerdotes; hos ait exercuiſſe philoſophiam & aſtronomiam & cum Regibus diverſari ſolitos. Et eadem quæ tradit ſcriptura, docet etiam Herodotus lib. 2.* Ægyptiorum, *inquit*, ſacerdotes non exiguis afficiuntur commodis, nam neque aliquid è re domeſtica conterunt, neque erogant, ſed ſingulis eorum quotidie cibi ſacri cocti,

 præ-

præſto ſunt, & carnes bubulæ & anſerinæ ſatis abundeque ſuppeditantur, vinum quoque venale traditur. *Et Diodor. lib. 2. ſic ſcribit :* Ægypti vectigalibus triſariam partitis priorem eorum portionem percipit collegium ſacerdotum, magna apud incolas auctoritate, tum propter deorum curam, tum propter doctrinam, qua plures erudiunt. Hanc partem vectigalium tum ad ſacrificiorum miniſteria, tum ad privatæ vitæ commoda impartiuntur: neque enim deorum cultum omittendum putant, neque publici conſilii *&* utilitatis miniſtris æquum cenſent vitæ commoda deeſſe. Adſunt enim ſacerdotes in gravibus rebus conſilio atque ope ipſis Regibus, futura prævidentes ac prædicentes tum per ſacrificia, tum per aſtrorum peritiam; ex libris præterea ſacris priorum geſta referunt, unde Reges diſcant quæ in rebus agendis prodeſſe queant. Sacerdotes itaque in Ægypto omnes immunes ſunt, ſecundumque poſt Regem locum honoris & dignitatis tenent. *Plato in politico ſcribit, apud Ægyptios non licere Regem abſque Sacerdotii imperare, imo ſi ex alio genere quiſpiam per vim regnum uſurpet, cogitur tandem ſacris initiari.* περὶ μὲν Αἰγυπτίοις οὐδ᾽ ἔξεστι βασιλέα χωρὶς ἱερατικῆς ἄρχειν, ἀλλ᾽ ἐὰν ἄρα καὶ τύχῃ πρότερον ἐξ ἄλλου γένους βιασάμενος ὕστερον ἀναγκαῖον εἰς τοῦτο εἰσελεῖσθαι αὐτὸν τὸ γένος. Et ſacerdotum munus *vocat* auguſtiſſimum, Regio proximum, & ſacerdotes interpretes apud deos divinarum rerum. *Clemens Alex. lib. 7. Stromat. ſcribit, id obſervatum apud eos qui doctiſſimi eſſent ex barbaris, ut genus ſacerdotale ad regnum proveherent. Ariſt. lib. 7. polit. cap. 8. ſcribit* ἱερατείαν *in Repub. primum ac maxime neceſſarium eſſe, non mirum ergo ſi & apud Græcos in honore haberetur.*

γ Cum præſertim Labeo.] *Ejus fit mentio apud Suetonium in Auguſt. cap. 54. Agellium lib. 13. cap. 10. & 12. Eum Commentarios ad 12. tabulas compoſuiſſe, teſtatur idem Agellius lib. 1. cap. 12. Eum inſania notat Horat. ſatyra 3. Auguſto blandiens aſpergit.* Labeones à labiorum magnitudine dictos *ſcribit Alex. ab Alex. lib. primo capit. 9.*

δ Numina bona à Numinibus malis.] *Hæc fuit vetus Græcorum opinio, alia eſſe numina bona, alia mala, quemadmodum & Romanorum, teſte Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evang. cap. 18. quo ſpectat ratio, quam reddit eorum nominum Diiovis & Vejovis, Agell. lib. 5. cap. 12.* Cum Jovem, *inquit*, & Diiovem à juvando nominaſſent, eum quoque contra Deum, qui non juvandi poteſtatem, ſed nocendi haberet *(nam deos quoſdam ut prodeſſent celebrabant, quoſdam ne obeſſent placabant)* Vejovem appellarunt, dempta atque detracta juvandi facultate per (ve) particulam præpoſitam. *Simulachrum Dei Vejovis, quod eſt in æde ipſius inter arcem & Capitolium, ſagittas tenet, quæ ſunt videlicet parata ad nocendum. Virg. 4. Georg. dicuntur* læva numina, *id eſt ſiniſtra, noxiaque & magis lædentia, quam juvantia. A Græcis* κακοὺς δαίμονας *appellatos Arrianus in Epicteto lib. 1. cap. 22. ſcribit. vocant etiam* κακοὺς καὶ σκαιοὺς θεοὺς *ut* ἀγαθούς. *Non diſſimilis huic errori Gentilium Manichæorum hæreſis, ſtatuentium duos deos, unum quidem bonum, principium bonorum; alterum malum, principium malorum, nata fortaſſe ex veſana opinione Perſarum, qui ut teſtatur Plutarchus lib. 1. de Iſide, & Oſiride, Laertius in proœmio, &*

Aga-

Agathias lib. 2. duo primo rerum omnium principia ſtatuebant, unum bonum & optima quæque gignens; alterum pernitioſum ac peſſimum ac bonum quidem Deum ſeu creatorem Oromasdem; *cacodæmonem vero* Arimanem *ab illis appellari tradunt. Et quidem Jovem* Oromaſdem, *Plutonem* Arimanem *eis dictum ſcribit Laertius. Arimamem etiam Heſichius Ditem patrem, ſeu Plutonem facit Arimanus, ὁ Ἅδης παρὰ Πέρσαις.*

s Iſta etiam cultus diverſitate.] *Quæ à Græcis ad Romanos fluxit. Dionyſ. lib. 2.* Feſta quæ cuique deorum, dæmonumve celebrari convenit, & ſacrificia quibus apud homines coli expetunt, ad hoc rationes inductarum celebritatum, intermittendorum ludorum, cæteraque hujusmodi omnia juxta optimos quosque Græcorum ritus Romulus diſpoſuit.

ς Ut malos deos propitiari cædibus.] *Arnob. lib. 7. adverſus Gentes, in veſanum illum Gentilium ritum ſacrificandi diis bonis & malis, acerrime invehitur:* Quod dici à vobis accepimus, eſſe quosdam ex diis bonos, alios autem malos & ad nocendi libidinem promptiores; illisque ut proſint, his vero ne noceant, ſacrorum ſolemnia miniſtrari, quanam iſtud ratione dicatur, intelligere confiteor non poſſe: nam deos benigniſſimos dicere, lenesque habere naturas & ſanctum & religioſum & verum eſt, malos autem & lævos nequaquam ſumendum eſt auribus, ideo quoniam divina illa vis à nocendi procul eſt dimota, & disjuncta natura. *poſt:* ut vobis commodemus aſſenſum dextrarum, ſiniſtrarumque rerum deos eſſe fautores, ulla nec ſic ratio eſt, cus alios alliciatis ad proſpera, alios vero ne noceant, ſacrificiis commulceatis & præmiis: primum quod dii boni mala non queunt facere, etiamſi nullo fuerint honore mactati, quicquid enim mite eſt placidumque natura, ab nocendi procul eſt uſu & cogitatione diſcretum: malus vero comprimere ſuam ferociam neſcit, quamvis gregibus mille & mille alliciatur altaribus; neque enim in dulcedinem vertere ſe amaritudo poteſt, aut ariditas in humorem, calor ignis in frigora, aut quod rei cuicunque contrarium eſt, id quod ſibi contrarium eſt, in ſuam ſumere naturam, ut ſi manu viperam mulceas, venenato blandiaris aut ſcorpio, petat illa te morſu ſi contactus aculeum figat, nihilque illa proſit alluſio, cum ad nocendum res ambæ non ſtimulis exagitentur irarum, ſed quadam proprietate naturæ. Ita nihil prodeſt, promereri velle per hoſtias deos lævos, cum ſive illud feceris, ſive contra non feceris, agunt ſuam naturam & ad ea quæ facti ſunt, ingenitis legibus, & quadam neceſſitate ducantur. Quid quod iſto modo utrique dii deſinunt eſſe in ſuis viribus & ſuis in qualitatibuspermanere: nam ſi bonis ut proſint, res divina conficitur, aliis autem ne noceant, iiſdem rationibus ſupplicatur, ſequitur ut intelligi debeat nihil dextros profuturos, nulla ſi acceperint munera, fierique ex hoc malos; malos autem ſi acceperint, nocendi poſituros mentem, fierique ex hoc bonos, atque ita perducitur res eo, ut neque hi dextri, neque illi ſint lævi: aut quod fieri non poteſt, utrique ipſi ſint dextri, & utrique iterum lævi. *Huc usque Arnob. Quam nefandis ſacris priſci deos coluerint etiam humanis litando hoſtiis, tradit Alex. ab Alexand. lib. 6. cap. 26. Carthaginenſibus ritus erat infantes Saturno mactare,*

quod à Tyriis traditum ad urbis excidium ſervatum, auctor eſt & Curtius, & Plato in Protagora: Neque enim, *inquit,* leges noſtræ homines ſacrificare permittunt. Apud Carthaginenſes autem juſtum, ſanctumque habetur, adeo ut eorum nonnulli Saturno etiam filios immolare ſibi permittant. *Quem morem etiam refert Diodor. Sicul. lib. 20.* Conducibilius porro, *inquit,* Carthaginenſibus fuerat, Critiam initio, aut Diagoram legum ſortiri latores, ac deorum nullum arbitrari, dæmonum, quàm hujusmodi obire ſacra: præſtat enim deos non credere, quam crudeles opinari & ſanguinarios. *Ita mali dii, ut non dii, ſed dæmones nefandi cædibus propitiabantur,*

η Convivia.] *Epulas etiam diis libaſſe Perſas, & velut cœnæ primitias eis dediſſe, ex Xenophontis lib. 7. παιδείας tradit Briſſon. lib. 2. de Regio Perſarum principatu.*

θ Lectiſterna.] *ut auctor eſt Livius lib. 5. ann. ab V. C. 355.* Cum triſtem hyemem ſive ex intemperie cœli raptim mutatione facta in contrarium, ſive alia qua de cauſa gravis peſtilensque omnibus animalibus æſtas excepiſſet, & tantæ perniciei nec cauſa, nec finis inveniretur, libri Sibyllini ex S. C. aditi ſunt, duumviri ſacris faciundis lectiſternio tunc primum in urbe Romana facto per dies octo Apollinem, Latonamque, & Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum, tribus quam ampliſſime tum apparari poterat ſtratis lectis placavere. *Privatim quoque iis ſacrum celebratum eſt, & ut apud eumdem Livium videre eſt, lectiſternium ſæpius iteratum fuit.* Lectiſternia, *ut tradit Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27.* tribus ſtratis lectis Jovi, Neptuno, Minervæ (quod hi jactus fulminum poſſideant) decreto pontificum procurabantur, ſi quando iratos ſibi deos deprehenderent. *Alii volunt in capitolio tribus ſtratis lectis convivium apponi ſolitum tribus diis, Jovi, Junoni, & Minervæ. Juppiter. i. e. Jovis ſimulachrum ſtatuebatur in lecto recubans, Juno, & Minerva in ſellis conſidebant.*

Cap. XII.

Quòd Romani auferendo libertatem poetis in homines, quam dederunt in Deos, melius de ſe, quàm de Diis ſuis ſenſerunt.

At Romani ſicut in illa de repub. diſputatione gloriatur Scipio, probris & injuriis poetarum ſubjectam vitam famamque habere noluerunt, capite etiam punire ſancientes tale carmen condere ſi quis auderet. Quod erga ſe quidam ſatis honeſtè conſtituerunt, ſed erga Deos ſuos ſuperbè & irreligiosè. Quos cùm ſcirent non ſolùm patienter, ſed etiam libenter poetarum probris maledictisque lacerari, α ſe potius quam illos hujuscemodi injuriis indignos eſſe duxerunt, ſeque ab eis etiam lege munierunt, illorum autem iſta etiam ſacris ſolennitatibus miſcuerunt. Itáne tandem Scipio laudas, hanc poetis Romanis negatam eſſe licentiam, ut cuiquam opprobrium infligerent Romanorum, cum videas, eos nulli Deorum peperciſſe veſtrorum? Itáne pluris tibi habenda eſt β exiſtimatio veſtræ α curiæ, γ quàm Capitolii, imò Romæ unius quàm cœli totius: ut linguam maledicam in cives tuos exercere poetæ etiam lege prohiberentur, δ & in Deos tuos ſecuri, tanta convitia nullo ſenatore, nul-

nullo cenſore, nullo principe, nullo pontifice prohibente jacularentur? Indignum videlicet fuit, ut Plautus aut Nævius Publio & Cneo Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni malediceret: & dignum fuit, ut *b* β Terentius veſter flagitio Jovis optimi maximi adoleſcentium nequitiam concitaret.

a CUriæ veſtræ quàm Capitolii.] *Curia locus, in quo Senatus habebatur, pro Senatoribus ponitur: Capitolium pro ipſis Diis.* L. Vives.

b Terentius veſter.] *Nam familiariſſimus Scipioni & Lælio dicitur fuiſſe, quin & adjutari ab illis in ſcribendis fabulis poetam putaverunt multi: quod Terentius ipſe in prologo Adelphorum ſubſignificat. De Scipione Memmius opinatur, in Oratione pro ſeipſo, Et Quintilianus meminit in x. Inſtit. de Lælio Corn. Nepos, & Cicero in epiſtola quadam ad Atticum, licet ex aliorum ſententia.* Terentius.

α SE potius quàm illos hujusmodi injuriis.] *Id ſucceſſu temporis factum eſt, ut in theatris ita publice dii traducerentur corruptis moribus civitatis: nam Romulus initio ſanxit, ne quis fabuloſa de diis figmenta crederet, cum illa contemptum religionis ac licentiam inducant, ut diſerte Dion. ſcribit lib. 2. & meminit Euſeb. lib. 2. de præpar. Evang. cap. 10.* F.L.Coq.

β Exiſtimatio curiæ veſtræ.] *Curia locus erat, ubi de publicis rebus à Coſſ. & Senatoribus tractabatur, à cura ſic dictus. Cic. libr. 3. de orat. ait,* curiam *pro Senatu accipi, quomodo uſurpatur etiam à Tertull. lib. de pallio, cap. 5. Et in Apolog. cap. 39. Cice. orat. pro Milone,* curiam *vocat* templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, *quomodo & 2. offic.* Senatum *vocat* Regum, nationum, populorum portum & refugium. *lib. de Senect.* Non curia vires meas deſiderat, non roſtra, non amici, non clientes, non hoſpites. *Theoph. l. quibus Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſtato, curiam vocat* βουλευτήριον τῆς πόλεως. *Quæ & quot Curiæ fuerint Romæ, vide Alexand. ab Alexand. lib. 1. cap. 16. de Curia. Vide etiam Covarr. lib. practic. quæſtio. cap. 4. n. 10. Varro lib. 4. de lingua lat. ita ſcribit:* Curiæ duorum generum, nam & ubi curarent ſacerdotes res divinas, ut Curiæ veteres, & ubi Senatus humanas, ut Curia Hoſtilia, quam primus ædificavit Hoſtilius Rex ante Roſtra. *Vide Onuphrium lib. 2. de civit. Rom.*

γ Quam Capitolii.] *Templum erat Jovis in clivo Tarpejo, ita dictum,* quod cum illic fundamenta jacerentur ædis Jovis, caput hominis inventum dicitur, *quem Tolum appellatum fuiſſe ſcribit Arnob. lib. 6. & inde* Capitolium *dictum: ante enim* arx Tarpeja *dicebatur à virgine Veſtali* Tarpeja, *quæ ibi à Sabinis necata, atque ſepulta fuit. Tertull. lib. de ſpect. cap. 12. vocat Capitolium* omnium dæmonum templum. *In Apolog. cap. 6. vocat* curiam deorum. *Lactant. libro primo cap. 11. vocat* inane monumentum. *Dicitur* templum Jovis O. M. *apud Livium lib. 22. &* auguſtiſſima domus Jovis, *apud eumque libro tertio. De conditore Capitolii hæc ſcribit Corn. Tacit. libr. 19.* Voverat Tarquinius Priſcus ex bello Sabino, jeceratque fundamenta ſpe magis futuræ magnitudinis, quam quod modicæ adhuc pop. Rom. res ſufficerent: mox Servius Tullius ſociorum ſtudio, deinde Tarquinius Superbus capta Sueſſa Pomætia hoſtium ſpoliis exſtruxere: Sed gloria operis libertati

reſervata pulſis Regibus Horatius Pulvillus iterum Coſ. dedicavit ea magnificentia, quam immenſæ poſtea pop. Romani opes ornarent potius, quam augerent. *Refert. Dionyſ. lib. 4. reſpondiſſe vatem quendam Etruriæ,* Oleum Calenum *vocat Plin. lib. 28. cap. 2. ad quem Tarquinius legatos miſerat civium lectiſſimos, eſſe in fatis, ut locus ille, in quo id caput inventum eſt, fieret caput totius Italiæ. Camillus apud Livium lib. 5. ſub finem:* Hic capitolium eſt, ubi quondam capite humano invento, reſponſum eſt, eo loco caput rerum, ſummamque imperii fore.

δ Et in deos tuos ſecuri.] *Ita Arnob. lib. 4. contra Gentes, eò Romanos perſtringit, quod cum ll. 12. tabularum pœnam in eum ſtatuiſſent, qui famam alicujus proſcidiſſet, poetis tamen licere voluiſſent indignas de diis fabulas, & flagitioſa ludibria comminiſci.*

ε Terentius veſter.] *Fuit quidem Afer, ſed ob liberale ingenium, & eruditionem Scipioni & Lælio chariſſimus, quorum etiam opera adjutus creditur in ſcribendo, ob ſermonis elegantiam, quod ex verbis Varronis conſtat:* Non obſcurum eſt, *inquit,* adjutum Terentium in ſcriptis à Lælio, & Scipione.

Cap. XIII.

Debuiſſe intelligere Romanos, quòd Dii eorum, qui ſe turpibus ludis coli expetebant, indigni eſſent honore divino.

SEd reſponderet mihi fortaſſe, ſi viveret: α Quomodo nos iſta impunita eſſe nollemus, quæ ipſi Dii ſacra eſſe voluerunt, cùm ludos ſcenicos, ubi talia celebrantur, dictitantur, actitantur, & Romanis moribus invexerunt, & ſuis honoribus dicari exhiberique juſſerunt? Cur ergo non hinc magis ipſi intellecti ſunt non eſſe Dei veri, nec omnino digni, quibus divinos honores deferret illa reſpublica? β Quos enim coli minimè deceret minimèque oporteret, ſi ludos expeterent agendos convitiis Romanorum, quomodo quæſo Dii colendi putati ſunt, quomodo non deteſtandi ſpiritus intellecti, qui cupiditate fallendi inter ſuos honores ſua celebrari crimina popoſcerunt? Itemque Romani, quamvis jam γ ſuperſtitione noxia premerentur, ut illos Deos colerent, quos videbant ſibi voluiſſe ſcenicas turpitudines conſecrari, ſuæ tamen dignitatis memores ac pudoris, actores talium fabularum nequaquam honoraverunt more Græcorum, ſed ſicut apud Ciceronem idem Scipio loquitur: *a* δ Cùm artem ludicrã ſcenamq; totam probro ducerent, ε genus id hominum non modò honore civium reliquorum carere, ſed etiam ζ tribu moveri *b* η notatione cenſoria voluerunt. Præclara ſanè, & Romanis laudibus annumeranda prudentia. Sed vellem ſeipſa ſequeretur, ſe imitaretur. Ecce enim rectè quisquis civium Romanorum eſſe ſcenicus elegiſſet, non ſolùm ei nullus ad honorem dabatur locus, verùm etiam cenſoris nota tribum tenere propriam minimè ſinebatur. O animum civitatis laudis avidum *c* θ Germanèque Romanum. Sed reſpondeatur mihi, qua conſentanea ratione ι homines ſcenici ab omni honore pelluntur, & ludi ſcenici Deorum honoribus admiſcentur? Illas theatricas artes *d* diu virtus Romana non noverat, quæ etſi ad oblectamentum voluptatis humanæ quærerentur,

tur, & vitio morum irreperent humanorum, Dii eas ſibi exhiberi petiverunt? Quomodo ergo abjicitur ſcenicus, per quem colitur Deus? Et theatricæ illius turpitudinis, quã fronte notatur actor, ſi adoratur exactor? In hac controverſia Græci Romanique concertant. Græci putant, rectè ſe honorare homines ſcenicos, cùm colant ludorum ſcenicorum flagitatores Deos. Romani verò hominibus ſcenicis nec *c* plebejam tribum, quantò minus ſenatoriam curiam dehoneſtari ſinunt? In hac diſceptatione hujuſcemodi ratiocinatio ſummam quæſtionis abſolvit: *f* ✕ Proponunt Græci: Si Dii tales colendi ſunt, profectò etiã tales honorandi ſunt. Aſſumũt Romani: Sed nullo modo tales homines honorandi ſunt. Concludunt Chriſtiani: Nullo igitur modo Dii tales colendi ſunt.

a CUm artem ludicram.] *Neceſſe erat, hiſtriones perditiſſimis fuiſſe moribus & deploratæ nequitiæ, cùm in ea civitate pro civibus non haberentur, cujus erant tam multa millia hominum flagitioſorum & facinoroſorum cives. Moveri tribu, & ſtipendia non facere hiſtriones, autores ſunt Livius & Valer. niſi poteſtas roget. Nam tum videtur cogere, quod Decimo Laberio contigit, rogante Cæſare, ut mimum ſuum ageret in ſcena, qui nihilominus fuit poſt hiſtricam artem eques Romanus: nam qui invitus committit in legem, non videtur committere. Excipiuntur ab ea lege actores Attellanarum, quæ ſunt fabulæ ſeveriores, jocis Italicam priſcam diſciplinam redolentibus conditæ. Liv. & Valer. Ideo nec deponunt in ſcena perſonam, ut alii hiſtriones. Feſtus.* L. Vives. Hiſtrionum infamia.

b Notatione cen.] *Quæ de moribus & fortunis uniuſcujuſque fiebat quinto quoque anno.* Attellanæ.

c Germanèque Rom.] (**Germanum, inquit Thomas Valois, id eſt, immane: nam Germani immanis habent corpora. ò hominem germanè nugatorem: quid enim aliud poſſim dicere? Mihi nequaquam potuit illud declarari: quo pacto librum quis intelligat, quacunque de re ſit ille compoſitus, qui linguam qua ſcriptus eſt, ignoret. Sæpè hac de re cum hominibus meo judicio non imperitis, ſuo peritiſſimis, diſputavi: me non intelligere dicebam, quemadmodum Scotus, Occam, & ſimiles ſacros ſcriptores intelligere atque enarrare potuerint. Accur. Bar. & Bal. jura, cùm Latinè neſciverint: quo ſermone & hæc & illi eruditi eſſent. Repugnabant illi mihi, & fieri poſſe contendebant, ac ſe intelligere ajebant, quæ me ipſe negarem. Cedo illis, & quod non capiam, ſtupori mei ingenii imputo; quanquam hic velim me doceant, num myſterium aliquod prædicatores iſti occuluerint, cùm Germanum exponunt, id eſt, immane: & Romanum, id eſt, altum. Quòd ſi ſic eſt, clamabo inſidias nobis ſimplicibus à callidis hominibus fieri. Nec eſſe rem ferendam, majore commentatore indigere commentatorem, quàm eum quem enarret, niſi fortè ſenſus hic aliquis eſt eruendus anagogicus vel tropologicus, relicto literali.**) *Nos homines emſſi Germanum pro vero, nativo, expreſſo, genuino accipi in Latina lingua ſcimus. Sic Cicero, ut unum exemplum pro multis millibus afferam, Act. in Verrem 5. Tum multa, tum hoc nemini me dicere, facilè eſſe perſpicuum, quantum inter hunc, & illum Numidicum verum ac Germanum Metellum intereſſet. Ita germanè Romanum, id eſt, verè Romanum: Romanus verè Auguſtinus pro generoſo, & in omne honeſtum erecto dixit. (*Acutiores* Germani. Germanum.

iſti

„ *iſti homines & ſolidioris eruditionis, verbis relictis , res ipſas & corpora apprehen-*
„ *dunt, nec quavis corpora, ſed humana & eadem immania. Ejuſdem farina, ſicut di-*
„ *cunt, eſt & illud, quod tertio poſt capite, Apicem quem flamen in capite geſtat, hi-*
„ *ſtoriographum quendam eſſe dicit, quaſi verò parum eſſet, hominem repentè ex lino*
„ *feciſſe, majore artificio quam Prometheus ex luto finxerit, niſi etiam hiſtoricus creare-*
„ *tur mira & plus quam divina artificis dexteritate. qui ſuam fœturam eruditam pro-*
„ *duxerit, cùm Deus nos rerum omnium rudes edat.*)*

d Diu virtus Romana.] *Quadringentos ferè per annos.*

Romæ ordines. *e* Plebejam.] *Ordines Romæ erant tres, ſenatorius, equeſter, plebejus, qui erat infimus, de quibus alibi. Plebejam dixit tribum, non quòd ulla eſſet tribus plebeja, ſed in unaquaque eſſent homines plebei & de fæce vulgi.*

Syllogiſmi partes. *f* Proponunt Græci.] *Dialectici & eos ſicuti rhetores, tres partes faciunt perfectæ argumentationis, qui Græcè dicitur ſyllogiſmus, Latinè ratiocinatio. Prima, quæ exponitur ſumma argumentationis: hæc eſt expoſitio, ſive propoſitio. Altera, cum propoſitione aſſumpta rem continet ſpecialius, de qua aliquid volumus colligere: hæc eſt aſſumptio. Tertia, quæ ratiocinationem claudit, complexio. Nec refert quibus hæc diſtincta ſint locis. Interim complexio eſt prima, ſæpe aſſumptio ſecunda, vel ultima. Pſeudodialectici hæc omnia confundunt, ut ſunt bonarum omnium artium expertes, & locum exiſtimant naturas mutare rerum, ex ſeipſis omnia metientes, qui cùm in ſcholis plus ſint quàm viri, extra ſcholas in vita communi minus quàm infantes.*

F.L.Coq. *α* Quomodo nos iſta impunita eſſe nollemus, quæ ipſi dii ſacra.] *Rectè ſiquidem à Platone dictum eſt in Dialogo, cui nomen Eutiphron* εἶναι τὸ μὲν τοῖς θεοῖς προσφιλὲς ὅσιον, τὸ δὲ μὴ προσφιλὲς ἀνόσιον. Sanctum, quod diis gratum; prophanum, quod diis minime gratum eſt. *Si itaque admittantur hujuſmodi dii ut vera eis divinitas ineſſe credatur, id quidem apte reſponderem, ea impune ferenda, imo religione celebranda quæ inſtituerunt ipſi dii, & ſibi conſecrari, & exhiberi juſſerunt: ſed quam ea pernitioſa ſunt, quæ in theatris exhibentur, & bonis moribus noxia, tam inanis eſt & falſa eorum divinitas. Subtiliter itaque differit Auguſt. magis hinc debuiſſe Romanos intelligere, non eſſe eos veros deos, ſed divinis honoribus prorſus indignos.*

β Quos enim coli minime deceret.] *Argumento utitur à minori ad majus: Non deceret, neque oporteret eos colere ſi ludos expetebant, in quibus, conviciis & contumeliis inceſſerentur cives Romani, multo magis neque dii putandi ſunt, qui publice in theatris ſua crimina traduci popoſcerunt, & id quidem ſtudio fallendi, ut nimirum in errorem homines inducerent, & magis ſectanda, quam deteſtanda hujuſmodi crimina perſuaderent.*

γ Superſtitione noxia premerentur.] *Leo Papa Romam vocat* magiſtram erroris, ut quæ omnium gentium ſerviret erroribus, & magnam ſibi videretur aſſumpſiſſe religionem, ſi nullam reſpueret falſitatem. *Cultus ille deorum verius Auguſtino* ſuperſtitio noxia *dicitur, quàm Ciceroni, errorem communem ſecuto,* pietas & religio, *qua Romani omnes gentes, nationesque ſuperarunt, in orat. de Aruſp.*

Reſp.

Reſp. Tertull. lib. de ſpect. cap. 7. Romam vocat urbem in qua dæmoniorum conventus conſedit, *ob id D. Petro* Babylon *jure optimo dicta.*

δ Cum artem ludicram ſcenamque totam probro ducerent.] *Scenici itaque infames apud Romanos. Locum Scipionis apud Cic. repetit Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9. Et poſterioribus etiam temporib. hoc genus hominum tanquam ſcurras improbiſſimos Romani infames habuere.* Sub Tyberio, *ut videre eſt apud Tacit. lib. 1.* in ſcenam prodiiſſe famoſa nota cenſebatur: Et cum theatri nimia licentia occaſio fuiſſet cædis ac tumultus, occiſis non modo è plebe: ſed militibus & centurione, & vulnerato tribuno prætoriæ cohortis, dum probra in magiſtratus & diſſenſionem vulgi prohibent, actum de ea ſeditione apud patres, dicebanturque ſententiæ, ut prætorib. jus virgarum in hiſtriones eſſet, & id quidem pro antiquo more, ſed quia D. Auguſtus immunes verborum hiſtriones quondam reſponderat. *(de quo videri poteſt Suetonius in Auguſto cap. 45.)* valuit interceſſio tribuni plebis, neque fas Tiberio infringere dict. Aug. *Ex Suetonio plane conſtat more veteri puniri hiſtriones ab Ædilibus, Prætoribus, Conſulibus quovis tempore & quovis loco permiſſos. Arctavit Auguſtus, & non niſi per tempus ludorum permiſit, & in loco ipſo ubi peccarent. i. e. in ſcena. Ademit etiam jus virgarum, non tamen exilium & carcerem: Ideo Tiberii principatu pulſi hiſtriones Italia, cum multa ab his in publicum ſeditioſe fœda per domos tentarentur, ut auctor eſt idem Tacit. lib. 4. & lib. 13. ductos in vincula fautores hiſtrionum: non dubium quin idem jus fuerit in hiſtriones ipſos. Fuit vero rei ludicræ fautor Auguſt. vel quod natura* Φιλοθεαμὼν *eſſet, vel certe ad frangendos & emolliendos rigidos illos animos. Cauſam cur Tiberius hiſtriones Roma expulerit, & arte interdixerit docet Dion lib. 57.* ὅτι τὰς τε γυναῖκας ᾔσχυνον, καὶ στάσεις ἤγειρον, quod mulieres ignominia afficerent, & turbas darent: *ab impuriſſimo Caligula deinde revocari.*

ε Genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere.] *Romæ ergo hiſtriones* ἄτιμοι i. e. infames *erant, & quanquam M. Tu. Roſcio comœdo familiariter uſus ſit, eumque ſæpe, & multis locis laudaverit, inprimiſque in orat. pro ipſa habita, quod vir eſſet optimus & ſingulari fide præditus, artem tamen ipſius non fuiſſe honeſtam neque dignam tanto viro ſatis declarat, quod de eodem dicit in orat. pro Quintio:* Etenim cum artifex hujuſmodi ſit ut ſolus dignus videatur, qui in ſcena ſpectetur, tum vir ejuſmodi eſt, ut ſolus dignus videatur, qui eò non accedat: quid aliud apertiſſime oſtendens, *ait D. Auguſt. de conſenſ. Evang. lib. 1. cap. 33.* niſi illam ſcenam eſſe tam turpem, ut tanto minus ibi eſſe homo debeat, quanto fuerit magis vir bonus? *Unus Heliogabalus fœdiſſimus princeps eo vecordiæ provectus eſt, ut omnes ſcenicos artifices ac theatricos ad maximas imperii dignitates promoveret, ut teſtatur Herodianus lib. 5. & Lamprid. in Heliogabal. quippe exercitibus ſaltatorem quendam præfecit, qui olim juvenis publice in theatro operas dederat: alium item è ſcena juventuti, alium Senatui, alium etiam Equeſtri ordini præpoſuit. Aurigis etiam & Comœdis, Mimotumque hiſtrionibus maxima imperii munia demandabat, verum id dignum homine ſpurciſſimo & principatu indigniſſimo.*

ζ Tribu moveri.] *Tertull. lib. de ſpect. cap. 22.* Manifeſte damnant ignominia, & ca-

& capitis diminutione arcentes curia, roſtris, Senatu, Equite, cæteriſque honoribus omnibus ſimul, ac ornamentis, *quemadmodum cives à cenſoribus in ordinem honoris cauſa referebantur, ſic ab iiſdem ignominiæ cauſa ex ordinibus pellebantur. Itaque ut tribu largienda plebejum, equo publico aſſignando Equitem Romanum, Senatu communicando Senatorem faciebant, ita tribu movendo plebejum, equo adimendo Equitem, Senatu ejiciendo Senatorem notabant: ita enim diſtribuebantur Romani in plebejos, Equites, & Senatores. Neque verò Equites ſolum aut Senatores ea nota afficere poterant, ut aut equo ſpoliarent, aut Senatu exigerent, ſed prætereà ut etiam tribu moverent. Ut enim omnes cives erant in tribu, ſic eandem amittere omnes, & quod gravius erat, in* Ceritum *tabulas referri, &* ærarii *relinqui poterant:* Senatu autem movere erat in recitando Senatu Senatorem veterem præterire: Equum adimere, equum vendere jubere. *qui tertii ordinis erant, hi tribu movebantur & in* Ceritum *tabulas referebantur, aut* ærarii *fiebant:* tribu movere erat ex una tribu in aliam, notæ cauſa transferre, *auctor Livius lib. 45.* nempe ex honeſtiore tribu in minus honeſtam, *ut ex ruſticæ in urbanam, aut ex ruſtica in ruſticam; tribus enim ruſticæ urbanis Romæ honoratiores erant, & in urbanas tribus transferri ignominiæ erat, deſidiæ probro, ut ſcribit Plin. lib. 4. cap. 3.* In Ceritum tabulas referri erat notæ cauſa ſuffragiis & reliquo civitatis jure privari, præterquam quod ut cives tributum conferre cogebantur. *Urbe enim à Gallis capta, cum Ceretini eos, qui una cum ſacris, æternoque igne Veſtæ ad ſe confugerant comiter hoſpitio ſuſcepiſſent, Romani deinde in meliorem ſtatum urbe reſtituta, civitate quidem eos donaverunt, ſuffragii tamen jus eis non conceſſerunt. Strabo lib. 5. Agell. lib. 15. cap. 13.* Aerarius fieri dicebatur, qui plebejus à Cenſoribus in Ceritum tabulas referebatur, ut in eo tantum civis eſſet, quod una cum civibus tributum pendebat: *ita ut qui* ærarius *factus eſſet, is non modo ſuffragio urbano, ſed etiam ſtipendiis militaribus ſpoliatus eſſet, quod conſtat ex Livio initio lib. 7. cum ſcribit, Attellanos hiſtriones cenſoria nota vacuos fuiſſe, qua neque tribu moverentur, neque à militaribus ſtipendiis repellerentur. Ut autem gravior erat nota in* Cerites *referri, quam* tribu moveri, *ſic* ærarium *relinqui, quam inter* Cerites *conjici: nam* ærarius *etiam inter* Cerites *relatus erat. Unde in annalibus nullam aliam notam reperiemus, niſi* tribu motum, & ærarium factum. *Hæc ex Sigonio de antiquo jure civium Rom. capit. 16. & P. Fabro lib. 2. Semeſtrium cap. 12. quæ adducta ſunt ut intelligeretur, quid ſit* tribu moveri notatione cenſoria. *Exempla cenſoriæ notæ vide apud Val. Max. lib. 2. cap. 9. Et Tertull. de ſpectac. cap. 10. de Pompejo, qui theatrum exſtruxerat:* Pompejus Magnus ſolo theatro ſuo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exſtruxiſſet, veritus quandoque memoriæ ſuæ cenſoriam animadverſionem Veneris ædem ſuperpoſuit, *quo conſtat non eos modo, qui artes ludicras exercerent, ſed & qui faverent, aut promoverent artem, obnoxios fuiſſe cenſoriæ notæ.*

n Notatione cenſoria.] *Cenſoria nota Plin. Secundus lib. 9. epiſt. ad Quadratum.* Cenſoriæ ignominiæ, animadverſionis, auctoritatis, *notationis cum Auguſtino Cic. pro Cluent.* probri cenſorii & caſtigationis cenſoriæ. *Plin. l. 18. c. 3. & 6.* Operis cenſorii *præter Cic. lib. 2. de Orat. Agell. etiam meminit. lib. 4. noct. Att. cap. 12. & lib. 14. c. 7.*

β Germaneque Romanum.] *Quod Græci γνησίως κ. ἀνιἕδήλως. In qua ſignificatione Cicer. 2. offic.* Juris, germanæque juſtitiæ ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenemus, germane Romanam, *utpote tanta, tamque præclara urbe non indignum.*

ι Homines ſcenici ab omni honore pelluntur, & ludi ſcenici Deorum honoribus.] *Similis locus apud Tertull. lib. de ſpect. capit. 22.* Amant quos mulctant, depreciant quos probant, artem magnificant, artificem notant: quale judicium eſt, ut ab ea quis offuſcetur, per quæ promeretur? Imo quanta confeſſio eſt malæ rei, quarum actores cum acceptiſſimi ſunt, ſine nota non ſunt.

κ Proponunt Græci.] *Acute valde ex propoſitione ſumpta à Græcis, & aſſumptione à Romanis concluſionem elicit omninò Chriſtianam, ut enim volunt Græci: ſi tales dii colendi ſunt, ergo etiam hujusmodi homines, per quos ludi exhibentur in honorem deorum honorandi ſunt, & valet converſio; ſi hujusmodi homines honorandi ſunt, colendos eſſe hujusmodi deos, ſed aſſumunt Romani: Nullo modo tales homines honorandi ſunt, quid ſupereſt niſi ut Chriſtiani concludant, nullo modo colendos hujusmodi deos? Recte quidem proponunt Græci, nihil enim prohibet conditionalem eſſe veram, cujus antecedens & conſequens ſit falſum, vel etiam impoſſibile: ut ſi dicamus Deum poſſe prava agere ſi velit, eſt enim vera hæc hypothetica, cum tamen eum vel velle, vel poſſe prava agere, naturæ illius repugnet ex Diametro: ita vera hæc hypothetica Græcorum: ſi tales dii colendi, ergo ſcenici honorandi; ſed propoſitionis & conſequens & antecedens falſum, & cum ſit neceſſaria illa conſequentia Græcorum, ut conſequens Romani non admittant, neque eſt quod antecedens admittant. Recte igitur inferunt Chriſtiani, hujusmodi deos non eſſe honorandos. Ex quo conſtat, eos, qui quocumq; modo artem hanc exercerent, etiamſi in honorem deorum in ludis ſcenicis prodirent, infamia fuiſſe notatos Romanis.*

Cap. XIV.

Meliorem fuiſſe Platonem, qui poetis locum in bene morata urbe non dederit, quàm hos Deos, qui ſe ludis ſcenicis voluerint honorari.

DEinde quærimus, ipſi poetæ talium fabularum compoſitores, qui duodecim tabularum lege prohibentur famam lædere civium, tam probroſa in Deos convitia jaculantes, cur non ut ſcenici habeantur inhoneſti? Et qua ratione rectum eſt, ut poeticorum figmentorum & ignominioſorum Deorum *a* infamentur actores, honorentur autores? *b* α An fortè Platoni Græco potius palma danda eſt, qui β cum ratione formaret, qualis eſſe civitas debeat, γ tanquam adverſarios civitatis poetas cenſuit urbe pellendos. Iſte verò & Deorum injurias indignè tulit, & fucari corrumpique figmentis animos civium noluit. δ Confer nunc *c* Platonis humanitatem à civibus decipiendis poetas urbe pellentem, cum Deorum divinitate honori ſuo ludos ſcenicos expetente. Ille, ne talia vel ſcriberentur, *d* etſi non perſuaſit, diſputando tamen ſuaſit levitati laſciviæque Græcorum. Iſti ut talia etiam agerentur jubendo extorſerunt gravitati & modeſtiæ Romanorum. Nec tantùm hæc agi voluerunt, ſed ſibi dicari, ſibi

ſacrari, ſibi ſolenniter exhiberi. ε Cui tandem honeſtius divinos honores decerneret civitas, utrum Platoni hæc turpia & nefanda prohibenti, an dæmonibus hac hominum deceptione gaudentibus, quibus ille vera perſuadere non potuit? ε ζ Hunc Platonem Labeo inter ſemideos commemorandum putavit: ſicut Herculem, ſicut Romulum. η Semideos autem heroibus anteponit, *f* ſed utroſque inter numina collocat. Veruntamen iſtum, quem appellat ſemideum, non heroibus tantùm, ſed etiam Diis ipſis præferendum eſſe non dubito. Propinquant autem Romanorum leges diſputationibus Platonis, quando ille cuncta poetica figmenta condemnat, iſti autem poetis adimunt ſaltem in homines maledicendi licentiam: *g* ille poetas ab urbis ipſius habitatione repellit, iſti ſaltem actores poeticarum fabularum removent à ſocietate civitatis: & ſi contra Deos ludorum ſcenicorum expetitores aliquid auderent, fortè undique removerent. θ Nequaquam igitur leges ad inſtituendos bonos, aut corrigendos mores malos à Diis ſuis poſſent accipere, ſive ſperare Romani, quos legibus ſuis vincunt atque convincunt. Illi enim honori ſuo depoſcunt ludos ſcenicos, iſti ab honoribus omnibus repellunt homines ſcenicos: illi celebrari ſibi jubent figmentis poeticis opprobria Deorum, iſti ab opprobriis hominum deterrent impudentiam poetarum. Semideus autem ille Plato & talium Deorum libidini reſtitit, *h* & ι ab indole Romanorum quid perficiendum eſſet, oſtendit: qui poetas ipſos vel pro arbitrio mentientes, vel hominibus miſeris quaſi Deorum facta peſſima imitanda proponentes, omnino in civitate bene inſtituta vivere noluit. Nos quidem κ Platonem, nec Deum, nec ſemideum perhibemus: nec ulli ſancto Angelo ſummi Dei, λ nec veridico prophetæ, μ nec Apoſtolo alicui, nec cuilibet Chriſti martyri, ν nec cuiquam Chriſtiano homini comparamus, cujus noſtræ ſententiæ ratio Deo proſperante ſuo loco explicabitur. Sed eum tamen, quandoquidem ipſi volunt fuiſſe ſemideum, præferendum eſſe cenſemus, ſi non Romulo & Herculi: *i* ξ quamvis iſtum nec occidiſſe fratrem, *k* ο nec aliquod perpetraſſe flagitium *l* quiſquam hiſtoricorum *m* vel poetarum *n* dixit, aut *o* finxit: *p* certè vel π Priapo, vel alicui *q* ϱ cynocephalo, poſtremò vel *r* σ Febri, quæ Romani τ numina *ſ* partim peregrina receperunt, *t* partim ſua propria ſacraverunt. Quomodo igitur tanta animi & morum mala, bonis præceptis & legibus, vel imminentia prohiberent, vel inſita extirpanda curarent Dii tales: qui etiam ſeminanda & augenda flagitia curaverunt, talia vel ſua, vel quaſi ſua facta per theatricas celebritates populis innoteſcere cupientes: υ ut tanquam autoritate divina ſua ſponte nequiſſima libido accenderetur humana: fruſtra hoc exclamante Cicerone, *u* qui cùm de poetis ageret, ad quos cùm acceſſiſſet, inquit: Clamor & approbatio populi, quaſi magni cujuſdam & ſapientis magiſtri, quas illi obducunt tenebras? quos invehunt metus? quas inflammant cupiditates?

L. Vives. Actor. Autor. Poeta. *a* INfamentur actores.] *Actores ab agendo, hiſtriones, qui agunt fabulam in ſcena. Autores, qui eam ſcribunt poetæ: quamvis autor latiſſimè pateat, quia ſiunt literarii ludi.*

b An

b An fortè Platoni.] *Plato lib. de rep. 2. Poetas ex ea civitate, quam optimam inſtituit, expellit, propter flagitia & ſcelera, quæ Diis canunt. Et in decimo volumine ejusdem operis, cùm multa dixiſſet in eos Socrates, locum totum claudit, ut ſentiat expellendam poeſim, quæ affectus inducit parum viriles: illam verò retinendam, quæ maſcula eſt & caſta. Itaque non omnem poeticam ille damnat: nam poetas interdum divinum genus vocat, cùm ſcilicet ſacros concinunt hymnos. Quòd ſi cecinerint poetæ virum bonum, tametſi pauperem fœlicem eſſe: contra malum & divitem & infœlicem: ſi non nimis corrumpantur licentia, nec rabie percellantur, nec impellantur aſſentatione, neque ea canant, quæ bonos mores corrumpant, utiles ſunt reipublicæ Platonicæ.* Plato à rep. expulit. Quos poetas non expellit Plato.

c Platonis humanitatem.] *Hic humanitas non accipitur vel pro ingenita quadam animi manſuetudine, hominúmque benevolentia, quæ φιλανθρωπία dicitur, nec pro eruditione in artes bonas, quæ παιδεία. ſed pro hominis natura, qua homines ſumus: ſicut bonitas, qua boni, Oſtendit id, quod ſequitur, nam divinitati comparatur. in hoc ſignificatu eſt etiam reperire apud alios, ut apud Cicer. 1. de Orat.* Humanitas.

d Etſi non perſuaſit.] *Miror vel ex hoc loco non admonitos eſſe noſtros Philoſophos & Theologos, quid inter perſuadere & ſuadere intereſſet. Sed illi quod à miraculo non procul abeſt, Latina ſine Latinitate intelligunt, Græcitatis peritiores, cùm ne legere quidem ſciant Græcè. Apud hanc enim gentem πείθω utrumque eſt, & ſuadere, & perſuadere.* Suadere. Perſuadere.

e Hunc Platonem Labeo.] *Ordines Deorum ex Varrone, deinde ex Platonicis aliis libris ponam. Romani quosdam Deos ſummos nominabant, medioxumos alios, alios heroes infimos, quaſi terreſtres, ab ἔρα, quam veteres terram dicebant: ut Capella perhibet. Medioxumos dixere, quos merita in cœlum vocarunt, ut ſcribit Cicero in Leg. hoc eſt ſemideos, velut hybridas quosdam ex mortali & immortali progenitos: ut Romulum, Herculem, Æſculapium, Tyndaridas, & ſimiles. Heroes ſunt ex utroque mortali parenti nati, qui meritis fœliciorem quandam nacti ſunt ſortem, quàm vulgus generis humani. Addunt quidam Semones, de quibus alio loco.* Heroes.

f Sed utrosque inter numina.] *Eos qui ſanctè vixiſſent, & ex hac vita migraſſent, in Deorum numero veteres Romani eſſe cenſuerunt, eorúmque feſta Necia ſunt appellata. Cicer. 2. De leg.* Necia.

g Ille poetas ab urbis.] *In vetuſtis codicibus, Brugenſi & Colonienſi ſic legitur: Ille poetas ab urbis ipſius habitatione, iſti ſaltem actores talium fabularum removent à ſocietate civitatis, & ſi contra Deos.*

h Et ab indole Romanorum.] *Ab inchoata virtute, ab initiis, ab ſpecimine, quamvis & plenam virtutem interdum ſignificat, ſed hic, id quod dixi, declarat quod ſequitur, quid perficiendum eſſet, oſtendit.* Indoles.

i Quamvis iſtum nec occidiſſe fratrem.] *Quod fecit Romulus, qui occidit Remum.*

k Nec aliquod perpetraſ.] *Ut Herculem, qui ſtupris, libidinibus, rapinis, latrociniis, homicidiis totum inquinavit orbem: quem illi purgatum ab eo exiſtimabant.*

l Quisquam hiſtoricorum.] *Ut de Romulo faciunt.*

m Vel poetarum.] *Ut de Hercule.*

n Dixit.] *Hiſtoricus.*

o Finxit.] *Poeta.*

Priapus. *p* Certè vel Priapo.] *Diodorus initium colendi Priapi hoc tradit; Cùm Oſiris Ægyptiorum rex à Typhone fratre impio & facinoroſo homine eſſet caſus, corpus ejus inter conſcios conjurationis eſt diviſum: virilia cùm nemo vellet recipere, in Nilum flumen ſunt abjecta Typhone ab Iſide Oſiridis conjuge devicto, cæteræ Oſiridis partes ſunt inventæ præter pudenda, quæ Iſis ſacravit, colique multis ceremoniis inſtituit, eique qui in Ægypto initiabantur, prima ſacra faciebant: nominatúsque eſt Priapus: occulto nomine, quòd veteres honeſtiore vocabulo ſic nominarent inhoneſta.* Ityphallus. *Hunc Græci Phallum & Ityphallum nuncupant: ex Latinis Columella lib. 11.*

Sed truncum fortè dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ityphalli,
Terribilis membri; medio qui ſemper in horto
Inguinibus puero prædoni falce minetur.

Erat enim hortorum cuſtos. Diodorus Typhonem quoque nominatum eum perhibet. Idem autor eſt, filium hunc fuiſſe Veneris & Dionyſii natum, ut inquit Servius & Valerius, Flaccus Lampſaci, quæ civitas eſt Helleſponti. ideo Lampſacenus eſt dictus, & Helleſpontiacus, Verg. 4. Geor.

Et cuſtos furum atque avium, cum falce ſaligna
Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.

Et in opere obſcœno loquitur Priapus:

Patria mulctabor, & olim
Ille tuus civis Lampſace Gallus ero.

Alii in Priapo urbe natum putant, haud procul à Lampſaco propter vineta: eſſe ad Helleſpontum ſacra Priapi orta Strabo putat. Recens eſt hic Deus, & ab Heſiodo ignoratus: quem Fulgentius inter Semones collocat, & cœlo receptum nondum eſſe perhibet propter tenuitatem meritorum.

Cynocephalus *q* Cynocephalo.] *Ad verbum canicipiti. Diodorus lib. 4. Cynocephalos corpore humano vocéque dicit eſſe, caninis capitibus, fera animalia atque indomita, multóſque in inſulis Nili.* Anubis. *Oſiris Anubin habuit filium, qui patrem in peregrinatione ſecutus, canis imagine pro inſignibus uſus eſt: idcirco & hujus animalis forma in Ægypto eſt cultus, & latrator à Verg. dicitur lib. 8. tum etiam quòd ſignificabatur cuſtos corporis Oſiridis & Iſidis. Sunt qui putent, hunc eſſe Mercurium, à ſagacitate ſic dictum.*

Febris Dea. *r* Febri.] *Romani aras multas Febri erexerunt. Veteris cujusdam in Palatio meminit Cicero 2. De leg. ejusdem Valerius in Antiquis inſtit. & Plin. lib. 2. tum & alterius in area Marianorum monumentorum, tertia quoque in ſumma parte vici longi.*

s Partim peregrina.] *Lucanus ad Ægyptum:*

Nos in templa tuam Romana accepimus Iſim,
Semicanéſque Deos, & ſiſtra moventia luctum.

t Par-

t Partim ſua propria.] *Ut Febrim.*

u Qui cùm de poeticis agens.] *In antiquis codicibus ſic legitur: Qui cùm de poetis ageret, ad quos cùm acceſſiſſet, inquit, clamor, &c. Puto hæc eſſe ex libris de repub. In tertio Tuſculan. ſic ait de cauſis, quæ virtutis ſemina à natura nobis indita corrumpunt, loquens: Accedunt etiam poëtæ, qui cùm magnam ſpeciem doctrinæ ſapientiæque præ ſe tulerint, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhæreſcunt penitus in mentibus. Cùm verò accedit eodem maximus quidam magiſter, populus atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum planè inficimur opinionum pravitate, à naturáque ipſa deſciſcimus. Similia lib. 2. & 4. plurima, quæ velut digito indicaſſe ſat fuerit, ne verboſitate librum & lectorem oneremus.* F.L.Coq.

a AN forte Platoni Græco.] *Cic. 2. de legibus, Eum* ſapientiſſimum Græciæ virum, longeque doctiſſimum *vocat, ut eſt apud Lact. lib. 3. cap. 19.* Gratias agebat Diis immortalibus quod homo natus, deinde quod Græcus non barbarus, poſtremo quod Athenienſis, & temporibus Socratis. *Quod refert Plutarchus in Mario:* Πλάτων μὲν ἐν ἤδη πρὸς τὸ τελευτᾶν γινόμενος ὑμνεῖ τὸν αὐτοῦ δαίμονα καὶ τὴν τύχην ὅτι πρῶτον μὲν ἄνθρωπος, εἶτα Ἕλλην οὐ βάρβαρος, οὐδὲ ἄλογον τῇ φύσει θηρίον γένοιτο πρὸς δὲ τούτοις, ὅτι τοῖς Σωκράτους χρόνοις ἀπήντησεν ἡ γένεσις αὐτοῦ.

b Cum ratione formaret, qualis eſſe civitas debeat.] *Formam civitatis inſtitutam à Platone reprehendit Ariſt. 2. de Rep. Cic. lib. 1. de Oratore, vocat* Commentitiam Platonis civitatem *Gregor. Nazianz. orat. 1. in Julianum,* in verbis ſitam eſſe *dicit,* & civitatem *vocat* ſermone fictam, quæ reipſa conſtrui ac coagmentari nequeat. *Et orat. in laudem Heronis*, tragelaphis eſſe ſimilem *ſcribit,* quod hi cum nulli ſint, eſſe tamen fingantur. *Athenæus lib. 2. ſcribit Platonem,* Non hominibus qui ubivis ſunt, leges præſcribere, ſed his quos imaginatione finxit, ut qui legibus his pareant, perquirendi ſint. *Et Theodor. ſer. 5. de curat. Græc. affect.* Ubi ſunt qui ad leges Platonis civitatem gubernent? quive uſquam homines eam vitæ normam, quam leges illæ inſtituunt, amplexi ſunt? *Refert Porphyr. in vita Plotini, quod cum Plotinus à Gallieno Imperatore & uxore ejus Salonina plurimum honoraretur, eorum benevolentia fretus rogavit, ut dirutam quamdam olim in Campania civitatem philoſophis aptam inſtaurarent, regionemque circumfuſam cultæ civitati donarent, concederentque civitatem habituris Platonis legibus gubernari, & civitatem Platonopolim appellari, pollicebatur illuc ſe habitatum cum omnibus amicis profecturum.* Quod facile, *inquit,* philoſophus ad votum impetraviſſet, niſi quidam Imperatoris familiares invidia, vel indignatione, vel quadam iniqua de cauſa acriter reſtitiſſent. *Sed mihi facile perſuaſum deluſam eſſe ac ludibrio habitam poſtulationem Plotini, quod ſibi perſuaderent, civitatem aut Rempub. Platonis magis animo effingi poſſe quam reipſa ſenſibus exhiberi, ut inſideat quidem in mente ſpecies quædam illius civitatis, quam cernamus animo, ſed reipſa non videamus: quod olim de eloquentia, qualem in perfecto oratore requirebat, dixit M. Tullius; quod teſtatur Max. Tyr. ſerm. 7.* ἔστιν, *inquit,* αὐτῷ ξυνοίκησις καὶ ἡ πολιτεία γιγνομένη λόγῳ κατὰ τὸ ἀκριβέστατον μᾶλλον ἢ χρειωδέστατον. Civitatem & Rempub. format, quæ ratio-

ratione conſtans magis reddat abſolutam aliquam formam, quam quæ mortalium uſibus ſit accommodata.

γ Tanquam adverſarios civitatis poetas cenſuit urbe pellendos.] *Lib. 2. de Repub. fabuloſa de diis, quæ ab Homero & Heſiodo ſunt conficta, omnino explodenda è civitate docet, multis verbis tandem concludens:* Οὐκ ἄρα ἀποδεκτέον οὔτε Ὁμήρου, οὔτε ἄλλου ποιητοῦ ταύτην τὴν ἁμαρτίαν περὶ τοὺς θεοὺς ἀνοήτως ἁμαρτάνοντος. *l. 10. de Rep. poeticam omnino è ſua Rep. expellit, quod flagitioſa de diis confingendo peſtis eſſet atque pernicies religionis, & inſolentium diſſolutarumque cupiditatum licentiam peſſimis exemplis in hominum animis inducendo, bonorum morum labes eſſet & corruptela. Homerum item ut inutilem & noxium jubet è bene morata Repub. feceſſere, ad quem etiam hac utitur apoſtrophe.* λέγε ἡμῖν, τίς τῶν πόλεων διὰ σὲ βέλτιον ᾤκησεν, ὥσπερ διὰ Λυκοῦργον Λακεδαίμων, καὶ δι' ἄλλους πολλοὺς πολλαὶ μεγάλαι τε καὶ σμικραί· σὲ δὲ τίς αἰτιᾶται πόλις νομοθέτην ἀγαθὸν γεγονέναι, καὶ σφᾶς ὠφεληκέναι. Χαρώνδαν μὲν γὰρ Ἰταλία, καὶ Σικελία, καὶ ἡμεῖς Σόλωνα. σὲ δὲ τίς; ἕξει τινὰ εἰπεῖν. i. e. Dic nobis, ecquæ Reſpublica per te rectius ſit conſtituta, quemadmodum per Lycurgum Lacedæmon, & per alios multos multæ magnæ & parvæ civitates: cujus vero civitatis homines bonum legislatorem te agnoſcunt, & te ſui ordinis bonique ſtatus authorem, & tua in ſe merita deprædicant? Charondam quidem Italia & Sicilia celebrant, nos Solonem. Te vero ecquæ, & qualem agnoſcet civitas? *Cic. 2. Tuſc.* Recte à Platone educuntur Poetæ ex ea civitate, quam finxit ille, cum mores optimos & optimum Reipub. ſtatum exquireret. *Dion. Chryſoſt. orat. 53. Dicit Platonem reprehendere Homerum in fabuloſis ſermonibus de Diis, ut qui nequaquam hominibus conducentia ea dixerit, nempe cupiditates, & mutuas inſidias & adulteria & contentiones, liteſque de diis recitans: unde noluit eum participem eſſe civitatis Reipublicæque ſuæ ſapientis ut ipſe putabat futuræ, ne hæc audirent de Diis juvenes. Joſeph. lib. 2. contra Appionem:* Plato nullum unquam Poetarum in Rep. dicit eſſe ſuſpiciendum, & Homerum honorifice amovet coronatum & unguento delibutum, ne ratam opinionem de Deo fabulis forte deſtrueret *Min. in octo.* Plato præclare Homerum illum inclytum, laudatum, & coronatum de civitate, quam ſermone inſtituebat, ejecit. *Theod. l. 2. de curat. Græc. affect. meminit hujus inſtituti Platonis, qui de civitate & Repub. quam conſtituebat, Homerum ejecit, eum omnis licentiæ & impietatis magiſtrum eſſe teſtatus. Et Euſeb. lib. 13. de præpar. Evang. cap. 1. & 2. Athenæus lib. 2. calumniatur Platonem, quod Homerum è civitate ſua expulerit. An vero id recte, vide Dion. Chryſ. orat. 53. & Maximum Tyrium Serm. 7. quo diſputat,* εἰ καλῶς ὁ Πλάτων τὸν Ὅμηρον τῆς πολιτείας παρῃτήσατο. An recte Plato è Rep. ſua Homerum expulerit.

δ Confer nunc Platonis humanitatem.] *Humanitas hic non ſumitur pro eruditione bonarum literarum, quam Græci* παιδείαν *vocant, notitia, neque pro facilitate, clementia, manſuetudine, quæ* φιλανθρωπία *dicitur, ſed pro ipſa* hominis natura, *quæ* ἀνθρωπότης. *In qua ſignificatione loquitur Cic. pro Roſcio Amerino,* Magna eſt vis humanitatis, communio ſanguinis, natura ipſa. *Pro Sylla:* Peterem veniam errato ex intimis veſtris cogitationibus, & ex humanitate

com-

communi: communis humanitatis jure, ac miſericordia deprecarer. *& alibi paſſim.*

ε Cui tandem honeſtius divinos honores decerneret civitas.] *Ita Clemens Alex. ſerm. exhort. ad Gentes oſtendit, homines quosdam diis gentium fuiſſe meliores, ut Apolline Cyrum, & Solonem: nam Apollo cum à Crœſo munera accepiſſet, eum ambiguitate verborum decepit, & per* Halim *ad rogum deduxit:* ἀνήγαγε τὸν Κροῖσον διὰ τοῦ Ἅλυος ἐπὶ τὴν πυρὰν, οὕτω φιλοῦντες οἱ δαίμονες ὁδηγοῦσιν εἰς τὸ πῦρ. ἀλλ' ὦ φιλανθρωπότερε καὶ ἀληθέστερε τοῦ Ἀπόλλωνος ἄνθρωπε τὸν ἐπὶ τῆς πυρᾶς οἴκτειρον δεδεμένον· καὶ σὺ μὲν ὦ Σόλων μαντεύσαι τὴν ἀλήθειαν, σὺ δὲ ὦ Κῦρε κέλευσον ἀποσβεσθῆναι τὴν πυράν. Sed tu ô homo, qui es Apolline hominum amantior & verior, miſerere ejus, qui eſt vinctus ſupra pyram: & tu quidem Solon vaticinare veritatem, tu Cyre jube pyram extingui. *Ut igitur ſi conferas Solonem & Cyrum cum Apolline Deo, intelliges facile meliorem in illis humanitatem, quàm in Apolline divinitatem. Ita in Platone, qui vita hominum optime conſulebat, quam in diis illis immanibus, qui ſuis inſtitutis videbantur corrumpere animos, & mores hominum. Congruit maxime huic loco, quod ſcribit Diodor. lib. 1. de quodam Rege Ægyptiorum Sabaco nomine, cui cum Deus, qui Thebis colebatur, viſus eſſet in ſomno dicere, regnum ipſius in Ægyptios neque fœlix, neque diuturnum fore, niſi ſacerdotibus Ægypti omnibus occiſis, per media ipſorum cadavera cum ſuis tranſiret, & non ſemel id ſomnium oblatum fuiſſet, omnibus undique convocatis ſacerdotibus, narratisque quæ per ſomnum acceperat,* nolle ſe, *inquit*, in Ægypto manentem alicui perniciem ſtruere, ſed malle purum, omnique ſolutum ſcelere ab Ægypto diſcedere, quàm impia cæde inquinatum potiri. *Meminit Rhodig. lib. 8. c. 1.* Confer hominem cum Deo Thebano, detrectantem tam immane ſcelus, cum incitante, & ſomnio exhortante, longe melior in illo humanitas, quam talis divinitas. *Eodem argumento Auguſt. juſtius divinos honores meruiſſe Platonem, turpia & nefanda prohibentem, & à civibus decipiendis poetas arcentem, & urbe pellentem, diis ipſis, qui in morum & animorum perniciem ludos ſcenicos ſibi exhiberi curabant.*

ζ Hunc Platonem Labeo, inter ſemideos.] *Heroes & viri, qui conſectati ſunt immortalium naturam, dicti à poetis antiquis* ſemidei. *Heſiodus:* Ζεὺς κρονίδης ποίησε δικαιότερον καὶ ἄρειον. Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος οἳ καλέονται ἡμίθεοι. *Semideos vocabant, qui heroica quadam & divina virtute, quæ ſupra homines ſit, excellerent, qualis Hector apud Homerum, de quo Priamum hæc inducit loquentem:* ὅτι σφόδρα ἦν ἀγαθὸς οὐδὲ ἐῴκει ἀνδρός γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο. i. e. Valde erat bonus, non mortalis hominis filius videbatur, ſed dei.

η Semper heroibus anteponit.] *Apud Heſiodum tamen, qui heroes, iidem & ſemidei, in aureis verſibus Pythagoræ aſcriptis diis immortalibus ſubjunguntur, heroes.*

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς νόμῳ ὡς διάκειται,
Τίμα καὶ σέβου ὅρκον, ἔπειθ' ἥρωας ἀγαυούς.

Qui diſtinxerunt ſemideos *ab* Heroibus, *eos* ſemideos *dixerunt, qui* ex altero parente mortali, & altero immortali nati eſſent, *hoc tamen diſcrimine, ut qui virtute contemplativa magis excellerent, eos ex patre Deo, matre homine fabularentur*

progenitos: qui vero magis virtutem activam amplecterentur eos ex Deo matre, patre homine. Interpres Heſiodi: Ἡμιθέους ἐν ἄλλοις ὡς τὸ μὲν ἔχοντας θεῖον, τὸ δὲ ἀνθρώπινον κατὰ τὴν φύσιν. ὥσπερ οὖν ἐστι θεῖον μόνον τὸ ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν, καὶ ἀνθρώπων τὸ ἐξ ἀμφοτέρων ἀνθρώπων, οὕτω δὴ καὶ τὸ σύμμικτον ἐκ τε θεῶν καὶ ἀνθρώπων ἡμιθέους λέγοντες· αὐτὴν δὲ ταύτην τὴν ἐν τῇ φύσει διαφορὰν ἀναφέρειν δεῖ πρὸς τὸ εἶδος τῆς ζωῆς. ὅσοι μὲν γὰρ κατὰ τὴν ἀνάγωγον ζωὴν μᾶλλον διέπρεψαν, τούτους ἐκ πατρὸς μὲν θεοῦ, μητρὸς δ' ἀνθρώπου παρέδωσαν. ὅσοι δὲ κατὰ τὴν πρακτικὴν ἀρετὴν τούτους ἀνάπαλιν ἐκ θεαίνης μὲν μητρὸς. πατρὸς δ' ἀνθρώπου. Heroes vero, viri eſſent nobiles, & illuſtres, qui utroque parente mortali nati, adeo tamen inter cæteros mortales excellerent, ut poſt mortem in deorum numerum relati crederentur.

θ Nequaquam igitur leges.] *Clem. Alex. in protrept.* τί δ' αὖ καὶ ἀληθεύσαιεν οἱ κακοὶ, ἢ τινὰ αὖ ὠφελήσαιεν. i. e. Quid veri dixerint improbi *(dæmones)* vel quamnam attulerint utilitatem.

ι Ab indole Romanorum.] *Indoles in pueris, atque adoleſcentibus eſt ſignificatio quadam futuræ probitatis. Cic. de ſenect.* ut enim adoleſcentibus bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur, in viris vero eſt ſignum præſentis virtutis. *Idem 3. offic.* Homines in quibus eſt virtutis indoles commoventur: *unde & pro præſtantia ſeu generoſitate quadam virtutis atque animi ponitur.*

κ Platonem nec Deum, nec Semideum perhibemus.] *Laudandus quidem Plato, ſed quantum decet hominem philoſophum, & à Deo alienum. Eum D. Auguſt. l. 3. contra Academ. ampliſſimis laudibus extulerat:* Plato, *inquit,* vir ſapientiſſimus, & eruditiſſimus ſuorum temporum, qui & ita locutus eſt, ut quæcunque diceret, magna fierent, & ea locutus eſt, ut quomodocumque diceret parva non fierent, *&c. ſed eum locum correxit 1. Retract. cap. 1.* Laus quoque ipſa, quæ Platonicos, ſeu Academicos philoſophos tantum extuli, quantum ipſos impios homines non oportuit, non immerito mihi diſplicuit, præſertim quorum contra errores magnos defendenda eſt Chriſtiana doctrina. *Quo mihi valde reprehendendi videntur, qui prophanos & ſacrilegos homines ampliſſimis adeo titulis honorant, ut eis vel divinitatem quandam, cum ad Tartara relegatos nemo dubitet, aſcribant: Ita ſanctiſſimum Hippocratem, Divum Julium, Divum Auguſtum appellant, quod paganiſmum magis, quam Chriſtianiſmum redolere videtur. Melius & ſanctius D. Hieron. epiſt. 1. ad Helidorum de vita ſolitaria.* Stultum Platonem cum ſuis diſcipulis appellat, ut quos non divina ſapientia, ſed mundana, quæ ſtultitia eſt apud Deum, illuſtres mundo reddiderit.

λ Nec veridico Prophetæ.] *In quo arguendus impius ille Julianus, qui ut ſcribit Cyrill. lib. 6. in eundem, contendebat, Platonem, Socratem, & hujuſmodi reliquos celebratos à Græcis non minus admirabiles fuiſſe, quam fuerunt priſci noſtri, ac Moſi & ſanctis Prophetis illos comparare, immo præferre audebat, aſſerens, eos noſtris fuiſſe meliores, unum è multis Moſem impie calumniatus, ſed egregie retundit ejus calumnias Cyrillus.*

μ Nec Apoſtolo alicui.] *Eleganter Chyſoſt. homil. 4. in Acta Apo.* Cur igitur, dixe-

dixerit aliquis, non in Platone & Pythagora operatus eſt Chriſtus? Quoniam Petri mens multo erat, quam illorum ad Philoſophiam accommodatior, nam illi revera pueri erant, ubique ſupra modum gaudentes inani gloria; Hic vero Petrus vir fuit philoſophicus, & gratiæ capax. *Ibidem:* vis oſtendam, qui vir ſit Petrus, qui Plato. Jam mores illorum, ſi videtur, expendamus, videamusque quid ambo geſſerunt. Hic omnem vitam conſumpſit, diſtorquens ſeſe circa dogmata inutilia ſupervacaneaque: *atque ibi multa Platonis abſurdiſſima dogmata recenſet, & mores illius, & vitam reprehenſioni docet obnoxiam.* Petrus vero, *inquit*, nihil docuit, ſed emiſit vocem, quæ tanquam lumen in tenebris vehementer refulgens diſpulit orbis terrarum caliginem: verum mores illius, quàm erant manſueti, quam humani, ut omni gloria inani erant ſuperiores, ut ſuſpexit in cœlum alienus ab omni faſtu, idque cum exercitaret mortuos? Quod ſi cui dementium illorum tale quid peractum fuiſſet, non vere ſed fallaci ſpecie, an non protinus aram popoſciſſet ac templum, ac Deo par haberi poſtulaſſet? *Et homil. 62. in Joannem, docet, quanto ſuperet Platonis philoſophiam & cæterorum philoſophorum Doctrina Apoſtolorum, quoniam illi rationibus, hi fide omnia perficiebant:* Ideo & Platonem, & Pythagoram, & philoſophos omnes, nec non & Aſtrologos, & Mathematicos, Geometras, Arithmeticos, & omnis ſapientiæ profeſſores ſuperarunt & meliores facti ſunt. Quanto ſtultis illis & inanis veriores philoſophi evaſerunt? Hi enim ſtatim animam immortalem eſſe non tantum dixerunt, ſed & perſuaſerunt. Illi antea nihil norant, quid eſſet anima, poſtquam autem invenerunt, & diviſerunt eam à corpore, iterum in errorem prolapſi ſunt: aliqui corpus eam dixerunt; alii compoſitum; nonnulli cum corpore diſſolvi; nec non cœlum animatum, & Deum. Piſcatores autem Dei opus profeſſi ſunt, & omnibus perſuaſerunt. *Et in 17. capit. epiſt. ad Rom. confert Platonem cum Paulo:* Tam celebris ille & adeo jactatus apud eos Plato; cum & magna ſermonum ſuorum pompa ſimul, & illuſtri nominis opinione commendatus tertio veniſſet in Siciliam, ne unius quidem tyranni victor evaſit, verùm adeo miſere vitam ſervavit, ut ipſam libertatem perdiderit. At hic tabernaculorum opifex, non ſolum Siciliam & Italiam, ſed totum orbem curſu ſuo penetravit. *Et hom. 4. in 1. ad Cor. in illud Pauli.* Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Quis ſapientior eſt, *inquit*, qui multis, an qui paucis, vel nemini potius perſuaſit? qui maximis de rebus, an qui de his, quæ non ſunt, loquitur? Quantum Plato, & ejus ſectatores de linea, puncto, angulo, de paribus & diſparibus numeris, & æqualibus inter ſe & inæqualibus, & hujusmodi araneis nobiſcum laborantes diſputarunt? Illarum namque telis hæc vitæ noſtræ ſunt inutiliora, quibus ille neque multum neque parum profecit, & ſic vita exceſſit. Quot modis oſtendere conatus eſt, immortalem eſſe animam? nihil tamen manifeſtum attulit, nihil cuiquam auditorum perſuaſit, ſed ita functus eſt vita. Crux autem per indoctos perſuadendo totum urbem allexit, non de quibuslibet rebus, ſed de Deo, veritate, pietate, vita Evangelica & futuro judicio diſputans, ſic omnes & ruſticos, & indoctos philoſophos reddidit. *Theodor. ſerm.*

5. de curat. Græc. affect. Plato, qui complures ſermones de animæ immortalitate diſſeruit, ne Ariſtoteli quidem auditori ſuo perſuaſit eam poſitionem noſtri vero piſcatores ac publicani; noſter, inquam, ſutor ipſis Græcis, ipſiſque Romanis, amplius vere & Ægyptiis, cunctiſque nationibus immortalitatem animæ perſuaſerunt. *Et ſerm. 9. oſtendit quam ſint ridicula leges Platonis, & quam ſalutiferæ ſint leges Chriſti, tam pernicioſas & noxias illas docet.*

υ Nec cuiquam Chriſtiano homini.] Quæ enim pars fideli cum infideli? *1. Cor. 6. Magnis quidem ingenii & naturæ dotibus commendatus Plato, ſed cui fides & Chriſti gratia, qua Chriſtiani in filios Dei adoptamur, defuit: Id quidem intelligendum de Chriſtianis Catholicis ſolis tanto nomine dignis: ſi enim de alienis à veritate fidei loquamur, quantumvis Chriſti nomen profiteantur, & Chriſtianos ſe venditent, nihilominus verum eſt, quod ſcribit Irenæus lib. 3. capit. 45.* Illis religioſiorem Platonem oſtendi. Philoſophi *(ait Tertull. lib. de ſpect. cap. 2.)* Deum non norunt niſi naturali jure, non etiam familiari, de longinquo, non de proximo. *Et c. 21. contendit, penes Ethnicos nullam eſſe veritatis plenitudinem, quia nec doctor veritatis Deus: at Chriſtiani ſunt θεοδίδακτοι. Quantum præſtent Chriſtiani philoſophis, vide eumdem in Apolog. c. 46.*

ξ Quamvis iſtum nec occidiſſe fratrem.] *Quod de Romulo referunt hiſtoriæ. Imo Plato lib. 9. de legib. hanc legem conſtituit ἐὰν ἀδελφὸς ἀδελφὸν ἢ ἀδελφὴν, ἢ ἀδελφὴ ἀδελφὸν ἢ ἀδελφὴν τρώσῃ καὶ ὄφλῃ τραύματος ἐκ προνοίας, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν.* Si frater fratrem, ſororemve, vel ſoror fratrem ſororemve, vulneraverit, & criminis convictus, convictave fuerit, morte multetur.

ο Nec aliquod perpetraſſe flagitium.] *Ut multa Herculis decantantur à poetis. Cyrill. lib. 6. contra Julianum ſacra Gentilium deridens:* Ipſi hominibus ſacrificaverunt, iiſque turpibus & libidinoſis, & omnibus modis vituperandis, qualis ſanè quidam fuit celeberrimus Hercules, quem fuiſſe Alcmenæ & Jovis filium dicunt, cui magnum & eximium præmium conſtituerunt, quod una nocte quinquaginta virgines vitiarit. *Lactant. lib. 1. c. 9. de Hercule:* quid tandem potuit in eo eſſe divini, qui ſuis ipſe vitiis mancipatus, & mares & fœminas contra omnes leges, infamia, dedecore, flagitio affecit? *Clem. Alex. Exhort. ad gentes:* Hercules 50. filias Theſtiæ una nocte vitiavit, ut qui ſimul adulter & ſponſus tot virginum: *non abs re ergo eum vocant poetæ* miſerum, & *αἰσυλέεργον, id eſt,* perpetratorem rerum nefariarum.

π Vel Priapo.] *Liberi patris & Veneris fuiſſe filium fingunt, quem ſuperſtitioſa antiquitas hortorum fuiſſe principem credidit. De Priapo & ejus ſacris Lactant. lib. 1. cap. 21. Euſeb. lib. 5. de præparat. Evang. c. 3.* Quid turpius quam Venerem, Cupidinem & Priapum Deos nuncupare? *Meminit & Arnob. l. 3.*

ρ Vel alicui Cynocephalo.] *Tertull. in Apolog. cap. 6.* Sirapidem, & Iſidem, & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo capitolio prohibitos inferri, id eſt, curia Deorum pulſos, Piſo & Gabinius Coſſ. non utique Chriſtiani everſis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium & otioſarum ſuperſtitionum vitia cohibentes: his vos reſtitutis ſummam majeſtatem contuliſtis. *Cypr. ad Demetr.* Crocodili,

codili, & Cynocephali,& lapides, & ſerpentes à vobis coluntur. *Minut. in Octa.* Iſis perditum filium cum Cynocephalo ſuo & aliis ſacerdotibus luget, plangit, inquirit, & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & dolorem infœliciſſimæ matris imitantur: mox invento parvulo gaudet Iſis, exultant ſacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur. *De his portentis ita Lucanus:*

Nos in templa tuam Romana accepimus Iſim,
Semicanesque Deos,& ſiſtra moventia luctum.

Et Sedulius poeta Chriſtianus:

Quis furor eſt, quæ tanta animos dementia ludit,
Et volucrem,turpemque Jovem,torvumque draconem
Semihominemque canem ſupplex homo pronus adoret?

Voluit eumdem fuiſſe Deum,qui diceretur Ægyptiis Anubis, quem tradunt in expeditione bellica ſcutum patrem Oſirim,*& canem pro inſigni geſtaſſe, qua ex re canina facie illum Ægyptii coluere. Meminit Euſ. l. 2. præparat. Evang. c. 1.*

σ Vel febri.] *Publicè febri fanum fuiſſe dicatum docet Plinius 2. natur. hiſt. c. 7. Cic. 2. de legib. & 3. de natura Deor. Valerius l. 2. cap. 5. Arrian. in Epicteto l. 1. c. 19. & 22. Lactant. l. 2. c. 20. Minut. in Octa. D. ipſe Auguſt. lib. 1. de conſenſ. Evang. cap. 18.*

τ Numina partim peregrina receperunt.] *D. Ambroſ. ſcribens ad Valentini. contra Symmach. & alios, qui veteres ritus repetebant:* ſi ritus veteres delectabant,cur in alienos ritus eadem Roma ſucceſſit? quid ut de ipſo reſpondeam, quod quæruntur captarum ſimulachra urbium, victosque Deos, & peregrinos ritus ſacrorum alienæ ſuperſtitionis æmuli receperunt. *Teſtis eſt D. Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evang. c. 12. ſolitos fuiſſe Romanos Deos Gentium, quas ſubjugabant, colendos propitiare, & eorum ſacra ſuſcipere. Legem ſtatuens Romulus,* Ne quis Romæ Deos peregrinos præter Faunum coleret, ſacrificiave externa faceret, ne quid juris divini negligendo patrios ritus, peregrinosque adſciſcendo, turbaretur, maximè cum ex diſparitate religionis animorum quoque diſparitas oriatur, & ex ea odia & ſeditiones proveniant. *Author Dionyſ. lib. 2. Liv. lib. 25. ait,* negotium M. Æmylio,ſeu melius M. Attilio prætori urbis, à ſenatu datum, ut à religionibus externis populum liberaret; quibus publicè & privatim populus tenebatur, contempto ritu Romanorum. Quodque is in concione S.C. recitavit & edixit, ut quicunque libros vaticinos,precationesve, aut artem ſacrificandi conſcriptam haberet, eos libros, literasque ante Cal. Aprilis deferret, neu quis in publico, ſacrove loco, novo aut externo ritu ſacrificaret. *Admonet & lib. 39. ſæpè hoc patrum majorumque ætate negotium magiſtratibus datum, ut ſacra externa fieri vetarent. Refert Val. Max. Luctatium (qui primum Punicum bellum confecit,)* à ſenatu prohibitum ſortes Fortunæ Prænestinæ adire: auſpiciis enim patriis,non alienigenis Rempub. adminiſtrari oportere judicabant. *Id ita intelligendum,non licuiſſe novos Deos & nova ſacra, niſi publica authoritate & ſenatus conſenſu adſciſcere,quod indicat lex 12. tabularum, quam refert Cic. 2. de legib.* Separatim nemo habeſcit Deos, neve novos, ſed ne advenas, niſi publicè adſcitos

 pri-

privatim colunto. *Unde ſcribit, Deos neque novos, neque alienigenas poſtea, niſi publicè, & ex S.C. Romanis adſcitos eſſe, veluti Æſculapius ex Epidauro ad avertendam peſtem; mater Deum ex Phrygia; cujus legis meminit Tertull. in Apolog. cap. 5. & Euſeb. libr. 2. hiſt. Eccleſ. Id etiam apud alios populos videmus obſervatum, ne novos Deos, aut nova ſacra ſuſciperent. ſcribit enim Joſeph. libro 2. contra Apionem, Scythas Anacharſim ſapientia mirabilem è Græcia redeuntem interemiſſe, quoniam videbatur Græcorum Deorum ad eos veniſſe pleniſſimus.*

v Ut tanquam authoritate divina.] *Ne vitia cenſerentur, quæ Deorum exemplo & authoritate commendabantur: in quam rem multa ſup. cap. 7.*

CAP. XV.

Quod Romani quosdam ſibi Deos non ratione, ſed adulatione inſtituerunt.

QUæ autem illis eligendorum Deorum etiam ipſorum falſorum ratio, *α* ac non potius adulatio eſt? quando iſtum Platonem, quem ſemideum volunt, tantis diſputationibus laborantem, *a* ne in animis malis, quæ præcipuè cavenda ſunt, mores corrumperentur humani, *β* nulla ædicula ſacra dignum putarunt, & Romulum ſuum Diis multis prætulerunt: *b* quamvis & ipſum ſemideum potius quàm Deum, *γ* velut ſecretior eorum doctrina commendet? *c δ* Nam etiam flaminem illum inſtituerunt, *d ε* quod ſacerdotii genus adeò in Romanis ſacris *e ζ* teſtante apice excelluit, *f η* ut tres ſolos flamines haberent tribus numinibus inſtitutos: Dialem, Jovi: Martialem, Marti: Quirinalem, Romulo. *g θ* Nam benevolentia civium velut receptus in cœlum *ι* Quirinus eſt poſtea nominatus: ac per hoc & *κ* Neptuno & Plutoni fratribus Jovis, & ipſi Saturno patri eorum iſto Romulus honore prælatus eſt: ut pro magno ſacerdotium, quod Jovi tribuerant, huic etiam hoc tribuerent, & Marti tanquam patri ejus, forſitan propter ipſum.

L. Vives. *a* NE in animis malis.] *Sunt qui legant: Ne in animi malis, alii: Ne à malis, optimè omnium, Ne anima malis.*

b Quamvis & ipſum ſemideum potius.] *Cicero in Leg. Divos & eos, qui cœleſtes ſemper ſunt habiti, colunto. Illos, quos in cœlum merita vocarunt, Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum.*

Flamen. *c* Nam etiam flaminem.] *De flamin. quæ dicam, erunt ex Varrone. Dionyſio, Feſto, Plutarcho, Gellio, Servio. Inter ſacerdotum ordines Numa Pompilius quosdam fecit, dixitque flamines, quorum inſigne erat galerus, ut pontificibus, ſed filum in eo inerat lana alba, hinc filamines appellatos, quaſi pilamines. Sunt qui dicant à pileo, quod non procedit: nam & pontifices pileos habebant. Alii quaſi filamines à filo, tum etiam quòd per æſtatem, cùm propter calorem galerum geſtare non poſſent, lini filis caput amiciebant. Nam nudis eſſe capitibus ſub dio religio erat, feſtis tamen diebus inter ſacra pileo eos uti erat neceſſe. Appianus Alexandrinus flaminem Dialem ſemper velo & galero feſtis profeſtiſque diebus uti ſolere, ſcribit. Sunt qui à flammeo, quod genus eſt tegminis capitis, quamvis mulierum potius quàm virorum hoc genus.*

genus. Sacerdotes primùm Numa tres creavit: Jovi unum, qui dicitur Dialis, à Dios, quod eſt Jovis: Marti unum, qui Martialis: Quirino unum, qui Quirinalis. Pluribus Diis eundem eſſe flaminem, vel eidem Deo plures non licebat. Auctus eſt ſenſim hic numerus, & xv. tandem fuerunt, ſine iis, qui conſecratis Cæſaribus per adulationem ſunt dati, ut C. Cæſari dictatori lege Antoniana, quod Cicero 2. Philipp. indignatur, & Auguſto, & aliis permultis. Verum præcipui ſemper fuere, quos Numa inſtituit, inter quos maximus fuit Dialis, qui Jovi ſacra faciebat: galeróque ſolus utebatur albo, maximaque dignationis eſt dictus. Cujus ceremonias & leges ſcribunt, cùm Plutarchus in Problematis, tum Gellius lib. x. ex Fabio Pictore: Maſſurio Sabino, Varrone, & aliis. Minimus inter omnes flamines erat Pomonalis, quòd leviſſima eſſet Pomona Dea, quæ pomis præeſt. Pomona Dea. *Alii erant mediocris majeſtatis, ut Volcanalis Vulcani, Furinalis Furidiæ, Falacer Falacris patris, Palatualis Deæ, in cujus tutela erat Palatium, Floralis Floræ matris.*

d Quod ſacerdotii genus adeò in Rom. ſacris.] *Flamines tametſi maximæ autoritatis, tamen pontificis maxim. dicto audientes erant. Sic populus juſſit primo bello Punico, cùm L. Metellus, pont. max. Poſthumium flaminem, Martialem conſulem non eſt paſſus à ſacris diſcedere. Sic bello Aſiatico primo, cùm P. Licinius pont. itidem max. iter in Sardiniam Q. Fabii Pictoris prætoris flaminis Quirinalis impedivit.*

e Teſtante apice.] *Apex faſtigium, & ſummum aliquid alicui additum rei. In flamine eſt id, quod in capite geſtat, pileus ſcilicet, vel fila lanea. Lucanus lib. 1. Et tollens apicem generoſo vertice flamen. Valer. lib. 1. At Sulpitio inter ſacrificandum apex prolapſus eidem ſacerdotium abſtulit. Apicem non dabant Romani, niſi principibus ſacerdotibus, ut nunc mitras. Servius lib. 8. Æneid. Et vocabant apicem ab apendo, quod eſt vincire: unde aptus & apiculum filum, quo flamines velatum apicem gerunt. Feſtus de his apicibus loquitur Vergil. in 8.*

Hinc exultantes Salios, nudóſque Lupercos
Lanigeróſque apices.

f Ut tres ſolos.] *Præcipuos & veros flamines, quique priſca illa erant flaminum autoritate.*

g Nam benevolentia civium.] *Mortuo Romulo ſenatus in ſuſpicionem populo venit, tanquam illum in conſilio laceraſſent.* Romulus Deus. *Lenita eſt multitudo teſtimonio Julii Proculi, qui juravit, ſe Romulum vidiſſe euntem in cœlum. Livius lib. 1. Ennius his verbis inducit populum Romanum lamentantem:*

O Romule Romule dic,
Qualem te patriæ cuſtodem Dii genuerunt.
Tu produxiſti nos intra luminis oras.
O pater, ô genitor patriæ, ó ſanguine dis oriunde.

h Quirinus eſt poſtea.] *Multis mutata nomina poſt Deificationem, ut auguſtiores videantur relicto humano nomine, ſic quæ mulier Leda, Nemeſis dicta eſt Dea:* Quirinus. *quæ Circe, Marica: quæ prius Ino, poſt factam Deam Matuta: qui Æneas poſtea Jupiter indiges Quirinus nominatus eſt in gratiam Sabinorum, propter quos Romani homines Quirites appellati à Curibus Sabinis, ſive, ut Ovidius inquit:*

Quòd

ratione conſtans magis reddat abſolutam aliquam formam, quam quæ mortalium uſibus ſit accommodata.

γ Tanquam adverſarios civitatis poetas cenſuit urbe expellendos.] *Lib. 2. de Repub. fabuloſa de diis, quæ ab Homero & Heſiodo ſunt conficta, omnino explodenda è civitate docet, multis verbis tandem concludens:* Οὐκ ἄρα ἀποδεκτέον οὔτε Ὁμήρου, οὔτε ἄλλου ποιητοῦ ταύτην τὴν ἁμαρτίαν περὶ τοὺς θεοὺς ἀνοήτως ἁμαρτάνοντος. *l. 10. de Rep. poeticam omnino è ſua Rep. expellit, quod flagitioſa de diis confingendo peſtis eſſet atque pernicies religionis, & inſolentium diſſolutarumque cupiditatum licentiam peſſimis exemplis in hominum animis inducendo, bonorum morum labes eſſet & corruptela. Homerum item ut inutilem & noxium jubet è bene morata Repub. faceſſere, ad quem etiam hac utitur apoſtrophe.* λέγε ἡμῖν, τίς τῶν πόλεων διὰ σὲ βέλτιον ᾤκησεν, ὥσπερ διὰ Λυκοῦργον Λακεδαίμων, καὶ δι᾽ ἄλλους πολλοὺς πολλαὶ μεγάλαι τε καὶ σμικραί· σὲ δὲ τίς αἰτιᾶται πόλις νομοθέτην ἀγαθὸν γεγονέναι, καὶ σφᾶς ὠφεληκέναι. Χαρώνδαν μὲν γὰρ Ἰταλία, καὶ Σικελία, καὶ ἡμεῖς Σόλωνα. σὲ δὲ τίς ἔχει τινὰ εἰπεῖν. i. e. Dic nobis, ecquæ Reſpublica per te rectius ſit conſtituta, quemadmodum per Lycurgum Lacedæmon, & per alios multos multæ magnæ & parvæ civitates: cujus vero civitatis homines bonum legislatorem te agnoſcunt, & te ſui ordinis bonique ſtatus authorem, & tua in ſe merita deprædicant? Charondam quidem Italia & Sicilia celebrant, nos Solonem. Te vero ecquæ, & qualem agnoſcet civitas? *Cic. 2. Tuſc.* Recte à Platone educuntur Poetæ ex ea civitate, quam finxit ille, cum mores optimos & optimum Reipub. ſtatum exquireret. *Dion. Chryſoſt. orat. 53. Dicit Platonem reprehendere Homerum in fabuloſis ſermonibus de Diis, ut qui nequaquam hominibus conducentia ea dixerit, nempe cupiditates, & mutuas inſidias & adulteria & contentiones, liteſque de diis recitans: unde noluit eum participem eſſe civitatis Reipublicæque ſuæ ſapientis ut ipſe putabat futuræ, ne hæc audirent de Diis juvenes. Joſeph. lib. 2. contra Appionem:* Plato nullum unquam Poetarum in Rep. dicit eſſe ſuſpiciendum, & Homerum honorifice amovet coronatum & unguento delibutum, ne ratam opinionem de Deo fabulis forte deſtrueret. *Min. in octo.* Plato præclare Homerum illum inclytum, laudatum, & coronatum de civitate, quam ſermone inſtituebat, ejecit. *Theod. l. 2. de curat. Græc. affect. meminit hujus inſtituti Platonis, qui de civitate & Repub. quam conſtituebat, Homerum ejecit, eum omnis licentiæ & impietatis magiſtrum eſſe teſtatus. Et Euſeb. lib. 13. de præpar. Evang. cap. 1. & 2. Athenæus lib. 2. calumniatur Platonem, quod Homerum è civitate ſua expulerit. An vero id recte, vide Dion. Chryſ. orat. 53. & Maximum Tyrium Serm. 7. quo diſputat,* εἰ καλῶς ὁ Πλάτων τὸν Ὅμηρον τῆς πολιτείας παρῃτήσατο. An recte Plato è Rep. ſua Homerum expulerit.

δ Confer nunc Platonis humanitatem.] *Humanitas hic non ſumitur pro eruditione bonarum literarum, quam Græci* παιδείαν *vocant, notitia, neque pro facilitate, clementia, manſuetudine, quæ* φιλανθρωπία *dicitur, ſed pro ipſa* hominis natura, *quæ* ἀνθρωπότης. *In qua ſignificatione loquitur Cic. pro Roſcio Amerino,* Magna eſt vis humanitatis, communio ſanguinis, natura ipſa. *Pro Sylla:* Peterem veniam errato ex intimis veſtris cogitationibus, & ex humanitate

com-

communi: communis humanitatis jure, ac miſericordia deprecarer. *& alibi paſſim.*

e Cui tandem honeſtius divinos honores decerneret civitas.] *Ita Clemens Alex. ſerm. exhort. ad Gentes oſtendit, homines quoſdam diis gentium fuiſſe meliores, ut Apolline Cyrum, & Solonem: nam Apollo cum à Crœſo munera accepiſſet, eum ambiguitate verborum decepit, & per* Halim *ad rogum deduxit:* ἀνήγαγε τὸν Κροῖσον διὰ τοῦ Ἅλυος ἐπὶ τὴν πυράν, οὕτω φιλοῦντες οἱ δαίμονες ὁδηγοῦσιν εἰς τὸ πῦρ. ἀλλ' ὦ φιλανθρωπότερος καὶ ἀληθέστερος τοῦ Ἀπόλλωνος ἄνθρωπε τὸν ἐπὶ τῆς πυρᾶς οἴκτειρον δεδεμένον· καὶ σὺ μὲν ὁ Σόλων μαντευσαι τὴν ἀλήθειαν, σὺ δὲ ὦ Κῦρε κέλευσον ἀποσβεσθῆναι τὴν πυράν. Sed tu ô homo, qui es Apolline hominum amantior & verior, miſerere ejus, qui eſt vinctus ſupra pyram: & tu quidem Solon vaticinare veritatem, tu Cyre jube pyram extingui. *Ut igitur ſi conferas Solonem & Cyrum cum Apolline Deo, intelliges facile meliorem in illis humanitatem, quàm in Apolline divinitatem. Ita in Platone, qui vitæ hominum optime conſulebat, quam in diis illis immanibus, qui ſuis inſtitutis videbantur corrumpere animos, & mores hominum. Congruit maxime huic loco, quod ſcribit Diodor. lib. 1. de quodam Rege Ægyptiorum Sabaco nomine, cui cum Deus, qui Thebis colebatur, viſus eſſet in ſomno dicere, regnum ipſius in Ægyptios neque fœlix, neque diuturnum fore, niſi ſacerdotibus Ægypti omnibus occiſis, per media ipſorum cadavera cum ſuis tranſiret, & non ſemel id ſomnium oblatum fuiſſet, omnibus undique convocatis ſacerdotibus, narratisque quæ per ſomnum acceperat,* nolle ſe, *inquit*, in Ægypto manentem alicui perniciem ſtruere, ſed malle purum, omnique ſolutum ſcelere ab Ægypto diſcedere, quàm impia cæde inquinatum potiri. *Meminit Rhodig. lib. 8. c. 1.* Confer hominem cum Deo Thebano, detrectantem tam immane ſcelus, cum incitante, & ſomnio exhortante, longe melior in illo humanitas, quam talis divinitas. *Eodem argumento Auguſt. juſtius divinos honores meruiſſe Platonem, turpia & nefanda prohibentem, & à civibus decipiendis poetas arcentem, & urbe pellentem, diis ipſis, qui in morum & animorum perniciem ludos ſcenicos ſibi exhiberi curabant.*

ζ Hunc Platonem Labeo, inter ſemideos.] *Heroes & viri, qui confectati ſunt immortalium naturam, dicti à poetis antiquis* ſemidei. *Heſiodus:* Ζεὺς Κρονίδης ποίησε δικαιότερον καὶ ἄρειον. Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος οἳ καλέονται ἡμίθεοι. *Semideos vocabant, qui heroica quadam & divina virtute, quæ ſupra homines ſit, excellerent, qualis Hector apud Homerum, de quo Priamum hæc inducit loquentem:* ὅτι σφόδρα ἦν ἀγαθὸς οὐδὲ ἐῴκει Ἀνδρός γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο. i. e. Valde erat bonus, non mortalis hominis filius videbatur, ſed dei.

η Semper heroibus anteponit.] *Apud Heſiodum tamen, qui heroes, iidem & ſemidei, in aureis verſibus Pythagoræ aſcriptis diis immortalibus ſubjunguntur, heroes.*

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς νόμῳ ὡς διάκειται,
Τίμα, καὶ σέβου ὅρκον, ἔπειθ' ἥρωας ἀγαυούς.

Qui diſtinxerunt ſemideos *ab* Heroibus, *eos* ſemideos *dixerunt, qui* ex altero parente mortali, & altero immortali nati eſſent, *hoc tamen diſcrimine, ut qui virtute contemplativa magis excellerent, eos ex patre Deo, matre homine fabularentur*

progenitos: qui vero magis virtutem activam amplecterentur eos ex Deo matre, patre homine. Interpres Heſiodi: Ἡμιθέους ἐν ἄλλοις ὡς τὸ μὲν ἔχοντας θεῖον, τὸ δὲ ἀνθρώπινον κατὰ τὴν φύσιν. ὥσπερ οὖν ἐστι θεῶν μόνων τὸ ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν, καὶ ἀνθρώπων τὸ ἐξ ἀμφοτέρων ἀνθρώπων, οὕτω δὴ καὶ τὸ σύμμικτον ἐκ τε θεῶν καὶ ἀνθρώπων ἡμιθέους λέγοντας· αὐτὴν δὲ ταύτην τὴν ἐν τῇ φύσει διαφορὰν ἀναφέρειν δεῖ πρὸς τὸ εἶδος τῆς ζωῆς, ὅσοι μὲν γὰρ κατὰ τὴν ἀνάγωγον ζωὴν μᾶλλον διέπρεψαν, τούτους ἐκ πατρὸς μὲν θεοῦ, μητρὸς δὲ ἀνθρώπου παρέδωσαν. ὅσοι δὲ κατὰ τὴν πρακτικὴν ἀρετὴν τούτους ἀνάπαλιν ἐκ θεαίνης μὲν μητρὸς, πατρὸς δὲ ἀνθρώπου. Heroes *vero,* viri eſſent nobiles, & iliuſtres, qui utroque parente mortali nati, adeo tamen inter cæteros mortales excellerent, ut poſt mortem in deorum numerum relati crederentur.

θ Nequaquam igitur leges.] *Clem. Alex. in protrept.* τί δ᾽ αὖ καὶ ἀληθεύσαιεν οἱ κακοὶ, ἢ τινὰ αὖ ὠφελήσαιεν. i. e. Quid veri dixerint improbi *(dæmones)* vel quamnam attulerint utilitatem.

ι Ab indole Romanorum.] *Indoles in pueris, atque adoleſcentibus eſt ſignificatio quædam futuræ probitatis. Cic. de ſenect.* ut enim adoleſcentibus bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur, in viris vero eſt ſignum præſentis virtutis. *Idem 3. offic.* Homines in quibus eſt virtutis indoles commoventur: *unde & pro præſtantia ſeu generoſitate quadam virtutis atque animi ponitur.*

κ Platonem nec Deum, nec Semideum perhibemus.] *Laudandus quidem Plato, ſed quantum decet hominem philoſophum, & à Deo alienum. Eum D. Auguſt. l. 3. contra Academ. ampliſſimis laudibus extulerat:* Plato, *inquit,* vir ſapientiſſimus, & eruditiſſimus ſuorum temporum, qui & ita locutus eſt, ut quæcunque diceret, magna fierent, & ea locutus eſt, ut quomodocumque diceret parva non fierent, *&c. ſed eum locum correxit 1. Retract. cap. 1.* Laus quoque ipſa, quæ Platonicos, ſeu Academicos philoſophos tantum extuli, quantum ipſos impios homines non oportuit, non immerito mihi diſplicuit, præſertim quorum contra errores magnos defendenda eſt Chriſtiana doctrina. *Quo mihi valde reprehendendi videntur, qui prophanos & ſacrilegos homines ampliſſimis adeo titulis honorant, ut eis vel divinitatem quandam, cum ad Tartara relegatos nemo dubitet, aſcribant: Ita ſanctiſſimum Hippocratem, Divum Julium, Divum Auguſtum appellant, quod paganiſmum magis, quam Chriſtianiſmum redolere videtur. Melius & ſanctius D. Hieron. epiſt. 1. ad Helidorum de vita ſolitaria.* Stultum Platonem cum ſuis diſcipulis appellat, ut quos non divina ſapientia, ſed mundana, quæ ſtultitia eſt apud Deum, illuſtres mundo reddiderit.

λ Nec veridico Prophetæ.] *In quo arguendus impius ille Julianus, qui ut ſcribit Cyrill. lib. 6. in eundem, contendebat, Platonem, Socratem, & hujuſmodi reliquos celebratos à Græcis non minus admirabiles fuiſſe, quam fuerunt priſci noſtri, ac Moſi & ſanctis Prophetis illos comparare, immo præferre audebat, aſſerens, eos noſtris fuiſſe meliores, unum è multis Moſem impie calumniatus, ſed egregie retundit ejus calumnias Cyrillus.*

μ Nec Apoſtolo alicui.] *Eleganter Chyſoſt. homil. 4. in Acta Apo.* Cur igitur, dixe-

dixerit aliquis, non in Platone & Pythagora operatus eſt Chriſtus? Quoniam Petri mens multo erat, quam illorum ad Philoſophiam accommodatior, nam illi revera pueri erant, ubique ſupra modum gaudentes inani gloria; Hic vero Petrus vir fuit philoſophicus, & gratiæ capax. *Ibidem:* vis oſtendam, qui vir ſit Petrus, qui Plato. Jam mores illorum, ſi videtur, expendamus, videamusque quid ambo geſſerunt. Hic omnem vitam conſumpſit, diſtorquens ſeſe circa dogmata inutilia ſupervacaneaque: *atque ibi multa Platonis abſurdiſſima dogmata recenſet, & mores illius, & vitam reprehenſioni docet obnoxiam.* Petrus vero, *inquit*, nihil docuit, ſed emiſit vocem, quæ tanquam lumen in tenebris vehementer refulgens diſpulit orbis terrarum caliginem: verum mores illius, quàm erant manſueti, quam humani, ut omni gloria inani erant ſuperiores, ut ſuſpexit in cœlum alienus ab omni faſtu, idque cum exercitaret mortuos? Quod ſi cui dementium illorum tale quid peractum fuiſſet, non vere ſed fallaci ſpecie, an non protinus aram popoſciſſet ac templum, ac Deo par haberi poſtulaſſet? *Et homil. 62. in Joannem, docet, quanto ſuperet Platonis philoſophiam & cæterorum philoſophorum Doctrina Apoſtolorum, quoniam illi rationibus, hi fide omnia perficiebant:* Ideo & Platonem, & Pythagoram, & philoſophos omnes, nec non & Aſtrologos, & Mathematicos, Geometras, Arithmeticos, & omnis ſapientiæ profeſſores ſuperarunt & meliores facti ſunt. Quanto ſtultis illis & inanis veriores philoſophi evaſerunt? Hi enim ſtatim animam immortalem eſſe non tantum dixerunt, ſed & perſuaſerunt. Illi antea nihil norant, quid eſſet anima, poſtquam autem invenerunt, & diviſerunt eam à corpore, iterum in errorem prolapſi ſunt: aliqui corpus eam dixerunt; alii compoſitum; nonnulli cum corpore diſſolvi; nec non cœlum animatum, & Deum. Piſcatores autem Dei opus profeſſi ſunt, & omnibus perſuaſerunt *Et in 17. capit. epiſt. ad Rom. confert Platonem cum Paulo:* Tam celebris ille & adeo jactatus apud eos Plato; cum & magna ſermonum ſuorum pompa ſimul, & illuſtri nominis opinione commendatus tertio veniſſet in Siciliam, ne unius quidem tyranni victor evaſit, verùm adeo miſere vitam ſervavit, ut ipſam libertatem perdiderit. At hic tabernaculorum opifex, non ſolum Siciliam & Italiam, ſed totum orbem curſu ſuo penetravit. *Et hom. 4. in 1. ad Cor. in illud Pauli.* Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Quis ſapientior eſt, *inquit*, qui multis, an qui paucis, vel nemini potius perſuaſit? qui maximis de rebus, an qui de his, quæ non ſunt, loquitur? Quantum Plato, & ejus ſectatores de linea, puncto, angulo, de paribus & diſparibus numeris, & æqualibus inter ſe & inæqualibus, & hujusmodi araneis nobiſcum laborantes diſputarunt? Illarum namque telis hæc vitæ noſtræ ſunt inutiliora, quibus ille neque multum neque parum profecit, & ſic vita exceſſit. Quot modis oſtendere conatus eſt, immortalem eſſe animam? nihil tamen manifeſtum attulit, nihil cuiquam auditorum perſuaſit, ſed ita functus eſt vita. Crux autem per indoctos perſuadendo totum urbem allexit, non de quibuslibet rebus, ſed de Deo, veritate, pietate, vita Evangelica & futuro judicio diſputans, ſic omnes & ruſticos, & indoctos philoſophos reddidit. *Theodor. ſerm.*

5. de curat. Græc. affect. Plato, qui complures ſermones de animæ immortalitate diſſeruit, ne Ariſtoteli quidem auditori ſuo perſuaſit eam poſitionem: noſtri vero piſcatores ac publicani; noſter, inquam, ſutor ipſis Græcis, ipſiſque Romanis, amplius vere & Ægyptiis, cunctiſque nationibus immortalitatem animæ perſuaſerunt. *Et ſerm. 9. oſtendit quam ſint ridiculæ leges Platonis, & quam ſalutiferæ ſint leges Chriſti, tam pernicioſas & noxias illas docet.*

ν Nec cuiquam Chriſtiano homini.] Quæ enim pars fideli cum infideli? *1. Cor. 6. Magnis quidem ingenii & naturæ dotibus commendatus Plato, ſed cui fides & Chriſti gratia, qua Chriſtiani in filios Dei adoptamur, defuit: Id quidem intelligendum de Chriſtianis Catholicis ſolis tanto nomine dignis: ſi enim de alienis à veritate fidei loquamur, quantumvis Chriſti nomen profiteantur, & Chriſtianos ſe venditent, nihilominus verum eſt, quod ſcribit Irenæus lib. 3. capit. 45.* Illis religioſiorem Platonem oſtendi. Philoſophi *(ait Tertull. lib. de ſpect. cap. 2.)* Deum non norunt niſi naturali jure, non etiam familiari, de longinquo, non de proximo. *Et c. 21. contendit, penes Ethnicos nullam eſſe veritatis plenitudinem, quia nec doctor veritatis Deus: at Chriſtiani ſunt θεοδίδακτοι. Quantum præſtent Chriſtiani philoſophis, vide eumdem in Apolog. c. 46.*

ξ Quamvis iſtum nec occidiſſe fratrem.] *Quod de Romulo referunt hiſtoriæ. Imo Plato lib. 9. de legib. hanc legem conſtituit ἐὰν ἀδελφὸς ἀδελφὸν ἢ ἀδελφὴν, ἢ ἀδελφὴ ἀδελφὸν ἢ ἀδελφὴν τρώσῃ καὶ ὄφλῃ τραύματος ἐκ προνοίας, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν.* Si frater fratrem, ſororemve, vel ſoror fratrem ſororemve, vulneraverit, & criminis convictus, convictave fuerit, morte multetur.

ο Nec aliquod perpetraſſe flagitium.] *Ut multa Herculis decantantur à poetis. Cyrill. lib. 6. contra Julianum ſacra Gentilium deridens:* Ipſi hominibus ſacrificaverunt, iiſque turpibus & libidinoſis, & omnibus modis vituperandis, qualis ſanè quidam fuit celeberrimus Hercules, quem fuiſſe Alcmenæ & Jovis filium dicunt, cui magnum & eximium præmium conſtituerunt, quod una nocte quinquaginta virgines vitiarit. *Lactant. lib. 1. c. 9. de Hercule:* quid tandem potuit in eo eſſe divini, qui ſuis ipſe vitiis mancipatus, & mares & fœminas contra omnes leges, infamia, dedecore, flagitio affecit? *Clem. Alex. Exhort. ad gentes:* Hercules 50. filias Theſtiæ una nocte vitiavit, ut qui ſimul adulter & ſponſus tot virginum: *non abs re ergo eum vocant poetæ* miſerum, *& αἰσχρουργὸν, id eſt,* perpetratorem rerum nefariarum.

π Vel Priapo.] *Liberi patris & Veneris fuiſſe filium fingunt, quem ſuperſtitioſa antiquitas hortorum fuiſſe principem credidit. De Priapo & ejus ſacris Lactant. lib. 1. cap. 21. Euſeb. lib. 5. de præparat. Evang. c. 3.* Quid turpius quam Venerem, Cupidinem & Priapum Deos nuncupare? *Meminit & Arnob. l. 3.*

ρ Vel alicui Cynocephalo.] *Tertull. in Apolog. cap. 6.* Sarapidem, & Iſidem, & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo capitolio prohibitos inferri, id eſt, curia Deorum pulſos, Piſo & Gabinius Coſſ. non utique Chriſtiani everſis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium & otioſarum ſuperſtitionum vitia cohibentes; his vos reſtitutis ſummam majeſtatem contuliſtis. *Cypr. ad Demetr.* Crocodili,

codili, & Cynocephali, & lapides, & ſerpentes à vobis coluntur. *Minut. in Octa.* Iſis perditum filium cum Cynocephalo ſuo & aliis ſacerdotibus luget, plangit, inquirit, & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & dolorem infœliciſſimæ matris imitantur: mox invento parvulo gaudet Iſis, exultant ſacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur. *De his portentis ita Lucanus:*

Nos in templa tuam Romana accepimus Iſim,
Semicanesque Deos, & ſiſtra moventia luctum.

Et Sedulius poeta Chriſtianus:

Quis furor eſt, quæ tanta animos dementia ludit,
Et volucrem, turpemque Jovem, torvumque draconem
Semihominemque canem ſupplex homo pronus adoret?

Voluit eundem fuiſſe Deum, qui diceretur Ægyptiis Anubis, quem tradunt in expeditione bellica ſecutum patrem Oſirim, *& canem pro inſigni geſtaſſe, qua ex re canina facie illum Ægyptii coluere. Meminit Euſ. l. 2. præparat. Evang. c. 1.*

ſ Vel febri.] *Publicè febri fanum fuiſſe dicatum docet Plinius 2. natur. hiſt. c. 7. Cic. 2. de legib. & 3. de natura Deor. Valerius l. 2. cap. 5. Arrian. in Epicteto l. 1. c. 19. & 22. Lactant. l. 2. c. 20. Minut. in Octa. D. ipſe Auguſt. lib. 1. de conſenſ. Evang. cap. 18.*

t Numina partim peregrina receperunt.] *D. Ambroſ. ſcribens ad Valentini. contra Symmach. & alios, qui veteres ritus repetebant:* ſi ritus veteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma ſucceſſit? quid ut de ipſo reſpondeam, quod quæruntur captarum ſimulachra urbium, victosque Deos, & peregrinos ritus ſacrorum alienæ ſuperſtitionis æmuli receperunt. *Teſtis eſt D. Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evang. c. 12. ſolitos fuiſſe Romanos Deos Gentium, quas ſubjugabant, colendos propitiare, & eorum ſacra ſuſcipere. Legem ſtatuens Romulus,* Ne quis Romæ Deos peregrinos præter Faunum coleret, ſacrificiave externa faceret, ne quid juris divini negligendo patrios ritus, peregrinosque adſciſcendo, turbaretur, maximè cum ex diſparitate religionis animorum quoque diſparitas oriatur, & ex ea odia & ſeditiones proveniant. *Author Dionyſ. lib. 2. Liv. lib. 25. ait,* negotium M. Æmylio, ſeu melius M. Attilio prætori urbis, à ſenatu datum, ut à religionibus externis populum liberaret; quibus publicè & privatim populus tenebatur, contempto ritu Romanorum. Quodque is in concione S.C. recitavit & edixit. ut quicunque libros vaticinos, precationesve, aut artem ſacrificandi conſcriptam haberet, eos libros, literasque ante Cal. Aprilis deferret, neu quis in publico, ſacrove loco, novo aut externo ritu ſacrificaret. *Admonet & lib. 39. ſæpè hoc patrum majorumque ætate negotium magiſtratibus datum, ut ſacra externa fieri vetarent. Refert Val. Max. Luctatium (qui primum Punicum bellum confecit,)* à ſenatu prohibitum ſortes Fortunæ Præneſtinæ adire: auſpiciis enim patriis, non alienigenis Rempub. adminiſtrari oportere judicabant. *Id ita intelligendum, non licuiſſe novos Deos & nova ſacra, niſi publica authoritate & ſenatus conſenſu adſciſcere, quod indicat lex 12. tabularum, quam refert Cic. 2. de legib.* Separatim nemo habeſcit Deos, neve novos, ſed ne advenas, niſi publicè adſcitos

privatim colunto. *Unde ſcribit, Deos neque novos, neque alienigenas poſtea, niſi publicè, & ex S.C. Romanis adſcitos eſſe, veluti Æſculapius ex Epidauro ad avertendam peſtem; mater Deum ex Phrygia; cujus legis meminit Tertull. in Apolog. cap. 5. & Euſeb. libr. 2. hiſt. Eccleſ. Id etiam apud alios populos videmus obſervatum, ne novos Deos, aut nova ſacra ſuſciperent. ſcribit enim Joſeph. libro 2. contra Apionem, Scythas Anacharſim ſapientia mirabilem è Græcia redeuntem interemiſſe, quoniam videbatur Græcorum Deorum ad eos veniſſe pleniſſimus.*

v Ut tanquam authoritate divina.] *Ne vitia cenſerentur, quæ Deorum exemplo & authoritate commendabantur: in quam rem multa ſup. cap. 7.*

Cap. XV.

Quod Romani quosdam ſibi Deos non ratione, ſed adulatione instituerunt.

Quæ autem illis eligendorum Deorum etiam ipſorum falſorum ratio, *α* ac non potius adulatio eſt? quando iſtum Platonem, quem ſemideum volunt, tantis diſputationibus laborantem, *a* ne in animis malis, quæ præcipuè cavenda ſunt, mores corrumperentur humani, *β* nulla ædicula ſacra dignum putarunt, & Romulum ſuum Diis multis prætulerunt: *b* quamvis & ipſum ſemideum potius quàm Deum, *γ* velut ſecretior eorum doctrina commendet? *c δ* Nam etiam flaminem illum inſtituerunt, *d ε* quod ſacerdotii genus adeò in Romanis ſacris *e ζ* teſtante apice excelluit, *f η* ut tres ſolos flamines haberent tribus numinibus inſtitutos: Dialem, Jovi: Martialem, Marti: Quirinalem, Romulo. *g θ* Nam benevolentia civium velut receptus in cœlum *ι* Quirinus eſt poſtea nominatus: ac per hoc & *κ* Neptuno & Plutoni fratribus Jovis, & ipſi Saturno patri eorum iſto Romulus honore prælatus eſt: ut pro magno ſacerdotium, quod Jovi tribuerant, huic etiam hoc tribuerent, & Marti tanquam patri ejus, forſitan propter ipſum.

L. Vives. *a* Ne in animis malis.] *Sunt qui legant: Ne in animi malis, alii: Ne à malis, optimè omnium, Ne animæ malis.*

b Quamvis & ipſum ſemideum potius.] *Cicero in Leg. Divos & eos, qui cœleſtes ſemper ſunt habiti, colunto. Illos, quos in cœlum merita vocarunt, Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum.*

Flamin. *c* Nam etiam flaminem.] *De flamin. quæ dicam, erunt ex Varrone. Dionyſio, Feſto, Plutarcho, Gellio, Servio. Inter ſacerdotum ordines Numa Pompilius quosdam fecit, dixitque flamines, quorum inſigne erat galerus, ut pontificibus, ſed filum in eo inerat lanæ albæ, hinc filamines appellatos, quaſi pilamines. Sunt qui dicant à pileo; quod non procedit: nam & pontifices pileos habebant. Alii quaſi filamines à filo, tum etiam quòd per æſtatem, cùm propter calorem galerum geſtare non poſſent, lini filis caput amiciebant. Nam nudis eſſe capitibus ſub dio religio erat, feſtis tamen diebus inter ſacra pileo eos uti erat neceſſe. Appianus Alexandrinus flaminem Dialem ſemper velo & galero feſtis profeſtiſque diebus uti ſolere, ſcribit. Sunt qui à flammeo, quod genus eſt tegminis capitis, quamvis mulierum potius quàm virorum hoc genus.*

genus. Sacerdotes primùm Numa tres creavit: Jovi unum, qui dicitur Dialis, à Dios, quod eſt Jovis: Marti unum, qui Martialis: Quirino unum, qui Quirinalis. Pluribus Diis eundem eſſe flaminem, vel eidem Deo plures non licebat. Auctus eſt ſenſim hic numerus, & xv. tandem fuerunt, ſine iis, qui conſecratis Cæſaribus per adulationem ſunt dati, ut C. Cæſari dictatori lege Antoniana, quod Cicero 2. Philipp. indignatur, & Auguſto, & aliis permultis. Verum præcipui ſemper fuere, quos Numa inſtituit, inter quos maximus fuit Dialis, qui Jovi ſacra faciebat: galeróque ſolus utebatur albo, maximaque dignationis eſt dictus. Cujus ceremonias & leges ſcribunt, cùm Plutarchus in Problematis, tum Gellius lib. x. ex Fabio Pictore: Maſſurio Sabino, Varrone, & aliis. Minimus inter omnes flamines erat Pomonalis, quòd leviſſima eſſet Pomona Dea, quæ pomis præeſt. Alii erant mediocris majeſtatis, ut Volcanalis Vulcani, Furinalis Furidiæ, Falacer Falacris patris, Palatualis Deæ, in cujus tutela erat Palatium, Floralis Floræ matris.

Romana Dea.

d Quod ſacerdotii genus adeò in Rom. ſacris.] *Flamines tametſi maximæ autoritatis, tamen pontificis maxim. dicto audientes erant. Sic populus juſſit primo bello Punico, cùm L. Metellus, pont. max. Poſthumium flaminem, Martialem conſulem non eſt paſſus à ſacris diſcedere. Sic bello Aſiatico primo, cùm P. Licinius pont. itidem max. iter in Sardiniam Q. Fabii Pictoris prætoris flaminis Quirinalis impedivit.*

e Teſtante apice.] *Apex faſtigium, & ſummum aliquid alicui additum rei. In flamine eſt id, quod in capite geſtat, pileus ſcilicet, vel fila lanea. Lucanus lib. 1. Et tollens apicem generoſo vertice flamen. Valer. lib. 1. At Sulpitio inter ſacrificandum apex prolapſus eidem ſacerdotium abſtulit. Apicem non dabant Romani, niſi principibus ſacerdotibus, ut nunc mitras. Servius lib. 8. Æneid. Et vocabant apicem ab apendo, quod eſt vincire: unde aptus & apiculum filum, quo flamines velatum apicem gerunt. Feſtus de his apicibus loquitur Vergil. in 8.*

Hinc exultantes Salios, nudósque Lupercos
Lanigerósque apices.

f Ut tres ſolos.] *Præcipuos & veros flamines, quique priſca illa erant flaminum autoritate.*

Romulus Deus.

g Nam benevolentia civium.] *Mortuo Romulo ſenatus in ſuſpicionem populo venit, tanquam illum in conſilio laceraſſent. Lenita eſt multitudo teſtimonio Julii Proculi, qui juravit, ſe Romulum vidiſſe euntem in cælum. Livius lib. 1. Ennius his verbis inducit populum Romanum lamentantem:*

O Romule Romule dic,
Qualem te patriæ cuſtodem Dii genuerunt.
Tu produxiſti nos intra luminis oras.
O pater, ô genitor patriæ, ô ſanguine dis oriunde.

Quirinus.

h Quirinus eſt poſtea.] *Multis mutata nomina poſt Deificationem, ut auguſtiores videantur relicto humano nomine, ſic quæ mulier Leda, Nemeſis dicta eſt Dea: quæ Circe, Marica: quæ prius Ino, poſt factam Deam Matuta: qui Æneas poſtea Jupiter indiges: Quirinus nominatus eſt in gratiam Sabinorum, propter quos Romani homines Quirites appellati à Curibus Sabinis, ſive, ut Ovidius inquit:*

Quòd

Quòd haſta Quiris priſcis eſt dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in aſtra Deus.
Sive ſuo regi nomen poſuere Quirites,
Seu quia Romanis junxerat illa Cures.

F.L.Coq. α AC non potius adulatio eſt.] *Oſtendit, magis adulatione, quàm ratione, quosdam à Romanis ſelectos & conſecratos eſſe Deos: poſtulat enim ratio, ut non minus Platoni ſemideo annitenti potiſſimum ſuis diſputationibus; ne more hominum vitiis corrumperentur, & adeo bene conſulenti vita hominum ſacra aliqua ædicula conſecratur, quam Romulo tanquam uni ex majoribus Diis* Flamen *inſtitueretur. Non ergo merita, ſed falſa hominum exiſtimatio, vel potius adulatio eos cœlicolas fecit. Falſo itaque Cic. 2. de legib. ſcribit, in cœlum merita vocaſſe Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum. Ex adulatione natum, ut Imperatores perinde ac Dii haberentur & colerentur. Fere autem conditoribus urbium, aut aliis de Repub. bene meritis honores heroici ſoliti decerni, donec paulatim etiam pro Diis habiti, & adulatio θεοποιΐαν illam invexit. Hujusmodi adulationem ſprevit Ageſilaus & Philippus Macedonum Rex: cum enim Ageſilaus à Thaſiis apotheoſi honoratus, & inter divos relatus fuiſſet vivens, eos interrogavit,* ut ſi Deos faciendi poteſtatem haberent, prius ſeipſos conſecrarent, poſtea ſe deificarent, *non ita hanc adulationem ſprevit Alexander.*

β Nulla ædicula ſacra.] *Ita antiquitus ſolebant diis vel templa, vel aras conſecrare: quibus id fieret ceremoniis vide Alex. ab Alex. cap. 14. lib. 6. ſcribit & Dionyſ. lib. 2. Numam Pompilium multa ſacella condidiſſe, ne quem Deum inhonoratum ſineret: multa etiam templa, & aras attributo ſuo cuique numini feſtò, & aſſignatis, qui ſacra curarent, ſacerdotibus.*

γ Secretior eorum doctrina.] *Quæ ni fallor continebat ſacra Deorum. Pontifex enim Maximus habebat omnia ſacra exſcripta, exſignataque, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fieri deberent: cum de religione & de ſacris diſſenſio erat, populus illum conſulebat. Fortaſſe continebatur ſecretior illa doctrina libris Sibyllinis emptis à Tarquinio, quorum cuſtodiam duum-viris primum in hoc creatis ex ordine patriciorum commiſit, eisque addidit ſervos publicos. Addunt Dionyſ. & Val. Max.* Ex duum-viris alterum M. Tullium nomine, juſſu Tarquinii culeo inſutum in mare abjectum eſſe, quod librum ſecreta civilium ſacrorum, ut Val. ait continentem, cuſtodiæ ſuæ commiſſum corruptus Petronio Sabino deſcribendum dediſſet. *Ad hanc ſecretiorem doctrinam pertinebant & Numæ libri, quorum ſeptem latini de jure pontificio erant, ſeptem Græci de diſciplina ſapientiæ, quæ illius ætatis eſſe potuit, qui in Comitio igne à Victimariis facto, in conſpectu populi cremati ſunt, idque ex S. C. cum prætor paratum ſe eſſe jusjurandum dare dixiſſet, libros eos legi, ſervarique non oportere. Livius lib. 40. Ad hanc ſecretiorem etiam doctrinam ſpectat, quod Romani Deum, in cujus tutela eſſet urbs Roma, & ipſius etiam urbis latinum nomen ignotum eſſe voluerunt. Plutarch. in quæſtionibus Rom. q. 62. Plin. lib. 28. cap. 2. Sempronius lib. de diviſ. Italiæ. Macrob. lib. 3. Satur. cap. 13. Secretior illa doctrina non abſimilis Thalmud. Judæorum, quo tot fabulæ, & tam ridiculæ opinio-*

niones Rabinorum, quas illi pro divinis oraculis habent, nec minoris faciunt, quam ſcripturam ipſam, & ſecretiorem etiam vocant doctrinam, continentur. Ita dæmon id ſemper intendit, ut homines dementaret, & quæ ſunt non aliunde in perniciem hominum, quam ab ipſo inventa, ut ſacra Dei oracula venerarentur.

δ Nam etiam Flaminem illi inſtituerunt.] *De inſtitutione* Flaminum *inter ſcriptores antiquos non omnino convenit. Plutarch. in Numa vult,* Dialem & Martialem Flaminem *à Romulo inſtitutos, & Numam* Quirinalem *addidiſſe. E contra Dionyſ. & Livius, & Varro volunt, omnes* Flamines *à Numa inſtitutos.* Erat autem Flamen ſacerdotis nomen, qui alicui Deo peculiariter conſecratus, ei uni ſigillatim ſacra faciebat, à quo & nomen obtinebat, ut is qui Jovis ſacra curabat, vel Martis, aut Quirini, is Flamen dialis, Martialis aut Quirinalis diceretur. *Hinc Cic. 2. de legib.* Divisque aliis ſacerdotes, omnibus pontifices, ſingulis Flamines ſunto. *Nominis autem ratio tracta eſt à filo, quo caput habebant cinctum, quod docet Varro lib. 2. de ling. lat. his verbis:* Flamines quod in Latio capite velati erant ſemper, ac caput habebant cinctum filo Flamines dicti, *Et Servius apud Virg.* Flamines, *inquit,* in capite habebant pileum, quod cum per æſtus ferre non poſſent, filo tantum capita religare cœperunt, nam nudis penitus capitibus incedere nefas erat. *Unde à* filo, *quo utebantur* Flamines *dicti, quaſi* Filamines. *Creabantur autem* Flamines *à populo* comitiis calatis, *ut ex Lælio Felice docet Agell. lib. 15. cap. 27. deinde inaugurabantur à Pontifice Max. De Flaminibus vide Pomponium Lætum lib. de ſacerd. Rom. cap. 7. Et Feneſtell. cap. 5. & fuſiſſime Onuphrium lib. 2. de civitate Rom. Lylium Gyraldum hiſtor. deor. ſyntagmate 17.*

ε Quod ſacerdotii genus adeo in Romanis ſacris.] *Sextus Pompejus vult fuiſſe hunc ordinem ſacerdotum, ut omnium maximus eſſet* Rex ſacrorum, *deinde* Flamen Dialis, *poſt hunc* Martialis, *mox* Quirinalis, *quinto loco* pontifex. Max. *qui judex & arbiter habebatur rerum divinarum. Nihilominus conſtat ex Livio, Regem ſacrorum, & Flamines, cæterosque Pontifices, aut ſacerdotes Pontifici Max. dicto audientes fuiſſe, creati enim à populo inaugurabantur à Pontifice Max. Livius lib. 27.* Flaminem Dialem invitum inaugurari coegit P. Licinius Pontifex maxim. Cajum Valerium Flaccum, *Quod idem ſcribit Val. Max. lib. 6. cap. 9. Florus in epitome lib. 19. ſcribit:* L. Cæcilius Metellus Pontifex Max. A. Poſthumium Conſulem, quoniam idem & Flamen Martialis erat, quum ille ad bellum gerendum proficiſci vellet, in urbe tenuit, nec paſſus eſt à ſacris recedere, *& idem Livius lib. 37. de Q. Fabio Pictore, quem dicit eo anno, quo creatus eſt prætor inauguratum fuiſſe Flaminem Quirinalem, ita ſcribit:* prius quam in provincias Prætores irent certamen inter P. Licinium Pontificem Max. fuit, & Q. Fabium Pictorem Flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum, & Poſthumium Albinum fuerat. Conſulem illum cum C. Luctatio collega in Siciliam ad claſſem proficiſcentem ad ſacra retinuerat Metellus Pontifex Max. Prætorem hunc ne in Sardiniam proficiſceretur P. Licinius tenuit, & in Senatu, & ad populum magnis contentionibus certatum eſt, & imperia inhibita ultro citroque, & mulctæ dictæ, & tribuni appellati, & provocatum ad populum eſt: religio ad poſtre-

mum vicit,& dicto audiens eſſe Flamen Pontifici juſſus. *Licet ergo Flamines maximæ eſſent auctoritatis, ſuberant tamen Pontifici Maximo.*

ζ Teſtante apice.] *Pileus, ſive galerus, quo* Flamines *utebantur,* apex *dicebatur: cum enim apex faſtigium ſit, & ſummum aliquod alicui rei additum, Flaminis pileus, qui ad modum galeæ militaris factus erat, in ſummo faſtigio virgulam fixam habebat, circa quam filum lanæ albæ religatum erat: à qua re & ipſi* Flamines *dicti, & pileus ipſe* apex. *Valerius libro primo capit. primo.* At Sulpitio inter ſacrificandum apex prolapſus eidem ſacerdotium abſtulit. *Apice autem non niſi Flaminibus uti permiſſum erat, ut nunc* mitra *Epiſcopis.*

η Ut tres ſolum Flamines haberent.] *Intelligit* Flamines *primo inſtitutos à Numa, nam poſtea ſucceſſu temporis duodecim alii Romæ addidi, & ad XV. numerum aucti. Sext. Pomp.* Maximæ dignitatis Flamen dialis eſt inter XV. Flamines. *Nonnullis ex Cæſaribus in deos relatis poſt funera* Flamines *tributi, ex Cæſarum nominibus, quorum ſacris præerant, denominantur: ut* Marcianus, Helianus, Antonianus. *vide Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 12. Lylium Giraldum hiſto. Deor. ſyntagmate 17.* Poſt conſtitutos *XII.* Flamines orta eſt inter eos Majorum Minorumque, vel patritiorum & plebejorum diſtinctio. Tres enim primi à Numa inſtituti, Majores & Patritii appellati ſunt. *XII.* poſteriores Minores & plebeji. *Sext. Pomp.* Majores Flamines appellabantur patririi generis, Minores vero pebeji. *nam tres Flamines ſemper ex patritiis cooptati ſunt, ut docet Cic. orat. pro domo ſua. Gratian. diſtinct. 80. cap.* in illis, *dicit,* eam fuiſſe differentiam primorum Flaminum, Archiflaminum, & Flaminum, quæ eſt in Eccleſia Dei, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & epiſcoporum. *Clemens Rom. epiſt. 1. ad Jacobum fratrem Domini:* ubi erant primi Flamines, juſſit poni patriarchas, ubi Archiflamines Archiepiſcopos, ubi Flamines epiſcopos, qui ſingulis civitatibus præeſſe debent.

θ Nam benevolentia civium velut receptus.] *Romani unum ex Regibus Romulum, inter deos retulere. Cic.* Solus è Regibus Romulus conſecratus eſt. *Et orat. 3. in Catil.* Illum, qui hanc urbem condidit Romulum, ad deos immortales fama, benevolentiaque ſuſtulimus. *Quibus repetitis ex Cic. D. Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evang. cap. 23. ſubjungit:* Quid igitur mirum eſt, ſi hoc fecerint antiquiores homines de Jove & Saturno, & cæteris quod Romani de Romulo, quod denique recentioribus temporibus de Cæſare facere voluerunt, &c.

ι Quirinus eſt poſtea nominatus.] *Virg. 1. Ænei.* Remo cum fratre Quirinus Jura dabant. *In fragmentis Ennii.* Te Quirine Pater veneror horamque Quirini *Romulus, unde* Quirinus, *variant ſcriptores: Alii ſic appellatum volunt ab* haſte, *quæ* Quiris *quibuſdam,* Curis *dicitur Sabinis, qua ratione tradit Macrob. lib. 1. Satur. capit. 9. hoc nomine etiam dictum* Janum, *quaſi bellorum potentem, ab haſta, quam Sabini* Curim, *alias* Quirin *vocant. legendus Ovid. 2. faſt. & Feſtus lib. 3. in ea voce. Alii, ut Varro lib. 4. de ling. lat. & quidam apud Ovid. & Feſtum à* Curibus *opulentiſſima Sabinorum urbe; nonnulli apud eumdem Ovid. ſic nominatum putant à* civibus, *qui adſcito in regni ſocietatem T. Tatio,* Quirites *nuncupati. Servius etiam ſic dictum auguratur, κοίρανος Græcis, qui* Rex *Latinis. Nonnulli ſic nuncupatum*

volunt

volunt à Marte, qui Romuli pater Quirinus *Varroni dicitur, lib. 4. de ling. lat. Servio ad lib. 6. Æneid.* Nec id nomen ei impoſitum niſi jam conſecrato, & in deorum numerum relato, non adhuc in humanis agenti: *cujus mentis hic videtur eſſe D. Auguſt. Et teſtante Julio Proculo poſt exceſſum ſuum dixit* ſe Deum eſſe, & Quirinum appellari. *Lactant. lib. 1. cap. 15.* Apud Romanos Deus Julius, quod hoc ſcelerato homini placuit Antonio, Deus Quirinus, quod hoc paſtoribus viſum eſt. *Ita cognominatum Janum præter Macrob. conſtat ex lege Regia, quam Feſtus Pompo. in voce* (opima) *refert: Et ex Horat. ode 15. lib. 4. & Sueton. in Auguſto. c. 25. Cæterum multis poſt* apotheoſin *nomina mutata eſſe, notat Alex. ab Alex. lib. 6. c. 4. A Romulo, qui* Quirinus *vocatus eſt, Romani deinde appellati ſunt* Quirites, *inde jus populi Romani, jus* Quiritium *dictum eſt, quod proprium ſit Romanorum, ut Juſtin. tit. de jure naturali. & Iſidor. lib. 5. cap. 9. ſcribunt, Tertull. in Apologet. cap. 35.* Ipſos Quirites, ipſam vernaculam ſeptem collium plebem convenio.

x Neptuno, & Plutoni fratribus Jovis.] *Fabulantur poetæ, Jovem, cum cognoviſſet patrem Saturnum vitæ ſuæ inſidiari, regno eum expuliſſe, ac mundi imperium cum fratribus Neptuno, & Plutone ſorte diviſiſſe, ac Jovi quidem cœli & terræ: Neptuno maris, Plutoni inferorum imperium obtigiſſe.*

CAP. XVI.

Quòd ſi Diis ulla eſſet cura juſtitiæ, ab eis Romani accipere debuerunt præcepta vivendi potius, quàm leges ab aliis hominibus mutuari.

SI autem à Diis ſuis Romani vivendi leges accipere potuiſſent, *a* non aliquot annos poſt Romam conditam *a* ab Athenienſibus mutuarentur *β* leges Solonis: quas tamen non ut acceperunt, tenuerunt, *γ* ſed meliores & emendatiores facere conati ſunt: *b δ* quamvis Lycurgus Lacedæmoniis leges *ε* ex Apollinis autoritate ſe inſtituiſſe confinxerit. Quod prudenter Romani credere noluerunt, *c ζ* propterea non inde acceperunt. *d η* Numa Pompilius, qui Romulo ſucceſſit in regnum, quaſdam leges, *e* quæ quidem regendæ civitati nequaquam ſufficerent, condidiſſe fertur. Qui eis etiam multa ſacra conſtituit: *f* non tamen perhibetur eaſdem leges à numinibus accepiſſe. Mala igitur animi, mala vitæ, mala morum: quæ ita magna ſunt, *g* ut his doctiſſimi eorum viri *θ* etiam ſtantibus urbibus reſpublicas perire confirment? Dii eorum ne ſuis cultoribus acciderent minimè curarunt, imò verò ut augerentur, ſicut ſuprà diſputatum eſt, omninò curaverunt.

a AB Athenienſibus mutuarentur leges.] *Anno ccc. ab Urbe condita, poſt multas inter plebem & patres diſſenſiones, tres legati miſſi ſunt in Græciam, juſſi leges Solonis deſcribere, & mores atque inſtituta reliquæ Græciæ cognoſcere: ut componi ſtatus civitatis Romanæ exemplo Græcorum poſſet. Athenis Chærephanes erat Archon, Olympiade lxxxii. Graviter negotium eſt a legatis tranſactum, & proximo anno redierunt, creatique ſunt Decemviri legum ferendarum, qui primùm decem tabulas juris civilis Rom. ſcripſerunt, deinde addiderunt duas, approbatæque ſunt omnes comitiis centuriatis: atque hæ ſunt nobiliſſimæ leges Duodecim tabularum. Liv. lib. 3. & Dionyſ. 10. & alii.* L. Vives. Leges xii. tabularũ.

 b Quam-

b Quamvis Lycurgus.] *Inclyta ſunt Lycurgi leges, quas ille Lacedæmoniis dedit, ex Apollinis Delphici, ut finxit, oraculo. Pleni ſunt Græcorum & Latinorum libri Lycurgi hujus legumque prædictarum, quas Spartanis tulit. Eſt & liber à Xenophonte de illis ipſis legibus editus, multa etiam à Plutarcho de iis conſcripta: ideò in re nota non ero lectori faſtidio.*

Lycurgi leges quales.

c Propterea non inde.] *Adde quod magis ad civilem vitam & manſuetudinem faciebant Solonis, quàm Lycurgi leges, agreſtes & ſanguinariæ, ut Plato & Ariſt. notarunt. Finis enim earum non erat alius, quàm ut optimos bellatores facerent Spartanos.*

d Numa Pompilius.] *Curibus Sabinis natus eſt vir ſuæ ætatis optimus. De hoc Liv. lib. 1. & Dionyſ. & Plutarch. in ejus vita, & alii quamplurimi.*

e Quæ quidem regendæ civitati.] *Hoc ſatis notum eſt: nam leges aliundè petierunt.*

f Non tamen perhibetur.] *At Ægeriæ congreſſus ſimulavit, ſed nymphæ potius quàm deæ, & fabulam eſſe conſtabat. De hoc aliàs.*

Plauti dictum ex Perſa.

g Ut iis doctiſſimi eorum viri.] *Facere non poſſum, quin feſtiviſſimum quoddam Plauti dictum ex Perſa huc adducam: rogat virginem Sagariſtio ſervus, ut munitum tibi viſum eſt oppidum? reſpondet illa: Si incolæ bene ſunt morati, pulchrè munitum arbitror: perfidia & peculatus ex urbe & avaritia ſi exulant, quarta invidia, quinta ambitio, ſexta obtrectatio, ſeptima perjurium, octava indiligentia, nona injuria, decima, quod peſſimum aggreſſu, ſcelus. Hæc niſi unde aberunt, centuplex murus rebus ſervandis parú ſt.*

F. L. Coq.

α NOn aliquot annos poſt Romam conditam.] *Anno 298. ab V. C. ut eſt teſtis Livius lib. 3. miſſi legati Athenas Sp. Poſthumius Albus, A. Manilius, P. Sulpitius Camerinus, juſſique inclytas leges Solonis deſcribere, & aliarum Græciæ civitatum inſtituta, mores, juraque noſcere, Dion lib. 1. pro Publico Servium Sulp. nominat.*

β Leges Solonis.] *Solon ut teſtis eſt Laertius in ejus vita, floruit circa 46. Olymp. cujus 3. anno Princeps Athenienſium fuit, quo etiam tempore leges eis dedit. Clem. Alexand. lib. 1. ſtromat. in eamdem Olympiadem refert, & Euſeb. in chronico. Docet Ariſt. lib. 2. de Repub. cap. 12. Solonem non modo leges, ſed & Rempub. Athenienſium conſtituiſſe. Author eſt Pauſanias in Atticis libro 1. leges Solonis perſcriptas in Prytaneo aſſervatas fuiſſe. Scribit Cic. lib. 1. Offic. Solonem leges condendo, & Areopagum inſtituendo utiliorem fuiſſe Reipublic. quam Themiſtoclem, licet nomen Themiſtoclis ſit celebrius.*

γ Sed meliores & emendatiores facere conati ſunt.] *Multa quidem ex legibus Solonis, ut colligere licet ex Cic. 2. de legib. translata ſunt in 12. tabulas: verum cum 12. tabularum jus tripartitum eſſet,* ſacrum, privatum & publicum; *certum eſt, decemviros* de jure ſacro *leges ex Romuli, Numæ, Regumque commentariis, & Sexti Pomponii voluminibus etiam conſtituiſſe, atque in tabulas ſuas tranſtuliſſe, non ex Græcorum legibus, E quibus eas dumtaxat retuliſſe credendum eſt, quæ ad* jus publicum *&* privatum *ſpectarent, lites & diſſidia civium rite componerent. Certe nullas leges de jure ſacro Solonem aut Draconem condidiſſe, colligi poteſt ex Maximo Tyrio Serm.*

Serm. 39. in quo Socratem defendit, quod noluerit uti apologia apud Athenienſes: quomodo, *inquit*, Athenienſes intelligerent, quid eſſet juventutem corrumpere? quid virtus? quid dæmon? aut quomodo colendus? De quibus neque mille judices fabarum ſuffragiis creati unquam inquirunt, neq; Solon aliquid ſcripſit, aut Draconis in venerandis legibus habetur, in quibus potius agitur de citatione, de peculatu, de accuſationibus, de rationibus reddendis, de juramento. *Hinc igitur manifeſtum eſt, decemviros ſuas leges de* jure ſacro, *non à Solone, vel Dracone deſumpſiſſe, niſi forte paucas de nuptiis, ſepulchris, matrimoniorum & funerum ritibus, quæ etiam ad jus privatum pertinent. Eo ſenſu fortaſſe ait D. Auguſt. Romanos eas* meliores & emendatiores ut facerent conatos eſſe, *neque ita accommodatæ leges Solonis Reipub. Romanæ, ut eis ſolis regeretur: Et quemadmodum alia erat adminiſtratio Reipub. Rom. alia Athenienſium, & alii magiſtratus, ita diverſis legibus neceſſe erat uterentur.*

d Quamvis Lycurgus Lacedæmoniis leges.] *Vellejus lib. 1.* Lycurgus Lacedæmonius, vir generis Regii, fuit ſeveriſſimarum, juſtiſſimarumque legum author, & diſciplinæ convenientiſſimæ vir: cujus quamdiu Sparta diligens fuit, excellentiſſimè floruit. *Ariſt. 7. de Repub. reprehendit leges Lycurgi, quod cuncta ad vincendum apta, & ad bellum gerendum legibus ſuis inſtituiſſet, neque ad omnes virtutes leges ſuas accommodaſſet, ſed importunè ad res, quæ utiles viderentur eſſe, & explenda cupiditati eorum apta. Plutarchus tamen in vita Lycurgi teſtis eſt, non hoc præcipuum inſtitutum Lycurgo fuiſſe, ut & Spartam plurimis imperantem relinqueret, ſed ut liberales, & frugi, & continentes plurimum tempus perſeverarent: apud quem etiam dicitur, omnes gloria ſuperaſſe, qui unquam inter Græcos Rempub. conſtituerunt.*

e Ex Apollinis authoritate ſe inſtituiſſe.] *Xenophon lib. de Repub. Lacedæmoniorum ſcribit, Lycurgum, ut facilius ad obedientiam legum induceret Lacedæmonios, non prius multitudini leges tradidiſſe, quàm cum optimatibus Delphos profectus Apollinem interrogaviſſet: An melius & facilius habitura eſſet Sparta, ſi legibus quas ipſe tuliſſet pareret: Is vero cum oraculo reſpondiſſet, omninò id ex uſu fore, tum demum eas tradidit, non modo contra leges, ſed contra pietatem facturos ſtatuens, ſi legibus oraculo Pythio comprobatis non obtemperaſſent. Cic. lib. 1. de divinat.* Lycurgus, qui Lacedæmonium Rempub. temperavit, leges ſuas authoritate Apollinis Delphici confirmavit. *Polyænus libro 1. ſtratag. ſcribit de Lycurgo, quod divino quodam metu Lacedæmonios coegerit, ut legibus ſuis obtemperarent: ſi quam enim legem excogitaſſet, ea Delphos perlata, conſulebat oraculum, An eſſet utilis? ſacerdos verò pecuniis corruptus ſemper utilem eſſe reſpondebat. Sic legumlatores plurimi, quo plus authoritatis haberent apud populum, leges, quas tradebant, eas à Diis ſe accipere finxerunt: ſic Mynias, qui leges Ægyptiis dedit, à Mercurio; Minos à Jove, Solon à Minerva, Zamolxis à Veſta; ſic Lycurgus ab Apolline. Joſeph. libro 2. contra Appionem de origine legum apud Græcos loquens:* quidam, *inquit*, eorum leges poſitas à Jove dicebant, alii verò eas in Apollinem & vaticinium Delphicum referebant, ſive pro veritate hoc credentes, ſeu facile perſuadendum judi-

cantes populo. *Plutarch. in Numa:* Nec illud abſurdum eſt, quod de Lycurgo & Numa, aliiſque ſimilibus narratur, qui ut infrænes difficileſque multitudines coercerent, tantiſque Rebuspub. commutationes commode inferrent, æſtimationem à numine commenti ſunt, quæ ipſis illis, quorum gratia fingebatur, utilis eſſet.

ζ Propterea non inde acceperunt.] *Ita ſentire videtur Servius lib. ſeptimo Æneid. & Livius lib. 3. ubi Atticarum dumtaxat legum meminit, cum quibus legati redierunt. huic tamen Auguſtini ſenſui obſtat Juſtinian. Inſtitut. de jure Naturali, Gentium & Civil. Et non ineleganter in duas ſpecies jus civile diſtributum eſſe videtur. Nam origo ejus ab inſtitutis duarum civitatum, Athenarum ſcilicet & Lacedæmoniorum fluxiſſe videtur. Et Ammian. Marcelli. lib. 16.* Sumptuarias leges ex rhetris Lycurgi, id eſt, axonibus Romam translatas, diuque obſervatas, ac demum ſeneſcentes Juliano Imperatore paulatim fuiſſe reparatas ſcribit. *Memoria lapſum eſſe hic D. Auguſtin. ſcribit Magius lib. 1. miſcell. cap. 8. & Nicolaus Cragius de Repub. Lacedæmoniorum lib. 3. cap. 1. Atqui non memoria lapſus, ſi Livium ſecutus videtur.*

η Numa Pómpilius.] *Hic licet externus & Curibus Sabinis natus ob prudentiam, juſtitiam, doctrinam, Philoſophicam virtutem, & alias virtutes, quibus erat eo ſeculo clariſſimus, dignus videbatur omnium judicio, qui ad regnum ultro acciretur, & Romæ ſecundus poſt Romulum, populi juſſu, patrumque authoritate legitimè regnaret. Is igitur augurato ex lege Romuli regnum auſpicatus eſt anno 3. Olymp. 16. qui fuit ab V. C. 39. ut authores ſunt Dionyſ. Liv. Plut. Hic annum 12. menſibus ad Lunæ curſum compoſitis diviſit, adjectis ubi opus eſſet* intercalaribus, *inſtituitque quibus diebus agi cum populo liceret, quibus non liceret, ex quo hi* nefaſti *dicti ſunt, illi faſti. Deorum ſimulachra aut pingi aut conflari vetuit. Jovi* Flamines *& alia ſacerdotia inſtituit, Veſtæ dicavit ſacras virgines tum triginta annorum Virginitate, tum multis aliis ceremoniis inſignes.* Sacrorum pontificem *unum conſtituit, quem populus de divino ritu cultuque, de ceremoniis, de juſtis funerum, de fulminum prodigiis, & hujusmodi rebus conſuleret. In Numæ legibus hæ recenſentur:* Uniuscujusque agrum limitibus diſtingui, eisque lapides apponi, qui ſacrati eſſent Jovi Terminali, ut hos qui moviſſet, Jovi ſacer eſſet, eumque liceret impune occidere; Filium, qui patris conſenſu contraxiſſet matrimonium, vendi prohibuit, ne uxori fieret injuria; tempus luctus uxori decem menſibus finiri, ſi qua intra id tempus nupſiſſet, vaccam prægnantem Jovi immolare. *Sed plurimæ illius leges fuerunt circa religionem & cultum Deorum, quibus Diis, quibus hoſtiis, ad quæ templa ſacra fierent. Liv. lib. 1. de eo hæc ſcribit:* qui regno ita potitus urbem novam conditam vi & armis, jure eam legibusque ac moribus de integro condere parat. *Virg. 6. Æneid.* primus, qui legibus urbem Fundavit Curibus parvis, & paupere tecto Miſſus in imperium magnum, *De eo Ovid. 15. Metamorph.*

Sacrificos docuit ritus, gentemque feroci
Aſſuetam bello pacis traduxit ad artes.

Dici-

Dicitur à Tertull. in Apolog. cap. 21. Romanos operoſiſſimis ſuperſtitionibus oneraſſe. *Arnob. libro 7. dicitur* religionibus comminiſcendis artifex.

б Etiam ſtantibus urbibus Reſpublicas perire.] *Ut pravi humores in corpore paulatim ipſum inficiunt, ac omnino corrumpunt: ſic vitia, quæ in Rempubl. invehuntur, corpus ipſum Reipubl. peſſumdant, ac tandem funditus evertunt. Heraclitus Epheſius, referente Laertio, dixit aliquando.* Cives pro legibus non minus pugnare debere, quam pro mœnibus; *quod absque legibus nullo modo eſſe incolumis civitas, ſine mœnibus poſſit. Seneca in Thyeſte:* ubi non eſt pudor, nec ara juris, ſanctitas, pietas, fides, inſtabile regnum eſt. *Eleganter apud Plautum in Perſa de oppido quodam interrogat ſervus Sagariſtio virginem, ut viſum illi ſit bene munitum:* ſi incolæ, *inquit,* bene morati ſunt, pulchre munitum arbitror, ſin aliter, profecto centuplex murus rebus ſervandis parum eſt. *Polyb. lib. 6.* Ille Reipub ſtatus ſtabilis & firmus eſt, in quo & privatim ſancte innoxieque vivitur, & publice juſtitia ac clementia vigent. *Val. Max. lib. 2. capit. 4.* Quid prodeſt foris eſſe ſtrenuum, ſi domi male vivitur? Expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, regnis manus injiciantur; niſi foro & curiæ officium ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum cœlo cumulus æquatus ſedem ſtabilem non habebit.

Cap. XVII.

De raptu Sabinarum, aliisque iniquitatibus, quæ in civitate Romana etiam laudatis viguere temporibus.

An fortè populo Rom. propterea leges non ſunt à numinibus conſtitutæ, *a* quia, ſicut *α* Saluſtius ait, *β* Jus bonumque apud eos, *γ* non legibus magis natura valebat? *b δ* Ex hoc jure ac bono credo *c* raptas eſſe Sabinas. Quid enim juſtius & melius, quàm filias alienas fraude ſpectaculi inductas, non à parentibus accipi, ſed vi ut quisque poterat auferri? Nam ſi iniquè Sabini facerent negare poſtulatas, quantò fuit iniquius rapere non datas? Juſtius autem bellum cum ea gente geri potuit, quæ filias ſuas ad matrimonium corregionalibus & confinalibus ſuis negaſſet petitas, quàm cum ea, quæ repetebat ablatas. Illud ergò potius ibi fieret, ubi Mars filium ſuum pugnantem juvaret, ut conjugiorum negatorum armis ulciſceretur injuriam, & eo modo ad fœminas, quas voluerat, perveniret. *ε* Aliquo enim fortaſſe jure belli injuſtè negatas, juſtè victor auferret, Nullo autem jure pacis non datas rapuit, & injuſtum bellum cum earum parentibus juſtè ſuccenſentibus geſſit. *d ζ* Hoc ſanè utilius fœliciusque ſucceſſit. *e η* Quod etſi ad memoriam fraudis illius Circenſium ſpectaculum manſit, *θ* facinoris tamen in illa civitate & imperio non placuit exemplum: faciliusque Romani in hoc erraverunt, ut poſt illam iniquitatem Deum ſibi Romulum conſecrarent, quàm ut in fœminis rapiendis factum ejus imitandum, lege ulla vel more permitterent. *ι* Ex hoc jure ac bono *f* poſt expulſum cum liberis ſuis regem Tarquinium, cujus filius Lucretiam ſtupro violenter oppreſſerat, Junius Brutus conſul, *g* Lucium Tarquinium Collatinum maritum ejusdem Lucretiæ collegam ſuum, bonum atque innocentem virum, propter nomen & pro-

& propinquitatem Tarquiniorum coegit magiſtratu ſe abdicare, nec vivere in civitate permiſit. Quod ſcelus favente vel patiente populo fecit, à quo populo conſulatum idem Collatinus, ſicut etiam ipſe Brutus acceperat. κ Ex hoc jure ac bono *b* Marcus Camillus illius temporis vir egregius, qui Veientes, graviſſimos hoſtes populi Rom. poſt decennale bellum, quo Romanus exercitus toties malè pugnando graviter afflictus eſt, jam ipſa Roma de ſalute dubitante atque trepidante facillimè ſuperavit, eorumque urbem opulentiſſimam cepit, invidia obtrectatorum virtutis ſuæ, & λ inſolentia tribunorum plebis reus factus, tam ingratam ſenſit quam liberaverat civitatem, ut de ſua damnatione certiſſimus in exilium ſponte diſcederet: *i* & μ decem milibus æris abſens etiam damnaretur: *k* ν mox iterum à Gallis vindex patriæ futurus ingratæ. Multa commemorare jam piget fœda & injuſta, quibus agitabatur illa civitas: *l* ξ cùm potentes plebem ſibi ſubdere conarentur, plebsque illis ſubdi recuſaret, & utriusque partis defenſores magis ſtudiis agerent amore vincendi, quàm æquum & bonum quicquam cogitarent.

L. Viven. Ius. *a* QUia ſicut Saluſtius.] *In bello Catilinario de veteribus Romanis loquens: Jus eſt civilis æquitas vel ſcriptis legibus ſcripta, vel inſtitutis aut moribus recepta.* Bonum. *Bonum eſt juris ipſius origo & temperatio atque emendatio, quæ fit ex prudentia judicis accommodantis ſe rationi cauſæ, & flectentis legem ad cauſam, non cauſam ad legem, ut in hoc propoſito Ariſtoteles de Lesbia norma dicit, quinto Ethicorum. Hoc* Bonum. *bonum ſolet etiam bonum & æquum nominari, ut apud eundem Saluſtium in Jugurt. Fit reus Bomilchar magis ex æquo & bono, quàm ex jure gentium Cic. in Bruto: Ita enim Craſſus multa tum contra ſcriptum pro æquo & bono dixit. Dicitur etiam æ-* Æquũ. *quum, ſive æquitas. Cicero pro Cecinna: Iſtum locum fugis & reformidas & me ex hoc, ut ita dicam, campo æquitatis, ad iſtas verborum anguſtias, & ad omnes literarum angulos revocas. Quintil. in 4. Quo loco tamen judicis natura noſcenda eſt, juri magis an æquo ſit oppoſita. Idem in 6. Jure pugnandum an æquo? De his nos quædam* Gulielmi Budæi laus. *in noſtris Legum æde diximus: plura & exactiſſima Gulielmus Budæus in Annot. Pandect. explicans illud à Jureconſultis non ſatis intellectum: Jus eſt ars æqui & boni. Quo viro Gallia acutiore ingenio, acriore judicio, exactiore diligentia, majore eruditione nullum unquam produxit: hac verò ætate nec Italia quidem. Nihil eſt usquam vel Græcorum, vel Latinorum ſcriptorum, quod ille non evolverit, legerit, excuſſerit. Græca & Latina juxtà & ſummè callet. Tam facilè utraque lingua loquitur, quàm Gallica, quæ eſt ei vernacula, haud ſcio an etiam facilius. De libro Græco quæ ſunt ſcripta, leget Latinè: de Latino Græcè. Hæc quæ videmus tam elaboratè, tam excultè ab eo conſcripta, extemporali ſunt ei facultate parta. Facilius tum Græcè ſcribit, tum Latinè, quàm etiam earum linguarum peritiſſimi intelligant. Nihil eſt tam reconditum, tam abſtruſum in his linguis, quod non perveſtigarit, adierit, inſpexerit, & velut Cerberum è tenebris produxerit in lucem. Infinitæ ſunt ſeu vocum ſignificationes, ſeu loquendi figuræ ac proprietates, quas unius Budæi opera ſciunt homines ſtudioſi prioribus ſeculis ignoratas. Et hæc quidem omnia tanta & tam admirabilia ipſe per ſe ſine magiſtro ullo perdidicit. Fælix ac fœcundum ingenium,*

nium, quod ipſe uno invenit & doctorem, & diſcipulum, & docendi viam, rationémque. Et cujus decimam partem alii ſub magnis magiſtris vix diſcunt, ipſe id totum à ſe magiſtro edoctus eſt. Nihil dixi de ſcientia juris, quæ per ipſum inſtaurari collapſa jam cœpit, nihil de philoſophia, cujus ipſe in libris de aſſe id ſpecimen edidit, quod edere non quiviſſet niſi homo, qui in omnium philoſophorum libris aſſiduò verſatus eſſet, maximoſque in eis progreſſus haberet. Accedit his omnibus, quod haud dubiè cæteras res univerſas antecellit, probitas, tantæ doctrinæ congrua decensque, tam rara, tamque admirabilis, ut ſine cæteris ingenii dotibus monumentiſque miraculum poſſet videri: ut eruditione, ita & probitate ſuperiorem non habet. Qui in omni vita actibuſque tam variis primas ſemper religioni partes attribuit. Qui vir conjugatus liberorum plenus, nunquam commodis ullis & rei familiaris incrementis tranſverſus eſt actus, ſemper ſeque ſuamque fortunam rexit & moderatus eſt: nec à fortuna quantumvis magna ſpe propoſita, abripi ſeſe permiſit, ſemper ſeipſum habuit in ſua poteſtate. Homo verſatus in legationibus in aula, inter principes viros, nihil unquam gratiæ dedit, nulli aſſentari in animum induxit, patrimonium nunquam auxit, quòd à recto vel pilum latum deflectere non ſuſtinuit, in ſeipſum acrior quàm in alios judex: muneribus invidioſiſſimis functus, non invenit, à quo labecula ſpargeretur ulla, vel ſuſpicione criminis quamlibet perſtringeretur etiam in libera gente, nec omnino muta, & ſatis ſuſpicaci. Sentio me modum deſtinatæ brevitatis ègreſſum, dum me loquendi de amico longè optimo dulcedo tenuit. Nunc ad inſtitutum revertar. Eſt ergo Saluſtii ſenſus, æquitatem illam tum civilem, quam Jus appellant, tum etiam naturalem, quæ ingenita eſt à natura animis bene ſentientium & judicantium, qua nihil cum ſit melius, idcirco bonum nominatur, non magis valuiſſe apud Romanos latis legibus, quàm naturalibus judiciis hominum ſapientium.

b Ex hoc jure ac bono.] Acerba ironia.

c Raptas eſſe Sabinas.] Cùm fœminas ad conjugium non poſſet à vicinis popu- Sabinæ
lis impetrare Romulus, ex conſilio Numitoris avi & ſenatus, ludos ſe facturum ſimu- raptæ.
lavit Neptuno equeſtri: ita evocatis fœminis vicinarum gentium, eas omnes potiſſimum Sabinas medio ſpectaculo Rom. rapuerunt. Sic enim inter Romulum & ſuos convenerat, quarto menſe poſt conditam Romam, ut Dionyſius perhibet ex Fabio Pictore. Plutarchus xiv. Cal. Septemb. dicit. Convenit numerus: nam Roma xii. Cal. Maias eſt cœpta ædificari, Palilium die. Tametſi Gellius, non Aulus ille Nocturnus, ſed antiquus quidam ſcriptor, quarto anno id ſcribit contigiſſe, quod eſt vero ſimilius. Et raptæ ſunt, ut Dionyſius tradit, ſexcentæ & octoginta, quod magis credo, quam quod de triginta ſcribunt alii, unde manarit Curiarum numerus. Juba tres addit ad numerum. Dionyſ. Antias Valerius quingentas viginti ſeptem prodit. Sunt qui velint
Thalaſſum non fuiſſe virum, ſed ſignum, quod Romulus militibus direptioni dedit. Thalaſ-
Feſtus ex Varrone ſignum lanificii fuiſſe ait, ceu quis dicat quaſillum, vel calathum. ſus.

d Hoc ſanè utilius.] Et hi populi, qui raptas amiſerant, & alii, quos vel iſti ſuis Vicino-
lachrymis, vel exemplum ad multos pertinens movit, contra Romanos ceperunt ar- rum bel-
ma, Sabini, Ceninenſes, Cruſtumerii, Atennates. Romulus cùm tantum in ſe parari lum cum Romulo.

 bel-

bellum videret, ad Ethruſcorum opes, quæ tunc plurimum valebant, confugit. Cælius quidam Vibennius Ethruſcus princeps ſuppetias tulit Romulo, à quo Cælius mons in Urbe eſt dictus. Avus quoque ſubſidium nepoti miſit. Cæninenſes, Cruſtumerios, & Antennates Romulus non magnis nec difficilibus præliis ſuperavit, cum Sabinis, cùm vario & periculoſo pugnaretur Marte, repente raptarum precibus fœdus & amicitia coiit.

e Quod etſi ad memoriam.] *Ludi quotannis Neptuno equeſtri celebrabantur: variè nominati: Circenſes, Magni, Romani, apud priſcos Conſualia, cui Deo ſacrificabatur, quem præeſſe conſilio exiſtimabant, à quo opem conſiliumque Romulus in difficultate conjugiorum petierat. Ejus ara ſub terra eſt defoſſa, quoniam conſilium non ſacrum modò res eſt, ut ait Plato, ſed occulta quoque eſſe debet.*

Conſus Deus.

f Poſt expulſum.] *Rurſum ironia.*

g Lucium Tarquinium.] *Expulſis regibus comitiis centuriatis, ut Servius Tullius populum deſcripſerat, conſules creantur L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus Lucretiæ maritus. Ægerii fratris Tarquinii Priſci filius, ut dicit Livius: nepos verò, ut Dionyſius. Brutus, cùm non modò regem, ſed ne regium quidem nomen vellet in Urbe ſupereſſe, magiſtratum collegæ abrogavit, quòd Tarquinius vocaretur: iſque bonis ſuis ſumptis ultrò Collatiam habitatum migravit. Hoc factum Cicero tertio Officiorum ſubindicat, non admodùm fuiſſe conjunctum cum honeſtate, ſed quia utiliſſimum fuit patriæ, idcirco honeſtum etiam videri. Obſervatum eſſe ait Julius Obſequens, neminem qui magiſtratum collegæ abrogaſſet, annum vixiſſe: quorum primus fuit Brutus, deinde T. Gracchus & P. Tarquinius.*

Conſules primi.

h Marcus Camillus.] *Hic Veios opulentiſſimam Ethruriæ urbem cepit, qui decennali obſidione erant oppugnati. Tunc enim primùm populus Rom. cœpit in caſtris ſub pellibus hybernare odio illius gentis, ne illinc diſcederent, quouſque bellum eſſet confectum. Jam inde enim à Romulo rege per trecentos annos propè continenter cum Veientibus bellum geſſerant. Livius lib. 5. & Plutarch. in Vita Camilli: huic Camillo, quod male fide prædam Veientanam populo dicebatur diviſiſſe, L. Apuleius trib. pleb. diem ad populum dixit: Camillus vitandæ invidiæ gratia, tametſi falsò accuſabatur, Ardeam exulatum ivit duobus annis ante Romam à Gallis captam.*

Camillus.

i Et decem milibus.] *Livius quindecim milibus æris gravis mulctatum dicit Camillum abſentem. Plutarchus quindecim milibus aſſium. aſſes & æra gravia idem fuiſſe, oſtendit Budæus meus.*

As & æs grave idem.

k Mox iterum à Gallis.] *Capta à Gallis Roma, Camillus coacto ex his, qui Allienſi cladi ſuperfuerant, exercitu, ſolutus exilio & comitiis curiatis dictator creatus ab iis, qui in Capitolio obſidebantur, Gallos primùm ex Urbe levi prælio exegit: deinde via Gabina ad octavum lapidem ingenti affecit cæde. Liv. lib. 5. Maluit ergo hic tantus vir afflictæ patriæ, quàm ſuæ injuriæ memor eſſe, ideò alter Romulus appellatus eſt.*

l Cum potentes.] *Hoc malum poſt expulſos reges penè per annos quingentos duravit, ut plebes & nobiles diſſentionibus etiam odiis inter ſe certarent, utriſque volentibus alteris imperare: quæ ſtudia factionum per paucos ſeditioſos tribunos plebis*

bis ex parte plebis, & ſenatores ex nobilitate accendebantur. Hinc Lucan. Et cum conſulibus turbantes jura tribuni.

α SIcut Salluſtius ait.] *In conjurat. Catilinæ, ubi veterum Romanorum mores, ac inſtituta commendat.* F. L. Coq.

β Jus bonumque.] *Quod Ariſt. 5. Ethicor. cap. 10. vocat τὸ κατὰ τὸν νόμον δίκαιον καὶ τὸ ἐπιεικές. Jus varia habet ſignificata: primo & præcipue ſignificat idem* quod juſtum, & quod ſecundùm æquitatem, & rectam rationem debetur unicuique, *quomodo dicitur juſtitia* virtus, qua unicuique redditur ſuum jus, *id eſt quod juſtum eſt, & debitum: ſic Ariſt. vocat juſtitiam effectricem juſtorum, quo ſenſu hic intelligitur. Sumitur etiã pro* lege, quæ præſcribit ipſum jus; *quo ſenſu dicimus quædam eſſe juris naturalis, alia divini, & alia humani. Sumitur denique pro* arte & peritia legum, *quæ duo continet, primo cognitionem & intelligentiam ipſarum legum; unde verſati in hac arte* juris periti *dicuntur. Secundo dictamen illud rectæ rationis & prudentiæ judicium, quo judex & executor legis conſiderans quid in re, de qua agitur, æquum ſit, & bonum, legem ipſam quantum ejus ratio patitur juxta æquum & bonum accommodat, interpretatur, exequitur. Quod dictamen dicitur ἐπιείκεια, plurimum & neceſſario obſervanda à judicibus: cum enim lex ſcripta non poſſit omnibus eventibus ita eſſe accommodata, ut minutiſſima quæque, quæ paſſim occurrunt, definiat, debet lex animata ipſe judex νόμος ἔμψυχος, ut vocat Ariſt. legem ſcriptam juxta æquum & bonum accommodare, & interpretari, ut quantumvis nonnunquam fiat aliquid contra verba legis, minime tamen contra intentionem & mentem legislatoris, & nihil eſt aliud, quam mens & ſententia ſcriptæ legis, & illud vocatur ab Ariſt. τὸ ἐπιεικές, æquum & bonum, emendatio juris ſcripti, quod ipſe τὸ δίκαιον appellat, quod nomine juris, ut τὸ ἐπιεικές nomine boni Salluſtius intellexit.*

γ Non legibus magis, quam Natura.] *Docet, antiquos illos Romanos adeo ſuopte ingenio fuiſſe propenſos ad ſervandum jus & æquitatem, & adeo juſte apud eos omnia adminiſtrata fuiſſe, ut nullis legibus eſſet opus, quibus coerceretur audacia, & inter improbos tuta eſſet innocentia, quo ſenſu dixit Apoſtolus,* juſto non eſſe legem poſitam, *quatenus lex non modo habet vim directivam, ſed etiam coactivam.*

δ Ex hoc jure, ac bono credo raptas eſſe Sabinas.] *εἰρωνικῶς id dictum. Romulus ut raperet Sabinas, ludos ex induſtria equeſtres paravit Neptuno, conſualia vocant, & indici finitimis ſpectaculum juſſit: Ubi vero ſpectaculi tempus advenit, ex compoſito orta vis, ſignoq; dato juventus Romana ad rapiendas juvenes diſcurrit, & magna pars forte, ut in quẽ quæque inciderat rapta. Vide Livium lib. 1 Dionyſ. l. 2. Plutarch. in Romulo. Nõ diſſimilis huic facto extat hiſtoria ſacra l. Judic. c. 21. de filiis Benjamin, qui (cum omnes in Benjamin fœminæ concidiſſent) ne illa tribus omnino deleretur, ex conſilio reliquarũ tribuum rapuerunt ex filiabus Silo ſibi ſingulas uxores ad reſtaurandam illam tribum. Minut. in Octa. hoc factum Romuli valde exaggerat:* Alienas, *inquit*, virgines jam deſponſatas, jam deſtinatas, & nonnullas de matrimonio mulierculas ſine more rapuit, violavit, illuſit, & cum illarum parentibus. i. ſoceris ſuis bellum miſcuit, propinquum ſanguinem fudit. Quid irreligioſius? quid audacius? quid ipſa ſceleris confidentia tutius? *Cypr. de Idolorum vanitate:*

 Romu-

Romulus ut matrimonium faciat, rem concordiæ per diſcordias auſpicatur: rapiunt, ferociunt, fallunt. Ad copiam civitatis augendam nuptiæ fiunt, illis rupta hoſpitii fœdera, & cum ſoceris bella crudelia. *Meminit & Tertull. lib. de ſpect. cap. 5. raptas fuiſſe 683. Dionyſ. ſcribit anno 4. poſt V. C. XII. Cal. Septembris. Euſ. in Chronico anno urbis 3. Sabinas eſſe raptas dicit. Non deſunt, qui quarto menſe poſt V. C. hoc factum velint, quos refellit Dionyſ.*

ε Aliquo enim fortaſſe jure belli.] *Romulus certe jus habuit à vicinis petendi nubiles virgines ſuis civibus, quibus denegatis videbatur habere juſtam cauſam belli eis inferendi. Et ita Judic. 21. reſponſuri erant Iſraelitæ habitantibus Silo, ſi forte conquererentur de raptis virginibus à Beniamitis:* miſeremini eorum: non enim rapuerunt eas jure bellantium, atque victorum, ſed rogantibus ut acciperent non dediſtis, & à veſtra parte peccatum eſt. *Cum igitur injuſte denegarentur Romulo nubiles virgines à vicinis gentibus, videbatur juſte bellum illis illaturus, & jure belli eas à parentibus ablaturus, quin & jus ſuum repetiturus: neque id omnino negat Auguſt. Sed eas convocandi ad ſpectacula, & ita rapiendi nullum jus habuiſſe videtur: fuit enim fraus, fuit dolus, non in hoſte, cum nullum eſſe denunciatum bellum, ſed in ſocio & fœdere juncto Rege. Injuſte ergo rapuit, bellum juſte Sabini intulerunt, fuit ergo injuſtum in Romulo, ut qui injuriam intulerat.*

ζ Hoc ſane utilius, fœliciusque ſucceſſit.] Cum enim bellum gererent, & jam occupatum eſſet à Sabinis Capitolium, & profligata propemodum Romanorum acies in foro, tum auditæ Sabinarum lamentationes inferentium ſeſe in media tela, & dirimere infeſtas patrum, & virorum acies conantium, ad fœdus ineundum duces prodeunt, *ait Livius lib. 1.* nec pacem modò, ſed civitatem unam ex duabus faciunt, regnum conſociant, imperium omne conferunt Romam: urbi à Romulo nomen manet, populus à Curibus Tatii patria Quirites appellantur.

η Ad memoriam fraudis illius Circenſium ſpectaculum manſit.] *Intelligit quotannis repeti ſolitos hujusmodi ludos, quos primum Romulus inſtituit, & quos* conſualia *dixit, qui fiebant in honorem* Conſi *Dei Conſilii, illius videlicet, quo Romulus exhibito hujusmodi ſpectaculo, & invitatis undique vicinis gentibus, Sabinas nubiles, ut ſuam civitatem propagaret, ex inſperato dato ſigno rapi juſſit. Varro lib. 4. de ling. Lat.* Conſualia *dicta à* Conſo, quod tum feriæ publicæ ei Deo, & in circo ad aram ejus à ſacerdotibus fiunt ludi quibus virgines Sabinæ raptæ.

θ Facinoris tamen in illa civitate.] *Leges enim ſeveriſſimæ latæ ſunt contra virginum vel puellarum raptores: & Appius Clodius decemvir ob raptam Virginiam detruſus fuit in carcerem, & decemviri magiſtratu privatus. Inter leges Romanorum hæc extabat:* vim ingenuæ virgini inferre, aut eam ſuaſione in tuam ſententiam trahere caveto.

ι Ex hoc jure ac bono poſt expulſum.] *Regia dominatione ob nimiam Tarquinii ſuperbiam ſublata duo Coſſ. inde comitiis centuriatis à præfecto urbis ex commentariis Servii Tullii, Regis creati ſunt L. Junius Brutus, & L. Tarquinus Collatinus ut author eſt Livius ad finem lib. 1. moxque Brutus de ſuo & collegæ imperio populum rogavit ne ſine ſenatus authoritate, & populi juſſu ſicut Superbus regnare videretur,*

legem-

legemque curiatam Regiam à Romulo primum, cæteriſque deinde Regibus latam repetiit, atque retulit: ut author eſt Tacitus Annal. libro undecimo. Itaque primum in faſtis conſularibus locum meruit Brutus Romanæ libertatis vindex, & prior, referente Livio, concedente collega L. Collatino, faſces cum ſecuribus habuit: quo ſpectat illud Virgilii ſexto Æneidos.

Vis ut Tarquinios Reges, animamque ſuperbam
Ultoris Bruti, faceſque videre receptos,
Conſulis imperium hic primus, ſævaſque ſecures
Accipiet.

Collatinus non diu in magiſtratu fuit, ſed à populo & collega ſuo coactus eſt ob nomen & genus Regium inviſum novæ libertati ſe abdicare, & accepto patrimonio ſuo Lavinium Roma relicta migrare, *Author Livius lib. 2. Plutarch. in Publicola. Cic. 3. Offic. Auguſtinus & hic, & infra lib. 3. cap. 16. Dionyſ. cauſam exilii aliam fuiſſe aſſerit, nempe,* quod cum Aquiliis juvenibus ſororis ſuæ filiis, qui cum aliis contra libertatem de Regibus reducendis conſilia habuerant, & conſpirarant, mitius cenſuiſſet agendum, & L. Bruto collegæ de propriis filiis, reliquiſque conjuratis omnibus pœnas ſumenti acrius obſtitiſſet. *Brutus cùm populi & Senatus conſenſu Tarquinio magiſtratum abrogaſſet, mox legem ad populum ex S. C. tulit, ut omnes Tarquiniæ gentis exules eſſent. Cic. 3. Offic. id factum Bruti probat, fuiſſeque ita honeſtum, ut etiam ipſi Collatino placere deberet, quia patriæ utile. ſed melius Auguſtinus illud improbat.*

κ Ex hoc jure & bono M. Camillus qui Vejentes graviſſimos hoſtes.] *Vide Livium lib. 5. Plutarch. in Camillo. Meminerunt Diod. Sicul. lib. 14. Flor. Zonar. Eutrop. Oroſ. Et author libri de viris illuſtribus. Anno ab V. C. 357.* cum male pugnatum eſſet adverſum Faliſcos & Capenates, & rei male geſtæ nuncius cum majori tumultu Romam & Vejos perlatus, ingentem urbi & caſtris incuſſiſſet terrorem, ut vix miles à fuga retineretur, & in urbe ad muros concurreretur, ut in rebus ſolet trepidis, dictator dictus eſt M. Furius Camillus, fatalis dux ſervandæ patriæ, & ad excidium Vejorum. Cum Faliſcis & Capenatibus in Nepeſino agro ſigna contulit, & hoſtes acie victos caſtris exuit. Inde majore mole Vejos adortus inhibitis caſtellarum frequentia hoſtium incurſionibus, urbem opere & natura munitiſſimam, & opulentiſſimam per cuniculos decimo poſtquam oppugnari cœperat anno cepit, & militibus plebique Romanæ, quæ permittente Senatu in eum finem in caſtra venerat, in prædam dedit.

λ Inſolentia Tribunorum plebis reus factus.] *L. Apulejus Camillo diem dixit ad populum prædam Vejentanam inique ab ipſo diviſam accuſans. Camillus injuriam non ferens ſua ſponte ante judicii diem abiit in exilium. Livius lib. 5. Plut. in ejus vita. Author libri de viris illuſtribus c. 23. Val. lib. 5. c. 3.*

μ Et decem millibus æris.] *Quindecim millibus gravis æris damnatum fuiſſe ſcribit Livius libro 5. Plut. in Camillo, & Val. lib. 5. cap. 3.*

ν Mox item à Gallis vindex patriæ.] *Anno 363. ad V. C. fatali clade Romani à Gallis ad Alliam flumen XI. ab urbe lapide cæſi ſunt. Urbs deinde capta, direpta, at-*

que incenſa eſt, præter Capitolium, quod juventus militaris occupaverat, atque munierat: Et dum 7. jam menſe obſideretur, Capitolinus exercitus tandem famis neceſſitate coactus fuit paciſci cum hoſtibus, mille pondo auro redimitur eorum receſſus, ſed inter ipſas pactiones Camillus dictator ſuperveniens cum exercitu, à quo in Imperatorem electus, atque etiam Romæ in capitolio ſenatus decreto, & populi juſſu, lege curiata revocatus ab exilio dictator abſens dictus fuerat, auferri aurum de medio, & Gallos ſubmoveri, armaque expedire juſſit, ferro, non auro liberandam patriam dictitans: Gallos primum tumultuario prælio inter ipſas ſoli patrii ruinas vicit, urbe expulit, & fugientes deinde via Gabinia ad octavum lapidem conſecutus graviore prælio cecidit, proſtravit, & caſtris exuit, ut ne nuncius quidem tantæ cladis ſupereſſet. Dictator recuperata ex hoſtibus patria triumphans in urbem rediit, Romulus, parens patriæ, & alter conditor urbis nec immerito nuncupatus. Hæc fuſe apud Livium, Plutarch. Diod. & alios.

ξ Cum potentes plebem.] *Sæpe agitata eſt urbs civilibus diſcordiis, & diſſenſionibus inter patritios, & plebem, ut aliquando plebs diſceſſerit à patribus, Senatus & magiſtratuum ſuperbiam accuſans, & nobilium fœneratorum avaritiam, crudelitatemque diutius non ſuſtinens, ut in extremum fere periculum Reſpublic. adduceretur.*

CAP. XVIII.

Quæ de moribus Romanorum, aut metu compreſſis, aut ſeveritate reſolutis Saluſtii prodat hiſtoria.

ITaque habebo modum, & ipſum Saluſtium teſtem potius adhibebo, qui cùm in laude Romanorum dixiſſet, unde nobis iſte ſermo ortus eſt, Jus bonumque apud eos non legibus magis quàm natura valebat, prædicans illud tempus, quo expulſis regibus incredibiliter brevi ætatis ſpatio civitas plurimum crevit. *a* Idem tamen in primo hiſtoriæ ſuæ libro, atque ipſo ejus exordio fatetur, etiam tunc α cùm ad conſules à regibus eſſet translata reſpublica: *b* β poſt parvum intervallum, injurias validiorum, & ob eas *c* γ diſceſſionem plebis à patribus, aliaſque in urbe diſſenſiones fuiſſe. Nam cum optimis moribus & maxima concordia populum Romanum *d* δ inter ſecundum & poſtremum bellum Carthaginienſe commemoraſſet egiſſe: cauſamque hujus boni non amorem juſtitiæ, ſed *ε* ſtante Carthagine metum pacis in fide fuiſſe dixiſſet, unde & Naſica ille ad reprimendam nequitiam, ſervandoſque iſtos mores optimos, ut metu vitia cohiberentur, Carthaginem nolebat everti, continuò ſubjecit idem Saluſtius, & ait: *e* At diſcordia, & avaritia, atque ambitio, & cætera ſecundis rebus oriri ſueta mala, poſt Carthaginis excidium maximè aucta ſunt: ut intelligeremus etiam antea & oriri ſolere & augeri. Unde ſubnectens cur hæc dixerit: Nam injuriæ, inquit, validiorum, & ob eas diſceſſio plebis à patribus, aliæque diſſenſiones domi fuere: jam inde à principio, neque amplius quàm regibus exactis, dum metus à Tarquinio, ζ & *f* bellum grave cum Ethruria poſitum eſt, æquo & modeſto jure agitatum. Vides quemadmodum illo etiam brevi tempore ut regibus exactis, id eſt, ejectis, aliquantulum æquo & modeſto jure ageretur, metum dixit fuiſſe

iſſe cauſam, quoniam metuebatur bellum, quod rex Tarquinius regno atque urbe pulſus, Ethruſcis ſociatus contra Romanos gerebat. Attende itaque quid deinde contexat: Dein, inquit, ſervili η imperio patres plebem exercere, *g* θ de vita atque tergo regio more conſulere, *h* ι agro pellere, & cæteris ex partibus ſoli in imperio agere. Quibus ſævitiis & maximè fœnoris onere oppreſſa plebs cum aſſiduis bellis tributum ſimul & militiam toleraret, armata *i* κ montem Sacrum atque Aventinum inſedit. λ Tumque tribunos plebis, & alia ſibi jura paravit, diſcordiarum & certaminis utrinque finis fuit ſecundum bellum Punicum. Cernis ex quo tempore, id eſt, parvo intervallo poſt reges exactos, quales Romani fuerint, de quibus ait: Jus bonumque apud eos non legibus magis quàm natura valebat. Porrò ſi illa tempora talia reperiuntur, quibus pulcherrima atque optima fuiſſe prædicatur Romana reſpublica: quid jam de conſequenti ætate dicendum aut cogitandum arbitramur, cùm paulatim mutata, ut ejuſdem hiſtorici verbis utar, ex pulcherrima atque optima, peſſima ac flagitioſiſſima facta eſt, poſt Carthaginis videlicet, ut commemoravit, excidium? Quæ tempora ipſe Saluſtius, quemadmodum breviter recolat & deſcribat, in ejus hiſtoria legi poteſt, quantis malis morum, quæ ſecundis rebus exorta ſunt *k* μ uſque ad bella civilia demonſtret eſſe perventum. Ex quo tempore, ut ait, majorum mores non paulatim ut antea, ſed torrentis modo præcipitati, adeò juventus luxu atque avaritia corrupta eſt, ut meritò dicatur genitos eſſe, qui *l* neque ipſi habere poſſent res familiares, neque alios pati. Dicit deinde ν plura Saluſtius de Syllæ vitiis, cæteraque fœditate reipublicæ: & alii ſcriptores in hæc conſentiunt, quamvis *m* ξ eloquio multum impari. Cernis tamen, ut opinor, & quiſquis adverterit, facillimè perſpicit colluviem morum peſſimorum, quò illa civitas prolapſa fuerit, ante noſtri ſuperni regis adventum. Hæc enim geſta ſunt non ſolùm antequam Chriſtus in carne præſens docere cœpiſſet, verùm etiam antequam de virgine natus eſſet. Cùm igitur tot & tanta mala temporum illorum vel tolerabiliora ſuperius, vel poſt everſam Carthaginem intoleranda & horrenda Diis ſuis imputare non audeant, opiniones humanis mentibus unde talia vitia *n* ο ſylveſcerent, maligna aſtutia inſerentibus, cur mala præſentia Chriſto imputant, qui doctrina ſaluberrima & falſos ac fallaces Deos coli vetat, & iſtas hominum noxias flagitioſaſque cupiditates divina autoritate deteſtans atque condemnans, his malis tabeſcenti ac labenti mundo ubique familiam ſuam ſenſim ſubtrahit, qua condat æternam, & non plauſu vanitatis, ſed judicio veritatis glorioſiſſimam civitatem? *Chriſtus novæ civitatis conditor.*

a IDem tamen in primo hiſtoriæ.] *Et hos libros hiſtoriarum Saluſtii de bellis civilibus amiſimus. Pauca quædam reſtant orationes.* *h. Virum.*

b Poſt parvum intervallum.] *Poſt quindecim annos. Livius libro ſecundo: Ap. Claudius deinde, & P. Servilius conſules facti: inſignis hic annus eſt nuncio Tarquinii mortis. Mortuus eſt Cumis, quò ſe poſt fractas opes Latinorum ad Ariſtodemum tyrannum contulerat. Eo nuncio erecti patres, erecta plebs: ſed patribus nimis luxurioſa fuit lætitia. Plebi, cui ad eam diem inſervitum erat, injuriæ à primoribus fieri cœpta.* *Tarquinii Superbi mors.*

c Dis-

Diſceſſiones plebis à patribus. c Diſceſſionem.] *Diſceſſit plebs à patribus primùm propter fœnus decimo ſeptimo anno à parta libertate. Iterum propter tyrannidem decemvirorum legibus ferendis, anno ccciii. Tertiò propter æs alienum & longa inter tribunos plebis & patres certamina, aliquot annis ante bellum Pyrrhi.*

Punica bella. d Inter ſecundum.] *Tria fuerunt bella inter Romanos & Carthaginienſes geſta. Primum per xxii. annos in Sicilia, poſt in Africa: cœptum anno ab Urbe condita cccexc. App. Claudio Caudace & Q. Fulvio Flacco Coſſ. tot anni ſunt in Plinio libr. xxxiii. in cujus codice pro quingenteſimo octogeſimo quinto, legendum, quadringenteſimo octogeſimo quinto.* **Locus in Plinio emendatur.** *Livius & Eutropius huic ſummæ tredecim annos adimunt. Alterum poſt xxiii. annos. Cœptum P. Scipione, T. Sempronio Coſſ. in Hiſpania, Sicilia, Italia, in Africa geſtum, & ibi perfectum à Scipione Africano majore decimo ſeptimo poſtquam cœperat. Tertium poſt undequinquaginta annos Manilio & Marcio Cenſorino Coſſ. Tertio anno perfectum à Scipione Africano Minore, totum in Africa ipſa geſtum: cujus finis excidium fuit urbis Carthaginienſis. De his bellis fuſius aliàs.*

e At diſcordia] *Idem in Jugurthino.*

Porſenna bellū. f Bellum grave cum Ethruria.] *Cum Porſenna rege Ethruſcorum potentiſſimo, qui volebat Tarquinios in regnum reſtitui, & obſidione ingenti premebat Romanos, & expugnaſſet eos, ni territus eſſet à Q. Mutio Scævola. Livius lib. 1.*

Supplicia noxiorum Romæ. Leges Porcia & Sempronia. g De vita atque tergo] *De verberibus. Cædebatur virgis morti addictus apud Romanos, deinde necabatur. Interim cùm facinus non erat grave, ſatis habebant virgis cædere. Tum etiam qui creditoribus propter debita à judicibus addicebantur, multa turpia & miſeranda patiebantur nexi apud creditores, multaſque ſervili more in tergo plagas: huic malo ſubvenere leges Porcia & Sempronia, quæ liberum corpus Romani civis virgis aut aliis verberibus cædi vetant.*

Leges agrariæ. h Agro pellere.] *Nam divites, quos agros populi Romani manu ceperant, primùm tanquam precio reipub. nomine à ſenatu colendos accipiebant: deinde aliis ad aliorum facinora conniventibus dominos ſe faciebant, excluſa plebe. Hinc leges agrariæ de agris populo dividundis toties tentatæ magna indignatione nobilitatis, nec unquam ſine tumultibus agitatæ.*

Seceſſio plebis prima. Trib. plebis. Seceſſio altera. i Montem ſacrum.] *Prima ſeceſſio fuit in Sacro monte, qui eſt trans Anienem amnem: vel, ut Piſo ſcribit in Aventino, qui pars eſt urbis. Ibi tribuni plebis primùm ſunt plebi dati, velut tutores ejus, qui pro commodis excubarent intercederentque patriciorum in ipſam injuriis: eſſentque ſacroſancti, quos qui violaſſet, ejus caput Jovi ſacrum eſſet, bona & familia ad Cereris venderentur. Secunda ſeceſſio fuit primùm in Aventinum: deinde quò major ſolitudo, & exinde terror eſſet in Urbe, in Sacrum montem eſt itum. Rurſus compoſitis cum ſenatu rebus in Aventinum, ibique tribunos recuperavit: ex Aventino ventum eſſe in Capitolium, ibi à Pont. Max. comitia habente creatos eſſe trib. pleb. Cicero pro Cornelio de majeſtate.*

k Uſque ad bella civilia.] *Inter patres & Gracchos, Tiberium primùm, deinde Cajum ad bella civilia, inter Marium & Syllam.*

l Qui neque ipſi.] *Cùm luxu perditiſſimi eſſent, & quæcunque rapere poterant,*

ſubitò

ſubitò prodigerent, ita ad explendam effuſionem hanc in aliorum bona impetum facere eos erat neceſſe, doliumque pertercbratum implere laborabant.

m Eloquio.] *Placuit omnibus ætatibus aſtricta illa, & tamen culta vividaque Saluſtii dictio, eumque Thucydidi ſcriptori Græco noſtris viſum eſt opponere: ſicut Quintil. lib. 10.* Salustii phraſis.

n Sylveſcerent.] *In modum ſylvæ diffunderentur & propagarentur. Sic apud ſcriptores rerum ruſticarum, Catonem & Columellam. Græci ὑλομανεῖν vocant, quaſi luxuriare arbores, quod eſt in herbis ἐξυβρίζειν.* Sylveſcere.

α CUm à Regibus ad Conſules.] *Tacitus initio Annal.* Urbem Romam à principio Reges habuere, libertatem & conſulatum Junius Brutus inſtituit. *Salluſt. in conjurat. Catil.* Ubi imperium regium, quod initio conſervandæ libertati, atque augendæ Reipub. fuerat; in ſuperbiam dominationemque ſe convertit, immutato more annua imperia binos imperatores ſibi fecere, eo modo minime putabant per licentiam inſoleſcere poſſe animum humanum. *Populus Romanus exactis Regibus duob. viris æqua ſorte creatis regiam poteſtatem mandare maluit: qui annuo imperio ſimul Rempub. adminiſtrarent, duobus quidem, ut alter alterius inſolentiam, ſi opus eſſet, coerceret. Celebre Q. Catuli dictum Cic. orat. 2. poſt reditum ab exilio refert:* Conſulem unum non ſæpe reperiri improbum; duos vero nunquam, excepto illo Cinnano tempore. *Quod idem repetit in orat. pro domo ſua.* Annuum imperium duntaxat illis conceſſum ut temporis brevitate deterriti ea caverent committere, quorum paulo poſt privatis ratio reddenda eſſet. *Conſules dicti, ait ex Cicerone Juriſconſultus Pomponius de origine juris,* quod plurimum conſulerent Reipub. *vel ex Varronis ſententia,* quod conſulerent populum ac ſenatum, *parum enim aut nihil injuſſu populi, aut Senatus poterant. De conſulibus lex erat apud Cic. 3. de legib. quæ primum fortaſſe comitiis centuriatis creati ſunt:* Regio imperio duo ſunto, iique præeundo, judicando, conſulendo, prætores, judices, conſules appellantor, militiæ ſummum jus habento, nemini parento, ollis ſalus populi ſuprema lex eſto. *A Græcis variis dicuntur nominibus, Plutarch. μεγοβούλους. Dion. συμβούλους appellat. ὕπατοι etiam dicti, ab eminentia, & magnitudine poteſtatis. Omnia Regum jura, omnia inſignia primi conſules tenuere. Recte itaque D. Auguſt. dicit, à Regibus ad Conſules translatum eſſe imperium;* ne tamen per omnia regiam poteſtatem ſibi vendicarent; *ait Pomponius Lætus de Magiſtrat. Rom. cap. 15.* lege cautum fuit, ut ab iis provocatio eſſet, neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi, ſolum relictum illis, ut coercere poſſent, & in vincula publica duci juberent. F.L.C.4.

β Poſt parvum intervallum.] *Anno ab V. C. 258. Coſſ. Appio Clodio, & P. Servilio decimo quinto poſt expulſos Reges, qui inſignis annus nuncio Tarquinii mortis.* Eo nuncio *(ait Livius lib. 2.)* erecti patres, erecta plebs, ſed patribus nimis luxurioſa ea fuit lætitia, plebi cui ad eam diem inſervitum erat, injuriæ à primoribus fieri cœpere, cum ſcilicet judicia de uſuris finito bello Latino mox reſtituerentur, pauperesque paſſim cives à fœneratoribus in vincula & ſervitutem raperentur, reluctante in primis aliorum conſiliis, quibus civitas tota in concordiam redigeretur,

retur, Appio Clodio ſuperioris anni Coſſ. *ut auctor eſt Dionyſ. libr. 6.* hinc perniciosum odium conflatum eſt, & ingens in civitate orta diſcordia, quæ Rempub. valde turbavit.

γ Diſceſſionem plebis à patribus.] *Non ſemel id contigit, ut plebs diſcederet à patribus, ut videre eſt apud Livium, Dionyſium & alios. flagrabat odio plebs maxime propter nexos ob æs alienum, fremebant, ſe foris pro libertate & imperio dimicantes domi à civibus captos & oppreſſos eſſe. Verùm hanc ſeditionem promiſſis lenibus Cos. hoc anno ſedavit, & adventantes hoſtes populi animos ad bella externa coegerunt.*

δ Inter ſecundum & poſtremum bellum Carthaginenſe.] *Tria fuere bella Punica, primum geſtum in Sicilia & in Africa, quod confecit C. Luctatius Coſ. alterum in Hiſpania, deinde in Italia, poſtremo in Africa, quod confecit Scipio Africanus major non prælio modo, ſed & bello victo Annibale; poſtremum confecit Scipio Africanus minor everſa Carthagine.*

ε Stante Carthagine metum pacis infidæ.] *Ita magis conſultum ut plurimum civitatibus, & Rebuspublic. hoſtem externum habere. Annibal apud Livium libro trigeſimo:* Nec eſſe in vos odio veſtro conſultum à Romanis credatis: nulla magna civitas diu quieſcere poteſt. ſi foris hoſtem non habet, domi invenit, ut prævalida corpora ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur.

ζ Bellum grave cum Etruria.] *Cum Porſena Etruſcorum Rege potentiſſimo, qui pro Tarquinio regno reſtituendo bellum ſuſceperat, & gravi obſidione urbem cinxerat, & niſi hoſtem vel Mutius conſtanti urendæ manus patientia, vel virgo Clœlia admirabili transmeati fluminis audacia permoviſſent, profecto Romani coacti fuiſſent perpeti aut captivitatem hoſte inſiſtente ſuperati, aut ſervitutem recepto Regi ſubjecti. Liv. lib. 2. Dionyſ. lib. 5. Oroſ. libro 2. capit 5. Plutarch. Flor. Eutrop. & alii complures. Oroſius hoc bellum tribus continuis annis duraſſe ſcribit. Plutarchus anno integro, cui ſuffragari videtur Eutropius, nam anno ſecundo poſt Reges exactos Porſenam obſediſſe urbem, tertio autem compoſitam pacem fuiſſe dicit*

η Servili imperio patres plebem exercere.] *Quod Ariſt.* deſpoticum dominium *appellat*, à politico *diſtinguens. plebes autem cæteri cives ſunt ſine ſenatoribus l. 237. D. de verb. ſignif. Agell. l. 10. c. 20. plebem Capite ſeorſum à populo diviſit, quoniam in populo omnis pars civitatis, omnesque ejus ordines continentur: plebs vero ea dicitur, in qua gentes patriciæ non ſunt.*

θ De vita atque tergo, regio more conſulere.] *Huc ſpectat quod ſcribit Livius libro 2. ad annum ab V. C. 258.* Civitas ſecum ipſa diſcors inteſtino inter Patres, plebemque flagrabat odio, maxime propter nexos ob æs alienum, fremebant ſe foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à civibus captos & oppreſſos eſſe, tutioremque in bello, quam in pace, inter hoſtes, quam inter cives libertatem plebis eſſe, invidiamque eam ſua ſponte gliſcentem inſignis unius calamitas accendit, qui cum omnium majorum ſuorum inſignibus ſe in forum projecit: obſita erat ſqualore veſtis fœdior, corporis habitus pallore ac macie perempti, ad hoc promiſſa barba, & capilli efferaverant ſpeciem oris, noſcitabatur tamen in

tan-

tanta deformitate & ordines duxiſſe ajebant, aliqua militiæ decora vulgo miſe-rantes eum jactabant, ipſe teſtes honeſtarum aliquot locis pugnarum cicatrices adverſo pectore oſtendabat, ſciſcitantibus unde ille habitus? unde deformitas? cum circumfuſa turba eſſet prope in concionis modum? Sabino bello, ait, ſe militantem, quia propter populationes agri non modo fructu caruerit, ſed villa etiam incenſa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum inique ſuo tempore imperatum, æs alienum feciſſe, id cumulatum uſuris, primum ſe agro paterno avitoque exuiſſe, deinde fortunis aliis, poſtremo velut tabem perveniſſe ad corpus, ductum ſe à creditore non in ſervitium, ſed in ergaſtulum, & carnificinam eſſe: inde oſtentare tergum fœdum recentibus veſtigiis verberum. Ad hæc viſa auditaque, clamor ingens oritur. *&c. Qui locus maxime confirmat, quod habet Auguſt. de diſſenſione plebis à Patribus, cum tyrannice ab eis opprimeretur. Extat & eadem hiſtoria apud Dionyſ. lib. 6.*

ι Agro pellere.] *Non obſervabatur juſtitia diſtributiva cum plebs periculis omnibus pro Repub. objiceretur, ſoli interim patres agros bello ab hoſtibus captos ſibi vendicabant. Querulæ voces plebis extant apud Livium lib. 2. & apud Dionyſ. lib. 6.* Patres militarent, patriæ arma caperent, ut penes eosdem pericula belli, penes quos præmia eſſent. *Hinc leges agrariæ de agris populo dividendis ſæpius tentatæ non ſine maximis motibus rerum, & maxima indignatione nobilitatis agitatæ.*

κ Montem ſacrum atque Aventinum inſedit.] *Anno V. C. 260. prout referunt Livius lib. 1. & Dionyſ. lib. 6. Oroſ. lib. 2. cap. 5. Val. Max.* Plebs ſeceſſit in ſacrum montem, atque ibidem trans Anienem fluvium, tertio ab urbe milliario caſtra muniit, revocata eſt tandem, & patribus reconciliata prudentia & eloquentia Menenii Agrippæ, & lex, quam ſacratam vocant, Senatu permittente, eſt lata: uti plebs haberet ſuos annuos magiſtratus ſacroſanctos, quibus auxilii eſſet latio adverſum Coſſ. Magiſtratus quo ſuis, & nobilitatem neve cui patrum capere eum magiſtratum liceret. ut hic Magiſtratus ſacroſanctus eſſet, id eſt, Ne quis Tribunum plebis aut manu, aut verbo violaret; qui ſecus feciſſet ipſum impune poſſe occidi, ac ſacrum eſſe videri. Atque tum primum in ſacro monte duo creati ſunt ab initio; *auctor eſt Cic. orat. priore pro C. Cornelio his verbis:* Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno XVI. poſt Reges exactos propter nimiam dominationem potentium leges ſacratas ipſi ſibi conſtituerent, duos Tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons ſacer nominatur, in quo armati conſederant, æternæ memoriæ cauſa conſecrarent.

λ Tumque Tribunos plebis.] *Tribuni plebis primum duo creati ſunt, deinde quinque, ac poſtremo decem. De his creandis conditam legem refert Cic. 3. de legibus* Plebs quos pro ſe contra vim auxilii ergo decem creaſſit, Tribuni ejus ſunto, quodque hi prohibeſſint, quodque plebem rogaſſint, ratum eſto, ſanctique ſunto, neve plebem orbam Tribunis relinquunto. *Vide Livium lib. 2. Dionyſ. ad finem lib. 6. Ovid. 3, faſto. Pompon. Lat. de Magiſt. Rom. cap. 18. Feneſt. cap. 10. dicti ſunt* Tribuni, *ut vult Pomponius, quod tum* populus in tres tantum partes diviſus erat, & ex ſingulis facti ſinguli. *Non deſunt qui à* tribuendo auxilio *nuncupatos*

volunt Tribunos. *De jure inviolabili, & poteſtate ſacra Tribunorum hæc etiam refert Dionyſ. lib. 6.* Tribunum invitum, & unum è vulgo nemo quicquam facere cogito, nec verberato, nec alium verberare jubeto, nec occidito, nec occidere jubeto; ſi quis contra faxit, ſacer eſto, bonaque ejus Cereri dicata ſunto, & qui eum occiderit, cædis purus eſto.

μ Usque ad bella civilia.] *Primum inter Syllam & Marium; deinde inter Cæſarem & Pompejum,* quæ inter cives geruntur, civiles diſſenſiones *vocat Ulpian. lib. 21. §. ult. D. de capt. & poſt.*

ν Plura Salluſtius de Syllæ vitiis.] *In conjurat. Catil. de eodem Vellejus lib. 2.* L. Cornelius Sylla vir qui neque ad finem victoriæ ſatis laudari, neque poſt victoriam ſatis vituperari poteſt. *Cic. 3. offic.* cum priſtinum Reipub. ſtatum plurimum extuliſſet: quod Regum, populorum, nationum portus erat, & refugium Senatus, quod magiſtratus & Imperatores ex una hac re maximam laudem capere ſtudebant, ſi provincias, ſi ſocios æquitate & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis terræ, verius quam imperium potuit nominari; ſenſim hanc diſciplinam & conſuetudinem jam antea minuebamus: poſt vero Syllæ victoriam, *inquit*, penitus amiſimus, deſitum eſt enim videri quicquam in ſocios iniquum, cum extitiſſet etiam in cives tanta crudelitas.

ξ Eloquio multum impari.] *De Salluſtio ita Lipſius in notis ad primum librum politicorum, de Hiſtoricis agens, ac de Tacito primum locutus, cui primas deferre videtur:* Alter eſt, *inquit*, C. Salluſtius, omnino purus, ſi libros modo ejus haberemus; ſed hiſtoriarum corpus illud totum periit, & ex his pauculis admirari eum magis libet, quam anxie judicare. *illud video Thucydidi ſimillimum eſſe. In quo ſequitur Quintiliani judicium l. 10. c. 1.*

ο Sylveſcerent.] *Metaphora ducta à plantis: eſt enim ſylveſcere,* in nimiam ramorum, ſarmentorumve ubertatem luxuriare. *Talia vitia ſylveſcerent. i. e. nimium propagarentur ac multiplicarentur. Ita lib. de geſtis Pelagii cap. 36. hæreſis dumeta pullulare ac ſylveſcere dixit. D. Bernardus epi. 188.* Animadvertite, quantæ ibi ſylveſcant ſegetes ſacrilegiorum atque errorum. *D. Ambroſ. enarrat. in cap. 2. Geneſis ad Sabinum:* paradiſus in principali noſtro eſt ſylveſcens plurimarum opinionum plantariis.

CAP. XIX.

De corruptione Romanæ reipub. prius quam cultum Deorum Chriſtus auferret.

ECce Romana reſpublica: quod non ego primus dico, α ſed autores eorum β unde hæc mercede didicimus, tantò antè dixerunt ante Chriſti adventum, paulatim mutata, & ex pulcherrima atque optima, peſſima atque flagitioſiſſima facta eſt. Ecce ante Chriſti adventum, poſt deletam Carthaginem, majorum mores, non paulatim ut antea, ſed torrentis modo præcipitati, adeò juventus luxu atque avaritia corrupta eſt. Legant nobis contra luxum & avaritiam præcepta Deorum ſuorum pop. Rom. data. Cui utinam tantum caſta & modeſta

ſta reticerent, ac non etiam ab illo γ probroſa & ignominioſa depoſcerent, quibus per falſam divinitatem pernicioſam conciliarent autoritatem. δ Legant noſtra, & per Prophetas, & per ſanctum Evangelium, & per Apoſtolicos Actus, & per Epiſtolas, tam multa contra avaritiam atque luxuriam, ε ubique populis ad hoc congregatis, quàm excellenter, quàm divinè, non tanquam ex philoſophorum concertationibus ſtrepere, ſed tanquam ex oraculis & Dei nubibus intonare: & tamen luxu atque avaritia, ſævisque ac turpibus moribus ante adventum Chriſti rempub. peſſimam ac flagitioſiſſimam factam, non imputant Diis ſuis: ζ afflictionem verò ejus quamcunque iſto tempore ſuperbia deliciæque eorum perpeſſæ fuerint, religioni increpitant Chriſtianæ. Cujus præcepta de juſtis probisque moribus, ſi η ſimul audirent atque curarent reges terræ & omnes populi, principes & omnes judices terræ, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus, ætas omnis capax, & uterque ſexus, & quos Baptiſta Joannes alloquitur a θ exactores ipſi atque milites: & terras vitæ præſentis ornaret ſua fœlicitate reſpublica, & vitæ æternæ culmen beatiſſimè regnatura conſcenderet. Sed quia iſte audit, ille contemnit, pluresque b ι vitiis malè blandientibus, quàm utili virtutum aſperitati ſunt amiciores, tolerare Chriſti famuli jubentur: ſive ſint reges, ſive principes, ſive judices, ſive milites, ſive provinciales, ſive divites, ſive pauperes, ſive liberi, ſive ſervi utriuslibet ſexus: peſſimam etiam, ſi ita neceſſe eſt, flagitioſiſſimamque rempub. & in illa Angelorum quadam ſanctiſſima atque c κ auguſtiſſima curia, cœleſtique repub. ubi Dei voluntas lex eſt, clariſſimum ſibi locum etiam iſta tolerantia comparare. *In cœleſti Rep. DEI voluntas lex eſt.*

L. Vives. Exactores.

a EXactores.] *Lucæ 3. ſic vulgò legitur: Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius quàm quod conſtitutum eſt vobis, facite. Pro facite eſt Græcè πράσσετε, quod primus annotavit Eraſmus vertendum exigite. Hinc Auguſtinus rectè exactores nominat, qui dicuntur τελώνας.*

b Vitiis malè blandient.] *Alludit ad duas illas vitii & virtutis vias, quas Heſiodus finxit: quem Virgilius imitatus eſt in litera Pythagora: ſeu, ut alii volunt, Auſonius.* Carmen de litera Pythagora.

c Auguſtiſſima.] *Certum eſt, ita debere legi: & non anguſtiſſima. Sed prætermittendum non eſt, quod annotavit frater, penè nomen mihi ore excidit, anguſtam hîc dici cœleſtem curiam, quòd via ſit ad illam arcta, & pauci eam ingrediantur, juxta dictum Chriſti Servatoris. Et quo rem poſſent auditores melius memoriæ mandare, verſiculo ſanè quàm feſtivo ſignavit.*

Arcta eſt via verè quæ ducit ad gaudia vitæ.

De ratione metri ſolicitum ſe magnopere eſſe negabat, ut bene tinniret.

α SEd authores eorum.] *Non modo quem ſuperiori c. citavit Salluſt. Sed & Cic. 2. Offic.*

β Unde hæc mercede didicimus.] *Eum mercede didiciſſe, & liberalium artium profeſſoribus mercedem inſtitutam fuiſſe, conſtat ex eod. lib. 1. confeſſ. cap. 16. lib. 6. Cod. de profeſſoribus & Medicis. lib. 10. tit. 52.* Medicis, Archiatris, Grammaticis F.L. Cog.

& profeſſoribus diſciplinarum, & doctoribus legum mercedes & ſalaria reddi jubemus. *Et mercedes præceptoribus tutor conſtituit l. 12. §. cum tutor. D. de adminiſtratione & periculo tutorum. Et l. is Cod. de negotiis geſtis lib. 2. tit. 19.* Si mercedes pro privignis aliquas expediſti, ejus erogationis tibi nulla repetitio eſt. *Et Ulpian. lib. 4. D. de decretis ab ord. faciendis,* ob liberalem artem vel ob Medicinam licet conſtitui ſalaria. *Unde conſtat, præter ſtipem quæ privatim à diſcipulis erogabatur, etiam è publico præceptoribus conſtituta fuiſſe ſalaria. Suet. in Veſpaſ. cap. 18. author eſt,* eum primum è fiſco Latinis Græciſque Rhetoribus annua centena conſtituiſſe. *Et de M. Antonino pio hæc Capitolin.* Rhetoribus & philoſophis per omnes provincias & honores & ſalaria detulit. *Mercedem hujuſmodi, qua diſcebant, Græcis διδάκτρον, Minerval vocabant, de quo poſt Tertull. lib. de Idololatria cap. 10. & D. Hieron. in epiſt. ad Epheſios. vide Angelum Politianum in miſcellaneis cap. 21.* quod Minerva præſes eſſet ſapientiæ, & dea ſcientiæ.

γ Probroſa & ignominioſa depoſuerunt] *Ita inventio certorum aliquot ludorum infamis apud hiſtoricos legitur.* Cum quidam infamis ludus, & efferatus publicæ pompæ & ſupplicationi medio die occurriſſet Sp. Poſthumio & M. Philippo Coſſ. Bacchanalia ſacrum Græcum & nocturnum, ſcelerumque omnium ſeminarium inveſtigata, ac multorum pœna ſublata ſunt. *Livio libro 39. Hæc non prohibebant dii, quæ interim Romani Reipubl. conſulentes merito abrogabant.*

δ Legant noſtra & per prophetas, & per ſanctum Evangelium.] *Scripturas veteris & novi teſtamenti. Ab Orco ſacra illa, & inſtituta Romanorum manabant, unde nihil mirum ſi tam proboſa & ignominioſa.* Sed hæ literæ, *(ait Auguſt. conc. 3. in Pſal. 90.)* de illa civitate, unde peregrinamur, nobis venerunt. Ipſæ ſunt ſcripturæ, *inquit,* quæ nos hortantur ut bene vivamus. *De his ita Paul. 2. Tim. 3.* Ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem. Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt, ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo ad omne bonum inſtructus.

ε Ubique populis ad hoc congregatis.] *Hic fuit antiquus in Eccleſia uſus, ut populis publice verbum Dei prædicaretur, & ex ſacris litteris admonerentur quid credendum, & quid ad vitæ æternæ conſecutionem faciendum; ut ſupra cap. 6. fuſius obſervavimus. Quibus ſubjungere licet, quod ſcribit Tertull. in Apolog. cap. 38.* Cogimur ad divinarum ſcripturarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoſcere. Certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, *Et lib. 2. ad uxorem cap. 6.* ubi, *inquit,* fomenta fidei de ſcripturarum interlectione? *Juſtinus Marty.* Commentaria, *inquit,* Apoſtolorum, aut ſcripta prophetarum, quo ad tempus fert, leguntur. *Idem colligitur ex D. Cypr. epiſt. 24. 33. & 34. ex Optato lib. 6. contra Parmenian. ex D. Amb. epiſt. 33. ad Marcellam ſororem, ex Euſ. lib. 4. Eccl. Hiſtor. c. 25. ubi de Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo loquitur: cujus eruditione & gratia, quam habebat in prædicando verbo Dei, fruebantur hi populi, quos regendos ſuſceperat.*

ζ Afflictionem vero ejus.] *Eſt hujuſmodi Auguſt. argumentum: depravatis moribus ac colluvie quadam vitiorum Reſpub. ipſa Romana corruit, ut luxu, ambitione, & ava-*

& avaritia. verùm dii ipſi nullas leges, aut præcepta contra hujusmodi vitia, aut depravatos mores dederunt, imo ſibi infamia & probroſa depopoſcerunt, id eſt ſacra ſacrilega, quibus colerentur, inſtituerunt; Illis igitur adſcribenda eſſet Reipub. ruina, non Chriſtianæ religioni, quæ in ſuis literis paſſim omnia vitiorum genera, ac ea in primis quibus Reſpub. cadit, prohibet. immerito vero Rempub. flagitioſiſſimam factam imputant Chriſtianis, afflictionem illius nunc quamcunque aſcribunt religioni Chriſtianæ.

h Simul audirent, atque curarent Reges terræ, & omnes populi,] *Nam quamvis præceptis legis Moſaicæ una Judaica gens aſtringeretur, at nunc omnes ex æquo gentes, ac populi religionis Chriſtianæ, & legis Evang. præceptis aſtringuntur: Uni enim Hebræorum populo promulgata eſt lex data in monte Sinai, ſcripta in tabulis lapideis, ſed lex nova, quæ ſpiritu gratiæ potiſſimum continetur, & præceptis Evangelicis, ſcripta in tabulis cordis fidelium, univerſo orbi promulgata eſt. Ad tempora Chriſtianæ religionis ſpectat illud Pſal. 2.* Et nunc Reges intelligite, & erudimini, qui judicatis terram, ſervite Domino in timore, & apprehendite diſciplinam. *Et illud Sap. 6.* ſi delectamini ſedibus & ſceptris ô Reges populi, diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis, diligite lumen ſapientiæ, omnes qui præeſtis populis.

i Exactores ipſi.] *Lucæ 3. venerant publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum*, Magiſter quid faciemus? *ait ille dixit ad eos*, nihil amplius, quam quod conſtitutum eſt vobis, faciatis. *textus Græcus habet*, μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε. *Quod verbum ſignificat & facere, & exigere. Hoc poſteriori modo non ſolum authores Græci, Orig. homil. 23. in Lucam, Gregor. Naz. orat. 2. contra Julianum, Theophil. & Euthymius, ſed etiam Latini. Ambroſ. in comment. & Beda in hunc locum interpretantur, ut animadvertit Maldonatus ad eum locum melius, quam Ludovicus Vives, qui vult, Eraſmum primum advertiſſe vertendum* (exigere.) *Recte igitur Exactores eos nominat Auguſt. ſed & noſtra verſio eumdem ſenſum reddit. Erat enim illis conſtitutum, quantum tributi exigerent, plus facere erat plus exigere.*

k Vitiis male blandientibus, quam utili virtutum aſperitati.] *Alludit ad duas illas virtutis & vitii vias, quas Heſiodus finxit, ut eſt apud Xenophontem lib. 2.* ἀπομνημ. *ubi etiam ex Prodico refert fictionem illam de Hercule, qui exacta pueritia cum pubertatis curſum iniret; diu ſecum multumque dubitavit, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis; utram ingrederetur, tandem rejecta voluptate, virtutis aſperam viam ingreſſus eſt. Cic. repetit ex Xenophonte, 3. Offic.*

x Atque auguſtiſſima curia.] *Summa veneratione ac præcipuo honore colenda. Ovid. 1. faſt.* Sancta vocant auguſta patres. *Sic infra l. 5. c. 1.* Clariſſimum Dei ſenatum, ac ſplendidiſſimam curiam *dixit.*

CAP. XX.

Quali velint fœlicitate gaudere, & quibus moribus vivere, qui tempora Chriſtianæ religionis incuſant.

Ve-

VErùm tales cultores & dilectores Deorum iſtorum, quorum etiam imitatores in ſceleribus & flagitiis ſe eſſe lætantur, nullo modo curant peſſimam ac flagitioſiſſimam eſſe rempublicam. Tantùm ſtet, inquiunt, α tantùm floreat copiis referta, β victoriis glorioſa, vel quod eſt fœlicius, pace ſecura ſit. γ Et quid ad nos? imò ad nos magis pertinet, δ ſi divitias quiſque ſemper augeat, quæ quotidianis effuſionibus ſuppetant, per quas ſibi etiam infirmiores ſubdat quiſque potentior. Obſequantur divitibus pauperiores cauſa ſaturitatis, atque ut eorum patrociniis quieta inertia perfruantur. divites pauperibus ad clientelas & ad miniſterium ſui faſtus abutantur. Populi plaudant non conſultoribus utilitatum ſuarum, ε ſed largitoribus voluptatum. Non jubeantur dura, non prohibeantur impura: ζ reges non curent quàm bonis, ſed quàm ſubditis regnent: provinciæ regibus η non tanquam rectoribus morum, ſed tanquam rerum dominatoribus, & deliciarum ſuarum proviſoribus ſerviant, eosque non ſynceriter honorent, θ ſed nequiter ac ſerviliter timeant. Quid alienæ vineæ potius, quàm quid ſuæ vitæ quiſque noceat, legibus advertatur. Nullus ducatur ad judices, niſi qui alienæ rei, domui, ſaluti, vel cuiquam invitò fuerit importunus aut noxius. Cæterum de ſuis, vel cum ſuis, vel cum quibuscunque volentibus faciat quiſque quodlibet. ι Abundent publica ſcorta, vel propter omnes quibus frui placuerit, vel propter eos maximè, qui privata habere non poſſunt. κ Extruantur ampliſſimæ atque ornatiſſimæ domus, λ opipara convivia frequententur, ubi cuique libuerit & potuerit die noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. a Saltationes undique concrepent, theatra inhoneſtæ lætitiæ vocibus, atque omni genere ſive crudeliſſimæ, ſive turpiſſimæ voluptatis exæſtuent. Et ille μ ſit publicus inimicus, cui hæc fœlicitas diſplicet. Quiſquis eam mutare vel auferre tentaverit, eum libera multitudo avertat ab auribus, evertat è ſedibus, auferat à viventibus. Illi habeantur Dii veri, qui hanc adipiſcendam populis procuraverunt, adeptamque ſervaverunt. Colantur ut voluerint, ludos expoſcant quales voluerint, quos cum ſuis vel de ſuis poſſint habere cultoribus: tantum efficiant, ut huic fœlicitati nihil ab hoſte, nihil à peſte, nihil ab ulla clade timeatur. Quis hanc remp. ſanus, non dicam Romano imperio, ſed b domui ν Sardanapali comparaverit? qui quondam rex ita fuit voluptatibus deditus, ξ ut in ſepulchro ſuo ſcribi fecerit, ea ſola ſe habere mortuum, quæ libido ejus etiam cùm viveret, hauriendo conſumpſerat: quem regem iſti ſi haberent ſibi in talibus indulgentem, nec in eis cuiquam ulla ſeveritate adverſantem, huic libentius quàm Romani veteres Romulo templum & flaminem conſecrarent.

L. Vives. Salutiones Romæ

a SAltationes undique.] *In codice Brugenſi eſt, Salutationes, in Colonienſi erat, Salutationes, ſed abraſum eſt u. Studium certè ſalutandi magnum erat Romæ, & inter magnos honores erat ſalutari, inter præcipua verò officia ſalutare. Utrumque res erat mirè plauſibilis & popularis, multumque faciebat ad potentiam. Saluſtius in Jugurt. Certè quibus magna induſtria videtur ſalutare plebem. De ſalutationibus pleni ſunt omnium Latinorum libri.*

b Do-

b Domui Sardanapali.] *Thonos concoleros, Græci Sardanapalum nuncuparunt, rex fuit Aſſyriorum ultimus, ad omne voluptatum genus abjectiſſimus: qui cùm ab Arbace Medo parari adverſum ſe bellum cognovit, prælio fortunam rei tentare ſtatuit: ſed victus muliebris homo & imbellis in aulam refugit, quam ſecum & cum omni gaza regia incendit, multò antea cum voluptatibus dementatus inſaniret, ſuo in ſepulchro tale ut incideretur epitaphium juſſit:* Sardanapalus.

> Καὶ ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ σὺν ἔρωτι
> Τέρπν' ἔπαθον. τὰ δὲ πολλὰ, καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται.

Quos Cicero in 5. Tuſcul. ſic vertit:

> *Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido*
> *Hauſit, at illa jacent multa & præclara relicta.*

Addit idem Cicero: Quid aliud, inquit Ariſtoteles, in bovis, non in regis ſepulchro inſcriberes? hæc habere ſe mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat, quàm fruebatur. Chryſippus ad ſuam Stoicitatem convertit illos verſus. Plura Athenæus lib. 5.

α TAntum floreat copiis referta.] *Hæc quidem ſunt in Repub. neceſſaria, ſed ſi primum cives bonis moribus ſint præditi, alioquin cum M. Tullio 2. Offic. dicere licebit:* parietes urbis modo ſtant, & manent, iique ipſi jam extrema ſcelera metuentes; rem vero publicam penitus amiſimus. P.L. Coq.

β Victoriis glorioſa.] *Verum ut habet Val. lib. 2. cap. 9.* quid prodeſt foris eſſe ſtrenuum, ſi domi male vivitur.

γ Et quid ad nos.] Videlicet ſi fortunam, quæ ex nobis non pendet, proſperam habeat Reſpub. virtutem autem deſerat ac negligat, *ut dicebat Cic. 5. de Repub.* Moderatori Reipub. beata civium vita propoſita eſt, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit.

δ Si divitias quisque ſemper augeat.] *Val. lib. 4. cap. 3.* Ii demum penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile ſteterit, ubi minimum virium, Veneris pecuniæque cupido ſibi vendicaverit. *Salluſt. de Repub. ordinanda ad Cæſarem:* ſæpe jam audivi qui Reges, quæ civitates per opulentiam magna imperia amiſerunt, quæ per virtutem inopes cœperant. *ibidem:* ubi divitiarum cupido invaſit, neque diſciplinæ, neque bonæ artes ſatis pollent. *Minutius Fœlix:* Niſi forte vos decipit, quod Deum neſcientes divitiis affluant, honoribus floreant, polleant poteſtatibus: miſeri in hoc altius tolluntur, ut decidant altius. Hi enim ut victimæ ad ſupplicium ſaginantur, ut hoſtiæ ad pœnam coronantur.

ε Sed largitoribus voluptatum.] *Cyrus non alio conſilio uſus eſt ad reprimendos Lydas, & à rebellione coercendos, quam quod eis arma detraxit, & indulgere laſciviæ, ac omni voluptatum generi permiſit. Herodot. lib. 1. Juſt. lib. 1. Polyænus ſtratag. lib. 7. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13. Eodem conſilio Xerxes iratus Babyloniis ob defectionem, cum eos in ſuam poteſtatem redegiſſet, edicto cavit, uti arma ne deferrent, ſed cauponæ indulgerent, tibiis canerent, ſcorta alerent. Plutarch. in Apophteg. Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap. 13. Nihil eſt enim, quod magis imbelles homines, & degeneres animos reddat.*

ζ Reges non curent, quàm bonis, ſed quam ſubditis regnent.] *Imo illud curandum maxime, ſi velint ſecuri regnare, ubi boni ſint ſubditi. Salluſt. ad Cæſarem:* Plerique rerum potentes perverſe conſulunt, & eo ſe munitiores putant, quo illi, quibus imperitant nequiores fuere. At contra id eniti decet, cum ipſe bonus atque ſtrenuus ſis, ut quam optimis imperites: nam peſſimus quiſque aſperrime rectorem patitur. *Plautus Mil.* facile imperium in bonos. *Polyb. lib. 6.* Ille Reipub. ſtatus ſtabilis & firmus eſt, in quo & privatim ſancte, innoxieque vivitur, & publice juſtitia, ac clementia vigent.

η Non tanquam rectoribus morum, ſed tanquam rerum dominatoribus.] *Apud Tacit. 12. Annal. extat conſilium Clodii Cæſaris ad Mithridatem Regem,* ut non dominationem & ſervos, ſed rectorem & cives cogitaret, clementiamque & juſtitiam capeſſeret. *Homerus Agamemnona vocat* ποιμένα λαῶν, rectorem populorum. *Plato lib. 5. de Repub. principes non vult, ut in aliis civitatibus, in ſua quam optime inſtituere ſe putabat, dici* δεσπότας. i. e. Dominos, *verum* σωτῆρας καὶ ἐπικούρους i. e. ſervatores & auxiliatores.

θ Sed nequiter ac ſerviliter timeant,] *Contrarium illud Plinii libro 8. epiſt.* Male terrore veneratio acquiritur, longeque valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor. *Præclare Salluſt. ad Cæſarem:* Equidem ego cuncta imperia crudelia magis acerba, quam diuturna arbitror, neque quemquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam bellum æternum & anceps gerere, quoniam neque adverſus, neque à tergo, aut lateribus tutus ſis, ſemper in metu, aut periculo agites. *Præclare Ennius, quem refert Cic. 2. Offic.* quem metuunt, oderunt: quem quiſque odit, periiſſe expetit. *Ibidem Cic.* Malus cuſtos diuturnitatis metus, contraque benevolentia fidelis eſt vel ad perpetuitatem. *Pittaci ſcitu digna ſententia:* fœlicem eſſe principem, ſi non illum timeant cives, ſed illi.

ι Abundent publica ſcorta.] *Scorta dicuntur, quæ alterius quam mariti conſuetudine utuntur. Cona. lib. 8. Comment. Juris civilis cap. 13.* In bene ordinatis politiis, maxime quando bonæ naturæ ſunt principes, prohibita. *Vide Gregor. Syntag. juris civilis lib. 10. cap. 2. Apud Athenienſes ea, & ſcortatores infamia, & dignitate adempta damnarunt, quorum lex* τὸν ἡταιρηκότα μὴ πολιτεύεσθαι, Scortatorem ad Reipub. adminiſtrationem non admittendum. *Cujus meminit Demoſth. orat. contra Androtionem. Extat & lex Platonis 8. de legib. adverſus ſcortationes.*

κ Extruantur ampliſſimæ, atque ornatiſſimæ domus.] *Zeno dicebat, ut eſt apud Stobæ. ſerm. 141.* δεῖν τὰς πόλεις κοσμεῖν οὐκ ἀναθήμασιν, ἀλλὰ ταῖς τῶν οἰκούντων ἀρεταῖς, decorandas eſſe urbes non pretioſis ornamentis, ſed inhabitantium virtutibus. Non ob ſumptuoſa ædificia, ſed ob legum virtutem, & civium humanitatem, atque temperantiam magiſtratuum, civitatem fœlicem debere exiſtimari, *ſcribit Dionyſ. Chryſ. orat. 79. Idem & Apollonius Thianeus, apud Philoſtratum lib. 4. cap. 2.*

λ Opipara convivia frequententur.] *Seneca epiſt. 115.* Conviviorum luxuria & veſtium ægræ civitatis indicia ſunt.

μ Ille

u Ille ſit publicus inimicus.] *Alludit ad morem antiquiſſimum perſecutorum Eccleſiæ, qui Chriſtianos omnes in condemnatione inimicos Reipub. aut hoſtes publicæ felicitatis vocabant. Unde in condemnatione Cypriani, quæ extat in fronte illius operum ex antiquiſſimo authore, præſes provinciæ illi dicit* ; Aut morere, aut ſis amicus noſter. *Cui Cyprianus reſpondet*, non poſſum. *qui mos à temporibus Taciti ac etiam Neronis inoluiſſe videtur, ut ex ejuſdem Taciti verbis conſtat, de Chriſtianis loquentis:* Eos non tam convictos criminibus, quam odio in genus humanum. *Teſtis eſt Tertull. in Apologet. cap. 11.* habitos eſſe Chriſtianos omnium ſcelerum reos; deorum, imperatorum, Regum, naturæ totius inimicos. *Eo refer, quod ſcribit lib. 1. de conſenſu Evang. cap. 34.* conqueſtos paganos de fœlicitatis rerum humanarum per Chriſtiana tempora diminutione. Quid eis, *inquit*, minuitur felicitatis niſi quod peſſime, luxurioſeque abutebantur in magnam creatoris injuriam, niſi forte hinc ſunt tempora mala, quod per omnes civitates cadunt theatra caveorum.

x Sed domui Sardana pali.] *Hic trigeſimus ſextus & ultimus Rex Aſſyriorum* Noſconcoluros *dictus Euſebii chronico*, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum, quod nemini ante permiſſum fuerat, præfectus, ipſius Medis præpoſitum nomine Arbaces, cum admitti magna ambitione ægre obtinuiſſet, invenit eum inter ſcortorum greges purpuram collo nentem, & muliebri habitu cum mollitie corporis, & oculorum laſcivia omnes fœminas anteiret, penſa inter virgines partientem: quibus viſis indignatus tali fœminæ tot viros ſubjectos, tractantique lanam, ferrum & arma portantes parere, progreſſus ad ſocios ſuos, quod viderat, refert; negat ſe parere ei poſſe, qui ſe fœminam malit eſſe, quàm virum. Fit conjuratio, bellum Sardanapalo infertur, quo ille audito non ut vir regnum defenſurus, ſed ut mulieres ſolent primo latebras circumſpicere, mox cum paucis, & incompoſitis ad bellum progreditur, victus in Regiam ſe recipit, & exſtructa pyra, ſe & divitias in incendium mittit, hoc ſolo imitatus virum. *Juſtinus lib. 1. plura Athenæus lib. 12. Sardanapalum hunc vult Genebrard. in chronolo. fuiſſe filium Sennacherib, qui temporibus Ezechiæ obſedit Hieroſolyma, & cujus copiæ ſunt ab Angelo deletæ, qui in ſcriptura 4. Reg. 19. dicitur* Aſaradon, *minor filius Sennacheribi, qui fratribus majoribus natu poſt parricidium commiſſum ſugientibus regnum occupavit.*

ξ Ut in ſepulchro ſuo ſcribi fecerit.] *Extant apud Cic. 5. Tuſc.* Hæc habeo quæ edi, quæque exſaturata libido Hauſit, at illa jacent multa, & præclara relicta. *Paulo diverſum elogium Chaldaicis litteris fuiſſe exaratum in ſepulchro Sardanapali, refert Athenæus lib. 12. & Strabo lib. 14.*

CAP. XXI.

Quæ ſententia fuit Ciceronis de Rom. rep.

SEd ſi contemnitur, qui Romanam rempublicam peſſimam ac flagitioſiſſimam dixit: nec curant iſti, quanta morum peſſimorum ac flagitioſorum labe ac dedecore impleatur, ſed tantummodo ut conſiſtat & maneat, audiant eam, non ut Saluſtius narrat, peſſimam ac flagitioſiſſimam factam, ſed ſicut Cicero diſputat, jam tunc prorſus periſſe, & nullam omninò remanſiſſe rempublicam. Indu-

 cit

cit enim Scipionem, eum ipſum, qui Carthaginem extinxerat, de republica diſputantem, *a* quando præſentiebatur ea corruptione, quam deſcribit Saluſtius, jam jamque peritura. *b* Eo quippe tempore diſputabatur, *α* quo jam unus Gracchorum occiſus fuit, à quo ſcribit ſeditiones graves cœpiſſe Saluſtius. Nam mortis ejus fit in eiſdem libris commemoratio. Cùm autem Scipio in ſecundi libri fine dixiſſet, ut in fidibus ac tibiis atque cantu ipſo ac vocibus, concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, isque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: ſic ex ſummis, & mediis, & infimis interjectis ordinibus ut ſonis, moderata ratione civitatem conſenſu diſſimillimorum concinere: & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in civitate concordiam: arctiſſimum atque optimum omni in republica vinculum incolumitatis, eamque ſine juſtitia nullo pacto eſſe poſſe: ac deinde cùm aliquantò latius & uberius diſſeruiſſet, quantum prodeſſet juſtitia civitati, quantumque obeſſet ſi abfuiſſet, ſuſcepit *c* deinde Pilus unus eorum, qui diſputationi aderant, & popoſcit, ut hæc ipſa quæſtio diligentius tractaretur, ac de juſtitia plura dicerentur, propter illud, quod jam vulgò ferebatur, *d β* Rempublicam regi ſine injuria non poſſe. Hanc proinde quæſtionem diſcutiendam & enodandam eſſe, aſſenſus eſt Scipio: reſponditque, nihil eſſe, quod adhuc de republica putaret dictum, & quò poſſent longius progredi, niſi eſſet confirmatum, non modò falſum eſſe illud, ſine injuria non poſſe: ſed hoc veriſſimum eſſe, ſine ſumma juſtitia rempublicam regi non poſſe. Cujus quæſtionis explicatio cùm in diem conſequentem dilata eſſet, in tertio libro magna conflictatione res acta eſt. *γ* Suſcepit enim Pilus ipſe diſputationem eorum, qui ſentirent ſine injuſtitia regi non poſſe rempublicam, *δ* purgans ſe præcipuè, ne hoc ipſe ſentire crederetur. Egitque ſedulò pro injuſtitia contrà juſtitiam, ut hanc eſſe utilem reipublicæ, illam verò inutilem veriſimilibus rationibus & exemplis velut conaretur oſtendere. *e ε* Tum Lælius rogantibus omnibus, juſtitiam defendere aggreſſus, aſſeruit quantum potuit, nihil tam inimicum quàm injuſtitiam civitati, nec omninò niſi magna juſtitia geri aut ſtare poſſe rempublicam. Quâ quæſtione quantum ſatis viſum eſt pertractata, Scipio ad intermiſſa revertitur, recolitque ſuam atque commendat brevem reipublicæ definitionem, qua dixerat, eam eſſe rem populi. Populum autem non omnem cœtum multitudinis, ſed cœtum juris conſenſu & utilitatis communione ſociatum eſſe determinat. Docet deinde *f ζ* quanta ſit in diſputando definitionis utilitas, atque ex illis ſuis definitionibus colligit tunc eſſe rempublicam, id eſt, rem populi, cùm bene ac juſtè geritur, *g η* ſive ab uno rege, ſive à paucis optimatibus, ſive ab univerſo populo. Cùm verò injuſtus eſt rex, *h ϑ* quem tyrannum more Græco appellavit: aut injuſti optimates, *ι* quorum conſenſum *i* dixit eſſe factionem: *κ* aut injuſtus ipſe populus, cui nomen uſitatum non reperit, niſi ut etiam ipſum tyrannum vocaret, non jam vitioſam, ſicut pridie fuerat diſputatum, ſed ſicut ratio ex illis definitionibus connexa docuiſſet, omnino nullam eſſe rempublicam: *λ* quoniam

niam non eſſet res populi, cùm tyrannus eam factione capeſſeret, nec ipſe populus jam populus eſſet, ſi eſſet injuſtus, quoniam non eſſet multitudo, juris conſenſu & utilitatis communione ſociata, ſicut populus fuerat definitus. Quando ergo respub. Romana talis erat, qualem illam deſcripſit Saluſtius, non jam peſſima ac flagitioſiſſima, ſicut ipſe ait, ſed omnino nulla erat: ſecundum iſtam rationem, quam diſputatio de rep. *k* *μ* inter magnos ejus tum principes habita patefecit. Sicut etiam ipſe Tullius non Scipionis, nec cujusquam alterius, ſed ſuo ſermone loquens in principio quinti libri demonſtravit, commemorato prius *l* Ennii poetæ verſu, quo dixerat:

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſque.

Quem quidem ille verſum, inquit, vel brevitate vel veritate tanquam ex oraculo mihi quodam eſſe *m* effatus videtur. nam neque viri, niſi ita morata civitas fuiſſet, neque mores, niſi hi viri præfuiſſent, *ν* aut fundare, aut tam diu tenere potuiſſent tantam & tam juſtè latèque imperantem remp. Itaque ante noſtram memoriam, & mos ipſe patrius præſtantes viros adhibebat, & veterum morem ac majorum inſtituta retinebant excellentes viri. Noſtra verò ætas cum remp. ſicut picturam accepiſſet egregiam, ſed evaneſcentem vetuſtate, non modò eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renovare neglexit, ſed ne id quidem curavit, ut formam ſaltem ejus & *n* extrema tanquam lineamenta ſervaret. *ξ* Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit, rem ſtare Romanam, quos ita oblivione obſoletos videmus, ut non modò non colantur, ſed etiam ignorentur? Nam de viris quid dicam? Mores enim ipſi interierunt *o* virorum penuria, cujus tanti mali non modò reddenda ratio nobis, ſed etiam tanquam reis capitis quodammodo dicenda cauſa eſt. Noſtris enim vitiis, non caſu aliquo *o* remp. verbo retinemus, re ipſa verò jam pridem amiſimus. Hæc Cicero fatebatur *p* *π* longè quidem poſt mortem Africani, quem in ſuis libris fecit de repub. diſputare, adhuc tamen *q* *ϱ* ante adventum Chriſti. Quæ ſi *r* *σ* diffamata & prævaleſcente religione Chriſtiana ſentirentur atque dicerentur, quis non iſtorum ea Chriſtianis imputanda eſſe cenſeret? Quamobrem cur non curarunt Dii eorum, ne tunc periret atque amitteretur illa resp. quam Cicero longè antequam Chriſtus in carne veniſſet, tam lugubriter deplorat amiſſam? Viderint laudatores ejus, etiam illis antiquis viris & moribus qualis fuerit, utrum in ea viguerit vera juſtitia: an fortè nec tunc fuerit viva moribus, ſed picta coloribus. Quod & ipſe Cicero neſciens, cum eam præferret, expreſſit: ſed aliàs, ſi Deus voluerit, † hæc videbimus. Enitar enim ſuo loco, ut oſtendam ſecundum definitiones ipſius Ciceronis, quibus quid ſit respublica, & quid ſit populus, loquente Scipione breviter poſuit, atteſtantibus etiam multis, ſive ipſius, ſive eorum, quos loqui fecit in eadem diſputatione ſententiis, nunquam illam fuiſſe rempublicam, *τ* quia nunquam in ea fuit vera juſtitia. Secundùm probabiliores autem definitiones, & pro ſuo modo quædam respublica fuit: & melius ab antiquioribus Romanis, quàm à poſterioribus adminiſtrata eſt. Vera autem juſtitia non eſt, niſi in ea republica, cujus conditor rectorque Chriſtus eſt: *υ* ſi & ipſam rempu- al. hoc.

blicam placet dicere, quoniam eam rem populi eſſe negare non poſſumus. *f* Si autem hoc nomen, quod alibi aliter vulgatum eſt, ab uſu noſtræ locutionis eſt fortè remotius, in ea certè civitate eſt vera juſtitia, de qua Scriptura ſancta dicit:

Pſal. 86. *Glorioſa de te dicta ſunt civitas Dei.*

L. Vives. *a* QUando præſciebatur.] *Hunc locum ſic lego: Quando præſentiebat ea corruptione, quam deſcribit Saluſtius, jamjam perituram.*

Tiberius Gracchus. *b* Eo quippe tempore.] *Cùm Tiberius Gracchus adverſa & perculſa nobilitate legem agrariam trib. pleb. tuliſſet, velletq́; ſibi tribunatum continuari, quo & tutior ab injuria divitum eſſet, & cœpta perficeret, ne quis plura quàm quingena agri jugera poſſideret, à Scipione Naſica ſequente ſenatu fuſtibus occiſus eſt, corpusque ejus in Tiberim projectum, Scipione Africano, de quo hîc loquitur, bellum ad Numantiam gerente: qui introducitur à Cicerone in hortis ſuis cum Lælio & Furio diſputans de repub. paucis diebus antequam mortem obiret: occiſus ut creditur, opera C. Gracchi, Tiberii fratris & Semproniæ Gracchorum ſororis, quam Scipio habebat uxorem.*

Scipionis Æmiliani mors.

Legati Athenienſes tres doctiſſimi. *c* Deinde Pilus.] *Cùm inter ſecundum & tertium Punicum bellum Athenienſes Romam legatos miſiſſent Carneadem Academicum, & Critolaum Peripateticum, & Diogenem Stoicum, tres nobiliſſ. illius ætatis philoſophos, Carneades vel exercendi ſui, vel oſtentandi ingenii gratia, pro juſtitia elegantem & acutam habuit orationem, Catone priſco, Galba & aliis plerisque principibus viris præſentibus: poſtridie pro injuſtitia oravit eisdem audientibus: diluitque omnia pridiana argumenta, aliaque attulit pro injuſtitia fortiora, quod fecit ex more ſectæ, cujus inſtitutum eſt nihil ipſos affirmare, tantum confutare aliena, ex hac poſteriore diſputatione decerpſit ſuam L. Furius Pilus, homo qui perbene Latinè loqui putabatur, literatiusque quam cæteri, aggreſſusque eſt accuratiſſ. oratione juſtitiam vituperare, ut eloquentiam Lælii excitaret ad laudes illius virtutis: eadem mente, qua Glauco lib. de repub. Platonis. 2. injuſtitiam laudat, ut Socratem de juſtitia differentem audiret.*

L. Furius Pilus.

Remp. ſine injuria regi non poſſe. *d* Remp. regi ſine injuria non poſſe.] *Vetus eſt illud: Sine juſtitia ne Jovem quidem poſſe principem agere, ut Plutarchus docet in libro de Doc. principum. cumque reſpublica ad ſe ſuamque libertatem tutandam ſæpe cogeretur cum civibus agere iniquè; tum ad augendam potentiam multa contra jus ac bonum patraret, quæ proſperè deinde ſuccedebant, Romani homines antiquum illud dictum inverterunt, dixeruntque, ſine injuria regi rempublicam non poſſe. Iſtud idem attingebat Carneades, ut Lactantius refert, & Romanis quoque ipſis dicebat, qui totius orbis potirentur dominio, ſi juſti velint eſſe, hoc eſt, ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum, & in neceſſitate ac miſeriis jacendum.*

e Tum Lælius.] *Hujus concertationis meminit Cicero in Lælio.*

Definitionis utilitas. *f* Quanta ſit in diſput. d. util.] *Plato, Ariſtoteles, & omnes veteres philoſophi in omni diſputatione à definitione incipiendum eſſe cenſuerunt, & ita tradiderunt. Neque enim facilè de re quapiam diſſeras, ni prius quid ea ſit, poſueris. Rodolphus Agricola in 1. libr. de dialectica inventione. Utilis eſt, inquit, hæc definiendi ratio, cùm propter rerum cognitionem, quæ definitione explicata, mirum eſt, quo pacto velut certum quoddam ſignum deſtinandarum cogitationum proponat animo: cum*

quod

quod parit autoritatem differenti: neque enim rem melius noſcere videtur, quàm qui quid ea ſit, breviter & aptè poſſit explicare. Hæc Agricola, quem hominem laudavit in Proverbiis Eraſmus meritiſſimò: & qui unus exemplo poteſt eſſe, fortunam in omni re dominari, ſicut Saluſtius inquit, eamque res omnes ex libidine magis celebrare obſcurareque quàm ex vero. Vix & hac noſtra, & patrum memoria fuit unus atque alter dignior, qui multum legeretur, multumque in manibus haberetur, quàm Rodolphus Agricola Phryſius. Tantum eſt in ejus operibus ingenii, artis, judicii, gravitatis, dulcedinis, eloquentiæ, eruditionis: at is pauciſſimis noſcitur, vir non minus, qui ut ab omnibus cognoſceretur dignus quàm Politianus, vel Hermolaus Barbarus, quos mea quidem ſententia, & majeſtate & ſuavitate dictionis non æquat modò, ſed etiam vincit. Rodolphus Agricola.

g Sive ab uno rege.] *Triplicem ſpeciem tangit adminiſtrandæ reipub. Nam vel reſp. à populo ipſo regitur: hanc Græci δημοκρατίαν dicunt, id eſt, populi imperium: ſive à paucis, hæc ὀλιγαρχία, id eſt, principatus paucorum, quæ ſub ſe habet ἀριστοκρατίαν, id eſt, optimatum adminiſtrationem. Optimates nobiles appellant: ſed re vera quicunque dignitate & opibus plurimum in repub. poſſunt, ii ſunt optimates. Idcirco ὀλιγαρχία non multum videtur ab ἀριστοκρατίᾳ differre: quod & Cicero ſignificat, cùm ſecundam partem dicit paucorum optimatum. Tametſi paulò diverſius idem de optimatibus pro Seſtio, cauſæ videlicet inſerviens, ut ſolet. Regitur civitas interdum ab uno, ea eſt μοναρχία principatus unius.* Regimen civitatum triplex. Optimates.

h Quem tyrannum.] *Olim veteres reges omnes principesque etiam juſtiſſimos tyrannos appellabant, ut apud Verg. & Horatium, nam & ipſum nomen, quod Græcorum eſt, principatum tantummodo ſignificat. Plato: qui unus rectè adminiſtrat civitatem, vocatur τύραννος καὶ βασιλεὺς, tyrannus & rex. Feſtus lib. 18. tyrannos dictos putat à Thyrrenorum præcipua crudelitate. Sed illinc puto potius, quod introducto ab Athenienſibus populari adminiſtratione, & eos multis poſtea civitatibus æmulatis cœpit tyranni nomen in odium adduci. Et tyranni vocati ſunt, qui ſuis commodis imperarent, non publicis: tum & à Romanis iſtud profectum, apud quos ingens fuit odium regis regnique, ſed & in Græcia quisquis in civitate dominabatur, quæ ſoleret eſſe libera, tyrannus dicebatur, non rex.* Tyrannus.

i Dixit eſſe factionem.] *Memmius de optimatibus loquens apud Saluſtium: Metum à ſcelere ſuo ad ignaviam veſtram tranſtulere, quos omnes eadem cupere, eadem odiſſe, eadem metuere in unum coegit: ſed hæc inter bonos amicitia, inter malos factio eſt.*

k Inter magnos ejus principes.] *Finguntur ſermoni illi interfuiſſe Scipio Africanus, C. Lælius, qui cognominatus eſt Sapiens. L. Furius, tres per idem tempus, ut ait Porcius, qui agitabant nobiles: tum etiam juvenes C. Fannius, Q. Scævola augur, gener Lælii, Q. Tubero ex clariſſimis familiis.* Amicitia. Factio.

l Ennii poetæ.] *Hujus præter fragmenta quædam, quæ ex variis antiquis ſcriptoribus colligere, & in unum velut corpus diſperſa redigere, in animo habeo, nihil extat. Rudiis natus eſt, ut Mela & Sylius ſunt autores, quæ urbs eſt Salentinorum, Taren-* Ennius.

venti primùm, dehinc Romæ familiariter vixit cum Catone, Galba, Flaminio, & aliis principibus, donatus civitate ab eodem Flaminio.

m Effatus.] *Aptiſſimo uſus eſt verbo religionum.*

n Extrema tanquam lineamenta.] *Similitudo à pictoribus deducta, qui primùm picturam lineis ſolis deſcribunt, quæ dicitur monogramma: deinde colorem addunt, & velut ſpiritum ac vitam corpori mortuo tribuunt.*

o Virorum penuria.] *Idem Saluſtius in Catilina dicit, remp. tanquam effœtam jam olim, nullum clarum virum producere.*

p Longè quidem.] *Annos circiter ſeptuaginta.*

q Ante adventum Chriſti.] *Annos ſexaginta: tot enim ſunt à Cicerone Cos. quo anno ipſe libros de repub. ſcripſit, ad quadragesimum ſecundum annum imperii Auguſti, quo natus eſt Chriſtus.*

Diffa-mare. *r* Diffamata.] *Fama extenſa, divulgata. In hoc ſenſu & alii utuntur. Apulejus 4. Aſini: Et ſalutis communis admonens diffamat incendio repentino domum ſuam
„ poſſideri.*(Illud eſt lepidum, quod Remigius interpres Epiſtolarum Pauli, in Epiſtola
„ priore ad Theſſal. ubi interpres verterat: A vobis diffamatus eſt ſermo Domini, dicit
„ pro manifeſto & divulgato Paulum parum de verborum proprietate ſolicitum diffa-
„ matum dixiſſe. Quid facias principibus iſtis ſcholarum, qui nondum ſciunt, Paulum
„ non Latinè, ſed Græcè ſcripſiſſe? Tum etiam nimis eſt arrogans homines ignorantiſ-
„ ſimos hujus rationis loquendi, toties de ſignificantibus vocabulorum ineptè diſputare
„ & ineptius definire: quod paſſim in dialectica & philoſophia faciunt, cùm nihil mi-
„ nus videri velint quam grammatici, & indigniſſimè ferant, ſi quis paulò literatior de
„ vocabulis in hiſce artibus vel meminerit.*)*

s Si autem hoc nomen.] *An hoc dicit, quia reſpub. popularis eſt civitas, ubi populus imperat, regnum Chriſti unius eſt?*

F.L.Cap. *a* QUo jam unus Gracchorum occiſus fuit.] *Tiberium Gracchum intelligit, quod ferret agrarias leges iniquas,* ſtatum omnium, *ait Vellejus,* concutientes, *quæ agros jam diu poſſeſſos, alienos venditos, in dotem datos, iterum vindicabat in publicum, & auferebat dominis priſcis: pollicitus eſſet præterea toti Italiæ civitatem, & in præruptum atque anceps periculum Rempub. adduxiſſet. Eum interfecit P. Scipio Naſica, ejus qui optimus vir à Senatu judicatus erat nepos, ejus qui Cenſor porticus in Capitolio fecerat, filius, pronepos autem Cn. Scipionis celeberrimi viri P. Africani patrui: privatusque & rogatus cum eſſet conſobrinus Tiberius Gracchi, patriam cognationi præferens, & quicquid publice ſalutare non eſſet, privatim alienum exiſtimans, ex ſuperioris parte Capitolii ſummis gradibus inſiſtens, hortatus eſt, qui ſalvam vellent Rempub. ſeſe ſequerentur. Tum optimates, Senatus, atque equeſtris ordinis pars melior, & major & intacta conſiliis pernitioſis, plebs irruere in Gracchum ſtantem in area cum catervis ſuis, & concientem fere totius Italiæ frequentiam, is fugiens decurrensque clivo Capitolino fragmine ſubſellii ictus, vitam, quam glorioſiſſime degere potuerat, immatura morte finivit. vide infra lib. 3. cap. 24. Interfectus eſt anno V. C. 621. P. Mutio Scævola, L. Calphurnio Piſone Coſſ. ad annum primum Olymp. 162. quo anno Scipio Numantiam excidit.*

β Rempub. regi ſine injuria non poſſe.] *Eandem quæſtionem fuſe Plato retractaverat lib. 1. & 2. de Repub. ubi inducit Glauconem injuſtitiæ patronum, contra quem Socrates juſtitiæ cauſam agit. Ad cujus imitationem Cic. ſuos libros de Repub. conſcripſit: quamvis apertam injuſtitiam damnent omnes, nonnulli tamen palliatam & exiguam in Repub. admittunt. Jaſoni Theſſalo tribuit Plutarchus in politicis* ὡς ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ τοὺς βουλομένους τὰ μέγιστα δικαιοπραγεῖν *id eſt*, neceſſarium eſſe in parvis à juſtitia abire, qui ſalvam eam velint in magnis. *Ad eundem modum Seneca Hip.* Honeſta quædam ſcelera ſucceſſus facit. *& in Hercul. furente:* Proſperum ac fœlix ſcelus virtus vocatur. *Democritus apud Stobæum ſerm. 152. dicebat:* ἀμηχανὴ τῷ νῦν καθεστῶτι ῥυθμῷ μὴ οὐκ ἀδικεῖν τοὺς ἄρχοντας ἢν καὶ πάνυ ἀγαθοὶ ἔωσι: fieri non poſſe, ut eſt præſens Reipub. ſtatus, quin etiam optimi principes aliquid inique agant. *Ariſt. lib. 5. politi. cap. 11. cenſet*, principem oportere διακεῖσθαι κτ̄ τὸ ἦθος ἤτοι καλῶς πρὸς ἀρετὴν ἢ ἡμίχρηστον ὄντα καὶ μὴ πονηρὸν ἀλλ' ἡμιπόνηρον. moribus talem eſſe, ut aut plane bonus ſit, aut ſemibonus, nec malus omnino, ſed ſemimalus. *Eo genio ſunt principes, qui magis quid utile ſit, quàm quid juſtum, & honeſtum, & virtuti conſentaneum conſiderant, & utilitatis ſolint ut plurimum rationem habent, & in ea opinione hi videntur, quos politicos dicimus: non poſſe Rempubl. ſine injuria aliqua, aut injuſtitia adminiſtrari, ut ſi quid utile ſe offerat, quod alias minus juſtum ſit & honeſtum, perſequantur, & ſectentur magis quod utile, quam quod honeſtum videtur.*

γ Suſcepit enim Pilus ipſe diſputationem.] *Vide & apud Lactant. lib. 5. cap. 17. & 18. diſputationem Carneadis contra Juſtitiam, cujus ſumma hæc fuit: Jura ſibi homines finxiſſe pro moribus varia: & apud eoſdem pro temporibus ſæpe mutata; jus autem naturale eſſe nullum, omnes & homines, & alias animantes ad utilitates ſuas natura ducente ferri, proinde aut nullam eſſe juſtitiam, aut ſi ſit aliqua, ſummam eſſe ſtultitiam, quoniam ſibi noceret alienis commodis conſulens. Inferebat hæc argumenta: omnibus populis, qui florerent imperio, & Romanis quoque ipſis, qui totius orbis potirentur, ſi juſti velint eſſe, hoc eſt ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum, & in neceſſitate, ac miſeriis jacendum. Alia ibidem argumenta vide contra juſtitiam. Quam ergo defenſionem ac diſputationem pro injuria Carneades, eandem apud Cic. L. Furius Pilus inſtituit. Argumenta Carneadis vocat Lactantius* arguta ac venenata. *Refert Plutarch. in Catone Cenſorio, Catonem diſputationem illam Carneadis pro juſtitia & injuſtitia graviter tuliſſe: judicabat enim vir prudens, nihil eſſe in Repub. pernicioſius, quam de juſto, & injuſto nullam certam, conſtantemque haberi ſententiam.*

δ Purgans ſe præcipue, ne hoc ipſe ſentire crederetur.] *Nam nec ipſe Carneades diſputans pro injuſtitia, per injuſtitiam cenſuit Rempubl. debere adminiſtrari: ut Academicus enim in utramque partem diſſerebat. Quintil. lib. 12. cap. 1.* Neque enim Academici cum in utramque partem diſſerant, non ſecundum alteram vivant: neque Carneades ille, qui Romæ audiente Cenſorio Catone non majoribus viribus contra juſtitiam dicitur diſſeruiſſe, quàm pridie pro juſtitia dixerat, injuſtus ipſe vir fuit. *Eſt vero hæc purgatio, imitatio Platonis initio lib. 2. de Repub.*

πολὺ γὰρ ἀμείνων ἄρα ὁ τοῦ ἀδίκου ἢ ὁ τοῦ δικαίου βίος ὥς λέγουσι, ἐπεὶ ἔμοιγε, ὦ Σώκρατες, ἔτι οὐ δοκεῖ οὕτως.

ε Tum Lælius.] *Lactant. loco citato: cum faciat Lælium Furio reſpondentem, proque juſtitia differentem irrefutata hæc tanquam foveam prætergreſſus eſt.*

ζ Quanta ſit in determinando definitionis utilitas.] *Non facile de re aliqua diſſerueris, niſi prius quid ipſa ſit intellexeris. Ita Plato, Ariſt. & alii, quoties de re aliqua diſputationem inſtituunt, prius illius definitionem inquirunt. Cic. 1. Offic.* omnis, quæ à ratione ſuſcipitur de re aliqua diſputatio, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur.

η Sive ab uno Rege] *Triplicem Reipub. adminiſtrandæ rationem tangit: aut enim regitur ab* uno, *ut eſt* monarchia, *aut à* multis, *nimirum ab* Optimatibus, *eſtque* Ariſtocratia; *aut ab* omnibus, *& eſt* Democratia. *Plato in politic. & Ariſt. lib. 3. politic. cap. 5. & lib. 8. & hic cap. 10. Enumerat ejuſmodi triplicem Reipub. ſtatum.*

θ Quem Tyrannum more Græco.] *Hæc vox (*tyrannus*) nondum erat in uſu tempore Homeri, qui omnium immaniſſimum* Echetem Regem *vocat, non* tyrannum, ὀδύσσ. Σ. εἰς Ἔχετον βασιλῆα βροτῶν δηλήμονα. *Et quod recens ſit nomen, inde conſtat, quod nec Homerus, nec Heſiodus, nec alius veterum quiſquam eam vocem uſurpavit.* Monarchiæ *ſeu regno legitimo opponitur* tyrannis, quæ eſt violentum unius imperium præter leges & mores. *Antiquis id nomen honoriſicum fuit, & omnes Reges, ac principes* tyrannos *vocabant. Et apud Sophoclem paſſim, & alios pro juſto & legitimo Rege uſurpatur. Etymolog.* τύραννον οἱ ἀρχαῖοι καὶ ἐπὶ βασιλέως ἔταξαν, ἐσθ' ὅτε καὶ τοὺς τυράννους βασιλέα ἔλεγον. *Et apud Iſocrat. in Evagora ſumitur* tyrannis *pro regno:* ὣν γὰρ πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν τυραννίδα καὶ τῶν θείων ἀγαθῶν, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων μέγιστον καὶ σεμνότατον. *Et Ariſtoph. in Nubibus Jovem vocat* θεῶν τύραννον, deorum Regem. *Sed nunc male ſonat* τύραννος ὁ βιαίως μοναρχήσας, *ut* βασιλεὺς ὁ ἐννόμως καὶ δικαίως κρατῶν. *Apud Ariſtotelem; is tyrannus qui privatis commodis ſtudet: Rex vero qui Reipub. & ſubditorum commoda in primis quærit, lib. 3. & 4. politic. & lib. 8. cap. 10.* ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων. *Seneca lib. 1. de clement. ita diſcernit utrumque,* quod alter arma habet, quibus in munimentum pacis utitur, alter ut magno timore magna odia compeſcat. *Plato lib. 9. de Repub. oſtendit tyranni vitam eſſe inſuaviſſimam, Regis vero ſuaviſſimam & jucundiſſimam.* Tyrannus *vero duplex eſt, vel qui injuſte Rempub. invadit, ac vi imperio potitur, vel qui legitime quidem, aut electione, aut ſucceſſione imperium adeptus eſt, contra leges tamen ſubditis dominatur.*

ι Quorum conſenſum dixit eſſe factiones.] Factio, & factioſus *(ait Feſtus Pompejus) honeſta vocabula erant, unde adhuc* factiones hiſtrionum & quadrigariorum, *modo autem nomine factionis ſeditio & arma vocantur. Nonius Marcell.* factio *dicitur* malorum conſenſus & conſpiratio. *Salluſt. bello Jugurthino* inter bonos amicitia, inter malos factio. *hinc* factionum duces, *lib. 16. D. de appellat. De factione plura Lipſius lib. 6. politic. cap. 3. eam nominat* paucorum, aut plurium inter ſe coitionem, & cum aliis diſſenſum. *Hoc nomine hic intelligit fortaſſe* ὀλιγαρχίαν, *ut vocat Ariſt. 3. politic.* πρὸς τὸ συμφέρον τῶν εὐπόρων *ad divitum utilitatem:*

tem: Eſt enim vitium oppoſitum ipſi Ariſtocratiæ, quando ipſi optimates juſte ac legitime imperant, & referunt omnia ad utilitatem publicam; ὀλιγαρχία vero, quando ad paucorum utilitatem.

κ Aut injuſtus ipſe populus, cui nomen uſitatum non reperit.] *Δημοκρατίαν vocat Ariſt. 3. polit. cap. 7. παρεκβάσεις, inquit, τυραννὶς μὲν βασιλείας, ὀλιγαρχία δ' ἀριστοκρατίας, δημοκρατία δὲ πολιτείας, id eſt*, depravationes tyrannis quidem regni, dominatio paucorum poteſtatis optimorum, *ſtatus populi Reipub. Græce ὀχλοκρατία.*

λ Quoniam non eſſet multitudo juris conſenſu.] *Quemadmodum Ariſt. 3. polit. cap. 9. civitatem eſſe non vult ſolam communionem loci, neque conſenſum, ne ſe injuriis afficiant: neque conſtare permutationis gratia, licet hæc adeſſe debeant, ſi futura ſit civitas. ἀλλ' ἡ τοῦ εὖ ζῆν κοινωνία, καὶ ταῖς οἰκίαις, καὶ τοῖς γένεσι ζωῆς τελείας χάριν καὶ αὐτάρκους. Ita præclare Cic. non vult* Rempub. eſſe ſolam multitudinem populi, ſed eam demum, quæ juris conſenſu, & utilitatis communione ſit ſociata. *Ex qua definitione infert D. Auguſt. jam tum nullam fuiſſe Romanam Rempub. cum ex* optima, *ut conquerebatur Salluſtius*, flagitioſiſſima effecta eſſet. *quodque de civitate ibidem dixit Ariſt. ὅτι δεῖ περὶ ἀρετῆς ἐπιμελὲς εἶναι τῇ γε ὡς ἀληθῶς ὀνομαζομένῃ πόλει, μὴ λόγου χάριν*; oportere curam habere virtutis illam, quæ non verbo tenus, ſed reipſa futura ſit civitas. *Idem de Repub. ipſa dicendum.*

μ Inter magnos princeps.] *Inducit enim in ea diſputatione Cic. Scipionem Africanum minorem, C. Lælium, C. Furium Pilum.*

ν Aut fundare, aut tamdiu tenere.] *Non tam armis & robore bellico, quam bonis moribus propagatam eſſe Rempub. ſcribit Salluſt. in conjurat. Catil.* Nolite exiſtimare, majores noſtros armis Rempub. ex parva magnam feciſſe: ſi enim ita res eſſet, multo pulcherrimam eam nos haberemus, quippe ſociorum, atque civium, præterea armorum atque equorum major nobis copia, quàm illis: ſed alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla ſunt; domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius: pro his nos habemus luxuriam, atque avaritiam; publice egeſtatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, ſequimur inertiam; inter bonos, & malos nullum diſcrimen eſt, omnia virtutis præmia ambitio poſſidet.

ξ Quid enim manet ex antiquis moribus.] *Quidam Romanus circa ævum Ciceronis dicebat*, mores veterum Romanorum fragrantiſſimos fuiſſe, veſtimenta autem nil niſi allium redoluiſſe; novorum autem veſtimenta quidem velut ambroſium ſpiraſſe odorem, mores vero allium redoluiſſe. *Quod tamen nec verum unquam fuit, ſed vitium commune hominum præteritam ætatem laudantium, non judicio aliquo, ſed ægritudine animi qui præſentibus ſemper moroſo offenſi.*

ο Rempub. verbo retinemus, re ipſa vero.] *Quod idem fatetur 2. offic.* parietes urbis ſtant, Rem vero publicam penitus amiſimus.

π Longe quidem poſt mortem Africani.] *Mortuus eſt hic Scipio Africanus poſt duos conſulatus, & duos triumphos, & duos excisos terrores Reipubl. Numantiam & Carthaginem, anno ab V. C. 624. C. Sempronio, & M. Aquilio Coſſ. Cic. vero hos*

de Republ. libros conſul ipſe ſcripſit; teſtatur enim 2. de divinat. ſe libros de Repub. ſcripſiſſe, cum gubernacula Reipub. teneb.it. anni interceſſere circiter 70.

ς Ante adventum Chriſti.] *A conſulatu Ciceronis ad Chriſti adventum interceſſere anni 60.*

σ Diffamata.] Id eſt promulgata per orbem. *infra lib. 3. tam grandi gloria diffamari, ſumitur in bonam partem.*

τ Quia nunquam in ea fuit vera juſtitia.] *Lib. 4. contra Julian. cap. 3. contendit neque veras virtutes, neque veram juſtitiam fuiſſe in antiquis illis Romanis, neque in philoſophis:* Abſit, *inquit,* ut ſit in aliquo vera virtus niſi fuerit juſtus, abſit autem ut ſit juſtus vere, niſi vivat ex fide, juſtus enim ex fide vivit; quis porro eorum, qui ſe Chriſtianos haberi volunt, juſtum dixerit infidelem, juſtum dixerit impium, juſtum dixerit diabolo mancipatum? Sit licet ille Fabritius, ſit licet Scipio, ſit licet Regulus, &c. Ac deinceps de Pythagora, & Platone nobiliſſimis philoſophorum: nec enim in iſtis, *inquit,* eſt vera juſtitia, quia juſtus ex fide vivit, fides ex auditu, auditus per verbum Chriſti, finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti. Quo modo ſunt verè juſti, quibus vilis eſt humilitas veri juſti? quo enim appropinquaverunt intelligentia, inde ſuperbia receſſerunt. *Vide infra lib. 19. c. 25.*

υ Si & ipſam Rempub. placet dicere.] *Neque enim hoc nomen in uſu eſt, vel in ſcripturis ſacris, vel apud patres, ut eſt nomen civitatis, vel regni, vel Eccleſiæ. Deinde Reſpub. ſonat* ſtatum popularem, *cujuſmodi non eſt hac civitas, ſeu Eccleſia Dei, [in qua jure divino unus præeſt, caput viſibile Eccleſiæ viſibilis, militantis in terris, & eſt ſtatus proprie Monarchicus.]*

Cap: XXII.

Quod Diis Romanorum nulla unquam cura fuerit, ne malis moribus reſpub. deperiſſet.

SEd quod pertinet ad præſentem quæſtionem, quamlibet laudabilem dicant iſtam fuiſſe, vel eſſe rempub. ſecundum eorum doctiſſimos autores, jam longè ante Chriſti adventum peſſima ac flagitioſiſſima facta erat: imò verò nulla erat, atque omnino perierat perditiſſimis moribus: ut ergo non periret, Dii cuſtodes ejus populo cultori ſuo *α* dare præcipuè vitæ ac morum præcepta debuerunt, à quo tot templis, tot ſacerdotibus, & ſacrificiorum generibus, tam multiplicibus variiſque ſacris, tot feſtis ſolennitatibus, tot tantorúmque ludorum celebritatibus colebantur, ubi nihil dæmones niſi negotium ſuum egerunt: non curantes quemadmodum illi viverent, imò curantes ut etiam perditè viverent, dum tamen honori ſuo illa omnia metu ſubditi miniſtrarent. Aut ſi dederunt, proferatur, oſtendatur & legatur, quas Deorum leges illi civitati datas contempſerint *a* β Gracchi, ut ſeditionibus cuncta turbarent: quas *b* Marius, & *c* Cinna, & *d* Cato, ut in bella etiam progrederentur civilia, *e* γ cauſis iniquiſſimis ſuſcepta, & crudeliter geſta, crudeliúsque finita: *f* quas denique δ Sylla ipſe, cujus vitam, mores, facta deſcribente Saluſtio, aliiſque hiſtoriæ ſcriptoribus, quis non exhorreat? Quis illam remp. *g* non tunc periiſſe fateatur? An fortè

pro-

propter hujuscemodi civium mores Vergilianam illam ſententiam, ſicut ſolent, pro defenſione ſuorum Deorum opponere audebunt,

e h Diſceſſere omnes adytis : arisque relictis
Dii quibus imperium hoc ſteterat.

Primum ſi ita eſt, non habent cur querantur de religione Chriſtiana, quòd hac offenſi eos Dii ſui deſeruerint, quoniam quidem majores eorum jampridem moribus ſuis ab urbis altaribus tam multos ac minutos Deos, tanquam muſcas abegerunt. Sed tamen ζ hæc numinum turba ubi erat, cùm longè antequam mores corrumperentur antiqui, *i* a η Gallis Roma capta & incenſa eſt? An præſentes fortè dormiebant? Tunc enim tota urbe in hoſtium poteſtate redacta, θ ſolus collis Capitolinus remanſerat: qui etiam ipſe caperetur, *k* niſi ι ſaltem anſeres κ Diis dormientibus vigilarent. Unde penè *l* in λ ſuperſtitionem Ægyptiorum beſtias avesque colentium, Roma deciderat, *m* cum μ anſeri ſolennia celebrarent. Verùm de his adventitiis, & corporis potius quàm animi malis: quæ vel ab hoſtibus, vel alia clade accidunt, nondum interim diſputo. Nunc ago de labe morum, quibus primùm paulatim decoloratis, deinde torrentis modo præcipitatis, tanta, quamvis integris tectis mœnibusque facta eſt ruina reipublicæ, ut magni autores eorum eam tunc amiſſam non dubitent dicere. Rectè autem abſceſſerant, ut amitteretur omnes adytis, arisque relictis Dii, ſi eorum de bona vita atque juſtitia civitas præcepta contempſerat. Nunc verò quales quæſo Dii fuerunt, ſi noluerunt cum populo cultore ſuo vivere, quem malè viventem non docuerunt benevivere? *Dii morum improbitate abacti.*

a GRacchi.] *T. Graccho, qui bis Coſ. bis triumphalis, cenſor & augur fuit, ex Cornelia minore Africani ſuperioris filia geniti, maxima & admirabili indole juvenes: quorum uterque cùm legem agrariam tueretur, de agris dividundis, ab irritata nobilitate, in tribunatu caſus eſt, Tiberius à Naſica privato, Cajus à L. Opinio conſule novem annis poſt: ille fuſtibus, hic jam ferro: quod fuit primum civile bellum, in quo ad ferrum uſque ventum eſt, anno à Roma condita* DCXXVII. *L. Vives. Gracchi.*

b Marius.] *Hic Arpinas fuit novus homo, ad ſeptimum conſulatum evectus: Jugurtham primùm, deinde Cymbros & Teutonas vicit, deque his omnibus triumphavit: ad extremum invidia & odio L. Syllæ, qui bello Jugurthino legatus ipſius fuerat, bellum civile cum Sylla movit, in quo ipſe Marius eſt victus, & in Africam fugit.* *Marius.*

c Cinna.] *Victo Mario cùm ad bellum Mithridaticum Sylla proficiſceretur, C. Cornelium Cinnam, & Octavium Coſſ. in urbe reliquit. Cinna ſtudio rerum novarum à collega diſſenſit. pulſusque eſt ab eo, & à factione bonorum ex urbe. quam injuriam cum omni genere crudelitatis Cinna vindicare ſtatuiſſet, revocato ex Africa Mario, bellum patriæ fecit: in quam cum magnis copiis ingreſſus, multosque mortales trucidavit. & ſe ſecundùm, Marium verò ſeptimùm conſulem ſine populi ſuffragiis creavit: quo in magiſtratu Marius deceſſit poſt multa fœdè & crudeliter perpetrata.* *Cinna.*

d Carbo.] *Carbones, ut Cicero ad Papyrium Pætum ſcribit, multi fuerunt ex Papyria gente, ſed non illa patritia. Hic, de quo Auguſtinus loquitur, Cneus Papyrius* *Carbo.*

 Car-

Carbo fuit partium Marianarum, qui victus à Sylla, in Siciliam fugit, ibique à Pompejo magno interfectus eſt Lilybæi.

Belli civilis Mariani origo.

e Cauſis iniquiſſimis.] *L. Sylla, & Q. Pompejo Coſſ. Aſia provincia & bellum Mithridaticum Syllæ obvenerat. Hoc ægrè ferebat Marius, propter antiquas cum Sylla ſimultates, jam inde à bello Jugurthino: itaque per P. Sulpitium tribunum pleb. ſeditioſiſſimum & ſceleratiſſimum hominem, efficere conatus eſt, ut populus Mithridaticum bellum ſibi mandaret. Populus tametſi ingenti tumultu trib. ferente ſcivit tandem, ac juſſit. Hanc contumeliam non tulit Sylla, & implorato à ſuo exercitu auxilio, legatos Marii, qui ad accipiendas legiones Capuam iverant, violavit, infeſtasque legiones ad urbem admovit, vim & fraudem inimicorum ulturus. Hinc ſemina bellorum omnium civilium. Nam Marius cum ſua factione in urbe ad Eſquilias occurrit, & juſta acie decertatum atrociter eſt.*

Sylla.

f Quas denique Sylla.] *Fuit hic patritius ex gente Cornelia, cumque ſtrenuam operam bello ſociali navaſſet reip. Coſ. factus eſt. In eo magiſtratu bello civili profligato, victoque deinde Mithridate, & ſuperatis Mario juvene, Carbone, Norbano, Sertorio, Domitio, Scipione, & aliis Marianis, dictaturam perpetuam lege Valeria invaſit, in qua multa milia civium Rom. crudeliſſimè proſcripſit, homo immaniſſimus, & in omnes voluptates projectiſſimæ libidinis.*

g Non tunc periiſſe.] *Lucanus verbis Catonis:*

Olim vera fides Sylla Marioque receptis Libertatis obit.

Evocationes Deorū.

h Diſceſſere omnes adytis.] *Carmen eſt Vergilii, 2. Æneid. quod Servius & Macrobius putant pertinere ad evocationem Deorum. Nam cùm oppugnabantur civitates, eratque in animo Imperatoribus eas demoliri, ne contra Deos geri bellum videretur, iique ſuis ſedibus moveri inviti, quod nefas erat, evocabantur ex obſeſſa civitate ab Imperatore obſidente, ut in urbem victricem volentes migrarent. Sicut Veiis fecit Camillus, & Carthagini atque Numantiæ Scipio, & Mumius Corinthi.*

Roma à Gallis capta.

i A Gallis Roma.] *Galli tranſalpini ſæpe in Italiam migrarunt magna manu: poſtremi eorum fuere Senones: hi Cluſium petierunt, hinc Romam, quam & ceperunt anno ab ea condita CCCLX. ſoline an cæteris Gallis ciſalpinis adjuncti, incertum.*

Anſeres Capitolini.

k Niſi ſaltem anſeres.] *Hiſtoria eſt, & apud hiſtoricos, & apud poetas vulgatiſſima, cùm Galli explorata ad arcem via ſilentio noctis ad eam aſcenderent, obdormiſſentque vigiles, clangore anſerum, qui in Capitolio ſervabantur Junoni ſacri, proditi, Ita M. Manlius correptis armis, quem primum Gallum jam in ſummo conſiſtentem offendit, umbone deturbavit. Hic alios ſecum pondere corporis traxit in ruinam: interea Romani ad tumultum accurrerunt, & Galli magna vi repulſi ſunt.*

Ægyptiorum Dii belluini.

l In ſuperſtitionem Ægyptiorum.] *Hi quaſdam beluas propter utilitatem conſecrarunt, tanquam Deos, ut Cicero in primo de nat. Deorum inquit. Et fuſè Diodorus lib. ſuæ Biblio. 2. velut canem, felem, ibim, bovem, crocodilum, accipitrem, & alia.*

Anſerū apud Rom. honor.

m Cum anſ.] *Propter illud beneficium Romæ quot annis, ut Plutarchus in Fortuna Romanorum ſcribit, dicam Latinè Budæi verbis, quibus enim poſſem elegantius? Canis in crucem ſublatus viſitur, anſerque in eleganti grabatulo, geſtariolove, quàm decen-*

decentiſſimè ſedens. *Plinius libro vigeſimo nono : Eadem de cauſa ſupplicia annua canes pendunt inter ædem Juventutis & Summani, vivi in furcas ſambuceæ arbore fixi. Quin & Cenſores primum omnium, quæ pro magiſtratu faciunt, ſacrorum anſerum cibos locant.*

α DAre præcipue vitæ, ac morum præcepta debuerunt.] *Imo quando Apollo Delphis conſulebatur, de meliori religione ſemper quicquam novi proferre recuſabat. Xenophon in memorandis Socratis lib. 1.* τὰ μὲν τοίνυν πρὸς τοὺς θεοὺς φανερὸς ἦν κ. ποιῶν, κ. λέγων ᾗπερ ἡ πυθία ἀποκρίνεται τοῖς ἐρωτῶσι πῶς δεῖ ποιεῖν ἢ περὶ θυσίας ἢ περὶ προγόνων θεραπείας ἢ περὶ ἄλλου τινὸς τῶν τοιούτων; ἥ τε γὰρ πυθία νόμῳ πόλεως ἀναιρεῖ ποιοῦντας εὐσεβῶς ἂν ποιεῖν, *id eſt*, pietatem adverſus deos palam & re, & verbis eam præ ſe ferebat, quam Pythia reſpondere ſolet interrogantibus qua potiſſimum cerem. & ritu vel ſacra facere, vel majores colere conveniat vel aliquid aliud ſimile agere. Reſpondet enim Pythia, ſi ritu & inſtituto civitatis faciant, pie facturos eſſe. *Cic. 2. de legib.* Cum conſulerent Athenienſes Apollinem Pythium, quas potiſſimum religiones colerent? oraculum edictum eſt, eas quæ eſſent è more majorum. Quo cum iterum veniſſent, majorumque morem dicerent ſæpius eſſe mutatum; quæſiſſentque, quem morem potiſſimum ſequerentur ex variis, reſpondit, optimum, *Ridicula reſponſio, quaſi vero non id potiſſimum quæſiſſent, quinam mos eſſet optimus. Sed λοξίας ille ita dementabat mentes hominum: ut enim ſui divinitatem confirmaret, non aliud quam optimum morem illis ſequendum reſpondit, cum tamen omnes deteſtandi eſſent, ac damnandi.* F.L.c.9.

β Gracchi ut ſeditionibus.] *Tiberius & Cajus ex Cornelia ſorore ſuperioris Africani nati, cum leges Agrarias ferrent iniquas, & pernicioſas Reipub. nobilitatem irritarunt, & uterque in tribunatu cæſus eſt. Tiberius primum à Scipione Naſica privato homine; & decem annis interjectis Cajus à L. Opimio Coſ. & hoc initium in urbe Romana civilis ſanguinis, gladiorumque impunitatis fuit.*

γ Cauſis iniquiſſimis ſuſcepta.] *Hanc cauſam fuiſſe refert Vellejus Paterculus lib. 2.* Quod Pub. Sulpicius Tribunus plebis diſertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus, cum antea rectiſſima voluntate apud populum maximam quæſiſſet dignitatem, quaſi pigeret eum virtutum ſuarum, & bene conſulta ei male cederent, ſubito pravus & præceps C. Mario poſt 70. annum omnia imperia & omnes provincias concupiſcenti addixit, legemque ad populum tulit, qua Syllæ imperium abrogaretur, & C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum, aliasque leges pernicioſas & exitiabiles, neque tolerandas liberæ civitati tulit: quin etiam Q. Pompeji Coſſ. filium, eundemque Syllæ generum per emiſſarios factionis ſuæ interemit. Tum Sylla contracto exercitu ad urbem rediit, eandemque armis occupavit, XII. auctores novarum, peſſimarumque rerum, inter quos Marium cum filio, & Pub. Sulpicio urbe exturbavit, ac lege lata exules fecit. *Iniquam ergo cauſam movendi belli civilis illi habuerunt, Syllæ juſtiſſimam. Et teſtatur Cic. 2. offic.* eum honeſtam cauſam habuiſſe, ſed honeſtam cauſam, *inquit*, ſecuta eſt non honeſta victoria.

δ Sylla ipſe, cujus vitam quis non exhorreat.] *Cic. 3. de finib.* Syllam trium pe-

ſtiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magiſtrum fuiſſe docet. *Plin. lib. 7. cap. 43. Syllam immerito & perperam contendit ſibi Fœlicis nomen aſſumpſiſſe:* Et quibus, *inquit*, fœlicitatis inductus argumentis, quod proſcribere tot millia civium, ac trucidare potuiſſet? O prava interpretatio, & futuro tempore infœlix! non melioris ſortis tunc fuere percuntes, quorum miſeremur hodie; cum Syllam nemo non oderit.

ε Diſceſſere omnes adytis.] *Virg. 2. Æneid. Servius ad eum locum, & poſt eum Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 9. referendos cenſuerunt hos verſus ad veterem quandam Romanorum conſuetudinem, qui cum obſiderent urbem hoſtium, eamque jam capi poſſe confiderent, certo carmine evocarent* tutelares illius deos: *quod aut aliter urbem capi non poſſe crederent, aut etiam ſi poſſet, nefas exiſtimarent, deos habere captivos. Ita Camillus apud Livium lib. 5. in oppugnatione Vejorum evocat* deos tutelares *illius urbis. Et Macrob. dicit, ſe in antiquit. hæc oppida inveniſſe devota Fregellas, Gabios, Vejos, Fidenas, præterea Carthaginem & Corinthum. Propter ergo hujusmodi evocationem ac diſceſſionem numinum ait Virg.* diſceſſere omnes adytis. *Alio reſpexiſſe Virgilium contendunt doctiſſimi viri Muret. lib. 5. variar. lect. cap. 18. & Turneb. lib. 14. Adverſar. cap. 15. reperitur enim in Græcorum commentariis proditum à poëtis antiquis,* cum Troja excidio propinqua eſſet, viſos eſſe deos è ſuis templis ſua exportare ſimulachra. *Et Sophocles in Fab.* ξοανηφόροις *Deos induxit ſuis humeris ſua geſtantes ſimulachra. Sed & Æſchilus Comœdia* ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις *aperte ſcribit, urbes, quæ capiuntur, à ſuis hominum opinione diis deſeri.* ἀλλ' ἐν θεοὺς τοὺς ἁλώσης πόλεως ἐκλείπειν λόγος. *In quem locum Scholiaſtes:* λέγεται γὰρ ὅτι ὅταν ἔμελλε πορθῆσθαι ἡ Τροία ἐφαίνοντο οἱ θεοὶ τοῖς Τρωσὶν ἀπερχόμενοι ἐκ τῶν ναῶν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν. *Ita multis Tyriorũ, cum Tyrum Alexãder obſideret, viſus eſt in ſomnis Apollo dicere, ſe ad Alexandrum abire, non enim ſibi placere, quæ in civitate fierent, nec ita multo poſt capta Tyrus. Plut. in Alexand. Q. Curt. lib. 4.*

ζ Hæc numinum turba ubi erat.] *In illos optime congruit illud Moſis Deuter. 32.* ubi ſunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? ſurgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant. *Eos invocent ut Baalitæ ſuum Baal,* Baal adjuva nos *3. Reg. 18. merito deriſi ab Elia Propheta, in his fidant, ut Syri in diis ſuis, qui æque* in montibus, ac in vallibus poſſunt ſuis victoriam afferre. *Eorum potentiæ imperium ſuum, & tot victorias aſcribant, cum nihil amplius poſſint, quam dii illi, quos Aſſyrii jactant non potuiſſe tot gentes è manibus eorum liberare. Dicat verus Ezechias, id eſt, quilibet fidelis,* vanos eſſe eos deos, & futilia numina. *At unicus eſt Deus Iſrael vivus & verus, cujus nutu reguntur omnia, & cujus providentiæ omnia ſubjiciuntur, & à quo uno civitatum & regnorum ſalus pendet.*

η A Gallis Roma capta, atque incenſa eſt.] *Livius lib. 6. Plutarch. in Camillo, Diodor. lib. 14. Juſtin. lib. 24. Oroſ. lib. 2. cap. 19. Polyb. lib. 1. Strabo lib. 6. Quo anno capta fuerit urbs, non conſentiunt auctores. Plutarchus:* Certum annum urbis captæ invenire difficile eſt, captam autem eſſe poſt annos amplius 360. quam condita eſt. *Cic. 1. de divinat.* Sexennio poſt Vejos captos, Roma à Gallis capta. *Plin. lib. 33. cap. 1. cum Varrone convenit, uterque enim eam captam anno 364. ſcribunt.*

bant. Livius anno 365. Verrius Flaccus in tabulis capitolinis Gellius lib. 15. Annal. & Caſſius Hemina hiſtor. lib. 2. 563. Dionyſ. lib. 1. poſt Reges exactos anno 120. expleto. Salluſt. in conjurat. Gallorum gentem vocat infeſtiſſimam Romano nomini. *In lege, quâ militiæ concedebatur immunitas ſacerdotibus , & natu grandibus excepta ſunt bella Gallica: horum enim tempore nec ſenibus nec ſacratis viris vacatio permittitur. Appian. lib. 2. de bellis civilibus. Livius lib. 8.*

θ Solus collis Capitolinus.] *Eum juventus militaris occupaverat ac munierat, & aliquandiu obſeſſus ab hoſtibus, donec Camilli dictatoris ductu & auſpiciis liberaretur. Septem menſes Gallos Capitolium obſediſſe ex Plutarcho colligi poteſt: Scribit enim, Gallos circa Idus Quinctiles, vel 16. Cal. Auguſti Romam ingreſſos, Idibus vero Februarii à Camillo expulſos fuiſſe.*

ι Niſi ſaltem anſeres.] *Cum Galli explorata ad rupem via vellent aſcendere, & vigiles obdormiſſent, clamore anſerum, qui illic ſacri Junoni alebantur, proditi ſunt. Quidam M. Manlius vir præclarus elato clamore ad locum procurrens manum cujusdam aſcenſuri enſe ſuo amputavit , clypeoque ad pectus eum protendens de rupe præcipitem dedit. Occiſo & altero, qui ſecundus aſcenderat, reliqui ſine mora ad unum aufugerunt: at rupe valde prærupta omnes præcipitati perierunt. Livius lib. 5. Plut. in Camillo. Diodo. lib. 14.*

κ Diis dormientibus.] *Ut Iliad 14. Interim dum Trojani miſere pereant, dicitur* Juppiter dormire. *ſugillat hanc dementiam Romanorum Arnob. lib. 6.*

λ In ſuperſtitionem Ægyptiorum.] *Ægyptios ſupra reliquos mortales gentem fuiſſe ſuperſtitioſiſſimam, conſtat ex ſcriptura Iſai. 9.* Commovebuntur ſimulachra Ægypti. *Apocal. 11. Mundus idololatriæ deditus vocatur Ægyptus. Apud D. Hieron. in vita D. Pauli primi Eremitæ extant iſtæ querulæ voces D. Antonii:* Væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris; Væ tibi civitas meretrix, in quam totius orbis dæmonia confluxerunt. *Cic. 1. de nat. deor. de Ægyptiis:* Firmiores, *inquit,* apud eos videas opiniones eſſe de beſtiis quibusdam, quam apud nos de ſanctiſſimis templis, & ſimulachris deorum. Etenim fana multa exſpoliata, & ſimulachra deorum de locis ſanctiſſimis ablata videmus à noſtris : at vero ne fando quidem auditum eſt, Crocodilum, aut Ibin, aut felem, violatum ab Ægypto. *Et 5. Tuſcul.* Ægyptiorum mentes imbutæ pravitatis erroribus, quamvis carnificinam prius ſubierint, quàm ibin, aut aſpidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent. *De Ægyptiorum prodigioſa ſuperſtitione vide Herodo. lib. 2. Diodor. lib. 1. Strabonem lib. 17. Plinium lib. 8. nat. hiſt. cap. 26. & lib. 19. cap. 6. Juvenalem ſat. 15. ex noſtris Clementem lib. 5. recogni. Euſeb. lib. de præpar. Evang. cap. 1. & lib. 8. cap. 3. lib. 2. de demonſtra. Evang. cap. 1. demonſt. 9. lib. 5. cap. 4. & lib. 9. demonſtr. 2. Julium Firmicum cap. 2. de erroribus propha. relig. Tertull. in Apologet. cap. 24. Minucium in Octav. Athenagoram orat. pro Chriſtianis, Athanaſium orat. contra gentes.*

μ Cum anſeri ſolemnia celebrarent.] *Plinius l. 10. c. 22.* Eſt anſeri vigil cura Capitolio teſtata defenſo, per id tempus canum ſilentio proditis rebus. Quamobrem cibaria anſerum Cenſores in primis locant. *de quo vide Plutarch. in quæſtionibus*

nibus Rom. q. 98. Cic. orat. pro Roſcio. Anſeribus cibaria publice locantur. *Arnob. lib. 6.* Cur anſeribus victum, alimoniamque præbetis.

CAP. XXIII.

Varietates rerum temporalium, non ex favore, aut impugnatione dæmonum, ſed ex veri Dei pendere judicio.

Marii impiiſſimi ſucceſſus.

QUid quod etiam videntur eorum affuiſſe cupiditatibus implendis, & oſtenduntur non præfuiſſe refrenandis? *a* α Qui enim Marium novum hominem & ignobilem, cruentiſſimum autorem bellorum civilium, atque geſtorem, β ut ſepties conſul fieret, adjuverunt, atque ut in ſeptimo ſuo conſulatu moreretur ſenex, γ nec in manus Syllæ futuri mox victoris irrueret: cur non etiam juverunt, δ ut à tantorum ſe compeſceret immanitate facinorum? Si enim ad hæc eum dii eorum non juverunt, non parvum eſt, quod & fatentur etiam, non propitiis diis ſuis poſſe accidere homini iſtam temporalem, quam nimis diligunt, tantam fœlicitatem, & poſſe homines ſicut fuit Marius, ſalute, viribus, opibus, honoribus, dignitate, longævitate cumulari & perfrui, diis iratis: poſſe etiam homines, ſicut fuit Regulus, captivitate, ſervitute, inopia, vigiliis, doloribus excruciari & emori diis amicis. Quod ſi ita eſſe concedunt, *b* compendio, nihil eos prodeſſe, & coli ſuperfluo, confitentur. ε Nam ſi virtutibus animi & probitate vitæ, cujus præmia poſt mortem ſperanda ſunt, magis contraria ut populus diſceret, inſtituerunt: ſi nihil etiam in his tranſeuntibus & temporalibus bonis, vel eis quos oderunt nocent, vel eis quos diligunt proſunt, ut quid coluntur, ut quid tanto ſtudio colendi requiruntur? Cur quia laborioſis triſtibusque temporibus tanquam offenſi abſceſſerint, murmuratur, & propterea Chriſtiana religio convitiis indigniſſimis læditur? Si autem habent in his rebus, vel beneficii, vel maleficii poteſtatem, cur in eis affuerunt peſſimo viro Mario, & optimo viro Regulo defuerunt? An ex hoc ipſi intelliguntur injuſtiſſimi & peſſimi? Quod ſi propterea magis timendi & colendi putantur, neque hoc putentur. Neque enim minus eos invenitur Regulus coluiſſe, quàm Marius. ζ Nec ideo vita peſſima eligenda videatur, quia magis Mario quàm Regulo dii faviſſe exiſtimantur. *c* η Metellus enim Romanorum laudatiſſimus, *d* qui habuit θ quinque filios conſulares, etiam rerum temporalium fœlix fuit, *e* & ι Catilina peſſimus oppreſſus inopia & in bello ſui ſceleris proſtratus infœlix: & veriſſima atque certiſſima fœlicitate præpollent boni Deum colentes, à quo ſolo conferri poteſt. Illa igitur reſpublica malis moribus cùm periret, nihil dii eorum pro dirigendis vel corrigendis egerunt moribus, ne periret, imò depravandis & corrumpendis addiderunt moribus, ut periret. Nec ſeſe bonos fingant, quòd velut offenſi civium iniquitate diſceſſerint. Prorſus ibi erant, produntur, convincuntur, nec ſubvenire præcipiendo, nec latere tacendo potuerunt. *f* κ Omitto quod Marius à miſerantibus Minturnenſibus λ Maricæ deæ in loco ejus commendatus eſt, ut ei omnia proſperaret, & ex ſumma reverſus deſperatione incolumis in Urbem μ duxit crudelem crudelis exercitum. Ubi quam cruenta, quàm incivilis, hoſti-

Lique

liſque immanior ejus victoria fuerit: eos qui ſcripſerũt legãt qui ſcire volunt. Sed hoc, ut dixi, omitto, nec Maricæ neſcio cui tribuo Marii ſanguineam fœlicitatem, ſed occultæ potius providentiæ Dei ad iſtorum ora claudenda, eosque ab erroribus liberandos, qui non ſtudiis agũt, ſed nec hęc prudenter advertunt. Quia etſi aliquid in his rebus dæmones poſſunt, tantum poſſunt, quantum ſecreto omnipotentis arbitrio permittuntur: ne magnipendamus terrenam fœlicitatem, quæ ſicut Mario malis etiam plerunque conceditur, nec eam rurſus quaſi malam arbitremur, cùm ea multos etiam bonos ac pios unius Dei veri cultores, invitis dæmonibus præpolluiſſe videamus: nec eosdem immundiſſimos ſpiritus, vel propter hæc ipſa bona malave terrena propiciandos, aut timendos exiſtimemus. Quia ſicut ipſi mali homines in terra, ſic etiam illi non omnia, quæ volunt facere poſſunt, niſi quantum illius ordinatione ſinuntur, cujus plenè judicia nemo comprehendit, juſtè nemo reprehendit.

a Qui enim Marium.] *Hic ex Africa reverſus ad pileum ſervos evocavit: Colonias, Hoſtiam, Antium, Lavinium, Ariciam crudeliter diripuit atque vaſtavit: urbem ingrediens ſignum militibus dedit, ut quemcunque non reſalutaſſet occiderent. Dici non poteſt, quàm multi hoc modo interierint & nobiles & ignobiles. Lucanus optimè paucis verbis Marii crudelitatem deſcripſit:* L. Vives. Marium crudelem.

Vir ferus, & fato cupienti perdere Romam Sufficiens.

Hic tamen ſeptimùm conſul, ut dixi, in lecto ſuo interiit. Sicut Lucanus inquit:

Fœlix, & everſa conſul moriturus in urbe.

Rediit paulò pòſt Sylla ex Aſia, & Marium filium omnesque Marianarum partium duces ſuſtulit.

b Compendio.] *Luſit Auguſtinus antithetis, compendio & ſuperfluo: vel compendio, id eſt, breviter, vel compendio, id eſt, utilitati, cujus contrarium eſt diſpendium.*

c Metellus.] *Valerius lib. 7. & Plinius itidem 7. Q. Metellus Macedonicus fœliciſſimus ab omnibus judicatus eſt, quod omnibus corporis & animi dotibus præditus fuerit: idem conſul & cenſor, idem magnum bellum fœliciter geſſerit, triumpharit, quatuorque filios reliquerit, tres conſulares, duos triumphales, unum cenſorium, quartum prætorium & conſulatus candidatum, ut ſcribit Vellejus, quem magiſtratum adeptus eſt: tres filias clariſſimis viris nuptas, ex quibus nepotes viderit, & a tanta tamque illuſtri & honorata turba à ſe progenita, extrema ſenecta facillimo vitæ curriculo uſus, rogo ſit impoſitus.* Metellū felicem.

d Quinque filios conſulares.] *Hæc hiſtoria ab aliquo ſciolo depravata eſt, nec credo ſic Auguſtinum eam ſcripſiſſe, niſi quis dicat, quinque illos filios fuiſſe conſulares, id eſt, conſulatu dignos.* *(quòd acutiſſimè & abſtexit meus feſtiviſſimus interpres, & planè nunquam tam acutè vidiſſet, niſi legiſſet dialecticam, ita ut ſint conſulares, quaſi conſulabiles, vel conſulificabiles, magiſtraliter loquendo, hoc eſt apti nati ad fiendum conſules.*)

e Et Catilina.] *Mores & vita L. Sergii Catilinæ notiores ſunt, propterea quòd Saluſtius qui de iis ſcripſit, frequens eſt in manibus hominum. Hunc ad conjurationem* Catilina

nem contra patriam inter cætera inopia rei familiaris ſtimulatum ferunt; cui profuſiſſimo & ſumptuoſiſſimo nihil ſatis erat. Nam ſub Sylla multa rapuerat, multaque Sylla dono acceperat. Quo Sylla cum in aliis permultis, tum in occidendo M. Mario fuerat uſus carnifice.

Marii fuga. ƒ Omitto quod Marius.] *C. Marius cùm ex civili pugna prima ſolus fugeret, Minturnas Campaniæ oppidum pervenit. Minturnenſes eum, ut gratum Syllæ victori facerent, immiſſo percuſſore tollere decreverant. Cumque is aſpectu & increpatione Marii fugiſſet, in religionem oppidanis venit, tanquam in numinum protectione Marius eſſet, ita eum ad proximum oppido lucum produxerunt, qui Maricæ ſacer erat, ut inde qua liberet, abiret. Plutarch. in Vita Marii. Vellejus paludem Maricæ dicit.*

Marica. *De Marica Lactantius: Quæ prius, inquit, Circe poſt factam deam Maricam vocatam. Servius 7. Æneid. & Maricam dicit uxorem fuiſſe Fauni, quæ eſt dea littoris Minturnenſium juxta Lyrim fluvium. Horatius:*

Innantem Maricæ
Littoribus tenuiſſe Lyrim.

Quòd ſi voluerimus accipere uxorem Fauni, non procedit. Dii enim τοπικοὶ, id eſt, locales, ad alias regiones nunquam tranſeunt. Sed poteſt dictum eſſe per poeticam licentiam, Laurente Marica, cùm ſit Minturnenſis. Dicunt alii, per Maricam Venerem intelligi debere, cujus fuit ſacellum juxta Maricam, in quo erat ſcriptum, ναὸς τῆς Ἀφροδίτης. Sanè Heſiodus Latinum Circes & Ulyſſis filium dicit, quod & Vergilius tangit dicendo:

Solis avi ſpecimen.

Sed quia temporum ratio non procedit, illud accipiendum eſt Iginii, qui ait Latinos plures fuiſſe: ut intelligamus poetam abuti nominum ſimilitudine. Tantùm Servius.

L.L.Coq. α MArium novum hominem & ignobilem.] *Vellejus lib. 2. vult eum equeſtri loco natum, ſed fere omnes cum Auguſtino viliorem originem illi tribuunt, & ignobili loco natum volunt. Plutarch. ſcribit γενόμενον γονέων παντάπασιν ἀδόξων αὐτουργῶν τε καὶ πενήτων.* natura parentibus plane ignotis & operariis atque pauperibus. *Juvenalis.*

Volſcorum in monte ſolebat
Poſcere mercedes alieno laſſus aratro.

β Ut ſepties Conſul fieret.] *Primus fuit qui ſeptimum conſulatum attigerit, & 17. ſui conſulatus die diem ſuum obiit, annos natus 70.* hirtus atque horridus homo *(ait Vellejus)* quantum bello optimus, tantum pace peſſimus, immodicus gloriæ inſatiabilis, impotensque, ſemperque inquietus. Adhuc puero prædictum eſt futurum ſepties conſulem: ferunt enim deſcendiſſe in gremium ejus ſeptem pullos aquilinos, & vates prædixiſſe, ſummum honorem ei obventurum ſepties. *Cic. 1. de legib. Appian. de bellis civilibus lib. 1. Egregie Seneca epiſt. 94.* Quid tu C. Marium ſemel conſulem, unum enim conſulatum accepit, cæteros rapuit.

γ Nec in manus Syllæ.] *Lucanus:* Fœlix, & everſa conſul moriturus in urbe: *Manilius.* lib. 4. Quod conſul toties exulque, ex exule conſul.

δ Ut à tantorum ſe compeſceret.] *Ita Cic. lib. 1. de nat. Deor. de diis:* debebant

illi

illi quidem omnes bonos efficere, ſi quidem hominum generi conſulebant, ſin id minus, bonis quidem certe conſiſtere debebant. Cur igitur duos Scipiones fortiſſimos & optimos viros in Hiſpania Pœnus oppreſſit? Cur Maximus extulit filium conſularem? Cur Marcellum Annibal interemit? Cur Paulum Cannæ ſuſtulerunt? Cur Pœnorum crudelitati Reguli corpus eſt traditum? *poſt:* Cur etiam ante tot civitatis principes à Cinna interempti? cur omnium perfidioſiſſimus C. Marius Q. Catulum præſtantiſſima dignitate virum mori potuit jubere? cur omnium crudeliſſimus tamdiu Cinna regnavit? At dedit pœnas, prohiberi melius fuit, impedirique ne tot ſummos viros interficeret, quam ipſum aliquando pœnas dare.

s Nam ſi virtutibus animi.] *Argumentatur, eos vanos eſſe omnino & ementitos deos, & minime colendos, à quibus nulla bona, nec poſt hanc vitam ob virtutes animi ſperanda ſunt, cum contraria omnino probitati vita, & morum honeſtati præcipiant, nec etiam tranſeuntia in hac vita ab eis exſpectanda ob virtutem, cum ea flagitioſiſſimis hominibus contingant. Certe Dominus ipſe unus, ac verus Deus in ſcriptura ſacra ſuis cultoribus, & præmia poſt hanc vitam pollicetur ampliſſima, ut Abrahamo Geneſis 12.* Ero merces tua magna nimis. *Et Moſi Exod 33.* Oſtendam tibi omne bonum. *& Joſiæ pio Regi 1. Paralip. 34.* Et oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. *Iſai. 64. 1. Cor. 2.* Breve & momentaneum hujus tribulationis tempus æternum gloriæ pondus in vobis operatur. *Pollicetur nec non temporalia bona, ut patribus illis* terram Chanaam fluentem lacte & melle: *alias* abundantiam frumenti, vini, & olei, *& hoc eſt veluti pactum & fœdus domini cum ſuis initum, ut illi eum colant, ac religioſe venerentur, ſeſe totos ei tradant ac conſecrent, ille iis abunde ſuppeditet bona & præſentia, & futura. Etſi enim jure creationis omnia ei debeamus, & ut eſt in Evangelio,* cum fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis, ſervi inutiles ſimus, *adeo tamen* liberalis eſt & munificus, & dives in omnes, qui invocant illum, *ut nihil in ejus gratiam à nobis præſtitum, irremuneratum eſſe velit, imo cumulate mercedem retribuat. Nec vero ob præmia, quæ ab eo hic, vel in futurum expectamus, potiſſimum colendus, imo primo ob ſeipſum, quia ſupremum numen, quia prima, ac ſuprema bonitas, cui ſecluſa omni ſpe præmii, ut creatori noſtro omnia accepta referre debemus: At ſecundario ut dicunt, in cultu divini numinis hominis intentio in præmium ferri poteſt. Ita ſanctiſſimus David:* Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem. *Hebr. 11.* Moſes adſpiciebat in remunerationem, *Decipiebantur veteres illi Romani, qui quod bona à diis ſuis ſperarent, eos colebant, non ſecus quam meretrix illa Oſeæ 2. per quam ſignificatur populus Iſrael averſus à Deo & converſus ad idola. Idolis enim omnia ſua accepta refert:* vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum & potum meum: *ſed recte arguitur à Domino*: Hæc, *inquit,* neſcivit, quia dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.

ζ Nec ideo vita peſſima eligenda videatur.] *Occurrit objectioni: fœlix fuit Marius,*

rius, ſceleratus, Regulus probus infœlix, potius igitur flagitioſa vita, quam honeſta, amplectenda eſt.

η Metellus enim Romanorum laudatiſſimus.] *Inter rara fœlicitatis exempla duo Metelli commemorantur apud Plin. lib 7. cap. 45. & 48. L. Metellus Pontifex bis Conſul, Dictator, Magiſter Equitum, Quindecimvir agris dividendis, quem etiam ferunt decem maximas res, optimasque in quibus quærendis ſapientes ætatem exegerunt, conſummaſſe: voluiſſe enim primarium bellatorem eſſe, optimum oratorem, fortiſſimum Imperatorem, auſpicio ſuo maximas res geri, maximo honore uti, ſumma ſapientia eſſe, ſummum ſenatorem haberi, pecuniam magnam bono modo invenire, multos liberos relinquere, & clariſſimum in civitate eſſe. Quod orbus luminibus eſſet in ſenecta, tribuit ei populus Romanus. quod nunquam ulli alii à condito ævo, ut quoties iret, curru veheretur ad curiam. Alter fuit Q. Metellus Numidicus ſuperioris nepos, de cujus fœlicitate videri poteſt Val. Max. lib. 7. cap. 1. de eo hic ſermo.*

θ Quinque filios Conſulares.] Conſularis, qui Conſulatum geſſit. *Putat Vives hiſtoriam ab aliquo Sciolo depravatam, nec ſic Auguſtinum ſcripſiſſe: puto errorem in numero eſſe filiorum, magis quam in dignitate ipſa, reperio enim eum quatuor tantum filios habuiſſe, quos omnes reliquit ſuperſtites, & honoratiſſimos, duos conſulares, tertium conſulem, quartum candidatum conſulatus, quem poſtea adeptus eſt: unde poterant dici omnes conſulares vel ab adepto jam; vel certe ab adipiſcendo conſulatu, vel etiam quod conſulatus ſuprema dignitate eſſent digniſſimi; nihil à patre degeneres.*

ι Et Catilina peſſimus.] *Videri poteſt Salluſt. in ejus conjur. Cic. in orationibus in eundem. Porcius Latro declamationibus in eum, Plut. in Cicerone, Appian. lib. 2. de bellis civilibus.*

κ Omitto quod Marius à miſerantibus Minturnenſibus.] C. Marius poſt primam pugnam, qua à Sylla devictus fuit, inventus ab hoſtibus nudus, & cœno oppletus ad Minturnenſes deductus eſt, & principibus urbis traditus, qui poſtquam de eo conſilium agitarunt tandem in eā ſententiam itum eſt, ut confeſtim Marius necaretur. Ex civibus qui tantum facinus auderet, neminem habuere. Equiti Cymbro vel ut alii ſcribunt, Gallo id commiſſum, qui magna voce ex loco opaco audita: Tu homo necare C. Marium audes? perterritus fuit, & projecto repente gladio porta erumpens exclamat: Non poſſum C. Marium morti tradere. Omnes inde terror ingens invaſit ſe ipſos accuſantes, quod ingrati iniquum conſilium contra eum cepiſſent, qui Italiam ſervaverat, cui opem non ferre nefas eſſet, miſerti itaque Marium: Eat, *inquiunt*, exulque velit. Inſtructum eum viatico, collataque veſte in navem impoſuerunt. *Plut. in Mario, Vellejus lib. 2. Appian. de bellis civilibus lib. 1. Oroſ. lib. 5. cap. 19.*

λ Maricæ deæ.] *Illius meminere Cic. Lactant. & Plutarch. in Mario, & Vellejus. Servius comment. in 7. Æneid. deam dicit* Maricam littoris Minturnenſium *juxta Lirim fluvium. Horat.*

Juvan-

Juvantem Maricæ littoribus tenuiſſe Lirim.

Et Virg.

Hinc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica.

Quo loco Servius Laurente *dictam vult pro* Minturnenſe. *Alii per* Maricam, Venerem *intelligunt, cujus ſacellum fuit juxta* Maricam, *in qua erat ſcriptum* Νηὸς Ἀφροδίτης.

μ Duxit crudelem crudelis exercitum.] Cinna primum de recipiendo Mario legem tulit, mox C. Marius peſtifero ſuis civibus reditu intravit mœnia, militibus ſignum dedit, uti omnes, quibus ſalutatus non reſpondiſſet, reſalutaretque, necarent. *Vellejus lib. 2. Plutarch. in Mario, Appian. de bellis civilibus, lib. 1.*

CAP. XXIV.

De Syllanis actibus, quorum ſe dæmones oſtentaverunt adjutores.

Sylla certè α ipſe, a cujus tempora talia fuerunt ut ſuperiora, quorum vindex eſſe videbatur, illorum comparatione quærerentur, cùm primum ad urbem contra Marium caſtra moviſſet, adeò læta exta immolanti fuiſſe ſcribit Livius, ut β cuſtodiri ſe b Poſthumius haruſpex voluerit capitis ſupplicium ſubiturus, niſi ea quæ in animo Sylla haberet, diis juvantibus impleviſſet. Ecce non diſceſſerant adytis, ariſque relictis dii, quando de rerum eventu prædicebant, nihilque de ipſius Syllæ correctione curabant. Promittebant præſagiendo fœlicitatem magnam, nec malam cupiditatem minando frangebant. Deinde cùm eſſet in Aſia bellum Mithridaticum gerens, per Lucium Titium γ ei mandatum eſt à Jove, δ quòd eſſet c Mithridatem ſuperaturus: & factum eſt. Ac poſtea molienti redire in urbem, & ſuas amicorumque ſubortas injurias civili ſanguine ulciſci, iterum mandatum eſt ab eodem Jove per militem quendam legionis ſextæ, prius ſe de Mithridate prænunciaſſe victoriam, & tunc promittere daturum ſe poteſtatem, qua recuperaret ab inimicis rempublicam non ſine multo ſanguine. Tum percontatus Sylla, quæ forma militi viſa fuerit, cùm ille indicaſſet eam, recordatus ejus eſt quam prius ab illo audierat, qui de Mithridatica victoria ab eodem mandata pertulerat. Quid hic reſponderi poteſt quare dii curaverint velut fœlicia iſta nunciare, & nullus eorum curaverit Syllam monendo corrigere, tanta mala facturum ſceleſtis armis civilibus, qualia non ſolùm fœdarent, ſed auferrent omnino rempublicam? Nempe intelliguntur dæmones, ſicut ſæpe jam dixi. Notumque nobis eſt in literis ſacris, reſque ipſæ ſatis indicant negotium ſuum agere, ut pro diis habeantur, ut colantur, ut ea illis exhibeantur, quibus ii qui exhibent ſociati, unam peſſimam cauſam cum eis habeant in judicio Dei. Deinde cùm veniſſet Tarentum Sylla, atque ibi ſacrificaſſet, vidit in capite vitulini jecoris ſimilitudinem coronæ aureæ. Tunc Poſthumius haruſpex ille reſpondit præclarum ei victoriam ſignificari, juſſitque ut extis illis ſolus veſceretur. Poſtea parvo intervallo d ε ſervus cujuſdam Lucii Pontii, vaticinando clamavit: A Bellona nuncius venio, victoria tua eſt Sylla. Deinde adjecit, arſurum eſſe Capitolium. Hoc cùm dixiſſet, continuò egreſſus è caſtris, poſtera die concitatior reverſus

ſus eſt, & Capitolium arſiſſe clamavit. *d* Arſerat autẽ revera Capitolium. Quod quidem dæmoni & prævidere facilè fuit, & celerrimè nuntiare. Illud ſane attende, quod ad cauſam maximè pertinet, ſub qualibus diis cupiant eſſe, qui blaſphemant Salvatorem, voluntates fidelium à dominatu dæmonum liberantem. Clamavit homo vaticinando, victoria tua eſt Sylla, atque ut id divino ſpiritu clamaſſe crederetur, nunciavit etiam aliquid, & propè futurum, & mox factum, unde longe aberat per quem ille ſpiritus loquebatur, non tamen ille clamavit, ab ſceleribus parce Sylla, quæ ille victor tam horrenda commiſit, cui corona aurea ipſius victoriæ illuſtriſſimum ſignum in vitulino jecore apparuit. Qualia ſigna ſi dii juſti dare ſolerent, ac non dæmones impii, profectò illis extis, nefaria potius atque ipſi Syllæ graviter noxia mala futura monſtrarent. *e* Neque enim ejus dignitati tantum profuit illa victoria, quantum nocuit cupiditati. Qua factum eſt, ut immoderatis inhians, & ſecundis rebus elatus, ac præcipitatus, magis ipſe periret in moribus, quàm inimicos in corporibus perderet. Hæc illi dii verè triſtia vereque lugenda, non extis, non auguriis, non cujusquam ſomnio vel vaticinio prænunciabant. Magis enim timebant, ne corrigeretur, quàm ne vinceretur. Imo verò *e* ſatis agebant ut victor civium glorioſus, victus atque captivus neſandis vitiis: & per hæc ipſis etiam dæmonibus multo obſtrictius obſideretur.

Corona aurea in vitulino jecore oſtenſa.

a Sylla certe ipſe.] *Cùm tam ſævè atque impotenter Mariani in republica dominarentur, Sylla omnium votis deſideriisque ad vindictam expectabatur: tum ipſe ex bonis initiis in tantam crudelitatem evaſit, ut munitiſſimus tunc ſit viſus Marius præ illo, Lucanus:*

L. Viet. Sylla crudelitas.

> *Sylla quoque immenſis acceſſit cladibus ultor,*
> *Ille, quod exiguum reſtabat ſanguinis urbis*
> *Hauſit.* Et pòſt:
> *Tunc data libertas odiis, reſolutaque legum*
> *Frænis ira ruit, non uni cuncta dabantur.*
> *Sed fecit ſibi quisque nefas. ſemel omnia victor*
> *Juſſerat.*

Poſthumius.

b Poſthumius]. *Cicero lib. 1. De divinatione, hunc haruſpicem etiam bello ſociali ſignificat fuiſſe cum Sylla: quo bello Cicero ipſe militavit. Idem Valer. lib. 1. De prodigiis.*

Mithridates.

c Mithridatem.] *Hic fuit fortiſſimus rex Ponti, cui bellum eſt à pop. Rom. indictum, quòd Nicomedem è Bithynia expuliſſet: at bellum exarſit ſupra modum, poſtea quàm rex quicquid civium Romanorum in ſuo regno negotiabatur, uno die juſſit occidi. Hujus opes luxavit Sylla: fregit L. Lucullus: extinxit Cn. Pompejus. qui totum ejus regnum in poteſtatem Romanorum redegit, ipſo occiſo. Plutarch. in Vitis, & Appianus Alexan. in Mithridatico. Florus & alii.*

d Servus cujusdam.] *Idem Plutarch. in Sylla: Capitolium à Tarquinio Superbo rege eſt extructum in rupe Tarpeja, templum Jovi omnium pulcherrimum ab Horatio Pulvillo Coſſ. dedicatum, primo libertatis anno. Arſit bello civili Mariano, Cn.*

Carbone

Carbone, & L. Scipione Coſſ. anno ab Urbe condita dclxxi. reſtitutum à Sylla: refectum verò & dicatum à Q. Catulo: hoc ſolum fœlicitati Syllæ negatum, ut ipſe idem dicebat. Sunt qui putent, opera Syllæ incenſum Capitolium, alii Carbonis Coſſ. Appianus in bello civili, fortuitam fuiſſe deflagrationem, & cauſam latere ſcribit.

e Satis agebant] *Diligenter & anxiè curabant, quod & ſatagitare dicitur.*

a Sylla certe ipſe.] *De Sylla Vellejus lib. 2. adeo diſſimilem ſui fuiſſe bellatorem, & victorem,* ut dum vincit juſtiſſimo lenior: poſt victoriam audito fuerit crudelior, cum ab omnibus bonis, quibus merito inviſa erat Marii & Cynnæ tyrannica dominatio, ſummis votis expectaretur Marianæ crudelitatis futurus vindex, adeo etiam præter omnem ſpem ſæviit ipſe, ut Marius præ ipſo viſus ſit mitiſſimus. *Rempub. ita oppreſſit, ut teſte Cicerone in Verrem*, nemo illo invito nec bona, nec patriam, nec vitam retinere poſſet. *Legem iniquiſſimam tulit authore eodem I. de legib.* ut dictator quem vellet civium indicta cauſa impune poſſet occidere, & ut bona civium proſcriberentur. *Lucanus:* F.L. Coq.

> Sylla quoque immenſis acceſſit cladibus ultor:
> Ille quod exiguum reſtabat ſanguinis urbis,
> Hauſit.

Seneca lib. 2. de ira cap 34. inter Syllanæ crudelitatis exempla hæc deteſtatur, quod à Repub. liberos proſcriptorum ſubmovit: *nihil enim eſt iniquius, quàm aliquem hæredem paterni odii fieri.* Hoc *& Plut. in Sylla* omnium injuſtiſſimum exiſtimatum fuiſſe dicit. *Cic. orat. pro domo ſua:* proſcriptionis miſerrimum nomen, & omnis acerbitas Syllani temporis, quid habet, quod maxime ſit inſigne ad memoriam crudelitatis, opinor pœnam in cives Romanos nominatim conſtitutam. *L. Florus:* Sylla recuperata Repub. pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo homine unquam fuit, inquinavit. *De Syllæ crudelitate poſt ſuperatos hoſtes, & reditum in urbem, vide Appian. lib. 1. de bellis civilibus. Oroſ. lib. 5. cap. 21.*

β Cuſtodiri ſe Poſthumius aruſpex] *Plutar. in Sylla, qui etiam aliud refert ex fama publica, dormienti Syllæ viſam eſſe deam, quam Romani eximia veneratione colunt, accepta ex Capadocib. diſciplina, ſive Luna ſit, ſive Minerva, ſive Bellona: hanc ſibi aſtitiſſe Sylla exiſtimavit, & poſito in manibus fulmine nominatim in ſuos ferires inimicos imperaſſe, eosque perculſos collabi atque deleri. Et hujus aruſpicis meminit Cic. lib. 1. de Divinat.* Quod cum Sylla immolaret in agro Nolano ante prætorium, ſubito anguis ab infima ara emerſit, Poſthumius aruſpex oravit illum ut in expeditionem exercitum duceret, quod cum Sylla feciſſet, tum ante oppidum Nolam florentiſſima hoſtium caſtra cepit.

γ Et mandatum eſt à Jove.] *De prodigiis etiam, quæ præceſſerunt bellum Mithridaticum, vide Plutarch. & Julium Obſequentem.*

δ Quod eſſet Mithridatem ſuperaturus.] *Vellejus:* Mithridates Ponticus Rex, vir neque ſilendus, neque dicendus ſine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, ſemper animo maximus, conſiliis dux, miles manu, in Romanos Annibal, occupata Aſia, necatisque in ea omnibus civibus Romanis, quos quidem eadem die, & hora redditis civitatibus litteris ingenti cum polli-

citatione præmiorum interimi juſſerat. Contra hunc bellum geſſerunt tres præſtantiſſimi Romani duces, Sylla repreſſit; Lucullus fudit; Pompejus omnino contrivit. *Eum vocat Cic. 2. Acad. Quæſt. Regem poſt Alexandrum, maximum.*

ε Servus cujusdam L. Pontii.] *Plut. in Sylla refert, ex commentariis ipſius Syllæ, & Cic. 1. de Divinat. multis ita auſpiciis, vel prodigiis ſignificatum eſſe, futurum vel cladem, vel victoriam. An vero Dæmones certo vel ſcire, vel prædicere poſſint alicui victoriam: id minime certo ſcire, ſed conjecturis tantùm aſſequi cognitis hominum animis & bellorum apparatibus poſſe puto. nam alioqui λοξίας ille Apollo ambigue conſulentibus aliquando reſpondit, ut Pyrrho:* Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe; *cujus ſenſus erat ambiguus, & poſſe Pyrrhum vincere Romanos, & poſſe Romanos vincere Pyrrhum: Ne, in quamcunque partem ſucceſſiſſet, mendacii argueretur: Ita Crœſo:* Crœſus Alim transgreſſus perdet plurima regna: *ubi perdere ambiguæ eſt ſignificationis. Vide Euſeb. lib. 5. de præparat. Evang. c. 10. Et Theodoret. Serm. 10. de curat. Græc. affect.*

ζ Arſerat autem revera Capitolium.] *Ab V. C. 670. L. Cornelio Scipione, C. Norbano Flacco Coſſ. 7. Julii. Hoc incendium nonnulli tribuebant Carboni, alii Syllæ.* privata fraude arſiſſe, *ait Corn. Tac. lib. 3. hiſt.* Incertia cauſa conflagraſſe, *ſcribit Appian. lib. 1. de bellis civil.* Cuſtodum negligentia concrematum *ſcribit Caſſiodorus, & Julius Obſequens:* Æditui negligentia Capitolium una nocte conflagravit. *id accidit 415. annis poſtquam exſtructum fuerat. Sylla reſtituit, ſed Q. Catulus dedicavit, quod unum ſuæ fœlicitati denegatum Sylla conqueſtus eſt. Arſit & ſub Vitellio, Tacit. loco citato. Sub Cajo Caligula, & ſub Domitiano de cœlo tactum eſt, Sueton. Apud D. Hieron. Epiſt. 17. qua Paula, & Euſtochium Marcellam hortantur, ut commigret Bethleem, & epiſto. 18. qua D. Hieron. eamdem invitat ad rus Bethleemiticum.* Et hic puto locus, *inquit*, ſanctior eſt Tarpeja rupe, id eſt, Capitolio, quæ de cœlo ſæpius fulminata oſtendit, quod Domino diſpliceat.

η Quod quidem dæmoni & prævidere facile fuit.] Ea prædicunt nonnunquam, quæ ipſi facere conſtituerunt, *ut ſcribit lib. de divinat. Dæm. cap. 5. & lib. 2. de Gen. ad lit. c. 17. vel* quia plurima per conjecturam aſſequuntur multo facilius, quam ſolent homines, *ut idem Auguſt. c. 6. Et explicat D. Thom. 3. contra gentes c. 154. Certo prædicere futura argumentum eſt divinitatis. Iſai 41.* Annunciate nobis, quæ futura ſunt, & dicemus quia dii eſtis. *Dæmones itaque quia affectant maxime divinitatem, conantur aliquando futura prædicere, tum etiam, quia eâ ratione videntur ſibi imminuere robur Chriſtianæ religionis, in qua prophetia multum habet momenti: tum etiam ut hominibus imponant. Certo tamen futura omnino minime poſſunt prævidere. Etſi vero non diffiteamur cum Auguſtino, dæmones futura præmvidere poſſe, nulla tamen ipſis fides habenda, cum ſint ſpiritus mendaces; & de mendace hoc dicebat Ariſt.* ei derogandam omnem fidem, etiam cum vera dicit: *nec à dæmonibus veritas inquirenda. Damaſc. lib. 2. fidei Orthod. cap. 5.* prædicunt, *inquit*, dæmones quandoque ea, quæ longe futura ſunt perſpicientes, quandoque vero conjicientes: unde & pleraque mentiuntur, quibus non præſtanda fides, etſi ſæpenumero vera proferunt. *Et Chryſoſt. exponens illud Marci 1.* obmuteſce, &

exi

ext ab homine. Salutiferum, *inquit*, hoc nobis dogma datur, ne credamus dæmonibus, quantumcunque denuncient veritatem.

b Et celerrime nunciare.] *Dæmones qua pollent celeritate, quæ in remotis longo itinerum intervallo regionibus geruntur, celerrime nunciare poſſunt. Tertull. in Apologet. cap. 22.* Omnis ſpiritus ales eſt, hoc Angeli & Dæmones. igitur momento ubique ſunt. *Cum C. Marius Germanos Sicambros ad Moſam viciſſet, nuncium victoriæ per deos Caſtorem, & Pollucem, ut authores ſunt Plin. lib. 7. cap. 22. Et Florus 1. per dæmones ipſos datis prætori litteris Romanus populus accepit. Sic Apollonius cum Epheſi eſſet,* exclamavit ut præſens ſpectaculo, Domitianum Romæ interfici. *Philoſtrat. in ejus vita lib. 8. cap. 10. Narrat etiam Agellius lib. 15. cap. 18.* quo die Cæſar & Pompejus bellum ſignis collatis in Theſſalia confecerunt, Patavii Cornelium quendam ſacerdotem repente mota mente dixiſſe, conſpicere ſe procul pugnam acerrimam pugnari, ac deinde alios cedere, alios urgere, cædem, fugam, tela volantia, inſtaurationem pugnæ, impresſionem gentis, vulnera perinde, ut ſi in prælio ipſe verſaretur, coram videre ſe vociferatus eſt, ac poſtea ſubito exclamavit, Cæſarem viciſſe. *Plutarch. in Publ. Æmylio plurima hujusmodi refert exempla, quibus dæmones nunciarunt Romanis victorias, eodem fere momento de hoſtibus in regionibus longe diſſitis reportatas. Refert Joan. Curopalatas, captis Syracuſis ab Agarenis in Peloponeſo, ſtatim per dæmones reſcitum, quibus cum non facile crederetur, decima die poſt per nuncios, qui effugerant, confirmatum.*

i Neque enim ejus dignitati tantum profuit illa victoria.] *Plato 1. de legib. ſcribit,* victoriam ſæpe damnoſiorem victori, quàm jacturam, quia hæc modeſtiam parit, illa aufert. νίκη ἢ ἐνίοτε φέρει ἀπαιδευσίαν. πολλοὶ γὰρ ὑβριστότεροι διὰ πολέμων νίκας γενόμενοι μυρίων ἄλλων κακῶν διὰ ὕβριν ἐνεπλήσθησαν. *Recte C. c. lib. 4. epiſt. fam. epiſt. 9.* omnia ſunt in bellis civilibus miſera, ſed nihil eſt miſerius quam ipſa victoria, quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ferociores, impotentioresque reddit, ut etiamſi natura tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur. *Tacit. 3. hiſt.* Duces accendo bello civili acres, temperandæ victoriæ impares. *Cic. orat. 3. in Catil.* Superavit Cinna cum Mario, tunc vero clariſſimis viris interfectis lumina civitatis extincta ſunt. Ultus eſt hujus victoriæ crudelitatem poſtea Sylla, nec dici poteſt quanta diminutione civium, & quanta calamitate Reipub. *Val. Max. de Sylla lib. 9. c. 2.* Dum quærit victorias, Scipionem ſe populo Rom. dum ſævitiam exercet, Annibalem repræſentavit.

CAP. XXV.

Quantum maligni ſpiritus ad flagitia incitent homines, cùm in committendis ſceleribus quaſi divinam exempli ſui interponunt autoritatem.

ILlis verò quis non intelligat, quis non videat, niſi qui tales Deos imitari magis eligit, quàm divina gratia ab eorum ſocietate ſeparari, quantum moliantur maligni iſti ſpiritus exemplo ſuo, velut divinam autoritatem præbere ſceleribus? Quin etiam *a* in *a* quadam Campaniæ lata planicie, ubi non multò poſt civiles acies *Dæmones inviçem pugnant.*

acies nefario prælio conflixerunt, inter ſe prius pugnare viſi ſunt. Namque ibi auditi ſunt primum ingentes fragores, moxque multi ſe vidiſſe nunciarunt per aliquot dies duas acies præliari. Quæ pugna ubi deſtitit, veſtigia quoque velut hominum & equorum, quanta de illa conflictione exprimi poterant, invenerunt. Si ergo veraciter inter ſe numina pugnarunt, jam bella civilia excuſentur humana: conſideretur tamen, quæ ſit talium Deorum vel malitia, vel miſeria. Si autem ſe pugnaſſe finxerunt, quid aliud egerunt, niſi ut ſibi Romani bellando civiliter, tanquam Deorum exemplum nullum nefas admittere viderentur? β Jam enim cœperant bella civilia, & aliqua nefandorum præliorum ſtrages exeeranda præceſſerat. *b* Jam multos moverat, *c* γ quod miles quidam dum occiſo ſpolia detraheret, fratrem nudato cadavere agnovit, ac deteſtatus bella civilia, & ſeipſum ibi perimens fraterno corpori adjunxit. Ut ergo tanti hujus mali minimè tæderet, ſed δ armorum ſceleſtiorum magis magiſque ardor increſceret, mox hi dæmones, quos illi Deos putabant, & colendos eſſe ac venerandos arbitrantur, inter ſe pugnantes hominibus apparere voluerunt, ne imitari tales pugnas civica trepidaret affectio, ſed potius humanum ſcelus divino excuſaretur exemplo. Hac aſtutia maligni ſpiritus etiam ludos, unde multa jam dixi, ſcenicos ſibi dicari ſacrarique juſſerunt, ubi Deorum tanta flagitia theatricis canticis atque fabularum actionibus celebrata ſunt, ut quiſquis eos talia feciſſe crederet, & quiſquis non crederet, ſed tamen illos libentiſſimè ſibi talia velle exhiberi cerneret, ſecurus imitaretur. Ne quis itaque exiſtimaret, in Deos convitia potius quàm eis dignum aliquid ſcriptitaſſe, *d* ε ubicunque illos inter ſe pugnaſſe poëtæ commemorarunt, ipſi ad decipiendos homines poëtarum carmina firmaverunt, pugnas videlicet ſuas non ſolùm per ſcenicos in theatro, verum etiam per ſeipſos in campo humanis oculis exhibentes. Hæc dicere compulſi ſumus, quoniam peſſimis moribus civium, Romanam rempub. jam antea perditam fuiſſe, nullamque remanſiſſe ante adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, autores eorum dicere & ſcribere minimè dubitaverunt. Quam perditionem Diis ſuis non imputant, qui mala tranſitoria, quibus boni, ſeu vivant, ſeu moriantur, perire non poſſunt, Chriſto noſtro non imputant: cùm Chriſtus noſter tanta frequenter pro moribus optimis præcepta contra perditos mores; Dii verò ipſorum nullis talibus præceptis egerint aliquid cum ſuo cultore populo, pro illa repub. ne periret, imò eoſdem mores velut ſuis exemplis autoritate noxia corrumpendo, egerunt potius ut periret. Quam non ideò, ut arbitror, tunc periiſſe quiſquam jam dicere audebit, quia

Deorum exemplo bella exarſiſſe.

Æneid. *Diſceſſere omnes adytis, aruque relictis*

Dii: veluti amici virtutibus cum vitiis hominum offenderentur; quia ζ tot ſignis extorum, auguriorum, vaticiniorum, quibus ſe tanquam præſcios futurorum auditoreſque præliorum jactare & commendare geſtiebant, convincuntur fuiſſe præſentes: qui ſi verè abſceſſiſſent, mitius Romani in bella civilia ſuis cupiditatibus, quàm illorum inſtigationibus exarſiſſent.

In

a IN quadam Campaniæ lata planicie.] *Julius Obſequens: Lucio Scipione, C. Norbano Coſſ. inter Capuam & Vulturnum ingens ſignorum ſonus, armorumque horrendo clamore auditus, ita ut viderentur duæ acies concurrere per plures dies. Rei miraculo intus conſiderantibus veſtigia equorum, hominum, & recens protritæ herbæ, & virgulta viſa molem ingentis belli portendere. Hæc ille. Porrò Scipio & Norbanus fuerunt primi conſules, cum quibus Sylla reverſus in Italiam conflixit. nam Marianarum erant partium.* L. Vives. Acies auditæ inter ſe concurrentes.

b Jam multos moverat.] *Cùm enim in diverſa acie propinqui ſeſe conſpiciunt, tunc demum bellum eſſe civile intelligunt. ſic Lucanus in 4.*

Poſtquam ſpatio languentia nullo
Mutua conſpicuos habuerunt lumina vultus,
Et fratres natoſque ſuos videre patreſque,
Deprehenſum eſt civile nefas.

c Quod miles quidam, &c.] *Livius lib. 79. Hoc contigit, cùm Cinna & Marius infeſta ſigna ad urbem duxerunt, quibus occurrit C. Pompeius Magni pater. Valer. lib. 5. dicit, militem Pompeianum occidiſſe fratrem, qui erat in exercitu Sertòrii. Livius pro Sertorio Cinnam habet. Fieri utrumque poteſt: nam exercitus omnes ferè erant Cinnæ, qui tamen in quatuor partes erant diviſi, quarum unam Cinna ipſe, alteram Marius ducebat, tertiam Quintus Sertorius, quartam Cn. Carbo. & Oroſius concurriſſe cum Sertorio Pompeium ſcribit, qua pugna contigiſſe hoc de duobus fratribus refert.* Fratres intèr ſe concurrentes.

d Ubicunque illos inter ſe pugnaſſe.] *Homerus bello Trojano Deos inter ſe facit pugnantes, Martem, Venerem & Apollinem, contra Palladem, Junonem & Neptunum.*

F. L. Coq.

a IN quadam Campaniæ lata planitie.] *Julius Obſequens lib. de prodigiis pleraque horrida narrat eveniſſe portenta Coſſ. L. Scipione, & C. Norbano, atque inter cætera id, quod hic refert D. Auguſt. anno ab urbe condita 670.* videbantur enim duæ acies per plures dies concurrere, magnus armorum ſtrepitus horrendo clamore audiebatur. Similia portenta præſagia erant futurorum bellorum inter Syllam & Marium. *Nec ſemel ea prodigia viſa fuere, nam 644. ab V. C. Cecilio Metello, & Cn. Papirio Coſſ. armorum crepitus, & tubarum ſonitus in cœlo auditi, qui futuras portenderunt calamitates: ab eo enim tempore horribili marte ulularunt Cimbri, & Teutones. & magnum timorem incuſſerunt Italiæ. Anno 651. ab V. C.* arma cœleſtia ſpectata ab ortu, & occaſu inter ſe concurrentia, pulſis quæ ab occaſu erant, *Plin. lib. 2. cap. 57. Similis hiſtoria refertur 2. Maccab. 5. de hominibus armatis ſpectatis in aëre, & cohortibus concurrentibus. Legi poteſt de hujuſmodi oſtentis Seneca in quæſt. natur. Jul. Obſeq. cap. 9. & 76. Lycoſthenes de prodigiis, & oſtentis. An hujuſmodi oſtenta ſint naturalia, & ex naturalibus cauſis orta, an vero dæmones ſint, qui hujuſmodi pugnas in aëre exhibeant, quod vult hic D. Auguſt. utroque certe modo accidere poſſe non dubito: ut etiam dæmones ipſi certamina hujuſmodi exhibeant in aëre, vel etiam ſint Meteorologica oſtenta, quæ ex naturalibus cauſis ſint nata.*

β Jam enim cœperant bella civilia.] *Civile bellum Marianum cœpit ab V. C. 665. Et duravit ad annum 671. cum Sylla debellatis omnibus, qui partium erant Marianarum, urbem eſt ingreſſus.*

γ Quod miles quidam dum occiſo.] *Livius lib. 79. & Florus in epitome ajunt, unum militaſſe in exercitu Pompeji, alterum in exercitu Cinnæ. Val. lib. 5. ait, militem illum Pompejanum fuiſſe & fratrem Sertorianum. Idem refertur de patre in poſtremis bellis civilibus. Oroſ. lib. 5. cap. 19.* Cum corpora ad ſepulturam diſcernerentur, miles Pompejanus fratris ſui, quem ipſe interfecerat corpus agnovit. In concurſu enim utrique cognitionem vultus galea, conſiderationem furor ademerat. *Poſt:* Itaque victor victo infœlicior, ubi & fratris corpus agnovit, & parricidium ſuum, execratus bella civilia illico pectus ſuum gladio transverberans, ſimulque lacrymas & ſanguinem fundens ſuper fraternum ſeſe cadaver abjecit. *Quod vero ait Auguſt. triſtem hunc caſum multos moviſſe, minime dubium eſt, niſi velimus omnes plusquam ferinum habuiſſe animum, & omnem nedum pietatem exuiſſe, ſed & humanitatem, & barbaros ipſos crudelitate ſuperaſſe. Nec eſt contrarius Auguſtino Oroſius, his verbis graviſſime invehens in Romanos:* Nunquid in tantarum animoſitate partium tam triſte movit exemplum? Nunquid apud quemquam periculum ſceleris repulit terroris? Nunquid hæc, quæ communis eſt etiam cum belluis pietas & reverentia naturæ, quod unus perimendo ac pereundo commiſit, quia in ſe agi poſſet, intremuit, ſeſeque ab hujusmodi incœpto conſcientia victus removit? *Intelligit enim non eo moviſſe, ut tam dirum exemplum bella civilia inchoata ſuſtulerit. Quod ſignificat verbis ſequentibus: quin potius annis fere 40. conſequentibus in tantum continuata ſunt bella civilia, ut magnitudo laudis appetenda ex magnitudine ſceleris putaretur. Omnes enim poſt tale documentum in tali militia parricidiorum pericula refugiſſent, niſi parricidia ipſa voluiſſent.*

δ Sed armorum ſceleſtorum.] *id eſt bellorum civilium. Faonius autem apud Plutarch. in Bruto recte aſſerit.* χεῖρον εἶναι μοναρχίας παρανόμου πόλεμον ἐμφύλιον, *id eſt,* pejus ac deterius eſſe tyrannide ſive imperio injuſto bellum civile. *Præclare ſapientiſſimus ille Neſtor apud Homer. 9. Iliad.* Ἀφρήτωρ ἀθέμιστος ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος. *Quæ ſententia valde etiam commendatur ab Ariſtotele lib. 1. polit. Cui & ſimilis ſententia Ciceronis.* Nam nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura chara habere, quem diſcordiæ, quem cædes civium, quem bellum civile delectet. *Recte igitur bella civilia,* arma ſceleſta *appellat, in quibus etiam parricidiorum committendorum magnum ingruit periculum.*

ε Ubicumque illos inter ſe pugnaſſe poetæ commemorant.] *Homerus Iliad. 20. inducit deos pugnantes alios quidem pro Trojanis, alios vero adverſum Trojanos, & Ovidius in Triſtibus:*

> Mulciber in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo,
> Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Tertull. in Apologet. c. 14. Gentes ita perſtringit: ſed converſus ad litteras veſtras, quibus informamini ad prudentiam, & ad liberalia officia, quanta invenio ludi-

ludibria deos inter ſe propter Trojanos, & Achæos, ut gladiatorum paria, congreſſos depugnaſſe. Venerem humana ſagitta ſauciatam, quod filium ſuum Æneam pene interfectum ab eodem Diomede rapere vellet. *Lactant. lib. 1. cap. 3.* Homerus bellantes inter ſe deos finxit, cum alii Trojam capi vellent, alii repugnarent. *Explodit Cic. 2. de nat. deor. poſt Platonem lib. 2. de Repub. quid cauſæ fuerit Homero inducendi hujuſmodi pugnas, & alios deos Græcis, alios Trojanis tribuendi. Vide elegantem rationem apud Petrum Nannium lib. 6. Miſcell. cap. 12.*

ζ Tot ſignis extorum, auguriorum, vaticiniorum.] *De hujuſmodi obſervationibus extorum &c. vide Ciceronem 2. de divinat. Val. Max. lib. 1. cap. 7. quæ merito deridebat Annibal. Rex enim Pruſias cum Annibali apud eum exulanti pugnare placeret, negabat ſe audere, quod exta prohiberent:* An tu, *inquit,* carunculæ vitulinæ mavis, quam imperatori veteri credere? *Quam vanitatem merito ſugillat & Minut. in Oct. & Ciprian. lib. de Idolorum vanit.* Regulus, *inquit,* auſpicia ſervavit, & captus eſt. Et Mancinus religionem tenuit, & ſub jugum miſſus eſt. Et pullos edaces Paulus habuit, & apud Cannas cæſus eſt. C. Cæſar ne ante brumam in Africam tranſmitteret: auguribus, & auſpiciis retinentibus, ſprevit, & eo facilius navigavit & vicit. *De animalium obſervatione apud varias Gentes vide Alexandrum ab Alex. lib. 1. c. 13. Arabes & Phryges primos avium obſervationem inveniſſe, ſcribit Theodoret. lib. 1. contra Gentes.*

CAP. XXVI.

De ſecretis dæmonum monitis quæ pertinebant ad bonos mores, cùm palàm in ſacris eorum omnis nequitia diſceretur.

QUæ cùm ita ſint, cum palàm apertèque turpitudines crudelitatibus mixtæ, & opprobria numinum & crimina, ſive prodita, ſive conficta ipſis expoſcentibus, & niſi fierent iraſcentibus, etiam certis & ſtatis ſolennitatibus conſecrata illis, & dicata claruerint, atque ad omnium oculòs ut imitanda proponerentur ſpectanda proceſſerint: α quid eſt quod iidem ipſi dæmones, qui ſe hujuſcemodi voluptatibus immundos ſpiritus eſſe confitentur, qui ſuis flagitiis & facinoribus, ſive indicatis, ſive ſimulatis, eorumque ſibi celebratione expetita ab impudentibus, extorta à pudentibus, autores ſe vitæ ſceleſtæ immundæque teſtantur: α perhibentur tamen in adytis ſuis ſecretisque dare quædam bona præcepta de moribus, β quibusdam velut electis ſacratis ſuis? Quod ſi ita eſt, γ hoc ipſo callidior advertenda eſt, & convincenda malitia ſpirituum noxiorum. δ Tanta enim vis eſt probitatis & caſtitatis, ut omnis vel penè omnis ejus laude moveatur humana natura, nec uſque adeò ſit turpitudine vitioſa, ut totum amittat ſenſum honeſtatis. Proinde malignitas dæmonum, niſi alicubi ſe, quemadmodum ſcriptum in noſtris literis novimus, *transfiguret in Angelum lucis*, non implet negotium deceptionis. 2. Cor. 11 Foris itaque populus celeberrimo ſtrepitu impietas impura circumſonat, & intus paucis caſtitas ſimulata vix ſonat. Præbentur propatula pudendis, & ſecreta laudandis. Decus latet, & dedecus patet, quod malum geritur, omnes convocat ſpectatores: quod bonum dicitur, vix aliquos invenit auditores: tanquam honeſta erubeſcenda ſint, & inhoneſta glorianda. Sed ubi

hoc

hoc niſi in dæmonum templis? ubi niſi in fallaciæ diver[illegible]d enim fit, ut honeſtiores, qui pauci ſunt, capiantur, hoc autem ne plures qui ſunt turpiſſimi, corrigantur. Ubi & quando ſacrati cœleſtis audiebant caſtitatis præcepta, neſcimus, *b* ante ipſum tamen delubrum, ubi ſimulachrum illud locatum conſpiciebamus, univerſi undique confluentes, & ubi quisque poterat ſtantes, ludos qui agebantur intentiſſimi ſpectabamus, intuentes alternante conſpectu, hinc meretriciam pompam *c* illinc virginem Deam, illam ſuppliciter adorari, ante illam turpia celebrari. Non ibi pudibundos minus, nullam verecundiorem ſcenicam vidimus: cuncta obſcœnitatis implebantur officia. Sciebatur virginali numini quid placeret, & exhibebatur quod de templo domum matrona doctior reportaret. Nonnullæ prudentiores avertebant faciem ab impuris motibus ſcenicorum, & artem flagitii videre erubeſcentes, furtiva intentione diſcebant.

Loquitur de numine Virginali.

Hominibus namque verecundabantur, ne auderent impudicos geſtus ore libero cernere, ſed multò minus audebant ſacra ejus, quam venerabantur caſto corde, damnare. Hoc tamen palàm diſcendum præbebatur in templo, ad quod perpetrandum ſaltem ſecretum quærebatur in domo. Mirum nimium ſi ullus ibi erat pudor mortalium, quo humana flagitia non liberè homines committerent, quæ apud Deos etiam religiosè diſcerent iratos habituri, niſi etiam exhibere curarent. Quis enim alius ſpiritus occulto inſtinctu nequiſſimas agitat mentes, & inſtat faciendis adulteriis, & paſcitur factis, niſi qui etiam ſacris talibus oblectatur, conſtituens in templis ſimulachra dæmonum, amans in ludis ſimulachra vitiorum, ſuſurrans in occulto verba juſtitiæ ad decipiendos etiam paucos bonos, frequentans in aperto invitamenta nequitiæ, ad poſſidendos innumerabiles malos?

L. Vivés.

a QUid eſt quod idem ipſi.] *Locus depravatus, ſic eſſet ſenſus apertior, quid eſt cùm idem ipſi dæmones, qui ſe hujuscemodi voluptatibus immundos ſpiritus eſſe confitentur, & poſt: autores ſe vitæ ſceleſtæ immundæq; teſtentur.*

Flora dea.

b Ante ipſum tamen delubrum ubi ſimulachrum.] *De Floræ Deæ ludis ſentit, qui à meretricibus turpiſſimis & impudentiſſimis celebrabantur, ut Plutarchus & Ovidius, & alii ſcribunt: quippe cùm fuerit & Flora ipſa meretrix. Lactantius lib. 1. Celebrantur Floræ ludi cum omni laſcivia, convenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam, quibus obſcœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam veſtibus populo flagitante meretrices, quæ nunc mimorum funguntur officio, & in conſpectu populi uſque ad ſacietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur.*

c Illinc virginem Deam, illam ſuppliciter adorari.] *Veſtam. Pridie Calendas Maias feſtum erat Floræ, & Veſtæ, & Apollinis, & Auguſti in palatio, Ovidius quarto Faſtorum.*

Exit & in Majas feſtum Florale Calendas,
Tunc repetam, nunc me grandius urget opus.
Aufert Veſta diem, cognati Veſta recepta eſt
Limine, ſic juſti conſtituere patres.

Phæ-

Phœbus habet partem, Veſta pars altera ceſſit,
Quod ſupereſt illis tertius ipſe tenet.
State Palatinæ laurus, prætextáque quercus
Stet, domus æternos tres habet una Deos.

α PErhibentur tamen.] *Deſiderius Heraldus ad lib. 5. Arnobii, hunc Auguſtini locum non ſatis caſtum eſſe judicat, & gloſſema exiſtimat (τὸ Electis) ſicque legendum putat:* perhibentur tamen in adytis ſuis, ſecretiſque penetralibus dare quædam bona præcepta de moribus ſacris ſuis. F. L. Coq.

β Quibuſdam velut electis ſacratis ſuis.] *Hujuſmodi ſacra & ſacratos deridebat Diogenes, rogantibus enim Athenienſibus ut initiaretur atque dicentibus, quod apud inferos ii, qui initiati ſunt, præſident.* Γελοῖον, ἔφη, εἰ Ἀγησίλαος μὲν καὶ Ἐπαμινώνδας ἐν τῷ βορβόρῳ διάξουσιν, εὐτελεῖς δέ τινες μεμυημένοι ἐν ταῖς μακάρων νήσοις ἔσονται, *id eſt*, ridiculum ſiquidem Ageſilaus & Epaminondas in cœno degent: viles autem quique initiati in beatorum inſulis erunt. *Laertius in Diogene*, ſacrati ſunt ſacris deorum initiati, θεραπευτὰς, ἱερεῖς, νεωκόρους, ζακόρους, προφήτας, ὑποφήτας, θυτὰς, ὑπηρέτας, θιουργοὺς. *Græci vocant.* Hujuſmodi ſacrati ſunt, *quos Tertull. lib. de præſcript. cap. 40. vocat* credentes & fideles diaboli: Tingit & ipſe quoſdam credentes & fideles ſuos. *Ita etiam eos Arnob. vocat. lib. 5.* In quibus arcana & tacenda res proditur, inſinuaturque ſacratus. *Apulejus lib. 11. Metamor.* Hanc Olympiacam ſtolam ſacrati nominant; *&*, partim ſacratorum conſiliis examino. *Ibidem:* proxima morte vidi quemdam de ſacratis. Hi ſacrati *ſunt qui paſtophori etiam dicuntur apud eumdem lib. 11. ſacerdotes cæteris honorabiliores.*

γ Hoc ipſo callidior advertenda eſt.] *Recte monebat D. Leo Serm. 19. de paſſione Domini:* Beneficia dæmonum cunctis eſſe nocentiora vulneribus.

δ Tanta enim vis eſt probitatis.] *Seneca:* Tantus eſt ſplendor virtutis, ut etiam in invitos inſtar Solis lumen ſuum immittat, etiam qui oderunt, admirantur.

ε Transfiguret ſe in Angelum lucis.] *2. Cor. 11.*

ζ Hinc meretriciam pompam.] *In Floræ ludis intelligit, qui à meretricibus celebrabantur.* Propudioſam meretricem *vocat Minut. in Octa. & Tatianus contra Gentes.*

η Illinc virginem deam.] *Veſtam intelligit cujus cultui virgines conſecrabantur: pridie enim Cal. Majas feſtum erat Floræ, & Veſtæ, Apollinis, & Auguſti. vide Plin. lib. 18. cap. 29.*

ι Quis enim alius ſpiritus occulto inſtinctu.] *Dæmonem Ignatius epiſt. 3. his verbis depingit:* Tu incentor, draco, apoſtata, ſerpens perplexus, à Deo diſcedens, à Chriſto ſeparatus, à ſancto ſpiritu alienus, & à choro Angelorum exulans, injuriator legis, Dei & legitimorum inimicus, qui ſuper protoplaſtas inſurrexit, & à mandato Dei avertiſti eos, qui te nihil læſerunt.

κ Inſtat faciendis adulteriis.] *Nota eſt hiſtoria Cypriani & Juſtinæ. Legi poteſt Irenæus lib. 1. cap. 9. & Epiphan. hæreſi 34. de Marco quodam hæretico & mago, qui amatoria quædam, & illicitantia pharmaca nonnullis mulierculis, quo etiam earum*

rum corporibus probrum, & contumeliam inferret, adhibere ſolebat: & ipſæ redeuntes ad Eccleſiam confitebantur ſe corpore ab eo contaminatas fuiſſe, miroque ipſius amore exarſiſſe. Extat & hiſtoria apud D. Hieron. in vita D. Hilarionis de puella quadam adducta ad ſanctum Hilarionem, quæ ab eo liberata fuit ab inſano amore cujuſdam adoleſcentis, quæ arte dæmonum irretita fuerat. Apud D. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 4. Extat & ſimilis hiſtoria Baſilii Pſeudomonachi, & juvenculæ monialis. Caſſian. collat. 7. cap. 32. Incentores, *ait*, libidinum atque luxuriæ quoſdam ſpiritus eſſe *Propheta commemorat:* ſpiritus, *inquit*, fornicationis decepit eos, & fornicati ſunt à Deo ſuo.

Cap. XXVII.

Quanta everſione publicæ diſciplinæ Romani Diis ſuis placandis ſacraverint obſcœna ludorum.

a Vir α gravis & philoſophus Tertullius ædilis futurus, clamabat in auribus civitatis, inter cætera ſui magiſtratus officiâ β ſibi Floram matrem ludorum celebritate placandam: b qui γ ludi tantò devotius, quantò turpius celebrari ſolent. c δ Dicit in alio loco jam conſul in extremis periculis civitatis, & ludos per decem dies factos: neque rem ullam, quæ ad placandos Deos pertineret prætermiſſam, quaſi non ſatius erat tales Deos irritare temperantia, quàm placare luxuria: & eos honeſtate ad inimicitias provocare, quàm tanta deformitate lenire. Neque enim gravius fuerant quamlibet crudeliſſima immanitate ε nocituri d homines, propter quos placabantur, quàm nocebant ipſi, cum vitioſitate fœdiſſima placarentur. Quandoquidem ut averteretur, quod metuebatur ab hoſte in corporibus, eo modo Dii conciliabantur, quo virtus debellaretur in mentibus, qui non opponerentur defenſores oppugnatoribus mœnium, niſi prius fierent expugnatores morum bonorum. Hanc talium numinum placationem petulantiſſimam, impuriſſimam, impudentiſſimam, ζ nequiſſimam, immundiſſimam, cujus actores laudanda Romanæ virtutis indoles honore privavit, e tribu movit, agnovit turpes, fecit infames: hanc inquam pudendam, veræque religioni adverſandam & deteſtandam talium numinum placationem, has fabulas in Deos illecebroſas atque criminoſas, hæc ignominioſa Deorum facta ſceleratè turpiterque conficta, vel ſceleratius turpiuſque commiſſa, oculis & auribus publicis civitas tota diſcebat: hæc commiſſa numinibus placere cernebat, & ideò non ſolùm illis exhibenda, ſed ſibi quoque imitanda credebat: non illud neſcio quid vel bonum vel honeſtum, quod tam paucis, & tam occultè dicebatur, ſi tamen dicebatur, ut magis, ne innoteſceret, quàm ne non fieret, timeretur.

L. Vives. a Vir gravis & philoſophus Tertullius.] *Legendum eſſe Tullium certum eſt. Nam ea quæ hic ex eo adducit Auguſtinus, ſunt in ejus Orationibus. Dicendum ergo vel: Vir gravis & philoſophaſter Tullius: ut irrideat Auguſtinus ejus philoſophiam, quæ à tam ſtultis religionibus nequiverit ipſum liberare: vel, Vir gravis & philoſophus Tertullius, ut non ſolùm vulgus, ſed principes deditos eſſe hujuſmodi ſpurcitiis oſtendat:*

dat: nec quoſvis principes, ſed graves, & eoſdem philoſophos, nec infimæ notæ, ſed præcipuos: ut ter ad augendam ſignificationem ejus philoſophiæ faciat, ſicut ter maximus. Cicero ergo Actione in Verrem 6. Nunc ſum deſignatus ædilis, habeo rationem, quid à populo Romano acceperim: mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberæq; faciendo, mihi Floram matrem populo plebique Romanæ ludorum celebritate placandam. Æd. à ſt. curulis officium.

b Qui ludi.] *Tales erant, ut præſente Catone Minore actores agere noluerint, Seneca, Valerius, Plutarchus, Martialis.*

c Dicit in alio loco jam conſul.] *Actione in Catilinam 3.*

d Homines propter quos.] *Catilina cum ſuis conjuratis.*

e Tributa amovit.] *In antiquis eſt, Tribu movit: melius.*

α VIr gravis & philoſophus ter Tullius.] *Lovanienſibus ipſis probatur maxime emendatio Vivis, qua legendum monet philoſophaſter Tullius, ut ejus philoſophiam derideat, quæ eum à tam ſacrilegis erroribus non liberavit, ſed fuerit inanis & vana, & fuerit ex eorum numero,* qui dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt: *vel gravis & philoſophus* ter Tullius, *ut innuat, adeo præcipiti errore dementatos fuiſſe non modo ignaros & abjectos, ſed etiam primos ex philoſophis, ut Ciceronem qui non modo eloquentiæ, ſed etiam philoſophiæ inter Romanos primas partes ſibi vendicat.* F. L. Cog.

β Sibi Floram matrem ludorum celebritate.] *Hæc habentur act. 6. in Verrem:* ſibi deſignato Ædili maxima cum ceremonia ludos ſanctiſſimos Cereri, Libero, Liberæque faciendos, ſibi Floram matrem populo plebique Romanæ ludorum celebritate placandam. *Eadem hæc repetit lib. 1. de conſenſ. Evang. cap. 33.* eſt, *inquit,* ipſius Ciceronis aperta confeſſio, ubi ait ſibi Floram matrem ludorum celebritate placandam.

γ Qui ludi tanto devotius, quanto turpius celebrari ſolent.] *De iiſdem loco citato Auguſt.* In quibus ludis tanta exhiberi ſolet turpitudo, ut in eorum comparatione cæteri honeſti ſint; à quibus tamen ipſis agendis viri boni prohibentur. *Ibidem:* quæ eſt iſta Flora mater? qualis dea eſt, quam celebrior & habenis effuſioribus laxata conciliat & propitiat turpitudo? *Idem epiſt. 202.* Illa dea Flora digna mater inventa eſt, cujus ludi ſcenici tam effuſiore & licentiore turpitudine celebrantur : ut quivis intelligat, quale dæmonium ſit; quod placari aliter non poteſt, niſi illic non aves, non quadrupedes, non denique ſanguis humanus, ſed multo ſceleſtius pudor humanus tanquam inviolatus intereat. *Nota eſt hiſtoria de Catone Florales ludos ingreſſo, qui ob ſeveritatem ac gravitatem eſt compulſus abire. Arnob. lib. 4. adverſus Gentes:* Flora illa genitrix, & ſancta obſcœnitate ludorum bene curat, ut arva floreſcant. *Et lib. 7.* Exiſtimat ſe tractari honorifice Flora, ſi ſuis in ludis flagitioſas conſpexerit res agi, & migratum ab lupanaribus in theatra. *Plin. lib. 18. cap. 29.* Floralia à veteribus inſtituta IIII. Cal. Maji, urbis anno 516. ex oraculis Sibyllæ *ſcribit,* ut omnia bene floreſcerent. *De Floralibus vide etiam Lactant. lib. 1. cap. 20. ubi & Floram* meretricem *vocat, ſicut & Minut. in Octa. & Tatianus adverſus Gentes. Vide & Alex. ab Alex. lib. 6. Genial. dier. cap. 8.*

δ Dicit in alio loco jam conſul.] *Orat. 3. in Catil. tacto enim in Capitolio Romulo, cum aruſpices ex tota Etruria conveniſſent, cædes atque incendia, & legum interitum, & bellum civile ac domeſticum, & totius urbis ac imperii occaſum appropinquare dixiſſe, niſi dii immortales omni ratione placati ſuo numine prope fata ipſa flexiſſent, ex illorum reſponſis tunc & ludi per decem dies facti ſunt: neque res ulla, quæ ad placandos deos pertineret, prætermiſſa eſt. Ita ſolitos fuiſſe Romanos ad placandos deos ludos vovere, paſſim teſtatur Livius.*

ε Nocituri homines.] *Catilinam & ſocios conjuratos intelligit.*

ζ Nequiſſimam, immundiſſimam, cujus actores.] *Arnob. lib. 7.* Itane iſtud non eſt deorum diminuere dignitatem, dicare & conſecrare turpiſſimas res eis, quas Cenſor animus reſpuat, & quarum actores inhoneſtos eſſe jus veſtitum, & inter capita computari judicavit infamia.

CAP. XXVIII.

De Chriſtianæ religionis ſalubritate.

AB α iſtarum ergo immundiſſimarum poteſtatum Tartareo jugo & ſocietate pœnali erui per Chriſti nomen homines, & in lucem ſaluberrimæ pietatis ab illa pernicioſiſſimæ impietatis nocte transferri quæruntur, & murmurant iniqui & ingrati, & illo nefario ſpiritu altius obſtrictiusque oppreſſi, β quia populi confluunt ad eccleſias γ caſta celebritate, δ honeſta utriusque ſexus diſcretione: ubi audiant, quàm bene hic ad tempus vivere debeant, ut poſt hanc vitam beatè ſemperque vivere mereantur. Ubi ſancta ſcriptura ε juſtitiæque doctrina, † de ζ ſuperiore loco η in conſpectu omnium perſonante, θ & qui faciunt, audiant ad præmium, & qui non faciunt, audiant ad judicium. Quò etſi veniunt quidam talium præceptorum irriſores, omnis eorum petulantia aut repentina immutatione deponitur, aut timore vel pudore comprimitur. Nihil enim eis turpe ac flagitioſum ſpectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur.

Loquitur de Suggeſtu, ex quo conciones habētur ad pop.

F. L. Coq. α AB iſtarum ergo immundiſſimarum.] *Arnob. lib. 1. contra Gentes, pag. 19.* Unum locum omnia ſuperaſſe & transgreſſum eſſe Chriſti munera, *ſcribit,* quod ab religionibus nos falſis religionem traduxit ad veram.

β Quia populi confluunt ad Eccleſias.] *Ab ipſa naſcente Eccleſia, eum morem obſervarunt fideles, ut in unum convenirent, & jam ab Apoſtolis uſitatum hunc morem Chriſtianorum conſtat ex 1. Cor. 11.* Convenientibus vobis in unum. *Juſtin. Mart.* Nos autem, *inquit,* credentem jam & nobis aſcitum ad fratres, qui ducuntur, eo adducimus, ubi illi congregati ſunt ad communes preces & ſupplicationes, tum pro ſe ipſis, tum pro illuminato & aliis ubique Gentium omnibus animo intento peragendas. *Et Tertull. in Apologet. cap. 39.* Coitus in cœlum & congregationem, ut ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Et ſi enim omni in loco orare licet, & preces ad Deum fundere, qui nullo circumſcriptus eſt loco, melius tamen atque longe utilius ad Eccleſias accedere,

re, in illiſque orare. *D. Baſilius epiſt. 68.* Oratio, quæ non eſt comptecatores nacta, multo eſt ſeipſa languidior atque debilior *D. Ambroſ. lib. de pœnit.* multi minimi dum congregantur, unanimes ſunt magni, & multorum preces impoſſibile eſt contemni. *Plura in cap. 6. hujus libri annotavimus. Addo quod ex loci conſecratione ſpiritualem devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur. D. Thom. 2. 2. q. 84. art. 3.*

γ Caſta celebritate.] *Adeunda Eccleſia cum ſumma animi pietate, omnique reverentia, ob loci religionem. Chryſoſt. homil. 15. in epiſt. ad Hebr.* In aulam regiam intraturus habitu, oculis, inceſſu, cunctis aliis te componis & adornas: in Eccleſiam vero ingreſſurus, ubi vere eſt aula Regis talis, qualis quæ cœleſtis, rides! tum etiam ob Angelorum conſpectum: Plenæ ſunt Eccleſiæ, *ait idem Chryſoſt. hom. 15. ad Heb.* incorporeis virtutibus. *Et hom. 24. in acta Apoſt.* Neſcis, quod cum Angelis ſtas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis?

δ Honeſta utriusque ſexus diſcretione.] *Mulieres in Eccleſia à viris ſegregari & ſecerni vetuſtiſſima conſuetudine receptum fuit: cujus auctor eſt Philo Judæus lib. de vita ſupplicum, ſiquidem vitam & mores veterum Chriſtianorum depingens:* In commune, *inquit*, fœmineum in quod ſeptimo quoque die conveniunt, ſepto clauditur duplici, ſeparatis virorum & mulierum cœtibus. *Clemens Rom. lib. 2. Conſt. Apoſt. cap. 57.* Mulieres, *inquit*, ſeparatim ſedeant. *Et D. Auguſt. infra lib. 22. cap. 8. partis fœminarum in Eccleſia meminit Cyrill. Hieroſol. præfat. catecheſ.* Si concluſa eſt Eccleſia, & vos omnes intus, ſeparentur viri, ut ſint cum viris, & mulieres cum mulieribus, ne ſtudium ſalutis ſit perditionis occaſio. *Amalarius Fortunatus:* ſeparamur viri & fœminæ in Eccleſia non ſolum ab oſculo carnali, ſed etiam ſitu locali.

ε Juſtitiæque doctrina.] *Merito ſcripturam ſacram* juſtitiæ doctrinam *appellat: non enim in ſcripturis philoſophorum; ſed in ſola ſcriptura ſacra, quæ ſunt voces & oracula divina, vera juſtitia edocetur & diſcitur.*

ζ De ſuperiore loco.] *Per ſuperiorem locum* ſuggeſtum *intelligit, ex quo conciones haberi ſolitæ ad populum, qui mos antiquiſſimus in Eccleſia. ut ſupra ad cap. 6. & 19. obſervatum eſt.*

η In conſpectu omnium perſonante.] *Ita enim Chriſtus ad ſuos Matth. 10.* Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta, *Iſai 40.* Super montem excelſum aſcende tu, qui Evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam. *Matth. 5.* videns Ieſus turbas aſcendit in montem, *mons ille ſuperiorem locum, de quo hic Auguſt. ſignificat, ex quo perſonat juſtitiæ doctrina, id eſt, ſcriptura veteris & novi teſtamenti.*

θ Et qui faciunt, audiant ad præmium.] *Sic* idem bonus odor Chriſti aliis eſt odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.

CAP. XXIX.

De abjiciendo cultu, Deorum cohortatio ad Romanos.

HÆc potius concupiſce, ô indoles Romana laudabilis, α ô progenies Regulorum, Scævolarum, Scipionum, β Fabritiorum: hæc potius concupiſce,

hæc ab illa turpiſſima vanitate & fallaciſſima dæmonum malignitate diſcerne. *b* Si β quid in te laudabile naturaliter eminet, non niſi vera pietate purgatur atque perficitur, impietate autem † diſpergitur & punitur. Nunc jam elige quid ſequaris, ut non in te, ſed in Deo vero ſine ullo errore lauderis. Tunc enim tibi gloria popularis affuit, ſed γ occulto judicio divinæ providentiæ vera religio, quam eligeres, defuit. Expergiſcere, *c* dies eſt, *d* ſicut δ experrecta es in quibusdam, de quorum virtute perfecta, & pro fide vera etiam paſſionibus gloriamur, qui uſquequaque adverſus poteſtates inimiciſſimas confligentes, easque fortiter moriendo vincentes, ſanguine nobis hanc patriam peperere ſuo. Ad quam patriam te invitamus & exhortamur, ut ejus adjiciaris numero civium, cujus quodammodo aſylum eſt vera remiſſio peccatorum. Non audias degeneres tuos Chriſto Chriſtianisve detrahentes & accuſantes velut tempora mala, cùm quærant tempora, in quibus non ſit quieta vita, ſed potius ſecura nequitia. Hæc tibi nunquam, nec pro terrena patria placuerunt. Nunc jam cœleſtem arripe, pro qua minimum laborabis, & in ea veraciter ſemperque regnabis. Illic enim tibi ε non Veſtalis focus, *e* non ζ lapis Capitolinus, ſed Deus unus & verus, *f* qui nec η metas rerum, nec tempora ponet, imperium ſine fide dabit. Noli Deos falſos fallacesque requirere, abjice potius atque contemne θ in veram emicans libertatem. Non ſunt Dii, maligni ſunt ſpiritus, ι quibus æterna tua fœlicitas pœna eſt. *g* Non tam Juno Trojanis, à quibus carnalem originem ducis, arces videtur invidiſſe Romanas, quàm iſti dæmones, quos adhuc Deos putas. omni generi hominum ſedes invident ſempiternas? Et tu ipſa non parva ex parte de talibus ſpiritibus judicaſti, quando ludis eos placaſti, & per quos homines eosdem ludos feciſti, infames eſſe voluiſti. Patere aſſeri libertatem tuam adverſus immundos ſpiritus, qui tuis cervicibus impoſuerant ſacrandam ſibi & celebrandam ignominiam ſuam. Autores criminum divinorum removiſti ab honoribus tuis, ſupplica Deo vero, ut à te removeat illos Deos, qui delectantur criminibus ſuis, ſive veris, quod ignominioſiſſimum eſt, ſive falſis, quod malitioſiſſimum eſt. Bene quod tua ſponte hiſtrionibus & ſcenicis ſocietatem civitatis patere noluiſti, evigila plenius, nullo modo his artibus placatur divina majeſtas, quibus humana dignitas inquinatur. Quo igitur pacto Deos, qui talibus delectantur obſequiis, haberi putas in omni numero ſanctarum cœleſtium poteſtatum, cùm homines, per quos eadem aguntur obſequia, non putaſti habendos in numero qualiumcunque civium Romanorum? Incomparabiliter ſuperna eſt civitas clarior: ubi victoria, veritas: ubi dignitas, ſanctitas: ubi pax, fœlicitas: ubi vita, æternitas. Multò minus habet in ſua ſocietate tales Deos, ſi tu in tua tales homines habere erubuiſti. Proinde ſi ad beatam pervenire deſideras civitatem, devita dæmonum ſocietatem. Indignè ab honeſtis coluntur, qui per turpes placantur: ſic iſti à tua † ſocietate removeantur purgatione Chriſtiana, quomodo illi à tua dignitate remoti ſunt notatione cenſoria. De bonis autem carnalibus, quibus ſolis mali perfrui volunt, & de malis carnalibus, quæ ſola perpeti nolunt: quod neque in his habeant, quam putantur habere iſti dæmones poteſta-

al. deperditur.

Dæmonũ pœna eſt hominũ felicitas.

al. pietate.

teſtatem, quanquam ſi haberent, deberemus potius etiam iſta contemnere, quàm propter iſta eos colere, & eos colendo ad illa, quæ nobis invident, pervenire non poſſe: tamen nec in iſtis eos hoc valere quod hi putant, qui propter hæc eos coli oportere contendunt: deinceps videbimus ut hic ſit hujus voluminis modus.

a FAbritiorum.] *Fabritius conſul fuit bello Pyrrhi, quo tempore maximè viguit Romana virtus, vir fortiſſimus, pauper continens, ab omni vel opum, vel voluptatum, vel honoris cupiditate alienus.* I. Vitæ Fabricius.

b Si quid in te laudabile.] *Semina in nobis eſſe virtutum, Stoici dicebant à natura indita, aliis majora, aliis minora, ea excoli, augeri, perfici diſciplina, educatione, exercitatione.* Semina virtutū.

c Dies eſt.] *Ad illud Pauli ad Romanos 13. Nox præceſſit, dies appropinquavit. Dies eſt clara notitia bonorum, in cujus poteſtate eſt ſol, ſicut ait Pſalmiſta, Nox obſcura & tenebroſa.* Dies.

d Sicut experrecta es in quibuſdam.] *Romanos aliquot ad Chriſtum converſos eſſe.*

e Non lapis Capitolinus.] *Jovis ſimulachrum in Capitolio erat lapideum: hinc per Jovem lapidem ſanctiſſimum Romanis jusjurandum, ut etiam in proverbium ceſſerit.*

f Qui nec metas.] *Verba ſunt Jovis apud Vergilium 1. Æneid. promittentis imperium Romanis æternum. Quantò Saluſtius ſapientius in Oratione ad Cæſarem ſenem, futurum aliquando populi Romani excidium ait: & Africanus minor cùm incendium Carthaginis ſpectaret lachrymabundus Homeri verſu ſignificavit arſuram quoque aliquando ſuam Romam.*

g Non tam Juno.] *Eodem primo Æneidos.*

α O Progenies Regulorum.] *Nobiliſſimas quaſdam familias nominat, quibus cætera comprehenduntur, & quia adhuc ſuo tempore fortaſſe non deerant, qui eſſent ex hujuſmodi familiis: ut enim auctor eſt D. Hieron. in Epitaphio Paulæ,* nobiliſſima illa matrona genere, ſed fide & ſanctitate nobilior, Gracchorum ſtirps, ſoboles Scipionum, *ut loquitur, fuit.* P.L.Cap.

β Si quid in te laudabile.] Semina quædam virtutum ab initio hominibus innaſci *docet Philoſ. 6. Moral. cap. 13.* καὶ γὰρ δίκαιοι, καὶ σωφρονικοὶ, καὶ ἀνδρεῖοι καὶ τ' ἄλλα ἔχομεν εὐθὺς ἐκ γενετῆς. *nam & juſti, & propenſi ad temperantiam, & fortes & alia habemus ſtatim ab ortu. Seneca epiſt. 95.* omnium honeſtarum rerum ſemina animi noſtri gerunt, quæ admonitione excitantur, non aliter quam ſcintilla flatu levi adjuta ignem ſuum explicat. *Quod item ſcribit Plato lib. 6. de legib.*

γ Occulto judicio divinæ providentiæ.] *Alludit ad illud Rom. 13.* Nox præceſſit, dies autem appropinquavit: *diem ſol verus Chriſtus effecit, ſiquidem ante ejus adventum* tenebræ operiebant terram, & caligo populos: *ipſe vero adventu ſuo omnem erroris calliginem, & ignorantiæ tenebras à mentibus hominum diſcuſſit.*

δ Sicut experrecta es in quibuſdam.] *Scilicet Romanis ad Chriſtum converſis. Nam tempore D. Auguſtini Romani fere Chriſtianam religionem erant amplexi, quod & longe antiquior teſtatur Tertull. lib. adverſus Judæos cap. 7. & D. Hieron.*

lib. 2.

lib. 2. contra Jovinian. ita Romam alloquitur: Ad te loquar, quæ ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione deleſti. *Et Apoſt. Romanis ſcribens, Eorundem fidem jam ab initio naſcentis Eccleſiæ plurimum commendabat:* fides veſtra anunciatur in univerſo mundo. *unde D. Hieron. loco cit.* Urbs Apoſtoli voce laudata & *epiſt. 16. & 18.* Eſt ibi ſancta Eccleſia, ſunt trophæa Apoſtolorum & Martyrum, eſt Chriſti vera confeſſio, eſt ab Apoſtolo prædicata fides, & gentilitate calcata in ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum. *Et antiquior Arnob.* Ipſam denique apud dominam Romam, in qua cum homines ſint Numæ artibus, atque antiquis ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerunt tamen res patrias relinquere, & veritati coaleſcere Chriſtianæ.

ε Non Veſtalis focus.] *Apud Livium lib. 5. Camillus in oratione, qua dehortatur Romanos à deſerenda urbe:* Quid de æternis, *inquit,* Veſtæ ignibus, ſignoque, quod imperii pignus cuſtodia ejus templi tenetur, loquar? Veſtæ ignis perpetuus dicatus erat, à ſacris virginibus cuſtoditus, & quoties ignis ille perpetuus quovis caſu extinguebatur, maximorum malorum imminentium præſagium erat; idque ſuper omnia gravia Romani timebant, interitum urbis quàm primùm affuturum credentes. *Livius lib. 28.* Terruit hominum animos ignis in æde Veſtæ extinctus.

ζ Non lapis Capitolinus.] *Capitolium templum erat Jovis, in quo ſimulachrum ejus lapideum ſpectabatur: unde natum jusjurandum* per Jovem lapidem, *quod Romanis ſanctiſſimum erat. Cic. epiſt. 12. lib. 2. famil. ad Trebatium:* quomodo tibi placebit Jovem lapidem jurare, *&c. Apud Agellium lib. 1. cap. 21.* Jovem lapidem, quod ſanctiſſimum jusjurandum eſt habitum, paratus ſum ego jurare. *Apulejus lib. de Deo Socratis:* Quid igitur jurabo per Jovem lapidem Romano vetuſtiſſimo ritu? *Eo reſpexit Auſonius in precatione mututina ad Deum cum ait:* Si lapides non juro deos. *vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 10. Briſſonium lib. 8. de formulis.*

η Qui nec metas rerum.] *Alludit ad verſus Virg. 1. Æneid. quibus Juppiter ipſe Romanis æternum pollicetur imperium. Ita quidem Virg. Jovem induxit loquentem, ſed de propria ſententia locutus, aliquando periturum illud imperium aperte ſcripſit:* Non res Romanæ, perituraque regna. *Vide Auguſt. ſerm. 26. de verbis Domini in Matthæum: Facile agnovit Scipio ille Æmylianus non æternum fore illud imperium, quin & ruituram aliquando urbem: deflenti enim fortunam Carthaginis, Homericum illud excidit.* Ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτὲ ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρὴ, καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο, *id eſt,* Jamque dies aderit, quo concidat Ilium ingens, & Priamus, Priamique ruat plebs armipotentis, *Et familiariter rogatus à præceptore Polybio, quid ſibi vellent ea verba, faſſus eſt ingenue, cogitationem incidiſſe ſibi de patria, cui timeret, vices rerum humanarum conſiderans. Appi. lib. de bellis Punicis dicebant tamen antiqui vim fati quandam eſſe, ut Romani principes Cteſiphontem tranſire non poſſent, ideoque Carum fulmine abſumptum, quod eos fines transgredi cuperet, qui fataliter conſtituti eſſent. Vopiſcus in Cato.*

θ In veram emicans libertatem.] *Quæ libertas eſt à peccato; de qua Joannis 8. Chriſtus ipſe:* ſi filius vos liberaverit, veri liberi eritis. *De qua Apoſt.* liberati à pecca-

to, ſervi facti eſtis juſtitiæ. *Ibid.* cum ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. *Poſt:* Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo. *Et alibi:* Vos in libertatem vocati eſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſervite invicem: hanc libertatem perdideramus per peccatum, adepti ſumus per Chriſtum. *Petrus Diaconus lib. de incarnat. & gratia Chriſti:* Ab hac damnatione & morte per Adæ peccatum illata nullus omnino liberatur, niſi gratia redemptoris, qui cum eſſet Dominus, utpote Deus, ut nos à ſervitute perpetua & poteſtate Diaboli liberaret, atque ad veram libertatem educeret, factus eſt ſervus accipiens formam ſervi. *Hinc eſt quod dicit ad Judæos:* Tunc vere liberi eritis, ſi vos filius liberaverit.

i Quibus æterna tua fœlicitas pœna eſt.] *Dæmones enim maxime torquentur invidia & odio, & quantum poſſunt ſaluti hominum inſidiantur, vellentque omnes in damnationem præcipites ruere, & in pœnis ſibi eſſe conſortes, ac de beatorum gloria triſtantur maxime. D. Thom. 4. d. 50. q. 2. arti. 1. quæſtiuncula 4. & quodlib. 1. artic. 17.*

DIVI AURELII AUGUSTINI
EPISCOPI
AD MARCELLINUM
DE CIVITATE DEI
LIBER TERTIUS
Cap. I.

De adverſitatibus, quas ſoli mali metuunt, & quas ſemper paſſus eſt mundus dum Deos coleret.

JAm ſatis dictum eſſe arbitror de morum malis, & animorum, quæ præcipuè cavenda ſunt, nihil Deos falſos populo cultori ſuo, quo minus eorum malorum aggere premeretur, ſubvenire curaſſe, ſed potius, ut maximè premeretur, egiſſe. Nunc de illis malis video dicendum, quæ ſola iſti perpeti nolunt, qualia ſunt fames, morbus, bellum, exſpoliatio, captivitas, trucidatio, & ſi qua ſimilia, jam in primo libro commemoravimus. Hæc enim mali ſola deputant mala, quæ non faciunt malos: nec erubeſcunt inter bona, quæ laudant, ipſi mali eſſe qui laudant: magiſque ſtomachantur: *a* ſi villam malam habeant, quàm ſi vitam. Quaſi hoc ſit hominis maximum bonum habere bona omnia præter ſeipſum: ſed neque talia mala, quæ iſti ſola formidant, Dii eorum, quando ab eis liberè colebantur, ne illis acciderent obſtiterunt. Cùm enim variis per diverſa loca temporibus ante adventum Redemptoris noſtri, innumerabilibus nonnulliſque etiam incredibilibus cladibus genus contereretur humanum, quos alios quàm iſtos Deos mundus colebat, *a* excepto uno populo Hebræo, *b* & *β* quibuſdam extra ipſum

populum, ubicunque γ gratia divina digni occultiſſimo atque juſtiſſimo Dei judicio fuerunt? Verum ne nimium longum faciam, tacebo aliarum *ò* uſquequaque gentium mala graviſſima, quod ad Romam pertinet, Romanumque imperium tantùm loquar, id eſt, ad ipſam propriè civitatem, & quæcunque illi terrarum, vel ſocietate conjunctæ, vel conditione ſubjectæ ſunt, quæ ſint perpeſſæ ante adventum Chriſti, cùm jam ad ejus quaſi corpus reipublicæ pertinerent.

2. Vives. *a* SI illa mala.] *In vetuſtis codicibus: Si villam malam: quod eſt acutius dictum per denominationem.*

b Et quibusdam extra ipſum populum.] *Ut Iob, & quidam inter gentiles alii ad naturæ legem vitam ſuam dirigentes: de quibus alibi.*

F.L. Coq. *α* EXcepto uno populo Hebræo.] *Pſal. 75.* Notus in Judæa Deus, in Iſrael magnum nomen ejus. *Pſal. 134.* Jacob elegit ſibi Dominus, Iſraelem in poſſeſſionem ſibi. *Pſ. 147.* Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua nõ manifeſtavit eis. *Gen. 15.* Deus Abrahæ: Ero Deus tuus, & Deus ſeminis tui poſt te. *Exod. 19.* Eritis mihi in peculium de cunctis gentibus. *Deut. 7.* Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris, de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram *Rom. 3.* primum quidem ſunt eis credita eloquia Dei. *Rom. 9.* Quorum adoptio eſt filiorum & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa. *Sed cur in ſolo illo populo cultus Dei? certe non propter juſtitias ejus, cum eſſet* populus duræ cervicis. *Deut. 9 ſed quia gens illa, ex qua Chriſtus promiſſus Abrahæ & patribus naſciturus erat, præ cæteris cultui Dei conſecrari debebat. Quærit D. Dionyſ. cap. 9. cœleſt. hierarch. quid ſit cur Hebræorum populus ſolus ad Dei divinarumque rerum intelligentiam ſubvectus ſit?* Reſpondendum, *inquit,* non oportere imputari recte gubernantibus Angelis, ſi gentes aliæ ad eorum, qui dii non ſunt, culturam devolutæ ſunt, ſed illis ipſis imprimis, qui motibus propriis à recto calle, quo ad Deum aſcendere poſſent, ſua ſponte deviarunt: cujus erroris adeo pernitioſi cauſa illis fuit amor ſui, atque ſuperbia, & quod ſequi neceſſum erat, eorum cultura, quæ divinum aliquid habere potuiſſent. *Et monet non propterea Deum ſoli populo Judaico præfuiſſe, reliquis autem Gentibus alios deos præfeciſſe:* Nempe enim, *inquit,* & aliis Gentibus, ex quibus & nos ad immenſum & infinitum divini numinis pelagus, quod paratum ſemper eſt, & patet omnibus ad participandum, ex præteriti erroris cæcitate reſpiravimus, nunquam præfuerunt alieni aliqui dii, ſed illud unum omnium ac ſingulare principium, ad quod ſane obſequentes ducebant Angeli præfecti ſingulis Gentibus. *Poſt:* Sed illud quoque divinæ ſcripturæ juxta hunc ſenſum ſacratius accipiendum eſt, non quaſi Deus cum diis aliis aut Angelis humani generis gubernaculum regimenque diviſerit, & Iſraeliticæ Gentis princeps & dux ipſe conſtitutus ſit, ſed quod una illa quidem altiſſimi in omnibus providentia mortales omnes in ſalutem Angelorum ſuorum ductibus ad ſe pervehendos diſtribuerit: Solus autem ferme Iſrael præ omnibus ad veri Domini intelligentiam cognitionemque converſus eſt.

β Et quibusdam extra ipſum populum.] *Neque enim lex vetus perinde atque lex*

lex Evangelica neceſſaria fuit ad ſalutem. D. Thom. 1. 2. qu. 78. artic. 5. Unde ſoli populo Judæorum à Deo per Moſem data eſt lex: Lex vero Evangelica toti orbi, & licet extra Eccleſiam nulla ſit ſalus; extra Synagogam tamen per fidem Chriſti mediatoris nonnulli ſalutem ſunt conſecuti. Teſtis eſt D. Dionyſius cap. 9. cœleſt. Hier. nonnullos Gentiles per Angelos fuiſſe in Deum reductos. Miror tamen, qui ſcribat Sotus lib. 2. de juſtitia, & jure qu. 3. artic. 5. Platonem in Dei gratiam fuiſſe receptum, & velit eſſe ex eorum numero, quos hic dicit Auguſt. extra Hebræorum gentem fuiſſe veri Dei cultores.

γ Ubicunque gratia divina digni.] *Hæc certe dignitas non eſt in natura, nec ex operibus liberi arbitrii, ſed ex prædeſtinatione Dei, per Chriſti meritum. Scio alicubi divum Auguſt. docere aliquid præcedere in juſtificatis, unde digni ſint ut juſtificentur; & alibi, venire ex occultiſſimis meritis: ſed ex ejus doctrina contra Pelag. paſſim conſtat ſatis, nulla præcedere in nobis merita ipſius divinæ gratiæ, quæ principium ſit & radix omnis meriti, nec ulla in nobis dignitas ad ipſam gratiam. Quod ergo dicit aliquos divina gratia dignos ex Gentibus fuiſſe, intelligit non comparatione meriti proprii, ſed ipſius Chriſti; ex quo quibuſdam confertur gratia, cum ab ea alii excludantur. Electio vero hæc unius, & non alterius, vel quod Chriſti meritum aliis applicetur, aliis minime in ſolam Dei voluntatem, ut in primam cauſam, & in occultiſſimum Dei judicium referendum eſt.*

δ Aliarum usquequaque Gentium mala graviſſima.] *Quæ enim imperia quantumvis florentiſſima, & latiſſima non corruerunt, ut Aſſyriorum, Perſarum, Macedonum? Quæ civitates etiam opulentiſſimæ non ſunt everſæ & ſolo æquatæ.*

CAP. II.

An Dii, qui & à Romanis, & à Græcis ſimiliter colebantur, cauſas habuerint, quibus Ilium paterentur excidere.

PRimùm *a* ipſa Troja vel Ilium, unde origo eſt populi Romani, neque enim prætereundum aut diſſimulandum eſt, quod & in primo libro attigi, eoſdem habens Deos, & colens, cur à Græcis victum, captum atque deletum eſt? *α* Priamo, inquiunt, ſunt reddita β Laomedontea paterna perjuria. *b* γ Ergo verum eſt quod Apollo atque Neptunus eidem Laomedonti mercenariis operibus ſervierunt. Illis quippe promiſiſſe mercedem falſumque juraſſe perhibetur. Miror δ Apollinem nominatum divinatorem in tanto opificio laboraſſe, neſcientem quòd Laomedon fuerat promiſſa negaturus. Quanquam nec ipſum Neptunum patruum ejus, fratrem Jovis, regem maris decuit ignarum eſſe futurorum. *c* Nam hunc Homerus de ſtirpe Æneæ, à cujus poſteris condita Roma eſt, *d* cùm *e* ante illam urbem conditam idem poeta fuiſſe dicatur, inducit magnum aliquid divinantem. quem etiam nube rapuit, ut dicit, ne ab Achille occideretur, cuperet cùm vertere ab imo, *e* quod apud Vergilium confitetur:

Apollino Neptuniq; ſervilia miniſteria in extruenda Troja.

Structa ſuis manibus perjuræ mœnia Trojæ.

Neſcientes igitur tanti Dii Neptunus & Apollo Laomedontem ſibi negatu- *5. Æneid.*

rum eſſe mercedem ſtructores mœnium Trojanorum *f* gratis & ingratis fuerunt. Videant ne gravius ſit tales Deos credere, quàm Diis talibus pejerare. Hoc enim nec ipſe Homerus facilè credidit, *g* qui ζ Neptunum quidem contra Trojanos, Apollinem autem pro Trojanis pugnantem facit, cùm illo perjurio ambos fabula narrat offenſos. Si igitur fabulis credunt, erubeſcant talia colere numina, ſi fabulis non credunt, non obtendant Trojana perjuria, aut mirentur Deos perjuria puniſſe Trojana, amaſſe Romana. Unde enim conjuratio Catilinæ in tanta tamque corrupta civitate, habuit etiam eorum grandem copiam, quos manus atque lingua perjurio aut ſanguine civili alebat? *h* Quid enim aliud toties ſenatores corrupti in judiciis, *i* toties populus in ſuffragiis, vel in quibus cauſis, quæ apud eum concionibus agebantur, *k* niſi etiam pejerando peccabant? *n* Nam corruptiſſimis moribus ad hoc mos jurandi ſervabatur antiquus, non ut à ſceleribus metu religionis prohiberentur, ſed ut perjuria quoque ſceleribus cæteris adderentur.

L. Vives. *a* PRiamo, inquiunt.] *Verg. primo Georgicôn:*

Satis jam pridem ſanguine noſtro
Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.

b Ergo verum eſt, quod Apollo.] *Apollo & Neptunus cùm Laomedontem Phrygiæ regem mœnibus Trojam circundare viderent, opusque eſſe ingens, operam ſuam regi locaverunt magna auri mercede, quam perfecto opere Laomedon eſt inficiatus.*

c Nam hunc Homer.] *Cùm Æneas quondam prælio cum Achille manum conſeruiſſet, ſuperaretur que ab eo, ac parum abeſſet, quo minus à fortiore Achille occideretur, Neptunus ſic loquitur apud Homerum Iliados* γ.

Vaticinium Neptuni.

ἀλλ' ἄγεθ' ἡμεῖς πέρ μιν ὑπὲκ θανάτου ἀγάγωμεν
μή πως καὶ κρονίδης κεχολώσεται, αἴκεν ἀχιλλεὺς
τὸν δὲ κατακτείνῃ. μόρσιμον δ' οἱ ἐστ' ἀλέασθαι,
ὄφρα μὴ ἄσπερμος γενεὴ καὶ ἄφαντος ὄληται
δαρδάνου. ὃν κρονίδης περὶ πάντων φίλατο παίδων,
οἳ ἕθεν ἐξεγένοντο γυναικῶν τε θνητάων
ἤδη γὰρ πριάμου γενεὴν ἤχθηρε κρονίων.
νῦν δὴ αἰνείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει.
καὶ παῖδες παίδων τοὶ, καὶ οἱ μετόπισθε γένωνται.

Quos verſus ſic utcunque Latinos fecimus, ſolùm ut intelligi à Latinis poſſint:

Funere nos iſtum jam nunc revocemus acerbo,
Iratum ſævos ne æſtus Saturnius heros
Colligat, hunc leto proles Pellæia forte
Si dederit, triſti licet hunc ſubducere fato:
Ne ſtirps tota cadat, cæcisque oppreſſa tenebris
Intereat gens illa, fuit charus, cui Dardanus autor.
Quem pater omnipotens reliquis plus omnibus unum
Fœmina quos ipſi genuit, complexus amore eſt.

At poſtquam Priami gentem jam Juppiter odit,
Viribus Æneas & majeſtate verendus
Jam dabit Phrygiis: natique & cuncta propago
Æternum accipiet regnum, illa in gente vetuſtum.

Propter hos Homeri verſus Dionyſius Halicarnaſſeus ſcribit prodidiſſe multos, Æneam relictis in Italia ſociis ad Phrygiam rediiſſe, ibique inſtaurata Troja regnaſſe, ac regnum per manus filio tradidiſſe. Verum Homerus de regno & Troja Italica loquebatur, quæ Troja illa Phrygia manaverat, id eſt de Laviniis & Albanis, quorum origo fuit à Trojanis Æneæ ſociis.

d Cùm ante illum urbem conditam.] *Nec de tempore urbis conditæ, neque de Homeri vatis ætate ſatis inter ſcriptores convenit: tametſi de Roma minor ambiguitas. Plutarchus in Romulo fundamenta urbis Romæ à Romulo & Remo jacta ſcribit. anno tertio ſextæ olympiadis, quo die fuit lunæ defectus. Dionyſius & Euſebius primo anno ſeptimæ olympiadis conditam volunt, poſt dirutum Ilium anno quatercenteſimo trigeſimo ſecundo, Solinus in Polyhiſtore. Cincio Romam xii. olympiade placet conditam: Pictori octava: Nepoti & Luctatio opiniones Eratoſthenis, & Apollodori comprobantibus olympiadis vii. anno ii. Pomponio Attico & M. Tullio olympiadis vii. anno iii. Collatis igitur noſtris & Græcorum temporibus incipiente olympiade vii. Romam conditam poſt Ilium captum ccccxxxiii. anno. De Homeri temporibus & de patria & parentibus maxima contentio ex Græcis autoribus. Quidam Homerum interfuiſſe Trojano bello ſcribunt. Certè ipſe in primo Od. lib. Phemium præceptorem ſuum pſallentem in procorum convivio inducit: niſi hoc ambitioſe nimis fecerit in gratiam magiſtri parum ſervata ratione temporum. Alii centum annis poſt confectum Trojanum bellum affirmant vixiſſe. Non deſunt, qui huic numero quinquaginta annos adjiciant. Ariſtarchus eo tempore vixiſſe Homerum eſt autor, quo in Ioniam colonia eſt deducta, poſt Heraclidarum deſcenſum annis lx. à bello Trojano cxxx. Crates nondum lxxx. annos putat intereſſe inter dirutum Ilium & natum Homerum. Quidam eum ſcribunt Telemacho Ulyſſis filio, & Polycaſta Neſtoris filia genitum. In libris verò chronicis Euſebii Cæſarienſis pontificis ſic ſcribitur: In Latina hiſtoria reperimus, Agrippa apud Latinos regnante Homerus in Græcia claruit, ut teſtatur Apollodorus grammaticus: & Euphorbus hiſtoricus, ante urbem conditam annis cxxiv. & ut ait Corn. Nepos, ante olympiadem primam annis centum. Quamcunque igitur rationem temporum ſequi liceat, Homerus erit urbe Roma antiquior. Quod & Cic. teſtatur in Tuſc. quæſt.*

Homeri tempora

Phemius Homeri præceptor.

e Quod apud Verg.] *5. Æneid.*

Pelidæ tunc ego forti
Congreſſum Æneam, nec Diis nec viribus æquis
Nube cava eripui: cuperem cùm vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.

f Gratis & ingratis.] *Prius adverbium eſt, poſterius nomen.*

g Qui Neptunum.] *Poſtquàm mercede juſta fraudatus eſt Neptunus, Trojanis in-*

Apollo Trojanis favet.

infenſus ſemper fuit. Apollo facilior & clementior nihilo eis minus favit quàm antea. Verg. in ſexto:

Phœbe graves Trojæ ſemper miſerate labores,
Dardana qui Paridis direxit tela, manusque
Corpus in Æacidæ.

Lex Sempronia de judiciis. Lex Plautia. Lex Cornelia. Lex Aurelia.

h Quid enim aliud toties ſervatores.] *Lege Sempronia, quam tulit C. Gracchus, equeſter ordo judicavit per xx. annos ſine infamia. Lege deinde Plautia ex ſingulis tribubus quini deni ſunt creati comitiis populi, qui eo anno judicarent. Id factum eſt altero anno Italici belli Cn. Pompejo Sexti filio & L. Catone Coſſ. Poſtea lege Cornelia, quam tulit L. Sylla, judicia tranſlata ſunt ad ſenatum: judicarunt x. annos turpiſſimè & corruptiſſimè. Cic, in Verrem: Cùm adhuc ampliſſimus ordo judicaret, de corruptis judiciis multum queritur. Poſtremò lege Aurelia, quam tulit M. Aurelius Cotta prætor, uterque ordo judicavit.*

i Toties populus.] *Lucanus in primo:*

Hinc rapti faſces pretio, ſectorque favoris
Ipſe ſui populus, letaliſque ambitus urbi
Annua venali referens certamina campo.

k Niſi etiam pejerando.] *Nam judices jurati judicabant, & populus cùm in ſuffragium mittebatur, tacito jurejurando aſtringebatur, perfectis modo ſacris, nec pretium, nec gratiam antiquius ſalute reipublicæ habiturum.*

F.L.Cap.

α IPſa Troja, vel Ilium.] *Ilium propriè civitas eſt, nam regio Troja eſt, quam interdum pro urbe Trojana uſurpat Virg. ut 3. Æneid.* Et Campos ubi Troja fuit. *Et 2. Æneid.* Ceciditque ſuperbum Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja. *Ab* Ilo *Rege ampliata, &* Ilium *dicta, cum antea* Troja *à regione, in qua ſita eſt, diceretur.*

β Laomedontea perjuria.] Laomedon *Rex fuit Trojæ* Ili *filius, qui cum de ædificandis Trojæ mœnibus cogitaret, Apollini & Neptuno id negotii dedit, pactus mercedem, quam mox exſtructis mœnibus ſe ſoluturum jurejurando affirmavit: verum perfecto opere, Laomedon perjurus mercedem negavit, duplici inſignis fuit perjurio in Neptunum & Apollinem primum, deinde in Herculem, hinc Virg.* Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ *Idem:* Neſcis heu perdita, nec dum Laomedonteæ ſentis perjuria gentis. *Horat.* Ex quo deſtituit deos mercede pacta Laomedon. *Hujus filius fuit Priamus, qui ei in regno ſucceſſit.*

γ Ergo verum eſt, quod Apollo atque Neptunus.] *Tertull. in Apolog. cap. 14.* Quis non poeta, *inquit,* dedecorator invenitur deorum; Hic Apollinem Admeto Regi paſcendis pecoribus addicit: ille Neptuni ſtructorias operas Laomedonti locat. *Quo argumento ſubſannant deos Gentilium Joſephus lib. 2. contra Appion. Athenagoras orat. pro Chriſtianis, Arnob. lib. 4. contra Gentes. Cypr, lib. de Idol. vanit. Lactant. lib. 1. cap. 10. Minut. in Octa.*

δ Apollinem nominatum divinatorem.] *Auguſt. lib. 1. de ordine cap. 4. verum Apollinem Chriſtum vocat veridicum, atque ipſammet veritatem, cujus vates ſunt, quicunque poſſunt eſſe ſapientes. Tertull. in Apol. cap. 22. de dæmonibus:* Æmulantur,

lantur, *inquit*, divinitatem, dum furantur divinationem: in oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventis: ſciunt Crœſi, ſciunt Pyrrhi. *Dicebatur λοξίας propter* obliqua & tortuoſa reſponſa, quæ reddebant ejus vates. *De oraculis Apollinis vide Theodoretum Serm. 10. de curat. Græc: affect.*

Nam hunc Homerus de ſtirpe Æneæ.] *Iliad. 5.*

Νῦν δὲ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Nunc autem Æneæ vis Trojanis imperabit, & filii filiorum, qui quidem in poſterum naſcentur.

ε Cum ante illam urbem conditam.] *Agell. lib. 17. cap. 21. docet ex omnium fere ſcriptorum conſenſu Homerum & Heſiodum ætatem egiſſe, vel iiſdem fere temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem, utrumque tamen ante Romam conditam vixiſſe, Sylviis Albæ regnantibus, annis poſt bellum Trojanum, ut Caſſius in 1. Annal. de Homero atque Heſiodo ſcriptum reliquit, plus centum atque ſexaginta: Ante Romam autem conditam, ut Cornel. Nepos in 1. Chronic. de Homero dixit, annis circiter centum & quinquaginta; ut Plutarchus in vita Homeri author eſt. Alii enim natum volunt ipſo tempore belli Trojani; quidam centum annis poſt, alii 150. Homerum, & Heſiodum fuiſſe ante Romam conditam docet. Cic. 1. Tuſcul. ſcribit, fuiſſe temporibus Lycurgi. In Catone docet multis ſæculis fuiſſe ante Heſiodum. Genebrardus lib. 1. Chronol. Homerus centum annis plus minus poſt bellum Trojanum, ſexcentis ante Ariſtotelem, centum triginta ante primam Olympiadem. Sabellius Enneadis primæ lib. 8. plures ſententias refert de Homeri ætate.*

ζ Qui Neptunum contra Trojanos.] *Homer. Iliad. 20.* πῶς ὁ ἀργικτύπος Ἐννοσίγαιος ἱερᾶ δε ξυνιόντων; ἦτοι μὲν γὰρ ἔναντα Ποσειδάωνος ἄνακτος ἵστατ' Ἀπόλλων Φοῖβος ἔχων ἰὰ πτερόεντα. *Et Iliad. 21. Neptunus Apollinem levitatis arguit, ut qui jam oblitus ſit injuriarum, quas ei ſævus Laomedon pro mercede intulerit.*

η Nam corruptiſſimis moribus ad hoc mos jurandi.] *Innuit morem jurandi in ſuffragiis, quo jurabant ſe nec favore, nec pretio adductos fuiſſe, nec aliquid antiquius Reipub. ſalute habituros.*

CAP. III.

Non potuiſſe offendi Deos Paridis adulterio, quod inter ipſos traditur frequentatum.

NUlla itaque cauſa eſt, quare Dii, quibus, ut dicunt, ſteterat illud imperium, cùm à Græcis prævalentibus probentur victi, Trojanis pejerantibus fingantur irati. *a* Nec α adulterio Paridis, ut rurſus à quibuſdam defenduntur, ut Trojam desererent, ſuccenſuerunt. Autores enim doctoresque peccatorum eſſe aſſolent, non ultores. *b* β Urbem Romam, inquit Saluſtius, ſicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani: γ qui Ænea duce profugi, incertis ſedibus vagabantur. Si ergo adulterium Paridis vindicandum numina cenſuerunt, aut magis in Trojanis, aut etiam in Romanis puniendum fuit, *c* quia Æneæ mater hoc fecit. Sed quomodo δ in illo illud flagitium oderant, qui in ſua ſocia Vene-

Venere non oderant, *a* ut alia omittam, quod cum Anchiſe commiſerat, ex quo *d* Æneam pepererat? An quia illud factum eſt ζ indignante Menelao, illud autem η concedente *e* Vulcano? Dii enim credo non zelant conjuges ſuas, uſque adeò ut eas etiam cum hominibus dignentur habere communes. Irridere fabulas fortaſſis exiſtimor: nec graviter agere tanti ponderis cauſam. Non ergo credamus, ſi placet, Æneam fuiſſe Veneris filium. Ecce concedo, *f* ſi nec θ Romulum Martis. *g* Si autem illud, cur non & illud? ι An Deos fas eſt hominibus fœminis, mares autem homines Deabus miſceri nefas? Dura, vel potius non credenda conditio, *h* κ quod ex jure Veneris in concubitu Marti licuit, hoc in jure ſuo ipſi Veneri non licere. At utrumque firmatum eſt autoritate Romana. λ Neque enim minus credidit recentior *i* Cæſar *k* aviam Venerem, quàm patrem *l* antiquior Romulus Martem.

L. Vives. *a* ADulterio Paridis.] *Hoc opinor omnibus & lippis notum & tonſoribus eſſe, ut inquit ille, Nemo neſcit bellum Trojanum natum eſſe, quòd Alexander Paris Helenam Menelai uxorem rapuerit.*

b Urbem Romam.] *Quo tempore & à quibus condita fuerit Roma, Dionyſius, Solinus, Plutarchus, & alii permulti, multa & longè diverſiſſima referunt. Ab eis petat, qui hæc fusè voluerit cognoſcere.*

c Quia Æneæ mater.] *Veneris lenocinio uſus eſt Paris in Helena rapienda. Hoc enim munere Venus in judicio Dearum de forma Paridem judicem corrupit.*

d Æneam.] *Anchiſæ & Veneris fuit filius. Vergilius:*

Tu ne ille Æneas, quem Dardanio Anchiſæ
Alma Venus Phrygias genuit Simoentis ad undas?

Et Lucretius:

Æneadum genitrix hominum, divumque voluptas
Alma Venus.

e Vulcano.] *Qui maritus erat Veneris.*

Romuli pater. *f* Si nec Romulum Martis.] *Dionyſ. Halicarnaſſ. ad Martis lucum cùm Ilia Veſtalis virgo iſſet aqua puræ haurienda gratia, in templo compreſſa eſt. Sunt qui putent ab aliquo ex procis, alii ab Amulio ipſo patruo dicunt armato, alii à genio loci. Hæc ille. Ego verò & Romulum militis cujuſpiam fuiſſe filium credo, & Æneam alicujus ſcorti. Et quia milites ſub Marte eſſe ſunt exiſtimati, & ſcorta ſub Venere, idcirco Romuli pater Mars, Æneæ mater Venus eſt dicta. Quæ fuerit Æneæ mater vera, hæc eſt una ex ineptis illis & ſtultis grammaticorum quæſtiunculis, de quibus diſputari in illis quatuor milibus Didymi voluminibus Seneca ſcribit.* Æneæ mater.

g Si autem illud, cur non & illud?] *Pro hoc & illud, Græco more, vel etiam Latino, ſed poeticè magis quàm oratoriè.*

h Quod ex jure Veneris.] *Occulta deriſio, ſed faceta. Mars Venerem adulteratus eſt. hoc licuit Marti in jure Veneris, hoc eſt, in ratione concubitus & libidinis, quæ ſunt ſub Venere: cur non idem in libidine ipſa & luxuria licebit ipſi Veneri, quæ eſt earum domina? quod licet alienis beneficio Veneris, cur Veneri non permitteretur in ſuo libidinoſo regno tam liberè verſari, quàm aliis id quod eſt Veneris permittitur, & quidem à Venere ipſa?*

i Cæ-

i Cæſar.] *Hic gentis crat Juliæ, quæ in Julum Æneæ filium genus referebat & per Julum in Venerem. Julia gens ex Alba longa in urbem à Tullo rege traducta eſt & inter patritias allecta. Idcirco Cæſar dictator templum Veneri ſtruxit, quod Veneris genitricis appellavit. Idem Cæſar ipſe apud Tranquillum: Amitæ, inquit, meæ Juliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus conjunctum eſt: nam ab Anco Martio ſunt Mattii reges, quo nomine fuit mater: à Venere Julii, cujus gentis familia eſt noſtra.* Cæſaris genus.

k Aviam.] *Pro quavis progenitrice poſuit, ut fit ſæpe.*

l Antiquior.] *Antiquior Romulus, & recentior Cæſar, propter tempora, quibus vixerunt: inter quos DC. anni & plures interfluxere.*

α NEc adulterio Paridis.] *Imo ipſa Venus, quam deam reputant, auctor fuit hujusmodi adulterii. Iliad. 3. Paridem ex imminenti periculo ſurripit, Helenam objurgat, & ad Paridem dicit, ut cum ea congrediatur.* P.L.Coq.

β Urbem Romam inquit Salluſtius.] *Quo anno & die, & à quib. condita ſit Roma, vide fuſe diſſerentem Onuphrium in urbe Roma.*

γ Quia Æneæ mater.] *Dea Venus. Æneas ad Achillem 20. Iliad.* Αὐτὰρ ἐγὼν υἱὸς μεγαλήτορος Ἀγχίσαο εὔχομαι ἐκγεγάμεν, μήτηρ δέ μοί ἐστ᾽ Ἀφροδίτη.

δ Quomodo in illo hoc flagitium oderant.] *Auctor illius adulterii dea Venus: neque igitur fieri potuit ut improbaretur, vel vindicaretur à cæteris diis.*

ε Ut alia omittam.] *Lactant. lib. 1. cap. 17.* Quid loquar obſcœnitatem Veneris, omnium libidinibus proſtitutæ, non deorum tantum, ſed & hominum? Hæc enim ex famoſo Martis ſtupro genuit Harmoniam; ex Mercurio Hermaphroditum, qui eſt natus Androgynus; ex Jove Cupidinem; ex Anchiſe Æneam.

Ex quo Æneam pepererat.] *Virg.*

Tunc ille Æneas, quem Dardanio Anchiſæ
Alma Venus Phrygias genuit Simoentis ad undas.

ζ Indignante Menelao.] *Quo ſpectant verba Menelai Iliad. 13. quibus de Trojanis conqueritur ad raptum Helenæ: imo ea unica fuit cauſa Græcis ſuſcipiendi belli adverſus Trojanos.*

η Concedente Vulcano, dii enim, credo, non zelant.] *Venus ipſa apud Virg. 8. Æneid. Vulcanum conjugem ſupplex rogat, ut arma Æneæ filio, quem ex Anchiſæ adulterio pepererat, fabricetur, nec ſuccenſet Vulcanus, quod filii meminerit ex adulterio nati, imo omnem illi pollicetur opem.*

Quicquid in arte mea poſſum promittere curæ,
Quod fieri ferro, liquidove poteſt electro,
Quantum ignes, animæque valent, abſiſte precando
Viribus indubitare tuis.

Et ut omnino obſecundet Veneri, jubet quantocyus arma inſtrui Æneæ.

Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores,
Ætnæi Cyclopes, & huc advertite mentem,
Arma acri facienda viro.

ϑ Si nec Romulus Martis.] *Mater Romuli Rhea Sylvia filia fuit Numitoris,*

 quem

quem Amulius frater minor natu regno exegit, quæ cùm vi compreſſa geminos ediďiſſet infantes, ſeu ita rata, ſeu quod auctor culpæ honeſtior erat, Matrem incertæ ſtirpis patrem dixit. Sunt qui putent, ab aliquo ex procis, nec deſunt qui dicant ab Amulio ipſo patruo armato, qui cum amore ejus captus eſſet, Martis ſpecie, armatus & incognitus cum ea rem habuit: Alii à Genio loci, alii à ſacerdote aliquo, ſeu pontifice eam compreſſam aſſerunt. Veriſimile, Romulum militis cujuſdam filium fuiſſe, & quia milites ſub Marte eſſe exiſtimantur, ideo Romuli pater Mars dictus eſt. De ſtirpe Romuli, & illius parente fuſe Plutarchus in ejus vitæ.

ι An deos fas eſt hominibus fœminis.] *Utrumque fingunt poëtæ, & æque abſurdum utrumque, eos deos exiſtimare, qui congrediantur cum mulieribus mortalibus, vel eas deas, quæ ſe mortalibus immiſceant. Lactant. lib. 1. cap. 16. & fuſe Arnob. lib. 3. rident Gentilium vanitatem, ſexuum diverſitatem in diis introducentium.*

κ Quod ex jure Veneris.] *Faceta diriſio. Venus dea eſt libidinis, & concubitus, & amoris, & quæ ad amorem pellicit omnes utriusque ſexus; quod ergò Marti licuit ex jure Veneris, ut nimirum congrederetur, & coiret cum mortali fœmina, ex qua gigneret Romulum, hoc certe & ipſi Veneri ſuo jure licuit, ut mortalem hominem Anchiſen in ſui amorem alliceres, ex eoque Æneam pareret: non magis igitur credendum fuiſſe filium Martis, quam Æneam Veneris.*

μ Neque enim minus credidit recentior Cæſar.] *700. enim fere anni fluxere à Romulo ad Cæſarem, hujus verba extant apud Sueton. in oratione, quam habuit in amitæ ſuæ Juliæ laudationem, ubi de ejus ac patris origine utraque ſic refert:* Amitæ meæ Juliæ maternum genus ab Regibus ortum; Paternum cum diis immortalibus conjunctum eſt: nam ab Anco Martio ſunt Martii Reges, quo nomine fuit mater, à Venere Julii, cujus gentis familia eſt noſtra.

Cap. IV.

De ſententia Varronis, qua utile eſſe dixerit, ut ſe homines ex Diis genitos mentiantur.

Dixerit aliquis: Itáne tu iſta credis? Ego verò iſta non credo. nam & vir doctiſſimus eorum Varro falſa hæc eſſe, quamvis non audenter, neque fidenter, penè tamen fatetur. Sed *a* utile eſſe civitatibus dicit, *α* ut ſe viri fortes, etiamſi falſum ſit, ex Diis genitos eſſe credant: ut eo modo animus humanus velut divinæ ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præſumat audacius, agat vehementius, & ob hoc impleat ipſa ſecuritate fœlicius. Quæ Varronis ſententia expreſſa ut potui meis verbis, cernis quàm latum locum aperiat falſitati: ubi intelligamus plura jam ſacra & quaſi religioſa potuiſſe confingi: ubi putata ſunt civibus etiam de ipſis Diis prodeſſe mendacia. Sed utrum potuerit Venus ex concubitu Anchiſæ Æneam parere, vel Mars ex Sylviæ concubitu *b* filiæ *β* Numitoris Romulum gignere, in medio relinquamus. *γ* Nam penè talis quæſtio
Gen. 6. etiam de ſcripturis noſtris oboritur, qua quæritur, utrum prævaricatores Angeli cum filiabus hominum concubuerint: unde natis gigantibus, id eſt, nimium grandibus ac fortibus viris, tunc terra completa.

a Uti-

a UTile eſſe civitatibus.] *Ipſis etiam qui fingunt utilius, quo populis utantur ſecundioribus. Sic Scipio nunquam elevari illam hominum exiſtimationem voluit, quòd divino ſemine ortus eſſet: & apud Lucianum Alexander utile ſibi ad res gerendas dicit fuiſſe, quòd filius Jovis Ammonis ſit habitus. Timebatur enim, nec aliquis ipſi repugnare audebat, nempe quem crederet Deum,* οἱ βάρβαροι, *inquit*, καταπλαγέντες με, καὶ οὐδεὶς ἔτι ἀνθίστατο, οἰόμενοι θεῷ μάχεσθαι. ὥστε ῥᾷον ἐκράτουν αὐτῶν. L. Vivez. Utile exiſtimari divino ſemine ſatum.

b Filiæ Numitoris.] *Numitor Procæ Albanorum regis filius fuit Amulii frater. Et quidem natu major, ſed injuria fratris privatus vixit, Amulio regnum per vim & dolum occupante. Numitor filium habuit Lauſum, & filiam Rheam, ſive Iliam Sylviam. Puer eſt occiſus, puella Veſtalibus ab Amulio præfecta eſt, ut obtentu religionis prole perpetuò careret, quæ tamen gemellos, ut dixi, Romulum & Remum ex incerto patre edidit.* Numitor & ejus liberi.

α UT ſe viri fortes ex diis genitos.] *Apud Lucianum Alexander utile ſibi fuiſſe ad res gerendas dicit, quod Ammonis filius ſit habitus, cum certò teneret ſe filium Philippi:* οὐδ' αὐτὸς ἠγνόουν ὡς Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου υἱός εἰμι, ἀλλ' ἐδεξάμην τὸ μάντευμα ὡς χρήσιμον ἐς τὰ πράγματα οἰόμενος εἶναι. *Omnes enim cedebant, nec aliquis repugnare audebat, injecta opinione cujuſdam divinitatis.* οἱ βάρβαροι καταπλαγέντες με, καὶ οὐδεὶς ἔτι ἀνθίστατο, οἰόμενοι θεῷ μάχεσθαι· ὥστε ῥᾷον ἐκράτουν αὐτῶν. *Arrian. de eodem 7.* Ἀναβάς. ὅτι δὲ εἰς θεὸν τὴν γένεσιν τὴν αὑτοῦ ἀνέφερεν, οὐδὲ τοῦτο ἐμοὶ δοκεῖ εἶναι μέγα αὐτῷ τὸ πλημμέλημα, εἰ μὴ καὶ σόφισμα ἦν τυχὸν ἐς τοὺς ὑπηκόους τοῦ σεμνοῦ ἕνεκα. *Quod vero ad Deum generis ſui originem ferebat, ne quidem atrox delictum fuiſſe cenſuerim, quippe qui nihil aliud fortaſſis ſibi propoſitum habuerit, quam ut eo figmento majorem auctoritatem apud ſubditos ſibi conciliaret. Agellius lib. 13. cap. 4. de Alexandro:* Opinionem ille ingentibus victoriis, & adulantium blandimentis, & rebus ſupra fidem proſperis imbiberat, genitum ſe eſſe de Jove. *Ita Scipioni plurimum valuit ad exiſtimationem, quod crederetur divino ſatus ſemine. Agell. lib. 7. c. 1.* Non minimus ſtimulus eſt ad Virtutem virtus majorum. F.L.Coq.

β Filiæ Numitoris.] *Numitor filius Procæ Albanorum Regis fuit, quem Amulius natu minor vir vafer regno privavit, ac imperium invaſit, & ſcelus ſceleri addens ſtirpem fratris virilem interemit, ejuſque filiam ſub ſpecie honoris, Veſtalem legit, & perpetua virginitate ſpem partus ademit, veritus, ne liberi ab alterutro eorum exorti avi injurias aliquàndo vindicarent. Eam alii Iliam, alii Rheam Sylviam appellant: Ea à Marte compreſſa, ut falſo commenta eſt, vel quod ita decepta ſentiret; vel ut pœnas violatæ virginitatis evaderet, ſed re ipſa à quodam milite, aut vulgari homine, geminos edidit, Romulum ac Remum.*

γ Nam pene talis quæſtio.] *Ex Geneſ. 6. ubi dicitur,* quod videntes filii Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant: *ubi filios Dei nonnulli Angelos intellexere. Sed hic locus Gen. fuſius tractatur ab auctore infra lib. 15. cap. 23.* ubi de incubis & ſuccubis *diſputandi erit locus. Sufficiat hoc loco monere, per* filios Dei, *ut habet vulgata editio, non intelligi prævaricatores Angelos,* ſed filios Seth *religioſos, ut exponit gloſſa ord. & interlin. per* filias

vero hominum, *quæ eſſent ex* ſtirpe Cain, de quibus præceperat Seth, *ait Lyranus,* filiis ſuis de voluntate Domini, ne cum illis matrimonio jungerentur: *ſicut & ipſe Dominus filiis Iſrael poſt multa temporum intervalla præcepit, ne cum mulieribus Chananæis matrimonia contraherent. Sed filii Seth proceſſu temporis parum ſe memores præcepti paterni præſtiterunt. Auguſt. ipſe q. in Geneſ.* Quæritur, *inquit,* quemadmodum potuerint Angeli cum filiabus hominum concumbere, unde Gigantes nati perhibentur. Quamvis nonnulli, & Græci, & Latini codices non Angelos habeant, ſed filios Dei, quos quidem ad ſolvendam quæſtionem juſtos homines fuiſſe crediderunt, qui potuerunt etiam Angelorum nomine nuncupari. *Joſeph. lib. 4. Antiq. cap. 6. hiſtoriam ex Geneſi referens ait.* πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας, διὰ τὴν ἐπὶ τῇ δυνάμει πεποίθησιν: *Quæ verba Zonaras, ut ab Eugubino citatur, ita excuſat:* ὁ δὲ Ἰώσηπος ἀγγέλους λέγει τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων λαβεῖν, οὕτω καλέσας οἶμαι υἱοὺς Σὴθ ὡς ἐναρεστοῦντας θεῷ, καὶ τὴν ἐκείνων πολιτείαν ἐπιτηδεύσαντας.

CAP. V.

Non probari, quod Dii adulterium Paridis punierint, quod in matre Romuli non ulti ſunt.

PRoinde ad utrumque interim modò noſtra diſputatio referatur. Si enim vera ſunt, quæ apud illos de matre Æneæ & de patre Romuli lectitantur, quomodo poſſunt Diis adulteria diſplicere hominum, quæ in ipſis concorditer ferunt? Si autem falſa ſunt, nec ſic quidem poſſunt iraſci veris adulteriis humanis, qui etiam falſis delectantur ſuis. Huc accedit, quoniam ſi illud de Marte non creditur, ut hoc quoque de Venere non credatur. Nullo igitur divini concubitus obtentu matris Romuli cauſa defenditur. α Fuit autem ſacerdos Sylvia Veſtalis, & ideo Dii magis in Romanos ſacrilegum illud flagitium, quàm in Trojanos Paridis adulterium vindicare debuerunt. *a* Nam β & ipſi Romani antiqui in ſtupro detectas Veſtales ſacerdotes, vivas etiam defodiebant: *b* γ adulteras autem fœminas, quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant: uſque adeò gravius quæ putabant adyta divina, quàm humana cubilia vindicabant.

L. Vives. Veſtalis virginis ſupplicium.

a NAm & ipſi Romani.] *Si qua Veſtalis leviter deliquerat, verberibus à Pont. Max. cædebatur: ſin parum pudicè caſtitatem habuerat, ſtuprique convicta erat, Sandapila ad portam Collatinam efferebatur tanquam mortua, cum luctu propinquorum & neceſſariorum, ſequentibus pontificibus aliiſque ſacerdotibus in mœſto ſilentio. Juxta portam locus eſt ſubterraneus, ad quem ſcalis deſcenditur, in eum virgo demittebatur ſola, tollebanturque ſcalæ, & occludebatur locus undique, ubi ne fame videretur enecta, panis, lactis & olei aliquantulum ponebatur, ſimul & ardens lucerna: quibus perfectis diſcedebant ſacerdotes, atque eo die juſtitium erat in urbe, & mœror pavorque non exiguus, præſertim quòd magnum aliquod malum ſupplicium Veſtalis virginis civitati atque imperio portendere arbitrabantur. Qualis eſſe Veſtalis virgo, & quid facere debeat, cùm alii, tum Gellius recenſet fusè libro Noctium Atticarum primo.*

b Adul-

b Adulteras autem fœminas.] *Ante Cæſarem Auguſtum nihil legibus in adulteros eſt cautum. Nemo enim, quod equidem ſciam, cauſam de adulterio dixit. Nam Clodius de pollutis ſacris Bonæ Deæ, non de adulterio eſt poſtulatus: non prætermiſſuris id crimen inimicis, ſi lege eſſet aliquid de eo conſtitutum. Primus Auguſtus legem tulit de adulteriis Juliam, ſed in viros, & de pudicitia in fœminas, ſed non ita gravi adjecta pœna: quanquam poſtea in utrumque ſexum data eſt actio adulterii graviore pœna addita, ut videre eſt ex reſponſis Cæſarum in Codice Juſtiniani, & quadrageſimo ſeptimo Pandectarum. Dionyſius in Antiquitatibus ſcribit, legem contra adulteros jam initio urbis ab ipſo Romulo fuiſſe latam: quod credo dictum eſſe ab eo ut in hiſtoria ἀδήλως, ut alia non pauca.* Adulteriorum lex nulla ante Cæſarem.

a FUit ſacerdos Sylvia Veſtalis.] *Apud Gentiles etiam ipſa virginitas in ſummo honore habebatur. Hieron. lib. 1. contra Jovin.* Certe Romanus populus quanto honore virgines ſemper habuerit, hinc apparet, quod Conſules, & Imperatores, & in curribus triumphantes, qui de ſuperatis gentibus trophæa referebant, & omnis dignitatis gradus eis de via cedere ſolitus ſit. Atque cum res eximia, & rara eſſet virginitas, ac digna quæ Divinitati conſecraretur, dæmon divinitatem affectans eam etiam ſibi apud Gentiles conſecrari voluit: hinc ſacerdotes Dianæ Tauricæ, & Veſtæ innumerabiles extiterunt, *ait ibidem Hierony. & alias vocat virgines diabolicas:* Virginitati veræ, *inquit,* non præjudicat initiatio diabolicarum Virginum. *Tertullianus lib. de præſcriptione cap. 40.* Diabolus res ſacramentorum in idolorum myſteriis æmulatur: tingit & ipſe quoſdam credentes & fideles ſuos, ſignat in frontibus milites ſuos, celebrat pacis oblationem; habet & virgines, habet & continentes. *Auguſtinus ipſe libro 20. contra Fauſtum capit. 21.* Sicut non ideo contemnenda vel deteſtanda eſt Virginitas ſanctimonialium, quia & Veſtales virgines fuerunt; ſic non ideo reprehendẽda ſacrificia patrum, quia ſunt & ſacrificia Gentium: quia ſicut inter illas virginitates multum diſtat, quãvis nihil aliud diſtet, niſi quæ cui voveatur atque reddatur; ſic inter ſacrificia paganorum & Hebræorum multum diſtat: eo ipſo quod hoc ſolum diſtat, quæ cui ſint immolata & oblãta. *Virginum veſtalium inſtitutionem Dionyſ. lib. 4. Plutarch. in Romulo & Numa Pompilio, ipſi Numæ ut pleraque alia ſacra tribuunt. Alii vero, ut tradit Plutarch. antiquius id inſtitutum putant, nec immerito, cum ante Romam conditam Ilia, ſive Rhea virgo veſtalis fuerit, & probabile eſt, à Trojanis ad Lavinios primum, deinde Albanos, poſtremo ad Romanos commigraſſe, quod confirmat Virg. 2. Æneid.* F. L. Cap.

Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Æternumque aditis effert penetralibus ignem.

Non vero Romulum, ſed fortaſſe Numam ipſum Veſtæ templum condidiſſe, præſcriptum virginum numerum ordinaſſe, rationem & tempus, quibus capi deberent, addidiſſe, honorem, delinquentium pœnam, ac poſtremo omnes Veſtalium ceremonias ſtatuiſſe, quibus apud Romanos eas teneri mos fuit. Onuph. lib. de civit. Rom. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 12. Pompon. Læt. lib. de ſacerd. Rom. cap. 5. Feneſt. cap. 6.

β Nam & ipſi Romani antiqui.] *Veſtalium delinquentium pœna hæc erat, ſi petulan*

cudanter egiſſet, aut rerum ſacrarum perinde ac ignis cuſtodiam, ſuæ curæ traditam, neglexiſſet; atque ob cætera hujuſmodi peccata, nuda, linteo tamen obtenſa in editio-re, obſcurioreque domus loco flagris à pontifice Max. cædebatur, quemadmodum à Pub. Licinio Pontif. Max. in eam, quæ parum diligenter ſacrum ignem cuſtodierat, animadverſum fuiſſe, tradit Livius lib. 28. ab V. C. anno 548. ſi vero parum pudice ſe habuiſſet, caſtitateque amiſſa inceſti convicta fuiſſet, turpiſſimâ miſerabilique morte hac ratione afficiebatur. Sandapila vincta efferebatur per medium forum ab ædibus Veſtæ, usque ad portam Collinam, tanquam mortua cum luctu propinquorum & neceſſariorum, ſequentibus pontificibus, aliisque ſacerdotibus in mæſto ſilentio: Ibi locus erat ſubterraneus, in quem per foramen ſcalis deſcendebatur, in eum virgo corrupta, vinculis ſoluta, capiteque velato, poſtquam Pontifex Max. arcana quædam verba pronunciaſſet, & cum cæteris ſacerdotibus terga vertiſſet, ſola à carnifice demittebatur, ſublatisque ſcalis occludebatur locus undique, ubi ne fame videretur extincta, panis, lactis, & olei aliquantulum ponebatur, lectulusque, & ardens lucerna ſimul: quibus perfectis diſcedebant ſacerdotes, atque eo die juſtitium erat in urbe, & mœror, pavorque magnus, præſertim cum ingentes civitati atque Reipub. calamitates pœna Veſtalis virginis portendere crederetur: nec civitas lugubriorem aut mæſtiorem diem agebat, quàm eum, quo de Veſtali virgine ſumebatur ſupplicium. Hanc legem Numam tuliſſe ferunt, ut virgo Veſtalis ſtupri convicta ad portam Collinam viva defoderetur: qui vitiaſſet, virgis in foro ad mortem cæderetur. De tam miſerabili ſupplicio Veſtalium Dionyſ. lib. 2. Plut. in Fab. Max. & in qu. Rom. 96. Liv. lib. 8. ab V. C. 418. & lib. 22. ab V. C. 538. Alex. ab Alex. Pompo Læt. Feneſt. Onuphrius locis citatis.

γ Adulteras autem fœminas.] *Non ita graviter antiquitus punitum apud Romanos adulterium conſtat ex Livio lib. 10. ab V. C. 458. de jure occidendi uxorem in adulterio deprehenſam extabat lex 12. tabularum, quam refert Agellius lib. 10. cap. 23. ex M. Catonis oratione, hujuſmodi:* In adulterio uxorem tuam ſi deprehendiſſes, ſine judicio impune necares: illa te ſi adulterares, digito non auderet contingere: *quæ fuit lex iniqua. Quam ſevere in adulteros apud varias gentes vindicatum ſit, teſtes ſunt locupletes Alex. ab. Alex. lib. 4. cap. 1. Tiraqu. ad l. 13. Connub. num. 6. & deinceps. Petrus Gregor. in ſyntagma. juris lib. 36. cap. 6. Parthos licet πολυγάμους nulla delicta adulterio gravius vindicaſſe, teſtis eſt Juſtinus lib 41. Adulterium, & lecti genialis injurias Perſas vindicaſſe, Joſeph. lib. 11. Antiquit. cap. 6. indicat. Lege divina veteri, ex qua licet conjicere gravitatem criminis, uterque & adulter, & adultera morti adjudicabantur. Levitici 20. Deuter. 22. Daniel. 13. Genus mortis erat lapidatio, ut ſcribitur dicto cap. 22. Deuter. & Ezech. 16. & Joſ. 8.*

CAP. VI.

De parricidio Romuli, quod Dii non vindicarunt.

ALiud adjicio, quia ſi eò uſque peccata hominum illis numinibus diſplicerent, ut offenſi Paridis facto deſertam Trojam ferro igniq́ue domarent, α magis eos contra Romanos moveret Romuli frater occiſus, quàm contra Trojanos Græcus maritus illuſus: magis irritaret α parricidium β naſcentis, quàm

quàm regnantis adulterium civitatis. Nec ad cauſam quam nunc agimus intereſt, *b* utrum γ hoc fieri Romulus juſſerit, aut Romulus fecerit, quod multi impudentia negant, multi pudore dubitant, multi dolore diſſimulant. Nec nos itaque in ea re diligentius requirenda per multorum ſcriptorum perpenſa teſtimonia demoremur. Romuli fratrem palàm conſtat occiſum: non ab hoſtibus, non ab alienis. Si autem perpetravit aut imperavit hoc Romulus, magis ipſe fuit Romanorum, quàm Paris Trojanorum caput. Cur igitur Trojanis iram Deorum provocavit ille alienæ conjugis raptor, & *c* eorundem δ Deorum tutelam Romanis invitavit iſte ſui fratris extinctor? Si autem illud ſcelus à facto imperioque Romuli alienum eſt, quoniam debuit utique vindicari, tota hoc illa civitas fecit, quod tota conſenſit: & non jam fratrem, ſed patrem, quod pejus eſt, occidit. Uterque enim fuit conditor, ubi alter ſcelere ablatus non permiſſus eſt eſſe regnator. Non eſt, ut arbitror, quod dicatur, quid mali Troja meruerit, ut eam Dii deſererent, quo poſſet extingui: & quid boni Roma, ut eam Dii inhabitarent, quo poſſet augeri, niſi quòd victi inde fugerunt, & ſe ad iſtos quos pariter deciperent, contulerunt? Imò verò & illic manſerunt, ad eos more ſuo decipiendos, qui rurſus easdem terras habitarent, & hic easdem artes fallaciæ ſuæ, magis etiam exercendo, majoribus honoribus gloriati ſunt.

a PArricidium.] *Non patris ſolùm mors, ſed paris quoque, niſi quis velit dicere, quaſi patratio cædis. Lex eſt Numæ antiquiſſima: Si quis liberum hominem morti ſciens duit, parricida eſto.* L. Vives. Parricidium.

b Utrum hoc fieri.] *Sunt qui tradant, Remum in contentione de regno, cùm utraque pars ſuum ducem regem conſalutaſſet, ventumque eſſet ad manus, eſſe in pugna occiſum, à Romulo an à quoquam altero, parum conſtat. Alii, & quidem plures, à Fabio tribuno celerum Romuli cæſum ajunt, quòd nova & humilia urbis mœnia etiam cum irriſione tranſiliſſet: peractamque cædem Romulo imperante. Quod factum Cicero impium & inhumanum fuiſſe indicat. Sic enim tertio Off. inquit: Atque in eo rege, qui urbem condidit, ita non eſt. Species enim utilitatis pepulit animum ejus, cui cùm viſum eſſet utilius ſe ſolum, quàm cum altero regnare, fratrem interemit. Omiſit hic & pietatem & humanitatem: ut quod utile videbatur, neque erat, aſſequi poſſet: & tamen muri cauſam appoſuit ſpeciem honeſtatis, nec probabilem, nec ſanè idoneam. Peccavit igitur, pace vel Quirini vel Romuli dixerim.* Remi mors.

c Eorundem Deorum.] *Quia à Troja Lavinium primùm per Æneam, hinc Albam per Aſcanium ſunt tranſlati. Ex Alba Romanis per Romulum conſenſu Numitoris communicati: hinc per Tulium omnino traducti Romam.*

α MAgis eos contra Romanos moveret.] *Oſtendit, non poſſe reſponderi, Trojam à diis relictam ob Paridis adulterium, gravius enim deliquit Romulus conditor urbis, committendo parricidium in nece fratris, quam Paris rapiendo Helenam: ſi ergo illis adeo inviſus fuit Paris, ut propter ejus adulterium Trojam deſeruerint, & everti à Græcis curarint, qui fit ut non etiam ulti ſint parricidium Romuli; imo civitatem ſuam ad tantam majeſtatem imperii evexerint?* F. L. Coq.

β Parricidium naſcentis.] *Minutim in Octa.* Ut ipſe Romulus Imperator & rector

rector populum ſuum facinore præcelleret, parricidium fecit: hæc prima ſunt auſpicia religioſæ civitatis. *Cyp. de idolorum vanit.* Ut Rex ipſe principatū habeat ad crimina, ſit Romulus parricida. *Parricida itaque dicitur, etiam qui fratrem occiderit, inde & parricidam fraternum Cic. pro Cluentio dixit, imo & aliam perſonam ſanguine conjunctam. Vide Auguſt. l. de patientia:* In ipſis parricidis, quanto propinquiorem quisque peremerit, tanto judicatur immanior. *In legibus Romuli πᾶσα ἀνδροφονία, πατροκτονία* Omne homicidium parricidium. *Plutarch. in Romulo,* ut parricida ſit, qui parem ſibi, ſeu hominem liberum interfecit.

γ Utrum hoc fieri Romulus juſſerit.] *Alii enim ab ipſo Romulo irato: alii à Fabio quodam Celere Centurione raſtro occiſum ferunt, quod contra edictum Romuli vallum tranſiliiſſet. Legem enim hujusmodi tulerat Romulus:* Mœnia ſacroſancta eſſent, qui contra feciſſet, foſſam, vel vallum tranſiliſſet, tanquam perduellis impune mactaretur, *Cujus legis meminit Ovid. 4. faſt.*

Neve quis aut muros, aut factam vomere foſſam
Tranſeat: audentem talia dede neci.

Parricidium Romuli graviter reprehendit Cic. 3. offic. At in eo Rege, *inquit,* qui urbem condidit, non item utilitas valuit propter honeſtatem: ſpecies enim utilitatis animum pepulit ejus; cui cum viſum eſſet utilius ſolum, quam cum altero regnare, fratrem interemit. Omiſit hic & pietatem, & humanitatem, ut id quod utile videbatur, neque erat, aſſequi poſſet, & tamen muri cauſam oppoſuit ſpeciem honeſtatis neque probabilem, neque ſatis idoneam. Peccavit igitur, pace vel Quirini, vel Romuli dixerim. *Leo Papa ſerm. 1. in nativit. Apoſt.* Iſti ſunt patres tui, verique Paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendam multo melius, multoque fœlicius condiderunt, quam illi quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt, ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdavit. *Sive propria manu, ſive juſſit, & imperio Romuli parū refert ad criminis gravitatem.*

δ Eorundem deorum tutela.] *Nam ſacra Trojanorum Lavinium primum per Æneam, deinde per Aſcanium Albam ſunt tranſlata. Romulus eadem ſacra, & eosdem deos ab Albanis aſcivit. Verba ſunt Romuli per ſuos legatos ad finitimas civitates, cum quibus connubia inire cupiebat, ut ſua civitas recenter condita incrementum caperet. Urbes & cætera ex infimo naſci: deinde quas ſua virtus ac dii juvent, magnas opes, magnumque nomen ſibi facere: ſatis ſcire origini Romanæ, & deos affuiſſe & non defuturam virtutem.*

Cap. VII.

De everſione Ilii, quod dux Marii Fimbria excidit.

a Certè enim b civilibus jam bellis ſcatentibus, α quid miſerum commiſerat Ilium, ut c à Fimbria d Marianarum partium homine peſſimo everteretur, β multò e ferocius atque crudelius, quàm olim à Græcis? Nam tunc & multi inde fugerunt, & multi captivati ſaltem in ſervitute vixerunt. Porrò autem Fimbria prius edictum propoſuit, ne cui parceretur: atque urbem totam, cunctosque in ea homines incendio concremavit. Hoc meruit Ilium, non à Græ-

Græcis, quos ſua irritaverat iniquitate, ſed à Romanis, quos ſua calamitate propagaverat: Diis illis communibus ad hæc repellenda nihil juvantibus: ſive, quod verum eſt, nihil valentibus. Nunquid & tunc abſceſſere omnes adytis ariſque relictis Dii, quibus illud oppidum ſteterat, poſt antiquos Græcorum ignes ruinaſque reparatum? Si autem abſceſſerant, cauſam requiro: & oppidanorum quidem quantò invenio meliorem, tantò deteriorem deorum. Illi enim contra Fimbriam portas clauſerant, ut Syllæ ſervarent integram civitatem: hic eos iratus incendit, vel potiùs penitus extinxit. *f* Adhuc autem meliorum partium civilium *γ* Sylla dux fuit, adhuc armis remp. recuperare moliebatur. Horum bonorum initiorum nondum malos eventus habuit. Quid ergo melius cives illius urbis facere potuerunt? quid honeſtius? quid fidelius? quid Romana parentela dignius, quàm *δ* meliori cauſæ Romanorum civitatem ſervare, & contra *ε* parricidam Romanæ reipub. portas claudere? At hoc eis in quantum exitium verterit, attendant defenſores Deorum. Deſeruerint Dii adulteros, Iliumque flammis Græcorum reliquerint, ut ex ejus cineribus Roma caſtior naſceretur: cur & poſtea deſeruerunt eandem civitatem Romanis cognatam, non rebellantem adverſus Romam nobilem filiam, ſed juſtioribus ejus partibus fidem conſtantiſſimam piiſſimamque ſervantem, eamque delendam reliquerunt, non Græcorum viris fortibus, ſed viro ſpurciſſimo Romanorum? Aut ſi diſplicebat Diis cauſa partium Syllanarum, cui ſervantes urbem miſeri portas clauſerant, cur eidem Syllæ tanta bona promittebant & prænunciabant? An & hinc agnoſcuntur adulatores fœlicium, potiùs quàm infœlicium defenſores? Non ergo Ilium etiam tunc ab eis, cùm deſereretur, everſum eſt. Nam dæmones ad decipiendum ſemper vigilantiſſimi, quod potuerunt, fecerunt. *g* Everſis quippe & incenſis omnibus cum oppido ſimulachris, *ζ* ſolum Minervæ ſimulachrum ſub tanta ruina templi illius, ut ſcribit Livius, integrum ſtetiſſe perhibetur. Non ut diceretur:

Dii patrii, quorum ſemper ſub numine Troja eſt,

ad eorum laudem: ſed ne diceretur: Exceſſere omnes adytis ariſque relictis dii, ad eorum defenſionem. Illud enim poſſe permiſſi ſunt, non unde probarentur potentes, ſed unde præſentes convincerentur.

a Certè enim.] *Mortuo Cajo Mario in ſeptimo ſuo conſulatu, C. Cinna P. Valerium Flaccum ſibi collegam ſubrogavit, cui & Aſiam provinciam, quam tunc Sylla cum imperio tenebat, mandavit duabus legionibus attributis. Hic Flaccus tum avaritia, qua nihil pejus odit exercitus, tum aliis vitiis militibus inviſus, à C. Fimbria legato Nicomediæ interemptus eſt. Imperiumque ipſe Fimbria conſenſu militari occupavit, bellumque cum Mithridate geſſit ſatis fœliciter, ac parum abfuit, quo minus obſeſſum Pergami caperet: cumque in Phrygia ductaret exercitum, cognoviſſetque, Ilienſes Sillæ partes ſequi, per dolum in urbem admiſſus, ut Appianus ſcribit, ſeu ut capta urbe, ut Livius, cives & urbem totam crudeliter perdidit, nullis neque ſacris, neque profanis parcens, annis mille & quinquaginta poſteaquam à Græcis erat deleta.* L. Vives.

b Civilibus jam bellis.] *Hoc primum bellum civile Marianum, antequam Sylla in Italiam rediret, & partes omnino deleret.*

c A Fimbria.] *Fuit hic perditiſſimæ audaciæ homo, & ad quodvis facinus deſignandum accommodatiſſimus, qui Craſſum interemit, quique in funere C. Marii Q. Scævolam virum ornatiſſimum & ſanctiſſimum vulnerandum curavit. Et ubi ferrum non altè in corpus deſcendiſſe accepiſſet, diem illi dixit. Admirantibus cunctis, quòd pontifex maximus optimum totius civitatis civem accuſaret, & crimen expectantibus, dixit, ſe illum accuſare, quòd non totum telum corpore excepiſſet. Cicero eſt autor pro Roſcio Amerino.*

d Marianarum.] *Cinnanarum potius. Sed tota illa factio Syllæ adverſa, dicta eſt Mariana.*

e Ferocius.] *Appianus ſcribit in Mithridatico, poſtridie ejus diei, quo Ilium conflagravit, Fimbriam ipſum ſuis oculis omnia diligenter eſſe ſcrutatum, nunquid ſuperesſet integrum, ut illud quoque dirueret & incenderet. Ita nullum Llienſe domicilium, nullum templum, ac ne ſtatua quidem ulla ſuperfuit.*

f Adhuc autem meliorum partium.] *Salluſtius in Catilinario: Noſtra memoria victor Sylla, cùm Damaſippum, & alios hujuscemodi, qui malo reipublicæ creverunt, jugulari juſſit, quis non factum ejus laudabat? homines ſceleſtos, factioſos, qui ſeditionibus rempublicam exagitaverunt, merito necatos ajebant. Sed ea res magna initium cladis fuit. Et ante L. Sylla armis recepta republica ex bonis initiis malos eventus habuit. Quod dictum Auguſtinus tangit.*

g Everſis quippe.] *Appianus etiam & Julius Obſequens ſcribunt, Palladium inventum eſſe illæſum poſt incendium. Servius in ſecundo Æneid. oſtenſum dicit à Fimbria, & Romam advectum. Equidem demiror, ſi iſtud idem eſt Palladium illud vetus Trojanum, quod ab Ænea in Italiam portatum eſſe dicunt cum magnis Diis, & poſt Albam delatum collocatum ab Hoſtilio rege in æde Veſtæ, quæ cùm deflagraret, Metellus pontifex maximus Palladium ex incendio rapuit: ob quod factum magni ſunt illi poſtea honores habiti, idque ſub recentem Rom. & Carthaginem pacem, primo Punico perfecto bello, ante Fimbriam plus centum & quinquaginta annis. Non deſunt qui putent, Æneam relicto ſociis Latinorum regno, in Phrygiam rediiſſe cum Palladio: quorum opinio rejecta eſt à nobis alio loco. Verùm Lacedæmonii quoque credebant, ſe Palladium illud Trojanum prope Leucippidarum templum habere: quod Temon quidam decepto Ergiæo uno ex proſapia Diomedis, Argis ſurripuit detulitque Lacedæmonem. ad quod ſervandum Lacedæmones oraculo admoniti, Ulyſſi heroum erexerunt. Sed id Palladium eſt, quod diximus ab Ulyſſe & Diomede raptum bello Trojano. Servius multa Palladia ſimilia eſſe à Mamurrio fabro facta, ne illud verum cognoſceretur. Qua in re lapſum memoria Servium non dubium eſt, & pro ancylibus poſuiſſe Palladia.*

F.L.Cap. *α* QUid miſerum commiſerat Ilium, ut à Fimbria.] *De Ilio everſo à Fimbria Livius lib. 83. Strabo lib. 13. Appian. in Mithridatico, ubi hanc Llienſium cladem ſcribit incidiſſe in finem Olympiadis 173. & ex nonnullorum ſententia inter hanc, & illam priſcam expugnationem 1050. annos intercedere.*

β Mul-

β Multo ferocius, atque crudelius, quam olim à Græcis.] *Appian. loco citato, & Sabell. Enn. 6. lib. 3. hanc crudelitatem Fimbriæ, & miſerrimam cladem Ilienſium deſcribunt.* Ilienſes oppugnati à Fimbria ad Syllam confugerunt, qui cum ſe venturum promiſiſſet, denunciaſſetque Fimbriæ, abſtineret à ſuis dediticiis, laudabat ille jam reverſos in populi Romani amicitiam, nihilominus petebat etiam, ut ſe hominem Romanum reciperent, cavillatus neſcio quid in cognitionem jactatam ab Ilienſibus tandem irrumpens interfecit omnes obvios, & concremavit omnia: tum eos, qui legatione ad Syllam functi fuerant, necavit variis cruciatibus, ac ne à ſacris quidem abſtinuit, imo nec ab iis qui in Minervæ confugerant, quos cum ipſo fano combuſſit, quin & mœnia diruit, ac poſtridie obiit urbem, circumſpiciens numquid ſupereſſet reliquum. Ita tum pejus, quam ab Agamemnone tractata eſt à viro cognato, ut nec area relinqueretur, nec ædicula, nec ſtatua. *Livius, & Strabo vi captum Ilium à Fimbria volunt.* Hic Fimbria cum milites ad defectionem ſpectare videret, & Syllæ ſeſe dedere: Pergami in templo Æſculapii trajecit ſe gladio, & quia vulnus lethale non erat, à ſervo impetravit operam, qui primo dominum, mox ſeipſum interfecit.

γ Meliorum partium civilium Sylla dux.] *Ita* meliorum partium civem *dixit Cic. orat. pro M. Cœlio. Huic bello civili, tam pernitioſo urbi & imperio, cauſam dedit Pub. Sulpitius Tribunus plebis, qui C. Mario poſt annum 70. omnia imperia, & omnes provincias concupiſcenti addixit, legemque ad populum tulit, qua Syllæ imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum, aliasque leges pernitioſas atque exitiabiles, neque tolerandas liberæ civitati tulit. Quin etiam Q. Pompeji Coſſ. filium, eumdemque Syllæ generum per emiſſarios factionis ſuæ interfecit. Tum Sylla contracto exercitu ad urbem rediit, eamque armis occupavit. Auctor Plutarch. in Sylla, & Mario, Vellejus lib. 2. Appian. lib. 2. de bellis civilibus Livius lib. 77. hoc igitur fuit initium belli civilis, cujus gerendi honeſtiſſimam & juſtiſſimam cauſam habuit Sylla.*

δ Quam meliori cauſæ Romanorum.] *Hic oriri poſſet quæſtio: An in civilibus bellis alterutri parti ſemper ſit adhærendum: meminit enim Laertius in Solone, & Agell. lib. 2. capit. 12. cujuſdam legis Solonis, qua volebat in caſu civilis diſcordiæ,* qui non alterutri parti ſeſe adjunxerit, ſed ſolitarius, ſeparatusque à communi malo civitatis ſeceſſerit, cum domo, patria fortunisque omnibus carere, exulem extorremque eſſe.

ε Contra parricidam Romanæ Reipub.] Parricidium patriæ, *Cic. lib. 3. offic. & 2. Philippica dixit, & 4. Philip. Antonium vocat* Parricidam patriæ. *Et Lactant. lib. 1. cap. 15. Cæſarem* patriæ parricidam *appellat.*

ζ Solum Minervæ ſimulachrum.] *Appianus: delubrum ipſius deæ, quod vocant* Palladium, *putant tunc integrum inventum, amotis quibus tegebatur, ruderibus: niſi malumus credere, id ab Ulyſſe & Diomede ſublatum Trojani belli tempore.*

Cap. VIII.

An debuerit Diis Iliacis Roma committi.

Diis *α* itaque Iliacis poſt Trojæ ipſius documentum, qua tandem prudentiâ Roma cuſtodienda commiſſa eſt? Dixerit quiſpiam, jam eos Romæ habitare ſolitos, quando expugnante Fimbria cecidit Ilium. Unde ergo ſtetit Minervæ ſimulachrum? Deinde ſi apud Romam erant, quando Fimbria delevit Ilium, fortaſſe apud Ilium erant, quando à Gallis ipſa Roma capta & incenſa eſt. *β* Sed ut ſunt auditu acutiſſimi motuque celerrimi, ad vocem anſeris citò redierunt, ut ſaltem Capitolinum collem qui remanſerat, tuerentur. Ceterùm ad alia defendenda ſerius ſunt redire commoniti.

F.L.Coq. *α* Diis itaque Iliacis poſt Trojæ ipſius.] *Cypr. de idolorum* [illegible]*t*. Cur vero putas deos, pro Romanis poſſe, quos ſæpius videas nihil pro ſuis adverſus eorum arma valuiſſe? *Minutius in Octa. etiam Romanorum dementiam irridet, qui hujuſmodi Diis ſuum imperium & ſuam ſalutem aſcribebant*, neque enim poterant in ipſis bellis deos adjutores habere, adverſus quos arma rapuerunt, & quos poſt cladem triumphatos colere cœperunt. Quid autem iſti Dii pro Romanis poſſunt, qui nihil pro ſuis adverſus eorum arma valuerunt. *Tertull. in Apolog. c. 25. idem argumentum proſequitur.*

β Sed ut ſunt auditu acutiſſimi.] *Similis ironia extat & 3. Reg. 18. hortante cum deriſione Elia ſacerdotes Jeſabel*, ut altiori voce deos ſuos inclamarent, quod fortaſſe vel in diverſorio eſſent, vel ſurdiuſculi.

Cap. IX.

An illam pacem, qua ſub Numa regno fuit, Deos præſtitiſſe credendum ſit.

Hi etiam Numam Pompilium ſucceſſorem Romuli adjuviſſe creduntur, ut toto regni ſui tempore pacem haberet, *a α* & Jani portas, quæ bellis patere aſſolent, clauderet: eo merito ſcilicet, quia Romanis multa ſacra conſtituit. Illi verò homini pro tanto ocio gratulandum fuit, ſi modò id rebus ſalubribus ſciſſet impendere, & perniciosiſſima ſecuritate neglecta, Deum verum vera pietate perquirere. Nunc autem non ei Dii contulerunt illud ocium, ſed eum minus fortaſſe decepiſſent, ſi ocioſum minimè reperiſſent. Quantò enim minus eum occupatum invenerunt, tantò magis ipſi occupaverunt. Nam quid ille molitus ſit, & quibus artibus Deos tales, ſibi, vel civitati conſociare potuerit, Varro prodit. Quòd ſi Domino placuerit, ſuo diligentiùs diſſeretur loco. Modò autem quia de beneficiis eorum quæſtio eſt, *β* magnum beneficium eſt pax, ſed *b* Dei *γ* veri beneficium eſt, plerunque etiam ſicut ſol, ſicut pluvia, vitæque alia ſubſidia ſuper ingratos & nequam. Sed ſi hoc tam magnum bonum Dii illi Romæ vel Pompilio contulerunt, cur imperio Romano per ipſa tempora laudabilia id nunquam poſtea præſtiterunt? An utiliora erant ſacra cùm inſtituerentur, quàm cùm inſtituta celebrarentur? Atqui tunc nondum erant, ſed ut eſſent, addebantur: poſtea verò jam erant, quæ ut prodeſſent, cuſtodiebantur. Quid

Pax in dignis etiam confertur.

ergo eſt, quod illi δ quadraginta tres: vel ut alii volunt, triginta novem anni in tanta pace tranſacti ſunt, regnante Numa: & poſtea ſacris inſtitutis, Diiſque ipſis, qui eiſdem ſacris fuerant invitati, jam præſidibus atque tutoribus, vix poſt tam multos annos ab Urbe condita ε uſque ad Auguſtum *c* unus pro magno miraculo commemoratur annus poſt primum bellum Punicum, quo belli portas Romani claudere potuerunt?

a ET Jani portas.] *Jani cujus aperta porta belli erat ſignum, clauſa pacis undique cum populo Romano. Hunc ad infimum Argiletum Numa Pompilius conſtituit monumentum pugnæ cum Sabinis, in qua magna vis aquæ per eam portam erumpens Romanis accedentibus auxiliata eſt. Ideo ſtatutum, ut velut ad opem ferendam reſeratus eſſet bello Janus. Macrobius primo Saturnal. Eam portam primus ipſe qui ædificarat, clauſit. Secundò Manlius poſt primum Punicum bellum. Tertiò Octavius Auguſtus. Livius lib. 1.* L. Vives. Ianus.

b Dei veri beneficium eſt.] *Ideò Chriſtus Servator noſter eam pacem ſuis diſcipulis impartitur, quam mundus dare non poteſt.*

c Unus pro magno miraculo.] *T. Manlio Torquato, & C. Attilio Coſſ. ſi Eutropio creditur hiſtorico non malo. Hi conſules poſtquam de Sardis triumpharunt, pace undique terra & mari parta, Janum Quirinum clauſerunt, quod poſt menſes aliquot eſt rurſum reſeratum, A. L. Poſthumio Albino, & Cn. Fulvio Centimalo, vel ut alii, Sp. Carbilio Coſſ. bello Illyrico.*

α ET Jani portas.] *Numa Jani templum primus ob pacem undique partam clauſit, & toto regni tempore clauſum tenuit. Livius lib. 1. auctor eſt, à Numa Rege Janum indicem pacis, belliquе factum, & conſecratum eſſe,* ut apertus in armis eſſe civitatem, clauſus pacatos circum populos omnes ſignificaret. *Plinius lib. 34. cap. 7.* Janus geminus à Rege Numa dicatus, pacis bellique argumento, colitur. *Cur portæ hujus templi in pace clauderentur, & bello aperirentur, docet Macrob. lib. 1. Satur. cap. 6. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 14. Scoppa lib. 1. collect. cap. 2.* F. L. Coq.

β Magnum beneficium eſt pax.] *S. Ignatius: οὐδέν ἐστιν ἄμεινον εἰρήνης, ἐν ᾗ πᾶς ὁ πόλεμος καταλύεται* nihil melius pace, qua omne bellum dirimitur. Baſil. *ὅσον ἐστὶ τὸ τῆς εἰρήνης καλὸν, τί χρὴ λέγειν πρὸς ἀνθρώπους υἱοὺς τῆς εἰρήνης. οὐδὲν γὰρ οὕτως ἴδιον χριστιανοῦ, ὡς τὸ εἰρηνοποιεῖν. id eſt,* Quam ſit honeſta res, pax, quid neceſſe eſt commemorare apud filios pacis? nihil eſt tam proprium Chriſtiani, quam pacem conciliare, & pacificum eſſe. *Philo τὸ μέγιστον ἀγαθὸν εἰρήνη, ὃ μηδεὶς ἀνθρώπων ἱκανὸς παρέχειν ἐπεὶ θεῖον ἐστι δῶρον. Vide Stobaum ſerm. 75.*

γ Dei veri beneficium eſt.] *Iſai 26.* Domine dabis pacem nobis. *1. Theſſal. 5.* Ipſe autem Deus pacis Chriſtus venit, ut hominibus pacem impertiretur. *Pſal. 71.* Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis. *Eum Iſaias cap. 9.* Principem pacis appellat. *Adumbratus fuit in Melchiſedech, qui Rex* Salom, *id eſt,* Rex pacis. *Heb. 7. & in pacifico Salomone.*

δ Illi quadringenta tres, vel ut alii volunt.] *Numam regnaſſe 43. annis, Livius, Plutarch. Dion. Solinus, Onuphrius, qui vult, regnare cœpiſſe Olymp. 16. anno 2. adeoque omnes conſentiunt, præter Eutropium, Euſebium, & Caſſiodorum qui 41. regnaſſe volunt.*

 ε Uſ-

ſ Usque ad Auguſtum unus pro magno miraculo.] *Liv. lib. 1.* Bis deinde poſt Numæ regnum clauſus fuit; ſemel T. Manilio Coſ. poſt Punicum primum perfectum bellum: iterum quod noſtræ ætati dii dederunt, ut videremus poſt bellum Actiacum ab Imperatore Cæſare Auguſto, pace terra marique parta. *Idem ſcribit Plutarch. in Numa, & lib. de fortuna Romanorum. Et Flor. lib. 2.* Peracto Punico bello ſecuta eſt ſane brevis, & quaſi ad recipiendum ſpiritum requies, argumentumque pacis, & quaſi bona fide ceſſantium armorum: tunc primum poſt Numam clauſa fuit porta Jani, ſed ſtatim, ac ſine mora patuit. *Deridet pacem illam breviſſimam Oroſ. lib. 4. cap. 12. fuit autem annus V. C. 519. 480. poſt clauſum ſub Numa Jani templum C. Attilio, & T. Manlio Coſſ. Auguſtum ter Janum clauſiſſe, Sueton. auctor eſt in Auguſto capi. 22. Dion. lib. 51. dicit, inter cætera maximæ voluptati fuiſſe Cæſari, quod portæ Jani ab ipſo clauſæ ſint, quaſi omnibus bellis confectis, Eam pacem Auguſti imperio partam expreſſit Virg. lib. 1. Æneid.*

Aſpera tunc poſitis miteſcent ſæcula bellis,
Cana fides & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt, diræ ferro & compagibus arctis.
Claudentur belli portæ, furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Cap. X.

An optandum fuerit, quòd tanta bellorum rabie Romanorum augeretur imperium, cùm eo ſtudio quo ſub Numa auctum eſt, & quietum eſſe potuit & tutum.

An reſpondent, quòd niſi aſſiduis ſibique continuò ſuccedentibus bellis Romanum imperium tam longè latèque non poſſet augeri, & tam grandi gloria diffamari? Idonea verò cauſa, ut magnum eſſet imperium, cur eſſe deberet inquietum? Nonne in corporibus hominum α ſatius eſt modicam ſtaturam cum ſanitate habere, quàm ad molem aliquam giganteam perpetuis afflictionibus pervenire? nec cùm perveneris requieſcere: ſed quantò grandioribus membris, tantò majoribus agitari malis? Quid autem mali eſſet, ac non potius plurimum boni, ſi ea tempora perdurarent, quæ perſtrinxit Saluſtius, ubi ait: β Igitur initio reges, α nam in terris nomen imperii id primum fuit, diverſi: γ pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita hominum ſine cupiditate agitabatur, ſua cuique ſatis placebant? Aut ut tam multum augeretur imperium, debuit fieri quod Vergilius deteſtatur, dicens:

Regum] primorũ ſtudia.]

b δ Deterior donec paulatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi?

Sed planè pro tantis bellis ſuſceptis & geſtis juſta defenſio Romanorum eſt: quòd irruentibus ſibi importunè inimicis reſiſtere cogebat, non aviditas adipiſcendæ laudis humanæ, ſed ε neceſſitas tuendæ ſalutis & libertatis. Ita ſit planè. Nam poſtquam res eorum, ſicut ſcribit ipſe Saluſtius, legibus, moribus, agris

gris aucta, ſatis proſpera, ſatisque pollens videbatur, ſicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta eſt. Igitur reges populiq́ue finitimi bello eos tentare, pauci ex amicis auxilio eſſe. Nam cæteri metu perculſi longè à periculis aberant. At Romani domi militiæq́ue intenti feſtinare, parare, alius alium hortari, hoſtibus obviam ire: libertatem, patriam, parentesq́ue armis tegere. Pòſt ubi pericula virtute propulerant, & ſociis atque amicis auxilia portabant, magîsque dandis quàm accipiendis beneficiis amicitias parabant. Decenter his artibus Roma crevit. Sed regnante Numa, ut tam longa pax eſſet, utrum irruebant improbi, belloq́ue tentabant, an nihil eorum fiebat, ut poſſet pax illa perſiſtere? Si enim bellis etiam tum Roma laceſſebatur, ac armis arma obvia ferebantur: quibus modis agebatur, ut nulla pugna ſuperati, nullo Martio impetu territi ſedarentur inimici? his modis ſemper ageretur, ut ſemper Roma clauſis Jani portis pacata regnaret. Quòd ſi in poteſtate non fuit, non ergo Roma pacem habuit quamdiu Dii eorum, ſed quamdiu homines finitimi circumquaque voluerunt: qui eam nullo bello provocaverunt: *c* niſi fortè Dii tales etiam id homini vendere audebunt, quod alius homo voluit ſive noluit. Intereſt quidem jam vitio proprio malas mentes quatenus ſinantur iſti dæmones vel terrere vel excitare. Sed ſi ſemper hoc poſſent, *n* nec alia ſecretiore poteſtate contra eorum conatum ſæpe aliter ageretur, ſemper in poteſtate haberent pacem bellicasq́ue victorias, quæ ſemper ferè per humanorum animorum motus accidunt.

a NAm in terris nomen imperii.] *Sic etiam Juſtinus in primo, Herodotus & Plinius. Hoc inſtitutum in Ægypto primùm repertum: apud quos Menes primus rex fuerit, referunt. Quanquam ante hunc regnaſſe Oſiridem & Horum, & alios nonnullos Deos Diodorus perhibet. Noſtræ ſacræ literæ Nembroth filium Chuſi, primum regem fuiſſe perhibent, & Babylone imperaſſe.* L. Vives. Rex primus.

b Deterior donec.] *Quinque hominum ætates Heſiodus finxit in opere, cui titulus* ἔργα καὶ ἡμέραι, *quem locum in hunc modum orditur.*

θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι.
χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων
ἀθάνατοι ποίησαν ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες.
οἱ μὲν ἐπὶ κρόνου ἦσαν.

Hunc ſecuti ſunt Vergilius, Ovidius, & reliqui poetæ. Primam ætatem ajunt fuiſſe auream ſub Saturno, ſine bellis, magna concordia generis humani, ſine litibus, ſine querelis: quæ Saturnia tempora nominantur. Altera eſt argentea, ſub Jove: cùm bella pullulaſcerent, & curæ, & fraudes, & odia. Tertia eſt ænea, cùm genus mortalium totum undique bellis concuteretur, cruentaque eſſent omnia. Quarta heroum ſemideorum, quorum animi juſtitiæ quidem erant dediti, ſed inſano amore belligerandi flagrabant. Quinta eſt ferrea, in qua nullus malorum eſt modus, cuncta ſeſe velut effractis carceribus in genus humanum ſimul effuderunt, apertæ fraudes, aperta odia & bella capitalia, cædes, rapinæ, incendia, vaſtationes. Hominũ quinque ætates.

c Niſi fortè Dii tales vendere.] *Niſi fortè tam mali ac impudentes ſint illi Dii,*

ut

ut pro beneficio id vendant hominibus, quod ex voluntate cujuſquam eſt profectum, & pro eo tanquam à ſe dato gratiam repoſcant: cùm ſit potius muneris alieni. *(*Interpres noſter, quia figuram illam loquendi non intellexit, effutiit, quòd ipſi primùm venit in mentem, & ſuper illo velut ſaxeo fundamento conſtruxit mirum de vendendo ædificium, & de poteſtate dæmonum, & de affectibus humanis: ex ſimilibus initiis maxima pars eorum, quæ Philoſophi & Theologi in ſcholis nugantur, eſt orta. Commenti ſunt videlicet mira ſomnia ſuper his locis vel Ariſtotelis, vel ſacrorum ſcriptorum, quæ non intelligebant, fœlices architecti, quorum ſtructum ad cœlum uſque erecta elegantiſſima & fortiſſima creditur, cujus eſt fumus pro fundamento.)**

F.L.Coq. α Satius eſt modicam ſtaturam.] *Accommodata ſimilitudine docet Auguſt. non eſſe id firmius, aut melius imperium, quod longius, latiusque patet. Eſt enim Reſpublica vel imperium corpus quoddam myſticum, quod certis limitibus ſuis terminari debet, ut facile adminiſtrari poſſit. Ita Ariſto. 7. polit. cap. 4. docuit,* Rempub. non eſſe meliorem, eo quod major, ſed tantum debere ſub uno principe agere, quantum vel per ſe vel per ſuos poſſit commode adminiſtrari. *Eſt enim Rex quicumque adminiſtrat, anima regni, vel Reipub. Tacit. 1. Annal.* Unius imperii corpus unius animo regendum videtur: *Unde ſicut, auctore philoſopho 2. de anima, non poteſt quævis anima quantumcunque vivificare corpus: ſed quorumcumque natura conſtantium præfinita eſt certa quantitas, & menſura: ita nec princeps, aut magiſtratus unus poteſt Rempub., nationibus ac regionibus valde diſperſam, adminiſtrare, & in officio continere; velut navis neque juſto minor navigationi apta eſt, nec ſi duorum eſſet ſtadiorum, poſſet commode gubernari. Apud Plutarch. in Pyrrho Pyrrhi ambitionem & cupiditatem dilatandi imperii tot bellorum incommodis, cum poſſet quietus domi agere, recte irridet Cyneas.*

β Igitur initio Reges.] *Citat ex Salluſt. in Catil. Juſtinus lib. 1. principio rerum, gentium, nationumque imperium penes Reges erat. Sic Cic. 3. de legibus ſcribit, omnes antiquas gētes Regibus primo paruiſſe. Ut ex ſcripturis ſacris Geneſ. 11. colligitur, Nemrod primus mortalium affectavit, & arripuit tyrannidem, & in alios obtinuit imperium: ante enim enim in qualibet familia primus natu quoque & honoris, & auctoritatis gradu erat, lites familiæ componens, & familiam ipſam gubernans. Hieronym. 1. tradit. Hebr. in Geneſim:* Nemrod, *inquit*, arripuit inſuetam primus in populo tyrannidem, regnavitque in Babylone, quæ ab eo, quod ibi confuſæ ſunt linguæ turrim ædificantium, Babel appellata eſt. *Verum licet initio ita multi invaſerint tyrannidem, nec legitime imperaverint: ſucceſſu tamen temporis fuere legitima imperia, ipſo conſenſu populorum Republica in unum, ut regi poſſet commodius, totam ſuam auctoritatem transferente.*

γ Pars ingenium, alii corpus exercebant.] *Prout illi ad imperandum, hi ad ſerviendum magis apti videbantur:* Siquidem animi imperio, corporis ſervitio *(ait idem Salluſt.)* magis utimur. *Propterea Ariſt. 1. politic. ex ſententia poetarum ait* juſtum eſſe, Græcos in Barbaros imperium habere, quod Græci magis pollerent, Barbari corporis robore antecellerent.

δ Deterior donec paulatim.] *Idque poſt auream ætatem ſub Saturno, quam deſcribunt poëtæ, ac in primis Heſiodus lib. ἔργα καὶ ἡμέραι.*

ε Sed

ε Sed neceſſitas tuendæ ſalutis, & libertatis.] *Hæc una potuit eſſe juſtiſſima cauſſa Romanis gerendi belli. Cic. pro Milone:* Illud eſt non modo juſtum, ſed etiam neceſſarium bellum, cum vis vi illata defenditur. *Et 3. de Repub.* Nullum bellum à civitate optima defenditur, niſi aut pro fide, aut pro ſalute. *Livius lib. 9.* Juſtum bellum, quibus neceſſarium, & pia arma, quibus nulla, niſi in armis ſpes relinquitur.

ζ Sociis, atque amicis auxilia portabant.] *Cic. 2. offic.* Quamdiu, *inquit*, imperium populi Rom. beneficiis tenebatur, non injuriis, bella aut pro ſociis, aut de imperio gerebantur. Exitus erant bellorum aut mites, aut neceſſarii. Regum, nationum, populorum portus erat & refugium Senatus: Noſtri autem magiſtratus, Imperatoreſque ex una hac re maximam laudem capere ſtudebant, ſi ſocios æquitate, & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis terrarum verius, quàm imperium poterat nominari.

η Nec aliud ſecretiore, ac ſuperiore poteſtate contra eorum conatum.] *Divinam poteſtatem intelligit, cui omnis poteſtas etiam dæmonum ſubjecta eſt. Magnam eſſe poteſtatem dæmonum, ex ſacris litteris conſtat. Job. 41.* Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei comparetur. *Ibidem:* Reputavit quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putre, æs. *Sed quibus limitibus hæc poteſtas concludatur, cum ſit finita, non exprimit Scriptura. D. Auguſt. lib. 3. de Trinit. cap. 9. ſcribit*, non tantùm difficile eſſe, ſed etiam impoſſibile homini ſcire, quidnam Angelus per naturam ſuam poſſit, ſi à nulla potentiore cauſa prohibeatur. *Quod Angelus una nocte primogenita Ægyptiorum neci dederit. Exod. 12. tot myllia Aſſyriorum proſtraverit 4. Reg. 19. ob peccatum Davidis tot hominum millia fuderit. 2. Reg. 14. 1. Paralip. 21. Non eſt dubium, factum naturali virtute Angeli, quæ in dæmonibus ipſis ſalva remanſit & integra. Recte igitur dicit Auguſt.* Quod niſi ſecretiore, ſuperioreque virtute contra eorum conatum ageretur, haberent ut plurimum in poteſtate ſua pacem, bellicaſque victorias: *licet enim non poſſint vim inferre voluntati, poſſunt tamen & commovendo phantaſiam & validiſſimas rationes objiciendo tum ad pacem, tum ad bellum inducere.*

CAP. XI.

De ſimulachro Cumani Apollinis, cujus fletus creditus eſt cladem Græcorum, quibus opitulari non poterat, indicare.

QUas tamen plerumque contra eorum fieri voluntatem, α non ſolùm fabulæ multa mentientes, & vix veri aliquid vel indicantes vel ſignificantes, ſed etiam ipſa Romana confitetur hiſtoria. a β Neque enim aliunde Apollo ille Cumanus, cum adverſus Achæos b regemque γ Ariſtonicum à Romanis bellaretur, quatriduo fleviſſe nunciatus eſt, quo prodigio haruſpices territi, cùm id ſimulacrum in mare putaviſſent eſſe projiciendum, Cumani ſenes δ interceſſerunt atque retulerunt tale prodigium, c & Antiochi, d & † Perſidis bello in eodem apparuiſſe figmento: & quia Romanis fœliciter proveniſſet, ex ſenatuſconſulto eidem Apollini ſua dona eſſe miſſa teſtati ſunt. Tunc verò peritiores

† al. Perſi. forte Perſa.

acciti haruſpices reſponderunt, ſimulachri Apollinis fletum ideo proſperum eſſe Romanis, quoniam *e* Cumæ † colonia Græca eſſet, ſuiſque terris unde accitus eſſet, id eſt ipſi Græciæ luctum & cladem Apollinem ſignificaſſe plorantem. Deinde mox regem Ariſtonicum victum & captum eſſe nunciatum eſt, quem vinci utique Apollo nolebat & dolebat: & hoc ſui lapidis etiam lachrymis indicabat. Unde non uſquequaque incongruè, quamvis fabuloſis, tamen veritatis ſimilibus, mores dæmonum deſcribuntur carminibus poetarum. Nam *ε* Camillam Diana doluit apud Vergilium & *ζ* Pallantem moriturum Hercules flevit. Hinc fortaſſis & Numa Pompilius pace abundans: ſed *η* quo donante neſciens, nec requirens: cùm cogitaretocioſus, *θ* quibusnam Diis tuendam Romanam ſalutem regnumque committeret: nec verum atque omnipotentem *ι* ſummum Deum curare opinaretur iſta terrena: atque recoleret Trojanos Deos, quos Æneas advexerat: neque Trojanum, neque Lavinienſe ab ipſo Ænea conditum regnum diu conſervare potuiſſe, alios providendos exiſtimavit, quos illis prioribus, ſive qui cum Romulo jam Romam tranſierant, ſive quandoque Alba everſa fuerant tranſituri, vel tanquam fugitivis cuſtodes adhiberet, vel tanquam invalidis adjutores.

al. Cumana.

L. Vives. *a* NEque enim aliunde Apollo ille Cumanus.] *Attalus Aſiæ rex teſtamento populum Romanum heredem fecerat regni. Id Ariſtonicus Eumenis Attali fratris filius ex concubina genitus praeccupavit: hinc bellum eſt ei indictum: miſſus eò Licinius Craſſus Coſ. & pont. max. victus eſt ab Ariſtonico. M. Perpenna conſul inſequentis anni, audita Craſſi fortuna, magnis itineribus in Aſiam venit, victumque acie Ariſtonicum fame domitum, in deditionem Stratonica, quò poſt prælium confugerat, cepit, Romamque miſit. Romanis Nicomedes Bithyniæ, Mithridates Ponti, Ariarathes Cappadociæ, Pylemænes Paphlagoniæ reges favebant. Ariſtonico Achaia.*

b Regemque Ariſtonicum.] *Hæc Apollinis lachrymatio contigit Appio Claudio, M. Perpenna Coſ. ut Julius Obſequens narrat in fragmento libri de prodigiis. Inquit enim: Ap. Claudio, M. Perpenna Coſ. Publius Craſſus adverſus Ariſtonicum dimicans occiſus. Apollinis ſimulachrum lachrymavit per quatriduum. Vates portenderunt Græciæ fore exitium, unde deductum eſſet: ſacrificatum tum à Romanis, donaque in templo poſita. Hæc ille. Fletus ſimulachrorum malum aliquod prænunciabant his quibus faverent, ut fletus Junonis Soſpitæ Lavinii L. Æmilio Paulo, Cn. Bebio Pamphilo Coſ. ingens peſtilentia ſecuta. Sic Lucanus in Prodigiis bellorum civilium.*

Craſſus occiſus. Sudantes Dii.

Indigetes fleviſſe Deos, urbisque laborem
Teſtatos ſudore lares.

Antiochus. *c* Et Antiochi.] *Syriæ regis, quem L. Cornelius Scipio Africani frater vicit. Livius fusè Decad. quarta.*

d Et Perſidis bello.] *Alii Xerxis, melius Perſa Philippi filii Macedonum regis, quem intra paucas horas devicit L. Æmilius Paulus, bello Macedonico ſecundo. Plutarch. in Vita Æmilii Pauli, & alii.*

Cumæ. *e* Quoniam Cumana Colonia.] *Vel Cuma colonia: Chalcidienſes & Cumæi, ut eſt*

eſt apud Strabonem lib. 5. populi Græciæ magna olim claſſe in Italiam navigarunt, appulſique littori Campano, urbem ibi condidere: duces erant Cumæorum Hippocles, Chalcidienſium Megaſthenes: ii pacti ſunt inter ſe, ut alteri coloniam poſſiderent gentis: alteri nomen darent. Ita factum eſt: Cumæ dicuntur, & colonia eſt Chalcidia. Verg. in ſexto de Cumis:

Chalcidicáque levis tandem ſuperaſtitit arce.

Hanc urbem Strabo affirmat cunctas & Italiæ & Siciliæ urbes vetuſtate antecedere. P.L. Cap.

α NOn ſolum fabulæ multa mentientes.] *Pindar.* δεδαιδαλμένους ψεύδεσι ποικίλοις μύθους *vocat* diverſis variegatas mendaciis fabulas.

β Neque enim aliunde Apollo ille Cumanus.] Cumis in arce Apollinem triduum, ac tres noctes lachrymaſſe, *auctor eſt Livius lib. 43. refert etiam Cic. lib. 1. de divinat. Julius Obſeq. lib. de prodigiis. contigit iſtud prodigium Coſſ. Q. Martio Philippo, Q. Servilio Cepione, ab V. C. 585. Vates portenderunt Græciæ fore exitium unde deductum eſſet. ſacrificatum tum à Romanis, donaque in templo poſita. Fletus ſimulachrorum malum aliquod prænunciabant his, quibus faverent, & fletus Junonis Soſpitæ Lanuvii L. Æmylio Paulo, Cn. Cælio Pamphilo Coſſ. ab V. C. 573. ingens peſtilentia ſecuta. Livius lib. 40. Jul. Jul. Obſeq. cap. 4. Lucanus in prodigiis bellorum civilium.*

Indigetes fleviſſe deos, urbiſque laborem
Teſtatos ſudore Lares.

γ Regemque Ariſtonicum.] Attalo Aſiæ Rege defuncto Ariſtonicus ex Eumene fratre, non juſto matrimonio, ſed ex pellice Epheſia cithariſtæ cujusdam filia genitus, regnum ut ſibi hæreditarium, partim ſtudio & favore populorum, partim vi & armis ſubegit. Populus Rom. qui ab Attalo ſcriptus erat hæres, eam injuriam non diu tulit, P. Licinium Craſſum tum Conſulem, & Pontificem Maximum ad bellum cum exercitu miſit, cui aderant non ſolùm domeſticæ vires, ſed multorum etiam Regum auxiliares copiæ, ut Nicomedis Bithiniæ; Mithridatis Ponti, Ariarathis Cappadociæ, & Palemonis Paphlagoniæ Regum. Craſſus valido exercitu Romanorum, totque ſociorum appendicibus fultus, magno prælio victus, & captus ab hoſte eſt, qui familiæ ac Romani nominis memor, mori maluit, quàm ad Ariſtonicū adduci, præcluſaque omni alia ad mortem via, virgâ, qua equum regebat, abducentium uni oculos excuſſit, à quo in ultionem obtruncatus eſt. Craſſi caput ad Ariſtonicum eſt delatum, corpus Smyrnæ ſepultum. Erat jam M. Perpenna ſequentis anni Coſſ. ex urbe profectus, qui Craſſo ſucceſſor mittebatur, cum nuncius illi de Craſſi morte, & clade nuper accepta occurrit, quo factum ut aliquanto celerius transmiſerit, Ariſtonicumque primo congreſſu victum, & in Stratonem compulſum nonnihil obſidione fatigaverit, quem non multo poſt in poteſtatem redactum Romam miſit, ubi in carcere juſſu Patrum eſt necatus. *Vide Livium lib. 59. Strab. lib. 14. Juſtin. lib. 36. Flor. lib. 2. Vellejum lib. 2. Oroſ. lib. 5. cap. 10. Sabellicum Ennead. 5. lib. 9.*

δ Interceſſerunt.] Intercedere *pro* obſtare, *uſus eſt Tertull. lib. adverſus Valentinian. capit. 9.* Interceſſit mater Sige, *obſtitit, & lib. 2. contra Marcionem c. 7.*

Quod

Quod Deus non interceſſerit adverſus ea. *Paulo poſt* per quos interceſſiſſe potuiſſet. *denique* puta interceſſiſſe. *Et lib. 5. item contra Marcionem cap. 2.* Interceſſiſſe *quoſdam. Rhenanus interpretatur* interveniſſe, oppoſuiſſe ſe. *Ita dicebantur Tribuni Senatus*conſultis intercedere. *id eſt.* obſtare ne fierent. *Ita Tribuni* interceſſerunt. *Scipio* interceſſit, *id eſt*, in medium ſe verbis, aut vi oppoſuit, *Valla lib. 3. cap. 73.*

ε Camillam Diana doluit.] *Camilla Regina Volſcorum Metabi, & Camillæ filia, cujus pater Metabus propter invidiam ſuorum pulſus Dianæ eam vovit, ut eſt apud Virg. 11. Æneid. cum autem jam adoleſceret ſolis armis ſtuduit, jamque in omni genere armorum inſtructiſſima Turno & Latinis adverſus Æneam in auxilium venit, & poſt multas res præclare geſtas ab Arunte eſt occiſa.*

ζ Pallantem moriturum.] *Hic Pallas Evandri filius fuit, qui Æneæ ſuppetias miſſus adverſus Turnum, ab eo occiſus eſt.*

η Quo donante neſciens.] *Similis locus Oſeæ 2. quem alias citavimus. Et Iſai. 10. Dominus ait de Rege Aſſyriorum:* Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt, in manu ejus indignatio mea: ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quaſi lutum platearum: ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor ejus non ita exiſtimabit, *id eſt tot victorias de hoſtibus, & tot trophæa non mihi accepta referet. Ita Numa tantum bonum pacis Deo vero acceptum non referebat, de quo illud non abſurde intelligi poteſt.* Non confitebitur tibi, cum benefeceris ei.

θ Quibusdam diis tuendam.] *Putabant enim quo potentioribus diis ſalus imperii committeretur, eo ſtabilius ac firmius fore imperium.*

ι Summum Deum curare opinaretur iſta.] *Falſum igitur eſt, quod ajunt nonnulli, adeo egregium philoſophum Numam extitiſſe, & in eo verum deprehenſum illud Platonis:* Tum beatas eſſe Reſpublicas, quando à philoſophis adminiſtrantur: *quomodo enim philoſophus ille, qui nec ſummum Deum nec ſummi Dei providentiam ex rebus effectis novit?*

CAP. XII.

Quantos ſibi Deos Romani præter conſtitutionem Numæ adjecerint, quorum eos numeroſitas nihil juverit.

NEc his ſacris tamen Roma dignata eſt eſſe contenta, quæ tam multa illic Pompilius conſtituerat: nam ipſius *a* ſummum templum nondum habebat Jovis. *a* Rex β quippe Tarquinius ibi Capitolium fabricavit. *b* γ Æſculapius autem ab Epidauro abivit Romam, *c* ut δ peritiſſimus medicus in urbe nobiliſſima artem glorioſius exerceret. ε Mater etiam Deûm *d* neſcio unde à *e* Peſſimunte. Indignum enim erat, ut cùm ejus filius jam colli Capitolino præſideret, adhuc ipſa in loco ignobili latitaret. Quæ tamen ſi omnium Deorum mater eſt, non eſt ſecuta ſolùm Romam quoſdam filios ſuos, verùm & alios præceſſit etiam ſecuturos. Miror ſanè, ſi ipſa peperit ζ Cynocephalum, *f* η qui longè poſtea venit ex Ægypto. *g* Utrum etiam Dea Febris ex illa nata ſit, *h* viderit Æſcu-

Æſculapius *i* pronepos ejus. Sed undecunque nata ſit, non opinor audebunt eam ignobilem dicere Dii peregrini *k* Deam civem Romanam. *g* Sub hoc tot Deorum præſidio, quos numerare quis poteſt, *ι* indigenas & alienigenas, cælites, terreſtres, infernos, marinos, fontanos, fluviales: & ut Varro dicit certos atque *l* incertos, in omnibusque generibus Deorum ſicut in animalibus mares & fœminas? *Dii certi atque incerti.* Sub hoc ergo tot Deorum præſidio conſtituta Roma, non tam magnis & horrendis cladibus, quales ex multis paucas commemorabo, agitari affligique debuit. Nimis enim multos Deos *m* grandi fumo ſuo, *n* tanquam ſigno dato ad tuitionem congregaverat: quibus templa, altaria, ſacrificia, ſacerdotes inſtituendo atque præbendo, ſummum verum Deum, cui uni hæc ritè geſta debentur, offenderet. Et fœlicior quidem cum paucioribus vixit: Sed quantò major facta eſt, ſicut navis nautas, tantò plures adhibendos putavit, credo deſperans, pauciores illos, ſub quibus in comparatione pejoris vitæ melius vixerat, non ſufficere ad opitulandum granditati ſuæ. Primò enim ſub ipſis regibus excepto Numa Pompilio, de quo jam ſuprà locutus ſum, quantum malum diſcordioſi certaminis fuit, quòd fratrem Romuli coegit occidi?

a REx quippe Tarquinius.] *Tarquinius Superbus. Livius libro primo.* *L. Vives.*

b Æſculapius.] *Bello Samnitico ex Epidauro Romam eſt advectus à Quinto Ogolnio legato anguis manſueti ſpecie: transnavitque in inſulam Tiberis, ubi ei templum eſt extructum, & feriæ Calend. Januariis datæ. Porrò Epidaurus, quæ antè Epitaurus, ut ſcribit Strabo, oppidum eſt in Achaia ſupra Corinthum Orientali littore: quod Saronium vocat Plinius, inclytum Æſculapii templo, quod ſuo in agro habet, quinque paſſuum milibus ab urbe.* *Æſculapius.*

c Ut peritiſſimus medicus.] *Æſculapii tres fuerunt Ciceroni. Primus Apollinis filius, quem Arcades colunt. Secundus, ſecundi Mercurii, Valentis & Pheronidis filii frater, is fulmine percuſſus, dicitur humatus eſſe Cynoſuris. Tertius Arſippi & Arſinoe, qui primus purgationem alui dentiſque evulſionem, ut ferunt, invenit: cujus in Arcadia, non longè à Luſio flumine ſepulchrum & lucus oſtenditur. Æſculapium illum nobilem medicum Tarquinius de Illuſtribus viris diſſerens, ſicut eſt apud Lactantium, ait incertis parentibus natum expoſitum, & à venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum, didiciſſe medicinam, fuiſſe autem Meſſenium, ſed Epidauri habitaſſe. Hippocrates Cous bellum cui navicula nomen eſt, ſcripſiſſe illum refert, ut nos in philoſophia initiis diximus. Cor. Celſus in Deorum numerum receptum tradit, cùm medicinam adhuc rudem paulò ſubtilius excoluiſſet.*

d Neſcio unde nata.] *Ignobile erat ejus genus, ut Saturni fratris. Nam Opem hanc dicunt fuiſſe, idcirco filii Cæli ſunt habiti, quòd eorum ignoraretur origo, cùm tamen magni & in admiratione hominum eſſent. Eos verò qui ſunt tales, de cælo deſcendiſſe vulgus ferunt.*

e Præneſtinum montem.] *Locus hic eſt in omnibus exemplaribus, quæ quidem videre mihi contigit, mendoſus. Alibi ſic: Mater etiam Deûm neſcio unde à Peſſinunte monte, ſed ſatius erit pro Præneſtinum legere Palatinum. Nam in Palatio locata eſt magna Deûm mater, à mari advecta Romam. Liv. lib. 36. & Victor in Urbis regionib.*

 f Qui

f Qui longè poſtea.] *Sacra Ægyptia Romam eſſe introducta temporibus Syllæ ſignificat Apulejus in Metamorphoſi, hoc eſt, centum amplius annis poſtquàm mater Deûm eſt Romam translata. Sed L. Piſo & A. Gabinius Coſſ. edicto ſanxerunt, ne in Capitolio eſſent: tametſi hoc ſequentibus temporibus eſt abolitum. Tertullianus in Apologetico.*

g Utrum etiam Dea Febris.] *Alibi, utrum etiam Deus Februus ex illa natus ſit: quod non congruit, cùm Februus ſit Pluto, cui Februario menſe ſacrificatur, à purgatione dictus, de quo non dubitatur. Sed & legendum eſſe Febrim oſtendit, quod ilico additur, viderit Æſculapius, & alia quæ ſequuntur.*

h Viderit Æſculapius.] *Facetè, quia medicus.*

i Pronepos.] *Quia Apollinis filius, hic Jovis, Jupiter Opis.*

k Deam civem Romanam.] *Et hoc falſum. Nam Romani Febrem Deam finxerunt.*

l Incertos.] *Nam ſunt quidam de quorum divinitate non ſatis conſtat, quales ſunt Panes, Sylvani, Nymphæ, Ovidius in 1. Metam. verbis Jovis:*

Sunt mihi ſemidei, ſunt ruſtica numina Fauni.
Et Nymphæ, Satyrique, & monticulæ Sylvani.
Quos quoniam nondum cœli dignamur honore,
Quas dedimus certè terras habitare ſinamus.

Ejuſmodi ſunt & Hippolytus, & Corybantes, & Atys, & Sabbazius, quos Lucianus ἐν ὑπερνεφέλῳ μετοίκους θεοὺς *&* ἀμφιβόλους *vocat, id eſt, inquilinos Deos, & ambiguos.*

m Grandi fumo ſuo.] *Sacrificiorum, vel vanitate, ut ad allegoriam fumi alludat, nam fumus pro re vana atque inani ſolet accipi: unde illud fumos vendere.*

n Tanquam ſigno dato.] *Bellicis aut ſuſpectis temporibus in editis ſpeculis faſtigia lignorum prætenuium, perque ſiccorum ponunt ſpeculatores, ut ſi quis vel ſubitus hoſtium adventus emineat, vel terror aliquis exiſtat, poſſint quàm primum faſcibus incenſis, & ſuos & vicinos certiores facere.* φρυκτοὺς *Græci id genus faſcium vocant, quibus interdum ad centeſimum lapidem intra ſemihorulam ſignificatur, ut amici ad propellendum periculum poſſint in tempore accurrere: poteſt etiam intelligi hoc ſignum quod Auguſtinus dicit, de ſigno quod in prælio ſolet dari.*

F.L.C.9. *α* SUmmum templum nondum habebat Jovis.] *Non quod alia templa Jovis Romæ non eſſent, ſed quia illud, quod in capitolio Jovi ſacratum eſt, fuit ſummum & præcipuum omnium. Romulus enim Jovi ſtatori templum & voverat, & ſacraverat.*

β Rex quippe Tarquinius.] Tarquinius Priſcus inchoaverat: Superbus magnam templi partem perfecit, ſed præventus exilio abſolvere non potuit: tertio demum conſulatu libera civitas operi ſupremam manum impoſuit. *Dionyſ. lib. 4.*

γ Æſculapius autem ab Epidauro.] *Livius lib. 10. Lactant. irridet lib. 2. cap. 8. & Arnob. lib. 2.*

δ Ut peritiſſimus Medicus.] *In arte medendi ita fertur excelluiſſe, ut nedum morbis ſæviſſimis ægros alleviare, ſed & ad vitam revocare homines exiſtimatus ſit.*

Unde

Unde ab eo Hippolytum, & Androgeum Minois filium ab Athenienſibus interemptum ad vitam revocatum Græci prodiderũt, quod luculento carmine Serenus teſtatus eſt.

Tuque potens artis reduces qui tradere vitas
Noſti, atque in cœlum manes revocare ſepultos:
Qui colis Ægeas qui Pergama, quique Epidaurum.

Hunc etiam fingunt ab Jove fulmine ictum, quod nocenter medicinam exerceret. Tertull. in Apolog. capit. 14. Eſt & ille de Lyricis, Pindarum dico, qui Æſculapium canit avaritiæ merito qua medicinam nocenter exercebat fulmine vindicatum. *Arnob lib. 1.* Nonne Æſculapium medicaminum repertorem, poſt pœnas, & ſupplicia fulminis cuſtodem nuncupaviſtis, & præſidem ſanitatis, valetudinis, & ſalutis. *Et lib. 4.* Nunquid cupidinis, atque avaritiæ cauſa. *(ſicut canit Boëtius Pindarus)*

Æſculapium fulminis transfixum eſſe telo?

ε Mater autem deorum.] *De hac alibi ſatis dictum. Refert Livius lib. 39.*

ζ Cynocephalum.] *Meminit Tertull. in Apolog. cap. 6. & Minut. in Octa. hunc Deum quidam* Anubim *eſſe volunt, de quo Virg. 8. Æneid.* Et Latrator anubis. *De eo plura Lylius Giraldus Syntag. 9. hiſtor. deorum: & nos ſuperius.*

η Qui longe poſtea venit ex Ægypto.] *Portenta illa Ægypti tandem etiam Romam ſunt introducta. Minut. in Octa.* Hæc tamen Ægyptia quondam, nunc & ſacra Romana ſunt. *Et Tertull. in Apologet. capit. 6. Has turpes & otioſas ſuperſtitiones aliquando à Romanis abdicatas, poſtea vero reſtitutas, ſummamque illis majeſtatem collatam ſcribit.*

θ Sub hoc tot deorum præſidio.] *Camillus apud Livium lib. 1.* Urbem auſpicato, inauguratoque conditam habemus, nullus locus in ea non religionum, deorumque eſt plenus, ſacrificiis ſolemnibus non dies magis ſtati, quam loca ſunt in quibus fiunt.

ι Indigenas, & alienigenas.] *Vide Tertull. in Apolog. cap. 25. Minut. in Octa. Cyprian. de idolorum vanit. Ita verum illud Leonis Papæ, Romam* magnam ſibi viſam eſſe aſſumere religionem, ſi nullam reſpueret falſitatem.

κ Grandi fumo ſuo.] *Vel ſacrificiorum vanitatem intelligit, vel certe ſuperſtitionem ipſam, quæ inſtar fumi vana eſt.*

λ Quibus templa, altaria, ſacrificia.] *Quæ omnia ad religionem ipſam, & divini numinis cultum deſiderantur. Tertull. lib. de præſcript.* In Romanis illis ſacerdotalibus officiis, inſignibus, & privilegiis moroſitatem illam Judææ diabolus imitatus eſt. *Ita dæmon divinos honores affectabat, ea ſibi à ſuis tribui curans, quæ uni Deo deberi ex ſcripturis intellexerat. vide infra lib. 10. cap. 19. & lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. & 22.*

CAP. XIII.

Quo jure, quo fœdere Romani obtinuerint prima conjugia.

QUomodo nec α Juno, quæ cum Jove ſuo jam fovebat Romanos rerum dominos gentemque togatam, nec β Venus ipſa Æneadas ſuos potuit adjuvare: γ ut bono & æquo more conjugia mererentur, cladesque tanta irruit

irruit hujus inopiæ, δ ut ea dolo raperent, moxque compellerentur pugnare cum ſoceris: & miſeræ fœminæ nondum ex injuria maritis conciliatæ, jam parentum ſanguine dotarentur. At enim vicerunt in hac conflictatione Romani vicinos ſuos. Quantis & quàm multis utrinque vulneribus ac funeribus, tam propinquorum quàm confinium iſtæ victoriæ conſtiterunt? *a* Propter unum Cæſarem ſocerum, & unum generum ejus Pompejum: jam mortua Cæſaris filia uxore Pompeji, quanto & quàm juſto doloris inſtinctu, Lucanus exclamat:

Bella b per Emathios plus quàm civilia campos,
Juſque datum ſceleri canimus.

Vicerunt ergo Romani, ut ſtrage ſocerorum manibus cruentis ab eorum filiabus amplexus miſerabiles extorquerent: nec illæ auderent flere patres occiſos, ne offenderent victores maritos: quæ adhuc illis pugnantibus *c* pro quibus facerent vota, neſciebant. Talibus nuptiis populum Romanum non Venus, ſed ε Bellona dotavit: *d* aut fortasſis ζ Alecto illa infernalis furia, jam eis favente Junone, plus in illos habuit licentiæ, quàm cum ejus precibus contra Æneam fuerat excitata. *e* η Andromache fœlicius captivata eſt, quàm illa conjugia Romana nupſerunt: licet ſerviles, tamen poſt ejus amplexus nullum Trojanorum Pyrrhus occidit. Romani autem ſoceros interficiebant in præliis, quorum jam filias amplexabantur in thalamis. Illa victori ſubdita, dolere tantum ſuorem mortem potuit, non timere. Illæ ſociatæ bellantibus, parentum ſuorum mortes procedentibus viris timebant, redeuntibus dolebant, nec timorem habentes liberum, nec dolorem. Nam propter interitum civium, propinquorum fratrum, parentum, aut piè cruciabantur, aut crudeliter lætabantur, victoriis maritorum. Huc accedebat, quod ut ſunt alterna bellorum, aliquæ parentum ferro amiſerunt viros, aliæque utrorumque ferro & parentes & viros. Neque enim & apud Romanos parva fuerunt illa diſcrimina. Siquidem θ ad obſidionem quoque perventum eſt civitatis, clauſiſque portis ſe tuebantur. *f* Quibus dolo apertis, admisſiſque hoſtibus intra mœnia, *g* in ipſo foro ſcelerata & nimis atrox inter generos ſoceroſque pugna commiſſa eſt. Et raptores illi etiam ſuperabantur, & crebrò fugientes intra domos ſuas, *h* gravius fœdabant priſtinas, quamvis & ipſas pudendas lugendaſque victorias. Hic enim Romulus de ſuorum jam virtute deſperans, *i* Jovem ι rogavit ut ſtarent, *k* atque ille hac occaſione κ nomen Statoris invenit. *l* Nec finis eſſet tanti mali, niſi λ raptæ illæ laceratis crinibus emicarent, & provolutæ parentibus iram eorum juſtisſimam, non armis victricibus, ſed ſupplici pietate ſedarent. Deinde μ T. Tatium regem Sabinorum, ſocium regni Romulus ferre compulſus eſt, germani conſortis impatiens: *m* ſed quando & iſtum diu toleraret, qui fratrem geminumque non pertulit? ν Unde & ipſo interfecto, ut major Deus eſſet, regnum ſolus obtinuit. Quæ ſunt iſta jura nuptiarum, quæ irritamenta bellorum, quæ fœdera germanitatis, affinitatis, ſocie-

ſocietatis, divinitatis? Quæ poſtremò ſub tot Diis tutoribus *n* vita civitatis? Vides quanta hinc dici & quàm multa poſſent, niſi quæ ſuperſunt noſtra curaret intentio, & ſermo in alia feſtinaret.

a PRopter unum Cæſarem.] *Julia unica C. Cæſaris filia, Cn. Pompejo Magno nupſit, hæc gravida è partu obiit, patre bellum in Gallia gerente. Deinde ſocer & gener geſſerunt bellum civile.* L. Vives.

b Per Emathios.] *Emathiam antea, quæ poſtea Macedonia fuit, dictam eſſe, author eſt Plin. lib. 4. In hac Pompejus & Cæſar concurrerunt.*

c Pro quibus facerent vota.] *Ovidius 3. Faſtorum de Sabinis, cùm in procinctu eſſent acies Romanorum & Sabinorum, Mars loquitur:*

Conveniunt nuptæ dictam Junonis in ædem,
Quas inter mea ſic eſt nurus auſa loqui:
O pariter nuptæ, quoniam hoc commune tenemus
Non ultra lentæ poſſumus eſſe piæ.
Stant acies, ſed utra Dii ſunt pro parte rogandi?
Eligite, hinc conjunx, hinc pater arma tenet.
Quærendum eſt, viduæ fieri maritis, an orbæ?

d Aut fortaſſis Alecto.] *Tres furiæ, Alecto, Tiſiphone, & Megæra Acherontis & Noctis fuiſſe filiæ dicuntur. Alecto iras, odia, turbas, ſeditiones, rixas, bella, cædes in genere humano excitat.* Alecto.

Quæ poſſit unanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis verſare domos.

Hanc adverſus Trojanos Juno ſtimulat Æneid. 7.

e Andromache.] *Hectoris conjunx, Eetionis Thebarum Ciliciæ regis filia. Hanc poſt everſum Ilium uxorem duxit Pyrrhus Achillis filius.*

f Quibus dolo apertis.] *Arci Romanæ præerat Sp. Tarpeius: hujus filiam Tarpeiam virginem magnis promiſſis corrupit Tatius rex Sabinorum: ut quum petitum aquam exiret, armatos in arcem admitteret. Ipſa ſe facturam promiſit, ſi quod in lævis omnes geſtarent, ſibi daretur. Accepit conditionem rex, & quum intus jam eſſent, virginem ſcutis obrutam interemerunt. Hæc enim in lævis geſtabant, quum de aureis armillis ſenſiſſet, quas in ſiniſtris brachiis habebant. Plutarchus in Parallelis hoc Albanis, non Sabinis, contigiſſe ſcribit, ex Ariſt. de Mileſio. Sed ego Latinis ſcriptoribus Livio, Fabio, Piſoni, Cincio, etiam Dionyſio Græco magis accedo.* Tarpeia virgo.

g In ipſo foro.] *Inter colles Capitolinum & Palatinum eſt pugnatum.*

h Gravius fœdabant priſtinas.] *Non de Sabinis victorias, ſed de Ceninenſibus, Cruſtuminis & Antennatibus.*

i Jovem rogarent ut ſtarent.] *Livius lib. 1. verbis Romuli, ſuis fugientibus: At tu pater Deûm hominúmque hinc ſaltē arce hoſtes, deme terrorem Romanis, fugámque fœdam ſiſte. Hic ego tibi templum Statori Jovi, quod monumentum ſit poſteris, tua præſenti ope ſervatam urbem eſſe voveo. Hæc ille.*

k Atque ille occaſione Statoris.] *A ſiſtendo, niſi fortè ab ſtando, id eſt, erigendo: quoniam conciderant Romanorum animi. Cicero Jovem hunc cuſtodem imperii*

vii Romani frequenter nominat. Credo, quia ejus templum erat ſuæ domui vicinum. Divus Hieronymus Jovem Statorem ſtare dicit, non quòd ideò dictum Statorem putet, quòd rectus ſtet, ſed quòd Jupiter tonans, ſicut annotavit Hermolaus Barbarus, ſedens fingatur in antiquis monetis ac ſimulachris: Stator verò ſtans tanquam erectus ad ferendam opem. Seneca in 4. de beneficiis libro, altiorem reddit cauſam cur Stator dicatur: Non, inquit, quemadmodum hiſtorici tradiderunt, ex eo quòd poſt votum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtetit, ſed quòd ſtant beneficio ejus omnia, ſtator ſtabilitorque eſt. Cicero non diſſimiliter. Atque etiam Jovem cùm opt. Max. dicimus, cumque eundem ſalutarem, hoſpitalem, ſtatorem, hoc intelligi volumus, ſalutem omnium in ejus eſſe tutela, verùm uterque Stoico more. Nam apud Ciceronem ea verba, quæ citavi, loquitur Cato Stoicus 3. de finibus. Stoici ad altiores intellectus hæc omnia de Diis revocabant.

l Nec finis eſſet tanti mali.] *Media pugna raptæ paſſis crinibus inter duas acies ſe conjecerunt. Et hinc viros, inde parentes ad concordiam precibus & lachrymis adduxerunt. Ita intermiſſo prælio fœdus eſt ictum, Sabini in civitatem admiſſi, & Tatius in partem regni.*

m Sed quando & iſtum.] *Laurentes Titum Tatium Lavini interfecerunt, quinto anno poſtquam cœpiſſet regnare cum Romulo, quòd ab ejus propinquis legati ſui eſſent pulſati. Romulus eam rem lætus accepit.*

n Jura civitatis.] *In vetuſtis exemplaribus, in altero eſt vita, in altero vitæ civitatis: utrumque argutius quàm jura.*

F.L.Cap. *α* JUno, quæ cum Jove ſuo.] *Alludit ad verba Jovis, 1. Æneid.*

Quin aſpera Juno,
Quæ mare nunc terraſque metu, cœlumque fatigat,
Conſilium in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

β Venus ipſa Æneadas ſuos.] *Ita dicitur* Æneadum genetrix *Lucretio lib. 1. de nat. rerum. Et Tertull. in Apologet. cap. 9. Romam vocat* Æneadum urbem, *quod ab Ænea Trojano Veneris ex Anchiſe filio Romani originem ducerent. Et Juſtinian. Novell. 47.* Æneas nobis Trojanus Rex Reipub. Municeps, & nos quidem Æneadæ ab illo vocamur.

γ Ut bono, & æquo more conjugia mererentur.] *Scribit Livius lib. 1. Romulum ex conſilio Patrum legatos ad vicinas civitates miſiſſe, qui ſocietatem, connubiumque novo populo peterent, nuſquam benigne legationem auditam. Id igitur eſt, quod vult D. Auguſt. Venerem ipſam non potuiſſe Æneadas ſuos adjuvare, ut bono & æquo more conjugia mererentur.*

δ Ut ea dolo raperent.] *Livius, Plutarch. Dionyſ. Minut. in Octa. Cyprian. lib. de idolorum vanit. Oroſ. lib. 2. cap. 4.* Sabinorum, quos fœdere, ludiſque pellexerat, fœminas tam inhoneſte præſumpſit, quam nefarie defendit.

ε Pro quibus facerent vota, neſciebant.] *Ovid. 3. faſt.*

Stant acies, ſed utra ſunt dii pro parte rogandi
Eligite: hinc conjux, hinc pater arma tenet.

Quærendum eſt, viduæ fieri malitis, an orbæ?

ζ Bellona dotavit.] *Verba ſunt Junonis infenſa Trojanis, 7. Æneid.*

At licet amborum populos exſcindere Regum
Hac gener, atque ſocer coeant mercede ſuorum,
Sanguine Trojano & Rutulo dotabere virgo,
Et Bellona manet te pronuba.

Antiqui etiam duellonam *dicebant auctore Varrone:* Ἐνυὼ *Græcis dicitur, quæ vox* furorem belli *ſignificat. Platoni* Φιλοπόλεμος *Pallas ſcilicet, quam eamdem eſſe credunt, quæ* ἀπὸ τοῦ πάλλειν, *id eſt,* à vibrando *nomen habet: quæ etiam Naſoni dea* bellica, & bellatrix *dicta eſt. Et Virgilio* Armiſona, *ſicut Pindaro* ἐγχείπαλος. *Fortaſſe eſt* ἔρις *illa, quam deſcribit Heſiodus:* ἡ μὲν γὰρ πόλεμόν τε κακὸν καὶ δῆριν ὀφέλλει σχετλίη. οὔτις τήν γε φιλεῖ βροτὸς, ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης ἀθανάτων βουλῇσιν ἔριν τιμῶσι βαρεῖαν. *Plura apud Lylium Giraldum hiſt. Deor. Syntagm. 10.*

η Alecto illa.] *Una ex infernalibus furiis, quæ latine* inceſſans, *interpretatur ab a privativa & λήγω* deſino, *quia* cupiditas nunquam ſatiatur. *7. Æneid.*

Cui triſtia bella
Iræque, inſidiæque & crimina noxia cordi.

Lylius Giraldus Syntagm. 6.

θ Andromache fœlicius captivata eſt.] *Hæc Ethionis Regis Thebarum, quæ in Cilicia, fuit filia, & Hectoris uxor, & mater Aſtyanactis, ut videre licet apud Homerum 6. Iliad. quæ à virili pugna nomen ſortita eſt, quod fuerit virili animo fœmina: hanc mortuo Hectore Pyrrhus Achillis filius in Græciam duxit, & ex ea Moleſtum filium ſuſcepit.*

ι Ad obſidionem quoque.] *Ubi de finitimis populis, qui primi poſt raptum virginum bellum intulerant, victoriam retulit Romulus: gravius bellum illatum eſt à Sabinis T. Tatio Rege duce, qui non temere ac contemptim ut alii, ſed multo majore apparatu Romanos invaſit, vindicaturus raptarum virginum injuriam: quod vario diſcrimine, & eventu protractum triennio duraſſe, ex Dionyſio colligitur, & Roma non ſemel periclitata capto Capitolio à Sabinis, Tarpeja virgine Sp. Tarpeji filia, cuſtodia arx commiſſa erat, prodente, ac profligata propemodum Romanorum acie in foro.*

κ Jovem rogavit ut ſtarent.] *Romulus apud Livium lib. 1. cum videret inclinatam ſuorum aciem, fuſamque ad veterem portam palatii:* Jupiter tuis *(inquit)* juſſus avibus hic in Palatino prima urbi fundamenta jeci, arcem jam ſcelere emptam Sabini habent, inde huc armati ſuperata media valle tendunt. At tu pater deum hominumque, hinc ſaltem arce hoſtes, dejice terrorem Romanis, fugamque fœdam ſiſte. Hic ego tibi templum Statori Jovi, quod monimentum ſit poſteris, tua præſenti ope ſervatam eſſe urbem, voveo.

λ Nomen Statoris invenit.] Quod exercitum Romanorum fugientem poſt vota Romuli ſtare feciſſet. *Livius lib. 1. Plutarchus in Romulo. Dion. liv. 2. Ovid. lib. 6. faſt. Cic. lib. 3. de finibus, orat. 1. in Catilinam & Philippica 2. Macrob. lib. 3.*

Satur. cap. 4. Dion. Halic. lib. 2. Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 7. Juppiter, *inquit*, non ut hiſtorici tradunt, ex eo quod poſt votum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtetit, ſed quod ſtant beneficio ejus omnia, Stator, Stabilitorque eſt.

μ Niſi raptæ illæ laceratis crinibus.] *Livius lib. 1.* Cum Romani Sabinique in media convalle duorum montium redintegrarent prælium, tum Sabinæ mulieres, quarum ex injuria bellum ortum erat, crinibus paſſis, ſciſſaque veſte, victo malis muliebri pavore, auſæ ſe intra tela volantia inferre, ex tranſverſo impetu facto dirimere infeſtas acies, dirimere iras; hinc patres, hinc viros orantes, ne ſe ſanguine nefando ſoceri, generique reſpergerent, ne parricidio macularent partus ſuos, nepotum illi, liberum hi progeniem. Si affinitatis inter nos, ſi connubii piget, in nos vertite iras, nos cauſa belli, nos vulnerum, ac cædium viris ac parentibus ſumus, melius peribimus, quam ſine alteris veſtrum viduæ, aut orbæ vivemus. Movet res tum multitudinem, tum duces: ſilentium & repentina fit quies. Inde ad fœdus faciendum duces prodeunt: nec pacem modo, ſed civitatem unam ex duabus faciunt, imperium omne conferunt Romam. *Eadem Dionyſ. & Plutarch.*

ν T. Tatium Regem Sabinorum.] Ea lege, precibus, & interceſſione raptarum mulierum fœdus ictum eſt, ut poteſtate, imperioque pari Romulus, Tatiusque in urbe regnarent, Sabinis volentibus domicilium transferre, atque Romæ manſurum jus civitatis eſſet, centum ex iis Senatores legerentur, communicatisque utrinque ſacris in tribus, & curias reciperentur. Urbi à Romulo nomen maneret. Populus à Curibus Tatii patria Quirites appellarentur. Hoc fœdere, æquato demum imperio, duos Reges Roma per quinquennium habuit, auctoque in duplum populo ducenti poſt electionem hanc ſecundam Romuli exinde ſenatores fuerunt, multiplicatoque majorem in modum populo, & urbis ſpatia ultra pomœrium extendiſſe Reges, *tradit Dionyſ.* occupante cum Sabinis Capitolium, vicinumque Quirinalem T. Tatio Rege, Romulo cum veteribus civibus tenente Palatinum, & adjunctum Cœlium montes.

ξ Unde & ipſo interfecto.] *Oroſ. lib. 2. cap. 4. vult, Romulum mox ut in ſocietatem regni Tatium aſſumpſit, eum occidiſſe: quod idem hic ſcribit Auguſt. ſed verius eſt id, quod omnes hiſtorici aſſerunt, ut Livius, Dionyſ. Plutarch. & Strabo lib. 5. Tatium Lavinii interfectum fuiſſe non à Romulo, ſed ab iis, qui per ejus propinquos violati erant. Sed fortaſſe Tatii mortem minus ægre tulit Romulus vel infida regni ſocietate, vel quod eum jure cæſum exiſtimaret.*

CAP. XIV.

De impietate belli, quod Albanis Romani intulerunt, & de victoria dominandi libidine adepta.

QUid deinde poſt Numam ſub aliis regibus? Quanto malo, non ſolùm ſuo, ſed etiam Romanorum, in bellum Albani provocati ſunt? quia videlicet pax Numæ tam longa viluerat, quam crebræ ſtrages Romani Albanique exerci-

tus fuerunt, & utriusque comminutio civitatis. *a* Alba *α* namque illa, quam filius Æneæ creavit Aſcanius, Romæ mater propior ipſa quàm Troja *β* à Tullo Hoſtilio rege provocata conflixit. Confligens autem & afflicta eſt & afflixit, donec multorum tæderet pari defectione certaminum. *γ* Tunc eventum *b* belli de Tergeminis hinc atque inde fratribus placuit experiri: à Romanis tres Horatii, ab Albanis autem tres Curiatii proceſſerunt: à Curiatiis tribus duo Horatii, ab uno autem Horatio tres Curiatii ſuperati & extincti ſunt. Ita Roma extitit victrix, ea clade etiam in certamine extremo, ut de ſex vivis unus rediret domum. Cui damnum in utriſque? Cui luctus niſi Æneæ ſtirpi, niſi Aſcanii poſteris, niſi proli Veneris, niſi nepotibus Jovis? Nam & hoc plus quàm civile bellum fuit, *δ* quando filia civitas cum civitate matre pugnavit. *c ε* Acceſſit aliud huic Tergeminorum pugnæ ultimæ atrox atque horrendum malum. Nam ut erant ambo populi prius amici, vicini quippe atque cognati, uni Curiatiorum deſponſata fuerat Horatiorum ſoror: hæc poſtea quàm ſponſi ſpolia in victore fratre conſpexit, ab eodem fratre quoniam flevit, occiſa eſt. Humanior hujus unius fœminæ, quàm univerſi populi Romani mihi videtur fuiſſe affectus. Illa quem virum jam fide media retinebat, aut fortè etiam ipſum fratrem dolens, qui eum occiderat, cui ſororem promiſerat, *ζ* puto quod non culpabiliter fleverit. Unde enim apud Vergilium *d η* pius Æneas laudabiliter dolet, hoſtem etiam ſua peremptum manu. [10. Æneid.] *θ* Unde Marcellus Syracuſanam civitatem recolens, ejus paulò ante culmen & gloriam ſub manus ſuas ſubitò concidiſſe, communem cogitans conditionem flendo miſeratus eſt. Quæſo ab humano impetremus affectu, ut fœmina ſponſum ſuum à fratre ſuo peremptum ſine crimine fleverit, ſi viri *ι* hoſtes à ſe victos etiam cùm laude fleverunt. Ergo ſponſo à fratre illatam mortem quando fœmina illa flebat, tunc ſe contra matrem civitatem tanta ſtrage bellaſſe, & tanta hinc & inde cognati cruoris effuſione viciſſe Roma gaudebat. Quid mihi obtenditur nomen laudis, nomenque victoriæ? Remotis obſtaculis inſanæ opinionis, facinora nuda cernantur, nuda penſentur, nuda judicentur. Cauſa dicatur Albæ, ſicut Trojæ adulterium dicebatur. *κ* Nulla talis, nulla ſimilis invenitur. *λ* Tantum ut deſides moveret Tullus in arma viros, & jam deſueta triumphis Agmina. Illo itaque vitio tantum ſcelus perpetratum eſt ſocialis belli atque cognati. Quod vitium Saluſtius magnum tranſeunter attigit. Cùm enim laudans breviter antiquiora commemoraſſet tempora, quando vita hominum ſine cupiditate agitabatur, & ſua cuique ſatis placebant: *μ* Poſtea verò, inquit, quàm *ν* in Aſia Cyrus, *ξ* in Græcia Lacedæmonii atque Athenienſes, cœpere urbes atque nationes ſubigere, libidinem dominandi cauſam belli habere, maximam gloriam in maximo imperio putare, & cætera quæ ipſe inſtituerat dicere. Mihi hucuſque ſatis ſit ejus verba poſuiſſe. Libido iſta dominandi magnis malis agitat & conterit genus humanum. [*Libido imperandi perniciosa.*] Hac libidine Roma tunc victa Albam ſe viciſſe triumphabat, & ſui ſceleris laudem gloriam nominabat. *Quoniam laudatur*, inquit ſcriptura noſtra, *peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur.* [Pſ. 9.] Fallacia igitur tegmina, & deceptoriæ dealbationes auferan-

ferantur à rebus, ut ſyncero inſpiciantur examine. Nemo mihi dicat, ξ magnus ille atque ille, quia cum illo & illo pugnavit & vicit. Pugnant etiam gladiatores, vincunt & ipſi: *f* habet *ε* præmia laudis, & illa crudelitas. Sed puto eſſe ſatius π cujuslibet inertiæ pœnas luere, quàm illorum armorum gloriam quærere. Et tamen *g* ſi in arenam procederent pugnaturi inter ſe gladiatores, σ quorum alter filius, alter pater eſſet, tale ſpectaculum quis ferret? quis non auferret? Quomodo ergo glorioſum alterius matris, alterius civitatis, inter ſe armorum potuit eſſe certamen? An ideo diverſum fuit, quòd arena ulla non fuit, & latiores campi non duorum gladiatorum, ſed in duobus populis multorum funeribus implebantur: *g* nec τ amphitheatro cingebantur illa certamina, ſed univerſo orbe, & tunc vivis & poſteris quousque iſta fama porrigitur, impium ſpectaculum præbebatur? Vim tamen patiebantur ſtudii ſui Dii illi præſides imperii Romani & talium certaminum tanquam theatrici ſpectatores, donec Horatiorum ſoror propter Curiatios tres peremptos, etiam ipſa tertia ex altera parte fraterno ferro duobus fratribus adderetur, ne minus haberet mortium etiam Roma quæ vicerat. *h* Deinde υ ad fructum victoriæ Alba ſubverſa eſt. Ubi poſt Ilium quod Græci everterunt, & poſt Lavinium ubi rex Latinus Æneam regem peregrinum atque fugitivum conſtituerat, tertio loco habitaverant numina illa Trojana, ſed more ſuo etiam inde jam fortaſſe migraverant, ideo deleta eſt. Diſceſſerant videlicet omnes adytis arisque relictis Dii, quibus imperium illud ſteterat. Diſceſſerant ſanè ecce jam tertio, ut eis quarta Roma providentiſſimè crederetur. φ Diſplicuerat & Alba, ubi Amulius expulſo fratre & Roma placuerat, ubi Romulus occiſo fratre regnaverat. Sed antequam Alba dirueretur, transfuſus eſt, inquiunt, populus ejus in Romam, ut ex utraque una civitas fieret. Eſto, ita factum ſit, urbs tamen illa Aſcanii regnum, & tertium domicilium Trojanorum Deorum, ab urbe filia mater everſa eſt. Ut autem belli reliquiæ è duobus populis unum facerent miſerabile coagulum, multus antè fuſus utriusque ſanguis fuit. Quid jam ſingulatim dicam ſub cæteris regibus toties eadem bella renovata, quæ victoriis finita videbantur, & tantis ſtragibus iterum atque iterum confecta, iterum iterumque poſt fœdus & pacem inter generos & ſoceros, & eorum ſtirpem poſterosque repetita? Non parvum indicium calamitatis hujus fuit, quòd portas belli nullus clauſit illorum, nullus ergo illorum ſub tot Diis præſidibus in pace regnavit.

L. Vives. Alba. *a* Alba namque.] *Albæ ſunt multæ. Eſt enim Alba in Hiſpania, quæ & Virgo dicitur. Plin. lib. 3. Eſt in Gallia Narbonenſi Heluorum oppidum. Eſt in Italia ad lacum Fucinum: unde Albenſes. Eſt in Gallia citeriore, quæ cognominatur Pompeja. Eſt in Latio in dorſo montis Albani, quæ Alba longa. Roma verò, non illa modò quam Romulus condidit, colonia eſt hujus Albæ, quam deduxerunt Romulus & Remus, ſed etiam veterem illam, quæ ante hanc fuit, ſunt qui arbitrantur à Romulo Æneæ filio conditam. Deinde cùm ob cœlum peſtilens, tum & incurſiones hoſtium deſereretur, ab Albanis miſerantibus eſſe reſtitutam, miſſis eò de ſuis civibus, qui lapſa repararent, & frequentem facerent urbem ſolitariam.*

b Bel-

b Belli de Tergeminis.] *Livius lib. 1. Res eſt vulgaris, Metius Suffetius Albanorum dictator, hoc conſilium & ſibi cepit, & Tullo dedit Romanorum regi, ne ſinge utriuſque populi res decideretur ſed tranſigeretur per paucos. Ita fœdere icto commiſſum eſt fortunæ ſex virorum, uter populus alteri imperaret. Bini Tergemini erant in illis exercitibus, illi commiſſi ſunt, ut cujus populi cives viciſſent, penes eum eſſet imperium.*

c Acceſſit aliud.] *Satis fuſe Auguſtinus id narrat, ut intelligi poſſit.*

d Pius Æneas.] *Lauſum Mezentii filium in decimo Æneid.*

e In Aſia Cyrus.] *Cyri duo fuerunt, Major de quo hic loquitur, qui Aſiam, Scythiam, totumque Orientem domuit, eo tempore quo Tarquinius Superbus regnabat Romæ: Crœſum Lydorum opulentiſſ. regem cepit: à Thomiri Scytharum regina captus & interfectus eſt, capite in cacabum humani ſanguinis plenum conjecto, ut ſanguine ſe humano ſaturaret, quem tantopere ſitierat: Plutarchus, Strabo, Trogus, Herodotus, & alii quàm plurimi Græci. Herodotus hunc μεγάλον βασιλῆα vocat. Unde & cæteri Perſarum reges ſic vocari voluerunt. Alter fuit Cyrus Minor Darii filius, Artaxerxis frater, cujus ἀνάβασιν in Perſiam ſcripſit Xenophon.* Cyri. Magnus rex.

f Habet præmia laudis.] *Coronas lemniſcatas.*

g Nec amphitheatro.] *Theatrum eſt in modum ſemicirculi, amphitheatrum in modum circuli: harena ſternabatur, & in eo munus gladiatorium edebatur.* Theatrũ amphitheatrũ.

h Deinde ad fructum victoriæ.] *Livius primo bello Veienti. Cùm Metius Albanus cum exercitu medium ſe geſſiſſet, nec Tullo Romano regi pugnanti ex fœdere affuiſſet. Tullus Metium quadrigis diſcerpi, Albam verò dirui juſſit, Albanoſque Romam migrare.*

α ALba namque illa, quam filius Æneæ.] *Virg. 1. Æneid. de Aſcanio.* F.L.Cap.

Regnumque à ſede Lavini
Transferet, & longam multa vi muniet Albam.
Hic jam tercentum totos regnabitur annos
Gente ſub Hectorea.

Quomodo Alba exſtructa ſit, narrat Virgil. 5. & 7. Æneid. Aſcanius Æneæ ſucceſſor, qui 38. annis regnavit, anno regni 25. qui eſt 30. à Lavinio condito, & 32. à Troja capta novam cœpit condere urbem, Longam Albam, relinquens novercæ Lavinium. Livius lib. 1. Strabo lib. 5. Juſtin. lib. 43. Dionyſ. lib. 1. Stephan. de urbibus. Ἄλβα πόλις Ἰταλίας ἣν ἔκτισαν οἱ ἀπὸ τ̃ Λαβινίου Λατῖνοι, Τρῶες ὄντες. & alias hoc nomine civitates enumerat.

β A Tullo Hoſtilio Rege provocata.] *Auctor eſt L. Florus lib. 1. cap. 3. Tullum Hoſtilium Regem diſciplinam militarem omnem, artemque bellandi, & mirum in modum exercitata juventute Romana, provocare auſum Albanos, & diuturnam pacem cum vicinis habitam infringere non dubitaſſe. Itaque Jani portas, quas Numa in ſignum pacis undique parta clauſerat, ipſe moto bello primus aperuit. Livius eum non ſolùm diſſimilem fuiſſe proximo Regi Numæ, ſed etiam Romulo ferociorem, cum ætas, vireſque, tum avita quoque gloria animum ejus exſtimularent: fuit enim nepos Tullii illius Hoſtilii, qui Romuli ductu multis editis egregiis facinoribus à Sabinis in prælio cæſus eſt. Livius lib. 1. Dionyſ. lib. 3.*

γ Tunc

γ Tunc eventum belli de Tergeminis.] Eventus belli, quando acie non eſt certatum, minus miſerabilem dimicationem fecit: controverſia namque ex conſenſu Imperatorum, ſine multo ſanguine tergeminorum hinc inde fratrum pugna, finita eſt, quæ etiam ad Romanos victoria pervenit unius M. Horatii virtute, qui duobus fratribus amiſſis ſolus tres adverſæ partis Curiatios memorabili duello occidit. *Livius lib. 1. Dionyſ. lib. 3.*

δ Quando filia civitas, cum civitate matre.] *Lavinium Troja, à Lavinio Albanorum Regum ſtirpe oriundi erant, & ipſa Alba 30. civitatum mater fuerat, atque etiam ipſius Romæ, quæ certe ratio eos ab armis ſibi inferendis arcere debebat. Ita Deus filios Iſrael cum redirent ex Ægypto, probibuit ne bellum inferrent Idumæis poſteris Eſau, ob conſanguinitatem: cum hi duo populi, ex duobus fratribus originem ſuam ducerent, licet alioqui non deeſſent illis juſtæ cauſæ belli inferendi.*

ε Acceſſit aliud huic tergeminorum.] *Satis fuſe narratur ab Auguſt. hiſtoria, quæ extat apud Livium lib. 1. Dionyſ. lib. 3.*

ζ Puto quod non culpabiliter fleverit.] *Jure tamen cæſam judicavit pater, verum ſtudio magis liberandi filium, qui tam horrendum parricidium in ſororem commiſerat, quam alioqui jure cauſa & ſi quidem affectu quodam privato in ſponſum, caſum illius defleverit, id citra culpam feciſſe videtur: verum omnino reprehenſione non caruit, quod pluris ſponſum, quam patriam facere videret, mortem duorum fratrum non defleret, quos ſponſo chariores habere debuit, tam inſignem victoriam ab uno fratrum ſuperſtite de hoſtibus partam, patriæ exoptatam, & tam neceſſariam ægre tulerit.*

η Pius Æneas.] *Epithetum quo ſæpe Virgil. Æneam exornat, quod in eum parum quadrare, docet eleganter Lactant. lib. 5. cap. 10. ab eleganti deſcriptione pietatis.* Quæ ergo, *inquit*, aut ubi, aut qualis eſt pietas? nimirum apud eos, qui bella neſciunt, qui concordiam cum omnibus ſervant, qui amici ſunt etiam inimicis, qui omnes concives pro fratribus diligunt, qui cohibere iram ſciunt, omnemque animi furorem tranquilla moderatione lenire.

θ Unde Marcellus Syracuſanam civitatem.] Marcellus conſul, ubi Syracuſas ingreſſus eſt, illacrymaſſe dicitur, partim tantæ rei perpetratæ gaudio, partim vetere fama, & ſplendore urbis: Occurrebant animo inclitæ victoriæ, quod Athenienſibus terra marique victis Atticas claſſes, ejusque clariſſimos duces cum numeroſo exercitu Syracuſani deleviſſent; bella cum Carthaginenſibus geſta, duo Dionyſii, eorumque potentia ornatiſſimus urbis apparatus in cinerem momento temporis abiturus. *Plutarch. in Marcell. Livius lib. 25. Val. lib. 5. cap. 1. Sabell. lib. 4. Ennead. 5.*

ι Hoſtes à ſe victos etiam cum laude fleverunt.] *Clementia bellicæ erga hoſtes mortuos multa extant præclara exempla apud Val. lib. 5. cap. 1.*

κ Nulla talis, nulla ſimilis.] *Non defuiſſe cauſam juſti belli Tullo & Romanis adverſus Albanos, conſtanter aſſerit Dionyſ. lib. 3. ſcribit enim, cauſam diſſidii inter cognatas civitates fuiſſe Cluilium Albanorum Dictatorem, quod ægre ferret ſucceſſus Romanorum. Liv. lib. 1. cauſam magis in Tullum refert, qui ſeneſcere civitatem otio ratus,*

ratus, undique materiam excitandi belli quærebat, cujus ſententiæ ſubſcribit Auguſt.

λ Tantum ut deſides moveret.] *Ex Virg. 6. Æneid.*

Cui deinde ſubibit
Otia, qui rumpet patriæ, deſideſque movebit
Tullus in arma viros, & jam deſueta triumphis
Agmina.

Socialis belli, atque cognati.] *Liv.* Bellum utrinque ſumma ope paratur civili ſimillimum bello prope inter parentes natosque, Trojanam utramque prolem, cum Lavinum à Troja, à Lavino Alba, ab Albanorum ſtirpe oriundi Romani eſſent.

μ Poſtquam in Aſia Cyrus.] *De Cyro multa Herodotus lib. 1. Juſtin. lib. 1. Hujus vitam etiam deſcripſit Xenophon lib. 7. licet non tam Cyrum, qualis fuerit deſcripſerit, quam voluerit exprimere, qualis debeat eſſe optimus princeps, ut teſtatur Cic. lib. 1. ad Q. fratrem:* Cyrus, *inquit,* ille à Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem juſti imperii. *Hujus etiam meminit ſcriptura ſacra Iſai. 45. prædicitur expreſſo nomine proprio divino oraculo ducentis annis ante illius ortum. Lib. 1. Eſdræ cap. 1. Illius benevolentia in populum Dei, capta Babylone, & cura de reſtituendo templo Hieroſolymitano refertur.*

ν In Græcia Lacedæmonii, & Athenienſes.] *Athenæ & Lacedæmon duo lumina Græciæ: unde cum viribus exhauſti, & fame adacti Athenienſes Lacedæmoniis ſe dediſſent, & multi delendum Athenienſium nomen, urbemque incendio abſumendam cenſerent, negarunt tandem, ſe ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos. Plutarch. in Lyſandro. Juſtin. lib. 5. de bellis Athenienſium, & Lacedæmonum. Xenophon in* Ἑλλην. *& Thucydides.*

ξ Magnus ille, atque ille.] *Nonnulli à rerum geſtarum magnitudine & à debellatis hoſtibus hunc ſibi titulum vindicarunt. Ita* Alexander Magnus *dictus eſt, Pompejus, & antiquitus Rex Perſarum ab imperii magnitudine* μέγας βασιλεὺς *etiam à Græcis ipſis dicebatur, quod moleſte ferebat Ageſilaus ut apud Plutarchum in Apophtegm.* τί ἢ ἐκεῖνος εἶπεν ἐμοῦ μείζων εἰμὴ δικαιότερος καὶ σωφρονέστερος, *ut velit & merito quidem in virtutem magis, quàm in amplitudinem imperii Magni cognomen quadrare. Quæ eadem ratione Plato lib. 3. de legib. omnes fere Perſarum* Reges *nomine tenus* Magnos *fuiſſe ſcribit:* καὶ σχεδὸν βασιλεὺς ἐν Πέρσαις οὐδεὶς πω μέγας γέγονεν ἀληθῶς πλὴν γε ὀνόματι. *Cic. 1. offic. ubi confert Philippum cum Alexandro, dicit,* in rebus geſtis & gloria ſuperatum à filio, facilitate, & humanitate ſuperiorem fuiſſe: Itaque alter ſemper Magnus, alter ſæpe turpiſſimus fuit: non ergo tam bellicæ arti, & rerum geſtarum amplitudini, quam virtuti debetur hoc nomen.

ο Habet præmia laudis & illa crudelitas.] *Quod confirmatur ex ſimili loco Tertulliani, lib. de ſpectac. cap. 21.* Qui inſigniori cuique homicidæ leonem poſcit, idem gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat. *Et Lactant.* Non poteſt eſſe immunis à ſanguine, qui voluit effundi: aut videri non interfeciſſe, qui interfectori & favit & præmium poſtulavit. *De præmio gladiatorum videri*

deri poteſt Lipſius lib. 2. Satur. cap. 23. Quanta vero crudelitate exercerentur ludi gladiatorii, teſtatur quod ſcribit Cyprianus lib. 2. epiſt. 2. alias epiſt. 1. ad Donatum: Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet, *Et ibi plura. Lactant. lib. 6. cap. 20.* Hos tantum ludos vocat, in quibus humanus ſanguis effunditur. *Interdictus eſt poſtea à Conſtantino ludus gladiatorius Romæ l. unica C. de gladiatoribus.*

π Cujuslibet inertiæ pœnas luere.] *Fortaſſe alludit ad illud Horatii in carminibus:*

Parum ſepultæ diſtat inertiæ
Laudata virtus.

ρ Si in arenam procederent pugnaturi.] *Arena interiorem, imam & concavam Amphitheatri partem, ſeu ut loquitur Ammianus Marcellinus lib. 29.* amphitheatralem caveam, *in qua gladiatorum, beſtiarumque ſpectacula exhibebantur, edebanturque, ſignificat unde eam* Martiam *appellat Ovid. Eleg. 5. lib. 4. Triſt. Et Martialis epigramm. 1. lib. 1. &* ſanguineam humum. *idem Martial. Epigr. 75, lib. 2.* Infamem *Prudent. lib. 10. contra Symmachum. Paſſim autem ea vox apud Auctores pro certamine amphitheatrali prog; ipſo loco, qui arena ſternebatur in uſum pugnæ, reperitur, ut pluribus notat Lipſius lib. de amphitheatro cap. 3. indè in arena pugnare, in arenam deſcendere.*

σ Quorum alter filius, alter pater eſſet.] *Huc etiam accedit, quod ſcribit Cyprianus epiſt. 1. ad Donatum.* Spectant filios ſuos patres, frater in cavea eſt, ſoror præſto eſt. Et licet pretium languor, muneris apparatus amplificet, ut mœroribus ſuis mater interſit, hoc proh dolor! mater redimit, & in tam impiis ſpectaculis, tamque diris & funeſtis eſſe non putant oculis parricidas.

τ Nec amphitheatro cingebantur.] *Amphitheatrum ait Iſido. dictum, quod ex* duobus theatris *ſit factum: Nam amphitheatrum rotundum eſt, theatrum vero ex medio amphitheatro eſt ſemicirculi figuram habens. Caſſio lib. 5. Var. Epiſt. 42.* Cum theatrum, *inquit*, quod eſt hemiſphærium, Græce dicatur amphitheatrum, quaſi in unum juncta duo viſoria *(theatra ita vertit, ut etiam lib. 4. Var. Epiſt. 51)* recte conſtat eſſe nominatum: *in eo munus gladiatorium edebatur. Vide Turneb. lib. 5. Adverſar. cap. 6.*

υ Ad fructum victoriæ Alba ſubverſa eſt.] *Graviter quidam olim cum ſubverſam à Philippo, Macedonum Rege Olynthum eſſet nunciatum:* At hercle, *inquit*, multis annis talem urbem non exſtruet, *quod idem in Tullum jactari poterat: fuerat enim Alba antea potentiſſima civitas, & apud Latinos facile princeps. Deleta fuit poſtquam ſtetiſſet per 487. annos, authore Dionyſ. lib. 3. conditam volunt anno 32. poſt captam Trojam, à quo tempore ſi rationem ineas anno Urbis 89. dirutam Albam reperies, non quidem initio cum Tergeminorum pugna ſuperiores evaſerint Romani: ſed ubi bello contra Fidenates Metius Suffetius Albanorum dux proditionis fuit: tunc enim Rex Tullus M. Horatium unum è tergeminis ſuperſtitem cum equitum, peditumque lectiſſimis mittit Albam, juſſum quamprimum amice receptus eſſet intra mœnia, civibus in poteſtatem redactis, ſolo æquare omnia tam privata, quam publica ædificia*

diſicia, fanis exceptis, abſtinere autem à cæde, omnique injuria hominum & res ſuas cuique ſinere. Dionyſ. lib. 3.

Φ Diſplicuerat & Alba ubi Amulius.] *Ironia, magis enim diſplicere debuerat diis homicidium Romuli, quam libido dominandi Amulii, & longe gravius offenderat Romulus occidendo fratrem, quam Amulius privando fratrem Numitorem regno. An* diſceſſerant ergo Alba, arisque relictis, dii quibus imperium illud ſteterat, *ut Romam inhabitarent urbem illius fratricidio conſecratam?*

Cap. XV.

Qualis Romanorum regum vita atque exitus fuerit.

Ipſorum autem regum qui exitus fuerunt? De Romulo viderit adulatio fabuloſa, qua perhibetur receptus in cœlum. Viderint quidam ſcriptores eorum, *a* α qui eum propter ferocitatem à ſenatu diſcerptum eſſe dixerunt, *b* β ſubornatumque neſcio quem Julium Proculum, qui eum ſibi apparuiſſe diceret, eumque per ſe populo mandaſſe Romano, ut inter numina coleretur, eoque modo populum, qui contra ſenatum intumeſcere cœperat, repreſſum atque ſedatum. Acciderat enim & ſolis defectio, quam certa ratione ſui curſus effectam *c* γ imperita neſciens multitudo meritis Romuli tribuebat. Quaſi verò ſi luctus ille ſolis fuiſſet, non *d* magis Deo credi deberet occiſus, ipſumque ſcelus averſione, etiam diurni luminis indicatum: ſicut revera factum eſt, δ cùm Dominus crucifixus eſt crudelitate atque impietate Judæorum. *e* ε Quam ſolis obſcurationem non ex canonico ſyderum curſu accidiſſe, ſatis oſtendit, quòd tunc erat paſcha Judæorum: nam plena luna ſolenniter agitur. *f* Regularis autem ſolis defectio non niſi lunæ fine contingit. Satis & Cicero illam inter Deos Romuli receptionem putatam magis ſignificat eſſe quàm factam, quando & laudans eum in libris de rep. Scipioniſque ſermone. Tantum eſt, inquit, conſecutus, ut cum ſubito ſole obſcurato non comparuiſſet, Deorum in numero collocatus putaretur: quam opinionem nemo unquàm mortalis aſſequi potuit, ſine eximia virtutis gloria. Quod autem dicit, eum ſubitò non comparuiſſe profectò ibi intelligitur, aut violentia tempeſtatis, aut cædis facinoriſque ſecretum. Nam & ζ alii ſcriptores eorum, defectioni ſolis *g* addunt etiam ſubitam tempeſtatem, quæ profectò aut occaſionem ſceleri præbuit, aut Romulum ipſa conſumpſit. *h* De Tullo η quippe etiam Hoſtilio, qui tertius à Romulo rex fuit, qui & ipſe fulmine abſumptus eſt, dicit in eiſdem libris idem Cicero, propterea & iſtum non creditum inter Deos receptum tali morte, quia fortaſſe quod erat in Romulo probatum, id eſt, perſuaſum, *i* Romani vulgare noluerunt, id eſt, vileſacere, ſi hoc & alteri, facilè tribueretur. Dicit etiam apertè in invectivis: Illum qui hanc urbem condidit Romulum, ad Deos immortales benevolentia famaque ſuſtulimus: ut non verè factum, ſed propter merita virtutis ejus benevolentia jactatum diffamatumque monſtraret. *k* In Hortenſio verò dialogo cum de ſolis canonicis defectionibus loqueretur: Ut eaſdem, inquit, tenebras efficiat, quas effecit in interitu Romuli, qui in obſcuratione ſolis eſt factus. Certè hic minimè timuit hominis interitum dicere, quia diſputator magis quàm laudator

Solis naturalis ſub Romulo defectio

Luc. 23.

tor fuit. Cæteri autem reges populi Romani, θ excepto Numa Pompilio & Anco Marcio, qui morbo interierunt, quàm horrendos exitus habuerunt? Tullus, ut dixi, Hoſtilius victor & everſor Albæ, cum tota domo ſua fulmine concrematus eſt. ι Priſcus Tarquinius per ſui deceſſoris filios interemptus eſt. κ Servius † Tullius generi ſui Tarquinii Superbi, qui ei ſucceſſit in regnum, nefario ſcelere occiſus eſt. Nec diſceſſere adytis arisque relictis Dii, tanto in optimum illius populi regem parricidio perpetrato, quos dicunt ut hoc miſeræ Trojæ facerent, eamque Græcis diruendam exurendamque relinquerent, adulterio Paridis fuiſſe commotos. Sed inſuper interfecto à ſe ſocero, Tarquinius ipſe ſucceſſit. Hunc illi Dii nefarium parricidam ſoceri interfectione regnantem, inſuper multis bellis victoriisque gloriantem, & λ de bellorum manubiis Capitolium fabricantem, non abſcedentes, ſed præſentes manentesque viderunt; & μ regem ſuum Jovem in illo altiſſimo templo, hoc eſt in opere parricidæ, ſibi præſidere atque regnare perpeſſi ſunt. ν Neque enim adhuc innocens m Capitolium ſtruxit, & poſtea malis meritis urbe pulſus eſt, ſed ad ipſum regnum, in quo Capitolium fabricaret, immaniſſimi ſceleris perpetratione pervenit. n Quod verò eum Romani regno poſtea depulerunt ac ſecluſerunt mœnibus civitatis, non ipſius de Lucretiæ ſtupro, ſed filii peccatum fuit, illo non ſolùm neſciente, ſed etiam abſente commiſſum. Ardeam civitatem tunc oppugnabat, & pro pop. Rom. bellum gerebat: neſcimus quid faceret, ſi ad ejus notitiam flagitium filii deferretur. Et tamen inexplorato ejus judicio & inexperto, ei populus ademit imperium: & recepto exercitu, à quo deſeri juſſus eſt, clauſis deinde portis non ſunt paſſi intrare redeuntem. At ille poſt bella graviſſima, quibus eosdem Rom. concitatis finitimis attrivit, poſteaquam deſertus ab eis, quorum fidebat auxilio, regnum recipere non valuit, o in oppido ξ Tuſculo Romæ vicino quatuordecim, ut fertur, annos privatam vitam quietus habuit, & cum uxore conſenuit, optabiliore fortaſſis exitu, quàm ſocer ejus, generi ſui facinore, p nec o ignorante filia, ſicut perhibetur, extinctus. Nec tamen iſtum Tarquinium Romani crudelem aut ſceleratum, π ſed ſuperbum appellaverunt, q fortaſſis regios ejus faſtus alia ſuperbia non ferentes. Nam ſcelus occiſi ab eo ſoceri optimi regis ſui uſque adeò contempſerunt, ρ ut eum regem ſuum facerent: ubi miror ſi non ſcelere graviore mercedem tantam tanto ſceleri reddiderunt, nec diſceſſere adytis arisque relictis Dii. Niſi fortè quiſpiam ſic defendat iſtos Deos, ut dicat eos ideo manſiſſe Romæ, quo poſſent Rom. magis punire ſuppliciis quàm beneficiis adjuvare, ſeducentes eos vanis victoriis, & bellis graviſſimis conterentes. Hæc fuit Romanorum vita ſub regibus laudabili tempore illius reip. uſque ad expulſionem Tarquinii Superbi per σ ducentos fermè & quadraginta & tres annos, cùm illæ omnes victoriæ tam multo ſanguine & tantis emptæ calamitatibus, vix illud imperium r intra τ viginti ab urbe miliaria dilataverint: quantum ſpatium abſit ut ſaltem ad alicujus ſ Getulæ civitatis nunc territorium comparetur.

alii Tullus.

a Qui

a QUi eum propter ferocitatem.] *Dionyſius lib. 2 refert, patres diſcerpſiſſe Romulum: ac unumquemque fruſtum aliquod corporis ſub toga occuluiſſe, ne quid uſquam compareret: ita quomodo Romulus obierit, à multitudine eſſe ignoratum.* L. Vitem Romuli mors.

b Subordinatum neſcio quem.] *Legendum ſubornatum: neſcio quem addit, vel propter obſcuritatem autoris, vel propter utilitatem mendacii & perjurii.*

c Imperitia neſciens multitudo.] *Antequam oſtenſa eſſet vulgo à philoſophis ratio defectuum ſolis & lunæ, homines cùm illa ſydera deficere viderent, aut ſcelus aliquod ingens, aut mortem eorum metuebant. Hic pavor non in rudi ſolùm erat plebe, ſed in eruditis quoque, velut Steſichoro & Pindaro lyricis vatibus.*

d Magis ideo credi deberet.] *Tota ſententia eſt inverſa defectu negationis. Dicendum enim, non magis ideo.*

e Quam ſolis obſcurationem.] *Interventu lunæ inter ſolem & nos auferuntur nobis ſolis radii, idque defectus ſolis dicitur. Interjecta verò terra inter ſolem & lunam, illiusque umbra in lunam ingruente, fit lunæ deliquium: idcirco nec deficere ſol poteſt niſi luna ſilente, cùm ei ſubjicitur: hoc eſt, in coitu ipſorum ſyderum: nec luna ipſa, niſi cùm eſt plena, cùm maximè videlicet à ſole diſtat, tum demum enim terra ſolis ſplendorem auferre ei poteſt.*

*(f Regularis.] *Idem eſt regularis quod canonicus: à canone Græco: hinc quidam monachi divi Auguſtini ne non ſemel putentur regulares, bis hoc vocari gaudent.*)*

g Addunt etiam ſubitam tempeſtatem.] *Livius: Subitò coorta tempeſtas cum magno fragore tonitribusque.*

h De Tullo.] *Hunc quidam fulmine cum tota domo conflagraſſe ſcribunt. Alii incenſam ejus domum ab Anco Martio, qui poſtea regnavit, affirmant.* Tullus Hoſtilius.

i Romani vulgare noluerunt, id eſt, vilificare.] *Quod Auguſtinus ſcripſerat vilefacere, parum erat ſcitè & doctrinaliter dictum. Ideo vilifacere fuit pro eo ſubſtituendum, præſertim ſi Tullianus aliquis emendavit, quibus omnia in hanc formam convertuntur, hominificare, animalificare, accidentificare, aſinificare.*

k In Hortenſio.] *Hortenſium amiſimus. Nam quem quidam Hortenſium eſſe putant, quartus eſt Academicarum quæſtionum. Marcellus eſt teſtis in plerisque locis.*

l Priſcus Tarquinius.] *Quintus Romanorum rex, Demarati Corinthii filius, à paſtoribus, quos filii Anci Martii ſubornarunt, occiſus eſt. Huic ſucceſſit Servius Tullius gener, vir magnus & pace & bello, qui multis præclaris & utiliſſimis inſtitutis urbem ornavit atque adjuvit. Opera Tarquinii Superbi generi eſt occiſus. Tarquinius in ſuos cives aſper & immitis, bello ſtrenuus.* Priſcus Tarquinius.

m Capitolium.] *In Saturnio colle, qui poſtea Tarpejus eſt dictus, Jovi regi opt. max. ædificavit.* Capitolium.

n Quod verò eum.] *Septimus hic rex & ultimus fuit expulſus à Bruto, Collatino, Lucretio, Valeſio, Horatio, & aliis, cùm ob multas acceptas antea injurias, tum ob recens Sexti ejus filii facinus in Lucretiam. Ardeam oppugnabat rex, cùm populus ei imperium abrogavit: ipſe cùm in urbem veniret, exercitu etiam ſpoliatus eſt à Bruto, qui alia via ad caſtra properaverat.*

o In oppido Tuſculo.] *Vulgatior opinio eſt, eum Cumis diem obiiſſe, natum annos*

nos ferè nonaginta apud Ariſtodemum tyrannum: tametſi haud negaverim, aliquot annos eum Tuſculi manſiſſe apud Octavium Mamilium generum: quouſque nobili illa ad lacum Regillum pugna, Mamilius à T. Herminio legato occiſus eſt. Quæ res forſan fecit, ut Auguſtinus memoria laberetur in re videlicet exigua, & quæ non multum intereſſet, ſic aut ſecus narrari.

p Nec ignorante filia.] *Imò, ut ſcribunt, ſtimulante virum, ut id facinus tantum faceret.*

q Fortaſſis regios ejus faſtus.] *Feſtivum dictum & aceti plenum.*

r Intra viginti ab Urbe.] *Sextus Ruffus octodecim miliaria ponit, uſque ad Oſtiam ab Anco rege in portu poſitam, Eutropius non niſi ſedecim.*

Getulia. *ſ* Getulæ civitatis.] *Getulia pars eſt Africæ prope tractum inhoſpitalem & inhabitabilem, ſicut Mela Pomp. deſcribit. De Getulis ſic Saluſt. in Jugurth. Africam habuere initio Getuli aſperi incultique, quibus cibus erat caro ferina, atque pabulum uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege aut imperio cujusquam regebantur, vagi palantes, quò nox coegerat, ſedes habebant. Hæc & alia nonnulla idem Saluſtius de Getulis. Eam gentem Mela frequentem multiplicemque eſſe ſcribit.*

F.L.Coq. *a* QUi eum propter ferocitatem.] *Sublatus eſt Romulus è vivis nonis Julii, qui tum quinctilis erat, nec quicquam certum, aut exploratum ſcriptoribus de ſua morte reliquit præter tempus: plures quidem ſententias referunt Plutarch. & alii; ſed receptior eſt opinio, nobilium conſpiratione clam in ſenatu occiſum, corpusque diſſectum per fruſta, ſub ſenatorum togis aſportatum eſſe, proſpero namque rerum ſucceſſu ſuperbior & intolerabilior factus, inviſus non ſolum ſenatui, verum etiam omni populo cœperat eſſe, quod legitime à ſe conſtitutum regnum, in tyrannidis ſpeciem vertere videretur. Vide Livium, Plutarch. Dionyſ. Val. lib. 5. cap. 3.* Urbis Romæ parentem Romulum Senatus in ampliſſimo dignitatis gradu ab eo collocatus in curia laceravit, nec duxit nefas ei vitam adimere, qui æternum Rom. anô imperio ſpiritum ingenuerat. Rude nimirum illud, & ferox ſæculum, quod conditoris ſui cruore fœde maculatum, ne ſumma quidem poſteritatis diſſimulare pietas poteſt.

β Subornatumque neſcio quem Julium Proculum.] *Cum adhuc non ſatis conſtaret, An à diis raptus eſſet Romulus, an interemptus inſidiis hominum, prodiit in forum Julius, oriundus ab Aſcanio, bonus colonus, & inculpatæ vitæ vir, & in quem nulla corruptelæ ſuſpicio caderet; dixitque ſibi rure domum redeunti venientem, ab urbe obviam factum Romulum, ſeque his verbis affatum*: Nuncia meo nomine Romanis, Juli, in deorum cœtum me duci à meo Genio, qui naſcenti contigit: jam enim mortale ævum explevimus, Quirinus ſum, qui te alloquor. *Cic. 1. de legib. Dionyſ. lib. 2. Plutarchus in Romulo: Livius lib. 1.* Sicque tanti viri authoritati, & jurejurando fide adhibita, omnis ſuſpicio & calumnia necis datæ Romulo ſublata eſt, & implorare Deum, votisque Romulum invocare cœperunt. *Cypr. de idol. vanit.* Eſt Romulus pejerante Proculo Deus factus. *Tertul. lib. 3. contra Marcionem cap. 7.* mendacii ſcalis ſcribit Romulum aſcendiſſe in cœlum. *Et in Apolog. cap. 21. ſcribit,* circumfuſa nube Chriſtum in cœlum eſſe receptum, multo verius,

rius, quam de Romulo Proculi aſſeverare ſolent. *Arnob. lib. 1.* Nonne ipſum Romulum patrem Senatorum manibus dilaceratum centum, & Quirinum eſſe Martium dicitis, & ſacerdotibus & pulvinaribus honoratis, & in ædib. adoratis ampliſſimis & poſt hæc omnia cœlum aſcendiſſe juratis? *Lactant. lib. 1. cap. 15.* Julius Proculus ſubornatus eſt à patribus, *&c.*

γ Imperita neſciens multitudo.] *Antequam eclipſim Solis & Lunæ longa experientia rationis dedicíſſent, ac docuiſſent philoſophi, conturbabantur ut plurimum hujuſmodi luminarium defectione, putabantque, deorum ira hujuſmodi deliquia accidere, ideoque ſacrificiis Solem & Lunam placare ſe putabant, imo Romani ſono ac ſtrepitu lucem ſe revocare arbitrabantur, ut eſt apud Plutarch. in Æmylio, & in Nicia. Diodor. lib. 13. & Plin. lib. 2. cap. 12. Cauſa ingentis cladis Athenienſium ducibus Nicia, & Demoſthene à Siculis acceptæ fuit ignoratio cauſæ defectus Lunæ: cum enim reſpondiſſent aruſpices, hoc prodigio ſignificari, poſt tres ſequentes dies oportere abnavigationem differri; Syracuſani cognita per transfugas ejus dilationis cauſa, Athenienſes terra, marique adortos ſuperavere & cepere.. Et turbatos aliquando fuiſſe Alexandri milites eclipſi Lunæ, ſcribit Curt. lib. 4. Et cum Romani duce P. Æmylio adverſus Perſeum Regem dimicaturi eſſent, Sulpitius Gallus prædicta Lunæ eclipſi metu exercitum liberavit, verùm Macedones metus. & horror invaſit ac ſermo clam per multos ierat defectum Regis eo oſtento ſignificari. Plutarch. in Pavo Æmil. Plin. lib. 2. cap. 12. quod idem de Pericle Athenienſi, & Dione Syracuſano teſtantur. Scribit Philoſtratus in Heroicis, ex Solis defectu conturbato exercitu Græcorum apud Trojam Palamedem ipſum Solis defectum expoſuiſſe, quod ſcilicet Luna ſubtercurrente obſcuretur, ac caliginem contrahat. Refert Herodotus in Polihymnia, quod cum Xerxes cum exercitu trajiceret in Græciam, Sol apparere deſierit ſereniſſimo aëre exiſtente, Magi reſponderunt eo portento Deum ſignificare Græcis, civitatum defectum, quod dicerent Solem Græcorum, Lunam ipſorum eſſe præſidem. Quæ certe reſponſio nata ex ignorantia hujuſmodi defectus luminis. Et Chriſtophorus Columbus cum Indos ſibi conciliare non poſſet, denunciavit, Lunam ſibi amicam paucis poſt diebus lumine deſertam iri, quod jura hoſpitii violarent. Itaque Luna deficiente Columbum muneribus cumularunt.*

δ Cum Dominus crucifixus.] *Longe tamen alia ratio defectionis ipſius Solis in morte Romuli, & Crucifixo Chriſto: nam in morte Romuli naturalis ea fuit eclipſis, ex interpoſitione Lunæ inter Solem, & aſpectum noſtrum, nec toto orbe univerſalis; verum in morte Chriſti Solis defectio fuit univerſalis toto orbe, ut ſentit Chryſoſt. homil. 89. in Matthæum. Euthymius cap. 67. & Theophil. Matth. 27. Athanaſius ſerm. de paſſione & cruce Domini:* Rerum natura ſuo Sole deſtituta fuit. *D. Th. 3. part. q. 44. artic. 2. ad 2. Dionyſ. Areop. epiſt. 7. ad Polycarpum contra Apollophanem refert, ſe Heliopoli in Ægypto vidiſſe eam Solis defectionem ſimul cum ipſo Apollophane, quod idem repetit epiſt. 10. ad eundem Apollophanem. Refert etiam Tertull. in Apolog. cap. 21. notatam fuiſſe Romæ illam eclipſim, & in commentaria publica relatam.* Eum mundi caſum, *inquit,* relatum in archivis veſtris habetis. *Ex Græcis hiſtoricis Phlegon. lib. 14. Olympiad. ejusdem eclipſis meminit, ut refert Origen. tractat. 35.*

in Matthaum, & Euſeb. in Chronico ſub Tiberio. Lactant. lib. 4. cap. 19. hujuſmodi univerſalem Solis defectionem à Sibyllis docet fuiſſe prædictam.

ε Quam Solis obſcurationem.] *D. Dionyſ. refert hujuſmodi Solis eclipſim factam interpoſitione Lunæ inter Solem & terram; in qua interpoſitione quatuor præter conſuetum naturæ ordinem miracula conſideravit. Primum* quod Luna objecta eſt Soli in plenilunio, cum naturaliter ſolum poſſit hoc fieri tempore conjunctionis Solis cum Luna; *quo eodem probat hic Auguſt. illam eclipſim non caruiſſe miraculo, & etiam epiſt. 80. Secundo,* quod Luna paulo ante in proprio ſitu erat, maxime diſtans à Sole, quia ſuo naturali motu diſcurrebat, ſubito vero magna celeritate retroacta eſt, ſolique objecta, ac finito trium horarum ſpatio, iterum eadem celeritate ad eum ſitum reverſa eſt, ad quem ſuo naturali motu incedens illis horis perveniſſet, quo factum eſt, ut licet tempore, quo duravit hoc prodigium, cœlorum motus fuerint aliquantulum immutati, eo vero tranſacto, in ſuo naturali ordine ſituque permanſerint, ac ſi nihil omnino prodigii contigiſſet. *Tertium miraculum,* quod in naturali eclipſi Luna incipit objici Soli ab Occidentali parte, cum tendat ab Occidente in Oriens, in hac vero eclipſi cœpit Solem obſcurare à parte Orientali, quia retroacta eſt ab Oriente in Occidens. *Quartum,* quia in naturali eclipſi ea pars Solis, quæ prius obſcuratur per interpoſitionem Lunæ, prius etiam incipit apparere, Luna in ſuo proprio motu velocius, quam Sol progrediente: in hac vero eclipſi Luna poſtquam eſt objecta Soli, non eſt amplius progreſſa, ſed retrogradiendo in ſuum ſitum recurrit; unde factum eſt ut ea pars, quæ ultimo obſcurata fuerat, prius apparere cœperit. *D. Thom. etiam hæc adducit, & putat interpoſitione Lunæ factam eſſe hujuſmodi eclipſim. Nonnulli alii volunt cauſam hujus eclipſis fuiſſe, quod divina virtute factum ſit, ut Sol radios ſuos contineret, ita ut licet nullum corpus interjiceretur inter Solem & terram, illam non illuminaret. quod ſignificat inter cæteros Oroſ. lib. 7. hiſt. cap. 4. his verbis:* Uſque adeo neque Lunam lumini Solis, neque nubes obſtitiſſe manifeſtum eſt ut 14. ea die Lunam tota cœli regione interjecta longiſſime à conſpectu Solis abfuiſſe, & ſtellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte toto cœlo fulſiſſe referatur. Quod non ſolum Evangeliorum fides, ait, ſed etiam aliquanti Græcorum libri teſtantur, *& facile hæc ſententia confirmatur. Siquidem non potuit ex interpoſitione Lunæ Sol toto orbe pati eclipſim, potuit quidem tum interponi Luna inter Solem & terram, ut vult Dionyſ. ut etiam retrogradiendo Chriſti majeſtatem, & potentiam demonſtraret. Potiſſima tamen cauſa eclipſis univerſalis fuit ſuperior, ut ſicut ignis Babylonius continuit actionem ſuam, Deo ſuſpendente concurſum ſuum: ita Sol potuit non illuſtrare terram, Deo ſuſpendente concurſum. Quacunque ratione facta ſit Solis illa obſcuratio, miraculoſa certe fuit, & præter naturam, non ex regulari ſyderum curſu contingens.*

ζ Alii ſcriptores eorum.] *Plutarchus in Romulo, Livius lib. 1. Dionyſ. lib. 2.*

η De Tullo quippe Hoſtilio.] *Annos duos & triginta cum regnaſſet Tullus Hoſtilius, incenſa domo cum uxore, liberis, omnique familia conflagravit, inſidiis, ut nonnulli volunt Anci Martii, qui poſt eum regnavit, inique ſcilicet animo ferentis pri-*

vatam

vaſtam vitam in Regia ſtirpe, cum Numæ Pompilii ex filia nepos eſſet: plures ſentiunt dum ſuperſtitioſe ſacra faceret, ira numinis fulmine ictum fuiſſe, quod non ſatis rite ex Numæ Regis diſciplina Jovem elicere conaretur. Referunt Livius lib. 1. Dionyſ. lib. 3. Plutarch. in Numa. Val. lib. 9. cap. 12. Plin. lib. 2. cap. 53. & lib. 28. cap. 2. ex L. Piſonis Annal. primo. Solinus Olympiad. 35. Tullum Regem obiiſſe ſcribit.

ϑ Excepto Numa Pompilio & Anco Martio.] *Plutarch. de Numa:* Illius gloriam Regum poſteriorum calamitates illuſtriorem clarioremque fecere: nam cum quinque poſt eum regnaverint, poſtremus ex imperio excidens in exilio conſenuit. E reliquis vero quatuor nemo naturali morte defunctus eſt, ſed tres inſidiis circumventi necati ſunt. Tullus Hoſtilius fulmine ictus conflagravit, ut fertur: *ubi adverſus Auguſtinum ſcribit, nec Ancum Martium morbo periiſſe. Euſeb. in Chronic. ſentit cum Auguſtino, eum morbo interiiſſe, & Eutropius.*

ι Priſcus Tarquinius.] *Quemadmodum inſidiis filiorum Anci Regis circumventus domi ſuæ fuerit occiſus Tarquinius, fuſe narrant Livius lib. 1. Dionyſ. lib. 3.*

κ Servius Tullius.] *Livius & Dionyſ. narrant, quam ſceleſte fuerit à genero trucidatus.*

λ De bellorum manubiis Capitolium fabricantem.] *Tacit. lib. 19. Et Dionyſ. lib. 4. de ſtructura capitolii loquens, ſcribit, Tarquinium ſuperbum magnam templi partem perfeciſſe, ſed totum opus abſolvere non potuiſſe præventum exilio, ac tertio conſulatu liberam jam civitatem operi ſupremam manum impoſuiſſe.*

μ Jovem ſuum Regem.] *Ita vocatur ab Homero, & aliis poëtis:* βασιλεὺς ἀνδρῶν τε θεῶν τε, divum atque hominum Rex.

ν Neque enim innocens capitolium ſtruxit.[*Atqui templa, aut ſacras ædes Numini exſtruere aut ſacrare, piorum eſt & innocentium. Noluit Dominus templum à Davide quamvis ſanctiſſimo Rege, quod plurimam ætatis partem in bellis tranſegiſſet, ſed à Salomone ſibi ædificari. 2. Reg. 7. Gregor. Nazianz. Orat. 1. in Julian. miraculo aſcribit,* quod cum Gallus & Julianus fratres martyribus ambo laborarent, munificentiaque & libertate præclare inter ſe contenderent, tum multarum manuum opera, tum multis impenſis ſacram ædem exſtruentes, quia non eadem voluntate, animique propoſito in hoc opus incumbebant. Gallus enim verus & ſyncerus pietatis cultor erat, at Julianus ficta pietatis ſpecie animi pravitatem occultabat: ideo nec in eumdem finem labor utrique progrediebatur; Galli enim opus perficiebatur, Deo videlicet munus illud libenter admittente, ut olim Abelis ſacrificium tum recte oblatum, tum diviſum, atque hæc oblatio veluti quædam primogeniti conſecratio erat. Juliani vero non ſecus ac Caini ſacrificium Deus martyrum repudiabat. Itaque ille quidem laborabat, ſed terra, quod elaboratum erat, excutiebat: ille enixius contendebat, hæc imbecillis in pietate hominis fundamenta capere detrectabat, velut terræmotum ob ipſius ſcelus eventurum clamans, atque impiiſſimi hominis dedecore martyres exornans: uti cóprobata divino teſtimonio in exſtruenda martyribus ſeu potius Deo martyrum æde ſacra Galli pietas, rejecta vero intus occulta & latens Juliani impietas.

ξ In oppido Tuſculo.] *Aliquot quidem annis exulavit Tarquinius Tuſculi apud generum Manilium Octavium, ubi vidit ſibi regni recuperandi omnem viam ademptam: mortuum tamen Cumis ſcribit Liv. quo ſe ad Ariſtodemum tyrannum contulerat:*

ο Nec ignorante filia.] *Imo ab ea ſollicitatum L. Tarquinium ad necem Regi patri inferendam, data utrinque fide de nuptiis contrahendis, cum Aruntem Tarquinium Lucii fratris priorem maritum virum natura non malum, ad tam ſceleratum facinus audendum inducere non potuiſſet. Scribunt Liv. lib. 1. Dionyſ. lib. 4. Flor. lib. 1. cap. 6. Val. lib. 9. cap. 11.*

π Sed Superbum appellaverunt.] *Qua ratione illi inditum id nomen, ſcribunt Liv. lib. 1. Dionyſ. lib. 4.*

ρ Ut eum Regem ſuum facerent.] *Scribit tamen Liv. lib. 1. ad jus regni nihil illum præter vim habuiſſe, ut qui neque populi juſſu, neque authoribus patribus regnaret.*

σ Per ducentos fere & quadraginta tres annos.] *Romæ regnatum eſſe 243. annis, volunt cum Auguſt. Solinus, Meſſala, Sex. Ruffus, Eutropius, Oroſius, & Euſebius, quibus etiam Capitolini faſti ſuffragantur, quamvis Livius, & Dionyſ. quos ſequitur Onuphrius, annum unum adjiciant, & Tarquinium Priſcum dicant annos 38. regnaſſe, & non ut cæteri 37. Oroſ. lib. 2. cap. 4.* Rom. quanta mala per 243. annos continua illa Regum dominatione pertulerunt, non ſolum hujus Regis expulſio, verum etiam ejuratio Regii nominis, & poteſtatis oſtendit: nam ſi unius tantum ſuperbia fuiſſet in culpa, ipſum ſolum oportuiſſet expelli, ſervata Regia dignitate melioribus. *Hæc vero diverſa annorum ſupputatio, quibus Romæ ſub ſeptem Regibus regnatum eſt, nata eſt ex diverſis tabulis Catonis, & Varronis, quorum ille numerabat ab urbe usque ad Coſſ. 243. hic. 244. Auguſt. ſequutus eſt Catonem in deſignando urbis natali, non Varronem.*

τ Intra viginti ab urbe milliaria.] *Euſeb. in Chron.* pulſis ab urbe Regibus vix usque ad xv. lapidem Roma tenebat imperium. *Sex. Ruffus aſſerit, non amplius quam ad XVIII. ab urbe lapidem ſub ſeptem Regibus propagatum fuiſſe, cujus termini ab oriente quidem Tybur, Præneſte, agerque Albanus erat; à meridie, Oſtia, & mare; ab occidente ager Vaticanus trans Tyberim: à Septentrione vero Fidena, & Cruſtumena, & Anio amnis.*

Cap. XVI.

De primis apud Romanos conſulibus, quorum alter alterum patria depulit, moxque Romæ poſt atrociſſima parricidia à vulnerato hoſte vulneratus interiit.

HUic tempori adjiciamus etiam tempus illud, quousque dicit Saluſtius, æquo & modeſto jure agitatum, dum metus à Tarquinio & grave bellum cum Etruria poſitum eſt. Quamdiu enim Etruſci Tarquinio redire in regnum conanti opitulati ſunt, gravi bello Roma concuſſa eſt. Ideo dicit, æquo & modeſto jure geſtam rempub. metu premente, non perſuadente juſtitia. In quo breviſſimo

tempore quàm funeſtus ille annus fuit, quo α † primi conſules creati ſunt, ex- al. pol-
pulſa regia poteſtate. β Annū quippe ſuum non compleverunt. Nam Junius Bru- mo.
tus exhonoratū ejecit urbe collegam γ Lucium Tarquinium Collatinum. Deinde mox ipſe in bello cecidit, a mutuis δ cum hoſte vulneribus, b ε occiſis à ſeipſo primitus filiis ſuis & uxoris ſuæ fratribus, quòd eos pro reſtituendo Tarquinio conjuraſſe cognoverat. Quod factum Vergilius poſtea quàm laudabiliter commemoravit, continuò clementer exhorruit. Cùm enim dixiſſet:

Natosque pater nova bella moventes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit,

Mox deinde exclamavit & ait:

Infœlix, utcunque ferent ea facta minores.

Quomodo libet, inquit, ea facta poſteri ferant, id eſt, præferant & extollant, qui filios occidit, infœlix eſt. Et tanquam ad conſolandum infœlicem, ſubjunxit.

ζ *Vicit amor patriæ laudumque immenſa cupido.*

Nónne hoc in Bruto, qui & filios occidit, c & à ſe percuſſo hoſti filio Tarquinii mutuo percuſſus ſupervivere non potuit, eique potius ipſe Tarquinius ſupervixit, d Collatini collegæ videtur innocentia vindicata, qui bonus civis hoc Tarquinio pulſo paſſus eſt, quod tyrannus ipſe Tarquinius? Nam & idem Brutus conſanguineus Tarquinii fuiſſe perhibetur. Sed Collatinum videlicet ſimilitudo nominis preſſit, quia etiam Tarquinius vocabatur. Mutare ergo nomen, non patriam cogeretur. f Poſtremò in ejus nomine hoc vocabulum minus eſſet, ſi L. Collatinus tantummodo vocaretur. Sed ideo non amiſit, quod ſine ullo detrimento poſſet amittere, ut & honore primus conſul, & civitate bonus civis carere juberetur. Etiamne iſta eſt gloria Junii Bruti deteſtanda iniquitas & nihilo utilis reipublicæ? Etiamne ad hanc perpetrandam,

Vicit amor patriæ, laudumque immenſa cupido?

Jam expulſo utique Tarquinio tyranno, conſul cum Bruto creatus eſt maritus Lucretiæ L. Tarquinius Collatinus: quàm juſtè populus mores in cive, non nomen attendit, quàm injuſtè Brutus collegam primæ ac novæ illius poteſtatis, quem poſſet, ſi hoc offendebatur, nomine tantum privare, & patria privavit & honore. Hæc mala facta ſunt, hæc adverſa acciderunt, quando in illa rep. æquo & modeſto jure agitatum eſt. g Lucretius quoque qui in locum Bruti fuerat ſurrogatus, morbo antequam idem annus terminaretur, abſumptus eſt. Ita P. Valerius, qui ſucceſſerat Collatino, & M. Horatius, qui pro defuncto Lucretio ſuffectus fuerat, annum illum funereum atque Tartareum, qui η conſules quinque habuit, compleverunt. Quo anno conſulatus ipſius novum honorem ac poteſtatem auſpicata eſt Rom. reſp. tunc jam diminuto paululum metu, non quia bella conquieverant, ſed quia non tam gravi pondere urgebant. Finito ſcilicet tempore, quo æquo & modeſto jure agitatum eſt, ſecuta ſunt, quæ idem Saluſtius breviter ſic explicat: Deinde ſervili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more conſulere, agro pellere, & cæteris expertibus ſoli in imperio agere. Quibus agitata ſævitiis, & maximè fœnore oppreſſa plebs, cum aſſi-

duis bellis tributum & militiam ſimul toleraret, armata montem Sacrum atque Aventinum inſedit. Tuncque tribunos plebis & alia ſibi jura paravit, diſcordiarum & certaminis utriuſque finis fuit ſecundum bellum Punicum.

L.Vives. *a* Mutuis cum hoſte vulneribus.] *Cum Arunte Tarquinio regis filio, mortuum matronæ annum luxerunt: collega Valerius laudavit, eaque fuit prima funebris oratio Romæ.*

b Occiſis à ſeipſo.] *De reducendis clàm Tarquiniis Vitellii, fratres uxoris Bruti, cum legatis regiis agebant & aſciverant in conſilium T. & Tib. Junios Brutos conſulis filios. Brutus re detecta, de filiis & uxoris fratribus ſupplicium ſumpſit.*

c Et à ſe percuſſo hoſte & filio Tarquinii.] *Sic legitur in vetuſtis libris, & à ſe percuſſo hoſti filio Tarquinii mutuo percuſſus.*

d Collatini collegæ.] *Dixi, obſervatum eſſe, qui collegæ magiſtratum abrogarit, annum non vixiſſe.*

e Nam & idem Brutus.] *Hic fuit M. Junii & Tarquinii regis ſororis filius.*

f Poſtremò ſi in ejus nomine.] *Melius ſi conjunctio, ſi, aliò transferretur ſic: Poſtremò in ejus nomine hoc vocabulum minus eſſet, ſi Lucius Collatinus.*

g Lucretius.] *Primus annus conſularis quinque habuit conſules, Brutum & Collatinum primum. Collatino abrogato magiſtratu ſuffectus eſt Publius Valerius Publicola. Bruto mortuo in bello, Valerius Spurium Lucretium Lucretiæ patrem ſubſtituit: huic morbo abſumpto, ſucceſſit M. Horatius Pulvillus.*

F.L.Coq. *α* Primi Coſſ. creati ſunt.] Hæc eſt, *(inquit Florus)* ſecunda populi Romani ætas, in qua liber vivere cœpit, primaque Reipub. mutatio, qua Superbo Rege exacto, libertateque pacta imperium duobus viris annuum mandatum eſt, qui prætores primum, deinde Judices, poſtremo conſules appellati ſunt. Hi ſummus erant apud Romanos ordinarię magiſtratus, qui pulſis Regibus ab interrege, ſive urbis præfecto Sp. Lucretio Tricipitino comitiis centuriatis creati ſunt: primi fuere Junius Brutus, & Tarquinius Collatinus. *Legem qua fortaſſe primum comitiis creati ſunt, refert Cic. 3. de legib.* Regio imperio duo ſunto: iique præeundo, & conſulendo prætores, Judices, Conſules, appellantor, militiæ ſummum jus habento, nemini parento; ollis ſalus populi ſuprema lex eſto.

β Annum quippe ſuum non compleverunt.] *Annuus erat magiſtratus, ne per diuturnitatem poteſtatis inſoleſcerent. Ita Jornand. in Chron.* Coſſ. bini in annis ſingulis creati Rempub. gubernantes ſequenti anno ab aliis venientibus ſuccedebantur: ſcienteſque ſe annis tantum ſingulis præeſſe in populo taliter erga alios agebant, qualiter eos erga ſe acturos ſperabant.

γ Lucium Tarquinium Collatinum.] *De eo nos ſuperius in cap. 17. lib. 2.*

δ Mutuis cum hoſte vulneribus.] *Tarquinius exul Veientes, Tarquinienſeſque concitavit ad bellum contra Romanos, adverſum quos ultra Tyberium in pratis Juniis cruento prælio conflixere Coſſ. in quo L. Brutus cum Arunte Superbi filio equeſtri pugna congreſſus, infeſtiſſimis animis ambo concurrentes, contrariis haſtis ambo tranſfixi ſunt, ut pariter ex equis moribundi ceciderint. Liv. lib. 1. Plutarch. in Publ. Dionyſ. lib. 5.*

ε Occiſis à ſe ipſo primitus filiis.] *Cyprian. de idolor. vanit.* Eſt & gradus ſummus in Romanis honoribus Conſulatus: ſic conſulatum videmus cœpiſſe ut regnum: Filios interficit Brutus, ut creſcat de ſuffragio ſceleris commendatio dignitatis. *Oroſ. lib. 2. cap. 5. Anno poſt V. C. 245.* Brutus primus apud Romanos Conſul, primum conditorem Regemque Romæ, non ſolum exæquare parricidio, ſed & vincere ſtuduit: quippe duos filios adoleſcentes; totidemque uxoris ſuæ fratres Vitellios juvenes, revocandorum in urbem Regum inſimulatos, in concionem protraxit, virgis cæcidit, ſecurique percuſſit. *Liv. lib. 1. Plutarch. in Publ. Dionyſ. lib. 5. Val. lib. 5. cap. 8. Eutropius lib. 5. cap. 11.* Multos legimus ita affectos fuiſſe erga patriam, ut nec filiis, eam prodere molientibus, pepercerint. Cum aliquando Pauſanias Dux Lacedæmoniorum acceptis à Xerxe quingentis auri talentis Spartam ei prodere pollicitus eſſet, tanto deprehenſo ſcelere pater Ageſilaus eum usque ad ædem Minervæ conſectatus eſt, ac foribus obſtructis fame necavit, genitrix & inſepultum projecit. Sic Romanis aliquando cum Latinis bellum gerentibus juvenis quidam ex nobilitate, Caſſius Brutus nomine, certa mercede portas patefacere deliberatum habebat, detectus interim in ædem Minervæ auxiliaris confugit, Caſſius ſignifer ejus parens ædem eam concluſit, illumque fame peremit, ac projecit inſepultum. *Plutarch. in Parallel.*

ζ Vicit amor patriæ.] *Val. lib. 5. cap. 8. tragicæ huic aſperitati patrocinans:* Exuit, *inquit*, Patrem, ut Conſulem ageret, orbusque vivere, quàm publicæ vindictæ deeſſe maluit. *Plut. lib. de præceptis gerendæ Reipubl.* ἀνδρὸς καὶ φρονήματος μεγάλου τὸ ἀναφωνῆσαι, φιλῶ τέκνα, ἀλλὰ πατρίδ᾽ ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ. *id eſt* nobilis eſt magnique animi vox iſta: liberos amo meos, ſed patriam magis meam.

η Qui Conſules quinque habuit.] *Junium Brutum, & Tarquinium Collatinum, in cujus locum, cum abdicare ſe magiſtratu, & exulare cogeretur, ſuffectus eſt P. Valerius Publicola, & Bruto in prælio occiſo, in ejus locum ſuffectus eſt Sp. Lucretius Tricipitinus Lucretiæ pater, quartus illius anni Coſ. Ita fere omnes ſcribunt. Liv. hæc adjicit:* Apud quosdam veteres auctores non invenio Lucretium conſulem, Bruto ſtatim Horatium ſuggerunt, credo quod nulla res geſta inſignem fecerit conſulatum, memoria intercidiſſe. *Et Cic. lib. 2. de finibus eum conſulem teſtatur, cum dicit:* Ob Lucretiæ memoriam virum, & patrem ejus primo anno conſulem eſſe factum.

Cap. XVII.

Poſt initia conſularis imperii quibus malis vexata fuerit Romana reſpublica, Diis non opitulantibus quos colebant.

Quid α ita ego tantas moras vel ſcribens patiar, vel lecturis afferam? Quàm miſera fuerit illa reſp. tam longa ætate per tot annos uſque β ad ſecundum bellum Punicum, bellis foriniſecus inquietare non deſiſtentibus, & intus diſcordiis ſeditionibusque civilibus, à Saluſtio breviter intimatum eſt. Proinde victoriæ illæ γ non ſolida beatorum gaudia fuerunt, ſed inania ſolatia miſerorum, & ad alia atque alia terribilia mala ſubeunda δ illecebroſa incitamenta minimè

 quie-

quietorum. Nec nobis quia hæc dicimus, boni Romani prudenteſque ſuccenſeant: quanquam de hac re nec petendi ſint nec monendi, quando eos minimè ſuccenſuros eſſe, certiſſimum eſt. Neque enim gravius vel graviora dicimus autoribus eorum, & ſtylo & ocio multum impares. Quibus tamen ediſcendis & ipſi elaboraverunt, & filios ſuos elaborare compellunt. Qui autem ſuccenſent, quando me ferrent, ſi ego dicerem, quos Saluſtius ait? Plurimæ turbæ ſeditiones & ad poſtremum bella civilia orta ſunt, *a* dum pauci *s* potentes, quorum in gratiam plerique conceſſerant ſub honeſto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant: *ζ* bonique & mali cives appellati, non ob merita *b* in remp. omnibus pariter corruptis, ſed uti quiſque locupletiſſimus & injuria validior, quia præſentia defendebat, pro bono ducebatur. Porrò ſi illi ſcriptores hiſtoriæ ad honeſtam libertatem pertinere arbitrati ſunt, mala civitatis propriæ non tacere, quam multis locis magno præconio laudare compulſi ſunt, *η* cùm aliam veriorem quo cives æterni legendi ſunt, non haberent: quid nos facere convenit, quorum ſpes quantò in Deo melior & certior, tantò major debet eſſe libertas, cum mala præſentia Chriſto noſtro imputant, ut infirmiores imperitioreſque mentes alienentur ab ea civitate, in qua ſola jugiter fœliciterque vivendum eſt? Nec in Deos eorum horribiliora nos dicimus, quàm eorum identidem autores, quos legunt & prædicant: quandoquidem & ex ipſis quæ diceremus, accepimus, & nullo modo dicere, vel talia, vel cuncta ſufficimus. *c* Ubi erant ergo illi Dii, qui propter exiguam fallacemque hujus mundi fœlicitatem colendi exiſtimantur, cum Rom. quibus ſe colendos mendaciſſima aſtutia venditabant, tantis calamitatibus vexarentur: *θ* Ubi erant quando Valerius conſul & ab exulibus & ſervis *d* incenſum Capitolium cum defenſaret, occiſus eſt? Faciliúſque ipſe prodeſſe potuit ædi Jovis, quam illi turba tot numinum cum ſuo maximo atque optimo rege, cujus templum liberaverat, ſubvenire. Ubi erant quando denſiſſimis fatigata civitas ſeditionum malis, cum legatos Athenas miſſos ad leges mutuandas paululum quieta operiretur, *ι* gravi fame peſtilentiaque vaſtata eſt? Ubi erant quando rurſus populus cum fame laboraret, præfectum annonæ primum creavit, atque illa fame invaleſcente, *e* *κ* Sp. Æmilius, qui eſurienti multitudini frumenta largitus eſt, regni affectati crimen incurrit, & ejusdem præfecti inſtantia per dictatorem L. Quintium ætate decrepitum, *λ* à Q. Servilio magiſtro equitum, cum maximo & periculoſiſſimo tumultu civitatis occiſus eſt? Ubi erant quando peſtilentia maxima exorta, Diis inutilibus ſine remedio populus diu multumque fatigatus, *μ* nova *f* lectiſternia, quod nunquam antea fecerat, exhibenda arbitratus eſt? Lecti autem ſternebantur in honorem Deorum, unde hoc ſacrum vel potius ſacrilegium nomen accepit. Ubi erant *ν* quando per decem continuos annos malè pugnando crebras & magnas clades apud Veios exercitus Rom. acceperat, niſi per Furium Camillum tandem ſubveniretur, quem poſtea civitas ingrata damnavit? Ubi erant *ξ* quando Galli Romam ceperunt, ſpoliaverunt, incenderunt, cædibus impleverunt? Ubique erant *ο* cùm illa inſignis peſtilentia tam ingentem ſtragem dedit, qua & ille Furius Camillus extinctus

ctus eſt, qui remp. ingratam & à Veientibus antè defendit, & de Gallis poſtea vindicavit? Inde in hac peſtilentia π ſcenicos ludos aliam novam peſtem non corporibus Rom. ſed, quod eſt multò pernicioſius, moribus intulerunt. Ubi erant quando alia peſtilentia gravis *g* de venenis *ρ* matronarum exorta credita eſt, quarum ſupra fidem multarum atque nobilium mores deprehenſi ſunt omni peſtilentia graviores? σ Vel quando in Caudinas furcas à Samnitibus obſeſſi ambo cum exercitu conſules fœdus cum eis fœdum facere coacti ſunt: ita ut equitibus Rom. ſexcentis obſidibus datis, cæteri amiſſis armis aliiſque ſpoliati privatique tegminibus, ſub jugum hoſtium cum veſtimentis ſingulis mitterentur? Vel quando gravi peſtilentia cæteris laborantibus, multi etiam in exercitu τ icti fulmine perierunt? Vel quando itidem alia intolerabili peſtilentia υ Æſculapium ab Epidauro quaſi medicum Deum Roma advocare atque adhibere compulſa eſt: quoniam regem omnium Jovem, qui jam diu in Capitolio ſedebat, multa ſtupra, quibus adoleſcens vacaverat, non permiſerant fortaſſe diſcere medicinam? Vel φ cum conſpirantibus uno tempore hoſtibus Lucanis, Brutiis, Samnitibus, Etruſcis & Senonibus Gallis, primò ab eis legati perempti ſunt: deinde cum prætore oppreſſus exercitus, ſeptèm tribunis cum illo pereuntibus, & militum tredecim milibus? Vel quando poſt graves & longas Rom. ſeditiones χ quibus ad ultimum plebs in Janiculum hoſtili diremptione ſeceſſerat: cujus mali tam dira calamitas erat, ut ejus rei cauſa, quod in extremis periculis fieri ſolebat, & dictator crearetur Hortenſius, qui plebe revocata in eodem magiſtratu expiravit, quod nulli dictatori antè contigerat, quod illis Diis jam præſente Æſculapio gravius crimen fuit. *b* Tum verò tam multa bella ubique crebruerunt, ut inopia militum ψ proletarii illi, qui eo quod proli gignendæ vacabant, ob egeſtatem militare non valentes, hoc nomen acceperant, militiæ conſcriberentur. ω Accitus etiam à Tarentinis *i* Pyrrhus rex Græciæ, tunc ingenti gloria celebratus Rom. hoſtis effectus eſt, *k* Cui ſanè de rerum futuro eventu conſulenti, ſatis urbanè α Apollo ſic ambiguum oraculum ædidit, ut è duobus quicquid accidiſſet, ipſe divinus haberetur. Ait enim: Dico te Pyrrhe vincere poſſe Rom. atque ita ſive Pyrrhus à Ro. ſive Romani à Pyrrho vincerentur, ſecurus fatidicus utrumlibet expectaret eventum. β Quæ tunc & quàm horrenda utriuſque exercitus clades, *l* in qua tamen ſuperior Pyrrhus extitit, ut jam poſſet Apollinem pro ſuo intellectu prædicare divinum: γ niſi proximè alio prælio Rom. abſcederent ſuperiores: *m* atque in tanta ſtrage bellorum etiam δ peſtilentia gravis exorta eſt mulierum. Nam priuſquàm maturos partus æderent, gravidæ moriebantur. Ubi ſe credo Æſculapius excuſabat, ε quòd *n* ἀρχίατρον ſe, non obſtetricem profitebatur. Pecudes quoque ſimiliter interibant, ita ut jam defecturum genus animalium crederetur. ζ Quid hyems illa memorabilis tam incredibili immanitate ſæviens, ut nivibus horrenda altitudine etiam in foro per dies XL. manentibus, Tiberis quoque glacie duraretur? Si noſtris temporibus accidiſſet, quæ iſti & quanta dixiſſent? *o* η Quid illa itidem ingens peſtilentia, quamdiu ſævivit, quàm multos peremit? Quæ cùm in annum alium

mul-

multò gravius tenderetur, fruſtra præſente Æſculapio aditum eſt ad libros Sybillinos. *p* In quo genere oraculorum, ſicut Cicero in libro de divinatione commemorat, magis interpretibus ut poſſunt ſive volunt dubia conjectantibus credi ſolet. tunc ergo dictum eſt, eam eſſe cauſam peſtilentiæ, *q* quòd plurimas ædes ſacras multi occupatas privatim tenerent: ſic interim à magno imperitiæ vel deſidiæ crimine Æſculapius liberatus eſt. Unde autem à multis ædes illæ fuerant occupatæ nemine prohibente, niſi quia tantæ numinum turbæ diu fruſtra fuerat ſupplicatum, atque ita paulatim loca deſerebantur à cultoribus, ut tanquam vacua ſine ullius offenſione poſſent humanis ſaltem uſibus vendicari? Nam quæ tunc velut ad ſedandam peſtilentiam diligenter repetita fuerunt atque reparata, niſi poſtea eodem modo neglecta atque uſurpata latitarent, non utique magnæ peritiæ Varronis tribueretur, quod ſcribens de ædibus ſacris tam multa ignorata commemorat. Sed tunc interim elegans non peſtilentiæ depulſio, ſed Deorum excuſatio procurata eſt.

L. Vives. *a* Dum pauci potentes.] *Homines de plebe, qui vel odio nobilitatis, vel captande popularis auræ gratia remp. turbabant, ut eo pacto res ſuæ meliores & potentiores eſſent: illud tamen actionibus ſuis prætendebant, ſe jum populi & communem libertatem defendere: patritii verò contrà niti, & multum de commodis vulgi detrahere, ut id ſibi ſuiſque apponerent, illo prætextu, quòd dignitatem ſenatus tuerentur, quam eſſe quàm ampliſſ. è rep. fores: ſed re vera pro ſua potentia quiſque certare atque contendere.*

b In remp. inceſſerant.] *In codice Colonienſi non habetur inceſſerant: & haud dubiè ſublata ea voce ſenſus eſt integrior.*

c Ubi erant ergo illi Dii.] *Hæc omnia, quæ Auguſt. recenſet, ſunt ex Livio, quæ ſatius erit, ubi apud eum inveniri poſſint, indicare, ne longis narrationibus & oneri lectori ſimus & faſtidio.*

d Incenſum.] *Non ab incendo, ſed ab inſcendo, quod eſt aſcendo. Neque enim incenderant, ſed aſcenderant: ideo alibi ſcribitur inſcenſum.*

e Sp. Æmilius.] *Certum eſt, legendum eſſe Melius, ex hiſtoria.*

Lectiſternium. *f* Lectiſternia.] *Lectis olim cubantes epulabantur. At quoties in templo aliquo publico placandæ Deum iræ cauſa convivium exhibebatur, aut nocturnum erat ſacrum, Diiſque tanquàm epulaturis aut cubituris lecti ſternebantur, id lectiſternium vocabant. Liv. lib. 5. Laborante peſtilentia civitate, paucis annis ante Romam à Gallis captam, ex libris Sybillinis, primum lectiſternium in urbe factum per dies octo, tribus tunc lectis apparatis Apollini & Latonæ, Dianæ & Herculi, Mercurio & Neptuno. Lectiſternium illud fuiſſe primum, neſcio quî conſtet, cùm ludis ſecularibus, quos primus P. Valer. Publicola, qui cùm Bruto conſul fuit, fecit, lectiſternium per trinoctium fuerit, ut apud Valerium legitur lib. 2. & Cenſorinum de die Natali.*

g De venenis matronarum.] *Livius lib. 8. Cl. Marcello, T. Valer. Coſſ. prima tunc de veneficiis quæſtio habita, cùm multi principes venenis mulierum interiiſſent.*

h Tum verò tam multa.] *In Gallos Tarentinos, Samnites, Lucanos, Brutios, Hetruſcos: poſtremò his omnibus additus eſt Pyrrhus Epirotarum rex. De proletariis*

non-

nonnulla dicam. Servius Tullius ſextus Rom. rex, pop. Rom. in ſex claſſes diviſit: prima claſſis erat eorum, qui centum millia aſſium in cenſu haberent, aut plura, tametſi illo rege cenſus maximus fuit CXM. *ut tradit Plin. lib. 33. Secunda, qui cenſum intra centum & ſeptuaginta quinque gravis æris millia eſſent profeſſi. Tertia, eorum qui quinquaginta. Quarta, qui quinque & viginti millia. Quinta, qui undecim millia. Hic una centuria fuit immunis militia tenuium hominum proletariorum & capite cenſorum. Proletarii erant, qui mille & quingentos aſſes in cenſum deferebant, plus minus: qui ſolùm in civitate ſufficiendæ proli nulli alteri viderentur vacare publico muneri, unde à prole proletarii nuncupati. Capite cenſi tenuiores erant, qui* CCCLXXV. *aſſes haberent in cenſu, qui quoniam pecunia non viderentur cenſi, capite ſuo cenſebantur, numerum civium augentes. Hæc duo hominum genera immunia fecit militia Servius Tullius, non quòd arma ipſis tutò non committerentur, aut quòd nullum haberent velut obſidem in patria, qui pro eorum forti opera ſponderet, qualem putabant vel præcipuam pecuniam, ſed quia bellicos ſumptus ferre non poſſent. Illis enim temporibus milites de ſuo ſe alebant. Fieri poteſt, ut poſt tributum inſtitutum vetus mos remanſerit, & cauſa cur illi homines non militarent, tales ſint pop. Rom. viſa, qui omnia pecunia metiebatur. Nam eas Valerius & A. Gellius reddunt. Proletarii jam aliis temporibus militarunt, capite cenſis primus arma dedit C. Marius bello Jugurthino, autores Saluſt. & Valer. Idem Quintilianus tangit in milite Mariano, hinc ipſe Marius Imperator capite cenſus nuncupatus eſt.*

Proletarii. Capite cenſi.

i Pyrrhus.] *Materno genere ab Achille, paterno ab Hercule progenitus, utroque à Jove. Hic cùm orbis imperium animo agitaret, à Tarentinis ad ferendam ſibi contra Rom. opem advocatus avidus accurrit, occaſionem ſibi oblatam ratus, Italiam totumque orbem ſuperandi, ut Alexander paulo antea fecerat.* Pyrrhus.

k Cui ſanè de rerum f. e.] *Cic. 2. de divin. verſum ſcribit eſſe Ennii. Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe. Quod poeta oraculum dicit ab Apolline Pyrrho datum roganti de belli eventu, idcirco Cic. ſic ſcribit: Sed jam ad te venio, ó ſancte Apollo, qui umbilicum terrarum certum obſides, unde ſuperſtitioſa primum ſæva evaſit vox fera. Tuis enim oraculis Chryſippus totum volumen implevit, partim falſis, ut ego opinor, partim caſu veris, ut fit in omni oratione ſæpiſſimè: partim flexiloquis & obſcuris, ut interpres egeat interprete, & ſors ipſa referenda ſit ad ſortes: partim ambiguis, & quæ ad dialecticam referenda ſint. Hæc ille, qui verſum ab Ennio fictum videtur aſſerere. Æacides eſt Pyrrhus, quoniam Achilles Pelei filius, hic Æaci. Verg. in 6. Eruet ille Argos Agamemnoniáſque Mycenas: Ipſumque Æacidem genus armipotentis Achilli. Pyrrhum ſignificans.*

l In qua tamen ſup.] *Vicit Pyrrhus P. Valerium conſulem ad Heracleam, ſed magna ſuorum cæde, unde proverbium, Heraclia victoria. deinde ſuperatus eſt à P. Sulpicio, & P. Decio Coſſ. poſtremò victus fugatus eſt à Curio Dentato, & ex Italia pulſus.* Heraclia victoria.

m Atque in t. ſ. b.] *Hæc quæ narrat, ſunt ex P. Oroſio accepta, lib. 4. quæ ſcribit contigiſſe Fabio Gurgite iterum, & C. Genutio Coſſ. bello Pyrrhi.*

n ἀρχίατροι.] *Principem medicum, ἰατρὸς enim medicus eſt: obſtetrix quæ parturientibus adeſt perita infantis excipiendi. Fuerunt & ἀρχίατροι medici prin-* ἀρχίατρος.

cipum, ut in Codice Juſti. De comitibus & ἀρχιάτροις, q primi medici, qui hodie protomedici nominantur ab Hiſpanis.

o Quid illa itidem ingens.] *Oroſius lib. 4. ſub primum bellum Carthaginienſium.*

p In quo genere oraculorum.] *Cic. 2. de divin. De Sibyllinis lib. & Sibyllis alio loco fusè.*

q Quod plurimas ædes ſacras.] *Idem reſponderunt aruſpices, Cic. tempore, cum prodigia, quæ per eos dies contigerant procurarentur. Cic. in Orat. de aruſpicum reſponſis.*

α QUid itaque ego tantas moras.] *Ibi de ſtatu civitatis ſub ſeptem Regibus egit, nunc commemorare incipit, quot calamitatibus & cladibus Roma ſit afflicta ſub conſulibus, cui nihil tot numina, quæ impia & ſacrilega ſuperſtitione colebat, profuere.*

L. 1. Cap. 4.

β Usque ad ſecundum bellum Punicum.] *Quia uſque ad tempora Janiculum non fuit apertum & continua fuerint Romanis bella cum finitimis populis.*

γ Non ſolida beatorum gaudia fuerunt.] *Multi quidem in ſcripturis ſacris Deo probatiſſimi victoriam de hoſtibus divinitus reportarunt ut Abraham, Joſue, David, Aſa, Joſaphat, Ezechias, Machabæi, quibus tamen non tam ſolatio erat, quod hoſtes cæderent, & debellarent, quam quod ſingularem Dei erga ſe providentiam, ac curam experimento cognoſcerent.*

δ Illecebroſa incitamenta minime quietorum.] *Notum illud Cyneæ ad Pyrrhum, cum potuiſſe domi quieſcere, nihil occupatum tot bellorum periculis ac difficultatibus.*

ε Dum pauci potentes ſub honeſto.] *In varias enim diſtrahebantur partes: alii quidem ſenatui ſtudebant, & ejus ampliſſimam dignitatem è re Reip. fore dicebant; alii vero plebi ne à potentioribus opprimerentur, ejus gratiam captantes; utrique tamen non tam ſenatus authoritatem, aut plebis dignitatem tueri habebant in animo, quam ſua privata commoda curare.*

ζ Bonique, & mali cives appellati.] *Cic. lib. 1. Offic. ſic bonum civem deſcribit:* Gravis & fortis civis tradet ſe totum Reipublic. neque opes, aut potentiam conſectabitur, totamque eam ſic tuebitur, ut omnibus conſulat. *Ariſt. lib. 3. politic. Diſtinguit bonum civem à bono viro, ut bonus civis dicatur,* qui Reipub. ſtudioſus ſit, etſi vir ſit improbus.

η Cum aliam veriorem, quo cives æterni legendi ſunt.] *De qua Apoſtol. Heb. 11.* Non habemus hic civitatem permanentem, ſed futuram inquirimus. *Quæ deſcribitur Apocalyp. 21. & 22.* Cives ſanctorum & domeſticos Dei *Apoſtolus Chriſtianos vocat. Epheſ. 2. Sedul. Paſcal. operis librat. cap. 21.* ſi de terrena mortalis habitaculi civitate, & à mortali fabricatore fundata poeta ſecularium ita cecinit literarum.

> Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi
> Libertas?

Quanto magis cœleſtium in civitate regnorum, quam Deus dominus inſtituit

tuit fabricator jura, perpetuæ libertatis eſſe credemus, de qua vates ait ſpiritualium cantic. Ædificans Jeruſalem dominus. Illa plane eſt Jeruſalem, quam in ſacro Evangelio Chriſtus vocat civitatem magni Regis.

ϑ Quando Valerius conſul] *Refert Livius lib. 3. ubi inter cætera, ut Romanos ad arma capienda conciret Valerius Coſ. hac oratione utitur:* Si vos urbis, Quirites, ſi veſtri nulla cura tangit, at vos veremini deos veſtros ab hoſtibus captos. Jupiter Opt. Max. Juno Regina & Minerva, alii dii, deæque obſidentur, caſtra ſervorum publicos veſtros penates tenent. *Deridendi ergo merito dii illi, qui operâ hominum ab obſidione liberandi eſſent.*

ι Gravi fame peſtilentiaque.] *Anno V. C. 298. Liv. lib. 3.*

κ Spurius melius, qui eſurienti multitudini.] *Anno V. C. 316. Livius lib. 4.*

λ A Q. Servilio magiſtro equitum] *Valerius Publicola, referente Plutarcho, legeſtatuerat*, fas eſſe tyrannidem appetentem indemnatum occidere, percuſſorem autem à crimine cædis alienum eſſe. *laudat hoc factum Cic. orat. 1. in Catil.*

μ Nova lectiſternia.] *Anno ab V. C. 355. Livius libro quinto. Subſannat Arnob. lib. 7.* Habeant, *inquit*, dii lectos, atque ut ſtratis poſſint mollioribus incubare, pulvinorum inſtar tollitur, atque excitatur impreſſio.

ν Quando per decem continuos annos.] *Liv. lib. 5. Furium Camillum vocat* fatalem ducem ad excidium Vejorum, ſervandæque patriæ. *Vejos urbem opere & natura munitiſſimam, & opulentiſſimam per cuniculos decimo poſtquam oppugnari cœperat anno, cepit. Livius libro quinto. Plutarch. in Camillo, Zonaras lib. 3. Annal. Sabell. Ennead. 3. lib. 9.*

ξ Quando Galli Romam ceperunt.] *Ab V. C. 365. Liv. lib. 5. Plut. in Camil. Oroſ. lib. 2. cap. 19. Quod biennio antè nunciatum Romanis: nam M. Ceditius plebejus homo nunciavit Tribunis, ſe in nova via vocem noctis ſilentio audiiſſe clariorem humana, quæ magiſtratibus dici juberet*, Gallos adventare, *quod repetit Joannes Tzetzes hiſt. 71.* Μάρκος δ' τις Κεδδίκιος ἐρχόμενος ἀρχέθεν, ἐξ οὐρανοῦ κατήκουσεν ἐκ τῆς φωνῆς λεγούσης. ὦ Μάρκε σὺ Κεδδίκιε τὰ δε Ρωμαίοις λέγε. Δι ἀδικίας τὰς ὑμῶν ἐκδέχεσθε Γαλάτας. Μετὰ μικρὸν καὶ γέγονεν ἡ παῤῥησις. *Meminit Cic. lib. 1. de divinat.*

ο Cum illa inſignis peſtilentia.] *Anno ab V. C. 389. L. Genutio, & Q. Servilio Coſſ. Liv. lib. 7.*

π Scenicos ludos aliam novam peſtem.] *Oroſ. lib. 3. cap. 4.* Conqueruntur hoc loco obtrectatores temporis Chriſtiani, ſi forte ſilentio præterierim, quibus tunc ceremoniis Romani placaverint deos, & ſedaverint morbos, cum peſtilentia in dies crudeſceret. Auctores ſuaſere Pontifices, ut ludi ſcenici diis expetentibus ederentur, & ita pro depellenda temporali peſte corporum, accerſitus eſt perpetuus morbus animorum: uber mihi quidem, *ait*, iſte doloris, atque increpationis locus eſt, ſed in quo jam reverentia tua ſtudium ſapientiæ, & veritatis exercuit: *hunc locum Auguſtini non obſcure inſinuans.*

ρ De venenis matronarum.] *Ab V. C. 421. Liv. lib. 8. Ad 170.* Matronæ damnatæ, *neque de veneficiis ante eam diem Romæ quæſitum eſt. Val. lib. 2. cap. 5. Oroſ.*

lib. 3. cap. 10. ubi 370. damnatas dicit, ſed errorem eſſe in numeris ex Livio, & Valerio conſtat.

σ Vel quando ad Claudinas Furcas.] *Ab V. C. 433. Livius lib. 9.*

τ Multi etiam in exercitu icti fulmine.] *Ab V. C. 458. Livius lib. 10.*

υ Æſculapium ab Epidauro.] *Scribit Liv. lib. 10. Cum peſtilentia urbem graviter premeret, libros aditos, quinam finis, aut quod remedium ejus mali à diis daretur? inventum in libris, Æſculapium ab Epidauro Romam accerſendum: Sed eo anno, quod Coſſ. bello eſſent occupati, nihil de ea re actum. Accerſitum vero fuiſſe valetudinis cauſa ſcribit idem lib. 29. de quo multa Ovid. in Faſt. Plut. in quaſt. Rom. qu. 94. Lactant. lib. 2. cap. 8. & 17. Exibilat multis modis Arnob. lib. 7.*

φ Cum conſpirantibus uno tempore hoſtibus.] *Anno ab V. C. 470. Coſſ. P. Cornelio Dolabella, & Cn. Domitio Calvo.*

χ Quibus ad ultimum plebs in Janiculum.] *Quam gravi tum ſeditione laboratum ſit in urbe, ex Epitom. lib. 11. Livii conſtat, ſed quibus contigerit Coſſ. obſcurum eſt. De cenſu enim & luſtro locutus hac ſubjicit:* Plebs propter æs alienum, poſt graves, & longas ſeditiones ad ultimum ſeceſſit in Janiculum, unde a Q. Hortenſio dictatore deducta eſt, isque in ipſo magiſtratu deceſſit. *Zonaras ejuſdem ſeditionis meminit, nec tamen certum annum definit: verum hoc amplius addit, hoſtili metu urbem invadente diſcordiam illam compoſitam fuiſſe.*

ψ Proletarii illi.] Plebeji, qui nihil Reipub. exhibeant, ſed tantùm prolem ſufficiant, à munere officioque prolis edendæ appellati, quod cum re familiari parva minus poſſent Rempub. juvare, ſobolis tamen gignendæ copia civitatem frequentarent. *Agell. libr. 16. capit. 10. & Nonius Marcellus:* qui in plebe Romana tenuiſſimi, paupertimique erant, neque amplius quam mille quingentum æris in cenſum deferebant, proletarii appellati ſunt: qui vero nullo, aut perquam parvo ære cenſebantur, capite cenſi vocabantur. *Proletarius Romæ maximum honorem habitum, teſtatur Agell. lib. 2. cap. 15.*

ω Accitus à Tarentinis Pyrrhus Rex Græciæ.] *Tarentini ut primum cum Romanis bellum decreverunt, diffidentes ſuis viribus Pyrrhum, clariſſimum tum fama & rebus geſtis Epirotarum Regem, per legatos & munera accerſivere, qui ſuppetias veniret. Quo anno cœperit hoc bellum, variant auctores. Oroſ. libro quarto cap. 1. anno ab V. C. 464. Tarentinos Claſſem Romanam diripuiſſe ſcribit, unde prima belli origo. Agell. lib. 17. cap. ult.* Poſt annum V. C. *(inquit)* 400. fere & 70. bellum cum Pyrrho Rege ſumptum eſt. *Ex Atticis Pauſania conſtat, Pyrrhum Regem anno belli Tarentini ſecundo tranſportaſſe exercitum in Italiam. cum quo P. Valerius Lævinus Coſſ primum manus conſeruit. Bellum Tarentinum, & cum Pyrrho Rege nonnulli ad annum 72. ad 73. alii ſupra 400. referunt. Veriſimile eſt 470. claſſem Romanam direptam à Tarentinis, ſubſequenti anno legatos violatos, anno 472. bellum Tarentinum L. Æmylio Coſſ. decretum fuiſſe; atque inde accerſitum Pyrrhum a Tarentinis, qui, ut ait Juſtin.* Non tam ſupplicum precibus, quam ſpe invadendi Italiæ Imperii inductus, venturum ſe cum exercitu pollicetur. *Videndus Juſtinus libr. 18. Flor. in Epit. lib. 13. Oroſ. lib. 4. cap. 1. Zonar. lib. 2. Annal. Sabell. Ennead. 4. lib. 8. Pyrrhi*

bello ſingulares viros fuiſſe Curium, Fabritium, Coruncanum, ſcribit Cic. lib. 2. de nat. deor.

α Apollo oraculum ſic ambiguum.] *Auctor libri de viris illuſtribus capit. 35.* Pyrrhus, *inquit*, Rex Epirotarum paterno genere ab Achille, materno ab Hercule oriundus, cum imperium orbis agitans Romanos potentes videret, Apollinem de bello conſuluit; ille ambigue reſpondit: Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe: hoc dicto in voluntatem tracto, auxilio Tarentinus venit, bellum Romanis intulit. *Cicer. libro ſecundo de Divinat. Quatuor argumentis docet, hoc oraculum non Apollinis, ſed Ennii eſſe:* Herodotum, *inquit*, cur veraciorem dicam Ennio? Num minus potuit ille de Crœſo, quam de Pyrrho fingere Ennius? Quis enim eſt, qui credat Apollinis ex oraculo Pyrrho eſſe reſponſum: Ajo te Aeacida Romanos vincere poſſe. Primum Latine Apollo nunquam locutus eſt, deinde iſta ſors inaudita Græcis eſt; præterea Pyrrhi temporibus jam Apollo verſus facere deſierat; poſtremo hanc amphibologiam verſus intelligere potuiſſet, vincere Romanos, nihilo magis in ſe, quam in Romanos valere. *Eadem cum Cicerone Minut. in Octa.* De Pyrrho, *inquit*, Ennius Apollinis Pythii reſponſa confinxit, quum jam Apollo verſus facere deſiiſſet. *Ita multos ambiguitate oraculorum deceptos fuiſſe, docet fuſe Theodoretus Sermone decimo contra Græcos, qui eſt de oraculis.*

β Quam horrenda utriusque exercitus clades.] *Scribit Oroſ.* cæſa fuiſſe Romanorum peditum 14880. captos 1310. Equites autem cæſos 242. captos 802. ſigna amiſſa 22. Nec hoſtibus incruenta victoria fuit, *ait Juſtinus:* nam & ipſe Pyrrhus graviter vulneratus eſt, & magna pars militum ejus cæſa, majoremque gloriam ejus victoriæ, quam lætitiam habuit. Atrocitatem illius cladis, quam hoc bello exceperat Pyrrhus, Diis ſuis hominibusque teſtatus eſt, *ait Oroſius.* affixo enim titulo in templo Tarentini Jovis hæc inſcripſit: qui ante hac invicti fuere viri, pater optime Olympie, hos ego in pugna vici, victusque ſum ab eiſdem. Et cum à ſociis increparetur, quod ſe victum diceret qui viciſſet, reſpondiſſe fertur: Næ ego ſi iterum eodem modo vicero, Epirum ſine ullo milite revertar.

γ Niſi proxime alio prælio.] *Tria prælia Romani cum Pyrrho commiſere, ac tandem ſuperiores evaſere, ut Pyrrhus quinto poſtquam venerat, anno coactus fuerit ex Italia diſcedere.*

δ Peſtilentia gravis exorta eſt mulierum.] *De ea ſic Oroſ. libr. 4. capit. 2.* Fabio Gurgite iterum, C. Genutio Clepſina Coſſ. peſtilentia gravis urbem, ac fines ejus invaſit, qui cum omnes, tum præcipue mulieres, pecudesque corripiens necatis in utero fœtibus futura prole vacuabat, & immaturis partubus cum periculo matrum exorti abortus projiciebantur, adeo ut defectura ſucceſſio, & defuturum animantium genus adempto vitalis partus legitimo ordine crederetur. *Incidit in annum V. C. 477.*

ε Quod ἀρχίατρου ſe.] *De ſignificatione hujus nominis ἀρχίατρος Hieronym. Mercurial. lib. 4. Var. lect. cap. 1. non modo Medicorum noſtra ætate fere primarius, ſed & varia eruditione homo celeberrimus, mihique quondam arctiſſimo neceſſitudinis*

nis vinculo conjunctiſſimus differit, contenditque, non ſignificare principem, aut primarium inter Medicos, ſed Principis Medicum, ut non ſit ἰατρῶν ἀρχων, ſed τοῦ ἄρχοντος ἰατρός, quam ſuam opinionem multis conjecturis oſtendit. Certum tamen, hic ab Auguſtino non uſurpari vocem illa ſignificatione, verùm ſignificare principem, ſeu primarium Medicum.

ζ Quid hyems illa memorabilis.] *Zonar. tomo ſecundo Annal.* ſæviſſima hyeme Tyberis in magnam altitudinem conglaciavit, arbores aruerunt, Romani afflicti ſunt, iumenta ex pabuli inopia perierunt.

η Quid illa itidem ingens peſtilentia.] *Eam ſic deſcribit Oroſ. libro quarto capit 5.* Anno ab V. C. 481. peſtilentia ingens apud Romam conflagravit, cujus atrocitatem ſignificare contentus ſum, quia verbis implere non poſſum. Si enim ſpatium temporis, quo manſit inquiritur, ultra biennium vaſtando porrecta eſt. Si depopulatio, quam egerit, cenſus indictus eſt, qui non quantum hominum deperiiſſet, ſed quantum ſuperfuiſſet, inquireret: ſi violentia, qua affecerit, Sibyllini libri teſtes ſunt, qui eam cœleſti ira impoſitam reſponderunt.

Cap. XVIII.

Quanta clades Rom. ſub bellis Punicis triverint, fruſtra Deorum præſidiis expetitis.

α JAm verò Punicis bellis cùm inter utrumque imperium victoria diu anceps atque incerta penderet, populique duo prævalidi impetus in alterutrum fortiſſimos & opulentiſſimos agerent, quot minutiora regna contrita ſunt? quæ urbes amplæ nobileſque deletæ? quot afflictæ? quot perditæ civitates? quàm longè latèque tot regiones terræque vaſtatæ ſunt? Quoties victi hinc atque inde victores? β quid hominum conſumptum eſt, vel pugnantium militum, vel ab armis vacantium populorum? γ Quanta vis navium marinis etiam præliis oppreſſa, δ & diverſarum tempeſtatum varietate ſubmerſa eſt, ſi narrare vel commemorare conemur, nihil aliud quàm ſcriptores etiam nos erimus hiſtoriæ. Tunc magno metu perturbata Rom. civitas, ad remedia vana & ridenda currebat. a Inſtaurati ſunt ex autoritate librorum Sibyllinorum ludi ſeculares, ε quorum celebritas inter centum annos fuerat inſtituta, fœlicioribuſque temporibus memoria negligente perierat. b Renovarunt etiam pontifices ζ ludos ſacros inferis, & ipſos abolitos annis retrorſum melioribus. Nimirum enim quando renovati ſunt, tanta copia morientium ditatos inferos etiam ludere delectabat: cùm profectò miſeri homines ipſa rabida bella, & cruentas animoſitates funereaſque hinc atque inde victorias, magnos agerent ludos dæmonum, & opimas epulas inferorum. Nihil ſanè miſerabilius primo bello Punico accidit, quam quod ita Rom. victi ſunt, ut etiam Regulus ille caperetur, cujus in primo & in altero libro mentionem fecimus, vir planè magnus & victor antea domitorque Pœnorum, qui etiam ipſum primum bellum Punicum cum feciſſet, niſi aviditate nimia laudis & gloriæ η duriores conditiones

quàm

quàm ferre poſſent, feſſis Carthaginienſibus imperaſſet. Illius viri & captivitas inopinatiſſima, & ſervitus indigniſſima, & juratio fideliſſima, & mors crudeliſſima, ſi Deos illos non cogit erubeſcere, *c* verum eſt quòd ærei ſunt, & non habent ſanguinem. Nec mala illo tempore graviſſima intra mœnia defuerunt, *d θ* nam exundante nimis ultra morem fluvio Tiberino, penè omnia urbis plana ſubverſa ſunt: aliis impetu quaſi torrentis impulſis: aliis velut ſtagno diuturno madefactis atque ſublapſis. *e ι* Iſtam deinde peſtem ignis perniciosior ſubſecutus eſt, qui correptis circa forum quibuſque celſioribus, *f* etiam templo Veſtæ ſuo familiariſſimo non pepercit, ubi ei velut vitam perpetuam diligentiſſima ſubſtitutione lignorum, non tam *g* honoratæ quàm damnatæ virgines donare conſueverant. Tunc verò illic ignis non tantùm vivebat, ſed etiam ſæviebat. Cujus impetu exterritæ virgines, ſacra illa fatalia *h* quæ jam tres in quibus fuerant preſſerant civitates, cùm ab illo incendio liberare non poſſent, *i κ* Metellus pontifex, ſuæ quodammodo ſalutis oblitus, irruens ea ſemiuſtulatus abripuit. *k* Neque enim vel ipſum ignis agnovit. Aut verò erat ibi numen, quod non etiam ſi fuiſſet, fugiſſet. Homo igitur potius ſacris Veſtæ, quam illa homini prodeſſe potuerunt. Si autem à ſemetipſis ignem non repellebant: civitatem, cujus tueri ſalutem putabantur, quid contra illas aquas flammasque poterant adjuvare, ſicut etiam res ipſa nihil prorſus potuiſſe, patefecit? Hæc iſtis nequaquam objicerentur à nobis, ſi illa ſacra dicerent, non tuendis his bonis temporalibus inſtituta, *λ* ſed ſignificandis æternis: & ideò cùm ea, quæ corporalia viſibiliaque eſſent, perire contingeret, nihil his rebus minui, propter quas fuerant inſtituta, & poſſe ad eoſdem uſus denuò reparari. Nunc verò cæcitate miſerabili, eis ſacris *μ* quæ perire poſſent, fieri potuiſſe exiſtimant, ut ſalus terrena, & temporalis fœlicitas civitatis perire non poſſet. Proinde cùm illis etiam manentibus ſacris, vel ſalutis contritio, vel infœlicitas irruiſſe monſtratur, mutare ſententiam, quam defendere nequeunt, † erubeſcunt. *alii non erubeſcunt.*

a INſtaurati ſunt.] *Puto, non futurum ingratum ſtudioſis antiquitatis, ſi de ludis ſecularibus nonnulla dixero, altius repetitis principiis. Valeſius Sabinus homo ut illo tempore erant optimi quique, ruſticus, ægrotantibus tribus liberis, ac propemodum moribundis, inter vota & comprecationes vocem audivit, filios fore ſalvos, ſi per pronum Tiberim Tarentum portaſſet, ibique ex Ditis patris & Proſerpinæ potita aqua calida, quam illi deſideraſſent, recreaſſet. Valeſius de Tarento urbe ratus oraculum intelligendum, tametſi procul ea urbs aberat, nec ullus erat ad Tarentum Tiberis, tamen nave conducta, & in ea impoſitis pueris ſecundo flumine Oſtiam contendit, ad campum Martium prope Romam, cùm pueros in ſiccum exponeret, ut tædium navigationis levaret, velletque ignem accendere, conſuluit gubernatorem, unde ignis peti poſſet. Ille è proximo Terento reſpondit, nam paſtoritium ignem videbat ibi lucere, locus ille Terentus dicebatur, quod Tiberis amnium more ripam mollem tereret, vel quòd ara Ditis eo loco ſub terra occuleretur. Valeſius nomine audito lætus illuc navem* *L. Vives. Ludi ſeculares.*

vem appelli jubet, exiſtimans, de illo loco ſe eſſe divina voce admonitum: ac interim dum ipſe in urbem ad aram emendam curriculo properat, jubet ſervos altè fodere, ubi collocaretur, viginti pedes altum fodere, & aram veterem ibi invenerunt cum inſcriptione Diti & Proſerpinæ. eam Rom. olim condiderant poſt peractum Diis inferis ſacrum, cùm pugnaturi cum Albanis in acie jamjam concurſuri ſtarent, juſſi à dæmone id facere, prius quàm manum conſererent. Rediit ex urbe pater, & ad inventam aram furvas hoſtias Diti & Proſerpinæ ſacrificavit: & tres noctes, tot enim erant filii ægroti, Diis ibi facto lectiſternio, exegit, cum cantibus & choreis, liberis jam morbo liberatis. Eundem morem in urbem induxit unus ex poſteris Valeſii illius. P. Vale. Publicola, primo libertatis anno à majoribus ſuis acceptum. Triduum & trinoxium ſacris totus populus operabatur ad aras Jovis & Apollinis, quibus mactabatur candidus taurus, & huic canebatur carmen à pueris ac puellis matrimis patrimiſque. Deinde Junonis, cui juvenca itidem candida, & hæc quidem interdiu, noctu verò Dianæ, Proſerpinæ, Terræ & Parcarum, quibus furva hoſtia, luminaque accendebantur. Exhibebantur eo tempore ludi ſcenici in honorem Apollinis & Dianæ, & circenſes, hique ludi tam celebres & magnifici ſeculares dicebantur, quòd ſemel ſingulis
Seculum *agerentur ſeculis. Seculum porrò ſpatium eſt vitæ humanæ longiſſimum, varii vario annorum numero deſcribunt, ut eſt apud Cenſorinum. Romani centum annis, idque intervallum inter ludos ſeculares, ut Valerius Antias & Varro, & Livius lib. 136. Sed ex commentariis xv. virorum, & edicto Cæſaris Auguſti, Carmineque Horatii ſeculari decem anni huic numero adduntur, ut centeſimo quoque & decimo anno fiant. Tametſi carmen illud Horatii, quo maximè Cenſorinus & alii nituntur, Certus undenos decies per annos: non video cur legi non poſſit. Certus ut denos decies per annos: & ſic nonnulli legunt. Sed aliud carmen à Zoſimo citatur Græcum, quod & ipſe Sibyllinum eſſe dicit, in quo eſt* εἰς ἔτεων ἑκατόνδεκα κύκλον ὁδεύων, *ſine apicibus & notis pronunciationis. Porrò præco cum ad hos ludos convocabat, ad eos ut i ludos venirent dicebat, quos nemo ipſorum antea ſpectaſſet, nemo eſſet poſtmodum ſpectaturus. hinc illa Vitellii aſſentatio Claudio ludos ſeculares exhibenti, Sæpe facias. Pri-*
Sæpe facias. *mus hos ludos Publicola, ut diximus, fecit anno ab Urbe cond. ccxliv. ſecundi facti ſunt ex libris Sibyllinis anno ab Urbe conditæ quingenteſimo & altero, P. Claudio Pulchro, L. Junio Bruto Coſſ. undecimo anno primi belli Punici. Tertii primo anno tertii belli Punici. M. Manlio, Martio Cenſorio Coſſ. quarti non expectato juſto tempore, L. Æmilio Lepido, L. Aurelio Oreſte Coſſ. Quintos Auguſtus & Agrippa fecerunt, Furnio & Syllano Coſſ. reductos ad æquum tempus. Sextos Cl. Cæſar anticipatos, ſe. iiij. & L. Vitellio principis patre iij. Coſſ. Septimos Domitianus veriore computatione, ſe. xiv. & L. Minutio Ruffo Coſſ. Octavos juſto tempore Septimius Severus, Chilone & Vibone Coſſ. Nonos Philippus Vonſtrenſis anno ab Urbe condita M. Æmiliano & Aquilino Coſſ. ut tradit Caſſiodorus. Hæc de ludis ſecularibus ex Varrone, Vale. Hor. L. Floro, Feſto, Zoſimo, Herodiano, Suet. Cenſori. Caſſiodoro, Porphyrione, Acrone, Angelo Politiano. Nunc ad cæteram pergamus.*

b Renovarunt etiam Pontifices.] *Alios videtur velle eſſe ludos Ditis & Proſerpinæ, atque ſeculares, cùm omnes eoſdem eſſe dicant, niſi dividas fortè Auguſtinus*

ludos

ludos & ſacrificia Deorum inferorum, à ludis & ſacris aliorum Deorum, quæ per illos dies fiebant, & profectò ludi Deorum inferorum aliam videntur habuiſſe originem, quàm ſeculares. Feſtus enim ad hunc modum ſcribit: Tauri appellabantur ludi in honorem Deorum inferorum facti: inſtituti autem videntur hac de cauſa: Regnante Tarquinio Superbo cùm magna incidiſſet peſtilentia in mulieres gravidas, quæ fuerat facta ex carne diu vendita populo taurorum, ludi ob hoc Diis inferis inſtituti & Tauri vocati. Hæc Feſtus. Adde quòd ſeculares ludi Apollini interdiu, & Dianæ fiebant noctu. Tauri verò Diis inferis. Tauri ludi.

c Verùm eſt quòd ærei ſunt.] *Alibi aërii, & congruentius opinioni Auguſtini: nam Platonici dæmonas aëreos eſſe dicebant, cùm quibus Auguſtinus videtur aliquot locis conſentire, ut poſt diſputabimus, porrò in pudore ſanguis rubore exornat faciem.*

d Nam exundante.] *Oroſius lib. 4.* Tiberis exundatio.

e Ignis.] *Ibidem, & Liv. 19. & Ovid. lib. 6. Faſt. Declamatores apud Senecam ficto ſe exercent argumento, privanduſne ſit Metellus ſacerdotio, quòd ſit cæcus, poſita lege, ut ſacerdos integer ſit.*

f Etiam templo Veſtæ ſuo familiariſſ.] *Quoniam in eo ignis colebatur, quod mox Auguſt. declarat.*

g Honoratæ.] *Nam honos earum maximus apud omnes homines ordineſque erat. ſacerdoti Veſtæ etiam magiſtratus via cedebat.* Metellus.

h Quæ jam tres.] *Ilium, Lavinium, Albam.*

i Metellus pontifex.] *L. Cæcilius Metellus pontifex max. bis conſul, dictator, magiſter equitum xv. vir agris dividundis, qui primus elephantos primo Punico bello in triumpho duxit, de quo Q. Metellus ejus filius in ea oratione, quam in funere ipſius habuit, ſcriptum reliquit, decem maximas res optimaſque, in quibus quærendis ſapientes ætatem exigerent, conſummaſſe: eum ait voluiſſe primarium bellatorem eſſe, optimum oratorem, fortiſſimum Imperatorem, auſpicio ſuo maximas res geri, maximo honore uti, ſumma ſapientia eſſe, ſummum ſenatorem haberi, pecuniam magnam bono modo invenire, multos liberos relinquere, & clariſſimum in civitate eſſe. Plin. lib. 7. cap. 43.*

k Neque enim vel ipſum.] *Locus mendoſus, & qui variè legitur, alibi pro vero, verum, ut referatur ad numen: alibi, quod non etiamſi fugiſſet, effugiſſet: quaſi non effugiſſet numen, etiamſi fugiſſet Metellus.*

α IAm vero Punicis bellis.] *Ad bella Punica, quæ geſſere per multos annos Romani cùm Carthaginenſibus, tranſit, clades utrinque acceptas primo bello Punico hoc capite obiter inſinuans.* F.L. Coq.

β Quid hominum conſumptum eſt.] *Oroſ. lib. 4. cap. 11.* Quis ergo duarum civitatum unum bellum per annos 23. geſtum fando explicet? quot Reges Carthaginenſium, quot Coſſ. Romanorum, quot agmina exercituum, quantum numerum navium contraxerit, profligarit, oppreſſerit.

γ Quanta vis navium.] *Polyb. de hoc bello libr. 1.* Duravit id bellum continuos quatuor & viginti annos, omnium ſane, quæ nos audierimus, longiſſimum atque

maximum. In quo, ut alia omittam, ſemel quinqueremibus ex utraque parte amplius quingentis, iterum nõ multo minus quam ſeptingentis invicem pugnatum eſt: amiſerunt in eo bello Romani quinqueremes ſeptingentas, præter eas, quæ diverſis naufragiis perierunt. Carthaginenſes vero circiter quingentas.

d Et diverſarum tempeſtatum varietate.] *Oroſ. lib. 4. capit. 9. ſcribit, duobus naufragiis ingentem cladem Romanos primo Punico bello accepiſſe: primo naufragio ex 300. navibus 220. perierunt, 80. vix abjectis oneribus liberatæ ſunt; altero naufragio Servilio Cæpione, & Sempronio Blæſo Coſſ. 260. navibus in Africam transgreſſi, inde cum in Italiam redirent circa Palinuri promontorium, quod à Lucaniæ montibus in altum excurrit, illiſi ſcopulis 150. naves onerarias nobilemque prædam crudeliter acquiſitam infœliciter perdiderunt.*

e Ludi ſeculares.] *Celebrabantur centeſimo quoque anno, hinc* ſeculares *dicti:* Seculum *enim Feſtus interpretatur ſpatium cẽtum annorum, quo vere protenditur unius hominis ætas. Idque colligi poteſt ex Cic. 2. de Orat. cum ait,* Numam Pompilium duobus ſeculis Pythagoram præceſſiſſe, *quem ex Livii auctoritate conſtat ducentis annis fuiſſe ante Pythagoram. Hos vero ludos centeſimo quoque anno celebratos fuiſſe, cum Auguſt. plures alii auctores prodidere, ut videre eſt apud Cenſorinum, lib. de die natali, capit. 5. Onuphrius noſter de ludis ſecularibus valde eruditum edidit libellum, ex quo quæcunque de ludis his ſecularibus digna ſunt ſcitu, facile peti poterunt. Contendit vero ex XV. viralibus commentariis, Auguſti edictis, Horatio in carmine ſeculari, & verſibus Sibyllinis non centeſimo quoque, ſed centeſimo, & decimo anno exacto ſolitos celebrari.* Inſtante ludorum tempore *(auctore Sozimo lib. 2. hiſt.)* per totam Italiam præcones mittebantur convocaturi omnes ad eos ludos, quos nemo adhuc ſpectaſſet, nec amplius ſpectaturus eſſet, ſignificantes videlicet præteritæ, futuræque celebritatis intervallum ſupra omnem hominum eſſe ætatem, quod & teſtatur Herodian. lib. 3. Κήρυκες γοῦν κατὰ τὴν Ῥώμην, καὶ τὴν Ἰταλίαν διεφοίτων καλοῦντες ἥκειν καὶ θεάσασθαι πάντας ἃ μήτε εἶδον, μήτε ὄψονται. οὕτως ὁ μεταξὺ χρόνος τῆς παρελθούσης ἑορτῆς καὶ τῆς μελλούσης ἐδηλοῦτο πᾶσαν ἡλικίαν ἀνθρώπων ὑπερβαίνων. *Principum tamen ambitione minore ſpatio interjecto aliquando fuerunt inſtaurati. Ut enim ſcribit Tacit. libro undecimo Annal.* Sub Claudio ludi ſeculares octingenteſimo poſt Romam conditam, quarto & ſexageſimo, quam Auguſtus ediderat ſpectati ſunt. *Plin. libr. 7. capit. 48.* Eo minus miror Stephanionem, qui primus togatus ſaltare inſtituit, utriusque ſecularibus ſaltaſſe, & D. Auguſti, & quos Claudius conſulatu ſuo quarto fecit, quando & ſexaginta tres non amplius interfuere anni. *Et Suetonius in Claudio capit. 21.* vox præconis irriſa eſt invitantis more ſolemni ad ludos, quos neque ſpectaſſet quisquam, neque ſpectaturus eſſet, cum ſupereſſent adhuc, qui ſpectaverant, & hiſtrionum producti olim tunc producerentur. *De eorum origine, & quando primum, & deinceps celebrati ſint, vide Cenſorinum, & Onuphrium locis citatis. Conſtat poſt Honorium Imperatorem omnino fieri deſiiſſe: Chriſtiani enim his ſuperſtitionibus infenſi eos agere deſierunt. Atque inde Imperii, urbisque declinationem factam fuiſſe nitebatur Sozimus impie perſuadere:* Quarto, *inquit,* Conſtantini

& Li-

& Licinii conſulatu tempus ſtatim ludis ſecularibus celebrandis, centum videlicet & decem annorum, exactum eſt, in quo ex antiquorum conſuetudine ſacra ipſa agere neceſſe erat, eiſque non factis, in eas moleſtias, in quibus nunc res ſunt, devenire oportuit, ſiquidem tanta urbs, tamque præclara barbarorum mancipium effecta eſt. *Sed hujusmodi calumniæ familiares Gentilibus, quibus D. Auguſt. hoc opere, & alii Chriſtiani ſcriptores accuratiſſime reſpondent.*

ζ Ludos ſacros Diis inferis.] *A ſecularibus hos diſtinguit, cum tamen conſtet, ludos ſeculares, qui Tarentini dicebantur Diti patri & Proſerpinæ factos, ex Val. lib. 2. cap. 4. Cenſorino lib. de die natali cap. 5. Sozimo lib. 2. hiſt. & aliis.*

η Duriores conditiones, quam ferre poſſent.] *De quibus Polyb. lib. 1. Eutro. lib. 2. Oroſ. lib. capit. 9. Zonaras tomo 2. Sabell. Ennead. 4. lib. 9.*

θ Exundante nimis ultra morem.] *De illa exundatione ita Oroſ. lib. 4. cap. 11.* Anno ab V. C. 507. repentina ſubverſio ipſius Romæ prævenit triumphum Romanorum, neque enim temere dixerim, quando non vel modicam lætitiam Romæ ſuperveniens repente quam graviſſimus luctus oppreſſerit. Siquidem Q. Luctatio, A Manlio Coſſ. diverſæ ignium, aquarumque clades pene abſumpſere urbem: nam Tyberis inſolitis auctus imbribus, & ultra opinionem vel diuturnitate, vel magnitudine redundans omnia Romæ ædificia in plano poſita delevit.

ι Iſtam deinde peſtem ignis pernitioſior.] *Oroſ. Ibidem:* Aquarum graviſſimam cladem ignis ſecuta vaſtatio eſt, qui ignis incertum unde ſurrexerit, plurimas civitatis partes peragratus cùm hominum, domorumque miſerabilem ſtragem fecit, tum etiam tantum opum uno conſumpſit incendio, quantum plurimæ & peregrinæ victoriæ conferre vix poſſent. Dehinc cum omnia in circuitu fori popularetur, ædem Veſtæ corripuit, & ne ſibi quidem diis ſubvenientibus ignem illum, qui æternus putabatur, temporarius ignis oppreſſit: unde etiam Metellus dum arſuros deos eripit, vix brachio ſemiuſtulatus aufugit.

κ Metellus pontifex ſuæ quodammodo ſalutis.] *Val. lib. 1. cap. 5. Liv. lib. 19. Metellum tum viſum amiſiſſe ſcribit. Plin. lib. 7. cap. 43. Tradit Oroſ. id contigiſſe anno ab V. C. 507. cum tamen Conſulatus ille, quo contigiſſe ſcribit, apud Caſſiodorum incidat in annum V. 512. Euſeb. in Chron. incenſum templum tradit Olympiadis 134. anno 3. cui ferè convenit cum Caſſiodoro.*

λ Sed ſignificandi æternis.] *Qualia erant ſacra Judæorum, quæ ſignificandis allegoricè Chriſtianæ religionis ſacramentis, vel etiam anagogice æternæ vitæ bonis, quemadmodum & noſtræ religionis ſacra inſtituta erant.*

μ Quæ perire poſſent.] *Ut de illo igne ſacro Machab. 2. capit. 1. legitur.*

CAP. XIX.

De afflictione belli Punici ſecundi, qua vires utriusque partis conſumptæ ſunt.

SEcundo α autem bello Punico nimis longum eſt commemorare clades duorum

rum populorum, tam longè ſecum latèque pugnantium, ita *a* ut his quoque fatentibus, qui non tam narrare bella Romana, quàm Romanum imperium laudare inſtituerunt, ſimilior victo fuerit ille, qui vicit. Hannibale quippe ab Hiſpania ſurgente, & Pyreneis montibus ſuperatis, Gallia transcurſa, Alpibusque diruptis, tam longo circumitu auctis viribus, cuncta vaſtando aut ſubigendo, torrentis modo Italiæ faucibus irruente, quàm cruenta bella geſta ſunt, quàm multa prælia: β quoties Rom. ſuperati, quam multa ad hoſtem oppida defecerunt, quàm multa capta & oppreſſa, quàm diræ pugnæ, & toties Hannibali Rom. clade glorioſæ? *b* De Cannenſi γ autem mirabiliter horrendo malo, quid dicam, ubi δ Hannibal cum eſſet crudeliſſimus, tamen tanta inimicorum atrociſſimorum cæde ſatiatus, *c* parci juſſiſſe perhibetur? *d* ε Unde tres modios annulorum aureorum Carthaginem miſit: quo intelligerent, tantam in illo prælio dignitatem cecidiſſe Romanam, ut facilius eam caperet menſura quàm numerus: atque hinc ſtrages turbæ cæteræ, tantò utique numeroſioris, quantò infirmioris, quæ ſine annulis jacebat conjicienda potius quàm nuncianda putaretur. Denique tanta militum inopia ſecuta eſt, *e* ut ζ Rom. reos facinorum propoſita impunitate colligerent, *f* η ſervitia libertate donarent, atque ex illis pudendus non tam ſuppleretur *g* quàm inſtrueretur exercitus. Servis itaque, *h* imò ne faciamus injuriam, jam θ libertis, pro Rom. rep. pugnaturis arma defuerunt. ι Detracta ſunt templis, tanquam Romani Diis ſuis dicerent: Ponite quæ tam diu inaniter habuiſtis, ſi fortè aliquid utile inde facere poſſunt κ noſtra mancipia, unde vos, noſtra numina, nihil facere potuiſtis. Tunc etiam ſtipendiis ſufficiendis cùm defeciſſet ærarium, in uſus publicos opes venere privatæ, adeò unoquoque id quod habuit conferente, ut præter ſingulos λ annulos aureos, μ ſingulasque bullas miſerabilia dignitatis inſignia, nihil ſibi auri ſenatus ipſe, quantò magis cæteri ordines *i* tribusque relinquerent. Quis ferret iſtos, ſi noſtris temporibus ad hanc inopiam cogerentur, cùm eos modò vix feramus, quando pro ſuperflua voluptate plura donantur hiſtrionibus, quàm tunc legionibus pro extrema ſalute collata ſunt?

Ex ſervis conjiciuntur exercitus.

Arma templis Deorum detracta.

L. Vives. *a* UT iis quoque fatentibus.] *Livius in prooemio tertiæ Decadis, & Silius Italicus libro primo: Propiusque fuere periclo. Queis ſuperare datum. Qui duo ſcriptores, ille oratione ſoluta, hic numeris aſtricta bellum hoc Punicum, multis libris perſecuti ſunt: alii quoque permulti, idcirco hiſtoriæ narrandæ ſuperſedebo.*

Cannenſis clades. *b* De Cannenſi.] *Ad Cannas Hannibal nobili clade Romanos affecit, tertio anno belli Punici, L. Æmilio Paulo, & P. Terentio Varione Coſſ. Livius libro duodecimo. Cannæ, ut Sabellicus in Annotationibus ſentit, non eſt Cannuſium oppidum, ſed vicus in Apulia prope Aufidum amnem, qui nunc vulgari ſermone Cannellæ nominantur.*

c Parci juſſiſſe perhibetur.] *An hic Auguſtinus vocem illam ſubſignificat Hannibalis, qua Mabarbali præfecto equitum ſuadenti, ut militem à pugna recentem & cruentum adhuc Romam duceret, reſpondiſſe fertur, præcedant hoſtes, læta res eſt, nos poſtea ſequêmur. nam Hannibalem in ipſo prælio, vel poſt prælium confectum militibus Romanis, qui aderant, pepercisse nondum legi. Niſi ſit illud, quod Livius quoque nar-*

narrat, poſt Cannenſem pugnam, quod nunquam alias contigerit, vocatos eſſe ab Hannibale Romanos, quos miti ſatis ſermone ſit allocutus: Non internecione civium ſibi eſſe cum Rom. bellum, de dignitate atque imperio certare, itaque redimendi ſe captivis copiam facere, pretium fore in capita equiti quingenos quadrigatos numos, trecenos pediti, ſervo centum.

d Unde tres modios.] *Alii huic menſuræ dimidium addunt modium, alii unicum dicunt fuiſſe modium, & hanc famam veriorem eſſe affirmat Livius. Annulus inſigne erat equeſtris ordinis, quo à plebe diſtinguebatur: utebantur tamen eo ſenatus & nobilitas, Plin. lib. 33. promiſcuum ejus uſum fuiſſe bello ſecundo Punico ſcribit: Nam alioqui, inquit, non potuiſſent trimodia illa annulorum Carthaginem ab Hannibale mitti. Porro modius cujuſmodi ſit menſura, declarat Budæus in Aſſe ſuo: ubi alia menſurarum genera. Res eſt longa, illinc petat, qui deſiderat.*

e Ut Ro. reos facino.] *Oroſius lib. 4. hoc à Junio Bubulco dictatore factum dicit, ad exemplum Romuli qui ſceleſtis & facinoroſis hominibus Aſylum aperuit. Livius idem libro 23. M. inquit, Junius deſcendit equo, dixitque qui capitalem fraudem auſi, quique pecunia judicati in vinculis eſſent, qui eorum apud ſe milites fierent: eos noxa pecuniaque ſe exolui juſſurum.*

f Servitia.] *Octo millia ſervi donati ſunt libertate, & militarunt Volones nominati, quòd cùm ſinguli rogarentur, velle ſe militare reſponderunt. Livius.* Volones.

g Quam inſtrueretur exercitus.] *Octo milia enim erant ſervorum & ſex milia facinoroſorum, quæ armavit ſpoliis Gallicis triumpho C. Flaminii tranſlatis.*

h Imò ne faciamus.] *Tametſi non fuerunt liberi, antequam Hannonem ad Beneventum vicerunt, donatique ſunt libertate à T. Graccho Imperatore, ſub quo fortè in militia operam navarant.*

i Tribusque.] *Hoc verbum, an ſit additum ab aliquo, neſcio. Certè ſenatores ipſi erant ex tribubus, quas primum ex tota ſua multitudine Romulus tres fecit: procedente deinde tempore auctæ, ad quinque & triginta pervenerunt. Senatores, equites & plebeii in has erant diviſi, neque erat quiſquam civis Rom. qui non eſſet alicujus tribus. Cicero Antoniana ſexta ad pop. Rom. Num quisnam eſt veſtrum, qui tribum non habet? atqui certè nemo. Illum quinque & triginta tribus patronum adoptarunt. Quid ergo ſibi vult, cæteri ordines tribusque, quaſi ita eſſent diſtinctæ tribus à ſenatu, ut reliqui ordines, equeſter & plebeius: an fortaſſe hoc eodem dicitur modo, quo illud, Senatus populusquè Rom. ſeu Senatus, populus plebsque Romana: cùm in populo & Senatus intelligatur & plebs. hoc potius crediderim.* Tribus.

a SEcundo autem bello Punico.] *De hoc bello ita Liv. lib. 21.* Neque validiores opibus ullæ inter ſe civitates, gentesque contulerunt arma: neque his ipſis tantum unquam virium, aut roboris fuit, & haud ignotas belli artes inter ſe, ſed expertas primo Punico conferebant bello. Et adeo varia belli fortuna, ancepsque Mars fuit, ut propius periculo fuerint, qui vicere. *Quod hic Auguſt. ait, ſimiliorem victo populum fuiſſe, qui vicit. Iſtud ſecundum bellum Punicum accuratiſſime deſcripſit Polyb. lib. 3. Silius Italicus. Plut. in Fabio & Marcello. Appian. in Lybico. Oroſ. lib. 4. à cap. 14. ad 18. Eutrop. lib. 3. Zonar. tom. 2. Sabell. Enn. 5. Polybius* F.L. Coq.

lybius ſcribit, hoc bellum incœpiſſe Olymp. 140. Solinus anno ab V. C. 535. Oroſ. 534.

β Quoties Romani ſuperati.] *P. Cornelio Scipione, & T. Sempronio Coſſ. Annibal ſuperatis Alpibus tranſiit in Italiam, cui Scipio Coſſ. primus occurrit, commiſſoque prælio apud Ticinum graviter vulneratus eſt, ac per Scipionem filium, qui poſtea à rerum geſtarum gloria in Africa, cognomen Africani retulit, ab imminenti periculo liberatus eſt, ac cæſus ibi pene omnis exercitus Romanorum. Ad Trebiam etiam male pugnatum, & Romani duce Sempronio Coſſ. ingentem cladem accepere. Ad lacum deinde Traſimenum fuſi ſunt Romani Flaminio Coſſ. ſi Oroſio, & Eutropio credimus, cæſa ſunt in eo prælio 25. millia Romanorum, ſex millia capta, Conſul ipſe occiſus. Verùm Plut. in Annibale, Liv. lib. 22. Polyb. lib. 3. Val. Max. lib. 1. cap. 7. ſcribunt, cæſa fuiſſe 15. millia.*

γ De Cannenſi miſerabiliter horrendo malo.] Cannæ æternum imperii vulnus. *P. Æmilio, & Terentio Varrone Coſſ. anno ab V. C. 537. anno primo 141. Olympiadis. Polyb. lib. 3. Liv. lib. 22. nonnihil differunt Eutrop. & Oroſ. qui referunt ad ad annum 540. Nullam unquam majorem cladem Romani accepere, periit in eo Coſſ. P. Æmylius, Conſulares aut prætorii viri viginti interfecti ſunt, Senatores vel capti, vel occiſi triginta, nobiles viri trecenti, pedeſtrium militum quadraginta millia, equitum tria millia & quingenti. De re Romana actum erat, ſi Annibal mox poſt victoriam ad invadendam urbem contendiſſet.*

δ Annibal cum eſſet crudeliſſimus.] *Liv. lib. 21. commemoratis virtutibus Annibalis:* Has tantas viri virtutes, *inquit*, ingentia vitia æquabant, inhumana crudelitas, perfidia plusquam Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullus deúm metus, nullumq; jusjurandum, nulla religio.

ε Unde tres modios.] *Eo ſpectat, quod Plin. lib. 37. cap. 50. ſcribit, promiſcuum fuiſſe annulorum uſum 2. bello Punico:* nam alioqui, *inquit*, non potuiſſent trimodia illa annulorum Carthaginem mitti ab Annibale. *De tribus modiis annulorum Carthaginem miſſis, quos ex manibus interfectorum nobilium detraxit Annibal, ſubſcribit Oroſ. lib. 4. cap. 16. Annibal apud Lucianum jactat, ſe uno die tot Romanos interfeciſſe ὥστε τοὺς δακτυλίους αὐτῶν μεδίμνοις ἀπομετρῆσαι. Alii dimidium ſupra tres modios addunt, ut auctor eſt Liv. libr. 23. ubi famam eſſe veriorem affirmat de unico modio. Tertull. in Apologet. cap. 40. Romanos perſtringit his verbis:* Oro vos ante Tiberium, id eſt ante Chriſti adventum, quantæ clades urbem, & orbem ceciderunt? *ac paulo poſt:* Nemo Romæ Deum verum adorabat, cum Annibal apud Cannas, per Romanos annulos cædes ſuas modio metiebatur.

ζ Ut Romani reos facinorum.] *Teſtatur Liv. lib. 32. Sceleratos à dictatore M. Junio adverſus Annibalem armatos:* Ad ultimum prope deſperatæ Reipub. auxilium, cum honeſta utilibus cedunt, deſcendit equo, dixitque: qui capitalem fraudem auſi, quique pecuniæ judicati in vinculis eſſent, qui eorum apud ſe milites fierent, eos noxa, pecuniaque ſe exolvi juſſurum. *quod idem ſcribit Oroſ. lib. 4. cap. 16.* Junius dictator antiquum Romanæ miſeriæ factum recolens, pro ſupplemento exercitus edicto velut aſylo patefacto homines, quicunque ſceleribus ac delictis obnoxii eſſent, impunitate promiſſa militiæ mancipavit, quorum numerus ad ſex millia virorum fuit.

η Sex-

n Servitia libertate donarent.] *Hic obſervatum, ut ſervi prius libertate donarentur, quàm aſſumerentur in militiam. Flor. libr. 2. capit. ſexto.* Deerat juventus in ſacramentum militiæ, liberata ſervitia. *Idem lib. 3. cap. 21. Appian. de bellis Punicis:* Senatus eadem die bellum decrevit, & ſervos per præconem pronunciavit liberos. *Liv. libro 23.* Aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum, ac neceſſitas dedit: octo millia juvenum validiorum ex ſervitiis, prius ſciſcitantes ſingulos, vellentne militare, empta publice armaverunt, volones ideo dicti, quod cum ſinguli rogarentur, velle ſe militare reſponderunt. *Appian. in Liby. ſcribit,* Senatum octa millia ſervorum dominis ultro donantibus manumiſiſſe. *Oroſ. lib. 4. capit. 16. vel oblatos, vel ſi ita opus fuit publico pretio emptos ſub titulo libertatis Sacramento militiæ adegiſſe, ut colligitur ex Livio libro 23.* non prius libertate donati ſunt, quam re fœliciter Cumis in Campania geſta à T. Gracho. Servos ad militiam ſacramento rogare, aut ullo modo admittere, nefas ſancitum eſt veteribus. *Quod Cic. pro D. jotaro ſignificat, & Martianus de Re Militari ff.* Ab omni, *inquit,* militia ſervi prohibentur, alioqui capite puniuntur, *& ſervum inter milites deprehenſum de rupe Capitolina dejectum eſſe, ſcribit Dio lib. 47. ſed & Virg. ait.*

Quem ſerva Lucinia furtum
Suſtulerat, vetitisque ad Trojam miſerat armis.

Macrob. tamen lib. 1. Saturn. cap. 11. & Cælius lib. 23. cap. 25. teſtis eſt, ſæpius fuiſſe in militiam adſcriptos non ſolum à Romanis, verùm etiam ab aliis. verum à Romanis non niſi ad extremam neceſſitatem adactis. Servitia autem in plurali pro ipſis ſervis non raro. Saluſt. in Catil. Servitia repudiabat, quorum initio magna copia ad eum concurrebant. *Cic. 4. in Catil.* Hic ad evertenda fundamenta Reipubl. Gallos acceſſivit, ſervitia concitavit. *Item:* Sollicitantur Allobroges, ſervitia excitantur. *Et 3. de legib.* vincula ſoluta ſunt & ſervitia incitata adjecto terrore etiam militarium. *Et 7. in Verrem.* Cum ſervitiorum animos in Sicilia ſuſpenſos propter bellum Italiæ fugitivorum videret.

θ Jam libertis.] *Liberti ſunt, qui deſierunt eſſe ſervi, lib. 4. D. de Juſt. & Jure. Vel quos domini ex juſta ſervitute ſolverunt, ac manu miſerunt. ἀπελευθέρους Græci vocant. Theophil. Inſt. de libertinis. ἀπελεύθερος (ait) ἐστὶ, ὁ ἐκ δικαίας καὶ ἐννόμου δουλείας ἐλευθερωθείς.*

ι Detracta ſunt templis.] *Liv. lib. 23. Oroſ. lib. 4 cap. 16. Flor. lib. 2. cap. 6. nec id quidem ſacrilegium imminente tanto periculo Reipub.*

κ Noſtra mancipia.] *Dicuntur ſervi, qui juſtam ſervitutem nobis ſerviunt, ſive ære empta, ſive ex ancillis dominata, ſive bello capta ſint,* mancipia *dicta, quod* manu capta, *ſicuti* ſervi, *quod* ſerventur, *cum eos jure belli liceret occidere.*

λ Annulos aureos.] *De origine annulorum aureorum plura apud Plinium lib. 33. cap. 1. Cælius Rhodig. lib. 6. lect. antiq. cap. 12. ex Dione hiſtorico refert, nemini veterum Romanorum geſtare aureum annulum, præter Senatores & equites, fuiſſe permiſſum. Propterea libertis annulorum jus ab iis modo datum, qui imperio forent potiti. Quo nomine Sexti Pompeji libertum Menam ab Auguſto aureis annulis ornatum*

tum

sum idem prodidit Dion. Erat vero is transfuga, & cum idem Auguſtus cum vitæ periculo ægrotaret, jamque conclamatus videretur, ſaluti ab Antonio Muſa eſt reſtitutus, quo nomine pecunia ampliter eſt donatus. & annulo aureo, quoniam erat libertus. Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap. 19. poſt Plinium ſcribit, populum Romanum ſolitum primo legatis ad exteras gentes profecturis annulum aureum velut inſigne munus dare: hique foris aureo, domi ferreo utebantur. Poſtea Judicibus, & equeſtri ordini, hisque quibus & avo paterno ſeſtertia cccc. cenſus fuiſſet, ferreos primum annulos, deinde aureos dari captum, quo inſigni equeſter ordo à Senatorio diſcretus noſcebatur. Frequentior uſus annulorum non ante Cn. Flavium Annii Filium deprehenditur: hic namque publicatis diebus feſtis tantam gratiam plebis adeptus eſt, alioqui libertino patre genitus, ut Ædilis curulis crearetur, præteritis C. Petilio, & Domitio, quorum Patres Conſules fuerant: quo facto tanta Senatus indignatione exarſit, ut annulos ab eo abjectos fuiſſe, in antiquiſſimis reperiatur annalibus. Hoc primum annulorum veſtigium extat; promiſcui autem uſus alterum ſecundo bello Punico, neque enim aliter potuiſſent trimodia illa annulorum Carthaginem ab Annibale mitti. Budæus lib. 3. de Aſſe, poſt Plin. loco cit.

u Singulasque bullas.] *Teſtis eſt Macrob. libr. 6. Tarquinium Priſcum quintum Regem Romanorum bello, quo de Sabinis egit triumphum, filium annos quatuordecim natum, quod hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudaſſe, & bulla aurea prætextaque donaſſe, ut inſigniret puerum ultra annos fortem præmiis utilitatis & honoris: Nam ſicut prætexta magiſtratuum, ita bulla geſtamen erat triumphantium, quam in triumpho præ ſe gerebant incluſis intra eam remediis, quæ crederent adverſus invidiam valentiſſima. Hinc deductus mos ut prætexta & bulla in uſum puerorum uſurparentur ad omnem & vota concilianda virtutis ei ſimilis, cui primum in armis munera iſta ceſſerunt. Alii putant, eumdem Priſcum, cum is ſtatum civium ſolertia providi Principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua duxiſſe, inſtituiſſeque ut patricii bulla aurea cum toga, cui purpura prætexitur, uterentur, id eſt, dumtaxat illi, quorum patres curulem geſſerant magiſtratum. Ceteris ut prætexta tantum uterentur, indultum, ſed usque ad eos, quorum parentes equo juſta ſtipendia meruiſſent. Libertinis nullo jure uti prætextis licebat: poſtea tamen Libertinorum filiis conceſſa eſt prætexta, qui & lorum in collo pro bulla decore geſtabant. Ita Aſconius:* Bulla ſuſpendi in collo infantibus ingenuis ſolet, aurea libertinis ſcortea, quaſi communiens pectus puerile. *Eratque in cordis figuram formata, quam ante pectus annectebant in collo, ut bullam inſpicientes, ita demum homines ſe eſſe cogitarent, ſi corde præſtarent.*

CAP. XX.

De exitio Saguntinorum, quibus propter Romanorum amicitiam pereuntibus Dii Romani auxilium non tulerunt.

SEd in his omnibus belli Punici ſecundi malis, nihil miſerabilius ac miſerabili querela dignius, quam a exitium a Saguntinorum fuit. Hæc quippe Hiſpaniæ

niæ civitas amiciſſima populo Romano dum eidem populo fidem ſervat, everſa eſt. Hinc enim Hannibal fracto fœdere Romanorum cauſas quæſivit, quibus eos irritaret ad bellum. Saguntum ergo ferociter obſidebat. Quod ubi Romæ auditum eſt, miſſi ſunt legati ad Hannibalem, ut ab ejus obſidione diſcederet. Contempti Carthaginem pergunt, querimoniamque reponunt fœderis rupti, infectoque negotio Romam redeunt. Dum hæ moræ aguntur, miſera illa civitas opulentiſſima, ſuæ reip. Romanæque chariſſima, octavo vel nono à Pœnis menſe deleta eſt. Cujus interitum legere, quantò magis ſcribere horroris eſt. Breviter tamen eum commemorabo: ad rem quippe quæ agitur multum pertinet. β Primò fame contabuit, nam etiam ſuorum cadaveribus à nonnullis paſta perhibetur. Deinde feſſa omnium rerum, ne ſaltem captiva in manus Hannibalis perveniret, γ ingentem rogum publicè ſtruxit, in quem ardentem, ferro etiam trucidatos omnes ſe ſuosque miſerunt. *b* Hic aliquid agerent Dii helluones atque nebulones ſacrificiorum adipibus inhiantes, & fallacium divinationum caligine decipientes: hic aliquid agerent, ut civitati populi Rom. amiciſſimæ ſubvenirent, & fidei conſervatione pereuntem perire non ſinirent. Ipſi utique medii præfuerunt, cum Romanæ reip. interjecto fœdere copulata eſt. Cuſtodiens itaque fideliter quod ipſis præſidibus placito junxerat, fide vinxerat, juratione conſtrinxerat, à perfido obſeſſa, oppreſſa, conſumpta eſt. *c* Si Dii ipſi tempeſtate atque fulminibus, Hannibalem poſtea Rom. proximum mœnibus terruerunt, longèque miſerunt, tunc primum tale aliquid facerent: audeo quippe dicere, honeſtius illos pro amicis Romanorum ideo periclitantibus, de Romanis frangerent fidem, & nullam opem tunc habentibus, quàm pro ipſis Romanis, qui pro ſe pugnabant atque adverſus Hannibalem opulenti erant, potuiſſe tempeſtate ſævire. Si ergo tutores eſſent Roma. fœlicitatis & gloriæ, tam grave ab ea crimen Saguntinæ calamitatis averterent. Nunc verò quàm ſtultè creditur Diis illis defenſoribus Romam victore Hannibale non periiſſe, qui Saguntinæ urbi non potuerunt, ne pro ejus periret amicitia, ſubvenire? Si Saguntinorum Chriſtianus populus eſſet, & hujusmodi aliquid pro fide Evangelica pateretur, quanquam ſeipſe, nec ferro, nec ignibus corrupiſſet, ſed tamen ſi pro fide *d* Evangelica excidium pateretur, ea ſpe pateretur, qua in Chriſtum crediderat, non ut mercede breviſſimi temporis, ſed æternitatis interminæ potiretur. Pro iſtis autem Diis, qui propterea coli perhibentur, propterea colendi requiruntur, ut harum labentium atque tranſeuntium rerum fœlicitas tuta ſit, quid nobis defenſores & excuſatores eorum de Saguntinis pereuntibus reſpondebunt, niſi quod de illo Regulo extincto? Hoc quippe intereſt, quòd ille unus homo, hæc tota civitas, utriusque tamen interitus cauſa, conſervatio fidei fuit. Propter hanc enim ad hoſtes & redire ille voluit, & noluit iſte tranſire. Conſervata ergo provocat Deorum iram fides? An poſſunt & Diis propitiis perire, non ſolùm quique homines, verum etiam ingratæ civitates? Utrum volunt eligant. Si enim fidei ſervatæ iraſcuntur illi Dii, quærant perfidos à quibus colantur. Si autem etiam illis propitiis multis gravibusque cruciatibus afflicti, interire homi-

nes civitatesque poſſunt, nullo fructu fœlicitatis hujus coluntur. Deſinant igitur ſuccenſere qui ſacris Deorum ſuorum perditis, ſe infœlices factos eſſe putant. Poſſent enim illis non ſolùm manentibus, verum etiam faventibus non ſicut modò de miſeria murmurare, ſed ſicut tunc Regulus & Saguntini excruciati horribiliter etiam penitus interire.

I. Vives. Saguntum. *a* EXitium Saguntinorum.] *Livius lib. 21. Saguntus urbs eſt Hiſpaniæ ulterioris, mille paſſibus diſtans à mari noſtro, à Zacynthiis & Ardeatibus, inquit Silius, condita & poſſeſſa: quæ gentes in Hiſpaniam ante captum Ilium venere: fide in Romanos & clade ſua nobilis. veteris amplitudinis & magnificentiæ ſpectantur adhuc veſtigia ædificiis antiquitate venerandis, & monumentis majorum inſcriptionibusque antiquiſſimis, quæ paſſim eſt videre. Murum veterem patria lingua nunc vocant, agri jurisq; Valentini. Supereſt imago quædam priſtinæ arcis, in monte, qui magnam Hiſpaniæ partem dividit, ſitæ. Eam civitatem Polybius libro Hiſtoriarum tertio, ſcribit cæteris Hiſpaniæ civitatibus & terreſtrium frugum copia, & numero civium, & fortitudine peritiáque rei militaris antecelluiſſe. Hanc & oderat Hannibal, quòd ſocietate Romanorum freta, multis Carthaginienſium in Hiſpania ſociis graves injurias intuliſſet: & bello impetiit, tum ut illas ulciſceretur, tum etiam ut occaſionem inveniret belli molem in Romanos convertendi: quare nullam ardentius jam inde à nono ætatis ſuæ anno concupierat.*

b Hic aliquid agerent helluones.] *Deeſt Dii, ut ſit Dii helluones, q. voraces. In re honeſta uſus eſt Cicero. Nam Catonem Juniorem librorum helluonem nominavit tertio de fin. quomodo helluones ſint & nebulones, declarat quod ſtatim ſequitur.*

c Si ipſi Dii.] *Livius lib. xxvi. Cùm ante mœnia Romana ſtaret Hannibal, jam cùm Rom. commiſſurus prælium, cujus præmium erat futura Romana urbs, maxima ſecuta eſt tempeſtas, quæ duas acies dirimeret. Reverſis Carthaginien. in caſtra, Romanis in urbem, mira tranquillitas cum ſerenitate eſt ſecuta. Idem contigit poſtridie cùm inſtructi ad pugnam ambo exercitus conſiſterent ſignum expectantes: quæ res in religionem Hannibali venit, tanquàm à Diis arceretur ab urbe Roma, ita moveri inde caſtra juſſit.*

L. Leo. *α* EXitium Saguntinorum.] *De obſidione Saguntinorum, legatis Romanorum primo ad Annibalem, deinde Carthaginem miſſis & nullibi admiſſis, de extrema etiam Saguntinorum deſperatione & incendio, ne Carthaginenſibus ſe dederent, & fidem Romanis fallerent, vide Polyb. lib. 3. Appian. libr. de bellis Hiſpanicis, Livium lib. 21. Val. lib. 6. Oroſ. lib. 4. cap. 14. Zonar. tom. 2. Sabell. Ennead. 5. lib. 1. Oroſius ſcribit, anno ab V.C. 574. obſeſſam fuiſſe Saguntum, & cum Auguſtino octavo menſe in poteſtatem ſuam redactam Annibalem deleviſſe. Eo anno Coſſ. fuerunt M. Livius, & L. Æmylius. Polybius ſcribit, anno primo centeſimæ & quadrageſimæ Olympiadis Annibalem Carthagine nova cum omnibus copiis profectum Saguntum petiiſſe, quæ civitas eſt ultra Iberum ſita in radicibus montis, qui Hiſpanos à Celtiberis dividit, circiter mille paſſus diſtans à mari: cujus incolæ & copiâ terreſtrium fructuum, & multitudinis incremento, & virtute militari cæteris Hiſpaniæ populis præſtarent.*

β Primo fame contabuit.] *Hinc* Saguntina fames *in proverbium venit de fame* extrema.

γ Ingentem rogum publicè ſtruxit.] *Liv. lib. 21. Polyb. lib. 3. Flor. lib. 2. cap. 6.*

δ Pro fide Evangelica pateretur.] *Habes apud Nicephorum lib. 9. cap. 21. & hiſt. tripart. lib. 5. cap. 45. & hiſt. tripart. lib 5. cap. 45. & apud Theodoret. lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 30. de Niſibi civitate, quæ diutiſſimam obſidionem à Perſis, Chriſtianæ religionis infeſtiſſimis hoſtibus, paſſa eſt, ac divinitus fuit propugnata. Cujus etiam muri impetu aquarum dejecti, inſtaurati ſunt precibus Jacobi antiſtitis. Et Sapor ipſe Rex Perſarum Deum res Rom. tutari teſtatus eſt, ideoque ira concitus in aerem tela inſanus ille velut contra Deum pugnaturus, conjecit. Nonnunquam legiones integræ majori conſtantia, & fortitudine, quàm Saguntini intrepide rejectis conditionibus propoſitis à tyrannis mortem potius elegere, quàm Deo fidem fallerent. Apud eumdem Niceph. lib. 11. cap. 22. legimus, quanta fuerit conſtantia Edeſſenorum, qui* contemptis minis Valentis Arriani imperatoris ad martyrium confertim properabant, mori longe præeligentes, quam fidem Deo fallerent. *Tertull. lib. ad Scapulam cap. 5. ſcribit, quod* cum Arrius Antonius in Aſia perſequeretur inſtanter, omnes illius civitatis Chriſtiani ante tribunalia ejus ſe manu facta obtulerint, cum ille paucis duci juſſis reliquis ait: ὦ δειλοὶ εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε.

CAP. XXI.

Quàm ingrata fuerit Romana civitas Scipioni liberatori ſuo, & in quibus moribus egerit, quando eam Saluſtius optimam fuiſſe deſcribit.

PORRO inter ſecundum & poſtremum bellum Carthaginienſe, quando Saluſtius optimis moribus & maxima concordia dicit egiſſe Romanos, multa enim prætereo ſuſcepti operis modum cogitans. Eodem ergo ipſo tempore morum optimorum maximæque concordiæ *a* α Scipio ille Romæ Italiæque Imperator, ejuſdemque belli Punici ſecundi tam horrendi, tam exitioſi, tam periculoſi præclarus mirabiliſque confector, victor Hannibalis, domitorque Carthaginis: cujus ab adoleſcentia β deſcribitur *b* Diis dedita, templiſque nutrita *c* γ inimicorum accuſationibus ceſſit, carenſque patria, quàm ſua virtute ſalvam & liberam reddidit, *d* in oppido Linternenſi egit, reliquam complevitque vitam, poſt inſignem ſuum triumphum, nullo illius urbis captus deſiderio, *e* ita ut juſſiſſe perhibeatur, ne ſaltem mortuo in ingrata patria funus fieret. *f* Deinde tunc primùm per δ Cn. Manlium proconſulem de Gallogræcis triumphantem, *g* ε Aſiatica luxuria Romam omni hoſte pejor irrepſit. Tunc enim primùm lecti ærati, & precioſa ſtragula viſa perhibentur. Tunc inductæ in convivia pſaltriæ, & alia licentioſa nequitia. Sed nunc de his malis, quæ intolerabiliter homines patiuntur, non de his quæ libenter faciunt, dicere inſtitui. Unde illud magis quod de Scipione commemoravi, quòd cedens inimicis extra patriam, quam liberavit, mortuus eſt, ad præſentem pertinet diſputationem, quòd ei Romana numina, à quorum templis avertit Hannibalem, non reddiderunt vicem, quæ propter iſtam tantummodo coluntur fœlicitatem. Sed quia Saluſtius eo tempore ibi dixit mores optimos fuiſſe, propter hoc de Aſiana luxuria commemorandum putavi, ut

Scipio in exilio mortuus.

Luxuria quando Romam invaſerit.

ut intelligatur etiam illud à Saluſtio in comparatione aliorum temporum dictum, quibus temporibus pejores utique in graviſſimis diſcordiis mores fuerunt. Nam tunc, id eſt, inter ſecundum & poſtremum bellum Carthaginienſe, *h* lata eſt etiam illa ζ lex Voconia, ne quis hæredem fœminam faceret, *i* nec unicam filiam. Qua lege quid iniquius dici aut cogitari poſſit, ignoro. Veruntamen toto illo intervallo duorum bellorũ Punicorum tolerabilior infœlicitas fuit. Bellis tantummodo foris conterebatur exercitus, ſed victoriis conſolabatur. Domi autem nullæ, ſicut aliàs, diſcordiæ ſæviebant. Sed ultimo bello Punico uno impetu η alterius Scipionis, qui ob hoc etiam ipſe Africani cognomen invenit, æmula imperii Romani θ ab ſtirpe deleta eſt. Ac deinde tantis malorum aggeribus oppreſſa † Romana reſpublica, ut proſperitate ac ſecuritate rerum, unde nimium corruptis moribus mala illa congeſta ſunt, plus nocuiſſe monſtretur, tam citò everſa, quàm prius nocuerat tamdiu adverſa Carthago. Hoc toto tempore uſque ad Cæſarem Auguſtum, qui videtur non adhuc vel ipſorum opinione glorioſam, ſed contentioſam & exitioſam, & planè jam enervem ac languidam libertatem omnimodo extorſiſſe Romanis, & ad regale arbitrium cuncta revocaſſe, & quaſi morbida vetuſtate collapſam, veluti inſtauraſſe ι ac renovaſſe rempublicam. Toto ergo iſto tempore, omitto ex aliis atque aliis cauſis etiam atque etiam bellicas clades, *k* & Numantinum fœdus horrenda ignominia maculoſum: *l* volaverant enim κ pulli de cavea, & Mancino conſuli, ut ajunt, augurium malum fecerant, quaſi per tot annos, quibus illa *m* λ exigua civitas μ Romanorum circumſeſſa exercitum afflixerat, ipſiſque Rom. reip. *n* terrori eſſe jam cœperat, alii contra eam malo augurio proceſſerint.

(margin: † ſubaudi eſt.)

(margin: L. Vives. Scipio Africanus.) *a* SCipio ille.] *P. Cornelius Scipio Africanus, qui tranſitu ſuo in Africam Hannibalem ex Italia tandem poſt ſextum decimum annum quàm erat ingreſſus, evellit, & eum in Africa vicit, fugavitque, ac periculoſiſſimo bello finem impoſuit.*

b Diis dedita.] *Livius lib. xxvi. de Scipione. Ad hac jam inde ab initio praparans animo, ex quo togam virilem ſumpſit, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quàm in Capitolium iret ingreſſusque adem conſideret, & plerumque tempus ſolus ibi tereret. Hic mos per totam vitam ſervabatur.*

c Inimicorum accuſationibus.] *Livius lib. xxxviij. & Plutarchus in vita ejus.*

d In oppido Linternenſi.] *In Campania eſt, ſeu potius in villa Linternenſi.*

e Ita ut juſſiſſe perhibeatur.] *Livius varias ſcribentium opiniones de loco mortis Africani recenſet. Non enim inter eos ſatis convenit, num obierit Roma.*

(margin: Gallograci.) *f* Deinde tunc primum.] *Livius lib. xxxix. Gallograci populi ſunt in Aſia minore, qui Graca lingua dicuntur Galata, ex Gallis, qui ſub Brenno in Graciam tranſivere, & Gracis commiſti.*

g Aſiatica.] *Aſia minoris, de qua alibi.*

(margin: Lex Voconia.) *h* Lata eſt etiam illa Lex Voconia.] *Tulit eam Q. Voconius Saxa tribunus plebis. Suaſit M. Cato ſenior, paulò ante bellum Macedonicum Perſa. Livius libro quadrageſimo primo, quo in loco pro Voconio legitur Volumnius.*

i Nec unicam filiam.] *Etiam ſi ſolam unam haberet filiam, nec plures liberos.*

k Et

k Et Numantinum fœdus.] *Hoſtilii Mantini conſulis, qui cùm triginta milia militum ſub ſignis haberet, à quatuor Numantinorum milibus victus, fœdus cum illis icere coactus eſt, ſibi & reipublicæ ignominioſum.*

l Volaverant.] *Solebant Romani in bellis ferre ſecum pullos in cavea, qui eos cu-* Pulli in auſpicio.
ſtodiebat, pullarius dicebatur. Si paſcebantur pulli avidè, bonum erat ſignum: ſi tam avidè, ut ex offa aliquid in terram decideret, optimum. Id enim erat tripudium ſoliſtimum, olim terripavium dicebatur, quod terram paviret, hoc eſt, feriret id quod ex ore pullorum caderet poſt tripudium. Soliſtimum verò quod in ſolum caderet. Soliſtimum.
Sic enim ſcribebatur in libris auguralibus: tripudium fieri, ſi quid ex offa pullorum in ſolum ceciderit. Ominoſum & triſte, ſi pulli non paſcerentur: ſicut P. Claudio Cæci filio. Pejus multò, ſi ex cavea fugerent. Augures, ut Feſtus docet, quinque ſignorum genera ſolebant obſervare: ex cœlo, ex avibus, ex tripudiis, ex quadrupedibus, ex diris.

m Exigua civitas.] *Sine muris, ſine turribus, vix quatuor bellatorum milia ad bellum emittebat. Origo belli fuit, quòd Sedigenſes conſanguineos ſuos hoſtes populi Romani victos ad ſe refugientes urbe & tectis excepiſſent.*

n Terrori.] *Cicero Numantiam & Carthaginem duos terrores imperii Romani appellat pro Murena.*

a SCipio ille Romæ, Italiæque liberator.] *Si quis alius unquam, certe de patria* F.L.Coq.
bene meritus, qui cum videret poſt Cannenſem cladem multos de relinquenda Italia conſultantes, ſtricto gladio coegit jurare ſe patriam non deſerturos. Liv. lib. 22. Oroſ. lib. 4. cap. 16. Idem annos natus 24. imperium in Hiſpania proconſulare ſortitus ultionem patris & patrui Pub. & Cn. Scipionum animo intendens Pyrenæum tranſgreſſus primo impetu novam Carthaginem cepit, ubi ſtipendia maxima, præſidia valida, copiæ auri argentique magnæ Pœnorum habebantur: Ibi etiam Magonem fratrem Annibalis captum cum cæteris Romam miſit, univerſa Hiſpania à Pyrenco usque ad Oceanum in provinciam redacta Romam rediit. Conſul cum Licinio Craſſo creatus tranſiit in Africam, ubi ſuperatis Carthaginenſibus illos eo neceſſitatis adegit, ut Annibalem coacti ſint viribus exhauſti in Africã ex Italia vel invitũ, poſtquam ſexdecim annos multis victoriis Romanos attriverat, revocare, qui memorabili illa pugna inter duos longe clariſſimos duces duorum opulentiſſimorum populorum, duos præterea fortiſſimos exercitus toties aſſuetos vincere, ſuperatus à Scipione, & deinde revocatus Carthaginem faſſus eſt in curia, non prælio modo ſe, ſed & bello victum, nec ſpem ſalutis alibi, quàm in pace impetrandam eſſe. *Livius libr. 30. Appian. in Lybico. Eutrop. lib. 3. cap. 5. Oroſ. lib. 4 cap. 19. contigit anno V. C 551.*

b Vita deſcribitur diis dedita.] Pub. Scipio Africanus antelucanis horis in Capitolium conſcendens in templo Jovis priùs contemplabundus ſedebat, quàm in ſenatum deſcenderet: ut ea quæ Reipublic. ſalutaria eſſent, deorum prius pace implorata invenire, & patribus proponere poſſet. Canes cuſtodes, qui in alios ſæviebant, in eum neque latrarunt unquam, neque incurrerunt. *Agell. lib. 7. cap. 1. unde &* Jovis filius *exiſtimatus eſt. Liv. lib. 26. Val. lib. 1. cap. 3. Author libri de Viris Illuſtrib. capit. 49. Sabell. Ennead. 5. libro 4. ſcribit Appian. libr. de Bellis*

Hiſpan. cum tum in Hiſpaniam miſſus eſſet ad bellum Carthaginenſibus inferendum, ſimulaſſe ſe nihil agere niſi à Deo præmonitum. Authore Polybio libro decimo. Neptunum ſibi apparuiſſe dicebat, & Carthaginem capi poſſe authore Deo aſſerebat.

γ Inimicorum accuſationibus ceſſit.] Duo Petilii tribuni plebis diem Scipioni Africano dixerunt, ſponte Linterni exulavit, & ibi egit ſine deſiderio urbis, moriens ſepulchro ſuo inſcribi juſſit: Ingrata patria, ne oſſa quidem mea habes. *Livius libro 38. Val. libro quinto, capit. tertio. Polyb. lib. 10. Strabo lib. 5. Appian. in Syriacis, Oroſ. lib. 4. cap. 20. Eo anno mortuus eſt, quo Annibal, & Philopemenes, Juſtin. lib. 32.*

δ Per Cn. Manlium.] *Eum T. Livius libr. 39. Cn. Manlium Volſonem nominat, & de Gallis qui Aſiam incolebant, qui hic Gallogræci, alias Galatæ dicuntur, triumphaſſe dicit. De Gallogræcis Juſtin. lib. 25.*

ε Aſiatica luxuria.] *Liv. lib. 39. ab V. C. 568.*

ζ Lex Voconia.] *Eam tulit Qu. Voconius Saxa Trib. Pleb. Cepione & Philippo Coſſ. anno V. C. 584.* Ne qui cenſus eſſet, virginem, aut mulierem, etiam unicam filiam hæredem inſtitueret. *M. Cato apud Cicer. lib. de Senectute teſtatur, ſe quinque & ſexaginta annos natum legem Voconiam voce magna, & bonis lateribus ſuaſiſſe. Ejusdem meminit Cicer. actu 3. in Verrem, orat. pro Cornelio Balbo, & libro ſecundo de finibus. Agellius libro ſeptimo, capit. 13. & libro decimo ſeptimo. cap. 6. Flor. in Epit. libro 41. (ubi* Volumnius *legitur pro* Voconius*) & Dio libro 56.* Auguſtus, *inquit,* quibusdam fœminis tribuit ut ſupra xxv. hæredes eſſe poſſent, licet hoc lex Voconia vetaret. *Ex quo conſtat, lege Voconia licuiſſe fœminæ quadrantem bonorum relinquere.* Cenſus *enim is dicebatur, qui* C. M. in profeſſione detuliſſet. *Pompon. Læt. de legib. Rom. cap. 31. vide Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 15.*

η Alterius Scipionis.] *Is eſt Scipio Æmylianus Pauli Æmilii, qui Perſem devicit, filius, Africani Majoris nepos adoptivus. Cum enim Scipio major Africanus filium haberet natura admodum tenui, & imbelli, isque nullos liberos ſuſtuliſſet, ne decederet ſine liberis, hunc Æmylianum P. Æmilii filium in nomen & familiam adoptavit, qui gloria militari illuſtris fuit. In Africam cum exercitu profectus, tertium Punicum bellum confecit; Carthaginem, & Numantiam funditus evertit. parta victoria, & rebus confectis cognomen Numantino, & minori Africano inditum eſt.*

ϑ Ab ſtirpe deleta eſt.] *Anno ab V. C. 606. & 50. poſt Punicum ſecundum, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Coſſ. 700. anno poſtquam condita fuerat, anno 4. tertii belli Punici. Appian. lib. de bellis Punicis, Carthaginis excidium ſcribit incidiſſe in 160. Olympiadem.*

ι Et Numantinum fœdus.] *Ut ex Vellejo libro 2. conſtat, primum fœdus turpiſſimum cum Numantinis iniit Qu. Pompeius Coſſ. anno V. C. 612. Alterum non minus turpe ac deteſtabile Mancinus anno V. C. 616.*

κ Volaverant enim pulli de cavea.] *Coſſ. M. Æmylio Lepido, & C. Hoſtilio Mancino cum Lavinii auſpicarentur, pulli cavea emiſſi in proximam caveam fugerunt, ſummaque diligentia quæſiti reperiri nequierunt: Cumque ab Herculis portu, quo pedibus pervenerat, navem conſcenderet, talis vox ſine ullo auctore ad ejus aures*

pervenit, Mancine mane. Cumque egreſſus poſtea navem Genua conſcendiſſet, anguis eximia magnitudinis viſus è conſpectu abiit, ipſe Conſul devictus mox Numantinis deditus. Cic. 3. offic. Appian. lib. de bellis Hiſpanic. Val. lib. 1. cap. 7. Liv. lib. 55. Jul. Obſeq. Auctor. de Viris illuſtrib. cap. 59. Eutrop. lib. 4. cap. 9. Oroſ. lib. 5. cap. 4. Mancinus Coſſ. *inquit*, poſtquam à Popilio apud Numantiam ſuſcepit exercitum, adeo prælia infœliciter cuncta geſſit, atque in id ſuprema adductus eſt deſperatione, ut turpiſſimum fœdus cum iisdem Numantinis facere cogeretur, quamvis & Pompejus æque infame jam aliud fœdus cum iisdem Numantinis paulo ante pepigiſſet, Senatus diſſoluit fœdus, & Mancinum tradi præcepit Numantinis, qui nudato corpore manibus poſt tergum revinctis ante portas Numantiæ eſt expoſitus: ibi usque ad noctem manens à ſuis deſertus, ab hoſtibus autem non receptus, illacrymabile utriſque ſpectaculum præbuit. *cap. 5. exprobrat Romanis hujuſmodi crudelitatem:* Mancinusne, *inquit*, dedendus fuit, qui victi exercitus impendentem trucidationem prætento umbone pacti fœderis diſpulit, qui periclitantes patriæ vires in meliora tempora reſervavit? Aut ſi diſplicuit fœdus, quod pactum eſt, cur miles hoc pignore redemptus, aut cum reverteretur, receptus eſt, aut cum repeteretur, redditus non eſt? Aut ſi placuit Senatui militis qualiſcumque proviſio, cur Mancinus, qui hoc pepigit, ſolus deditus fuit? *Mancini hujus meminit Plut. in Gracchorum vita. Et Plin. lib. 35. cap. 4. de eo ſcribit, quod primus Carthaginem irruperit, ſitum ejus, expugnationesque depictas in foro propoſuit: ipſe aſſiſtens populo ſpectanti ſingula enarrando, qua comitate proximis comitiis conſulatum adeptus eſt. Sed ut ad pullos unde digreſſi ſumus redeamus; Solebant Romani duces ferre ſecum pullos in cavea, ſi paſcebantur avide bonum omen; malum & triſte ſi non paſcerentur, pejus multo ſi ex cavea fugerent. Hanc ſuperſtitionem deridet Minut. in Octa.* Ante eos Romanos Deo diſpenſante diu regna tenuerunt Aſſyrii, Medi, Perſæ, Græci etiam & Ægyptii cum Pontifices, & Arvales, & Salios, Veſtales, & augures non haberent, nec pullos cavea recluſos, quorum cibo, vel faſtidio Reſpublica ſumma regeretur. Jam enim venio ad illa auguria, & auſpicia Romana, quæ ſummo labore collecta teſtatus es, *(Cecilio reſpondet)* & pœnitenter omiſſa, & obſervata fœliciter. Clodius ſcilicet & Flaminius, & Junius ideo exercitus perdiderunt; quod pullorum ſoliſtimum tripudium expectandum non putaverunt? Quid Regulus? nonne auguria ſervavit, & captus eſt? Mancinus religionem tenuit, & ſub jugum miſſus eſt & deditus? Pullos edaces habuit & Paulus apud Cannas, tamen cum majori Reipub. parte proſtratus eſt. Ca. Cæſar ne ante brumam in Africam navigia transmitteret auguriis, & auſpiciis renitentibus ſprevit, eo facilius & navigavit, & vicit.

λ Illa exigua civitas.] *Oroſ. lib. 5. cap. 7. ſcribit, tria millia paſſuum ambitu muri amplexam eſſe, quamvis aliqui aſſerant, ait, eam & parvo ſitu, & ſine muro fuiſſe. Appian. ſcribit Numantia ambitum fuiſſe 24. ſtadiorum.*

μ Romanum exercitum afflixerat.] *Flor. libro ſecundo, cap. 18.* Numantia quatuor millibus Celtiberorum, quadraginta millia exercitum per 14. annos ſola ſuſtinuit. *Eadem Oroſ. libro quinto capit. 7. Appian. in Hiſpan. ſcribit.* Numantinorum

norum ante bellum non fuiſſe amplius, quàm octo millia, quo numero tametſi exiguo, *inquit*, ob ſingularem virtutem, Romanos diu, multumque fatigarunt. *Eam Scipio Africanus minor, qui Carthaginem prius everterat, excidit. de quo Velleius libro ſecundo,* P. Scipio Africanus Æmilianus, qui Carthaginem deleverat, poſt tot acceptas circa Numantiam clades, creatus iterum Conſul miſſusque in Hiſpaniam fortunæ virtutique expertæ in Africa, reſpondit in Hiſpania, & intra annum ac tres menſes, quam eo venerat, circumdatam operibus Numantiam, exciſamque æquavit ſolo: nec quiſquam ullius gentis hominum ante eum clariore urbis excidio nomen ſuum perpetuæ commendavit memoriæ; quippe exſa Carthagine ac Numantia ab alterius nos metu, alterius vindicavit contumeliis. *Deleta fuit Numantia ab V. C. 619.*

CAP. XXII.

De Mithridatis edicto, quo omnes cives Romanos, qui intra Aſiam invenirentur, juſſit occidi.

SEd hæc inquam omitto, quamvis illud nequaquam tacuerim, *a* quòd *a* Mithridates rex Aſiæ, *β* ubique in Aſia peregrinantes cives Romanos, atque innumerabili copia ſuis negotiis intentos, uno die occidi juſſit: & factum eſt. Quàm illa miſerabilis rerum facies erat, ſubito quemque ubicunque fuiſſet inventus in agro, in via, in oppido, in domo, in vico, in foro, in templo, in lecto, in convivio, inopinatè atque impiè fuiſſe trucidatum? Quis gemitus morientium, quæ lachrymæ ſpectantium, fortaſſe etiam ferientium fuerunt? Quàm dura neceſſitas hoſpitum, non ſolùm videndi nefarias illas cædes domi ſuæ, verùm etiam perpetrandi: ab illa blandá comitate humanitatis, repente mutatis vultibus ad hoſtile negotium in pace peragendum, mutuis, ut ita dicam, omnino vulneribus: cùm percuſſus in corpore, & percuſſor in animo feriretur? Num & iſti omnes auguria contempſerant? Num Deos domeſticos & publicos cùm de ſedibus ſuis ad illam irremeabilem peregrinationem profecti ſunt, quos conſulerent, non habebant? Hoc ſi ita eſt, non habent cur iſti in hac cauſa de noſtris temporibus conquerantur. Olim Romani hæc vana contemnunt. Si autem conſuluerunt, reſpondeatur quid iſta profuerunt, quando per humanas duntaxat leges nemine prohibente talia licuerunt.

L. Vives. Mithridates quot fuerint.

a QUòd Mithridatis.] *Primus Mithridates ex genere fuit ſeptem illorum Perſarum, qui Magis imperium abſtulere, huic inimicus fuit Antigonus rex Syriæ, expulitque eum in Cappadociam, ubi poſtea regnavit: regnumque per manus filiis tradidit, illique à ſe genitis continua ſerie uſque ad ſextum nepotem. Sextus fuit Mithridates, qui bellum cum Romanis geſſit: vir ingenti corporis robore, nec minus animo atque ingenio potens. Sexjuges equos regebat, viginti duas diverſarum gentium ſonabat linguas, Magnusque eſt cognominatus. Hic primùm amicus fuit Rom. nam contra Ariſtonicum auxilia Craſſo Coſs. miſit: deinde ſuſcepto cum Nicomede rege Bithyniæ bello, alienatus eſt ab eis, ita in Phrygiam provinciam Rom. invaſit, pulſo Aquilio legato, mox Q. Oppium proconſulem & eundem Aquilium legatum in vincula con-*

la conjecit: literaſque per totam Aſiam ſuis præfectis miſit, ut certo quodam die, quicquid civium Romanorum in ſua ditione eſſet, trucidaretur: nec cuiquam vel dignitas, vel ætas, vel ſexus, vel locus, ad quem confugiſſet, prodeſſet: quòd illi ita, ut rex imperaverat, executi ſunt.

a MIthridates Rex Aſiæ.] *Scribit Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 2. Omnes Reges Ponti Mithridatis nomina ſumpſiſſe, & eum cum quo populus Rom. multiplex bellum geſſit, à primo Mithridate ſextum annumeratum, quem Eupatorem vocitarunt. Scribit tamen Appian. in Mithridate, decimum ſextum fuiſſe ejus ſtirpis à Dario Perſarum Rege ultimo, octavum à Mithridate illo, qui primus deſertis Macedonibus Pontici regni fuit conditor.*

β Ubique in Aſia peregrinantes cives Romanos.] *Hujus edicti crudeliſſimi Mithridatis, quo præcepit ut uno die omnes Romani cives, qui per Aſiam inventi eſſent, necarentur, meminit Cic. orat. pro lege Manilia. Appian. in Mithridatico. Liv. lib. 78. Flor. lib. 3. cap. Eutrop. lib. 5. & Oroſ. lib. 6. cap. 2.* Nec explicari verbis poteſt, *inquit*, quæ tunc multitudo Romanorum civium cæſa ſit, quis mœror plurimarum provinciarum, quis gemitus occidendorum pariter, atque occidentium fuerit, cum ſinguli quique aut prodere innocentes hoſpites, & amicos, aut ipſi periclitari pœna hoſpitum cogerentur.

CAP. XXIII.

De interioribus malis, quibus Romana reſp. exagitata eſt, præcedente prodigio, quod in rabie omnium animalium, quæ hominibus ſerviunt, fuit.

SEd jam illa mala breviter quantum poſſumus, commemoremus: quæ quantò interiora, tantò miſeriora extiterunt: α diſcordiæ civiles, vel potius inciviles: nec jam ſeditiones, ſed etiam ipſa bella urbana, ubi tantus ſanguis effuſus eſt: ubi partium ſtudia, non contentionum diſſenſionibus, a variiſque vocibus in alterutrum, ſed planè jam ferro armiſque ſæviebant: bella ſocialia, bella ſervilia, bella civilia quantum Romanum cruorem fuderunt, quantam Italiæ vaſtationem deſertionemque fecerunt? nam antea quàm ſe adverſus Romam b β ſociale Latium commoveret, c cuncta animalia humanis uſibus ſubdita, canes, equi, aſini, boves, & quæque alia pecora ſub hominum dominio fuerunt, ſubito efferata & domeſticæ lenitatis oblita, relictis tectis, libera vagabantur: & omnem non ſolùm aliorum, verùm etiam dominorum averſabantur acceſſum, non ſine exitio vel periculo audentis, ſi quis de proximo urgeret. d γ Quod quanti mali ſignum fuit? Quòd ſi hoc ſignum fuit, quod tantum malum fuit, quantum malum fuit illud, cujus hoc ſignum fuit? Hoc ſi noſtris temporibus accidiſſet, rabidiores iſtos quàm illi ſua animalia pateremur. *Prodigium ex efferatione animalium.*

a VAriiſque vocibus.] *Nam antea convitiis, jurgiis, rixis, verborum velitatione res agebatur, manibus abſtinebatur.* *L. Vives. Sociale bellum.*

b Sociale Latium.] *Cùm adverſus potentiam equitum, qui judiciis præerant, lege C. Gracchi, ſenatus M. Livium Druſum tribunum plebis curaſſet creandum, Livius*

quo majoribus viribus cauſam optimatium tueretur, ſocios & Italicos populos ut ſecum conſentirent, ſpe civitatis ſolicitarit. Hanc ſpem cùm altè imbibiſſent Italici omnes, nec Livio repentè mortuo fides exolveretur, primùm Picentes ceperunt arma. Hos ſecuti ſunt Veſtini, Marſi, Latini, Peligni, Marucini, Lucani, Samnites, conſulibus Sex. Julio Cæſare, L. Martio Philippo, ab V. C. DCLXII. *ann. variè geſtum, varia fortuna partium. Tandem Italici populi ſubacti ſunt à diverſis Imperatoribus. Hiſtoria eſt à multis conſcripta, Livio, Floro, Plutarcho, Oroſio, Vellejo, Appiano.*

b Sociale Latium.] *A Latinis cœpit initium motus, qui feriis Latinis in monte Albano Cæſarem & Philippum Coſſ. Rom. decreverant obtruncare.*

c Cuncta animalia humanis uſibus.] *Oroſius lib. 5. Julius Obſequens in Prodigiis de hoc tempore: Armenta in tantam rabiem concitata ſunt, ut vaſtando ſuos hoſtile imaginarentur bellum, lachrymantesque multis affectibus calamitatem præſagirent ſuis.*

d Quod quanti mali ſignum.] *In antiquis codicibus ſic habetur: De proximo urgeret, quanti mali ſignum fuit, ſi hoc ſignum, quod tantum malum, ſi etiam ſignum non fuit. Puto & hic legendum etiam, ſi ſignum non fuit: ut ſignificet Auguſtinus, neceſſe eſſe illud malum fuiſſe atrox & pernicioſiſſimum, cujus ſignum erat tale, ut ipſum per ſe etiam ſi alterius mali prænuncium non eſſet, maximum & cumprimis horrendum erat. Lectio codicis impreſſi mihi non improbatur, tametſi ſenſus manet utrobique idem.*

22. Cap. *α* DIſcordiæ civiles, vel potius inciviles.] *Alludit ad ſignificationem nominis: Civile pro juſto, æquo, legitimo accipi ſolet. è diverſo incivile, inhoneſtum, illicitum, iniquum, & contra juris ordinem: ita civiles diſcordiæ, id eſt inhoneſtæ, illicitæ, violentæ, aſperæ, ſævæ. Vide Turneb. lib. 5. Adverſ. cap. 11.*

β Sociale Latinum.] *Incidit in annum V. 663. Coſſ. Sexto Julio Cæſare, & L. M. Philippo, de quo vide Oroſ. lib. 5. cap. 18. Qui vult incidiſſe in annum 659. & illud fuſe deſcribit. Multa præterea prodigia præceſſiſſe refert, quæ & Jul. Obſeq. latiſſime commemorat, & quæ de animalibus & beſtiis hic habet Auguſt. non omittit.* Omnium generum animalia, *inquit*, quæ manus hominum blande perpeti, atque inter homines vivere ſolita erant, relictis ſtabulis, paſcuiſque, cum balatu, hinnitu, mugituque miſerabili ad ſylvas, monteſque fugerunt. Canes quoque quorum natura eſt, eſſe non poſſe lacrymoſis ululatibus, vagi luporum ritu oberrarunt. *Eſt hoc bellum* Sociale *appellatum &* Marſicum: Sociale, *quoniam omne Latium, & Picenum, & Etruria omnis, atque Campania, poſtremo tota fere Italia in parentem Romam conſpirarunt:* Marſicum, *quoniam à* Marſis *defectionis cœpit initium. Hæc vero fuit occaſio belli: ſiquidem primo Fulvius Flaccus, ac Gracchus minor, deinde Livius Druſus Trib. Pleb. Latinos omnes ſpe libertatis illectos, cum placita explere non poſſent, ad arma concitarunt. De hoc bello Liv. lib. 71. & ſeq. Flor. lib. 3. cap. 18. Appian. lib. 1. Civil. Velle. lib. 2. Eutrop. lib. 5. cap. 1. vult incidiſſe in annum ab V. C. 658. Plin. lib. 33. cap. 1.* Inter Cepionem & Druſum ex annulo, & auctione venali inimicitiæ cœpere, unde origo ſocialis belli, & exitia rerum.

γ Quod quanti mali ſignum fuit?] *Neceſſe fuit, quod portendebatur horren-*

dum & triſte admodum fuiſſe, cum portenta ejuſmodi eſſent, ut homines adeo terrerent. Oroſ. loco cit. Continuo atrociſſimam perniciem infamiſſima præceſſere prodigia.

CAP. XXIV.

De diſcordia civili, quam Gracchiæ ſeditiones excitaverunt.

INitium *α* autem civilium bellorum fuit, *β* ſeditiones *a* Gracchorum, agrariis legibus excitatæ. Volebant enim agros populo dividere, quos nobilitas perperam poſſidebat. Sed eis tam vetuſtam iniquitatem audere convellere periculoſiſſimum, imò verò ut ipſa res docuit, pernicioſiſſimum fuit. *γ* Quæ funera facta ſunt, cùm prior Gracchus occiſus eſt: quæ etiam *δ* cùm alius frater ejus non longo interpoſito tempore. *Cædes promiſſa.* Neque enim legibus & ordine poteſtatum, ſed turbis animorumque conflictibus nobiles ignobileſque necabantur. Poſt Gracchi alterius interfectionem, *ε* Lucius Opimius conſul, qui adverſus eum intra urbem arma commoverat, eoque cum ſociis oppreſſo & extincto, ingentem civium ſtragem fecerat, cùm quæſtionem haberet jam judiciaria inquiſitione cæteros perſequens, tria millia hominum occidiſſe perhibetur. Ex quo intelligi poteſt, quantam multitudinem † mortium habere potuerit turbidus conflictus armorum, quando tantam habuit judiciorum velut examinata cognitio. *al. mortuorum.* *b* Percuſſor Gracchi ipſius caput quantum grave erat, *ζ* tanto auri pondere conſuli vendidit. *η* Hæc enim pactio cædem præceſſerat. In qua etiam occiſus eſt cum liberis *c θ* Marcus Fulvius conſularis.

a GRacchorum.] *De his alibi dixi, major fuit Tiberius, minor Cajus. Tiberius novem annis ante Cajum eſt cæſus, res eſt nota. nullus ſcriptor non meminit, Plutarchus, Appianus, Valerius, Cicero, Oroſius, Saluſtius, Florus, & alii.* *L.Vivés.*

b Percuſſor Gracchi.] *C. Gracchus cùm videret ſuam manum à conſule & ſenatu loco pelli, in lucum Furinæ confugit. L. Opimius conſul ſe Gracchi caput auro repenſurum per præconem juſſit pronunciari. Ita Septimuleius Anagninus familiaris Graccho cùm placidè in lucum veniſſet, multa prius familiariter, ut ſolebat, collocutus cum Graccho ipſum nihil ſuſpicantem confodit, caputque abſcidit, & quo eſſet gravius, pro cerebro, quòd eruerat, plumbum infudit. Porrò L. Opimius conſul fuit cum Q. Fabio Maximo Pauli nepote Gracchi propinquo.* *Cajus Gracchus.*

c Marcus Fulvius conſularis.] *Quinto antè anno conſul fuerat cum M. Plautio.* *F.L.Cos.*

α INitium bellorum civilium.] *Teſtatur Dionyſ. lib. 2.* Romanis adeo firma coaluit concordia, ut per 630. annos nunquam ventum ſit ad cædem & ſanguinem, multis licet ac magnis inter plebem, ac nobilitatem ortis controverſiis de Repub. ut ſolet fieri in omnibus tam magnis, quam parvis civitatibus, ſed parentes, & monentes mutuum, & partim concedentes, partim impetrantes à volentibus per expoſtulationes civiles, componebant negotia: Ex quo autem C. Gracchus Tribunatum Pl. adeptus, perturbavit civitatis concordiam, ſine fine occidunt ſe mutuum, & ex urbe ejiciunt, nullum nefas non patrantes propter victoriam.

β Seditiones Gracchorum.] *Tiberius Grachus Trib. Pleb. ut ſibi populi animos con-*

conciliaret, legem tulit de agrorum diviſione, & C. Octavio Collega magiſtratum abrogavit, eo quod ſibi adverſaretur. Itaque ab optimatibus auctore P. Corn. Naſica occiſus eſt in Capitolio, fragmentis ſubſellii ictus, & cum aliis, qui in eadem ſeditione caſi fuerant, in Tyberim projectus. Idque accidit anno V. C. 620. Plut. in Gracchorum vita. Liv. lib. 58. Appian. lib. 1. Civil. Vell. lib. 2. Oroſ. lib. 5. cap. 9.

γ Quæ funera facta ſunt, cum prior Gracchus.] *Oroſ.* Ducenti in ea ſeditione interfecti, eorumque corpora in Tyberim projecta ſunt, ipſius quoque Gracchi inhumatum corpus extabuit.

δ Cum alius frater ejus.] *C. Gracchus poſt occiſum fratrem annis decem ipſe etiam interfectus eſt, cum per biennium Tribunus Pleb. Rempub. ſeditioſis legibus perturbaſſet. Cic. in Catil. orat. 1.* Decrevit Senatus, ut L. Opimius Conſul videret, ne quid detrimenti Reſp. caperet, nox nulla interceſſit, mox interfectus eſt, propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones C. Grachus, clariſſimo patre natus, avis, majoribus. *Idem de eodem orat. de Aruſp. reſponſ.* C. Gracchus quo ingenio? quanta vi, quanta gravitate dicendi? ut dolerent boni omnes, non illa tanta ornamenta ad meliorem mentem, voluntatemque eſſe converſa.

ε L. Opimius Coſ.] *Oroſ. lib. 5. cap. 11.* Ex factione Gracchi 250. in Aventino cæſi referuntur. Opimius Coſſ. ſicut in bello fuit fortis, ita in quæſtione crudelis: nam amplius quam tria millia hominum ſuppliciis necavit, ex quibus plurimi ne dicta quidem cauſa innocentes interfecti ſunt.

ζ Tanto auri pondere.] *Id unum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis, non dicam Gracchi, ſed civis Romani pretium ſe daturum, idque auro repenſurum propoſuit.*

η Hæc enim pactio cædem præceſſerat.] *Plut. in Gracchis:* Promiſſum erat in principio pugnæ, ut qui Caji, & Fulvii capita referret, æquum auri pondus ex publico acciperet. Relatum eſt igitur à Septimulejo pilo transfixum, ſtateræ deinde impoſitum librarum decem & ſeptem ac dimidiæ pondus traxit, Septimuleio improbe machinato: nam detracto cerebro, plumbum infuderat.

ϑ M. Fulvius Conſularis.] *Quinque annos antea cum M. Plautio Conſulatum geſſerat.*

Cap. XXV.

De æde Concordiæ, ex ſenatusconſulto in loco ſeditionum & cædium condita.

ELeganti ſanè ſenatusconſulto *a* eo ipſo loco ubi funereus tumultus ille commiſſus eſt, ubi tot cives ordinis cujusque ceciderunt, *b a* ædes Concordiæ facta eſt, ut Gracchorum pœnæ teſtis *c* concionantium oculos feriret, memoriamque compungeret. Sed hoc quid aliud fuit, quàm irriſio Deorum? Illi Deæ templum conſtituere, quæ ſi eſſet in civitate, non tantis diſſentionibus dilacerata corrueret? Niſi fortè ſceleris hujus rea Concordia, quia deſeruerat animos civium, meruit in illa æde tanquàm in carcere includi. Cur enim ſi rebus geſtis congruere voluerunt, non ibi potius ædem Diſcordiæ fabricaverunt? An

β ulla

Nulla ratio redditur, cur Concordia Dea ſit, & Diſcordia Dea non ſit: ut ſecundum Labeonis diſtinctionem bona ſit iſta, illa verò mala? Nec ipſe aliud ſecutus videtur, quàm quòd advertit Romæ etiam γ Febri, ſicut Saluti templi conſtitutum. Eo igitur modo, non tantùm Concordiæ, verùm etiam Diſcordiæ conſtitui debuit. Periculoſè itaque Romani tam mala Dea irata vivere voluerunt, *d* δnec Trojanum excidium recoluerunt originem ab ejus offenſione ſumpſiſſe. Ipſa quippe quia inter Deos non fuerat invitata, trium Dearum litem aurei mali ſuppoſitione commentata eſt. Unde rixa numinum, & Venus victrix, & rapta Helena, & Troja deleta eſt. Quapropter ſi fortè indignata, quòd inter Deos in urbe nullum templum habere meruit, ideò jam turbabat tantis tumultibus civitatem, quantò atrocius potuit irritari, cùm in loco illius cædis, hoc eſt, in loco ſui operis adverſariæ ſuæ conſtitutam ædem eſſe videret? Hæc vana ridentibus nobis illi docti ſapienteſque ſtomachantur, & tamen numinum bonorum malorumque cultores de hac quæſtione Concordiæ Diſcordiæque non exeunt, ſive prætermiſerint harum Dearum cultum, eiſque Febrem Bellonamque prætulerint, quibus antiqua fana fecerunt: ſive & illas coluerint, cum ſic eos diſcedente Concordia, Diſcordia ſæviens uſque ad civilia bella perduxerit.

a EO ipſo loco.] *Appianus in foro dicit. Idem Varro & P. Victor de Regionibus urbis, octava regione ponit: id eſt, in foro Romano, cùm pugna ſit commiſſa in Aventino, tametſi incepta ad Capitolium.* L. Victor.

b Ædes Concordiæ.] *Ædes Concordiæ Romæ fuerunt plures, vetuſtiſſima quam propter ſeceſſionem militarem vovit extruxitque M. Furius Camillus: de qua Ovidius primo Faſtorum. Neſcio an eadem ſit, quam Flavius ædilis in Area Vulcani maxima nobilitatis invidia dicavit, P. Sulpitio, Sempronio Coſſ. Livius libro 9. Credo non eſſe eandem. Altera eſt, quam vovit L. Manlius prætor etiam propter ſeditionem militarem in Gallia. Facienda eſt locata à Duumviris, Gn. Puppio Cæſone, Quintio Flaminio ad hoc creatis à prætore urbis, dicata in arce à M. & Gn. Attiliis. Livius libro vigeſimo ſecundo & vigeſimo tertio. Tertia eſt in foro Romano, prope Græcoſtaſim ædificata à L. Opimio conſule, deletis Gracchanis partibus, ubi eſt etiam baſilica Opimia. Varro libro 3. de lingua Latina. Erecta eſt ea ædes ingenti indignatione populi Romani, ad quam etiam cùm conſtrueretur, inſcriptum eſt: Opus Vecordiæ. Quarta ædes Concordiæ poſita eſt à Livia Auguſta, niſi eadem ſit antiquiſſima, quam fecerat Camillus, reparata à Livia, quòd vetuſtate laberetur: de qua Ovidius primo Faſtorum. Feriæ hujus xviij. Calend. Februarias.* Ædes Concordiæ plures.

c Concionantium.] *Tribunorum & eorum, qui cum populo agebant: ne quid apud populum de ſenatu parum honorificè auderent dicere, exemplo Gracchi, cujus facinoris illud eſſet monumentum, deterriti.*

d Nec Trojanum excidium.] *Cùm ad nuptias Pelei & Tethidis Diſcordia ſola invitata non eſſet, indignata aureum in convivium malum immiſit, ſic inſcriptum, ἡ καλὴ λαβέτω, id eſt, pulchra accipiat. Hinc de forma inter Venerem, Minervam, & Junonem orta contentio. Itumque eſt ad Paridem judicem, ex quo judicio natum eſt illud malorum pelagus belli Trojani.* Belli Trojani origo.

L.L.Cap. α ÆDes concordiæ facta eſt.] *Ædes concordiæ plures Romæ fuiſſe conſtat: Nam Camillus auctore Plutarcho concordiæ templum, ſi plebem patribus reconciliaſſet, vovit. Reconciliato itaque populo cum Senatu, decretum eſt ut Camillus, ut voverat, ingens pro rebus bene geſtis concordiæ templum moliretur, & hoc templum Camillus exſtruxit in valle, quæ eſt inter Capitolium & Palatinum montem. Barthol. Marlian. lib. 2. Rom. Antiq. cap. 11. deinde in area Vulcani concordiæ ædem C. Flavi. Ædilis libertino patre natus (303. poſt Capitolii extructionem) ſi populo ordines reconciliaſſet, vovit: extructa deinde ex condemnatorum fœneratorum multaticia pecunia in Palatini radicibus. Liv. lib. 9. Plin. lib. 33. cap. 1. Aliam etiam ædem concordiæ L. Manlius prætor in Gallia voverat occaſione ſeditionis militaris: itaque biennio poſt, cum in religionem veniſſet, ad id tempus eam locatam non eſſe, Duumviri ad eam rem creati ab Æmilio prætore urbis Cn. Pupius Cæſo & Q. Flaminius ædem in arce faciendam locaverunt. auctor Livius lib. 22. & libro 23. Duumviri creati M. & C. Attilii ædem Concordiæ, quam L. Manlius prætor voverat, dedicaverunt. Quarta cujus hic meminit Auguſt. conſtructa ab Opimio Conſule. deletis Gracchicis partibus in foro, ut vult Appian. ex S. C. De templo Concordiæ ab Opimio conſtructo ita Plutarch. in Gracchis:* Super omnia plebem afflixit templum Concordiæ ab Opimio conſtructum: Jactatio enim quædam viſa eſt atque ſuperbia, & quaſi de nece Romanorum civium triumphus. Itaque per noctem ſub ipſius templi hypogrammate quidam ſcripſerunt hunc verſum: Opus væcordiæ templum Concordiæ facit. *Teſtatur etiam Dion. lib. 44. pacatis rebus, & Cæſare jam rerum potito novum concordiæ templum ædificari populum juſſiſſe, & annuum ibi feſtum celebrari, quod Cæſar ipſis pacem reſtituiſſet. Anno etiam V. C. 764. ædem concordiæ Tiberium ſacraſſe teſtatur Dion. lib. 56. Et Sueton. in Tiberio capit. 20.* Concordiæ ædes apud Romanos nullam aliam ob cauſam ædificatas conſtat, quam ut hominum inter ſe odia, & ſimultates, quibus Reſpub. fluctuaretur, in eis factis ſacrificiis deponerentur. *Ideoque legimus apud Xiphilinum in epitome Dionis in Antonino Caracalla: Severo Imperatore morbo extincto, cum odium inter Antoninum & Getam fratres eſſet exortum, decreviſſe Senatum, ut pro concordia utriusque diis ſacrificaretur, ac præſertim ipſi concordiæ. Vide Lilium Girald. hiſt. Deor. Syntagm. 1.*

β An ulla ratio redditur.] *Factum Romanorum arguit, qui concordiæ templa extruxerunt primo, quia ſi ad ea, quæ geſta ſunt, animam & oculos intendant, diſcordiæ potius extruere debuerunt: deinde non eſt major ratio, cur concordia dea habenda ſit, quàm diſcordia; cum Labeo numina ut alia bona, ita alia mala eſſe velit. denique Romani non minus febri, quam ſaluti templum conſtituerunt, cur non etiam diſcordiam, ut concordiam numinis loco habuerunt? Et certe Arnob. lib. 7. adverſus Gentes Romanos ita perſtringit :* Bellonas, diſcordias, Furias, & læva illa, quæ conſtituitis numina, taciturnitatis ſilentio prætérimus.

γ Febri ſicut Saluti.] *Febri apud Romanos fana publicè dicata. & aras conſecratas fuiſſe, non hic modo Auguſt. teſtatur, ſed & infra lib. 4. cap. 23. & lib. 6. capit. 10. & libro primo, de conſenſu Evang. cap. 16.* Pallori, *inquit*, & Febri fana Romani conſtituerunt, & cacodæmones placandos monent, ne noceant. *Idem teſtatur*

Cic.

Cic. 2. de legib. & lib. 2. de nat. deor. Plin. lib. 2. cap. 7. Val. lib. 2. cap. 5. Arian. in Epicteto libro 1. capit. 22. Minut. in Octa. Lactant. libro primo, cap. 20.

δ Nec Trojanum excidium.] *Cum ad nuptias Pelei, & Thetidis ſola diſcordia invitata non eſſet, indignata ſe contemptam, aureum malum cum hac inſcriptione in convivium immiſit ἡ καλὴ λαϐέτω. hinc orta contentio inter deas judex adhibitus Paris, atque ex eo judicio funeſtiſſimum illud natum bellum Trojanum, atque tantum excidium Trojæ*, ſic, *inquit*, fortaſſe quod contempta à Romanis nullam ædem ſacram, aut templum Romæ haberet, & poſthabita ſit Febri ac Bellonæ, tot mala, ac ſeditiones, utque ad bella civilia longe funeſtiſſima Reipub. in eos immiſit.

Cap. XXVI.

De diverſis generibus belli, quæ poſt conditam ædem Concordiæ ſunt ſecuta.

PRæclarum α verò ſeditionibus obſtaculum, ædem Concordiæ teſtem cædis ſupplicii que Gracchorum concionantibus opponendam putarunt. Quantum ex hoc profecerint, indicant ſecuta pejora. Laborarunt enim deinceps concionatores non exemplum devitare Gracchorum, ſed ſuperare propoſitum. β L. *a* Saturninus trib. plebis, *b* & γ C. Cæſar, Servilius prætor, *c* & multò pòſt *d* δ Marcus Druſus, quorum omnium ſeditionibus cædes primò jam tunc graviſſimæ, *e* deinde ſocialia bella exarſerunt: quibus Italia vehementer afflicta, & ζ ad vaſtitatem miſerabilem deſertionemque perducta eſt. η *e* Bellum deinde ſervile ſucceſſit, & bella civilia: in quibus quæ prælia commiſſa ſint, quid ſanguinis fuſum, ut omnes ferè Italiæ gentes quibus Romanum maximè præpollebat imperium, tanquam ſæva barbaries domarentur. Jam ex pauciſſimis, hoc eſt, θ minus quàm ſeptuaginta gladiatoribus quemadmodum bellum ſervile contractum ſit, ad quantum numerum & quàm acrem ferocemque pervenerit: quos ille numerus Imperatores populi Romani ſuperaverit, quas & quomodo civitates regioneſque vaſtaverit, ι vix qui hiſtoriam ſcripſerunt, ſatis explicare potuerunt. Neque id ſolum fuit ſervile bellum, ſed & Macedoniam provinciam prius ſervitia depopulata ſunt, deinde Siciliam oramque maritimam. Quanta etiam & quam horrenda commiſerint primò latrocinia, deinde κ valida bella piratæ, quis pro magnitudine rerum valeat eloqui?

a SAturninus.] *Gn. Apuleius Saturninus trib. pleb. cùm rempub. legibus agrariis turbaret, à C. Mario ſextum, & L. Valerio Flacco Coſſ. quibus ſenatus dederat negotium, ut viderent, ut ne quid reſpub. detrimenti caperet, occiſus eſt: cùm tamen legem ferret, ut Mario gratificaretur.* L. Firmi.

b Et C. Cæſar.] *Cæſar eſt additum, nec eſt in veteribus libris, ſed ſolùm C. Servilius Glaucia prætor, qui cum Saturnino faciebat. Cicero in Bruto: Seditioſorum poſt Gracchos L. Apulejus Saturninus eloquentiſſimus viſus eſt. Magis ipſe tum & motu atque ipſo amictu capiebat homines, quàm aut dicendi copia, aut mediocritate prudentia. Longè autem poſt natos homines improbiſſimus C. Servilius Glaucia, ſed peracu-* Glaucia Saturninum.

acutus & callidus, cum primiſque ridiculus, is cùm ex ſummis & fortunæ & vitæ ſordibus in prætura conſul factus eſſet, ſi rationem ejus haberi liceret judicatum eſſet. Nam & plebem tenebat, & equeſtrem ordinem beneficio legis devinxerat. Is prætor eodem die, quo Saturninus tribunus plebis, Mario & Flacco Coſſ. publicè eſt interfectus. Hæc apud Ciceronem. Si quis tamen C. Cæſarem legi vellet, non erraret omnino. Sed tempora non congruerent. Nam hic, qui frater fuit L. Cæſaris concionibus ſuis populum Rom. movit, ejuſque nimia cum Sulpitio trib. pleb. contentio cauſa fuit belli civilis Mariani, ut Pædianus memoriæ mandavit, hunc Cæſarem Cicero in Bruto ſcribit, ædilem curulem quotidiè conciones habuiſſe.

c Et multò poſt.] *Legendum, non multò poſt, nempe ſeptem annis: tot enim ſunt à Saturnino tribuno ad Livium tribunum, id eſt, à Mario & Flacco Coſſ. ad Flaccum & Herennium Coſſ.*

Marc. Druſus. d M. Druſus.] *M. Livius Druſus, de quo antè dixi, nobili genere, & ad dicendum paratus, ſuperbiſſimus omnium Rom. qui cùm à ſenatu vocaretur, ſenatum potius ad ſe venire juſſit, & ſenatus paruit. Hujus patrem ſenatus patronum appellavit.*

Bellum ſervile. e Bellum deinde ſervile.] *In Sicilia bellum ſervile eſt excitatum ante ſociale ab Euno Syro quodam, qui ſe furore magnæ matris Deûm correptum ſimulavit, ſexaginta milia hominum ſunt ab eo coacta, & prætores quatuor victi, caſtraque ab eis capta. Perpenna fugitivos tandem obſeſſos vicit. Paulò pòſt Cleon Cilix alterum bellum ſervile in eadem inſula excitavit, ingentes conflatæ copiæ, & prætores ſicut antea victi, & caſtris executi, bellum M. Aquilius confecit. In Italia bellum ſervile à Spartaco & Chryſo motum, qui cum quatuor & ſeptuaginta gladiatoribus eo ludo Lentuli, qui erat Capuæ, profugerunt, quibus ſe ingens ſervorum manus adjunxit. P. Varenum prætorem, & Claudium Pulchrum legatum, qui primi ipſis armati occurrêre, vicerunt. Deinde Chryſus cum ſuis copiis à Q. Vario prætore cæſus eſt. Spartacus, qui ſuperfuit, cum conſule Lentulo primùm, deinde cum L. Gellio, & Q. Ario prætore: poſt cum Caſſio proconſule, & Gn. Manlio prætore proſperè conflixit. Ad poſtremum M. Craſſus prætor ipſum ſuperavit, exercitumq; ejus delevit.*

Bellum piraticum. f Quanta etiam &c. latrocinia.] *Cilices piratæ mare infeſtum cùm redderent, miſſus eſt adverſus eos P. Servilius proconſul, qui Iſauros & aliquot alias eorum urbes expugnavit: quo digreſſo ipſi validiores inſurrexerunt, & ad Cajetam uſque Miſenum & Oſtiam cum magno Romanorum terrore & dedecore prædabundi pervenere. Gn. Pompejus lege Gabinia Imperator adverſus eos creatus, toto mari intra quadraginta dies expulit. Livius libro 99. & Cicero pro lege Manilia, L. Florus, & alii.*

F.L.Cog. a PRæclarum vero ſeditionibus.] *Etſi Romani concordiæ ut divino numini cultum adhibuerint, eique fana, & aras conſecrarint, nihil tamen profuiſſe, nec finem impoſuiſſe malis, aut ſeditionibus, hoc cap. docet.*

b L. Saturninus. Trib. Pleb.] *Hic ſeditioſus fuit civis, qui cum multa in Rempub. moliretur, eamque pernitioſis legibus perturbaret, ſumptis ex S. C. armis in Capitolio occiſus eſt à Scæva quodam Qu. Crotonis ſervo, cui idcirco libertas præmii loco data. 36. annis poſt ejus necem C. Rabirius à T. Labieno in judicium vocatus, & perduellionis reus factus eſt, quod diceret Saturninum ab eo occiſum. A Cicerone defenſus fuit*

fuit oratione, quæ pro C. Rabirio perduellionis reo inſcribitur, ubi multa de hoc Saturnio. De ſeditione & tumultu excitato in urbe per L. Apulejum Saturninum, & de cæde, quæ inde ſecuta eſt, vide etiam Epitom. Livii lib. 69. Plutarch. in Mario. Flor. lib. 3. Appian. lib. 1. Civil. Auctorem libri de vir. Ill. cap. 67. Oroſ. lib. 5. cap. 17.

γ C. Servilius Glaucia.] *Sexto Conſulatu Marii interfectos fuiſſe L. Apulejum Saturninum, & Servilium Glauciam, teſtatur Vell. lib. 2. his verbis:* Servilii Glauciæ, Saturninique Apuleji furorem, continuatis honoribus lacerantium Rempub. & gladiis quoque, & cæde comitia diſcutientium Conſul armis compeſcuit, hominesque exitiabiles in Hoſtilia curia morte mulctavit. *De hoc Servilio ita Cic. in Bruto:* Longe poſt homines natos improbiſſimus Servilius Glaucia, ſed peracutus & callidus, cum primisque ridiculus. Is ex ſummis & fortunæ & vitæ ſordibus in Prætura, Conſul factus eſſet, ſi rationem ejus haberi licere judicatum eſſet: nam & plebem tenebat, & beneficio legis equeſtrem ordinem devinxerat. Is Prætor eodem die, quo Saturninus Trib. Pleb. Mario, & Flavio Coſſ. publice eſt interfectus, homo ſimillimus Athenienſis Hyperboli, cujus improbitatem veteres Atticorum comœdiæ notaverunt.

δ M. Druſus.] *M. Livius Druſus Trib. Pleb. ſeditionem Romæ commovit, & populos Italicos, & populi Rom. ſocios ſibi adjunxit, & de civitate Romana illis danda leges ſanxit. Scribit tamen Vell. longe aliam fuiſſe ejus necem, quam ſuperiorum:* Fuit, *inquit*, vir nobiliſſimus, eloquentiſſimus, ſanctiſſimus, meliore in omnia ingenio, animoque, quàm fortuna uſus, qui cum Senatui priſcum reſtituere cuperet decus, & judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem, (quippe eam poteſtatem nacti equites Gracchanis legibus cum in multos clariſſimos, & innocentiſſimos viros ſæviſſent; tum P. Rutilium virum non ſæculi ſui, ſed omnis ævi optimum, interrogatum lege repetundarum maximo cum gemitu civitatis damnaverunt,) in his ipſis, quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit adverſarium, non intelligentem ſi qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti illiciendæ, ineſcandæque multitudinis cauſa fieri, ut minoribus perceptis, majora permitteret. *Denique ea fortuna Druſi fuit, ut malefacta collegarum, quam ejus optime cogitata Senatus probaret magis, & honorem, qui ab eo deferebatur, ſperneret, injurias, quæ ab aliis intendebantur, æquo animo reciperet, & hujus ſummæ gloriæ invideret, illorum modicam ferret. Tum converſus Druſi animus quando bene cœpta male cedebant, ad dandam civitatem Italiæ: quod cum moliens revertiſſet à foro, immenſa illa & incondita, quæ ſemper eum comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus ſuæ gladio percuſſus, qui affixus lateri ejus relictus eſt, intra paucas horas deceſſit. Vide Livii Epit. libro ſeptimo, Appian. libro primo, Civil. Flor. lib. tertio. Oroſ. lib. 5. cap. 16.*

ε Deinde ſocialia bella.] *Cauſam belli fuiſſe juſtiſſimam ſociis contra Romanos, ſcribit Vell. libro ſecundo.* Petebant enim eam civitatem, cujus imperium armis tuebantur per omnes annos, atque omnia bella, duplici numero ſe militum, equitumque fungi, neque in ejus civitatis jus recipi, quæ per eos in idipſum perve-

 venis-

veniſſet faſtigium, per quod homines ejusdem & gentis & ſanguinis, ut externos alienosque faſtidire poſſet.

ζ Ad vaſtitatem miſerabilem, deſertionemque.] *Teſtatur Vell. id bellum amplius ccc. M. juventutis Italiæ abſtuliſſe. In Eutropio longe minor numerus, qui de bello Sociali & Civili ita ſcribit lib.* conſumpſerunt ultra CL. M. hominum, viros conſulares 24. Prætorios 7, Senatores fere *300. qui idem numerus in Oroſ. lib. 5. cap. 22.*

η Bellum deinde Servile.] *Primum Servile bellum excitavit in Sicilia Eunus quidam Syrus ſervus anno 2. Olympia. 161. V. C. 616. Coſſ. Fulvio & Calphurnio. Hic contracta agreſtium ſervorum manu & ſolutis ergaſtulis juſti exercitus numerum implevit. Cleon alter ſervus ad LXX. millia ſervorum contraxit, & copiis junctis contra Duces Romanos plurima bella geſſerunt. Vide Livii Epit. lib. 56. Flor. libro tertio capit. 19. Diodor. libr. 34. qui ſcribit, eorum numerum aliquando usque ad centum millia creviſſe. Scribit Oroſ. libro quinto, capit. 16. adeo grave & atrox fuiſſe illud bellum multitudine ſervorum, inſtructu copiarum, & magnitudine virium, ut non modo Prætores Romanos, quos penitus profligavit, ſed conſules quoque terruerit. Hoc tandem bellum confecit Rutilius in poteſtatem redactis Tauromenio & Cruna firmiſſimis ſervorum refugiis, & omnibus ad internecionem deletis, ac Sicilia ipſa à tanta lue penitus liberata. Alterum bellum ſervile ſuſcitavit Spartacus genere Thrax cum Oenomanno Crixioque anno 1. Olympiad. 176. auctore Euſe. Eutropius auctor; eſt hoc bellum ſuſcitatum anno V. 678. & triennio finitum, cui proxime accedit Appian. libro primo, bellor. Civil. in fine, dum ſcribit, hoc bellum confectum à Craſſo anno ferme ſexageſimo, ab interitu Tiberii Gracchi, qui contigit anno V. 620. Oroſ. confert in annum V. 679. Coſſ. Lucullo, & Caſſio, Flor. libro tertio, capit. 20. vocat hoc bellum* Spartacum, *ob Ducem* Spartacum. *Ciceroni orat. pro lege Manilia dicitur Servile, Cæſari libro primo, de bello Gall.* Servilis tumultus.

θ Minus quam 70. gladiatoribus.] *Vellejo vero 64. Oroſ. 74. Eundem numerum habet Liv. & Eutrop. Appian.* μονολάχους ἑβδομήκοντα *ponit, Plutarch. in Craſſo* ὀγδοήκοντα δυοῖν.

ι Vix qui hiſtoriam ſcripſerunt.] *De eo vide Plut. in Craſſo Epit. Livii lib. 97. Appian. lib. 1. bell. Civil. Flor. lib. 3. cap. 20. Vell. lib. 2. Eutrop. lib. 6. Oroſ. lib. 5. cap. 24.*

κ Valida bella Piratarum.] *Piratæ per omnia ſparſi maria, etiam non tantum intercipientes navium commeatus ſed etiam inſulas, provinciasque vaſtantes impunitate ſceleris, & aviditate prædæ vulgo ſeſe aſſociantibus in immenſum augebantur, quos Cn. Pompejus lege Gabinia contra eos dux decretus, poſt multam quidem vaſtationem, quam terra marique diu egerant, mira tamen celeritate compreſſit. Vide Dionem lib. 36. Epit. Livii lib. 99. Flor. lib. 3. cap. 6. Appian. in Mithridat. Plutarch. in Pompejo. Cic. orat. pro lege Manilia. Oroſ. lib. 6. cap. 4.*

Cap. XXVII.

De bello civili, Mariano atque Syllano.

CUm verò a Marius civili ſanguine jam cruentus, multis adverſarum ſibi partium

tium peremptis, β victus urbe profugiſſet, vix paululum reſpirante civitate, *a* ut verbis Tullianis utar, γ ſuperavit poſtea Cinna cum Mario. δ Tum verò clariſſimis viris interfectis, lumina civitatis extincta ſunt. *b* Ultus eſt hujus victoriæ crudelitatem poſtea Sylla: nec dici quidem opus eſt, quanta diminutione civium & calamitate reipublicæ. De hac enim vindicta, quæ pernicioſior fuit quàm ſi ſcelera quæ puniebantur, impunita relinquerentur, *c* ait & Lucanus:

Exceſſit medicina modum, nimiúmque ſecuta eſt *l. 2.*
Quà morbi duxere manus: periere nocentes.
Sed cùm jam ſoli poſſent ſupereſſe nocentes,
Tunc data libertas odiis, reſolutáque legum
Frænis ira ruit.

Illo bello Mariano atque Syllano, exceptis his qui foris in acie ceciderunt, in ipſa quoque urbe cadaveribus vici, plateæ, fora, theatra, templa completa ſunt: ut difficilè judicaretur, quando victores plus funerum ædiderint, utrum prius ut vincerent, an poſtea quia viciſſent. Cùm primum victoria Mariana, quando de exilio ſe ipſe reſtituit, exceptis paſſim quaqua verſum cædibus factis, ε caput Octavii conſulis poneretur in roſtris: ζ Cæſar, & *d* Fimbria in domibus trucidarentur ſuis: *e* η duo Craſſi pater & filius in conſpectu mutuo mactarentur: *f* θ Bebius & Numitorius unco tracti ſparſis viſceribus interirent: *g* ι Catulus hauſto veneno, ſe manibus inimicorum ſubtraheret: *h* κ Merula flamen Dialis præciſis venis Jovi etiam ſuo ſanguine litaret. In ipſius autem Marii oculis continuò feriebantur, *i* quibus λ ſalutantibus dexteram porrigere noluiſſet.

a UT verbis Tullianis utar.] *Hæc quæ ſequuntur. Superavit poſtea Cinna cum Mario. Tum verò clariſſimis viris interfectis, lumina civitatis extincta ſunt. Verba ſunt Ciceronis tertia Invectiva in Catil. Quos interfecerint Cinna & Marius nos prolixè in tertia Syllana perſecuti ſumus: hi fuere duo fratres C. & L. Julii Cæſares, Attilius Serranus, P. Lentulus, L. Craſſus, M. Antonius orator, Gn. Octavius, L. Cornelius, Merula flamen Dialis Coſſ. L. Catulus, C. Arcarius, M. Bebius, Numitorius, Sex. Licinius.* *L. Vives.* *Interfecti à Mario & Cinna.*

b Ultus eſt hujus.] *Verba ſunt adhuc Ciceronis eodem loco.*

c Ait & Lucanus.] *Libro ſecundo:*

Sylla quoque immenſis acceſſit cladibus ultor:
Ille quod exiguum reſtabat ſanguinis urbi,
Hauſit, dumque nimis jam putrida membra recidit,
Exceſſit medicina modum, nimiúmque ſecuta eſt
Quà morbi duxere manus.

d Fimbria.] *Fuit C. quidam Fimbria, quem Vellejus Flavium nominat: hic partium fuit Marianarum, qui Trojam delevit. Fuit alter C. Fimbria, ſed Licinius, qui vixit cum Gracchis, pervenitque ad bella civilia, in quibus eſt occiſus intra penates ſua domus: quemadmodum & Cæſar autor Florus. Hujus Fimbriæ meminit in Claris oratoribus Cicero, quem ego puto fuiſſe illum, qui judex in contentione de viro bono pronunciare noluit. Cujus rei autor eſt Cicero in 3. Offic. & Valerius libro 7.* *C. Fimbria. Licinius.*

e Duo Craſſi.] *Filius ab equitibus Fimbriæ ſatellitis Cinnæ eſt occiſus. Pater ne in poteſtatem hoſtium veniret, manum ſibi intulit.*

Bebius. *f* Bebius.] *Hic ferarum ritu inter manus carnificum, ſine ferro diſcerptus eſt. Lucanus libro ſecundo:*

Vix te ſparſum viſcera Bebi
Innumeras inter carpentis membra corona
Diſcerpſiſſe manus.

Luctatio Catulus. *g* Catulus hauſto veneno.] *L. Luctatius Catulus collega fuerat Marii in quarto ejus conſulatu bello Cymbrico, amboque de Cymbris triumpharant. Pro hoc cùm apud Marium totus ſenatus ſupplex deprecaretur, Marius nihil aliud quàm moriendum eſſe reſpondit. Itaque Catulus ubi hoc Marium dixiſſe reſciiſſet, accenſis carbonibus ſe ſuffocavit. Dubium an hauſtis prunis, ut Portia Bruti conjunx: an fumo in cubiculo ubique occluſo & recens gypſo incruſtato. Nam ea res letalis eſt, niſi certa remedia adhibeantur. Sunt qui hauſiſſe illum venenum putent, ut hic Auguſtinus.*

h Merula flamen Dialis.] *Hic ſibi in cella Jovis venas præcidit.*

i Quibus ſalutantibus.] *Illud erat ſignum, quod Marius militibus dederat.*

F. L. Coq. *α* MArius civili ſanguine jam cruentus.] *Vell.* vir in bello hoſtibus, in otio civibus infeſtisſimus. *Epit. Livii libro 80. de Mario:* ſi examinentur cum virtutibus vitia, haud facile ſit dictu, utrum bello melior, an pace pernitioſior fuerit, adeo quam Rempub. armatus ſervavit, eam primo togatus omni genere fraudis, poſtremo armis evertit.

β Victus urbe profugiſſet.] *Vell.* Sylla contracto exercitu ad urbem rediit, eamque armis occupavit, duodecim auctores novarum peſſimarumque rerum, inter quos Marium cum filio, & P. Sulpitio urbe exturbavit, ac lege lata exules fecit.

γ Superavit poſtea Cinna cum Mario.] *Vell.* Cinna & Marius haud incruentis utrinque certaminibus editis urbem occuparunt, ſed prior ingreſſus Cinna de recipiendo Mario legem tulit; mox C. Marius peſtifero ſuis civibus reditu intravit mœnia: nihil illa victoria fuiſſet crudelius, niſi mox Syllana eſſet ſecuta. *Epit. Livii lib. 80.* Cinna & Marius in urbem recepti ſunt, qui velut captam, eam cædibus, & rapina vaſtarunt. *De crudelitatibus, quas in cives exercuerunt Marius & Cinna, vide etiam Appian. libro primo bell. Civil. Plutarch. in Mario & Sylla. Flor. libro tertio, Eutrop. libro quinto, Oroſ. libr. 5. cap. 19.*

δ Tum vero clariſſimis viris] *Hæc ex Cic. orat. 3. in Catil.*

Lumina civitatis] *Pro inſignib. viris, & claris quos dicimus.*

ε Caput Octavii Conſulis poneretur in roſtris.] Excellentiſſimi quique, eminentiſſimique civitatis viri variis ſuppliciorum generibus affecti, in his Conſul Octavius, vir lenisſimi animi, juſſu Cinnæ interfectus eſt, tunc primum Conſulis caput pro roſtris fuit poſitum. *Appian. lib. 1. bell. Civil.*

ζ Cæſar.] *C. Cæſar L. filius in penatibus ſuis una cum fratre L. Julio Cæſare fuit interfectus; ejusque caput pro roſtris poſitum. Sueton. in Calig. obſervatum ſcribit,*

tres

tres Cæſares, quib. Caji prænomen fuit gladio periiſſe : hunc ſcilicet temporibus Cinnanis, Ca. Julium Cæſarem dictatorem, & C. Caligulam Cæſarem.

η Duo Craſsi, pater & filius.] *Epit. Liv. lib. 80.* Craſſus filius ab equitibus Fimbriæ Cinnani interemptus : pater ne quid indignum virtute ſua pateretur, gladio ſe transfixit. *Appian. ſcribit, Craſſum patrem in fuga filium interemiſſe, ne veniret in poteſtatem perſequentium, quos ipſe non valuit effugere.*

θ Bebius & Numitorius.] *Appian. li. 1. bell. Civil. C. Numitorius. M. Bebius in via reperti caſi ſunt.*

ι Catulus hauſto veneno.] *Vell. lib. 2.* Qu. Catulus & aliarum virtutum, & belli Cimbrici gloria, quæ illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, cum ad mortem conquireretur, concluſit ſe loco nuper calce arenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, ſimul exitiali hauſto ſpiritu ſimul incluſo ſuo mortem magis voto, quam arbitrio inimicorum obiit. *Eadem Appian. libro primo belli Civil.* Cum Senatus ſupplex apud Marium pro eo deprecaretur, nihil reſpondit aliud, quam moriendum eſſe. *Cic. 3. de nat. Deor.* Cur tot civitatis principes à Cinna interempti? Cur omnium perfidioſiſſimus C. Marius Qu. Catulum præſtantiſſima dignitate virum mori potuit jubere? *De eodem libr. 3. de Orat.* Tenemus memoria, Q. Catulum virum omni laude præſtantem, cum ſibi non incolumen fortunam, ſed exilium & fugam deprecaretur, eſſe coactum ut vita ſe ipſe privarit.

κ Merula flamen Dialis.] *Hic in locum Cinnæ ſuffectus fuerat Conſul. Unde Cinna & Mario reverſis, & urbe potitis in cella Jovis venas ſibi præſcidit. Vell. lib. 2. Appian. lib. 1. belli. Civ.*

λ Quibus ſalutantibus.] *Plut.* Signum dederat ut omnes, quibus ſalutantibus non reſpondiſſet reſalutaretque, necarent.

μ Dexteram porrigere.] *Dexteram porrigere, eſt ſalutare. Turneb. lib. 22. Adverſ. capit. 8. Ariſtophanis interpres ad illa Strepiadis ad Philippidem:* τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν. ἔθος, *inquit,* ἐπὶ πίστει καὶ συνθήκαις βεβαίαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις. *Appian. libro 1. bell. civil.* τὴν χεῖρα προτείνας ἐπὶ διαλλαγαῖς. Dextram in fidem concordiæ porrigens.

CAP. XXVIII.

Qualis fuerit Syllana victoria, vindex Marianæ crudelitatis.

SYllana verò victoria ſecuta, hujus videlicèt vindex crudelitatis, poſt tantum ſanguinem civium, quo fuſo comparata fuerat, finito jam bello inimicitiis viventibus crudelius in pace graſſata eſt. Jam etiam poſt Marii majoris priſtinas ac recentiſſimas cædes additæ fuerant aliæ graviores *a* α à Mario juvene atque Carbone earundem partium Marianarum. Qui Sylla imminente non ſolùm victoriam, verùm etiam ipſam deſperantes ſalutem, cuncta ſuis alieniſque cædibus impleverunt. Nam præter ſtragem latè per diverſa diffuſam, obſeſſo etiam ſenatu, β de ipſa curia tanquam de carcere producebantur ad gladium. *b* γ Murius Scævola pontifex; quoniam nihil apud Romanos templo Veſtæ ſanctius habebatur, δ aram ipſam amplexus, occiſus eſt : ε ignemque *c* illum, qui perpe- *Veſtæ Templ.*

 tua

tua cura virginum ſemper ardebat, ſuo penè ſanguine extinxit. Urbem deinde Sylla victor intravit: *d* qui ζ in villa publica, non jam bello, ſed ipſa pace ſævi-ente η ſeptem milia peditum undecunque inermia, non pugnando, ſed jubendo proſtraverat. In urbe autem tota θ quem vellet Syllanus, quisque feriebat. Unde tot funera numerari omnino non poterant, *e* ι donec Syllæ ſuggereretur, ſinendos eſſe aliquos vivere, ut eſſent, quibus poſſent imperare qui vicerant. Tunc jam cohibita quæ hac atque hac paſſim furibunda ferebatur licentia jugulandi, *f* κ tabula illa cum magna gratulatione propoſita eſt, quæ hominum ex utroque ordine ſplendido, equeſtri ſcilicet atque ſenatorio, occidendorum ac proſcribendorum duo milia continebat: contriſtabat numerus, ſed conſo-labatur modus. Nec quia tot cadebant, tantum erat mœroris, quantum lætitiæ, quia cæteri non timebant. Sed in quibusdam eorum, qui mori juſſi erant, etiam licet ipſa crudelis cæterorum ſecuritas, genera mortium exquiſita congemuit. *g* Quendam enim ſine ferro laniantium manus diripuerunt: immanius homines hominem vivum, quàm beſtiæ ſolent, diſcerpere cadaver abjectum. *h* λ Alius oculis effoſſis & particulatim membris amputatis, in tantis cruciatibus diu vivere: vel potius diu mori coactus eſt. *i* μ Subhaſtatæ ſunt etiam tanquam villæ quædam nobiles civitates. Una verò velut unus reus occidi juberetur, ν ſic tota juſſa eſt civitas trucidari. Hæc facta ſunt in pace poſt bellum, non ut accelelraretur, obtinenda victoria, ſed ne contemneretur obtenta. ξ Pax cum bello de crudelitate certavit & vicit. Illud enim proſtravit armatos, iſta nudatos. Bellum erat, ut qui feriebatur, ſi poſſet, feriret: pax autem ut qui evaſerat, viveret, ſed ut moriens non repugnaret.

L. Vives. Marii filius. *a* A Mario juvene.] *Hic fuit Marii ſenioris filius, qui conſul cum Gn. Carbone fuit ante annos viginti quinque per vim factus, qui una ſignificatione literarum Damaſippum prætorem ſatellitem ſuum juſſit quicquid erat in urbe patritiorum interficere, bonusque & diligens ſatelles juſſa domini ſedulò executus eſt: nam ſpecie conſulendi contracto ſenatu, patritios omnes interemit.*

Scævola. *b* Mutius Scævola.] *Livius lib. 87. Lucanus verò lib. 2. à Mario ſeniore videtur ſcribere Scævolam interfectum. Hiſtorici à Mario juvene tradunt.*

c Ignemque illum.] *Imitatio Lucani:*

Ante ipſum penetrale Deæ, ſemperque calentes
Mactavere focos: parum ſed feſſa ſenectus
Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.

d Qui in villa publica.] *Apud Livium & Florum eſt, in via publica, & Livius octo milia ponit. Apud autorem libelli de viris illuſtribus eſt, in villa publica: & numerus eſt novem milium.*

e Donec Syllæ.] *Hoc Syllæ à Q. Catulo dictum putant Eutropius & Oroſius. Alii à C. Metello juvene, freto affinitate, & ex calore ætatis audaci. Sunt qui, ut Plutarchus refert, à Fuſidio aſſentatore Syllæ. Idem Florus, etſi apud Plutarchum Offidius pro Fuſidio legatur, ſed mendæ ejusmodi apud illum autorem, vel ipſius, vel interpretum,*

tum, vel librariorum culpa ſanè non pauca. Apud Florum & Oroſium Farſidus. Hujus Fuſidii meminit Saluſtius in Oratione Lepidi conſulis.

f Tabula.] *Tabula proſcriptionis, ut certus numerus occidendorum deſignaretur, ut ſciret quiſque, victurusne an moriturus eſſet. Proſcriptos licebat occidere, eorum bona dividebantur, & pars cedebat Syllæ, pars percuſſori. Filii privati hæreditate etiam petere honores lege Syllæ probibebantur. Tunc primùm tabula proſcriptionis eſt Romæ viſa.*

g Quendam enim ſine ferro Bebium.] *Hic fuit Bebius Marianus: alter, de quo modò diximus, fuit Syllanus. Eodem genere fati ambo perierunt. Nam Syllani ut ſe de Marianis eadem ratione crudelitatis, qua illi uſi fuerant, vindicarent: idem Mariano Bebio fecerunt, quod ſuo erat factum à Marianis. Utriusque Bebii meminit Florus.* Bebii diſcerpti.

h Alius oculis.] *M. Marius Gratidianus C. Marii propinquus. Hanc crudelitatem exercuit L. Catilina ad buſtum L. Catuli in Mario homine gratioſiſſimo, qui tribunus plebis & bis prætor fuerat, ut Q. Cicero in Paræneſi ad fratrem M. ſcribit. Primum enim brachia illi & crura fregit, aures deinde, linguam & naſum præſecuit, oculos defodit, poſtremò capite truncavit.* Marii Gratidiani mors.

i Subvaſtatæ ſunt etiam.] *In codice Laurini legitur, ſubhaſtatæ, haud dubiè congruentius hiſtoria. Florus: Municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſta venierunt, Spoletum, Interamna, Præneſte, Fluentia. Nam Sulmonem vetus oppidum ſocium atque amicum, facinus indignum, nondum expugnatum, ut obſides jure belli, & modo morte damnati duci jubentur: ſic damnatam civitatem juſſit Sylla deleri. Hæc apud Florum libro tertio. Livius lib. 88. Præneſtinos omnes inermes juſſos eſſe à Sylla interimi ſcribit. Porrò ſubhaſtare vocabulum fuit ætatis Auguſtini, quo utuntur Cæſares illorum temporum Theodoſius & Archadius. C. De reſcind. vend.* Subhaſtare.

α A Mario juvene, atque carbone.] *Conſulatum inierunt ſimul anno V. C. 671. Marius hic juvenis à Livio lib. 80. C. Marii ſuperioris filius dicitur, & ante annum 20. per vim conſul creatus, cum Appianus ſcribat, eum ſeptimum & vigeſimum nondum egreſſum annum, conſulem factum. Et Vell. annos natum 26. & Author libri de vir. Illuſtr. 25. annorum conſulatum invaſiſſe: quem L. Sylla circa Præneſte ad Sacriportum caſtris exuit, in fugamque vertit, ac in Præneſtinam urbem receptum obſedit. Ut epi. Livii lib. 86. Plutarch. & Appian. fuſe docent.* Dedidere ſe Præneſtini, Marius in cuniculum ſe abdidit, ubi mox manus ſibi intulit. Caput ejus ad ſe relatum Sylla pro roſtris poſuit, non ſine cavillo in ætatem conſulis: debuiſſe prius remum tractare, quam gubernaculum. Pompejus Carbonem ter conſulem vinctum ad pedes ſibi ſiſti paſſus; poſt gravem pro concione invectionem occidit, & caput ad Syllam miſit. F. L. Cos.

β De ipſa curia, tanquam de carcere.] *Epit. Livii lib. 86.* cum à parte diverſa urbs adhuc teneretur, L. Damaſippus prætor ex voluntate C. Marii conſulis, cum ſenatum contraxiſſet, omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem trucidavit, ex cujus quidem numero Qu. Mutius Scævola pontifex Max. in veſtibulo ædis Veſtæ occiſus eſt. *Vell. lib. 2. eadem de Damaſippo. Vall. lib. 9. cap. 2.*

γ Mu-

γ Mutius Scævola.] *Vellejus Domitium Scævolam vocat.*

δ Aram ipſam amplexus.] *Scribit & Cic. de orat.* illius ſanguine ſimulachrum Veſtæ reſperſum eſſe. *Eadem in hiſtoria ſacra de Joab & Adonia.*

ε Ignemque illum, qui perpetua cura virginum.] *Ex his, quæ docet Tertull. in Apolog. cap. 47. & quæ ſcribit Juſtin. Martyr. Apol. 2. videre eſt, in quibus & quantis Dei ſimiam malus dæmon, ante Chriſti adventum ſe geſſerit, ea callide, & ſuperbe imitatus, quæ veri Dei in ſcripturis ſacris propria eſſe intellexerat. libro ſecundo Machab. cap. 1. Sacri ignis ſcriptura meminit, quem repetit Nehemias reverſus è Perſide in Judæam. Sacer ignis dicitur, quo in altari holocauſtorum ſacrificia Deo incendebantur: hunc ſacerdotes cum à Nabuchodonoſor urbs capta eſt, in profundo puteo occultarunt. Nehemias vero cum in Judæam venit poſt tot captivitatis annos, ſacerdotes ad inquirendum miſit, repererunt illi non ignem, ſed craſſam aquam: Ea vero aqua ligna ſacrificiorum, altari holocauſtorum impoſita nullo ſubjecto igne aſpergi cum juſſiſſet, Solis ſplendore, qui nubibus obtegebatur, affulgente ignis mirabiliter excitatus ligna hoſtiasque incendit. Ignis ille ſacer cœlitus olim datus, quo uno in altari uti licebat ad ſacrificia. Ideo ulciſcēte Deo cœleſti igne conſumpti ſunt Nadab & Abiu, filii Aaron,* quòd ignem alienum ſuppoſuiſſent, & obtuliſſent coram Domino. *Levitic. 10. numer. 3. De eo igne Levit. 6.* Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubjiciens ligna mane & per noctem. *Et mox:* Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. *Et hac quidem religio apud Judæos, ſed ſuperſtitio apud Romanos illa adeo diligens, & aſſidua ignis in templo Veſtæ cuſtodia. De qua Cic. 2. de legib.* Virgines Veſtales in urbe cuſtodiunt ignem foci publici ſempiternum. Ignis extinctionem, *(ait Dionyſ.)* ſuper omnia gravia & timenda Romani timent, interitus aut imminutionis Reipub. id ſignum interpretantes, à quacunque tandem cauſa evenerit. *Liv. lib. 28.* Plus omnibus aut nunciatis peregrè aut viſis domi prodigiis, terruit animos hominum ignis in æde Veſtæ extinctus. Et Veſtales *(ait Feſtus)* ſi quando ignis Veſtæ interſtinctus eſſet, verberibus afficiebantur à Pontifice. *Et exempla hujus caſtigationis extant apud Val. lib. 1. cap. 1.* P. Licinio Pontifici Max. Virgo Veſtalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis cuſtos fuiſſet, digna viſa eſt, quæ flagro admoveretur. *Liv. lib. 28.* Ignis in æde Veſtæ eſt extinctus, cæſaque flagro Veſtalis, cui cuſtodia ejus noctis fuerat. *Fuit etiam apud alias gentes non diſpar cultura, ut docet eleganti libello de Veſta & Veſtalib. cap. 15. Lipſius, vir noſtra ætate eruditiſſimus, & de re literaria quàm optimè meritus.*

ζ In villa publica.] *Ita legendum, non in via publica, ut obſervavit Sigon. in Epitom. lib. 88. Livianæ: Et fuit locus in campo Martio, cui conſonat Val. lib. 9. cap. 2.* quatuor legiones contrariæ partis fidem ſuam ſecutas, in villa publica, quæ in campo Martio erat, nequicquam fallacis dextræ miſericordiam implorantes, obtruncari juſſit.

η Septem millia deditorum.] *Epit. Livii lib. 80. habet* octo millia. *Plut. in Sylla* ſex millia. *Oroſ. lib. 5. cap. 21. habet* tria millia. *Interpres Oroſii ex Floro M. S. legit,* quatuor millia deditorum inermium civium in villa publica occidi juſſit. *Val. l. 9. cap.*

9. cap. 2. quatuor legiones. *Auctor lib. de vir. illuſtr.* novem millia. *Seneca lib. quare bonis viris, &c. cap. 3.* multa millia civium Romanorum uno loco poſt fidem, imo per ipſam fidem trucidata ſunt. *lib. de clem. cap. 12. ſuffragatur in numero Auguſtino:* Quis inquam tyrannus, *(inquit)* tam avidè humanum ſanguinem bibit, quàm ille, qui ſeptem millia civium Romanorum contrucidari juſſit?

θ Quem vellet Syllanus quisque.] *Plut.* Multi, quibus nullæ cum Sylla res erant, privatis inimicitiis ſunt interempti, ſic ſuis permittente & gratificante Sylla. *Oroſ. etiam Syllanæ partis occiſos ad novem millia, & eo amplius docet:* ita liberæ per urbem cædes percuſſoribus paſſim vagantibus, ut quemque vel ira, vel præda incitabat, agitabantur. *Seneca lib. quare bonis viris, &c. cap. 3.* Paſſim vagantes per urbem percuſſorum greges, &c.

ι Donec Syllæ ſuggereretur.] *Refert Oroſ. Q. Catulum Syllæ palam dixiſſe,* Cum quibus tandem victuri ſumus, ſi in bello armatos, in pace inermes occidimus? *Pro Q. Catulo habet Plut. C. Metellum, alii Fufidium Syllæ amicum.*

κ Tabula illa.] *Tabulam illam infamem proſcriptionis intelligit, quam L. Fufidio primipilari auctore Sylla primus induxit: proſcriptos licebat occidere, eorum bona dividebantur, pars Syllæ cedebat, altera percuſſori. Sed ne in ipſis quidem tabulis fides ac finis malorum videbatur, namque alios, quos proſcripſerant, jugulabant, alios autem poſtquam jugulaverant, proſcribebant. Quam immanis fuerit illa proſcriptio, docet Plutarch. in Sylla.* Qui proſcriptum acceptaſſet, ſalutique conſuluiſſet, humanitati pœnam, mortem definivit: non fratrem, non filium, non parentes excepit: Qui necaſſet, cædis mercedi duo talenta conſtituit, ſeu dominum ſervus, ſeu patrem filius interemiſſet. *Quod autem omnium injuſtiſſimum exiſtimatum eſt, proſcriptorum filios ac nepotes honore privavit, omnium bona publicavit. Nec Romæ ſolum, verum etiam in omnibus Italiæ oppidis proſcriptiones fiebant, neque deorum templa, neque hoſpitales penates, neque paternum domicilium à cædibus purum erat: In uxorum ſinibus mariti, in matrum liberi confodiebantur. Seneca lib. 2. de ira cap. 34.* Inter Syllanæ crudelitatis exempla eſt *(inquit)* quòd à Repub. liberos proſcriptorum ſubmovit: nihil eſt iniquius, quàm aliquem hæredem paterni odii fieri. *Sylla primus capitalis proſcriptionis inventor eſt habitus. Vell. lib. 2. Appian. lib. 1. bell. Civill.* proſcriptionem illam crudelitatemque Syllanam. *Cic. orat. pro Roſcio: pugnam Cannenſem figuratè vocavit interprete Arnobio lib. 5. cui interpretationi aſſentitur & Turneb. lib. 11. Adverſ. cap. 22. ut quæ tot millia civium Romanorum è medio ſuſtuleris.*

λ Alius oculis effoſſis.] *Marium Prætorem intelligit*, quem per ora vulgi ad ſepulchrum Luctatiæ gentis pertractum, non priùs vita privavit, quàm oculos infœlices erueret, & ſingulas corporis partes confringeret. *Val. lib. 9. cap. 2. Oroſ. lib. 5. cap. 21. Catilinam hunc Marium confodiſſe, & Syllæ in foro ſedenti caput attuliſſe, ſcribit Plut.*

μ Subhaſtatæ ſunt etiam.] *Sic ſubhaſtata res Domini lib. 3. Cod. de execut. rei judic. quæ* ſub haſta venales propoſitæ ſunt. *Et ſubhaſtatio lib. 16. Cod. de reſcind. vendit.* Subhaſtare eſt ſub haſtam mittere, *id eſt per auctionem vendere: quæ enim*

publicè veniebant, non præconis modo voci, ſed & haſtæ ſubjiciebantur, haſtaque poſita, præcone prædicante ei qui licitatione viciſſet, addicebantur. Cic. lib. 2. offic. Haſtam in foro ponere, & bona civium voci ſubjicere præconis. *Sic* haſta poſita pro æde Jovis ſtatoris bona Cn. Pompeji Magni voci acerbiſſimæ præconis ſubjecta. *2. Philip. ſcribit. Hinc &* haſtam præconis *dixit Cicer. orat. de lege Agraria.* Et haſtam venditionis. *Philip. 2.* Et emptionem ab haſta. *Epiſt. 11. libr. 12. ad Attic. Val. lib. 6. cap. 3.* bona adoleſcentis haſtæ ſubjecit. *Sen. lib. 1. de Ira. cap. 2.* videbis principum ſub civili haſta capita vænalia. *& libr. de conſolatione ad Marciam cap. 20.* Non haſtam conſularia ſpolia vendentem. *More Romano idcirco inſtitutum fuit, ut haſta in foro poſita auctiones fierent, quaſi populus data fide publica earum venditionum evictionem belli & armorum periculo in ſe reciperet,* quoniam *(ut Feſtus ſcribit)* haſta præcipuum armorum & belli ſignum eſt. *Carthaginenſes cum bellum vellent, Romam haſtam miſerunt. Feſtus Pompejus lib. 8. & Agell. lib. 10. cap. 27. ſcribit, Romanos miſiſſe ad Carthaginenſes haſtam & caduceum, ſigna duo, belli & pacis.*

ν Sic tota juſſa eſt civitas trucidari.] *De Prœneſtinis intelligit, quos omnes inermes interimi juſſit. Epit. Livii lib. 88. Plut. in Sylla, Appian. lib. 1. bell. Civil. Val. lib. 9. cap. 2.*

ξ Pax cum bello de crudelitate certavit.] *Nam in pace domitis hoſtibus, crudelior fuit Sylla, quam in bello gerendo, ut à Vellejo de eo rectè ſit dictum,* quod neque ad finem victoriæ ſatis laudari, neque poſt victoriam abunde vituperari poſſit. *De quo & Val. lib. 9. cap. 2.*

CAP. XXIX.

De comparatione Gothicæ irruptionis cum eis cladibus, quas Romani vel à Gallis, vel à bellorum civilium autoribus acceperunt.

QUæ *α* rabies exterarum gentium, quæ ſævitia barbarorum, huic de civibus victoriæ civium comparari poteſt? Quid Roma funeſtius, tetrius, amariusque vidit? Utrum olim Gallorum, & paulò ante Gothorum irruptionem, an Marii & Syllæ, aliorumque in eorum partibus virorum clariſſimorum, tanquam ſuorum luminum in ſua membra ferocitatem? *β* Galli quidem trucidaverunt ſenatum, quicquid ejus in urbe tota, præter arcem Capitolinam, quæ ſola utcunque defenſa eſt, reperire potuerunt. Sed in illo colle conſtitutis, auro vitam ſaltem vendiderunt, quam & ipſi ferro rapere non poſſent, poſſent tamen obſidione conſumere. Gothi verò tam multis ſenatoribus pepercerunt, ut magis mirum ſit, quòd aliquos peremerunt. *a* At verò Sylla vivo adhuc Mario ipſum Capitolium, quod à Gallis tutum fuit, ad decernendas cædes victor inſedit. Et cum fuga Marius eſſet elapſus ferocior cruentiorque rediturus, iſte in Capitolio per ſenatus etiam conſultum, tam multos vita rebuſque privavit. Marianis autem partibus Sylla abſente quid ſanctum, cui parcerent, fuit, quando Mutio civi, ſenatori, pontifici, aram ipſam ubi erant, uti ajunt, fata Romana miſeris ambienti amplexibus non pepercerunt? *b* *γ* Syllana porrò tabula illa poſtrema, ut omit

mittamus alias innumerabiles mortes, plures jugulavit ſenatores quàm Gothi vel expoliare potuerunt.

a AT verò Sylla.] *In prima victoria de Mario, cùm per Senatusconſultum Sulpitium, Marios, & alios inimicos ſuos hoſtes reipublicæ curavit declarari.* L.Viv.

b Syllana porro tabula.] *Plutarchus in Sylla, ter eum intra paucos dies proſcriptionum diverſas tabulas propoſuiſſe ſcribit.*

a QUÆ rabies exterarum gentium.] *Docet, longè majores clades accepiſſe urbem civilibus bellis, quæ Chriſti tempora præceſſere, quàm Gothica irruptione, ut clare oſtendat, immerito Romanos tum conqueſtos de Chriſtianis temporibus, & Chriſtianæ religioni tot mala retuliſſe accepta. Quo etiam referri poſſunt, quæ ſcribit Oroſ. lib. 5. cap. 22. quibus oſtendit, longe benigniora & mitiora fuiſſe Chriſtiana tempora:* Quis enim unum Civile bellum, *ait*, per decem annos his temporibus agitatum audierit? Quis uno bello C. L. millia hominum, vel hoſtium, ab hoſtibus, ut non dicam civium à civibus cæſa meminerit? Quis illam, quam explicare longum eſt, optimorum, atque illuſtrium virorum multitudinem trucidari in pace cognoverit? Poſtremo quis illas infames interficiendorum tabulas timuerit, legerit, ſenſerit? ac non potius notum ſit, una cunctos pace compoſitos, atque eadem ſalute ſecuros victos, victoresque pariter communi exultaſſe lætitia, ac etiam in tantis totius imperii Romani provinciis, urbibus, ac populis vix paucos aliquando extitiſſe, quos juſta ultio invito etiam victore damnavit. Et ut verbis verba non onerem, non temere dixerim, tantam, vel in bello ſaltem extinctam modo fuiſſe gregariorum militum manum, quanta tunc cæſa eſt in pace nobilium. F.L.Coq.

b Galli quidem trucidaverunt.] *Confert Gallorum olim irruptionem in urbem, & clades acceptas, & nuper Gothorum irruptionem, cum Syllanis temporibus, quæ longe funeſtiſſima fuiſſe oſtendit: Galli enim quotcunque Senatores reperere, trucidaverunt, & omnia ferro, & igni vaſtaverunt, præter arcem Capitolinam, in ea tamen Romanis conſtitutis ſaltem vitam auro vendiderunt, quam longa obſidione conſumpſiſſent. Gothi verò Chriſtianis temporibus longè ſe geſſerunt humanius, tam multis enim ſenatoribus vitam conceſſere, ut magis mirum ſit, ſi aliquibus abſtulerint: Confugientibus enim ad aras, & baſilicas Apoſtolorum, nihil damni intulerunt: Verum Sylla ipſum Capitolium, quod à Gallis tutum fuit ad decernendas cædes, victor inſedit. Marius in Capitolio etiam per S. C. multos vita ac rebus privavit: Et Marianis temporibus abſente Sylla nihil in urbe fuit ſanctum, quando Mutio Scævolæ optimo civi, Senatori, pontifici, aram ſacram Veſtæ complexo, non pepercerunt. Plut. Oroſ. etiam lib. 2. cap. 9. Gallorum in urbem irruptionem, & clades tunc illatas confert cum Gothorum invaſione, & docet, longe majora damna illata tunc urbi, quam nunc. Ita ille ironice:* Revera pares ſint, & conferantur inter ſe hæ duæ captivitates, illa ſex menſibus deſæviens, & tribus diebus iſta tranſcurrens. Galli extincto populo, urbe deleta, ipſum quoque Romæ nomen in extremis cineribus perſequentes; & Gothi relicta intentione prædandi ad confugia ſalutis, hoc eſt ſanctorum locorum agmina ignara cogentes: Ibi vix quemquam inventum Senatorem, qui vel

abſens evaſerit, hic vix quemquam requiri, qui fortè ut latens perierit. Rectè ſane compararim hunc fuiſſe ibi Senatorum numerum, qui hic fuit perditorum.

γ Syllana porrò tabula illa poſtrema.] *Teſtatur Plut. Syllam primo octoginta proſcripſiſſe, id omnibus ægre ferentibus uno interjecto die ducentos & viginti adjeciſſe: deinde tertio non pauciores rurſus adjunxit, & inſuper adjecit, ſe quotcunque memoria tenuiſſet, proſcripſiſſe, quos in præſenti delet oblivio, proſcripturum.*

Cap. XXX.

De connexione bellorum, quæ adventum Chriſti plurima & graviſſima præceſſerunt.

QUa igitur fronte, quo corde, qua impudentia, qua inſipientia, vel potius amentia, illa vel Diis ſuis non imputant, & hæc noſtro imputant Chriſto? Crudelia bella civilia omnibus bellis hoſtilibus, α autoribus etiam eorum fatentibus amariora: β quibus illa reſpublica nec afflicta, ſed perdita omninò judicata eſt, γ longè ante adventum Chriſti exorta ſunt, & ſceleratarum concatenatione cauſarum à bello Mariano atque Syllano a δ ad bella Sertorii b & a Catilinæ, quorum à Sylla fuerat ille proſcriptus, ille nutritus: c ζ inde ad Lepidi & Catuli bellum, quorum alter geſta Syllana reſcindere, alter defendere cupiebat. d η inde ad Pompeji & Cæſaris, quorum Pompejus ſectator Syllæ fuerat, ejusque potentiam vel æquaverat, vel jam etiam ſuperaverat. e θ Cæſar autem Pompeji potentiam non ferebat, ſed quia non habebat, quam tamen ι illo victo interfectoque tranſcendit. f κ Hinc ad alium Cæſarem, qui pòſt λ Auguſtus appellatus eſt, pervenerunt, μ quo imperante natus eſt Chriſtus. Nam & ipſe Auguſtus ν cum multis geſſit bella civilia, & in eis etiam g multi clariſſimi viri perierunt, inter quos h & Cicero diſertus ille artifex regendæ reipublicæ, Pompeji quippe victorem i Cajum Cæſarem, ξ qui victoriam civilem clementer exercuit, ſuisque adverſariis vitam dignitatemque donavit, tanquam regni appetitorem, ο quorundam nobilium conjuratio ſenatorum, velut pro reipublicæ libertate in ipſa curia trucidavit. k Hujus deinde potentiam multum moribus diſpar, vitiis omnibus inquinatus atque corruptus, affectare videbatur Antonius, cui vehementer pro eadem illa velut patriæ libertate π Cicero reſiſtebat. l Tunc emerſerat mirabilis indolis adoleſcens ille alius Cæſar, illius Caji ρ Cæſaris filius adoptivus: qui, ut dixi, poſtea appellatus eſt Auguſtus. Huic adoleſcenti Cæſari, ut ejus potentia contra Antonium nutriretur, Cicero favebat: ſperans, eum depulſa & oppreſſa Antonii dominatione inſtauraturum reipublicæ libertatem, m uſque adeò cæcus atque improvidus futurorum, ut ille ipſe juvenis, cujus dignitatem ac poteſtatem fovebat, & σ eundem Ciceronem occidendum Antonio quadam quaſi concordiæ pactione permitteret, & ipſam libertatem reipublicæ, pro qua multum ille clamaverat, τ ditioni propriæ ſubjugaret.

L. Vita. Sertorius. a AD bella Sertorii.] *Q. Sertorius Mirſinius, Marianis rebus per ignaviam ducum ruentibus cum exercitu, quem ductabat, per loca aſpera ac difficilia in Hiſpaniam*

am ſe recepit, ubi bellum adverſus duces Syllanos ſtrenuè geſſit. Ad ultimum fractus à Pompejo Magno proditione ſuorum M. Perpennæ, Antonii, & aliorum cœnans confoſſus eſt, magnus dux, & cuilibet veterum, ſi materia melior clariorque affuiſſet, comparandus.

b Et Catilinæ.] *Catilina partium fuit Syllanarum, quo uſus eſt Sylla in multis occidendis carnifice. Hic poſtea cum pleriſque patritiis conjuravit adverſus patriam: à Cicerone & C. Antonio Coſſ. oppreſſus eſt.* Catilina

c Inde ad Lepidi & Cat.] *M. Æmilio Lepido, Q. Luctatio Catulo Coſſ. Sylla deceſſit, ſepultusque eſt in campo Martio. In ejus funere de componenda repub. & actis Sylla reſcindendis inter duos conſules uſque ad jurgia eſt progreſſum. Inde Lepido volente, ut proſcripti à Sylla reducerentur, eiſque ſua redderentur bona. Catulus contradicebat cum ſenatu, non quod iniquum hoc eſſet, ſed quòd videbant initium eſſe tumultus, qui nullo tempore eſſet futurus gravior, quàm tunc, cùm afflicta reſpublica recreari & reſpirare videretur. Ita ex diſſenſione ad arma ventum eſt. Gn. Pompejus & Q. Catulus armato exercitu cum Lepido conſeruerunt manus, eumque levi prælio ſuperatum copiis omnibus exuerunt, reditumque in urbem ſine tumultu, & iis quæ bellum ſequi ſolent. Victoria fuit moderatiſſima, armaque ſtatim poſita.* Lepidus. Catulus.

d Inde ad Pompeji & Cæſaris.] *Gn. Pompejus magnus, Gn. Pompeji Strabonis filius, Sylla ex Aſia venienti cum tribus legionibus, quas in agro Piceno collegerat, occurrit: magnoque uſui & momento ad victoriam Syllæ fuit. Idcirco cum Sylla inter præcipuos habere amicos, illi res maximas commendare, reliquias belli civilis in Sicilia, Africa, Italia & Hiſpania confecit. Triumphavit bis eques Romanus, antequam eſſet ſenator. Piratas ingenti fœlicitate & celeritate domuit. Mithridatem & totum Orientem vicit, de quibus gentibus tertium triumphũ duxit ſpecioſiſſimum, maximasque opes eſt nactus, & ſummam in republica autoritatem potentiamque, ſed civilem, quæ omnia fuſius in Pompejo fugiente perſecutus ſum. Ad extremum bellum civile à Cæſare motum geſſit pro republica, in quo victus ad opes Ptolemei pueri pupilli ſui confugit, in cujus regno à miniſtris regis occiſus eſt, ut victori Cæſari gratificarentur.* Gn. Pompejus.

e Cæſar autem Pompeji.] *C. Julius Cæſar, Lucii filius fuit, cujus amita Julia C. Mario nupſit, huic conſuli ſenatus opera Pompeji Galliam provinciam in quinquennium decrevit: quo tranſacto, alterum quinquennium ei eſt additum, autoribus Pompejo & Craſſo conſulibus: quo decennio totam Galliam Cæſar ſubegit: cumque Pompejum plus in republica poſſe indignaretur, nactus alias cauſas belli, arma in patriam induit. Lucanus in primo:* Julius Cæſar.

Nec quenquam jam ferre poteſt, Cæſarve priorem,
Pompejusve parem.

Suetonius in Cæſare caput ſcribit de cauſis belli civilis Pompejani. Verùm Pompejo mortuo dictaturam perpetuam Cæſar invaſit: omniaque in republica arbitratu ſuo diſpoſuit regio more. De hoc civili bello ſcripſere Cæſar ipſe in Commentariis, Plutarchus in Vitis diverſorum, Appianus in Bellis civilibus, L. Florus, Oroſius, Eutropius & Cicero multis locis & explicatius, quippe qui bello interfuit non poſtrema & ipſe pars.

C. Octavius. *f* Hinc ad alium Cæſarem.] *C. Octavius filius fuit Gn. Octavii prætorii viri & Actiæ. Actia filia Actii Balbi & Juliæ Cæſaris ſororis. Hunc C. Octavium Cæſar heredem poſteriore teſtamento ſcripſit ex dodrante: ut Suetonius narrat, quem & ferre nomen juſſit. Ad eum poſt Cæſarem interfectum multi veterani propter nomen avunculi convenere, quibus, Cicerone autore, partes ſenatus contra M. Antonium defendit adhuc adoleſcens: quem & vicit & compulit in Galliam ulteriorem ad M. Lepidum fugere, cum quo rediens triumviratum ex fœdere conflavit: hoc eſt, internecionem reipublicæ.* Triumviratus. *Triumviri fuerunt M. Antonius, M. Lepidus, C. Octavius Cæſar. Inter conventa erat, ut M. Antonius ſineret avunculum ſuum Sextum Julium Cæſarem proſcribi: M. Lepidus fratrem ſuum Lucium: Octavius Ciceronem, quem patris colebat loco. Idque poſtulatum eſt ab Antonio, quòd orationibus illius hoſtis eſſet à ſenatu judicatus. Ex illis tribus præcipuis viris ſolus Cicero ab Antonii ſatellitibus eſt occiſus, alii evaſerunt. Bellavit deinde Octavius cum Caſſio & Bruto, adjuvante collega M. Antonio, illosque opera Antonii in Philippicis campis vicit: deinde cum L. Antonio triumviri fratre, quem ad deditionem Peruſiæ compulit. Hinc cum Sex. Pompejo Magni filio, quem privavit claſſe, cum M. Lepido triumviro, quem triumviratu exuit. Poſtremò cum M. Antonio triumviro ad Actium, quem & vicit: ſolusque ſuperfuit Imperator populi Romani, civilibus omnibus confectis bellis, Auguſtusque a Valerio Meſſala oratore nomine ſenatus & pop. Rom. ſalutatus eſt. Imperii hujus anno quadrageſimo quarto à condita Roma dccli. feſta undique terra marique parta pace, quietis tranquillisque univerſo humano genere rebus, in Bethleem Judæ natus eſt Jeſus Chriſtus, naturæ princeps & conditor, Rex regum, & Dominus dominantium.*

g Multi clariſſimi.] *Triumviri longè plures omnis ſexus & ordinis proſcripſerunt, quàm Sylla. hos tres Juvenalis Satyrico naſo Syllæ diſcipulos appellat, magiſtrumque proſcribendi arte viciſſe ſignificat.*

Ciceronis mors. *h* Et Cicero diſertus ille artifex.] *Tres & ſexaginta natus annos interiit, ut Livius & Aufidius Baſſus computant. De cujus morte ſi quis variorum videre ſententias deſiderat, habet apud Senecam libro primo Suaſoriarum. Diſertum artificem appellat Auguſtinus, quòd lingua velut clavo navem reipublicæ moderaretur, & ageret quò vellet. Unde & ille verſiculus ab eo ſuorum factorum conſcio uſurpatus, qui inimicos malè momordit: Cedant arma togæ, concedant laurea linguæ. Plinius ſenior eum ſalutans: Salve, inquit, primus in toga triumphum, linguæq; lauream merite.*

C. Cæſar. *i* C. Cæſarem.] *M. & D. Brutus, C. Caſſius, & alii ad lx. ſenatores in eum conſpiraverunt, ac Idibus Martiis in curia Pompejana pugionibus confoderunt.*

M. Antonius. *k* Hujus deinde potentiam.] *Conſul tunc erat M. Antonius cum P. Cornelio Dolabella. Antonius exercitibus occupatis ſummum in republica imperium & dominatum affectabat, quem repulit primum ſuis orationibus Cicero: deinde triumvir eſt factus, ut dixi. Hiſtoriam belli Antoniani nemo hiſtoricus melius poteſt perſequi quàm Cicero in Philippicis fecit.*

l Tunc emerſerat.] *Cicero authoritate & eloquentia ſua Cæſarem Octavium adoleſcentem, Hircium & Panſam conſules in Antonium armavit.*

Brutus. *m* Uſque adeò cœcus.] *Satis erat Cicero à M. Bruto admonitus, ne nimium poten-*

tentiam Octavii aleret, néve plus æquo puerili ſideret ingenio, quamlibet bono: poſſe immodica fortuna mutari & inſoleſcere. Graviſſimæ duæ epiſtolæ Bruti, altera ad Ciceronem ipſum, altera ad Atticum de ea ipſa re adhuc extant, quæ planè virile illud & prudentiæ plenum M. Bruti pectus indicant, & ferè aperiunt. Tametſi Ciceronem non adeò ſtupidum crediderim, quin ut alia permulta occultiora, ita & in hoc animo & cogitatione præviderit. Quòd & ſignificavit ſæpenumero amicis verbo illo toties ab ipſo uſurpato: Cæſarem Octavium laudandum, ornandum, tollendum. Cujus meminit Vellejus, & D. Brutus in quadam epiſtola ad Ciceronem.

α Auctoribus etiam eorum fatentibus.] *Homero Iliad. 1.* Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος, ὃ πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος. Ille nefarius, & ſine gente tribuque mihi eſto, qui civile bellum & execrabile amat. *Cic. Philip. 13.* Nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura chara habere poteſt, quem diſcordiæ, quem bellum civile delectat, eumque ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto. *Crudelitatem bellorum civilium eleganter depinxit Seneca lib. 2. de ira cap. 8.* Caſtra ex una parte contraria, parentum liberorumque ſacramenta diverſa, ſubjectam patriæ civis manu flammam, & agmina infeſtorum equitum ad conquirendas proſcriptorũ latebras circumvolitãtia, & violatos fontes venenis, & peſtilentiam manu factam, & præductam obſeſſis parentibus foſſam, plenos carceres, & incendia totas urbes concremantia, dominationesque funeſtas, & regnorum publicorumque exitiorum clandeſtina conſilia. *Lucan. in lib. 7.* F.L.Cog.

videre parentes
Frontibus adverſis, fraternaque cominus arma,
Cognatasque acies.

Lepidus apud Salluſtium: proſcriptiones innoxiorum ob divitias, cruciatus virorum illuſtrium, vaſtatæ urbes fuga, & cædibus civium miſerorum, bona quaſi hoſtibus prædato vænum aut dona data. *Tacit. 3. Annal.* Non ætas, non dignitas quemquam protegit, quo minus ſtupra cædibus, & cædes ſtupris miſceantur. *Val. lib. 2. cap. 8.* Lugubres ſemper victoriæ exiſtimatæ ſunt in bello civili, utpote non externo, ſed domeſtico partæ cruore.

β Quibus illa Reſpub. nec afflicta, ſed perdita.] *Bella enim civilia civitates, provincias, regna ac imperia facile peſſumdant ac funditus evertunt. Salluſt. ad Cæſarem:* Ego ſic exiſtimo, quoniam orta omnia intereunt, qua tempeſtate urbi Romæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conſerturos; ita defeſſos & exangues Regi, aut nationi prædæ futuros: aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ movere, aut contundere queant hoc imperium.

γ Longe ante adventum Chriſti.] *Bellum civile Marianum ann V. C. 665. hinc ad civile bellum Cæſaris & Pompeji anni 40. nam pugna Pharſalica incidit in annum V. C. 705. Chriſtus vero natus eſt anno 752.*

δ Ad bella Sertorii.] *Dux hic fuit Marianarum partium, qui Syllam fugiens ex Africa in Hiſpanias delapſus bellicoſiſſimas gentes ad arma concitavit. Ab eo ſæpe exer-*

exercitus Romani cæſi, & Pompejum Magnum à ſe victum gloriatus eſt. Epit. Livii lib. 90. & deinceps Flor. lib. 3. cap. 22. Appian lib. 2. bell. Civil. Eutrop. lib. 6. Oroſ. lib. 5. cap. 23.

e Atque Catilinæ.] *Coſſ. Cicerone & C. Antonio anno V. C. 691 Catilinæ conjuratio detecta, ac repreſſa, quæ quomodo ſopita ſit & extincta, videri poteſt Saluſt. & Cic. ipſe quatuor invectivis in Catilinam. Appian. lib. 2. Civil. Flor. lib. 4. Plutarch. in Cicerone, & Cæſare. Epit. Livii lib. 102. Vell. lib. 2. Eutrop. lib. 6. cap. 4. Oroſ. lib. 6. cap. 6.*

ζ Inde ad Lepidi, & Catuli.] *Hi conſulatum inierunt anno V. C. 676. Et his Coſſ. mortuus eſt Sylla: Lepidus Coſſ. Syllæ acta reſcindere tentavit reclamante collega: cùm confligerent non longe à campo Mario, Lepidus coactus cedere, & victus trajecit in Sardiniam, ubi fruſtra bellum molitus periit. Appian. lib. 1. bell. Civil. Epit. Livii lib. 90. Flor. libr. 3. capit. 23. Plutarch. in Pompejo. Eutrop. in fine lib. 5. Oroſ. lib. 5. cap. 22.*

η Deinde ad Pompeji, & Cæſaris.] *Bellum civile inter Pompejum, & Cæſarem incidit in annum V. C. 704. Coſſ. C. Claudio Marcello. & L. Cornelio Lentulo. Euſebio anno 4. Olympiad. ad 182. de eo Plut in Pompejo, & Cæſare. Appian. lib. 2. Civil. Cæſar. libris de bello civili Dion. lib. 41. Oroſ. lib. 6. cap. 15. Vell. lib. 2.* Lentulo & Marcello Coſſ. poſt V. C. annos 704. bellum civile exarſit: Alterius ducis cauſa melior videbatur, alterius erat firmior, Hic omnia ſpecioſa, illic valentia: Pompejum Senatus auctoritas, Cæſarem militum armavit fiducia. Coſſ. Senatusque cauſa nominis Pompejo *(corruptè enim legitur, cauſæ, non Pompejo, ut obſervat Lipſius in eum locum.)* Summam imperii detulerunt: nihil relictum à Cæſare, quod ſervandæ pacis cauſa tentari poſſet; nihil receptum à Pompejanis, cum alter Coſſ. juſto eſſet ferocior: Lentulus verò ſalva Repub. ſalvus eſſe non poſſet. *Lentulo Coſ. auctore ſummam belli delatam Pompejo docet Lucanus.*

Conſulite in medium patres: Magnumque jubete
Eſſe ducem: Læto nomen clamore Senatus
Excipit, & Magno fatum patriæque, ſuumque
Impoſuit.

θ Cæſar Pompeji potentiam.] *Vell. Multis encomiis elato Pompejo, id in eo unum reprehendit, quod in civitate libera, dominaque gentium indignaretur, cum omnes cives jure haberet pares, quenquam æqualem dignitate conſpicere. Lucan. lib. 1. cauſam belli civilis paucis verbis expreſſit, Ambitionem ſcilicet utriusque.*

Nec quemquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem,
Pompejusve parem.

Dicebat Cæſar, malle ſe in parvo oppido eſſe primum, quàm Romæ ſecundum, *juxta illud Homeri:* Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι πάντων.

ι Illo victo, interfectoque.] *Plut. in Pomp. Epit. Livii lib. 112. Cæſ. lib. 3. de bello Civili. Dion. lib. 43. Oroſ. lib. 6. cap. 15. Vell. in hæc verba:* Pompejus profugiens cum duobus Lentulis conſularibus, Sextoque filio, & Favorino Prætorio, quos comites ei fortuna aggregaverat: aliis ut Parthos, aliis ut Africam

eam peteret, in qua fideliſſimum partium ſuarum haberet Jubam, ſuadentibus, Ægyptum petere propoſuit, memor beneficiorum, quæ in patrem ejus Ptolomæi, qui tum puero, quàm juveni propior regnabat, Alexandriæ contulerat. Sed quis in adverſis beneficiorum ſervat memoriam? aut quis ullam calamitoſis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Miſſi itaque à Rege, qui venientem Cn. Pompejum (is jam à Mitelinis Corneliam uxorem receptam in navem fugæ comitem habere cœperat) conſilio Theodoſii, & Achillæ exciperent, hortarenturque ut ex oneraria in eam navem, quæ obviam proceſſerat, tranſcenderet: quod cum feciſſet Princeps Romani nominis, imperio arbitrioque mancipii Ægypti C. Cæſare. P. Servilio Coſſ. jugulatus eſt. Hic poſt tres conſulatus, totidemque triumphos, domitumque terrarum orbem, ſanctiſſimi, & præſtantiſſimi viri in id ſupra quod aſcendi non poteſt duodeſexageſimum annum agentis pridie natalem ipſius vitæ fuit exitus, in tantum in illo viro diſcordante fortuna, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deeſſet ad ſepulturam. *Manil. lib. 4.*

Quis te Niliaco periturum littore Magne,
Poſt victas Mithridatis opes, pelagusque receptum
Et tres emenſo meritos ex orbe triumphos,
Cumque etiam poſſes alium cognoſcere Magnum,
Crederet, ut corpus ſepeliret naufragus ignis,
Et collecta rogum facerent fragmenta carinæ.

x Hinc ad alium Cæſarem.] *Octavum intelligit, natum Coſſ. Cic. & Anton. anno V.C. 691. Vell.* Conſulatui Ciceronis non mediocre advenit decus, natus eo anno D. Auguſtus, abhinc annos 82. omnib. omniū gentium viris magnitudine ſua inducturus caliginem.

λ Auguſtus appellatus eſt.] *Sueton. in Auguſto cap. 7.* C. Cæſaris, & deinde Auguſti cognomen aſſumpſit. alterum teſtamento maioris avunculi; alterum Munacii Planci ſententia: cum quibusdam cenſentibus Romulum appellari oportere, quaſi & ipſum conditorem urbis prævaluiſſet, ut Auguſtus potius appellaretur, non tantum novo, ſed etiam ampliore cognomine. *Quæ eadem ſcribit Dion. lib. 53. & Vell. lib. 2. de Auguſto:* Quod cognomen illi viro Planci ſententia, conſenſus univerſi Senatus, populique Romani indidit. *Cenſorinus lib. de die Natali, cap. 8. Munacii Planci ſententia à Senatu, cæterisque civibus ita appellatum, ſcribit A.D. 15. Kal. Febr. ſe ſeptimum, & M. Vipſaſiano Agrippa Coſſ. Alius tamen datur Auguſto collega eo ipſo conſulatu tam in faſtis, quàm apud alios ſcriptores. Oroſ. lib. 6. cap. 20. refert hanc denominationem Auguſti, ad Conſulatum illius quintum. Dion. lib. 53. ad conſulatum illius ſextum, & Urbis 726. Appian. lib. 1. bell. Civil. ſcribit, ſtatim poſt captam Ægyptum Octavium appellatum fuiſſe Auguſtum. Hoc eodem nomine & deinceps Romani Imperatores appellati ſunt, & hoc interfuiſſe inter* Auguſtum & Cæſarem *obſervat Alciat. ad lib. 10. Cod. quod* Auguſti dicerentur, qui regerent, & à Senatu Imperatoris nomine honeſta-

 ti eſ.

exercitus Romani caſi, & Pompejum Magnum à ſe victum gloriatus eſt. Epit. Livii lib. 90. & deinceps Flor. lib. 3. cap. 22. Appian lib. 2. bell. Civil. Eutrop. lib. 6. Oroſ. lib. 5. cap. 23.

ε Atque Catilinæ.] *Coſſ. Cicerone & C. Antonio anno V. C. 691 Catilinæ conjuratio detecta, ac repreſſa, quæ quomodo ſopita ſit & extincta, videri poteſt Saluſt. & Cic. ipſe quatuor invectivis in Catilinam. Appian. lib. 2. Civil. Flor. lib. 4. Plutarch. in Cicerone, & Cæſare. Epit. Livii lib. 102. Vell. lib. 2. Eutrop. lib. 6. cap. 4. Oroſ. lib. 6. cap. 6.*

ζ Inde ad Lepidi, & Catuli.] *Hi conſulatum inierunt anno V. C. 676. Et his Coſſ. mortuus eſt Sylla: Lepidus Coſſ. Syllæ acta reſcindere tentavit reclamante collega: cùm confligerent non longe à campo Mario, Lepidus coactus cedere, & victus trajecit in Sardiniam, ubi fruſtra bellum molitus periit. Appian. lib. 1. bell. Civil. Epit. Livii lib. 90. Flor. libr. 3. capit. 23. Plutarch. in Pompejo. Eutrop. in fine lib. 5. Oroſ. lib. 5. cap. 22.*

η Deinde ad Pompeji, & Cæſaris.] *Bellum civile inter Pompejum, & Cæſarem incidit in annum V. C. 704. Coſſ. C. Claudio Marcello. & L. Cornelio Lentulo. Euſebio anno 4. Olympiad. ad 182. de eo Plut in Pompejo, & Cæſare. Appian. lib. 2. Civil. Cæſar. libris de bello civili Dion. lib. 41. Oroſ. lib. 6. cap. 15. Vell. lib. 2.* Lentulo & Marcello Coſſ. poſt V. C. annos 704. bellum civile exarſit: Alterius ducis cauſa melior videbatur, alterius erat firmior, Hic omnia ſpecioſa, illic valentia: Pompejum Senatus auctoritas, Cæſarem militum armavit fiducia. Coſſ. Senatusque cauſa nominis Pompejo *(corruptè enim legitur, cauſa, non Pompejo, ut obſervat Lipſius in eum locum.)* Summam imperii detulerunt: nihil relictum à Cæſare, quod ſervandæ pacis cauſa tentari poſſet; nihil receptum à Pompejanis, cum alter Coſſ. juſto eſſet ferocior: Lentulus verò ſalva Repub. ſalvus eſſe non poſſet. *Lentulo Coſ. auctore ſummam belli delatam Pompejo docet Lucanus.*

Conſulite in medium patres: Magnumque jubete
Eſſe ducem: Læto nomen clamore Senatus
Excipit, & Magno fatum patriæque, ſuumque
Impoſuit.

θ Cæſar Pompeji potentiam.] *Vell. Multis encomiis elato Pompejo, id in eo unum reprehendit, quod in civitate libera, dominaque gentium indignaretur, cum omnes cives jure haberet pares, quenquam æqualem dignitate conſpicere. Lucan. lib. 1. cauſam belli civilis paucis verbis expreſſit, Ambitionem ſcilicet utriusque.*

Nec quemquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem,
Pompejusve parem.

Dicebat Cæſar, malle ſe in parvo oppido eſſe primum, quàm Romæ ſecundum, *juxta illud Homeri:* Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι πάντων.

ι Illo victo, interfectoque.] *Plut. in Pomp. Epit. Livii lib. 112. Cæſ. lib. 3. de bello Civili. Dion. lib. 43. Oroſ. lib. 6. cap. 15. Vell. in hæc verba:* Pompejus profugiens cum duobus Lentulis conſularibus, Sextoque filio, & Favorino Prætorio, quos comites ei fortuna aggregaverat: aliis ut Parthos, aliis ut Africam

cam

eam peteret, in qua fideliſſimum partium ſuarum haberet Jubam, ſuadentibus, Ægyptum petere propoſuit, memor beneficiorum, quæ in patrem ejus Ptolomæi, qui tum puero, quàm juveni propior regnabat, Alexandriæ contulerat. Sed quis in adverſis beneficiorum ſervat memoriam? aut quis ullam calamitoſis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Miſſi itaque à Rege, qui venientem Cn. Pompejum (is jam à Mitelinis Corneliam uxorem receptam in navem fugæ comitem habere cœperat) conſilio Theodoſii, & Achillæ exciperent, hortarenturque ut ex oneraria in eam navem, quæ obviam proceſſerat, tranſcenderet: quod cum feciſſet Princeps Romani nominis, imperio arbitrioque mancipii Ægypti C. Cæſare. P. Servilio Coſſ. jugulatus eſt. Hic poſt tres conſulatus, totidemque triumphos, domitumque terrarum orbem, ſanctiſſimi, & præſtantiſſimi viri in id ſupra quod aſcendi non poteſt duodeſexageſimum annum agentis pridie natalem ipſius vitæ fuit exitus, in tantum in illo viro diſcordante fortuna, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deeſſet ad ſepulturam. *Manil. lib. 4.*

Quis te Niliaco periturum littore Magne,
Poſt victas Mithridatis opes, pelagusque receptum
Et tres emenſo meritos ex orbe triumphos,
Cumque etiam poſſes alium cognoſcere Magnum,
Crederet, ut corpus ſepeliret naufragus ignis,
Et collecta rogum facerent fragmenta carinæ.

x Hinc ad alium Cæſarem.] *Octavum intelligit, natum Coſſ. Cic. & Anton. anno V.C.691. Vell.* Conſulatui Ciceronis non mediocre advenit decus, natus eo anno D. Auguſtus, abhinc annos 82. omnib. omniũ gentium viris magnitudine ſua inducturus caliginem.

λ Auguſtus appellatus eſt.] *Sueton. in Auguſto cap. 7.* C. Cæſaris, & deinde Auguſti cognomen aſſumpſit. alterum teſtamento majoris avunculi; alterum Munacii Planci ſententia: cum quibusdam cenſentibus Romulum appellari oportere, quaſi & ipſum conditorem urbis prævaluiſſet, ut Auguſtus potius appellaretur, non tantum novo, ſed etiam ampliore cognomine. *Quæ eadem ſcribit Dion. lib. 53. & Vell. lib. 2. de Auguſto:* Quod cognomen illi viro Planci ſententia, conſenſus univerſi Senatus, populique Romani indidit. *Cenſorinus lib. de die Natali, cap. 8. Munacii Planci ſententia à Senatu, cæterisque civibus ita appellatum, ſcribit A.D. 15. Kal. Febr. ſe ſeptimum, & M. Vipſaſiano Agrippa Coſſ. Alius tamen datur Auguſto collega eo ipſo conſulatu tam in faſtis, quàm apud alios ſcriptores. Oroſ. lib. 6. cap. 20. refert hanc denominationem Auguſti, ad Conſulatum illius quintum. Dion. lib. 53. ad conſulatum illius ſextum, & Urbis 726. Appian. lib. 1. bell. Civil. ſcribit, ſtatim poſt captam Ægyptum Octavium appellatum fuiſſe Auguſtum. Hoc eodem nomine & deinceps Romani Imperatores appellati ſunt, & hoc interfuiſſe inter* Auguſtum & Cæſarem *obſervat Alciat. ad lib. 10. Cod. quod* Auguſti dicerentur, qui regerent, & à Senatu Imperatoris nomine honeſta-

ti eſſent; at Cæſares dicerentur, qui ab ipſo Auguſto electi eſſent ad regendum provinciam aliquam, cum Cæſaris honore tantum donec Auguſtus vixerit: poſt ejus mortem ſucceſſuri in Imperio. *qua ratione nunc Imperatorem ipſum* Auguſtum; *Electum vero à 7. viris* Regem Romanorum & Cæſarem *merito vocemus. vel Auguſtus recte dicebatur penes quem ſumma erat adminiſtrandi imperii auctoritas: Cæſar verò, qui jam quidem adminiſtrabat, ſed ad Auguſti nutum. Legimus apud Ammianum Marcellinum lib. 20.* Quod cum Julianus Cæſar miſſus eſſet in Gallias à Conſtantio Auguſto, & favore militum proclamatus eſſet Auguſtus, id iniquo animo tulit Conſtantius, Cæſaris poteſtatem ſufficere Juliano cenſens.

μ Quo imperante natus eſt Chriſtus.] *Anno imperii ejus 42. 28. poſt Actiacam victoriam. ab V. C. 752. Auguſto 13. & M. Plaucio Syllano Coſſ. ſi Euſebio credimus. De quo fuſius cap. 46. lib. 18.*

ν Cum multis geſſit bella civilia.] *Auguſtus quinque bella civilia geſſit, Mutinenſe, Philippenſe, Peruſinum, Siculum, Actiacum. Primum & ultimum adverſus M. Antonium: Secundum adverſus Brutum & Caſſium, Tertium adverſus L. Antonium; Quartum adverſus Sextum Pompejum confecit.*

ξ Qui victoriam civilem clementer exercuit.] *Plin. lib. 7. cap. 25.* Cæſari proprium, & peculiare ſit clementiæ inſigne, qua usque ad pœnitentiam omnes ſuperavit. *De eodem ita Sueton.* Moderationem, clementiamque tùm in adminiſtratione, tùm in victoria belli civilis admirabilem exhibuit. *Et Vell. lib. 2. de victoria Cæſaris loquens:* Nihil illa victoria mirabilius, magnificentius, clarius fuit, quando neminem niſi acie conſumptum civem patria deſideravit: ſed munus miſericordiæ corrupit pertinacia, cum libentius vitam victoriam daret, quam victi acciperent.

ο Quorundam nobilium conjuratio.] *De cæde Cæſaris, ac conſpiratione in eum facta. Epit. Livii lib. 116. Plut. in Cæſare & Antonio. Sueton. cap. 79. Appian. lib. 2. civil. Flor. lib. 4. cap. 2. Eutrop. lib. 6. cap. 6. Oroſ. lib. 6. cap. 16. Idibus Martiis in curia Pompeji viginti duobus vulneribus confoſſus interiit. Conſpiratum eſt in eum à 60. amplius, authoribus Bruto & Caſſio. De morte Cæſaris ita Manil. lib. 4.*

Ille etiam cœlo genitus, cœloque receptus
Cum bene compoſitis victor civilibus armis
Jura togæ regeret, totiens prædicta cavere
Vulnera non potuit toto ſpectante Senatu
Judicium dextra retinens, nomenque cruore
Delevit proprio.

Author eſt Sueton. libellum inſidiarum indicem ab obvio quodam porrectum, cæteris libellis, quos ſiniſtra manu tenebat quaſi mox lecturum commiſcuiſſe.

π Cicero reſiſtebat.] *Id conſtat ex orationibus contra eum ſcriptis, quas ad imitationem Demoſthenis Philippicas inſcripſit.*

ρ C. Cæſaris filius adoptivus.] *Aperto enim Cæſaris teſtamento compertum eſt, ab eo C. Octavium nepotem ſororis ſuæ Juliæ ſcriptum hæredem, & in nomen familiamque adoptatum.*

σ Eum-

σ Eumdem Ciceronem occidendum Antonio.] *Triumviri Cæſar, Antonius, & Lepidus Syllanæ proſcriptionis exemplum ſunt ſecuti, atque inter cæteros proſcriptus M. Cicero. Dion. lib. 47.* Cædes illæ, quales olim Sylla proſcriptione uſus fecerat, editæ ſunt, ac tota urbs cadaveribus impleta, & triumviralem hanc proſcriptionem, cum Syllana conferens, hanc poſteriorem immanitate longe ſuperaſſe, *ſcribit Epit. Livii lib. 120.* Cæſar, Lepidus, & Antonius ſtatuerunt ut ſuos quiſque inimicos proſcriberent, in qua proſcriptione plurimi equites, 130. Senatorum nomina fuerunt, & inter eos L. Pauli fratris M. Lepidi, & L. Cæſaris Antonii avunculi, M. Ciceronis, cujus occiſi à Popilio legionario milite, cum haberet annos 63. caput cum manu dextra in roſtris poſitum eſt. *Vell.* Nihil tam indignum illo tempore fuit, quàm quòd aut Cæſar aliquem proſcribere coactus eſt, aut ab illo Cicero proſcriptus eſt, abſciſſaque ſcelere Antonii vox publica eſt, cum ejus ſalutem nemo defendiſſet; qui per tot annos, & publicam civitatis, & privatam civium defenderat. *De eadem proſcriptione Appian. lib. 4. civil. Plut. in Antonio & Cic. Flor. lib. 4. cap. 5. Eutrop. lib. 7. Oroſ. lib. 5. cap. 18.*

τ Ditioni propriæ ſubjugaret.] *Auguſtus deponendæ monarchiæ, & Reipubl. conſtituendæ conſilium iniit. ad eam deliberationem cùm Agrippam & Mæcenatem adhibuiſſet, Agrippa ad deponendum principatum hortatus eſt, ſed prævaluit ſententia Mæcenatis contrarium ſuadentis. Extat utriuſque graviſſima oratio apud Dionem lib. 52. vide & Sueton. in Auguſto cap. 28.*

CAP. XXXI.

Quòd impudenter præſentia incommoda Chriſto imputent, qui Deos colere non ſinuntur, cùm tantæ clades eo tempore quo colebantur, extiterint.

DEos α ſuos accuſent de tantis malis, qui noſtro Chriſto ingrati ſunt de tantis bonis. Certè quando illa mala fiebant, β calebant aræ numinum, α γ Sabæo thure δ ſertiſque recentibus halabant: ε clarebant ſacerdotia, ζ fana renidebant, ſacrificabatur, ludebatur, furebatur in templis: quando paſſim tantus civium ſanguis à civibus, non modò in cæteris locis, verùm inter ipſa quoque Deorum altaria fundebatur. *b* Non elegit templum, quò confugeret Tullius: quia fruſtra elegerat Mutius. Hi verò qui multò indignius inſultant Chriſtianis temporibus, aut ad loca Chriſto dicatiſſima confugerunt, aut illuc eos ut viverent, etiam ipſi barbari deduxerunt. Illud ſcio, & hoc mecum quiſquis ſine ſtudio partium judicat, facillimè agnoſcit: ut omittam cætera, quæ multa commemoravi, & alia multò plura, quæ commemorare longum putavi, ſi humanum genus ante bella Punica reciperet Chriſtianam diſciplinam, & conſequeretur rerum tanta vaſtitatio, quanta illis bellis Europam Africamque contrivit: nullus talium, quales nunc patimur, niſi Chriſtianæ religioni illa mala tribueret. Multò autem minus eorum voces tolerarentur, quantum attinet ad Romanos, ſi Chriſtianæ religionis receptionem & diffamationem, vel irruptio illa Gallorum, vel Tiberini fluminis, igniumque illa depopulatio, vel quod cuncta mala

præcedit, bella illa civilia ſequerentur. Mala etiam alia, quæ uſque adeò incredibilia acciderunt, ut inter prodigia numerarentur, ſi Chriſtianis temporibus accidiſſent, quibus ea niſi Chriſtianis hominibus tanquàm crimina objicerent? Omitto quippe illa, quæ magis fuerunt mira quàm noxia, *c* η boves locutos, θ infantes nondum natos de uteris matrum quædam verba clamaſſe, *d* ι volaſſe ſerpentes, *e* κ fœminas & gallinas, & homines in maſculinum ſexum fuiſſe converſas: & cætera hujusmodi quæ in eorum libris, non fabuloſis, ſed hiſtoricis ſeu vera ſeu falſa ſint, non inferunt hominibus perniciem, ſed ſtuporem. *f* Sed & λ cùm pluit terra, *g* μ cùm pluit creta, *h* cùm ν lapidibus, non ut grando appellari ſolet hoc nomine, *i* ſed omnino lapidibus. Hæc profectò etiam graviter lædere potuerunt. Legimus apud eos *k* ξ Ætneis ignibus ab ipſo montis vertice uſque ad littus proximum decurrentibus ita ferviſſe mare, ut rupes exurerentur, & pices navium ſolverentur. Hoc utique non leviter noxium fuit, quamvis incredibiliter mirum. *l* Eodem rurſus æſtu ignium tanta vi favillæ ſcripſerunt oppletam eſſe Siciliam, ut *m* ο Catinenſis urbis tecta obruta & oppreſſa diruerent, qua calamitate permoti miſericorditer *n* ejusdem anni tributum ei relaxavere Romani. *o* π Locuſtarum etiam in Africa multitudinem prodigii ſimilem fuiſſe, cùm jam eſſet populi Romani provincia, literis mandaverunt: conſumptis enim fructibus foliiſque lignorum, ingenti atque inæſtimabili nube in mare dicunt eſſe dejectam. Qua mortua redditaque littoribus atque hinc aëre corrupto, tantam ortam peſtilentiam dicunt, ut *p* in ϱ ſolo regno Maſiniſſæ *q* σ octingenta hominum millia periſſe referantur, & *r* multò amplius in terris littoribus proximis: tunc Uticæ *ſ* ex triginta milibus juniorum, quæ ibi erant, decem remanſiſſe confirmant. Talis itaque vanitas qualem patimur eique reſpondere compellimur: τ quid horum non Chriſtianæ religioni tribueret, ſi temporibus Chriſtianis videret? Et tamen Diis ſuis non iſta tribuunt: *t* quorum ideò cultum requirunt, ne iſta vel minora patiantur, cùm ea majora pertulerint, à quibus antea colebantur.

Prodigia. *al. Virorum.*

L. Vives. *Sabæi.*

a SAbæo.] *Sabæi populi ſunt juxta Syriam & Arabiam, apud quos naſcitur thus, Vergilius:*

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Servius Sabæos nominatos ait à σέβεσθαι, quod eſt colere: quia thure, quod apud eos naſcitur, Deos placamus.

b Non elegit templum.] *Obiit in Formiano ſuo, cùm tentata navigatione trans mare ad Brutum, tempeſtate repulſus eſſet.*

Boves locuti.

c Boves locutos.] *Frequentiſſimè in Prodigiis apud hiſtoricos, ut bello Punico ſecundo Q. Fabio Maximo quartùm, & M. Marcello iij. Coſſ. quo eodem anno Spoleti ex muliere vir eſt factus, & Marucia infans in utero iò triumphe clamavit. Autor Livius lib. 24. Locuta & bos bello Antiocheno, Roma cave tibi, & bello civili Antoniano, bos urgenti ſe in opere dixit, non defuturum frumentum, ſed homines, qui illud ederent, & aliàs ſæpiſſimè.*

Volantes ſerpētes.

d Volaſſe ſerpentes.] *In Libya ſolitudinibus ſerpentes ſunt plurima volucres:*

qua

quæ Africo vento in agrum Ægyptium cum magna indigenarum pernicie ſe effundunt. Idcirco Cicero Ibem ab illis cultum hominibus ſcribit, quòd hoc animal eam peſtem ab Ægypto avertat. Idem Herodotus in Euterpe.

e Fœminas & gallinas & homines.] *Sexus mutatos, ex fœminis hominibus viros factos, ex gallinis gallos & gallinaceos. Mendum nullum eſt in ſcriptura admonea, quandoquidem vim conjunctionis noſter interpres parum intelligens, parum rectè ſic legi putat: Fœminas & gallinas, & homines: tum etiam quòd fœminam non poſſe ad alia animalia pertinere exiſtimat, quàm ad homines: & homines eſſe tantummodo virilis ſexus: ideò ſic explicat fœminas converſas in homines: id eſt, in viros, inquit. En quales homines venerabatur ſeculum prius: quînam ſumebant ſibi veteres autores enarrandos, cùm nondum ſcirent, homines etiam ad mulieres pertinere, & fœminas de brutis quoque animalibus dici? Et miramur tam corruptas nos artes omnes à patribus accepiſſe? Miremur potius, cùm tale hominum genus in illas invaſerit, nos aliquas omnino accepiſſe. Porrò hanc ſexus mutationem Plin. lib. 7. non eſſe fabuloſam dicit: & aliquos teſtimonia affert, ſuamque fidem interponit, quòd teſtificari ſe quæ viderit, ajat. Et profectò conſideranti mihi rationem ſexuum, difficile videtur ex mare fieri fœminam. Contrà fieri, non item, nam retrahere naturam virile membrum intrinſecus, facereque ex eo loco locos fœmineos difficillimum eſt: expellere verò locos foras, penisque in modum deformare, etſi rarum, fieri tamen poteſt, facilius quàm credatur.* Fœminas de brutis dici.

f Sed & cum pluit.] *Terra pluiſſe, idque non ſemel aut iterum, rerum ſcriptores tradunt. Livius & Julius Obſequens, & alii.*

g Cum pluit creta.] *Obſequens in prodigiis, Q. Metello, Tullio Didio Coſſ. creta candida pluit.*

h Cùm pluit lapides.] *Neque hoc rarum. Primùm poſt conditam Romam, Tullo Hoſtilio rege contigit, quod vix credibile videbatur: poſtea toties, ut nulli mirum jam eſſet: ocioſum ſit in re creberrima exempla afferre.*

i Sed omnino vel terræ.] *Antiqui libri ſic habent: Sed omnino lapidibus: hæc profectò, &c.*

k Ætneis ignibus.] *Ætna mons eſt in Sicilia Vulcano ſacer, qui per noctem flammas evomuit per hiatum ſtadiorum xx. quem craterem vocant: quos duos eſſe vult Solinus in Polyhiſtore. dictus ſic vel ab Ætna filio Briarei Cyclopis, vel ab Ætna filia Cœli & Terræ, quam alii Thaliam vocant, quemadmodum Servius dicit. Hunc montem Vergilius deſcripſit longo carmine. Ovidio ſunt qui attribuant. Seneca Ovidium à deſcribendo Ætna deterritum refert, quòd illum à Vergilio jam ſciret cantatum. Cornelii Severi putant eſſe nonnulli. Exundat ſæpe incendiis vicinis agris gentibusque noxiis. Sic Gn. Servilio Cæpione, & C. Lælio Coſſ. Tum Servio Flacco & Q. Calphurnio Coſſ. hoc quod Auguſt. hic narrat contigit, M. Æmilio, L. Aurelio Coſſ. Obſequens: Ætna mons terræ motu ignes ſuper verticem latè diffudit, & ad inſulam Liparas mare efferbuit, & quibuſdam aduſtis navibus vapore pleroſque navaleis exanimavit. Piſcium vim magnam exanimem diſperſit, quos Liparenſes avidius epulis appetentes contaminatione ventris conſumpti ſunt: ita ut nova peſtilentia vaſtarentur inſu-* Ætna mons.

inſula. Hactenus ſunt verba Julii. Accidit iſtud paulò ante ſeditionem C. Gracchi, Oroſius addit multos mortales incendio abſumptos, coactosque eſſe deſertis ſuis quàm longiſſimè aufugere.

l Eodem rurſus affectu.] *Oroſius lib. 5. capite 12.*

Catina. *m* Catinenſis urbis.] *Alibi Catanenſis, idem eſt. illa enim civitas & Catana & Catina dicitur, etſi Catina ſit etiam in Hiſpania, & in Arcadia. Plin. lib. 3. Mons Ætna nocturnis mirus incendiis, crater ejus patet ambitu ſtadiorum xx. favilla Tauromininum & Catanem uſque pervenit fervens.*

n Ejuſdem anni.] *Oroſius decem annorum tributum à ſenatu eis remiſſum eſt autor.*

o Locuſtarum etiam in Africa.] *Livius lib. 9. Oroſius, Eutropius, Julius Obſequens, contigit etiam ante ſeditionem C. Gracchi, P. Plautio Hiſpeo, M. Fulvio Flacco Coſſ.*

p In ſolo regno Maſiniſſæ.] *An potius Micipſæ filii ejus, nam Maſiniſſa jam obierat. Sed dici poteſt Maſiniſſæ regnum, quòd illud ei pro maximis meritis populus Romanus dedit.*

q Octingenta hominum milia.] *Sic Oroſius, qui & regnum Micipſæ nominat. Obſequens dcccc. hominum milia in univerſum ſcribit fato deceſſiſſe. Eutropius tametſi non bonus admodum computator, ſic inquit: Qua peſtilentia in Numidia dcccc. milia hominum, circa Carthaginem verò cc. M. Romanorum verò militum, qui ibi ad præſidium erant xxx. M. extincta ſunt. eadem penè Oroſius, niſi quòd pro nongentis octingenta ponit.*

r Multò amplius in terris.] *Diverſum ſcribunt hiſtorici quos legimus, niſi Auguſtinus alios autores ſit ſecutus, vel oratorio modo inflexerit hiſtoriam ad ſuam utilitatem. Quod licere fieri, Cicero ſub perſona Attici docet in Bruto: & ab ipſo Cicerone nonnunquam eſſe factum, & nos interdum in ejus orationibus deprehendimus, & Aſconius Pædianus annotavit.*

ſ Ex triginta milibus virorum.] *Veteres libri habent, juniorum: certè de militibus eſt intelligendum, qui Uticæ relicti erant præſidium Africæ.*

t Quorum ideo cultum.] *Legendum, quorum ideo cultum requirunt, ne iſta vel minora.*

R.L.Coq. *a* DEos ſuos accuſent.] *Concludit, ſummæ dementiæ eſſe, imo impudentiæ, quod Romani Gentiles Chriſtianæ religioni tot clades, quæ imperio acciderant, imputarent, cùm eo tempore, quo ſuperſtitio & Deorum cultus vigebant, non defuerint, imò longè plures & graviores calamitates acciderint.*

β Calebant aræ numinum.] *Ita loquitur, quòd in omnibus ſacrificiis adhibebatur ignis non minus apud Gentiles, quam apud Hebræos. Cum enim improbi dæmones affectarent divinum cultum, multa, quæ ex inſtitutione divina apud Hebræos obſervabantur ad ceremonias pertinentia, etiam à ſuis curarunt obſervari. Hebræis* אשה oblationem *ſignificat, quod igne conſumeretur, ſic appellata ab* אש *quod* ignem *ſignificat, & ignita dicuntur ſacrificia, quæ offerebantur domino, ut ex multis locis aliquot adducam. Exod. 29.* Ignitum Domino אשה ליהוה *Levit. 6.* מאשי de ignibus

bus meis. *Numer. 28.* לאשי ignitis meis, *id eſt, ſacrificiis, & alibi paſſim.*

γ Sabæo thure.] *Thus in veteri lege adhibebatur in ſacrificiis. Levit. 2. & nunc etiam ad certam quandam ſignificationem [in ſacroſancto miſſæ ſacrificio] adhibetur, idque ex can. Apoſt. 4. & miſſa S. Jacobi, ac Dionyſ. Areop. Eccleſ. hierarch. cap. 3. conſtat qua petitur, ut ſicut incenſum in aerem, ita in cœlos penetret oratio. Et ſignificat mentis devotionem D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 14. Ita dæmon divinum cultum affectans, thus apud ſuos in ſacrificiis adhiberi volebat. quò alluſit Tertull. in Apolog. cap. 30.* Deo offero, *inquit,* opimam & majorem hoſtiam, quàm ipſe mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu ſancto profectam, non grana thuris unius aſſis, Arabicæ arboris lacrymas. *Apud Livium lib. 23. ab V. C. 538.* Q. Fabius Pictor legatus à Delphis Romam rediens dixit, ſe oraculo egreſſum extemplo omnibus Divis, qui in ſcripto erant, quod recitavit, rem divinam thure ac vino feciſſe. *Et lib. 23. ab V. C. 550.* Cùm mater Deûm Romam deducta eſt, matronæ primores civitatis ſuccedentes deinceps aliæ aliis, omni effuſa civitate obviam thuribulis ante januam poſitis, quà præferebatur, atque accenſo thure precantibus, ut volens propitiaque urbem Romam iniret, in ædem Victoriæ, quæ erat in Palatio, pertuliſſe. *Optatus Milevit. lib. 3. de perſecutione in Africa loquens ſub Diocletiano & Maximiano:* Sæviebat, *inquit,* bellum Chriſtianis indictum, in templis dæmoniorum Diabolus triumphabat, immundis fumabant aræ nidoribus, & quæ ad ſacra ſacrilega venire non poterat, ubicunque thus ponere cogebatur. *poſt:* Alii cogebantur templa Dei vivi ſubvertere, alii Chriſtum negare, alii leges divinas incendere, alii thura ponere. *Arnob. lib. 7. adverſus Gentes latiſſimè deducit, novellam rem eſſe thuris uſum in ſacrificiis Deorum, neque Heroïcis temporibus, neque Hetruriæ Albanis, Romuli aut Numæ fuiſſe cognitum. Iliacis temporibus thure non fuiſſe ſupplicatum, docet Plin. lib. 13. cap. 1. Strabo lib. 15. ſcribit, apud Sabæos thus, myrrham, & cinnamomum naſci. Plin. lib. 12. cap. 4.* Thura, *inquit,* præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem univerſis. *Et paulo poſt* Regio eorum thurifera Saba appellata. *Idem refert, Alexandro Magno in pueritia ſine parſimonia thura ingerenti aris Pædagogum Leonidam dixiſſe, ut illo modo cum deviciſſet thuriferas gentes, ſupplicaret. Ille itaque Arabia potitus thure onuſtam navem ei miſit, hortatus ut large deos adoraret. Virg.*

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

δ Sertisque recentibus.] *Alludit ad illud Virg. Æneid. 1.*

—— centumque Sabæo
Thure calent aræ, ſertisque recentibus halant.

ε Clarebant ſacerdotia.] *Etiam ex ſacra ſcriptura conſtat, apud Idololatras fuiſſe ſuos ſacerdotes, meminit ſacerdotum Baal:* & Jeroboam conſtituit ſacerdotes Idolorum. *De ſacerdotibus Romanorum ſcripſere Pompon. Lætus Feneſt. & fusè noſter Onuphrius lib. de civit. Rom. Tertull. lib. de præſcript.* In Romanis illis ſacerdotalibus officiis, inſignibus, & privilegiis Diabolus moroſitatem illam Judææ imitatus eſt.

ζ Fana renidebant.] *Non quod dæmones cadaverinis nidoribus gaudeant, ſed divinis honoribus. inf. lib. 60. cap. 19.*

η Bo-

η Boves locutos.] *Plin. lib. 18. cap. 45.* Eſt frequens in prodigiis priſcorum bovem locutum, quo nunciato Senatum ſub dio haberi ſolitum. *Anno V. C. 293. creditum bovem locutum. Livius lib. 3.* Quarto Conſulatu Q. Fabii Maximi, & tertio M. Claudii Marcelli ab V. C. 540. ex Sicilia nunciatum fuit bovem locutum. *Quinto ejusdem Fabii, & quarto Q. Fulvii Flacci conſulatu ab V. C. 545. durante Annibalis bello, aliam Priverni in Latio bovem in hominis verba prorupiſſe. Et poſtea L. Veturio, & Q. Cecilio Metello Coſſ. anno V. C. 548. prope urbem Romam Author Livius lib. 27. & 28.* Anno V. C. 562. Coſſ. L. Quintio Flaminio, & Cn. Domitio Ænobarbo nunciatum eſt bovem locutum: Roma cave tibi: *Liv. lib. 35. Valer. lib. 1. cap. 7.* In Cornelio Scipione, & Q. Petilio Spalone anno V. C. 578. nunciatum Romæ bovem in Campania locutum. Ab V. C. *referente Livio cap. 45.* Anagnia duo prodigia ſunt nunciata, faciem in cœlo conſpectam, & bovem fœminam locutam publice ali. *Paulo ante Cæſaris Dictatoris mortem in agro Romano bos arator ad ruſticum converſus loqui cœpit,* Fruſtra ſtimulis ſeſe agi, priùs enim homines, quàm frumenta defutura eſſe. *Appian. lib. 4. Civil. Euſeb. in Chronico:* Paulo antequam Otho Roma egrederetur, cum exercitu adverſus Vitellium profecturus, Romæ nunciatum fuit, in Etruria bovem clare locutam. *Meo quidem judicio hujusmodi voces formatæ fuerunt opera dæmonum, vel in eis animalibus, vel potius juxta ea ſermo in ipſo aëre effictus.*

ϑ Infantes nondum natos.] *Author eſt Livius lib. 34. ab V. C. 540. & Val. lib. 1. cap. 7. infantem in utero matris in Marrucinis (Io triumphe) clamaſſe.*

ι Volaſſe ſerpentes.] *Serpentes quosdam volucres, ſeu alatos eſſe, varii ſcriptores teſtantur. Strabo lib. 15. refert ex Megaſthene,* Quibusdam in locis Indiæ ſerpentes eſſe binorum cubitorum, membraneis alis, ut veſpertiliones, eos per noctem volare, & lotii, aut ſudoris ſtillas demittere, quæ non caventium ea corpora computreſcere cogant. *Herod. lib. 2.* Fertur ex Arabia ſerpentes alatos ineunte ſtatim vere in Ægyptum volare, ſed eis ad ingreſſum planitiei occurrentes aves Ibides non permittere, ſed ipſos interimere, & ob id opus Ibin magno in honore ab Ægyptiis haberi. Arabes ajunt, confitentibus & ipſis Ægyptiis, idcirco ſe his avibus honorem exhibere. *Cic. de nat. deor.* Ibes maximam vim ſerpentium conficere, cùm ſint aves excelſæ, cruribus rigidis, corneo proceroque roſtro: avertunt peſtem ab Ægypto, cum volucres angues ex vaſtitate Libyæ vento Africo invectas interficiunt, atque conſumunt. *Ex Arabia cæteri advolare ſcribunt, ut annotat Geſnerus libr. 5. de ſerpentibus. Lucan. libr. 6.* Non Arabum volucer ſerpens. *ſcribit & Plin. lib. 10. cap. 28. Invocare Ægyptios Ibes ſuas contra ſerpentum adventum. Angues & circa Æthiopiam volare narrantur, ut ſcribit Ariſtot. lib. 1. de hiſt. animal. cap. 5.*

κ Fœminas, & gallinas in maſculum ſexum.] *Plin. lib. 7. cap. 4. aliquot teſtimoniis docet, non fabuloſum eſſe ex fœminis mutari in mares, imò ſe vidiſſe in Africa refert, quandam inter nuptias ex fœmina marem effectam. Et Agell. lib. 9. cap. 4. Eadem ex Plinio refert. Hipp. lib. 6. Epidem. ſect. 8. ſcribit,* Abderis, Pheturam Pytheæ uxorem miſſo in exilium marito partui vicinam aliquot menſibus ceſſante

fluxu

fluxu menſtruorum, cunctis in membris magnos perpeſſam dolores, corporis habitu in virum mutatam. *Idemque contigiſſe refert nympha Gorgippi uxori in Thaſo. Liv. lib. 24. de Spoletana muliere refert idem, nimirum in virum converſam, anno V. C. 540. Q. Fabio Maximo quartùm, M. Claudio Marcello Tertium Coſſ. Recentiora aliquot exempla refert Martinus del Rio diſquiſ. Magic. lib. 2. q. 22. Doctiſſimus Mercurialis lib. 6. Var. lect. cap. 20. contendit, hujusmodi converſionem ſolis virginibus contingere, atque tum duntaxat, cum menſes profluere, & libidinis æſtus incendere incipiunt, qui tamen ad locum ex Hippocrate ſuperiùs citatum ſcripſerat, interdum quidem mulieribus propter menſtruorum ſuppreſſionem, eo humores per univerſum corpus fundi, ſicque pilos & barbam oriri, ſimulque vocem & alia contingere, quæ viris innaſcuntur, non tamen verè eas viros fieri. Martinus del Rio probabile putat, non tam hos ex fœminis ita viros factos, ut fœminæ deſierint eſſe, quàm ad fœmineum ſexum maſculeum acceſſiſſe, ut androgyni efficerentur, ſexu tamen hoc poſteriore prævalente, ideoque pro viris habitas: id tamen naturam non poſſe non omnino aſſerit, cum id aſſerant tot authores.*

λ Cum pluit terra.] *De prodigioſis quibusdam pluviis vide Plin. lib. 2. cap. 56. & Jul. Obſeq. lib. de prodigiis paſſim. Anno V. C. 458. terra multifariam pluiſſe author Liv. lib. 10. terra aliquoties pluiſſe ab V. C. 560. refert lib. 34. & Aviterni terra pluiſſe ab V. C. 562. lib. 35. & V. C. 564. terra apud ſe pluiſſe, Tuſculani nunciaverunt. lib. 37. V. C. 582. Oximi terra pluiſſe. lib. 42. & V. C. 577. Anagniæ terra pluiſſe. lib. 45.*

μ Cum pluit creta.] *Anno V. C. 540. Calibus creta pluiſſe, & Romæ in foro Boario ſanguine, author Livius lib. 24.*

ν Lapidibus.] *Cic. lib. 1. de divinat.* Quid? cum ſæpe lapidum, ſanguinis nonnunquam, terræ interdum, quidam etiam lactis imber defluxit? *Anno V. C. 542. in Albano monte continenter lapidibus pluiſſe, ſcribit Livius lib. 25. Ab V. C. 549.* Propter crebrius de cœlo lapidatum inſpecti libri Sibyllini *lib. 29. & anno 550.* Novemdiale ſacrum, quod de cœlo lapidatum eſſet, factum *ibidem refert. Ab V. C. 581. in Vejenſi apud Rementem lapidatum ſcribit lib. 42. & 585. imbri lapidaſſe. lib. 43. Vide Plin. lib. 2. cap. 58. Arnob. lib. 1. contra Gentes:* In libris veſtris non videmus comprehenſum & poſitum imbres ſaxeos totas ſæpe comminuiſſe regiones?

ξ Ætnæis ignibus.] *Ætna mons eſt in Sicilia, perpetuo igni terribilis, & quandoque globos igneos longiùs emittens; Cur verò perpetuò duret illius incendium, tradit Juſtinus lib. 4.* Sicilia terra eſt cavernoſa & fiſtuloſa, quò fit, ut ventorum flatibus pateat, unde ignis concipitur: intrinſecus ſulphur habet & bitumen; ubi ventus per ſpiramenta cavernarum incubuit, diu luctatus concipit ignem. *Sic Ætnæ incendium, motus verò ventorum cauſa eſt incendii. Vide Plin. lib. 2. cap. 108. & lib. 3. cap. 8. Strab. lib. 6. Solin. cap. 11. Sabell. Enn. lib. 6. ex Polybio. Atque ex eo monte contigere non rarò prodigioſæ eruptiones ignis. Refert Appian. lib. 5. bell. civil. quod cum Cæſar Auguſtus eſſet in Sicilia dimicaturus cum Sexto Pompejo auditi ſunt Ætnæ horrendi fremitus, & longi mugitus excandeſcentibus ignibus & longo fulgore terrentibus, adeò, ut Germani è cubilibus præ timore exilirent. Oroſ. lib. 2.*

cap. 18. ſcribit, Illis ferè temporibus, quibus geſſit bellum Cyrus junior adverſus Artaxerxem Regem fratrem, graviſſimo terræ motu concuſſam Siciliam, inſuper exæſtuantibus Ætnæ montis ignibus favilliſque calidis cum detrimento plurimo agrorum villarumque vaſtatam eſſe. *Et l. 5. c. 6.* Ser. Fulvio Flacco & Q. Calpurnio Piſone Coſſ. In Sicilia Mons Ætna vaſtos ignes eructavit ac fudit, qui torrentum modo per pruna præcipites, proxima quæque corripientibus exuſſere flammis, longinquiora autem favillis calidis cum vapore gravi latè volitantibus terruerunt. *Id contigit anno V. C. 619. & ab V. C. 628.* M. Æmilio Lepido & L. Oreſte Coſſ. Ætna vaſto tremore concuſſa exundavit igneis globis, alia die Lipara inſula & vicinum circa eam mare in tantum efferbuit, ut aduſtas quoque rupes diſſolverit, tabulata navium liquefactis ceris extorruerit, exanimatos piſces ſupernatanteſque excoxerit: homines quoque niſi longiùs potuere diffugere reciprocato anhelitu calidi aeris, aduſtis introrſum vitalibus ſuffocarunt. *Idem Oroſ. lib. 5. cap. 10. Jul. Obſeq. in prodig. ſcribit, Sabell. Ennead. 3. lib. 6. circa ſextum annum belli Peloponeſiaci profluvium ignis ex Ætna, quantum raro antea ullum memoria hominum manaſſe corrupiſſeq; aliquantulum Catanenſes ſoli Ætnæ radicibus adjecti, & ter ad ſummum violentiam illam & prodigioſam ignium eruptionem ad id tempus extitiſſe, ex quo Sicilia à Græcis inhabitari cœpit.*

o Ut Catanenſis urbis tecta.] *Plin. lib. 3. cap. 8.* Mons Ætna nocturnis mirus incendiis. Crater ejus patet ambitu ſtadiorum XX. favilla Tauronium uſque & Catanam pervenit fervens, fragor verò ad Maronem & Gemellos colles. *Oroſ. lib. 5. cap. 13.* Ætna mons ultrà ſolitum exarſit, torrentibus igneis ſuperfuſis, lateque ſuperfluentibus Catanam urbem, fineſque ejus oppreſſit, ita ut tecta urbium calidis cineribus præuſta & prægravata corruerent: cujus levandæ cladis cauſa ſenatus decem annorum vectigalia Catanenſibus remiſit.

π Locuſtarum etiam in Africa.] *Epit. Livii lib. 60.* Peſtilentia in Africa à maxima multitudine locuſtarum, & deinde necatarum ſtrage fuiſſe dicitur. *Hujus prodigii meminit & Oroſ. lib. 5. cap. 11. Jul. Obſeq. in prodigiis. Sabell. Ennead. 5. lib. 9. contigitque M. Plautio Hipſilo & M. Fulvio Flacco Coſſ. ab V. C. 629.*

ϱ Ut in ſolo regno Maſiniſſæ.] *Micipſam filium ejus tum regnaſſe, auctor eſt Oroſ. dicitur tamen merito regnum Maſiniſſæ, quod ob tanta merita ſibi ſuiſque pop. Rom. beneficio conſecutus eſt.*

σ Octingenta hominum millia.] *Oroſ.* quanta fuerit hominum lues, ego ipſe dum refero, toto corpore perhorreſco: Siquidem in Numidia octingenta millia hominum, circa oram verò maritimam, quæ maximè Carthaginenſi atque Uticenſi littori adjacet, plus quàm ducenta millia periiſſe traditum eſt. Apud ipſam verò Uticam civitatem triginta millia militum, quæ ad præſidium totius Africæ ordinata fuerant, extincta atque abraſa ſunt, quæ clades repentina, ac tam violenta extitit, ut tunc apud Uticam ſub una die per unam portam ex illis junioribus plus quàm mille quingentos mortuos elatos fuiſſe narretur. *Obſequens meminit tantùm octingentorum millium hominum. Sabell. Ennead. 5. lib. 9.*

ſecu-

ſecutus Eutropium ſcribit, ea peſtilentiâ conſumpta Numidarum Afrorumque undecies centena hominum millia, ac ſupra eam barbarorum cladem, Romanorum quoque multa millia extincta, qui tùm fortè in Africa præſidii causâ erant.

τ Quid horum non Chriſtianæ religioni tribuerent.] *Eodem argumento contra Gentes utitur Arnob. initio ferè lib. 1. oſtendit enim, multas calamitates orbi accidiſſe, antequàm introductum eſſet nomen Chriſtianum, neque ſuccedentia mala Chriſtianæ religioni eſſe aſcribenda: idque non aliud eſſe, quàm meras calumnias. Inter cætera ſcribit:* Sed peſtilentias, *inquiunt*, & ſiccitates, bella, frugum inopiam, locuſtas, mures & grandines, resque alias noxias, quibus negotia infeſtantur humana, Dii nobis important, injuriis veſtris atque offenſionibus exaſperati. *Cui calumniæ reſpondet:* Annalium ſcripta percurrite, linguarum diverſitatibus ſcripta, univerſas diſcetis gentes ſæpenumero deſolatas & viduatas eſſe ſuis cultoribus. A locuſtis, à muribus genus omne occiditur atque arroditur frugum. Hiſtorias ite per exteras, & ab iſtis peſtibus inſtruemini, quoties prior ætas afflicta ſit, & paupertatis ad miſerias venerit.

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI *AD MARCELLINUM* DE CIVITATE DEI

LIBER QUARTUS

CAP. I.

De his, quæ primo volumine diſputata ſunt.

DE α civitate Dei dicere exorſus, prius reſpondendum putavi ejus inimicis, qui terrena gaudia conſectantes, rebusque fugacibus inhiantes, quicquid in eis triſte, miſericordia potius admonentis Dei quàm punientis ſeveritate patiuntur, β religioni increpitant Chriſtianæ, γ quæ una eſt ſalubris & vera religio. Et quoniam cùm ſit in eis etiam vulgus indoctum, velut doctorum autoritate in odium noſtrum gravius irritantur, exiſtimantibus imperitis, ea quæ ſuis temporibus inſolitè acciderunt, per alia retro tempora accidere non ſolere. Eorumque opinionem, etiam iis qui eam falſam eſſe noverunt, ut adverſum nos juſta murmura habere videantur, ſuæ ſcientiæ diſſimulatione firmantibus: de libris, quos autores eorum ad cognoſcendam præteritorum temporum hiſtoriam memoriæ mandaverunt, longè aliter eſſe quàm putant, demonſtrandum fuit: & ſimul docendum, Deos falſos, quos vel palàm colebant, δ vel occultè adhuc colunt, eos eſſe immundiſſimos ſpiritus & malignillimos ac fallaciſſimos dæmones: uſque adeò ut aut veris, aut fictis etiam, ſuis tamen criminibus delectentur,

Chriſtiana religio.

Dii falſi.

dentur, quæ ſibi celebrari per ſua feſta voluerunt: ut à perpetrandis damnabilibus factis humana revocari non poſſit infirmitas, dum ad hæc imitanda velut divina præbetur autoritas. Hæc non ex noſtra conjectura probavimus, ſed partim ex recenti memoria, quia & ipſi vidimus talia ac talibus numinibus exhiberi: partim ex literis eorum, qui non tanquàm in contumeliam, ſed tanquàm in honorem Deorum ſuorum iſta conſcripta poſteris reliquerunt: ita ut vir ε doctiſſimus apud eos Varro, & graviſſimæ autoritatis, ζ cùm rerum humanarum atque divinarum diſpartitos faceret libros, alios humanis, alios divinis pro ſua cujusque rei dignitate diſtribuens, non ſaltem η in rebus humanis, ſed in rebus divinis poneret ludos ſcenicos: cùm utique θ ſi tantummodo boni & honeſti homines in civitate eſſent, nec in rebus humanis ludi ſcenici eſſe debuiſſent. ι Quod profectò non autoritate ſua fecit, ſed quoniam eos Romæ natus & educatus in divinis rebus invenit.

Varro.

L. Vives. *Nunc ex rebus geſtis pop. Rom. ad religionem ejus, ſacra ceremoniásque tranſeundum. Superioribus libris nullam præfati ſumus veniam, quòd acta illius populi, ſi non ad plenum ex aliquo, quoniam periit magna pars T. Livii, ſcriptoris rerum copioſiſſimi, certè ex multis quoquo modo colligi potuerunt: quatuor libris ſequentibus, ſed in primis hoc quarto ignoſci nobis petimus, ſi quo in loco vel diligentiam noſtram lector deſiderarit, vel ingenium. Nullus de his rebus autor ad hanc memoriam pervenit, qui quidem extet. Interciderunt enim, ut alia ejuſdem viri quam plurima: ſic & Antiquitates M. Varronis, quas unas ſi haberemus, ſatisfacere potuiſſemus Auguſtino, unde illi ſunt ferè quæ dicit, deſumpta. Itaque emendicanda nobis è variis fuerunt, quæ huc afferremus, ne nudi omnino & inopes, omnique non modò cultu ac ornatu, ſed inſtrumento quoque domeſtico egeni videremur: quæ ſi non magnificè conſtructa & parata ſunt, contenti erimus hoc ſolo, non prorſus videri pudendam noſtram mendicitatem, quod non aſſecutis etiam venia danda: præſertim nulla conatus & diligentiæ culpa, & in re cujus cum maximè maximo generis malo vigeret, plurimi erant & quidem doctiſſimi, ut de vulgo taceam, qui non parvam ſanè partem ignorabant. Sicut ipſe teſtatur Varro. Profectò Juvenalis in Satyra prima neſciiſſe videtur, Pecuniam pro Dea Romanis cultam, cùm ait:*

Antiquitates M. Varronis.

Et ſi funeſta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Quam tamen cum Ærino & Argentino Varro inter Deos numerat. Quis ergo miretur, ſi rem ope & benignitate Chriſti ex hominum vita jam olim pulſam, nos adeò non teneamus exactè, ut vel quivis ex illo populo, vel etiam, ſi Diis placet, Varro ipſe, qui Romanis pontificibus opprobrare, nec falſo auſus eſt, eſſe in ſuis Diis ac religionibus complura, quæ illos laterent, quæ omnia ipſe aperuit & declamvit vir totius veteris ævi conſultiſſimus? Iſtis omnibus accedit, nullam fore, aut rebus humanis, aut eruditioni jacturam, ſi quemadmodum de uſu vitáque, ſic etiam de memoria impietas ejusmodi abiret. Quid enim confert eruditioni, flagitia Jovis aut Veneris noſſe? quibus Diis quæ ſacra fiant? quæ oſtenta, quibus hoſtiis ſacriſque procuranda? quæ auguria prodigiáque, à quibus mittantur? quomodo expientur? ſi quibus hæc placent,

cent, contendant nos per ea fieri peritiores. Ego verò qui non pauciora ex illis deliramentis novi, quàm quivis eorum, contendo futurum utilius vitæ moribusque, in totum neſciri: quæ res minus me reddit ſolicitum, ſi cujus divi divæque divinitatem, genus, templa, aras, feſta, ceremonias, ſacra, horum omnium rationem & modum haudquaquam copioſè perſecutus ſum, tametſi adhibita nobis eſt opera, ne lector harum rerum ſtudioſus, vacuus earum à lectione noſtrorum commentariorum discedat.

α CAPUT primum eſt ἀνακεφαλαίωσις primi libri, ut ſecundum caput ſecundi, & tertii libri. In ſuperioribus enim libris fuſiſſimè oſtendit Auguſt. mala, quæ Romanis acciderant, non eſſe aſcribenda religioni Chriſtianæ. Hoc verò libro & ſequenti demonſtrat, bona, quæ acceperant, non vanis illis numinibus, quæ colebant, ſed uni vero Deo accepta referri debere. Et in hoc quidem libro totus eſt, ut convincat, tanti imperii magnitudinem, & vires illis tribui minime poſſe. In quinto libro oſtenſurus, non aliunde, quam divina providentia tantum imperium Romanos obtinuiſſe: idque ideo facit, ut civitatem Dei totis viribus propugnet adverſus ſuos hoſtes, quod ſtatim initio ſcribit ſibi in primis eſſe propoſitum.* Reſpondendum putavi *(inquit)* ejus inimicis. *ubi obſervandum, civitatem Dei quadruplices habere inimicos.* Philoſophos; *qui omnia naturali ratione metiri velint, ideoque ea impugnent, quæ ſunt fidei.* Sed ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi inquiſitor hujus ſæculi? perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. *1. Cor. 1. Philoſophiam* inanem fallaciam *vocat Apoſtol. Col. 2.* Hæreticos, *qui ſub ficto & ementito nomine Chriſti, Chriſtianam fidem impugnant, ſignificatos per Samaritanos, qui adverſabantur populo Dei, cum ſe Judæos nonnunquam dicerent, & ex ſtirpe Jacob, ac verum templum ac Dei cultum ſibi aſſererent, libros Moſis legerent, & veri Dei cultui cultum etiam Idolorum admiſcerent, ut illi ſcripturas pro libito probant, veritati ipſi cui credunt, falſa multa permiſcent.* Tyrannos *ſignificatos per Pharaonem, & Ægyptios, quibus in animo eſt delere nomen Dei, ac totum Abrahæ ſemen è terra. Ac poſtremo* Gentiles, *qui Idolorum cultui dediti Chriſtum ſunt perſecuti, & contra hujusmodi potiſſimum hoc opere diſſerit D. Auguſt. qui antiquas ſuperſtitiones contendebant in urbem & orbem revocare, & tot clades acceptas Chriſtianæ religioni falſo imputabant.* F. L. Coq.

β Religioni increpitant Chriſtianæ.] *Increpitare*, arguere eſt, convitiari *ait Feſtus*, Incuſare, inſultare, *ait Nonius*.

γ Quæ una eſt ſalubris ac vera religio.] *Recte Tertull. in Apologet. cap. 24. oſtendit, Chriſtianos non eſſe arguendos crimine læſæ religionis, imo Gentiles, qui mendacem colendo, ac veram religionem veri Dei non modo negligendo, quin inſuper negligendo verum Deum, committunt crimen veræ irreligioſitatis, quod docet Auguſt. libr. de vera relig. cap. 5 his verbis:* Neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum, neque in cæcitate Judæorum, neque in confuſione Paganorum quærenda eſt religio, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici, vel orthodoxi nominantur. *Arnob. lib. 2.* Chriſtus veram in orbe religionem induxit, qui hominibus cæcis, & revera in impietate degentibus, pietatis aperuit

januas, & cui ſe ſubjicerent indicavit. *Lactant. lib. 7. cap. ultim.* Soli omnium religioſi ſumus, quia contemptis imaginibus mortuorum unum colimus & verum Deum. *Certè quemadmodum* unus Deus, una fides, unum baptiſma. *Epheſ. 4. unum caput, unumque corpus Eccleſiæ myſticum Chriſtus, & membra ipſius fideles: ita una vera religio, neque enim hominum eſt pro libito religiones inducere. Sed Deus ipſe, qua religione & quibus ceremoniis vellet coli, vel hominibus inſpiravit, ut primis temporibus ab exordio mundi ad tempora Moſis, per quem populum illum antiquum docuit ritus, & ceremonias, quæ ad tempora Chriſti obſervarentur. Chriſtus verò ipſe unam hanc ſalubrem, & veram religionem, quæ ab authore Chriſtiana ritè nominatur, & ſacra ad cultum Dei pertinentia, quæ toto orbe obſervarentur, inſtituit. Religio quidem illa antiqua, & ſacræ ceremoniæ ut divinitùs inſtitutæ Deuter. 4. & alibi paſſim à Moſe plurimùm commendantur. Quid verò illa ſi cum Chriſtiana religione conferatur? quæ prorſus neceſſaria ad ſalutem, & homines inducens in regnum Dei, non verò illa Judaica.*

δ Vel occultè adhuc colunt.] *Legibus enim Impp. prohibebantur avitam ſuperſtitionem palàm profiteri, & jam aderant illa tempora prænunciata à Prophetis, quibus propter Chriſtum principes Idola perſequerentur, ut anteà propter idola Chriſtum erant perſecuti. libr. 1. de conſenſu Evang. capit. 27.* Nunc certè quærunt ubi ſe abſcondant, cùm ſacrificare volunt, vel ubi deos ſuos retrudant, ne à Chriſtianis inveniantur atque frangantur. Unde hoc? niſi à timore legum, atque Regum, per quos Deus Iſrael ſuam erexit poteſtatem, jam ſubditos Chriſti nomini. *Julianus Imperator ſcribens ad Maximum philoſophum,* Θρησκεύομεν τοὺς θεοὺς ἀναφανδὸν, καὶ τὸ πλῆθος τοῦ συγκατελθόντος μοι στρατοπέδου θεοσεβές ἐστιν, ἡμεῖς φανερῶς βουθυτοῦμεν, Deos palam colimus, & totus meus exercitus pietatem amat, nos aperte boves immolamus, *cum rejecta religione Chriſtiana cultum Idolorum ille impius Apoſtata reſtituiſſet, cùm ſatis doceat priùs non licuiſſe publicè.*

ε Doctiſſimus apud eos Varro.] *Quintil. libr. 10. cap. 1.* Terentium Varronem Romanorum eruditiſſimum vocat. *Agell. lib. 11. cap. decimo quarto.* Ætas M. Ciceronis, & C. Cæſaris præſtanti facundia viros paucos habuit, doctrinarum autem multiformium, variarumque artium, quibus humanitas erudita eſt, culmina habuit M. Varronem & P. Nigidium. *Arnob. lib. 5.* Varro ille Romanus multiformibus eminens diſciplinis. *Lactant. lib. 1. capit. 6.* M. Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos vixit.

ζ Cum rerum divinarum, atque humanarum diſpartitos.] *Varronem de rebus humanis atque divinis multa ſcripſiſſe, teſtis eſt Cic. lib. 1. Acad. quæſt.* Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti.

η In rebus divinis poneret ludos ſcenios.] *Nam ludi ſcenici Libero, quemadmodum Circenſes Neptuno, & alii aliis diis conſecrati erant. de hoc Arnob. lib. 7.* Ludi quos facitis, quibus Floralibus, & Megalenſibus nomen eſt, cæterique omnes alii, quos eſſe ſacros voluiſtis, & religionum inter officia deputari, quam

ratio-

rationem habent, quam cauſam, ut inſtitui condique debuerint, & ex numinum appellatione ſignari?

9 Si tantummodò boni & honeſti homines.] *Tertull. lib. de ſpectac. cap. 17.* Theatrum *vocat, in quo ſcena includebatur,* privatum conſiſtorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur. *Ubi multa ad hanc rem, quo etiam tractatu oſtendit, dedecere maximè Chriſtianos, adeoque omnes bonos & honeſtos viros hujusmodi ſpectacula & ludos adire. Et cap. 21. docet, non niſi Ethnicos ea adire poſſe, quos penes nulla eſt veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus, qui malum ac bonum pro libidine interpretantur, alibi bonum, quod alibi malum. Ad hoc plura Arnob. l. 7. & Lactant. li. 6. cap. 20.*

ι Quod profectò non auctoritate ſua fecit.] *Quod idem fuſius ſcribit infra cap. 31.*

CAP. II.

De his, quæ libro ſecundo & tertio continentur.

ET *a* quoniam in fine primi libri quæ deinceps dicenda eſſent, breviter poſuimus, & ex his quædam in duobus conſequentibus diximus, expectationi legentium, quæ reſtant, reddenda cognoſcimus. Promiſeramus ergo, quædam nos eſſe dicturos adverſus eos, qui Romanæ reip. clades in religionem noſtram referunt, & commemoraturos, quæcunque & quantacunque occurrere potuiſſent, vel ſatis eſſe viderentur, mala, quæ illa civitas pertulit, vel ad ejus imperium provinciæ pertinentes, antequam eorum ſacrificia prohibita fuiſſent: quæ omnia procul dubio nobis tribuerent, ſi jam vel illis noſtra clareret religio, vel ita eos à ſacrilegiis prohiberet. Hæc in ſecundo & tertio libris ſatis, quantum exiſtimo, abſolvimus: in ſecundo agentes de malis morum, quæ mala vel ſola, vel maxima deputanda ſunt. In tertio autem libro de his, quæ ſtulti ſola perpeti exhorrent, *a β* corporis videlicet, externarumque rerum, quæ plerunque patiuntur & boni. Illa verò mala non dico patienter, ſed libenter habent, quibus ipſi fiunt mali. Et quàm pauca dixi de ſola illa civitate atque ejus imperio, nec inde omnia uſque ad Cæſarem Auguſtum. Quòd ſi ita commemorare voluiſſem, & exaggerare illa mala, quæ non ſibi invicem homines faciunt, ſicut ſunt vaſtationes everſionesque bellantium: ſed ex ipſius mundi elementis terrenis accidunt rebus, *b γ* quæ uno loco Apulejus breviter ſtringit in eo libro, quem de mundo ſcripſit: *δ* terrena omnia dicens mutationes, *ε* converſiones atque interitus habere. Namque *ε* immodicis tremoribus terrarum, ut verbis ejus utar, *ζ* diſſiluiſſe humum & interceptas urbes cum populis dicit: *η* abruptis etiam imbribus prolutas totas eſſe regiones: illas etiam *θ* quæ prius fuerant continentes, hoſpitibus atque advenis fluctibus inſulatas, *ι* aliasque deſidia maris pedeſtri acceſſu pervias factas: ventis ac procellis everſas eſſe civitates: *κ* incendia de nubibus emicuiſſe, quibus Orientis regiones conflagratæ perierunt: & in Occidentis plagis ſcaturigines quasdam ac proluviones easdem ſtrages dediſſe. *λ* Sic ex Ætnæ verticibus quondam effuſis crateribus, per declivia, incendio divino, torrentis vice flammarum flumina cucurriſſe. Si hæc atque hujusmodi,

quæ

quæ habet hiſtoria, unde poſſem colligere voluiſſem, quando finiſſem, *a* quæ illis temporibus evenerunt, antequam Chriſti nomen illa iſtorum vana & veræ ſaluti pernicioſa comprimeret? Promiſeram, me etiam demonſtraturum, quos eorum mores, & quam ob cauſam Deus verus ad augendum imperium adjuvare dignatus eſt, in cujus poteſtate ſunt regna omnia, quamq́ue eos nihil adjuverint hi quos Deos putant, & potius quantum decipiendo & fallendo nocuerint: unde nunc mihi video dicendum, & magis de incrementis imperii Romani. Nam de noxia fallacia dæmonum, quos velut Deos colebant, quantum malorum invexerit moribus eorum, in ſecundo maximè libro non pauca jam dicta ſunt. Per omnes autem abſolutos tres libros ubi opportunum viſum eſt, commemoravimus, etiam in ipſis bellicis malis, quantum ſolatiorum Deus per Chriſti nomen, cui tantum honoris barbari detulerunt, præter bellorum morem bonis maliſq́ue contulerit, qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.

L. Vives. *a* Corporis videlicet externarumq́ue rerum.] *Ut eſt triplex bonorum genus, ita & malorum triplex illis contrarium.*

Apulejo. *b* Quæ uno loco Apulejus.] *Alibi in eo libro, L. Apulejus Madaurenſis philoſophus fuit Platonicus, antiquæ dictionis amator & æmulus. Librum Metamorphoſeos ex Luciano vertit ac multis additis ſuum fecit: De mundo ſive Coſmographia ex Ariſtotele ad verbum diſſimulato, quod vehementer miror, autore, tametſi Ariſtotelem & Theophraſtum ſequi ſe in eo opere profiteatur, inaudita civili loquendi formula: nam ſurripere appellat ſequi, quod civilius etiam eſt quàm fugæ, cedendi nomen indere: credo quòd ſequi vocaret præcurrere, ac viam monſtrare: & planè iſta ſunt innovatæ vocum ſignificationes, quo gratior fiat oratio atque lepidior. Libellum de mundo ut recentiores tranſeam, veteres, de quorum numero ſunt Juſtinus philoſophus ac martyr, & Themiſtius Euphrada, Ariſtotelis eſſe dicunt: quanquam phraſis parum id indicare videatur, florentior & concinnior quàm ſolet eſſe Ariſtotelica. Sed de hoc non eſt nunc diſputandi locus. Certè vel ab Ariſtotele, vel à Theophraſto, vel aliquo illorum temporum Ariſtotelicæ doctrinæ ſectatore conſcriptum eſſe, res oſtendit, compendium, ſicut Juſtinus inquit, Peripateticæ philoſophiæ illius quæ ad naturam ſpectat. Verba hæc, quæ ab Auguſtino citantur, deſunt in exemplari Apuleji Florentino: quod mihi Petrus Ægidius Antuerpianus, homo apprimè eruditus, & amicus omnium quos norim candidiſſimus atque integerrimus, accommodavit. Deſunt & in Veneto antiquiore, quod vidimus apud egregium virum Petrum Apoſtolium, & in noſtro recentiore quod excuſit Aſulanus Aldi ſocer. Sic enim in eis omnibus habetur. Terrena omnia mutationes & converſiones, poſtremò interitus habent. Poſtremò quod eſt in triremi gubernator, & tamen ſcripſiſſe hæc Apulejum, quæ Auguſtinus adducit, apparet, tum ex filo formaque orationis planè Apulejana, tum etiam quod in Ariſtotelis libro leguntur. Ad hunc enim modum dicit, ſi quis fortè requirit Græca verba:* Μόνα τε τὰ οὐράνια, διὰ τοῦτο ἀεὶ τὴν αὐτὴν σώζοντα τάξιν διακεκόσμηται. καὶ οὔ ποτε ἀλλοιωθέντα μετεκινήθη, καθάπερ τὰ ἐπὶ γῆς εὔτρεπτα ὄντα πολλὰς ἐπεριώσεις, καὶ πάθη ἀναδέδεκται. σεισμοί τε γὰρ βίαιοι πολ-

Liber de mundo an Ariſtot.

πολλὰ μέρη τῆς γῆς ἀνέρρηξαν. ὄμβροι τε κατέκλυσαν ἐξαίσιοι καταρραγέντες, ἐπιδρομαί τε κυμάτων καὶ ἀναχωρήσεις πολλάκις, καὶ ἤπειροι ἐθαλάττωσαι· καὶ θάλατται ἠπείρωσαν· βίαι τε πνευμάτων καὶ τυφώνων ἔστιν ὅτε πόλεις ὅλας ἀνέτρεψαν. πυρκαϊαί τε, καὶ φλόγες, αἱ μὲν ἐξ οὐρανοῦ γενόμεναι πρότερον, ὥσπερ φασὶν ἐπὶ Φαέθοντος τὰ πρὸς ἕω μέρη κατέφλεξαν· αἱ δὲ πρὸς ἑσπέραν ἐκ γῆς ἀναβλύσασαι, καὶ ἐκφυσήσασαι, καθάπερ τῶν ἐν Αἴτνῃ κρατήρων ἀναρραγέντων, καὶ ἀνὰ τὴν γῆν φερομένων χειμάρρου δίκην. *Hactenus Ariſtoteles. Quæ verba Latina Apulejus reddit, ubi Orientis regiones conflagraſſe dicit. Phaëthontis incendium Ariſtoteles diſertè explicat, illius quem ſolis filium fuiſſe perhibet, & aurigandi ignorantia cælum & terras incendiſſe, hac verò Ætnæ conflagratio prima eſt eruptio ignis ex eo monte, quæ ſecundo anno octava & octogeſimæ Olympiadis, tribus ante natum Platonem annis contigit: ſi modò Euſebio Cæſarienſi bene ſunt tempora digeſta, quod non temerè contigit, haud dubiè librariorum potius vitio, quàm autoris. In conflagratione ſervatos eſſe pios homines miraculo quodam ne ab igne læderentur, & hoc de mundo libro attingit Ariſtoteles, & fuſius in Mirabilibus naturæ auditionibus explicat, quem etiam librum nondum certum habeo num ſit Ariſtotelicus.* Ætna conflagratio.

*(ε Converſiones, & intenſiones, & remiſſiones, atque i.h.] *Periiſſet nugator ille, niſi aliud admiſcuiſſet Auguſtino de intenſione & remiſſione formarum, ſuper qua re major eſt inter eos digladiatio, quàm unquam inter Græcos & Trojanos fuit ſuper formoſa Helena: nimirum illas ſuas formas nihilum formæ hujus debere cedere exiſtimant: In antiquis Auguſtini libris non leguntur illa duo verba, intenſiones & remiſſiones, nec in Græco Ariſtotelis codice, ſed ſolùm ἐπιδρομὰς καὶ φθορὰς, quaſi converſiones & interitus, ideo nec everſiones dicendum, ſed converſiones.)**

α ET quoniam in fine primi libri.] *Receperat Auguſt. ſe quædam adverſus eos ſcripturum, qui Reipub. Romanæ clades, in Religionem Chriſtianam, quæ abſterrebantur à ſacrificiis & cultu Deorum, referebant: ſe etiam commemoraturum ex parte, quot & quanta mala civitas illa perpeſſa ſit, & ejus imperio provinciæ ſubditæ, antequam Mundo religio Chriſtiana innoteſceret, cùm tantam multitudinem Deorum venerarentur, nec à ſacris illis alia religione prohiberentur. Quò fit ut non niſi impiè & malignè ea religioni Chriſtianæ nunc imputent, & falsò, ut quæ anteceſſerunt mala, falsò illi tribuerent, ſi tum in terris viguiſſet nomen Chriſtianum, atque ſe ex parte ſatisfeciſſe dicit promiſſis. Repetit etiam, ſe egiſſe in ſecundo libro de malis morum, quæ corruperant illorum animos. In tertio ex parte de malis corporis & rerum externarum, quæ ad Auguſtum uſque in illo imperio ſucceſſere.* F.L.Cog.

β Corporis videlicet externarumque rerum.] *Ut triplex bonorum genus, ita triplex malorum illis oppoſitorum: ſed ut ſapientes ea tantùm habent in bonis, quæ verè bona ſunt, quæ ſcilicet honeſta ſunt, ut virtutes, alia verò non niſi quadam opinione vulgi: ità mala ea demùm eſſe, quibus homines fiunt mali, quæ maximè cavenda ſunt; minimè verò mala corporis & rerum externarum. Unde meritò reprehendit inimicos civitatis Dei, quòd tantoperè ſibi caveant ab iſtis, illa verò non fugiant, quibus efficiuntur mali.*

γ Quæ uno loco Apulejus.] *Quæ hic citat D. Auguſt. ex lib. Apuleji de Mundo,*

 deſunt

deſunt in eo, quem nunc habemus præ manibus, & fortaſſe ut alia multa veterum monimenta, hic liber ad nos mutilus pervenit.

δ Terrena omnia dicens mutationes.] *Hæc quæ citat ex Apulejo, habentur ferè apud Ariſt. lib. de Mundo, ſi tamen genuinus ille partus Ariſtotelis.* Terrenorum *verò* nomine *intelligi omnia poſſunt, quæ ſub convexo orbis Lunæ continentur: cum ſola corpora cæleſtia eumdem ſemper retineant ordinem, nec ulli mutationi, aut alterationi ſint obnoxia; reliqua verò inferiora transmutationem aliquam patiantur.*

ε Immodicis tremoribus terrarum.] *De terræ motu differens Ariſt. lib. 2. Meteor. ſcribit.* Sipylum vocatum Phlegræum agrum, & regionem Liguſticam, terræ motu everſa fuiſſe. *Strabo lib. 4. aliquot ingentium terræ motuum ex Democle meminit, quibus & pagi ſunt abſorbti, & civitates everſæ. Juſtinus lib. 40. ſcribit:* Tigrane Syriam obtinente eam ita terræ motu vaſtatam fuiſſe, ut 170. millia hominum, & multæ urbes perierint. *Refert Tacit. lib. 2. Annal. Imperante Tiberio duodecim celebres Aſiæ urbes collapſas noctu motu terræ. Cujus meminit & Plin. lib. 2. cap. 84. Solin. ca. 43. ſubindicat Tertull. lib. de pallio cap. 2.* Utinam & Aſia, *inquit,* ſecura jam ſit de ſoli ingluvie. *Tresdecim urbes ponit Euſeb. quatuordecim Nicephorus Calliſtus. Oroſ. lib. 7. cap. 4. vult, hunc terræ motum eumdem eſſe, qui in paſſione Domini contigit, cui ſubſcribit Pammelius ad eundem locum Tertulliani. Lipſius ad illum locum Taciti contendit, non fuiſſe eumdem, qui accidit morte Servatoris, & totis quatuordecim annis poſteriorem fuiſſe quo Bithinia concuſſa ſit, & in urbe Nicena ædes plurimæ dirutæ, ut meminit Euſeb. ex Phlegonte. Multi inſignes terræ motus tempora Chriſti præceſſere, & ſubſecuti ſunt, ut ex hiſtoriis conſtat. Arnob. lib. 1.* Terrarum validiſſimis motibus tremefactæ nutant usque ad periculum civitates.

ζ Diſſiluiſſe humum, & interceptas urbes.] Nonnunquam terra latè diffiſſa recedit, ſorbetque profundis faucibus integras urbes, & hiatus rurſus claudit, nullo earum relicto veſtigio, quia ſcilicet cavernarum capacitas hauſtæ moli reſpondet. *Plin. lib. 20. cap. 80.* hiatus aliàs remanet, oſtendens quæ ſorbuit, aliàs occultat ore compreſſo, rurſusque ita inducto ſolo, ut nulla veſtigia extent: urbibusque plerumque devoratis, agrorumque cultu hauſto. *Ita Buram, & Helicem ſcribit Oroſ. lib. 3. cap. 3. abruptis locorum hiatibus devoratas eſſe, anno ab V. C. 376. de quo & Plin. lib. 2. cap. 72. Pauſan. lib 7. Strabo lib. 8. Euſeb. in Chronico Olymp. 100. Scribit Nicephorus lib. 17. cap. 13. Pompejopolim in Cilicia hiatu terræ cum incolis omnibus fuiſſe abſorptam. Idem de villa quadam in Saxonia refert D. Anton. tit. 15. cap. 2. §. 5. & Simon Majolus colloquio 15. ex Theophane tradit in Eremo Sabæ hiatu repentino caſtella quadam fuiſſe abſorpta. Arnob. lib. 1. contra Gentes:* Hiatibus maximis interceptas urbes cum gentibus ſuperiora tempora non viderunt, aut ab hujusmodi caſibus fortunas habuere ſecuras?

η Abruptis etiam imbribus.] *Antè univerſalem mundi inundationem, quæ deſcribitur Gen. 7. ſcribit Genebrardus in ſua chronologia, unam tempore Enos extitiſſe, quæ tertiam partem terræ perdiderit. Diluvii Ogygis multi meminere, quo mare in Attica adeò exundavit, ut regionem illam vaſtaverit penitus. Scribit Oroſ.*

lib. 1.

lib. 1. cap. 9. Amphictyone Athenis tertio à Cecrope regnante aquarum illuviem majorem partem populorum abſumpſiſſe. Arnob. ibidem. Quando urbes ampliſſimæ marinis copertæ ſunt fluctibus? non ante nos?

θ Quæ fuerant priùs continentes, inſulatas.] *Ita Sicilia ab Italia avulſa dicitur, Cyprus à Syria, Eubœa à Bœotia, Bebricium à Bithinia, & quædam aliæ. Tertull. lib. de pallio cap. 2.* Italiæ quoddam latus Hadria, Tyrrhenoque quaſſantibus medio tenùs interceptum, reliquum Siciliam facit. *Apologet. cap. 40.* vis undarum Lucaniam Italiæ abſciſſam in Siciliæ nomen relegavit, *Plin. lib. 2. natur. hiſt. cap. 88. Strabo lib. 6. Prochytam, Pithechuſas, Leucoſiam, Sirenuſas, & Oenotridas,* ἀποσπάσματα τῆς ἠπείρου. 1. Partes à continenti avulſas docet. *De Atalante idem teſtatur Diodor. lib. 12. & Oroſ. lib. 2. cap. 18.* Atalante civitas Locris adhærens contigua, repentino maris impetu abſciſſa, atque in inſulam deſolata eſt. *Strabo inſulas, quæ ante promontoria ſunt ſitæ, aut freto à continente dividuntur, conſentaneum eſſe rationi indicat, ab ea eſſe abruptas.*

ι Aliaſque deſidia maris.] *Quædam etiam inſulæ maris terris junctæ, & continentes factæ. Sic* Antiſſa, Lesbo, Zephyrium, Halicarnaſſo, Arethuſa, Mindo, Dromiſcos, & Perne, Mileto, Narthecuſa, Parthenio promontorio. *Plin. lib. 2. cap. 89.*

κ Incendia de nubibus.] *Fulmina ſunt, nimirum ſpiritus, ſeu exhalationes calidæ, & ſiccæ, eæq; incenſæ è nubibus excluſæ. De quibus Ariſtotel. lib. 3. Meteor. cap. 1. Seneca lib. 2. natur. quæſtio. cap. 12. Plin. lib. 2. cap. 17. meminit Volſiniorum oppidi Thuſcorum opulentiſſimi totius Etruriæ fulmine concremati, meminit & Jul. Obſeq. lib. de Prodigiis. Et Tertull. in Apolog. cap. 40. & lib. de Pallio cap. 2.*

λ Sic & Ætnæ verticibus.] *Ætna mons eſt in Sicilia crebris incendiis gravis, & perniciosus accolis, ut colligi poteſt ex Oroſ. li 5. cap. 6. 10. & 13. Juſtinus initio lib. 4. Cur perpetui ſint Ætnæi ignes, explicat. De quo & Strabo lib. 6.*

μ Quæ illis temporibus evenerunt antequàm Chriſti &c.] *Vult oſtendere, non niſi malignè & falsò tot calumnias ſtrui à gentilibus, quaslibet clades Chriſtianæ religioni jam ſuperiorem locum, rejecta veteri ſuperſtitione, in mundo obtinente aſcribentibus; cum eadem, quæ tribuunt Chriſtianis temporibus, & ſuperioribus temporibus evenerint, quæ ex parte recenſuit. Eodem argumento paſſim in Apologet. ſed maximè cap. 40. utitur Tertull. varias clades recenſens eodem inſtituto, quo hic Auguſt. quæ ante Tiberium, id eſt ante Chriſti adventum urbem & orbem ceciderunt. Et Arnob. lib. 1. ad confundendam hanc calumniam Gentilium copioſa oratione recenſet ex eorum hiſtoriis, quod ante Chriſtum cladibus, & calamitatibus ſæpiùs mundus ſit oppreſſus. Terræ motus ipſos ſolitos eſſe Gentiles Chriſtianis imputare, & ob id perſecutiones paſſas Eccleſias, & incenſas, teſtis eſt Orig. tract. 28. in Matth. Et Firmilianus Epiſcopus Cæſareæ in Capadocia apud D. Cyprianum epiſt. 75.* Terræmotus, *inquit,* plurimi & frequentes extiterunt, ut per Capadociam, & per Pontum multa ſubruerent: quædam etiam civitates in profundum receptæ diſrupti ſoli hiatu devorarentur, ut ex hoc perſecutio quoque gravis adverſum nos Chriſtiani nominis fieret.

Cap. III.

An latitudo imperii, quæ non niſi bellis acquiritur, in bono habenda ſit ſive fœlicium ſive ſapientium.

Jam itaque videamus quale ſit, α quod tantam latitudinem ac diuturnitatem imperii Romani illis Diis audent tribuere: quos etiam per turpium ludorum obſequia, & per turpium hominum miniſteria ſe honeſtè coluiſſe contendunt. Quanquam prius vellem paululum inquirere, quæ ſit ratio, quæ prudentia, cùm hominum fœlicitatem non poſſis oſtendere, ſemper in bellicis cladibus & in ſanguine civili vel hoſtili, tamen humano, cum tenebroſo timore & cruenta cupiditate verſantium: ut vitro lætitia eorum comparetur β fragiliter ſplendida: cui timeatur horribilius ne repente frangatur: de imperii magnitudine ac latitudine velle gloriari. Hoc ut facilius dijudicetur: non vaneſcamus inani ventoſitate jactati, atque obtundamus intentionis aciem altiſonis vocabulis rerum, cum audimus populos, regna, provincias, ſed duos conſtituamus homines. Nam ſingulus quisque homo, γ ut in ſermone una litera, ita quaſi elementum eſt civitatis & regni, quantalibet terrarum occupatione latiſſimi. Quorum duorum hominem, pauperem unum, vel potius mediocrem, alterum prædivitem cogitemus: ſed divitem timoribus anxium, mœroribus tabeſcentem, cupiditate flagrantem, nunquam ſecurum, ſemper inquietum, perpetuis inimicitiarum contentionibus anhelantem, augentem ſanè his miſeriis patrimonium ſuum in immenſum modum, atque illis augmentis curas quoque amariſſimas aggerantem: mediocrem verò illum re familiari parva atque ſuccincta ſibi ſufficientem, cariſſimum ſuis cognatis, vicinis, amicis, dulciſſima pace gaudentem, pietate religioſum, benignum mente, ſanum corpore, vita parcum, moribus caſtum, conſcientia ſecurum. Neſcio utrum quisquam ita deſipiat, ut audeat dubitare quem præferat. Ut ergo in his duobus hominibus, ita in duabus familiis, ita in duobus populis, ita in duobus regnis regula ſequitur æquitatis. Qua vigilanter adhibita, ſi noſtra intentio corrigatur, facillimè videbimus, ubi habitet vanitas, & ubi fœlicitas. Quapropter ſi verus Deus colatur, eique ſacris veracibus & bonis moribus ſerviatur, δ utile eſt, ut boni longè latèque diu regnent. ε Neque hoc tam hoc ipſis, quàm illis utile eſt, quibus regnant. Nam quantum ad ipſos pertinet, pietas & probitas eorum, quæ magna dona Dei ſunt, ſufficit eis ad veram fœlicitatem, qua & iſta vita bene agatur, & poſtea percipiatur æterna. In hac ergo terra regnum bonorum, non tam illis præſtatur, quàm rebus humanis. Malorum verò regnum magis regnantibus nocet, qui ſuos animos vaſtunt ζ ſcelerum majore licentia: his autem, qui eis ſerviendo ſubduntur, non nocet niſi iniquitas propria. η Nam juſtis quicquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non eſt pœna criminis, ſed virtutis examen. α Proinde θ bonus etiam ſi ſerviat, liber eſt: malus autem etiam ſi regnet, ſervus eſt: nec unius hominis, ſed quod eſt gravius, ι tot dominorum, quot vitiorum. De quibus vitiis cùm ageret ſcriptura divina: κ *A quo enim quis*, inquit, *devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt.*

α Pro-

a PRoinde bonus etiam ſi ſerviat.] *Stoicum paradoxum, cujus meminit Cicero in Paradoxis & pro Murena: idcirco Hieronymus Stoicam ſectam ſimillimam cenſet Chriſtianæ religionis.*

L. Vives. Stoici Chriſtianis proximi. P.L. Coq.

α QUod tantam latitudinem, ac diuturnitatem Imperii.] *Quanta fuerit Romani imperii latitudo ſcribit Strabo ad finem lib. 6. & lib. 17. & Rex Agrippa apud Joſephum lib. 2. de bello Judaico cap. 3. Appian. in proœmio Lybici. Imperarunt tribus mundi partibus, non quidem usque quaque, ſed latiſſimè. Occidentalis terminus imperii fuit extremitas Hiſpaniæ; Orientalis Euphrates, Taurus, & Armenia; Septentrionalis Rhenus & Danubius; Auſtralis Æthiopes. Dominabantur univerſo mari Mediterraneo, & omnibus, quæ in eo ſunt inſulis: præterea in Boreali oceano ipſi Britanniæ. Nec dubitat affirmare Appianus, omnes inferiores monarchias Aſſyriorum, Perſarum, & Græcorum vix dimidiatam imperii Romani partem poſſediſſe: cui ſubſcribunt Polybius & Dionyſ. Halicarnaſſeus initio ſuarum hiſt. Magnitudinem imperii Romani expreſſit Ovid. his verſibus.*

Jupiter arce ſua totum cum ſpectet in orbem,
Nil niſi Romanum, quod tueatur, habet.

Et Petronius:

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Quà mare, qua terræ, qua ſydus currit utrumque.

Cum tenebroſo timore.] *Ut enim præclarè Seneca in Theb.*

Licèt omne tecum Græciæ robur trahas,
Licèt arma longè miles, ac latè explicet,
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.

β Fragiliter ſplendida, qui timeatur.] *Tacit. 1. Annal.* Cuncta mortalium incerta, quantòque plus adeptus ſis, tanto te magis in lubrico cenſeas. *Val. lib. 6. cap. ult.* Caduca hæc & fragilia, puerilibusque conſentanea crepundiis, quæ vires, atque opes humanæ vocantur. *Scythæ apud Curtium lib. 7. orat. ad Alexand.* An ignoras, arbores magnas diu creſcere, una nocte exſtirpari. *Ibidem:* Nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit etiam ab invalido. *Pauſan. in Arcad.* τὰ ἀνθρώπινα πρόσκαιρά τε καὶ οὐδαμῶς ἐστὶν ἰσχυρά. Caducæ & fluxæ res humanæ, nequicquam ſtabile, & firmum.

γ Ut in ſermone una littera, ita quaſi elementum.] *Quemadmodum enim ex litteris primum ſyllabæ, ex ſyllabis deindè dictiones, ex dictionibus orationes conſtituuntur: ita ex hominibus primùm familiæ, ex familiis deindè civitates, ex civitatibus provinciæ, ac tandem regna conſtituuntur.* Si verus Deus colatur in omni Repub. *ait Ariſt. in polit. cap. 8.* πρῶτον ἡ περὶ θεῖον ἐπιμέλεια. Primum eſt curatio rerum divinarum. *Val. Max. lib. 1. cap. 1. ſcribit, Romanos exiſtimaſſe, rectè imperia habitura, ſi divinæ potentiæ rectè atque conſtanter famulata fuiſſent. Mæcenas apud Dionem lib. 52. monebat Auguſtum* τὸ μὲν θεῖον πάντη πάντως αὐτός τε σέβου κατὰ τὰ πάτρια καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε. *Lactant. lib. de Ira cap. 12.* Religio, & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem; *Multò magis in Repub. Chriſtiana, & principe Chriſtiano ea prima cura eſſe debet, ut verus Deus*

colatur, cum ad fulciendum, & ſtabiliendum Reipubl. ſtatum nihil ipſa vera religione magis conducat.

δ Utile eſt, ut boni longè lateque diu regnent.] *Quàm neceſſarius ſit princeps in Repub. ac in primis bonus princeps, docet Seneca lib. 1. de clem. cap. 3. & 4.* Ille enim eſt vinculum, per quod Reſpubl. cohæret, ille ſpiritus vitalis, quem tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus, & præda, ſi mens illa imperii ſubtrahatur. *Et lib. de conſolat. ad Polyb. cap. 26.* Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.

ε Neque hoc tam ipſis, quàm illis utile eſt.] *Ariſt. lib. 7. polit. cap. 14. ſcribit, aliud eſſe imperium, ejus qui imperat gratia, aliud ejus, qui imperio paret, & illud quidem imperium eſſe domini in ſervos, hoc verò imperium in liberos, cujuſmodi ſunt qui ſubſunt principi juſto, ac legitimo. Ut enim Xenophon in memorab. Socratis lib. 3. ſcribit,* ὁ βασιλεὺς αἱρεῖται, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ ἐπικαλῶς μέληται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὖ πράττωσι. Rex eligitur, non ut ſeſe molliter curet, ſed ut per ipſum ii, qui elegerunt, benè beateque agant. *Scribebat Ariſt. ad Alexandrum, regna dari* πρὸς εὐεργεσίαν, ut benè ſit ſocietati hominum, non πρὸς ὕβριν. *Cic. lib. 5. de Repub.* Moderatori Reipub. beata civium vita propoſita eſt, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. *Seneca lib. de conſolat. ad Polyb. cap. 26.* Ex quo ſe Cæſar orbi terrarum dedicavit, ſibi eripuit, & ſyderum modo, quæ irrequieta ſemper curſus ſuos explicant, nunquàm illi licet nec ſubſiſtere, nec quicquam ſuum facere. *Præclare Philo Judæus l. de creat. Principis:* τὸν ἄρχοντα οὕτω χρὴ προεστάναι τῶν ὑπηκόων ὡς πατέρα παίδων, ἵνα καὶ αὐτὸς ὡς ὑπὸ γνησίων υἱῶν ἀντιτιμᾶται, διότι κοινοὶ πόλεων καὶ ἐθνῶν γονεῖς, εἰ δεῖ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, ἄρχοντές εἰσιν οἱ ἀγαθοὶ τὴν ἴσην, ἔστι δ' ὅτε καὶ περιττοτέραν εὔνοιαν ἐπιδεικνύμενοι, τοὺς δ' ἐπὶ λύμῃ καὶ ζημίᾳ τῶν ὑπηκόων μεγάλας περιβαλλομένους δυναστείας, οὐκ ἄρχοντας, ἀλλ' ἐχθροὺς προσαγορευτέον τὰ πολεμίων ἀσυμβάτων δρῶντας. *Id eſt,* Principem ſic oportet imperare ſubditis, ut parentem liberis, ut & ab ipſis tanquam à germanis filiis honoretur: ſunt enim principes, ut verum fatear, publici parentes civitatum & gentium, quotquot boni ſunt, & quidem æqualem, imò nonnunquam majorem, quàm ipſi parentes naturales benevolentiam exhibent. At qui in ſubditorum detrimentum abutuntur potentia, hi non principes, ſed hoſtes ſunt appellandi, cum agant hoſtilia. *Ab Homero bonus princeps dicitur* ποιμὴν λαῶν. Paſtor populorum. *Cyrus apud Xenophontem lib. 8.* Κύρου παιδείας, *Regum & paſtorum opera dicebat maximam habere affinitatem: ut enim ad Paſtorem pertinet curare, ut pecora habeat læta, & ſucculenta, Regis eſt ſubditos fœlices facere, & opulentos, ac potiùs ſubditis, quam ſibi conſulere. Claudianus ad Honorium Imp. ſcribit,*

Tu civem, patremque geras, tu conſule cunctis,
Non tibi; nec tua te moveant, ſed publica damna.

ζ Scelerum majore licentia.] *Tacit. lib. 4.* Malus ille, qui ex mala fortuna licentiam tantam uſurpat. *Ibidem:* qui non ad curas intentus, ſed ſtupris & adulteriis

ulterius principem agit; turpe certè illud, licet ſi lubet, *quod Spartianus in Antonino Caracalla refert aliquando dictum à Julia noverca ipſi Imperatori. Seneca in Troade.* Minimùm decet liberè, cui nimium licet. *Meritò reprehenditur Anaxarchus, quòd Alexandrum doceret, omnia Regum facta licita eſſe, atque juſta. Arrian. lib. 4. Plut. in Alex. Longè ſanctius illud Theodorici Regis apud Caſſiodorum:* Cùm omnia poſſimus, ſola credimus nobis licere laudanda.

η Nam juſtis quicquid malorum.] *Non abſimile illud Arnobii li. 1. contra Gentes:* Nec turpitudinis alicujus commaculatur nota, qui non ſuo merito pœnas graves, ſed cruciatorum patitur ſævitate.

θ Bonus etiamſi ſerviat, liber eſt.] *Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 11. multa de ſervis non omninò contemnendis:* Quid ita, *inquit,* nomen ſervitutis horremus? Servus eſt quidem, ſed neceſſitate; ſed fortaſſe liber animo ſervus eſt. *Poſt:* Non homines fortuna æſtimabo, ſed moribus. Sibi quiſque dat mores; conditionem caſus aſſignat. Quemadmodum ſtultus eſt, qui empturus equum non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus ac frænos; ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem ex veſte, aut ex conditione, quæ modo veſtis nobis circumdata eſt, æſtimandum putat, *ubi & refert, multos ex ſervis in egregios philoſophos evaſiſſe. Euripid. apud Stobæum ſer. 174.* Ἓν γὰρ τι τοῖς δούλοισιν αἰσχύνην φέρει, Τοὔνομα, τὰ δ' ἄλλα πάντα, τῶν ἐλευθέρων. Οὐδεὶς κακίων δοῦλος ὅστις ἐσθλὸς ᾖ. *Ibi.* πολλοῖσι δούλοις τοὔνομ' αἰσχρὸν; ἡ δὲ φρὴν τῶν οὐχὶ δούλων ἔστ' ἐλευθερωτέρα. *Extat & Ciceronis paradoxon,* ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μωροὶ, δοῦλοι. *Et libellus Philonis* ὅτι πᾶς σπουδαῖος ἐλεύθερος. *Ubi hoc egregiè inter cætera ad finem:* μήτε τοῖς λεγομένοις ἀστοῖς πολιτείας ἢ ἐλευθερίαν, μήτε τοῖς οἰκοτρίβων ἢ ἀργυρωνήτοις δουλείαν ἐπιφημίζωμεν, ἀλλὰ γένη καὶ δεσποτικὰ γράμματα, καὶ συνόλως σώματα παρελθόντες ψυχῆς φύσιν ἐρευνῶμεν; εἰ μὲν γὰρ πρὸς ἐπιθυμίας ἐλαύνεται, ἢ ὑπὸ ἡδονῆς δελεάζεται, ἢ φόβῳ ἐκκλίνει, ἢ λύπῃ συστέλλεται, ἢ ὑπὸ ἀπορίας τραχηλίζεται, δούλην μὲν αὐτὴν, δοῦλον δὲ καὶ τὸν ἔχοντα μυρίων δεσποτῶν ἀπεργάζεται· εἰ δὲ φρονήσει μὲν ἀμαθίαν, σωφροσύνῃ δὲ ἀκολασίαν, δειλίαν δὲ ἀνδρείᾳ, καὶ πλεονεξίαν δικαιοσύνῃ κατηγωνίσατο, τῷ ἀδουλώτῳ καὶ τὸ ἀρχικὸν προσείληφε. *Id eſt.* Nec libertatem tribuamus iis, qui ſe cives nominant, nec emptitiis mancipiis ſervitutem objiciamus, ſed omiſſis natalibus & tabulis, & in totum rebus corporeis, ſcrutemur naturam animi, qui ſi concupiſcentiis agitatur, aut ab inopia cervice obtorta trahitur, & ipſe ſeruit, & totum hominem heris innumeris ſervire adigit; ſi autem inſcitiam prudentia, luxum temperantia, formidinem fortitudine, avaritiam æquitate ſuperat, imperat etiam, tantum abeſt ut ſerviat. *Greg. Nazianz. in nobilem malè moratum: In duas partes non natura, ſed tyrannis homines ſecuit ac diſtinxit,* Mihi ſervus eſt, quiſquis turpiter, ac flagitioſè vivit: mihi liber eſt, quiſquis virtute, vitæque integritate præſtat.

ι Tot dominorum, quot vitiorum.] *Democriti illud apud Stobæum ſerm. 48.* Ἀνδρεῖος οὐχ ὁ τῶν πολεμίων κρατῶν, ἀλλὰ καὶ ὁ τῶν ἡδονῶν κρείσσων· ἔνιοι δὲ πόλεων μὲν δεσπόζουσι, γυναιξὶ δὲ δουλεύουσι. *Et Bionis apud eumdem ſerm. 174.* οἱ ἀγαθοὶ οἰκέται ἐλεύθεροι, οἱ πονηροὶ ἐλεύθεροι δοῦλοι πολλῶν ἐπιθυμιῶν.

x A quo quis devictus eſt.] *2. Petri. 2. Hæc infeliciſſima & miſeranda ſervitus, à qua Chriſtus nos liberavit, non à ſervitute legum, vel mundana, ne ullis legibus, vel principibus ſubjiciamur, cum contra* omnis poteſtas ordinata ſit à Deo, & legum conditores per eum juſta decernunt. *Hoc eſſet, velamen malitiæ habere libertatem, quod vetat Petrus. 1. 2. Hanc libertatem fruſtra à ſuo Meſſia Judæi expectant, non intelligentes, libertatem illam, quæ promittebatur, ſpiritualem, & à peccato intelligendam eſſe,* liberati enim ſumus à ſervitute peccati in libertatem filiorum Dei. *Rom. 8.*

CAP. IV.

Quàm ſimilia ſint latrociniis regna abſque juſtitia.

REmota α itaque juſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? *a* quia & ipſa latrocinia quid ſunt, niſi parva regna? β Manus etenim ipſa hominum cum imperio principis regitur, pacto ſocietatis aſtringitur, placiti lege præda dividitur. γ Hoc malum ſi in tantum perditorum hominum acceſſibus creſcit, ut & loca teneat, ſedes conſtituat, civitates occupet, populos ſubjuget; evidentius regni nomen aſſumit, quod ei jam in manifeſto confert non adempta cupiditas, ſed addita impunitas. Eleganter enim & veraciter Alexandro illi Magno *b* quidam comprehenſus pirata reſpondit. Nam cùm idem rex hominem interrogaſſet, quid ei videretur, ut mare haberet infeſtum? ille libera contumacia, δ quid tibi, inquit, ut orbem terrarum? Sed quia id ε exiguo navigio facio, latro vocor: quia tu magna claſſe, Imperator.

L. Vives. *a* QUia & ipſa latrocinia.] *Hoc idem elegantiſſimè Cyprianus ad Donatum: Madet, inquit, orbis mutuo ſanguine: & homicidium, cùm admittunt ſinguli, crimen eſt: virtus vocatur, cùm publicè geritur. Impunitatem ſceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, ſed ſævitiæ magnitudo. Et profectò non modò non eſt bonorum hominum bellare, ſed ne latronum, ac ne hominum quidem belluarum eſt iſte furor, unde bellum nomen accepit, ut in Officiis ſubſignificat Cicero, & Feſtus apertè teſtatur.*

Pirata cujuſdã liberè dictum. *b* Quidam comprehenſus pirata.] *Ex Cicer. lib. de rep. 3. ut eſt apud Nonium Marcellum. Nam cùm quæreretur, inquit, ex eo, quo ſcelere impulſus mare haberet infeſtum uno myoparone, eodem, inquit, quo tu orbem terræ. Porrò myoparo navicula ſolebat eſſe piratica. Lucanus in x. Alexandrum fœlicem terrarum prædonem vocat: &,*

Terrarum fatale malum, fulménque quod omnes
Percuteret populos, paritérque, & ſydus iniquum Gentibus.

F. L. Coq. α REmota itaque juſtitia.] *Quanta ſit neceſſitas Juſtitiæ, eleganter docet Cic. 2. offic.* Tanta, *inquit,* hujus vis eſt, ut nec ii quidem, qui ſcelere aut maleficio paſcuntur, poſſint ſine ulla particula juſtitiæ vivere. *In paradox.* Jus & æquitas vincula civitatum. *Seneca in Thyeſte:* Ubi non eſt pudor, nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides; inſtabile regnum eſt. *Ideo Lucani illud falſum & improbum:*

Sceptrorum vis tota perit; ſi pendere juſta Incipit.

Cùm nullum firmius ſit Reipub. præſidium, quàm ipſa juſtitia.

β Manus etenim ipſa hominum.] *Pro turba & coactis hominibus. Ita apud*

Quin-

Quintil. lib. 10. cap. 1. Oratorum ingens manus. Multa manus Poetarum, *apud Horatium Serm. ſatyr. 4.* Valida manus, *apud Tacitum lib. 2.* Ardens juvenum manus, *apud Virg. 6. Æneid. eo denique ſenſu à Græcis* χεὶρ *uſurpatur. Appian. lib. 2. bell. civil.* χεῖρά τε πολλὴν ἀφανῶς ἡτοιμάζετο. *Herodian. lib. 1.* χεῖρα πολλὴν κακούργων ἐν ὀλίγῳ ἀθροίσας χρόνῳ, *&c. Quod poſteà* πλῆθος κακούργων *dicit. Hinc locutio illa* manum facere. *Cæſar lib. 5. com. de bello civili:* Cohortatus ut manu facta ſe ſuosque defenderent. *i. multitudine collecta, quo ſenſu & Livius lib. 4.* Manu facta virginem ex domo patris rapiunt. *Tertull. lib. ad Scapulam cap. 5.* Omnes illius civitatis Chriſtiani ante tribunalia ejus ſe manu facta obtulerunt. *Et manum colligere, Æmyl. Prob. in Alcibiade:* Manu collecta primus Græciæ in Thraciam introiit.

γ Hoc malum ſi in tantum perditorum.] *Multi ex latronibus collecta perditorum hominum manu Reges & Imperatores evaſere potentiſſimi. Theatrum vitæ humanæ vol. 16. lib. 2.*

δ Quid tibi, inquit, ut orbem terrarum] *Alexandrum Lucan. li. 10. meritò appellat.*

> Terrarum fatale malum, fulmenque quod omnes
> Percuteret populos, pariterque & ſydus iniquum
> Gentilibus. ——

Seneca lib. 3. nat. quæſt. Philippi, & Alexandri victorias latrocinia appellat. Qui exitio gentium clari, non minores fuere peſtes mortalium, quàm inundatio, qua planum omne perfuſum eſt, quàm conflagratio, qua magna pars animantium exaruit. *Scribit Arrian. lib. 7. Ab Indorum ſapientibus palàm iniquum vocatum eſſe Alexandrum, ut qui tam longè à domo diſceſſiſſet, ſibi & aliis negotium faceſſiturus.* Qua nocte Epheſiæ Dianæ templum conflagravit, eadem ex Olympiade, & Philippo natus eſt Alexander, atque ubi lucere cœpiſſet, Magi quotquot agebant Epheſi, clamitarunt peſtem, ac perniciem Aſiæ proxima nocte natam. *Cic. lib. 1. de divinat. Plut. in Alexandro.*

ε Exiguo navigio.] *Nonius Marcellus ex Cic. 3. de Repub.* Myoparonem *vocat. Sunt autem* Myoparones *Turnebo lib. 3. adverſ. cap. 1.* Lembi Piratici, *nomen adepti à* Paro *inſula, &* Myunte, *urbe, nam &* Paro *navigii genus eſt, & compoſito nomine* Myoparon. *De* Myoparone *plura Gyraldus lib. de navigiis. pag. 241.*

Cap. V.

De fugitivis gladiatoribus, quorum potentia ſimilis fuerit regiæ dignitati.

PRoinde omitto quærere quales Romulus congregaverit, quoniam multum eis conſultum eſt, ut ex illa vita dato ſibi conſortio civitatis, α pœnas debitas cogitare deſiſterent: quarum metus eos in majora facinora propellebat, ut deinceps pacatiores eſſent rebus humanis. Hoc dico, quod ipſum Romanum imperium jam magnum multis gentibus ſubjugatis, cæteriſque terribile, acerbè ſenſit, graviter timuit, non parvo negotio devitandæ ingentis cladis oppreſſum:

β quando pauciſſimi gladiatores in Campania de ludo fugientes, γ exercitum magnum compararunt: *a* δ tres duces habuerunt: Italiam ε latiſſimè & crudeliſſimè vaſtaverunt. Dicant quis iſtos Deus adjuverit, ut ex parvo & contemptibili latrocinio pervenirent ad regnum, tantis jam Romanis viribus arcibusque metuendum? *b* ζ An quia non diu fuerunt, η ideo divinitus negabuntur adjuti? Quaſi verò ipſa cujuslibet hominis vita diuturna ſit. Iſto ergo pacto neminem Dii adjuvant ad regnandum, quoniam ſinguli quique citò moriuntur. Nec beneficium deputandum eſt, quod exiguo tempore in unoquoque homine, ac per hoc ſigillatim utique in omnibus vice vaporis evaneſcit. Quid enim intereſt eorum, qui ſub Romulo Deos coluerunt, & olim ſunt mortui, quòd poſt eorum mortem Romanum tantum crevit imperium, cùm illi apud inferos cauſas ſuas agant? Utrum bonas an malas, ad rem præſentem non pertinet. Hoc autem de omnibus intelligendum eſt, qui per ipſum imperium quamvis decedentibus ſuccedentibusque mortalibus in longa ſpatia protendatur, paucis diebus vitæ ſuæ curſum raptimque tranſierunt, θ actuum ſuorum ſarcinas bajulantes. Sin verò etiam ipſa breviſſimi temporis beneficia Deorum adjutorio tribuenda ſunt, non parum adjuti ſunt illi gladiatores, qui ſervilis conditionis vincula ruperunt, fugerunt, evaſerunt, exercitum magnum & fortiſſimum collegerunt, obedientes regum ſuorum conſiliis & juſſis: multum Romanæ celſitudini metuendi, & aliquot Romanis Imperatoribus inſuperabiles multa ceperunt: potiti ſunt victoriis plurimis, uſi voluptatibus quibus voluerunt: quod ſuggeſſit libido, fecerunt: poſtremò donec vincerentur, quod difficillimè eſt factum, ſublimes regnanteſque vixerunt. Sed ad majora veniamus.

L. Vives. Duces fugitivorum. *a* TRes duces.] *Sparthacum, Chryſum & Oenomaum. Memorabile eſt quod Plinius lib. iij. & xxx. refert, interdixiſſe caſtris ſuis Sparthacum auro & argento: unde non miror, tantum ejus opes potentiámque creviſſe. Et lex illa melior erat in caſtris fugitivorum, quàm ſunt alia Midica in urbibus potentium regum.*

b An quia non diu fuerunt.] *Tertio anno poſtquam fugerant, deleti ſunt à M. Licinio Craſſo.*

F. L. C. q. α POenas debitas cogitare deſiſterent.] *Plut. in Romulo aſylum* ἱερὸν Φύξιμον *appellat; In quod, ait,* ἐδέχοντο πάντας, ὅτι δραπέτας δούλους, ἢ θῆτας χρήστας, οὔτ' ἄρχουσιν αὐθρφόνον ἐκδιδόντες.

β Quando pauciſſimi gladiatores.] *Oroſ. lib. 5. cap. 24. dicit fuiſſe ad 74. Plut. in Craſſo ad 82.*

γ Exercitum magnum compararunt.] *Ad 70. millia armatorum Spartacus habebat, in dieſque ejus opes invaleſcebant cum Romæ L. Gellius, & Cn. Lentulus Coſſ. facti ſunt.*

δ Tres duces habuerunt.] *Chryſum, Oenomaum, & Spartacum Thracem, qui ſociis interfectis princeps fuit exercitus, ac multos duces & exercitus Romanos fudit. Flor. l. 3. c. 20. cum Plut. in Craſſo hoc bellum vocat* Spartacium *à duce* Spartaco. *Cic. oRAT. pro L. Manilia dicitur* ſervile. *Cæſari li. 1. de bello Gallico,* ſervilis tumultus.

ε Latiſſime, & crudeliſſimè vaſtaverunt.] *Claudianus.*

Nec

Nec bellua tetrior ulla eſt.
Quàm ſervi rabies in libera colla furentis.

ζ An quia non diu fuerunt.] *Anno 3. belli ſervilis deleti ſunt à M. Licinio Craſſo.*

η Ideo divinitùs negabuntur adjuti.] *Non modo regna & imperia, verùm etiam ipſorum momenta, atque durationes divinæ providentiæ ſubjiciuntur. Ut dum vita hominum brevis, ita Dei beneficium eſt, ut longa ac diuturna; ſic de imperio cogitandum.*

θ Actuum ſuorum ſarcinas bajulantes.] Adducet enim Deus omnia in judicium: Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Oportet omnes nos adſtare ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque, prout geſſit in corpore ſivè bonum, ſivè malum. *2. Cor. 5.*

Cap. VI.

De cupiditate Nini regis, qui ut latius dominaretur, primus intulit bella finitimis.

a Juſtinus α qui Græcam, vel potius peregrinam, Trogum Pompejum ſecutus, non Latinè tantùm ſicut ille, verùm etiam breviter ſcripſit hiſtoriam, opus librorum ſuorum ſic incipit: *b* β Principio rerum, gentium nationumque γ imperium penes reges erat, quos ad faſtigium hujus majeſtatis, non ambitio popularis, ſed δ ſpectata inter bonos moderatio provehebat. ε Populi nullis legibus tenebantur: *c* ζ arbitria principum pro legibus erant. Fines imperii tueri magis quàm proferre mos erat. Intra ſuam cuique patriam regna finiebantur. *d* η Primus omnium Ninus rex Aſſyriorum veterem & quaſi avitum gentibus morem nova imperii cupiditate mutavit. *e* θ Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, ad terminos uſque Libyæ perdomuit. Et paulò pòſt: Ninus, inquit, magnitudinem quæſitæ dominationis continua poſſeſſione firmavit. Domitis igitur proximis, cùm acceſſione virium fortior ad alios tranſiret, & proxima quæque victoria inſtrumentum ſequentis eſſet, totius Orientis populos ſubegit. *f* Qualibet autem fide rerum, vel iſte, vel Trogus ſcripſerit: nam ι quædam illos fuiſſe mentitos, aliæ fideliores literæ oſtendunt, conſtat tamen & inter alios ſcriptores, κ regnum Aſſyriorum à Nino rege fuiſſe longè latèque porrectum. Tam diu autem perſeveravit, *g* ut Romanum nondum ſit ejus ætatis. Nam ſicut ſcribunt, qui chronicam hiſtoriam perſecuti ſunt, λ mille ducentos & quadraginta annos ab anno primo quo Ninus regnare cœpit permanſit hoc regnum, donec transferretur ad Medos. Inferre autem bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos μ ſola regni cupiditate conterere & ſubdere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum eſt?

α Juſtinus qui Græcam.] *Trogus Pompejus ab initio gentium res populorum omnium complexus ad ſua tempora perduxit. Juſtinus magnum opus in breviarium contraxit, quam Epitomen nominavit, ut Florus fecit in Livio, quanquam paulò fuſius. Utinam Florus non tam brevis compreſſusque eſſe ſtuduiſſet: nunc pro Trogo Ju-* L. Viv.

ſtinus legitur. Sunt qui hiſtoriam Trogi vidiſſe ſe in Italia affirment, per quietem puto.

Reges primi. *b* Principio rerum gentium.] *Principio ſingulæ familiæ ſingulos reges habuerunt, vel natu maximos, vel conſilio, prudentia, æquitate præſtantiſſimos, aliquantum pòſt multis familiis cœpit idem rex imperare, interdum eidem plures reges, quos populus duces ſibi rectoresque & velut ſpeculatores publici commodi eligebat, non qualem ſors dediſſet cogebatur accipere: nec nobilitas valebat, nec ambitus: ſua unicuique utilitas cum communi conjuncta ſatis chara, ſatisque commendata erat, ne eligeret niſi optimum.*

c Arbitria principum.] *Cùm princeps eſt bonus, ſatius eſt ab eo regi, quàm à bona lege: ſicut Ariſtoteles docet in lib. de repub.*

Ninus rex. *d* Primus omnium Ninus,] *Hic fuit Beli filius, de quo alibi.*

Primum bellum. *e* Hic primus intulit bella finitimis.] *Ante Ninum conſtat, bellatum eſſe inter mortales: jam enim Afri & Ægyptii inter ſe pugnarant ſudibus, quas vocarunt phalangas, & belli autores Plinius in quinto Phœnices eſſe dicit. Juſtinus Vexorem Ægypti & Tanaim Scythiæ reges nominat, qui bella cum longinquis populis nominis & gloriæ cauſa geſſerint. Ninus verò primus finitimis cupidine augendæ ditionis bellum fecit.*

f Qualibet autem fide rerum.] *Græci ſcriptores ſive luxuria ſtyli, ſive quo res patriæ eſſent admirabiliores, ſive quo magis operibus ſuis lectorem oblectarent, tenerentque, ſive gentis vitio, multa ſunt in hiſtoria mentiti. Latini qui res Græcas tractarent, cùm neceſſe haberent eos ſequi, etiam multa falſa pro veris aſſeruerunt, ut Trogus & Curtius Ruffus.*

8 ſuperi. 9 m Aſ- ſ ſyriorũ. *g* Ut Rom. nondum ſit ejus ætatis.] *Quantum durarit imperium Aſſyriorum, non inter omnes convenit. Euſebius* MCC. *&* XL. *annos numerat. Diodorus Siculus* MCCC. *&* LX. *Ex Etheſia ſupputatione, quo plurimum utitur in rebus Aſiæ narrandis. Juſtinus ex hoc numero ſexaginta adimit: nec de numero regum conſtat. Diodorus* XXX. *reges fuiſſe Aſſyriorum ſcribit. Euſebius ſex & triginta. Vellejus Paterculus tres & triginta à Nino ad Sardanapalum, ita ut ſemper ſucceſſor regni fuerit demortui filius. Porrò Auguſtinus libros de civitate Dei ſcripſit principatu Honorii & Theodoſii junioris circiter annum ab Urbe condita* MCLXX.

F.L.Coq. α JUſtinus, qui Græcam.] *Trogus Pompejus claruit ante Chriſtum annis 150. Librorum ejus epitome à Juſtino libris 44. comprehenſa, omnium penè populorum geſta breviter commemorans à Nino usque ad Cæſarem Auguſtum.*

β Principio rerum.] *Nam ſtatim à mundi initio Regium nomen introductum colligitur ex ſcriptura ſacra, quæ Geneſ. 10. de Nemrod dicit, quod cœperit eſſe potens in terra, & quod fuerit principium regni ejus Babylon, & ante eum nullus tyrannicam, vel etiam Regiam in populos poteſtatem exercuit.*

γ Imperium penes Reges erat.] *Ita Cic. 3. de legib. Omnes antiquas Gentes Regibus primùm paruiſſe, quod genus imperii, primùm ad homines juſtiſſimos & ſapientiſſimos deferebatur. Idem 2. offic.* Mihi quidem non apud Medos ſolùm, ut ait Herodotus, ſed etiam apud Majores noſtros juſtitiæ fruendæ cauſa videntur

olim

olim bene morati Reges conſtituti, nam cùm premeretur initio multitudo ab iis, qui majores habebant opes, ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem, qui cùm prohiberet injuria tenuiores æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebat.

δ Spectata inter bonos moderatio.] *Cic. ibidem:* Hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de juſtitia magna eſſet opinio multitudinis. *Ariſt. lib. 3. polit. cap. 15. contendit, ab initio fortaſſe Reges electos, quoniam ratum erat invenire viros multum virtute præſtantes, & quia præſertim beneficio impellebantur ad conſtituendos Reges, quod eſt officium proborum virorum.*

ε Populi nullis legibus tenebantur.] *Tacit. lib. 3. Annal.* Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna; ut coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cùm honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ut nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. *Ovid. lib. 1. faſt. judicavit ea tempora:*

Nondum Juſtitiam facinus mortale fugarat,
Ultima de ſuperis illa reliquit humum.
Proque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat:
Nullus erat juſtis reddere jura labor.

ζ Arbitria principum pro legibus.] *Princeps eſt veluti lex animata, & ejus ratio eſt factura legis. Idem colligitur ex Tacito lib. 4. Annal.* Quidam ſtatim, aut poſtquam Regum pertæſum, *inquit*, leges maluerunt: *Unde primo conſtat gubernatos ſine legibus. Ariſt. lib. 3. polit. cap. 15. contendit, melius eſſe legem gubernare, quàm Regem.*

η Primus omnium Ninus.] *Ejuſdem meminit infra lib. 6. c. 17. & lib. 18. c. 2. & 22.* Omnes hiſtoriæ, *(ait Oroſ. lib. 2. c. 2.)* à Nino incipiunt πρῶτος τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδομένων: *ait Diodor. lib. 1. & Tertull. lib. de pallio cap. 2. de regno Nini loquens:* Ferme apud vos, *inquit*, ultrà ſtylus non ſolet. *Et Macrob. lib. 2. in ſomnium Scipionis cap. 10.* Supra Ninum nihil præclarum in libros relatum eſſe *ſcribit. Filius fuit Beli, ejus qui in ſcriptura ſacra Nemrod dicitur. Rectè enim Pererius in c. 15. Gen. reprehendit Mercatorem, quod in ſua chronologia aſſeruerit Ninum fuiſſe ipſum Nemrod. Vide eundem fuſius de hac re diſſerentem, Quæſt. 3. & 4. Anno 43. illius regni Abrahamum natum eſſe ſcribit Euſeb.*

θ Hic primus intulit bella finitimis.] *Quod ſcribit & Fabius Pictor:* Primus omnium Ninus Rex Aſſyriorum hos aureos mores nova regnandi cupiditate mutavit, & primus limites transgreſſus bella finitimis movit, & totius Aſiæ populos perdomuit. *De quo & Oroſ. lib. 1. cap. 4. Scribit Diodorus ex Cteſia:* Ninum hunc Monarchiæ Aſſyriorum conditorem habuiſſe in exercitu peditum decies ſepties ſeptena millia, equitum verò ducenta millia, currus falcatos paulò minùs decem millibus & ſexcentis. Zoroaſtrem Bactrianorum Regem devicit, qui traditur quadringentorum millium hominum exercitum comparaſſe.

ι Quædam illos fuiſſe mentitos, alia fideliores literæ.] *In his enim, quæ ſcribunt lib. 36. de origine gentis Judaicæ, de Abrahamo, de Iſraële, de Joſepho, de*

Moyſe apertè mentiuntur, ut ex ſcripturis ſacris conſtat: in quibus ne minimum quidem mendacium reperitur, ſiquidem, earum auctor Deus non homo. lib. 2. contra Creſcon. Grammaticum cap. 31. ſcribit, nos non audere judicare libros Prophetarum, & Apoſtolorum, qui ad canonem Eccleſiaſticum pertinent, ſed ſecundùm eos de cæteris literis, vel fidelium, vel infidelium liberè judicare, ut ſi quid aliud à ſcripturis ſacris doceant, apertè mentiri intelligantur.

κ Regnum Aſſyriorum à Nino Rege fuiſſe longè, latèque porrectum.] Falſum itaque quod ſcribit Dionyſius Halicar. Aſſyriorum Imperium modica tantum Aſiæ parte fuiſſe contentum, cui adverſatur Diodor. lib. 2. cap. 1. & Juſtinus & D. Hierony. in cap. 2. Oſeæ: Primum omni Aſiæ regnaſſe Ninum Beli filium, omnes & Græcæ, & barbaræ narrant hiſtoriæ.

λ Mille ducentos, & quadraginta annos.] Quamdiu duraverit Aſſyriorum monarchia, quantum ſcil. temporis effluxerit à Nino usque ad Sardanapalum, non omnium eadem ſententia. Scribit Herodotus lib. 1. Aſſyrios quingentis, & viginti annis Aſiæ Imperium obtinuiſſe. Juſtin. lib. 1. vult Aſſyrios Imperium tenuiſſe mille trecentis annis. Scribit Diodor. lib. 2. duraſſe annos pluſquam mille & quadringentos. Vell. mille ſeptuaginta. Joſephus lib. 1. Antiqu. tradit, vivente Abrahamo Aſiæ Imperium fuiſſe penès Aſſyrios. Et idem lib. 10. ſcribit, regnum Aſſyriorum circa tempora Ezechiæ Regis fuiſſe everſum. Si quis verò ab ortu Abrahæ ad primordia usque regni Ezechiæ juxta ſacram chronologiam tempora percenſeat, comperiet annos mille ducentos, & ſeptuaginta quinque, quibus ſi addantur quadraginta duo anni regni Nini ante ortum Abrahæ, colligetur ex ſententia Joſephi, Aſſyriorum regnum ſtetiſſe annis mille trecentis decem ac ſeptem. Idem lib. 9. docet, regnante Joathan Nahum vaticinatum eſſe excidium regni Aſſyriorum, idq; accidiſſe annis 115. poſt illud vaticinium, quorum annorum finis competit in primordia regni Manaſſis Ezechiæ filii ac ſucceſſoris: unde colligetur illud ſtetiſſe annis circiter mille trecentis & quinquaginta. Euſebium ſecutus eſt hoc loco D. Auguſt. & infra lib. 16. c. 17. ſcribit, regnum Aſſyriorum incœpiſſe mille ducentis & quadraginta annis ante Romam, deſiiſſe autem eodem ferè tempore, quo condita eſt Roma, regnante ſcil. in tribu Juda Achaz, vel Ezechia. Ex ſacra Chronologia videntur addendi 80. anni, nam ab ortu Abrahæ ad initium regni Ezechiæ continet mille ducentos, & octoginta annos, quibus addendi 40. anni regni Nini, quibus ante ortum Abrahæ regnavit. Quod obſervatum à patre Pererio diſput. 7. in cap. 10. Geneſ.

μ Sola regni cupiditate.] Libido dominandi, & regnandi cupiditas, ut plurimum tranſverſum agit homines, ut quantumvis divitiis affluant, & legitimo imperio præſint, contenti tamen minimè vivant. Saluſt. in fragmentis, una & ea vetus cauſa bellandi eſt profunda cupido imperii, & divitiarum. Idem in Catil. libidinem dominandi cauſam belli habent, & maximam gloriam in maximo imperio putant. Quæ una ferè cauſa Romanos impulit ad bellum tot gentibus inferendum. Certè ſi ad dilatandos imperii fines liceret bella gerere, ut rectè argumentatur Victoria Relect. de jure belli, num. 11. eſſet æquè juſta cauſa belli ex utraque parte, ſicque omnes innocentes ut non liceret illos occidere, adeoque non eſſet

juſtum

juſtum bellum. *Rectè D. Aug. lib. 22. contra Fauſtum cap. 74.* Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſunt ſimilia, hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur.

CAP. VII.

An regna terrena inter profectus ſuos atque defectus Deorum vel juventur vel deſerantur auxilio.

SI nullo Deorum adjutorio tam magnum hoc regnum & prolixum fuit, quare Diis Romanis tribuitur Romanum regnum, locis amplum temporibusque diuturnum? α Quæcunque enim cauſa eſt illa, eadem etiam eſt iſta. β Si autem & illud Deorum adjutorio tribuendum eſſe contendunt, quæro quorum? Non enim aliæ gentes, quas Ninus domuit & ſubegit, alios tunc colebant Deos. γ Aut ſi proprios habuerunt Aſſyrii, quaſi peritiores fabros imperii conſtruendi atque ſervandi, nunquid nam mortui ſunt, quando & ipſi imperium perdiderunt? Aut mercede non ſibi reddita, vel alia promiſſa majore, *a* δ ad Medos tranſire maluerunt, atque *b* inde ε rurſus ad Perſas ζ Cyro invitante η & aliquid commodius pollicente? *c* Quæ gens non anguſtis Orientis finibus poſt θ Alexandri Macedonis regnum magnum locis, ſed breviſſimum tempore, ι in ſuo regno adhuc uſque perdurat. Hoc ſi ita eſt, aut infideles Dii ſunt κ qui ſuos deſerunt, & ad hoſtes tranſeunt. λ Quod nec homo fecit Camillus, quando victor & expugnator adverſiſſimæ civitatis, Romam cui vicerat ſenſit ingratam, quam tamen poſtea oblitus injuriæ, memor patriæ à Gallis iterum liberavit. Aut non ita fortes ſunt, ut Deos eſſe fortes decet, qui poſſunt humanis vel conſiliis vel viribus vinci. Aut ſi cùm inter ſe belligerant, non Dii ab hominibus, ſed Dii ab aliis Diis forte vincuntur, qui ſunt quarumque proprii civitatum. Habent ergo & ipſi inter ſe inimicitias, quas pro ſua quisque parte ſuſcipiunt. Non itaque Deos ſuos debuit colere civitas magis quàm alios, à quibus adjuvarentur ſui. Poſtremò quoquo modo ſe habeat Deorum iſte vel tranſitus, vel fuga, vel migratio, vel in pugna defectio; nondum illis temporibus atque illis terrarum partibus Chriſti nomen fuerat prædicatum, quando illa regna per ingentes bellicas clades amiſſa atque translata ſunt. *d* μ Nam ſi poſt mille ducentos & quadraginta annos, quando regnum Aſſyriis ablatum eſt, jam ν ibi Chriſtiana religio aliud regnum prædicaret æternum, & Deorum falſorum cultus ſacrilegos inhiberet: quid aliud gentis illius vani homines dicerent, niſi regnum quod tam diu conſervatum eſt, nulla alia cauſa niſi ſuis religionibus deſertis, & illa recepta perire potuiſſe? In qua voce vanitatis quæ poterat eſſe, & iſti attendant ſpeculum ſuum, & ſimilia conqueri, ſi ullus in eis pudor eſt, erubeſcant. *e* Quanquam Romanum imperium afflictum eſt potius, quàm mutatum, quod & aliis ante Chriſti nomen temporibus ei contigit, & ab illa afflictione recreatum, quod nec iſtis temporibus deſperandum eſt. Quis enim de hac re novit voluntatem Dei?

a AD Medos tranſire.] *Per Arbacem præfectum Mediæ, qui Sardanapalum vicit, indignatus quòd effœminato homini tam multa milia virorum parerent. Juſtinus, Oroſius, Plutarchus, Euſebius, Diod. Siculus, & alii.* L. Vives.

b At-

b Atque inde rurſus ad Perſas.] *Regnatum eſt à Medis in Aſia ab Arbace ad Cy-*
Aſtiages *rum Cambyſis filium annos cccl. Aſtiages ultimus rex fuit, ex cujus filia Mandane, qua Cambyſi nupſit, Cyrus eſt natus, quem avus ſomnio admonitus exponi juſſerat, infans fato eſt ſervatus. Cumque adoleviſſet, ingreſſus Perſepolim expedire populum ſecures juſſit, proximamque ſylvam cadere: poſtridie inſtructiſſimo convivio multitudinem exceptam rogavit, num vitam ejus diei pridiana non præferrent? cumque omnes præferre ſe clamaſſent, quamdiu ergo, inquit, Medis parebitis, vita erit ut heſterna, ſi vos imperetis, ut hodierna: Ita coacto ingenti exercitu, avi opes fregit, imperiumque ad Perſas tranſtulit.*

Perſarũ regnum. *c* Quæ gens non anguſtis.] *Regnum Perſarum à Cyro ad Alexandrum Philippi filium per ccxxx. annos ſtetit. Alexander imperavit toti Aſia ſex annos, ſucceſſores ejus Macedoni gente uſque Seleucum & Antiochum fratres, id eſt, ab Olympiade cxiv. ad Olymp. cxxxiij. quo tempore Arſaces ignobili gente vir, ſed impiger & acer, diſcordia fratrum regum fretus, regnum vi ſibi ſuiſque aſſeruit. Unde Parthorum regnum exortum, quod manſit uſque ad Alexandrum Severum Cæſarem: quo imperante Xerxes Perſa regnum Parthis ademit, & Perſico nomini reſtituit, idque regnum etiam ætate Auguſtini durabat: de quo Herodianus in Alexandro Antonino.*

d Nam ſi poſt mille ducentos & quadraginta.] *Si ſic legamus, ſequitur Auguſtinus Euſebium: ſed in veteribus libris ſcribitur, non, quadraginta, ſed, quod excurrit, ut in varietate illa computantium ſententiam ſuam Auguſt. non interponat, ſolum plures quàm mille & cc. annos eſſe ſignificet, incertum quot pauciores certè centum.*

e Quanquam Rom. Imperium.] *Manet adhuc nomen illius imperii cum exiguis quidem viribus, ſed prima dignitate.*

P.L.Coq. *α* QUæcumque enim cauſa eſt illa.] *D. Cyprianus de idol. vanit.* Regna non merito accidunt, ſed ſorte variantur. Cæterùm imperium antè tenuerunt Aſſyrii, & Medi, & Perſæ, & Græcos, & Ægyptios regnaſſe cognovimus: Ita vicibus poteſtatum Romanis quoque ut & cæteris imperandi tempus obvenit. *Minut. in Octav.* Ante eos *(Romanos)* Deo diſpenſante diu regna tenuerunt Aſſyrii, Medi, Perſæ, Græci, & Ægyptii, cùm Pontifices, & Aruales, & Salios, Veſtales, & Augures non haberent. *Eadem & Tertull. in Apolog. c. 26.*

β Si autem & illud deorum adjutorio.] *Imperia mundi, eorum primordia, latitudinem, ſucceſſiones, & interitus non quidem Romanis diis aſcribenda, Dei tamen ſummi providentia ordinari, ſatis ex ſcriptura ſacra conſtat:* Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Transfertur regnum de gente in gentem propter injuſtitias. *Eſa. 10.* Aſſur virga furoris mei. *Hier. 27. Dominus ait, ſe tradidiſſe regnum Nabuchodonoſor, & filio ejus, & filio filii ejus. Et Daniel. 2. teſtatur ipſe, traditum ſibi à Deo regnum. Et divinus Propheta intellexit in ſtatua illa in viſione Regi oſtenſa ſignificata, quatuor mundi imperia. Apud Esdram teſtatur Cyrus omnia regna terra ſibi à Deo cœli tradita. Job. 34.* conteret multos & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis. *Ibidem:* qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. *Docet Juſtinianus Novell. 73. Deum è cœlo imperium conſtituiſſe. Irenæus*

lib. 5.

Lib.5.c.24. Cujus juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & Reges conſtituuntur. Videte ne ille regna diſpenſet *(ait Tertull. in Apologet. cap. 26.)* cujus eſt & orbis qui regnatur, & homo ipſe qui regnat, ne illi vices dominationum ipſis temporibus in ſæculo ordinarit, qui ante omne tempus fuit.

γ Aut ſi proprios habuerunt Aſſyrii.] *Fuiſſe & communes, & proprios deos teſtatur & ipſe Tertull. in Apologet. cap. 10. & cap. 24. & Athanaſ. orat. contra Gentes. Dii patrii* indigetes *Virgilio dicti. Sophocli in Antigone, & Euripidi in Rheſo* θεοὶ ἐγγενεῖς καὶ ἐγχώριοι.

δ Ad Medos tranſire.] *Qua occaſione translatum ſit imperium ab Aſſyriis ad Medos per Arbacem præfectum Medorum, ſcribunt Juſtinus lib. 1. Diodor. lib. 2. c. 7. Scribit Oroſ. lib. 2. c. 2. Eo anno ab Aſſyriis in Medos regnum derivatum, quo apud Latinos Procas Amulii & Numitoris pater, avus autem Rhea Sylvia matris Romuli regnare cœpit.*

ε Inde rurſus ad Perſas.] *350. annis poſtquam ab Aſſyriis translatum fuerat ad Medos. Extat oratio Cyri apud Herodotum li. 1. qua hortatur Perſas, ut ſe auctorem libertatis contra Medos, quibus inſerviebant, alacri animo ſequantur.*

ζ Cyro invitante.] *De Cyro vaticinatus fuerat Iſaias cap. 45. de proprio nomine 200. annis ante illius ortum prænunciatus.*

η Et aliquid commodius pollicente.] *Ita Camillus dictator in expugnatione Vejorum Junonem invocabat, ac precabatur ut relictis Vejis Romam eos ſequeretur, ubi amplitudine ſua dignum templum acciperet.*

θ Alexandri Macedonis regnum magnum locis, ſed breviſſimum tempore.] *Duodecim annis tantum poſt mortem patris Philippi regnavit, 6. annis poſtquam Orientem ſubegit, & evertit Perſarum imperium, de eo vaticinatus erat Daniel cap. 11.* Surget Rex fortis, & dominabitur poteſtate multa, & faciet quod placuerit ei, & cùm ſteterit, conteretur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cœli, ſed non in poſteros ejus, neque ſecundùm potentiam illius, qui dominatus eſt.

ι Quæ gens in ſuo regno adhuc perdurat.] *Cùm enim in oriente Parthi dominarentur, qui Romanorum vires ſæpè fregerunt, ſoliq; ab omni Romanorum ſubjectione ſuum per multa ſecula imperium integrum conſervarunt, anno Chriſti 226. imperante apud Romanos Alexandro Severo, Artaxerxes quidam Perſa obſcuro quidem loco natus, ingentis tamen animi & ſpiritus vir, Perſarum gloriam inſtauraturus eis ad rebellionem ſollicitatis ab Artabano Parthorũ Rege defecit, eumq; ad rebellionem ſedandam ingentibus copiis inſtructum venientem triplici prælio victum regno & vita privavit, Orientisq; Imperio Perſas iterum impoſuit: atque ad imperium, quod viguit ſub 28. Regibus ſub Artaxerxe usque ad Ormiſdam tertium ad annum Domini 631. quo Orientis Imperium ad Sarracenos translatum eſt, potentiſſimum fuit. Sæpè contrivit Romani imperii vires, & multas provincias ſubegit, & apud eos cùm hæc ſcriberet Auguſt. meo judicio regnabat Isdigerdes decimus ab Artaxerxe.*

κ Qui ſuos deſerunt.] Deſertores *milites dicuntur, qui defenſores patriæ eſſe deberent.*

λ Quod nec homo fecit Camillus.] *Exempla non pauca extant fidei erga patriam,*

triam, eorum ſcil. qui publicæ utilitati privatas inimicitias poſtpoſuère. Ariſtides cùm multa pro patria geſſiſſet, & ex ea tamen in exilium per invidiam miſſus eſſet, precatus eſt Deos, ut Athenienſibus quæcunque cuperent, ſic benè fauſtèque evenirent. Plut. in Ariſtide. Epaminondas à Thebanis, & Dion à Syracuſanis civibus ſuis ignominia notati vindictam patriæ amori condonarunt. Et Themiſtocles cùm è patria ejectus eſſet, quam in libertatem aſſeruerat, & à Rege Perſarum, à quo tam benignè exceptus fuerat, juberetur ad bellum Græcis inferendum ſe conferre, ac illi promiſſa perſolvere, illum nec ira concitavit in cives ſuos, nec tanti honores atque opes ad patriam bello laceſſendam impulerunt. Ita Camillus immemor injuriarum, quas acceperat, patriam ab hoſtibus liberavit.

μ Poſt mille ducentos, & quod excurrit, annos.] *Hac locutione non hic modò utitur D. Auguſt. ſed & infra lib. 15. cap. 20. lib. 7. de baptiſ. contra Donatiſtas cap. 1. lib. poſt collat. c. 3 ter ea uſum Optatum obſervavi; & Oroſ. l. 7. c. 2. ſimili locutione utitur Victor Uticenſis lib. 3. in decreto Regis Hunerici contra Catholicos:* A mille, & qui id excurrunt, Pontificibus, *quod vulgo dicitur* plùs minus. *Hierony. eo amplius, ut contra Luciferianos, loquens de Nicænis Patribus:* Trecenti, *inquit*, & eo amplius Epiſcopi; *& in epitaphio Nepotiani:* viginti & eo amplius anni ſunt.

ν Jam ibi Chriſtiana religio.] *Ita arguit Romanos Chriſtianæ religioni obtrectantes; ea Imperia potentiſſima, quæ Romanum præceſſere, atque inter cætera illud Aſſyriorum, ut initium, ita finem accepère, verùm non poſſunt conqueri gentes illæ, quæ reliquis ſunt dominatæ de Chriſtiana religione, quæ nondum orbi innotuerat, nec dicere, tamdiu conſervatum imperium ea una de cauſa periiſſe, quòd religiones ſuas deſeruiſſent, & Chriſtianam eſſent amplexatæ. Quid ergo Romani infideles tot clades uni Chriſtianæ religioni adſcribunt? Id nimirum feciſſent Aſſyrii, ſed falsò & malignè, ſi tum Chriſtiana religio prædicata, & in illis locis recepta fuiſſet. Quaſi dicat, Romanorum Imperium non minus, quàm antiquum illud interitui obnoxium eſt, ne ergo de religione Chriſtiana jam conquerantur. Ita Tertull. in Apologet. c. 26.* Etiam illi, *inquit*, quorum regna conflata ſunt in Imperii Romani ſummam, cùm ea amitterent, ſine religionibus non fuerunt: nec ergo eſt, quod ſalvis religionibus antiquis Romani judicent, imperium ſuum ſtare potuiſſe diutius. *Lactant. l. 7. c. 15. de Imperio Romano:* Nec mirum, *inquit*, debet videri, ſi regnum tanta mole fundatum, ac tamdiu per tot & tales viros auctum, tantis denique opibus confirmatum, aliquando tamen corruet: nihil eſt enim humanis viribus laboratum, quod non humanis æquè viribus deſtrui poſſit, quoniam mortalia ſunt opera mortalium. Sic & alia prius regna cùm diu floruiſſent, nihilominus tamen occiderunt. Nam & Ægyptios, & Perſas, & Græcos, & Aſſyrios proditum eſt regimen habuiſſe terrarum, quibus omnibus deſtructis, ad Romanos quoque rerum ſumma pervenit, qui quantò cæteris omnibus regnis magnitudine anteſtant, tanto majore decident lapſu, quia plus habent ponderis ad ruinam, quæ ſunt cæteris altiora.

ξ Quamquam Romanum Imperium afflictum eſt potius.] *Oroſ. circa eadem tempora ſcribens lib. 2. c. 3.* Similis, *inquit*, Babyloniæ ortus & Romæ, ſimilis poten-

tentia, ſimilis magnitudo, ſimilia tempora, ſimilia bona, ſimilia mala, tamen non ſimilis exitus, ſimiliſve defectus. Illa enim regnum amiſit, hæc retinet; Illa interfectione Regis orbata, hæc incolumi Imperatore ſecura eſt, &c.

CAP. VIII.

Quorum Deorum præſidio putent Romani imperium ſuum auctum atque ſervatum, cùm ſingulis vix ſingularum rerum tuitionem committendam eſſe crediderunt.

DEinde quæramus, ſi placet, *α* ex tanta Deorum turba, quam Rom. colebant, quem potiſſimum vel quos Deos credant illud imperium dilataſſe atque ſervaſſe. Neque enim in hoc tam præclaro opere & tantæ pleniſſimo dignitatis, *a* audent aliquas partes ſub nomine Deorum, vel Dearum *β* Deæ Cloacinæ tribuere, aut *b γ* Volupiæ, quæ à voluptate appellata eſt: *c δ* aut Libentinæ, cui nomen à libidine, aut *d ε* Vaticano, qui infantum vagitibus præſidet: *e* aut *ζ* Cuninæ, quæ cunas eorum adminiſtrat. Quando autem poſſint uno loco libri hujus commemorari omnia nomina Deorum, aut Dearum, quæ illi grandibus voluminibus vix comprehendere potuerunt, ſingulis rebus propria diſpertientes officia numinum? Nec agrorum munus uni alicui Deo committendum arbitrati ſunt, ſed *η* rura, Deæ Ruſinæ: *θ* juga montium, Deo Jugatino: collibus, Deam Collatinam: vallibus, Valloniam præfecerunt. Nec ſaltem potuerunt *f ι* unam Segetiam talem invenire, cui ſemel ſegetes commendarent: ſed ſata frumenta quandiu ſub terra eſſent, præpoſitam voluerunt habere Deam Seiam: cùm verò jam ſuper terram eſſent, & ſegetem facerent, Deam Segetiam: frumentis verò collectis atque reconditis, ut tutò ſervarentur, *g κ* Deam Tutilinam præpoſuerunt: cui non ſufficere videretur illa Segetia, quamdiu ſeges ab initiis herbidis uſque ad ariſtas aridas perveniret. Non tamen ſatis fuit hominibus Deorum multitudinem amantibus, ut anima miſera dæmoniorum turbæ proſtitueretur, unius Dei veri caſtum dedignata complexum. *h* Præfecerunt ergo *λ* Proſerpinam frumentis germinantibus: *i* geniculis nodiſque culmorum, *μ* Deum Nodotum: involumentis folliculorum, Deam Volutinam: cùm folliculi pateſcunt, ut *ν* ſpica exeat, Deam Patelenam: cùm ſegetes novis ariſtis æquantur, *k* quia veteres æquare hoſtire dixerunt, Deam Hoſtilinam: *ο* florentibus frumentis, *l* Deam Floram: *m* lacteſcentibus, *π* Deam Lacturtiam: matureſcentibus, *n* Deam *ρ* Maturam: *σ* cùm runcantur, id eſt, à terra auferuntur, *o* Deam *τ* Runcinam. Nec omnia commemoro, quia me piget, quod illos non pudet. Hæc autem pauciſſima ideo dixi, ut intelligeretur, nullo modo eos dicere audere, iſta numina imperium conſtituiſſe, auxiſſe, conſervaſſe Romanum, quæ ita ſuis quæque adhibebantur officiis, ut nihil univerſum uni alicui crederetur. Quando ergo Segetia curaret imperium, cui curam gerere ſimul & ſegetibus & arboribus non licebat? Quando de armis Cunina cogitaret, cujus præpoſitura parvulorum cunas non permittebatur excedere? Quando Nodotus adjuvaret in bello, qui nec ad folliculum ſpicæ, ſed tantùm ad nodum geniculi pertinebat? *p* Unus-

nusquisque domui ſuæ ponit oſtiarium, & quia homo eſt, omnino ſufficit. *u* Tres Deos iſtos poſuerunt, Forculum foribus, *q* Cardeam cardini, Limentinum limini. Ita non poterat Forculus ſimul fores & cardinem limenque ſervare.

L. Vives. *a* AUdent aliquas partes ſub nomine.] *Vetera volumina habent: Aliquas partes Deæ Cluacinæ tribuere: alibi, Audent aliquas partes numina Deorum ac* *Cloacina* *Dearum Lavacinæ tribuere: ſed legendum eſt Cloacina, cujus ſimulachrum inventum eſt à Tito Tatio, qui cum Romulo regnavit, in magna quadam cloaca Romana: cumque ignoraretur, cujus eſſet effigies, ex loco illi nomen impoſitum eſt, & Cloacina eſt dicta: autor Lactantius. Cyprianus Cluacinam vocat, ſed puto mendum eſſe.* *Venus Cluacina.* *Eſt & Venus Cluacina, quaſi pugnatrix. Eſt enim cluere pugnare, cujus ſimulachrum Rom. eo loco, quo pax facta eſt inter Sabinos & Romanos, cùm propter raptas pugnarent. Plin. lib. 5.*

Volupia Angeronia. *b* Volupiæ.] *Hujus ſacellum erat ad Navalia prope portam Romanulam, ut ſcribit Varro lib. de lingua Lat. 3. Macrobius in Saturnal. xij. Calend. Januarias feriæ ſunt divæ Angeroniæ, cui pontifices in ſacello Volupiæ ſacrum faciunt: quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quòd angores ac animorum ſolicitudines propiciata depellat. Maſurius adjicit, ſimulachrum ejus Deæ ore obligato atque ſignato in ara Volupiæ propterea collocatum, quòd qui ſuos dolores anxietateſque diſſimulant, perveniant patientiæ beneficio ad maximam voluptatem.*

Libentina. *c* Aut Libentinæ.] *Varro lib. 3. de ling. Lat. à libendo libido, libidinoſus; ac Venus Libentina & Libitina. Libithina longè aliud eſt quàm Libentina.*

Vaticanus. *d* Vagitano.] *Vaticanum ſcribendum. Sic appellat hunc Gell. lib. 16. ex Varrone: Sicut, inquit, penes quem Deum ſint humanæ vocis initia, quoniam pueri cum primum parti ſunt, eam primam vocem edunt, quæ eſt prima ſyllaba in nomine Vaticani, unde etiam vagire naſcitur, & in antiquis codicibus hoc loco non Vagitano, ſed Vaticano habetur.*

Cunina. *e* Aut Cuninæ.] *Hæc infantes in cunis tuetur, & faſcinum ſubmovet. Lactantius lib. 1.*

f Unam ſegetiam.] *At Segeſtam Plin. libr. 18. Hos enim tunc Deos maximè noverant, Seiamque à ſerendo, Segeſtam à ſegetibus appellabant, quarum ſimulachra in circo videmus.*

Tutanus, Tutilina. *g* Deam Tutilinam.] *Tutanus & Tutilina Dii, qui rebus tuendis præerant. Nonius Marcellus: Hunc Varro in periculoſis & ſubitis rebus invocari morem eſſet, dicit, ut Herculem malorum depulſorem, quem vocabant ἀλεξίκακον. Tutilinam inauſpicato nominari nefas erat.*

h Præfecerunt ergo Proſerpinam.] *Hæc fuit filia Cereris & Jovis, quam Pluto patruus rapuit. Cic. lib. 2. de nat. Deorum: Proſerpina ea eſt, quæ Perſephone Græcè nominatur, quam frugum ſemen eſſe, abſconditámque quæri a matre volunt. Varro* *Proſerpina.* *Proſerpinam eſſe lunam, perhibet ex ſententia Ennii & Epicharmi.*

i Geniculis nodiſque.] *Plin. lib. 18. frumenta quædam in genu tertio ſpicam incipiunt concipere, quædam in quarto, ſed etiamnum occultam, geniculæ autem ſunt tri-*

tritico quaterna, farri ſena, hordeo octena, ſed non ante ſupradictum geniculorum numerum conceptus eſt ſpica. Varro lib. 1. rerum ruſticarum: Spica involucrum priusquam prodeat, vaginam nominat. In ipſa ſpica eſt granum: eſt & gluma grani folliculus: eſt ariſta velut acus quædam tactu aſpera erecta, quæ prius quàm in ſpica ariditate diriguit, ſpica vocatur mutica,

k Quia veteres æquare hoſtire.] *Eſt hoſtire, ut ait Nonius, comprimere & recedere: hinc hoſtis: eſt & ferire, autore Feſto: eſt quoque æquum reddere, tam compenſare, & æquum beneficium rependere: unde redoſtire & hoſtimentum. Plautus, Quin promitto, inquam, hoſtire contra, ut merueris, id eſt, æqua reddere, ut exponit Marcellus. Idem Plautus in Aſinaria, Par pari hoſtimentum datum eſt operæ pro pecunia.* Hoſtire.

l Deam Floram.] *Hanc exiſtimant quidam fuiſſe Accam Larentinam meretricem, alii Melibœam Niobes filiam, quæ cùm Apollinis & Dianæ metu colorem mutaſſet, Chloris eſt dicta. Hinc à Romanis Flora, quam cum Amycla ſorore ex omnibus liberis Niobes Latona propitiata jam ſervarit, eamque ex Neleo Neptuni filio genuiſſe Neſtora, qui bello Trojano interfuerit: Homerus canit in 11. Odyſſea, qui & hanc quoque cum cæteris fratribus interiiſſe perhibet. Ovidius huic Deæ, quòd præſit floribus, Zephyrum ventum dat maritum.* Flora. Chloris.

m Lacteſcentibus, Deam Lacturciam.] *Alii Lacticiniam legunt. Servius primo Georgicôn, Lactantem Deum eſſe ait, qui lac infundit ſegetibus, & eas facit lacteſcere.* Lacturcia.

n Deam Maturam.] *Alii libri Matutam, quæ fuit Cadmi filia, Athamantis uxor, quæ poſtquàm ſe de ſaxo in mare dedit præcipitem, mutato nomine ex Ino facta eſt λευκόθεα, id eſt, Alba Dea, Latinis Matuta mater, quam eandem auroram eſſe perhibent, unde matutinum tempus: filium habuit Melicertam Deum marinum, qui etiam mutato nomine Palæmon nuncupatus eſt. Cic. Ovid. Lactant. Servius & alii: templum ejus fuit in octava urbis regione.* Matuta.

o Deam Runcinam.] *Meminit hujus Varro in libr. de ling. Lat. Runcare eſt evellere, hinc averruncare & averruncaſſere apud veteres, i. e. auferre, amoliri, & Averruncus Deus, qui mala aliò averteret.* Runcare

p Unusquisque.] *Legendum Unum quiſque domi ſuæ ponit oſtiarium: & quia homo eſt, omnino ſufficit, quaſi homo unus ſufficiat, non ſufficiant tres Dii.*

q Cardeam.] *Carnam potius: hæc olim Crane eſt dicta, quæ compreſſa eſt ab Iano, eique jus cardinis dedit Deus. Præeſt vitalibus humanis, feriæ ſunt Calendis Juniis. Ovid. 5. Faſt. Junius Brutus pulſo Tarquinio rege huic Deæ ſacrum fecit, Calend. Junii in Cælio monte, pulte fabatia & larido. Macrobius primo Saturnalium.* Crane Dea.

a EX tanta deorum turba, quam Romani colebant.] *Teſtatur l. 1. de conſenſu Evang. c. 12. ſolitos fuiſſe Romanos deos gentium, quas ſubjugabant, colendo propitiare, & eorum ſacra ſuſcipere, quod tamen de uno deo gentis Hebræorum, cum eam vel oppugnaverunt, vel vicerunt, facere noluerunt. Nam ut rectè Lactant. lib. 1. cap. 19.* Nec factum eſt unquam, ut qui hos colit, etiam Deum coluerit, neque fieri poteſt, quoniam ſi honos idem tribuitur aliis, ipſe omninò non colitur, cujus religio eſt, illum eſſe unum, ac ſolum Deum credere: ita ſpreto uno ac F.L.Cap.

vero Deo tot vana numina ſacrilegè venerabantur. *Tertull. in Apologet. cap. 24.* Apud vos, quemvis colere jus eſt, præter verum Deum, quaſi non hic magis omnium ſit Deus, cujus omnes ſumus. *Ideo dicitur Roma à Leone Papa* omnium gentium ſerviviſſe erroribus. *Varro ſupra triginta deorum millia collegit.*

β Deæ Cluacinæ.] *Putat Vives legendum Cloacinæ, cujus ſimulachrum inventum à T. Tatio, qui cum Romulo regnavit, in quadam Cloaca Romæ, cùm ignoraretur cujus eſſet effigies, à loco illi nomen inditum. D. Auguſt. etiam infra ca. 23. Tertull. lib. 1. contra Marcionem cap. 18. Cyprian. lib. de idol. vanit. Minut. in Octav. Lactant. lib. 1. c. 20. Tamen Plin. li. 15. c. 29. etiam meminit Veneris Cluacinæ, & Turneb. lib. 23. Adverſ. cap. 21. Venerem contendit à purgatione dictam eſſe* Cluacinam, *quaſi* Colluacinam: cluere *enim veteribus* colluere, & purgare *erat. Eadem enim eſt* Cluacina, & Colluacina.

γ Volupiæ.] *Ejus deæ meminerunt Varro lib. 4. de ling. Lat. Et Macrob. lib. 1. Satur. cap. 10.*

δ Aut Libentinæ, cui nomen à libidine.] *Varro tamen de ling. Lat. cap. 5. à* lubendo *vult dictam, & Venerem eſſe ſignificat, quæ &* Lubentina *dicta eſt, ut conſtat ex Cic. lib. 2 de nat. deor.* Quæ ex genere Cupidinis & Volupiæ, & Lubentinæ Veneris vocabula conſecrata ſunt. *Et Veneri Libentinæ lucus Romæ fuit, ut Feſtus ait. Eadem fortaſſe quæ Plauto in Aſinaria:* Lubentiæ lubentiores faciam quam Lubentia eſt. *Ubi Lambinus:* Lubentia, *inquit*, hilaritatis dea Venus Lubentina. *Arnob. lib. 4. Libentinam & Liburnam libidinum præeſſe titulis ſcribit.*

ε Aut Vaticano.] *De eo ita Agellius l. 16. c. 17.* Et agrum Vaticanum, & ejus agri Deum præſidem appellatum acceperamus à vaticiniis, quæ vi atque inſtinctu ejus Dei in eo agro fieri ſolita eſſent. *Et ex M. Varrone aliam hujus nominis tradit rationem, Vaticanum Deum nominatum, penes quem eſſent vocis humanæ initia, quoniam pueri ſimul atque parti ſunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in* Vaticano *ſyllaba eſt. Idcircò* vagire *dicitur exprimente verbo ſonum vocis recentis.* Vaticanum collem *Feſtus dictum putat*, quòd pulſis Etruſcis eo potitus ſit populus Romanus vatum reſponſis.

ζ Aut Cuninæ.] Quæ infantes in cunis tueri credebatur, & faſcinum ſubmovere. *Lactant. lib. 1. cap. 20.*

η Rura deæ Ruſinæ.] *Alii Rurinam potiùs vocabant.*

θ Juga montium Deo Jugatino.] *Infra cap. 11. & lib. 6. cap. 9. vult ita dictum, quod adhiberetur cùm mas & fœmina conjungebantur.*

ι Unam Segetiam.] *Quæ Segeſta Plinio lib. 18. cap. 2.* Sejam, *inquit*, à ſerendo, Segeſtam à ſegetibus appellabant, quarum ſimulachra in circo videbimus. *Macrob. etiam* Segetiam *nominat. Vide Turneb. lib. 20. Adverſ. cap. 36. Hanc Tertull.* Meſſiam *vocat à* meſſibus, *lib. de ſpect. cap. 8. ex ſententia Pamelii.*

κ Deam Tutilinam.] *Hanc religio erat ſub tecto ominare, ut teſtatur Plin. lib. 18. cap. 2. interprete Turnebo loco citato. Illius meminit Varro lib. 4. de ling. Lat. Nonius à tuendo vult dictam: Alii* Tutelinam *à tutela, & fuit ara ei dicata in Aventino ad tutelam populi Romani.*

λ Pro-

λ Proſerpinam frumentis germinantibus.] *Apud Phornutium legimus, quod ſementorum tempore Proſerpinæ feſta celebrabantur. Plura de Proſerpina ſigmenta Poëtarum vide apud Lilium Gyraldum hiſt. deor. ſyntag. 6.*

μ Deum Nodotum.] *Nodutus Arnobio dicitur lib. 4.* Quòd ad nodos perducat res ſatas, ut quæ præeſt frugibus terendis Nodutenſis.

ν Ut ſpica exeat deam Patelenam.] *Arnob. lib. 4.* Patelleam *vocat, &* Patellam, *ex quibus una eſt patefactis patefaciendis rebus, altera præſtituta.*

ξ Veteres æquare, hoſtire dixerunt.] *Ita uſurpavit Plaut. in Aſin.* Quam promitto *(inquam)* hoſtire contra ut mereris; *id eſt æqua reddere, & talionem referre.* Inde hoſtimentum *(inquit Feſtus)* beneficii penſatio, *& ut interpretatur Nonius,* æquamentum: *unde &* hoſtes *dicti ſunt, qui ex* æqua *cauſa pugnant. Plaut. in Aſin.* Par pari datum hoſtimentum eſt, opera pro pecunia. *Quandoque* hoſtire *eſt* comprimere, coërcere. *Pacuvius in Teucro, ut citat Nonius;* niſi coerceo protervitatem, atque hoſtio ferociam. *Quandoque* offendere, cædere. *Idem Pacuv. citante Nonio:* Nunc id mihi moleſtum eſt, quod hoſtit voluntatem tuam. *hujus compoſitum eſt* redhoſtire, *id eſt* referre etiam, *utrumque obſoletum verbum.*

ο Florentibus frumentis deam Floram.] *Arnob. lib. 3.* Flora illa meretrix genitrix & ſancta obſcœnitate ludorum bene curat ut arva floreſcant, & cur quotidie gemmulas, & pubeſcentes herbas adurit, atque interficit nocentiſſimum frigus? *De ea plura Gyrald. ſyntag. 1.*

π Deam Lacturtiam] *Nonnulli* Lactuam, *Alii* Lacticiniam *vocant. Serv. lib. 1. Georg. ex Varrone* Lactantem Deum *commemorat.*

ρ Deam Maturam.] *Quæ matureſcentibus frumentis præeſſe diceretur: quam quidam perperam (ait Lilius Gyraldus)* Maturam *exiſtimarent, quæ potiùs,* Λευκόθεα, *id eſt,* alba dea. *De qua Plut. in Camillo; & in problematibus. Plura Lilius Gyraldus ſyntag. 1. pag. 54*

σ Cùm runcantur, id eſt à terra auferuntur.] *Runcare eſt herbas inutiles, fruticesve noxios evellere, ſive exſtirpare, ut runcare ad ſpinas apud Catonem de re Ruſt. cap. 2.* runcare ſegetem eſt herbis noxiis expurgare. *Plin. lib. 18. c. 21.* Siliginem, far, triticum, ſemen, hordeum occato, ſarrito, runcato quibus dictum erit diebus. *Et runcatio verbale Colum. lib. 2. cap. 9.* frequentem tamen exigunt ſarritionem, & runcationem, ut herbis liberentur. *Et li. 2. cap. 3.* Quæque prætereo intelligi oportebit nullam operam poſtulare runciationis.

τ Deam Runcinam.] *A Romanis dea credita eſt, quæ* runcationi *præeſſet.*

υ Tres deos iſti poſuerunt.] *Tertull. lib. de idololat. cap. 15.* Certi eſſe debemus, etiam oſtiorum deos apud Romanos Cardeam à cardinibus appellatam, & Forculum à foribus, & Limentinum à limine, & ipſum Janum à janua. *Paulò poſt:* Etiam apud Græcos Apollinem Θυραῖον, & Antelios dæmonas oſtiorum præſides legimus. *Et lib. de corona militis:* At enim Chriſtianus nec januam ſuam laureis infamabit, ſi norit quantos deos etiam oſtiis diabolus affixerit, Januam à janua, Limentinum à limine, Forculum, & Cardeam à foribus & cardinibus, & apud Thyræum Apollinem, & Antelios dæmonas. *& in Scorpiaco adverſus Gnoſt.*

Quas

Quas mihi poteſtates janitrices affirmas juxta Romanam ſuperſtitionem, Carduum quendam ſive Cardeam quandam, & Forculum, & Limentinum, quas à cancellis ordinas poteſtates? *Et D. Cyprian. lib. de idol. vanit.* Eſt & Forculus à foribus, & à liminibus Limentinus, & Cardea à cardinibus. *Meminit & Arnob. lib. 4. Limentini liminum præſidis.*

Cap. IX.

An imperii Romani amplitudo & diuturnitas Jovi fuerit aſcribenda, quem ſummum Deum cultores ipſius opinantur.

OMiſſa igitur turba iſta *a* minutorum Deorum, vel aliquantum intermiſſa, officium majorum Deorum debemus inquirere, quo Roma tam magna eſt facta, ut tam diu tot gentibus imperaret. Nimirum ergo β Jovis hoc opus eſt. γ Ipſum enim Deorum omnium Dearumque regem eſſe volunt: δ hoc ejus indicat ſceptrum, ε hoc *a* in alto colle Capitolium. De iſto Deo quamvis à poëta dictum convenientiſſimè prædicant: ζ *b* Jovis omnia plena. *c* η Hunc Varro credit etiam ab his coli, qui unum Deum ſolum ſine ſimulachro colunt, ſed alio nomine nuncupari. Quod ſi ita eſt, cur tam malè tractatus eſt Romæ, ſicut quidam & in cæteris gentibus, ut ei fieret ſimulachrum? quod ipſi etiam Varroni ita diſplicet, ut cum tantæ civitatis perverſa conſuetudine premeretur, nequaquam tamen dicere & ſcribere dubitaret, θ quòd hi, qui populis inſtituerunt ſimulachra, & metum dempſerunt, & errorem addiderunt.

L. Vives. *a* IN alto colle.] *Tarpejo.*

b Jovis omnia plena.] *Vergil. in Palæmone ex Arato:* Μεϛαὶ δὲ διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεϛὴ δὲ θάλασσα, Καὶ λιμένες.

Lucanus ſimile in viij.

Eſtq; Dei ſedes, ubi terra, & pontus, & aër,
Et cælum, & virtus: ſuperos quid quærimus ultra?
Juppiter eſt quodcunque vides, quodcunque moveris.

c Hunc Varro.] *Græci Jovem* ζῆνα *&* δία *nominarunt, utrunque à vivendo, quòd vitam cunctis præberet, animas inſpiraret. Sicut etiam Orpheus interpretatur in Cratere. Plato in Cratylo utrunque nomen conjungit* δία καὶ ζῆνα, *quaſi* δι' αὐτὸν ζῆν*: quòd per ipſum ſit vivere. Rom. à juvando Jovem. Plutar. docet, priſcos philoſophos Jovem appellaſſe, mentem rerum omnium creatricem & vitam: ideo hic cultus eſt tanquam Deus à ſapientibus viris, qui nullum, mortalem pro Deo habebant, ſed principem naturæ, immortalem, omnipotentem, variiſque nominibus inſignitus, alio apud Græcos, alio Perſas, alio apud Phœnices, alio apud Ægyptios. Lactantius Saturni filium Cretæ regem propterea* ζῆνα *dictum arbitratur, quòd primus ex liberis Saturni maribus vixerit.*

F. L. Coq. *a* MInutorum deorum.] *Dii alii erant* majorum gentium, *qui & magni dii dicuntur, De quibus poſt Cic. in Tuſcul. Lactant. lib. 1. cap. 15. quos &* ἐγγεγραμμένους *deos vocabant, ita enim Lucianus* ἐγγεγραμμένον *Apollinem nominat 12. deorum albo aſcriptum, qui maximum imperium & nomen habebant, publiceq; coleban-*

celebrantur, ut Juppiter, Juno, Arnob. lib. 1. Non denique Dii Magni, aut fingentes ſe deos, genus omne mortalium territant. *Iterum:* Hoc ergo dii magni noverunt, perpetiuntur, ſentiunt. *Virg. 5. Æneid.*

Cum ſociis, natoque, Penatibus, & magnis diis.

Alii verò & minuti, & minores, & minorum gentium dii dicebantur, ex hominibus in deorum numerum translati, qui Græcis ἐγγεγραμμένοι, *&* μέτοικοι, *id eſt,* aſcriptitii *dicebantur. Lilius Gyrald. hiſt. deor. ſyntagm. 1. pag. 21.*

β Jovis hoc opus eſt.] *Cic. 1. Catil. Jovem vocat antiquiſſimum cuſtodem urbis.*

γ Ipſum enim deorum omnium, dearumque.] *Ita Homero dicitur* βασιλεὺς ἀνδρῶν τε θεῶν τε. *Virg.* Deûm atque hominum Rex. *Et Ennius apud Varronem lib. 4. de ling. lat.* Deûm hominumque pater Rex. *Plaut. in Capt. act. 3. ſc. 4.* Ita me rex Deûm atque hominum faxit patriæ compotem. *Et in prologo Rudentis Imperator divûm atque hominum dicitur.*

δ Hoc ejus indicat ſceptrum.] *Eſt enim regni inſigne. Euſtathius ad 1. Æneid.* Regibus ſceptrum nota eſt juſtitiæ, haſta verò ſymbolum fortitudinis, *apud Budeum in pandect. pag. 29. Scitum illud Stratonici citharœdi apud Athenæum lib. 8. Regi Ptolemæo de muſicâ diſceptanti,* Ἕτερον ἔφη ὦ βασιλεῦ σκῆπτρον, ἕτερον δὲ πλῆκτρον. *Antiqui Jovem ita effingebant, ut læva ſceptrum teneret. Albricius philoſophus libello de deor. imaginibus.*

ε Hoc in alto colle Capitolium.] *Eum collem antea* Saturnium, *deinde* Tarpejum *à Veſtali* Tarpeja, *quæ montem illum prodidit Sabinis, poſtremo Capitolium dictum, ſcribit Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evangel. cap. 22. eam cauſam fuiſſe, cur Varro exiſtimarit, Deum Judæorum eſſe Jovem, quia nihil ſuperius, quàm Jovem ſolent colere Romani, quod Capitolium eorum ſatis apertèq; teſtatur, eumq; Regem omnium deorum arbitrabantur, cùm animadverteret, Judæos ſummum Deum colere, nihil potuit aliud ſuſpicari, quàm Jovem.*

ζ Jovis omnia plena.] *Virg. Ecloga 3. ſumpſit ex Arato* μεσταὶ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ. μεστὴ δὲ θάλασσα, καὶ λιμένες. πάντη δὲ Διὸς πεπλήσμεθα πάντες. *Affine illud Ariſt. lib. de mundo,* ταῦτα πάντα ἐστὶ θεῶν πλέα. *Et Lucret.*

Juppiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris.

Et ex Æſchylo Clem. Alex. ſtromate 5. Ζεὺς ἐστιν αἰθὴρ, δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανὸς, Ζεύς τοι τὰ πάντα, οὐχ' ὅτι τῶν δὲ ὑπέρτερον. *Et rectè quidem ſi Jovem intelligamus Patrem juvantem* Δία *&* Ζῆνα *dictum, quia per eum vivimus. Plato in Cratylo:* οἱ μὲν Ζῆνα, οἱ δὲ Δία καλοῦσι συντιθέμενα δ' εἰς ἓν δηλοῖ τὴν φύσιν τοῦ θεοῦ, quæ in unum compoſita Dei naturam ſignificant. *D. Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evang. cap. 23.* Nos autem Jovem colimus, de quo ait Maro: Jovis omnia plena, id eſt omnia vivificantem ſpiritum, qui dicit per Prophetam: Cœlum & terram ego impleo, ſed non illum Jovem Romanorum.

η Hunc Varro credit.] *De Deo Judæorum multi hallucinati ſunt, & multa ſomniarunt inter Gentiles. Plut. in ſympoſ. lib. 4. Cornel. Tacit. lib. 5. hiſt.*

θ Quod hi, qui populis inſtituerunt ſimulachra.] *Scribit infra c. 31. antiquos Romanos plusquam annos centum & ſeptuaginta deos ſine ſimulachris coluiſſe, ubi de hac re plura.*

Cap. X.

Quæ opiniones ſecuti ſunt, qui diverſos Deos diverſis mundi partibus præfecerunt.

CUr illi etiam Juno uxor adjungitur, *α* quæ dicitur ſoror & conjunx? *a* Quia *β* Jovem, inquiunt, in æthere accipimus, in aëre Junonem. Et hæc duo elementa conjuncta ſunt, alterum ſuperius, alterum inferius. *γ* Non eſt ergo ille, de quo dictum eſt, Jovis omnia plena: ſi aliquam partem implet & Juno. An uterque utrunque implet, & ambo iſti conjuges, & in duobus iſtis elementis, & in ſingulis ſimul ſunt? Cur ergo æther datur Jovi, aër Junoni? Poſtremò ſi ipſi duo ſatis eſſent, *b δ* quid eſt quòd mare Neptuno tribuitur, *ε* terra Plutoni? Et ne ipſi quoque ſine conjugibus remanerent, additur *c* Neptuno *ζ* Salacia, *d* Plutoni Proſerpina. Nam ſicut inferiorem cœli partem, id eſt, aërem, inquiunt, Juno tenet: ita inferiorem maris Salacia, & terræ inferiorem Proſerpina. Quærunt quemadmodum ſarciant fabulas, nec inveniunt. Si enim hæc ita eſſent, tria potius elementa mundi eſſe, *e η* non quatuor eorum veteres proderent, ut ſingula Deorum conjugia ſingulis dividerentur elementis. Nunc verò omnimodo affirmaverunt *f θ* aliud eſſe ætherem, aliud aërem, aliud terram. *ι* Aqua verò ſive ſuperior ſive inferior, utique aqua eſt, puto quia diſſimilis, nunquid in tantum ut aqua non ſit? Et inferior terra quid aliud poteſt eſſe quàm terra, quantalibet diverſitate diſtincta? deinde ecce jam totus in his quatuor vel tribus elementis corporeis completus eſt mundus, *g κ* Minerva ubi erit? Quid tenebit? Quid implebit? *h λ* Simul enim cum his in Capitolio conſtituta eſt, cùm iſta filia non ſit amborum. Aut *μ* ſi ætheris partem ſuperiorem Minervam tenere dicunt, & hac occaſione fingere poetas, *ν* quòd de Jovis capite nata ſit, cur non ergo ipſa potius Deorum regina deputatur, quòd ſit Jove ſuperior? An quia indignum erat præponere patri filiam? Cur non de Jove ipſo erga Saturnum juſtitia iſta ſervata eſt? an quia victus eſt? Ergo pugnarunt? Abſit, inquiunt, Fabularum eſt iſta garrulitas. Ecce fabulis non credatur, & de Diis ſentiantur meliora. Cur ergo non data eſt patri Jovis: etſi non ſublimior, æqualis certè ſedes honoris? *i ξ* Quia Saturnus, inquiunt, temporis longitudo eſt. Tempus igitur colunt, qui Saturnum colunt, & *ο* rex Deorum Jupiter inſinuatur natus ex tempore. Quid enim indignum dicitur, cùm Jupiter & Juno nati dicuntur ex tempore, ſi cœlum eſt ille, & illa terra, cùm facta ſint utique cœlum & terra? *k* Nam hoc quoque in libris ſuis habent eorum docti atque ſapientes. Neque de figmentis poeticis, ſed de philoſophorum libris à Vergilio dictum eſt:

π Tum Pater omnipotens ρ fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit,

Id eſt, in gremium telluris aut terræ: quia etiam hîc aliquas differentias volunt eſſe.

eſſe, *l* atque in ipſa terra σ aliud terram, aliud tellurem, aliud tellumonem putant. Et omnes hos Deos habent ſuis nominibus appellatos, ſuis officiis diſtinctos, ſuis aris ſacriſque veneratos. *m* τ Eandem terram etiam matrem Deorum vocant: ut jam Poetæ tolerabiliora confingant, ſi ſecundum iſtorum non poeticos, ſed ſacrorum libros, non ſolum Juno ſoror & conjunx, *n* υ ſed etiam mater eſt Jovis. *o* Φ Eandem terram Cererem, eandem etiam χ Veſtam colunt, *p* cùm tamen ſæpius Veſtam non niſi ignem eſſe perhibeant, pertinentem ad focos, ſine quibus civitas eſſe non poteſt: & ideo illi virgines ſolere ſervire, ψ quòd ſicut ex virgine, ita nihil ex igne naſcatur. Quam totam aboleri vanitatem, & extingui utique ab illo oportuit, qui eſt natus ex virgine. Quis enim ferat quòd cùm tantum honoris & quaſi caſtitatis igni tribuerint, aliquando Veſtam non erubeſcunt *q* etiam Venerem dicere, ut vaneſcat in ancillis ejus honorata virginitas? Si enim Veſta Venus eſſet, *r* quomodo ei ritè virgines à Venereis operibus abſtinendo ſervirent? *ſ* ω An Veneres duæ ſunt, una virgo, altera mulier? An potius tres, una virginum, quæ etiam Veſta eſt, alia conjugatarum, alia meretricum? *t* *aa* Cui etiam Phœnices donum dabant de proſtitutione filiarum, antequam jungerent eas viris. Quæ illarum matrona eſt Vulcani? Non utique virgo, quoniam habet maritum. Abſit autem ut meretrix, *u* ββ ne filio Junonis, & *x* cooperario γγ Minervæ facere injuriam videamur. Ergo hæc ad conjugatas intelligitur pertinere, ſed eam nolumus imitentur in eo, quod δδ fecit illa cum Marte. Rurſus, inquiunt, ad fabulas redis. Quæ iſta juſtitia eſt, nobis ſuccenſere, quòd talia dicimus de Diis eorum, & ſibi non ſuccenſere, qui hæc in theatris libentiſſimè ſpectant crimina Deorum ſuorum? & quod eſſet incredibile, niſi conteſtatiſſimè probaretur, hæc ipſa theatrica crimina Deorum ſuorum in honorem inſtituta eſſe eorundem Deorum.

a QUia Jovem, inquiunt.] *Cicero ſecundo de nat. Deorum, Cœlum ex dictis Ennii & Euripidis, tum augurum autoritate, conſenſuque generis humani Jovem eſſe tradit. Aërem autem, ſicut Stoici diſputant, inter cœlum & mare interjectum Junonem, quæ eſt ſoror & conjunx Jovis, quod & ſimilitudo eſt ætheris, & cum eo ſumma conjunctio. Effœminarunt autem eum Junonique tribuerunt, quòd nihil eſt eo mollius. Hæc Cicero.* L. Vives.

b Quid eſt quod mare Neptuno.] *Tres filii Saturni, Jupiter, Neptunus & Pluto, ita ſibi ſunt mundum partiti, ut Jovi cœlum cederet, Neptuno Maria, Plutoni terra. Juno nupſit Jovi, & æeri eſt præfecta. Commento huic veritas hujuſmodi præbuit occaſionem, quòd in diviſione paterni regni imperium Orientis Jovi ceſſerit, quod cœleſte videtur, in quo & Olympus mons, qui ſimilitudine nominis fabulam confirmavit. Imperium maritimum & claſſis Neptunus accepit: partem quæ ad Occidentem ſolem vergeret. Dis ſive Pluto, unde in inferis dominari eſt dictus. Nam & Saturnum ad inferos relegatum fabulantur, quòd ex Oriente in Italiam fugerit, quæ eſt Occidentalis in orbe terra.* Saturni filium.

c Neptuno Salacia.] *Salaciam à ſalo dictam vult Varro. Feſtus ſcribit, à veteribus aquam dictam ſalaciam, quam putarent ſalum ciere, hoc eſt mare. pro aqua ipſa* Salacia.

ponitur à poetis. Pacuvius: Hinc ſæviciam ſalaciæ fugimus. Neptunum Diodorus Siculus perhibet navigandi arte inventa claſſem inſtituiſſe, eique præfectum à Jove, ideo pro Deo maris habitum cultumque à poſteris.

Proſerpina. *d* Plutoni Proſerpina.] *Hanc Cereris & Jovis filiam Pluto in Sicilia rapuit, quam mater diu quæſitam tandem apud inferos eſſe comperit, impetravitque à Jove, ut Proſerpina medium annum eſſet cum marito, medium ſecum apud ſuperos. Epicarmus Ennii à proſerpendo nominatam eſſe dicit, quòd modò ad dextrum, modò ad ſiniſtrum ſerpat, eſſeque lunam eandem & terram, Varro. Raptus Proſerpinæ pleni ſunt & Græcorum & Latinorum libri.*

e Non quatuor.] *Veteres philoſophi quatuor eſſe elementa dixerunt, ignem ſupremum, hinc aëra, tertium aquam, poſtremò terram.*

f Aliud eſſe ætherem.] *Cælum ipſum & ſuperiorem aëris partem dixere æthera, inferiorem aëra, tametſi hunc quoque æthera, ſicut apud poëtas.*

Minerva. *g* Minerva ubi erit.] *Euhemerus in ſacra hiſtoria Minervam ſcribit filiam fuiſſe Jovis & Themidos. Cicero 3. de nat. Deorum Minervas quinque facit, ſed poetico more omnes iſtæ confunduntur. Et una dicitur Minerva, quam è cerebro Jovis natam volunt, præſidem totius ſapientiæ. Nam ideo & nata eſt è cerebro ſummi Dei, & virgo eſt. Et reſidere putatur in altiſſimo cœli loco. Martianus lib. Nuptiarum 6.*

Virgo armata decens rerum ſapientia Pallas,
Ætherius fomes, mens & ſolertia fati,
Ingenium mundi, prudentia ſacra tonantis
Ardor doctificus, noſtræque induſtria fortis.
Quæ facis arbitrium ſapientis pravia cura
Ac rationis apex, divûmque hominûmque ſacer vũς.
Ultra terga means rapidi ac ſplendentis Olympi
Celſior una Jove flammantis circulus æthræ.

Capitolium. *h* Simul enim cum his in Capitolio.] *Cicero ad equites de exilio: Nunc ego te, Jupiter opt. max. cujus nutu ac ditione ſola terrarum gubernantur, teque particeps connubii ſocia regni regina Juno; teque Tritonia armipotens Gorgona, Pallas, Minerva, cæterique Dii Deæque immortales, qui excellenti tumulo civitatis ſedem Capitolii in ſaxo incolitis conſtitutam. Dionyſius tradit, Priſcum Tarquinium bello Sabino voviſſe templum Jovi, Junoni, & Minervæ, exæquaſſeque Tarpejum collem in modum areæ ad id exigendum; ſed nec fundamenta eum jeciſſe ereptum ſubita nece. Receptum eſt opus, ac prope abſolutum à Tarquinio Superbo: & ab humano capite in fundamentis reperto dictum eſt Capitolium. Erat verò jam ante conditum Capitolium in clivo Florali ſacellum Jovi, Junoni & Minervæ ſacrum.*

Saturnus. *i* Quia Saturnus, inquiunt, temporis longitudo eſt.] *Saturnum Heſiodus, Euhemerus & Diodorus cæli & terræ filium fuiſſe narrant, hominem impientiſſimum, ſed relatam ei gratiam à filio Jove. Nam pulſus eſt ab eo, ut ipſe patrem expulerat, & verum effecit mimum: Ab altero expectes, alteri quod feceris: hinc Deus temporis eſt*
Χρόνος *fictus, ideo dictus κρόνος, quaſi χρόνος. Cic. de nat. Deorum: Saturnum autem eſſe voluerunt, qui curſum & converſionem ſpatiorum ac temporum contineret, qui Deus*

Græ-

Græcè idipſum nomen habet. κρόνος enim dicitur, qui eſt idem ſpatium temporis. Saturnus autem eſt appellatus, quòd ſaturaretur annis: ex ſe enim natos comediſſe fingitur, quia conſumit ætas temporum ſpatia, annisque præteritis inſaturabiliter expletur. Vinctus eſt autem à Jove ne immoderatos curſus haberet, atque ut eum ſyderum vinculis alligaret.

k Nam hoc quoque.] *Videlicet quòd Juno ſit terra. Hoc Varro libro 3. de lingua Latina, ubi Junonem terram & tellurem eſſe dicit. Plutarchus quoque, ſicut eſt in Præparatione Evangelica Euſebii, Junonem terram, & nuptialem viri ac fœminæ conjunctionem interpretatur, Servius Jovem ait, pro æthere & pro aëre poni, Iunonem pro terra & aqua.*

l Atque in ipſa terra aliud terram.] *Terra eſt ipſum elementum. Tellus diminutivum eſſe putant à terra: capique pro Dea, quæ terræ præeſt. ideo ædes Telluris ſemper dicitur, non terræ, tametſi tellus quoque pro terra capitur, præſertim à poetis. Tellus etiam dicta eſt Proſerpina, & Tellumo Pluto, ſicut etiam Altor & Runſor, cui terrena omnis vis atque natura dedicata eſt, quemadmodum placet Ciceroni. ideo nonnulli Cereris filium Plutonem faciunt, ſicut Diodorus refert libro 6. Euſebius in Præparatione Evangelica terræ partem uberem feracemque dicit à Porphyrio in myſtica Theologia Cererem vocari: lapideſam verò, montoſam, & parum fertilem Rheam, ſive Opem: & alia de virtute ſeminum terræque permulta Euſebius eodem lib. 3.* Terra. Tellus.

m Eandem terram etiam.] *Nempe Rheam.* Ceres unde dicta.

n Sed etiam mater.] *Nam & Iuno eſt ſoror & conjunx, & Ops mater.*

o Eandem terram Cererem.] *Varro & Tullius ex Chryſippo Stoico Cererem terram eſſe docent à gerendo, quòd fruges gerat: niſi quis malit ab antiquo verbo Cereo, quod eſt creo Varroni. Eſt enim terra omniparens. Plato in Cratylo, διδοῦσα ὡς μήτηρ δημήτηρ καλεῖσθαι. Filia fuit Saturni & Opis, ſoror Veſtæ & Iunonis. Has omnes fœminas & ſorores, & matrem terram fuiſſe volunt. Sic etiam Veſtam Ovid. 6. Faſtorum:*

Veſta eadem eſt, & terra ſubeſt. ſubit ignis utrique,
Significat ſedem terra focusque ſuam. *Et pòſt:*
Stat vi terra ſua, vi ſtando Veſta vocatur.

Hæc ex Orpheo, qui ait, γῆ μήτηρ πάντων, δημήτηρ πλουτοδότειρα. Quod congruis cum etymo Platonis, qui & ἑστίαν, quæ eſt Veſta, quaſi οὐσίαν interpretatur.

p Cùm tamen ſæpius Veſtam non niſi ignem.] *Cic. de nat. Deorum. Nam Veſtæ nomen à Græcis: ea eſt enim, quæ ab illis Heſtia dicitur. Vis autem ejus ad aras & focos pertinet: & in 2. de leg. Veſtam quaſi focum urbis, ut Græco nomine eſt appellata, quod nos propè idem Græcum interpretatum nomen tenemus. Ovid. 6. Faſtorum:*

Nec tu aliud Veſtam, quàm vivam intellige flammam,
Natáque de flamma corpora nulla vides.

Cumque ſit ignis, & dicatur virgo, ex utraque cauſa virgines ſunt ejus miniſterio adhibitæ, & omnis virginitas ſacra erat illi. Primum quoniam virgini virgines convenientiſſimè congruerent; deinde quòd ignis nihil ex ſe gignat, ut neque virgines:

 ſer-

ſervandiq. ignem perpetuum cæleſti ſimilem mos eſt ab Ægyptiis natus, ſicut Diodorus ſcribit, qui ad alias manavit gentes, Græcas & Barbaras, ut Athenis & Delphis Plutarcho & Straboni. In Prytaneo enim Athenis ignis ſervabatur ſempiternus: ex Ilio in Latium ſunt tranſlata ſacra Veſtæ, hinc Romam per Romulum: idcirco Iliaca Veſta toties ab ſcriptoribus nominatur. Vergilius:

Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Et fuerunt quidem Veſtæ totidem tunc, quot curiæ, ſicut Dionyſius ſentit, ſed templum Veſtæ publicæ Numa rex conſtruxit anno ab Urbe condita XL. ut Ovidius computat.

q Etiam Venerem dicere.] *Iſtud ex phyſica ratione. Phyſici namq. ſicut Macrobius teſtatur, terræ ſuperius hemiſphærium quod nos incolimus, Venerem dixere, inferius verò Proſerpinam: atqui & hanc noſtram terram Veſtam nominant Plotinus terræ virtutem animamque, quæ eſt ex Venere, Veſtam appellat. Accedit huc quod cùm Veſta ſit mundi ignis & fomentum à Venere, nihil videtur abeſſe à flamma grata & prolifica univerſi: ideo & colitur Veſta publicè & privatim, non tanquam ſterilis, ſed Venerea & auctifica: ut per eam tum domus, tum etiam civitates populique novis ſubinde fœturis æternum concelebrentur.*

Veſtalis *r* Quomodo ei ritè virgines.] *Grandis pœna, ſi qua Veſtalis parum caſtè pudicitiam habuiſſet, ſed poſt annos triginta exire licebat, & nubere.*

Veneres duæ *ſ* An Veneres duæ ſunt.] *Plato in Convivio geminam ponit Venerem. Cæleſtem, quæ optimos ſanctiſſimosque excitaret amores: alteram inferiorem popularem, quâ in libidine impellimur: illam ſine matre antiquam cæli filiam hanc Jovis, & Diones multò juniorem & πάνδημον, quaſi vulgarem, & Venerem ſanctam veteres omnis caſtitatis exiſtimarunt ſuadentem, impultricemq. Hinc apud Romanos cum mulieres multæ in flagitium libidinis irruerent penè furentes, ex libris Sibyllinis ſimulachrum Veneris Verticordiæ eſt conſecratum, quò facilius virginum mulierumque corda à libidine ad pudicitiam verterentur. Valer. lib. 8. & Ovid. 4. Faſtorum.*

Venus Verticordia

Cypri virginum mos. *t* Cui etiam Phœnices.] *Hoc de Cypriis narrat Juſtin. lib. 22. Mos, inquit, erat Cypriis virgines ante nuptias ſtatutis diebus dotalem pecuniam quæſituras in quæſtum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri ſoluturas: credo quòd ex inſtituto Veneris, quæ ut Lactantius ex ſacra hiſtoria refert, autor meretriciæ vitæ fuit, docuitque Cyprias fœminas quæſtum vulgato corpore facere: Armeniis ſimilem ferè morem fuiſſe narrat Strabo. Idem ſcribit Herodot. de Lydis, qui Babylonicos plebejos refert cùm rei familiaris anguſtiâ premuntur, ſolitos quæſtus gratia filias ſuas populo proſtituere. Phœnices multum coluiſſe Venerem traduntur propter Adonem, qui ibi eſt natus, ſacraque Veneris cum luctu celebraſſe, ubi ipſa dea lugens inducitur, ut refert Macrobius. Simulachrumque ejus in monte Libano fingitur capite obnupto ſpecie triſti, facie manu læva intra amiculum ſuſtinens. Lachrymæ viſione conſpicientium manare creduntur: apud Euſebium quoque in Evangel. præpar. ad hunc modum legitur. Quod verò maligni ad iſta dæmones humanum genus intruſerunt, quamvis per ſeipſum pateat, tamen inde quoque apertius videbis,*

videbis, ſi adulteria & fornicationes gentilium, quæ neque ad hunc diem in Heliopoli Phœnice multiſque aliis in locis peraguntur, in mentem tibi veniant: quaſi enim primitias quaſdam diis debitas turpiſſimas hujuſmodi operationes in templis offerunt. Hæc de Latino Euſebio, & exemplari mendoſiſſimo, ne quis mihi fraudi oportere eſſe putet, ſi quando minus rectè Euſebii ſententiam explicuero. Proſtituendi fœminas vulgò etiam fuit mos Angilarum in Africa, nocte qua nuberent. Herodotus, Solinus, Mela. Siccæ in eadem terra templo Veneris matronæ dotem quærebant vulgato corpore. Valerius. Locrenſes Juſtinus ſcribit bello preſſos voviſſe ſuas ſe filias feſto Veneris proſtituturos, ſi victores forent.

v Ne filio Junonis.] *An Marti, qui cum Venere concubuit, unde natus eſt Harmonias. Mars verò Junonis fuit filius, incerto patre, ſine patre fingunt eum natum. Quod poſſit de Marte intelligi, illud facit quod addit cooperatio Minervæ: uterque enim deus eſt belli: ſed potius de Vulcano intellexerim, Jovis & Junonis filio: tametſi Junonis ſolius filius dici ſoleat. ideo ἀπάτωρ nominatus: ut apud Theocritum, qui artem fabrilem in Lemno inſtituit, cujus uxor fuit Venus, quæ cum Marte rem habuit. Eſſet ergo Vulcani nempe mariti injuria, ſi uxor diceretur meretrix. Curruca enim non parvum eſt convicium.* Mars Vulcanus.

c Cooperatio Minervæ.] *Vulcanus enim & Minerva curant fulmen Jovis, ideo & interdum id jaculantur.* Minerva.

Vergilius de Minerva.

Ipſa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem.

Quo loco Servius grammaticus ait tria ſolum eſſe numina poſſidentia fulminum jactus, Jovem, Vulcanum, & Minervam: tametſi aliter Plinius libro ſecundo, ex diſciplina Etbruſca & Romana. Curat verò Minerva ægidem Iovis: quod ſi quis altius vult philoſophari, Iovis amictum inveniet, & ſapientia Minervæ, & igne follibuſq; Vulcani fabrefactum: tegmen namque capitis Iovis cùm igneum ſit, tamen præſul operis Pallas ipſa texuit. Martianus in Nuptiis. An cooperator dicitur Minervæ, quòd ex ea genuerit Apollinem illum, in cujus tutela hiſtorici antiqui Athenas eſſe voluerunt Cic. 3. De nat. Deorum. Verùm illud ſimplicius, & ad ſenſum Auguſtini, ut puto, accommodatius, Vulcanum idcirco dici cooperarium Minervæ, quòd hæc ſit dea artium, etiam earum in quibus uſus eſt manuum, quas Græci χειρουργικὰς vocant. Ille verò deus inſtrumentorum, ſine quibus hæ artes non exercentur. Plutarchus de utilitate inimici. Ignis artium omnium inſtrumentum eſt, ſi quis norit uti. Adde quòd Vulcanus quoque ipſe artibus præeſſe exiſtimatus eſt. Euſebius enim inquit, ex artibus alias Minervæ, ut bellicas, alias Vulcano, ut omnes quæ per ignem fiunt, aſſignari ſolitas, Theodoritus, in Græcis affectionibus Vulcanum à Græcis pro artibus uſurpatum ſcribit, quòd ignis adminiculo pleraque omnes utantur. Phurnutus artes omnes in poteſtate eſſe Minervæ & Vulcani dicit, quòd illa ſapientia eſt & acumen. Igne verò pleraque artes ſua exercent opera. Ideo & Homerus de artifice ait, ὃν Ἥφαιστος δέδαεν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη: & quem Vulcanus docuit, quem caſta Minerva.

a Quæ

α QUæ dicitur ſoror, & conjux.] *Apud Virg. 1. Æneid.* Joviſque & ſoror, & conjux, *ita in hymnis deorum eam vocavit Homerus*, Ζηνὸς ἐριγδούποιο κασιγνήτην ἄλοχόν τε κυδρήν, ἣν πάντες μάκαρες κατὰ μακρὸν Ὄλυμπον ἁζόμενοι τίουσιν ὁμῶς Διὶ τερπικεραύνῳ. *Minut. in Octa.* Deos colitis inceſtos cum matre, cum filia, cum ſorore conjunctos, meritò igitur inceſtum penes vos ſæpè deprehenditur, ſemper admittitur. *Jul. Firmicus de errore proph. relig. cap. 4.* Junonem ſanè, ne & huic deeſſet inceſtus, Jovis volunt è ſorore conjugem factam. *Tertull. in Apologet. cap. 9.* Inceſti qui magis, quàm quos Juppiter ipſe docuit?

β Jovem (inquiunt) in æthere accipimus, in aëre Junonem.] *Servius in 1. Æneid.* Phyſici Jovem ætherem, id eſt ignem volunt intelligi; Junonem verò aërem. *Macrob. lib. 1. in ſomnium Scipionis c. 17.* Eſt Juno aër & dicitur ſoror, quod eiſdem ſeminibus, quibus cœlum, etiam aër eſt procreatus: Conjux, quòd aër ſubjectus eſt cœlo. *Et Lucret. lib. 1. Æthera, poſuit pro Jove, Plut. lib. de Homero.* Ita omnes hiſtorias, quæ viderentur turpes deorum ſuorum, atque ad labem pertinere divinam, *ut ſcribit Arnob. lib. 5.* Gentiles volebant in ſe continere ſancta myſteria, rationes miras atque altas, *ut videre eſt inter cæteros apud Plutar. lib. de audiendis poëtis, quod idem docet & Tertull. lib. 1. contra Marcionem cap. 13.* Ipſa quoque vulgaris ſuperſtitio communis idololatriæ cùm in ſimulachris de nominibus & fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus ſuum ingenio obumbrat, figurans Jovem in ſubſtantiam fervidam, & Junonem ejus in aërem, ſecundùm ſonum Græcorum vocabulorum. *Ita crimina deorum allegoriis conabantur excuſare. Verùm ut ſcribit rectè Orig. lib. 3. contra Celſum:* Allegoriæ quas videri volunt, multò turpiores ſunt, quàm ipſæ fabulæ, atque abſurdiores etiam, mira ſtultitia coaptare inter ſe conantes, quæ nullo modo cohærent. *Et D. Greg. Nazianz. Orat. 1. in Julian. ſub finem, ubi etiam docet, quod cùm apud nos ſint etiam abditi quidam, & abſtruſi ſermones, quantum differant ſcriptura ſacra, quoad externum ſenſum, ſeu literalem, & internum ſeu myſticum à fabulis illis Gentilium de diis:* Siquidem in illis, & quod intus conditur, admirandum eſt, iiſque qui in penetralia ipſa dueuntur, mirè ſplendidum, formoſiſſimumque cujuſdam corporis inſtar haud aſpernanda veſte contegitur, Cum rerum divinarum, ne demonſtrationes quidem ipſas externas, ſpecieſque inhoneſtas eſſe conveniat, rebuſque ſignificatis indignas: In iſtis verò nec quod intelligendum proponitur, fidem mercatur, & quod externè oculis objicitur, pernicioſum ſit. *Ibidem D. Gregor. ſcribit, non poſſe ullo modo conciliari, aut componi inter ſe figmenta deorum, & eorum involucra. Et Theodoret. lib. 3. contra Gentes:* ἐρυθριάσαντες τῶν φιλοσόφων τινὲς τοὺς μύθους τῶν ποιητῶν εἰς ἀλληγορίαν ἐτρέποντο *id eſt,* nonnulli philoſophorum pudore fabularum affecti poëtarum fabulas in allegoriam verterunt. *Et pòſt de hujuſmodi involucris,* ταῦτα *(inquit)* καὶ τῶν ποιητικῶν μύθων ἐστὶ ληρωδέστερά τε καὶ βλαβερώτερα. καὶ τὸν καπνὸν δὴ φυγόντες εἰς τὸ πῦρ ἐμπεπτώκασι *Id eſt,* hæc ſunt poëticis fabulis leviora, magiſque noxia: & dum fumum evitare contendunt, in ipſum ignem inciderunt. *Ibidem Theodoretus de Platone:* ταύτῃ τοι καὶ ἀλληγορεῖ τῶν θεῶν τὰ ὀνόματα, καὶ τὴν τῶν μύθων αἰσχρότητα

πάντα ἐξευμενίζειν πειρᾶται. τούτων δὲ τῶν λόγων ὁ Κρατύλος ἀνάπλεως, *id eſt*, Deorum nomina allegoriis honeſtat, turpitudinemque illorum ita obtegere ac velare conatur.

γ Non eſt ergo.] Sibi *(inquit)* pugnantia dicunt, & Jovis omnia plena eſſe, & nihilominus Jovem eſſe Ætherem.

δ Quid eſt quod mare Neptuno tribuitur.] *Neptunus apud Homer. Iliad. ο. Iridem alloquens dicit, tres eſſe filios Saturni & Rheæ, Jovem ſcilicet, ſe & Plutonem, qui inferis imperet, in tres partes univerſum eſſe diſtributum, ita ut ſua cuique obtigerit dignitas, Jovi enim ceſſiſſe cœlum, ſibi maris imperium, Plutoni aëris obſcuri, quem vocat ζόφον ἠερόεντα, cujus fabulæ allegoriam vide apud Plut. lib. de Homero. Lactant. lib. 1. cap. 11. ita figmentum illud de ſortitione regnorum interpretatur, quod regnum orbis ita partiti, ſortitique ſint, ut Orientis imperium Jovi cederet, Plutoni pars Occidentis obtingeret, eo quòd plaga Orientis ex qua lux mortalibus datur, ſuperior, Occidentis autem inferior eſſe videatur. Sic veritatem mendacio velaverunt, ut veritas ipſa perſuaſioni publicæ nihil derogaret. Neptuni regnum tale fuiſſe dicimus, quale M. Antonii fuit infinitum illud imperium, cui totius oræ maritimæ poteſtatem Senatus decreverat, ut prædones perſequeretur, ac mare omne purgaret: Sic Neptuno maritima omnia cum inſulis. Vide Fulgent. lib. 1. mytholog. & Natalem Comitem lib. 2. cap. 1.*

ε Terra Plutoni.] *Fulgent. lib. 1. mythol. Plutonem dicunt terrarum præſulem, πλοῦτος enim Græcè* divitiæ *dicuntur, ſolis terris credentes divitias deputari: Hunc etiam tenebris addictum dixère, quòd ſola terra materia ſit cunctis elementis obſcurior. Sceptrum quoque in manu geſtat, quòd regna ſolis competant terris.*

ζ Neptuno Salacia.] Salaciam *(inquit Feſtus)* antiqui dicebant deam aquæ, quam putabant ſalum ciere, *id eſt*, aquam movere. *Eo vocabulo etiam pro aqua poëtæ utuntur. Pacuvius:* Hinc ſævitiam ſalaciæ fugimus.

η Non quatuor eorum veteres.] *Poſt Hippocratem Plato, Ariſtoteles, & utriusque ſcholæ alumni ſtatuerunt unanimi conſenſu, quatuor eſſe elementa, quem numerum collegerunt, tum ex numero quatuor primarum qualitatum; tum ex quadruplici combinatione earum inter ſe; tum etiam ex numero ſimplicium lationum, quæ quatuor ſunt, duæ à medio, & duæ ad medium; poſtremò ex numero qualitatum motricium, quæ item ſunt quatuor, ſumma levitas igni conveniens, ſumma gravitas terræ, levitas ex parte aëri, gravitas ex parte aquæ. D. Hieronym. epiſt. 128. ad Fabiolam. Docet quatuor elementa ſignificata fuiſſe byſſo, purpura, hyacintho, & cocco, quibus olim ſummi ſacerdotis veſtimenta diſtinguebantur:* Quatuor, *inquit*, colores ad quatuor elementa referuntur, ex quibus univerſa ſubſiſtunt: nam byſſus terræ deputatur, qui ex terra gignitur; purpura mari, quia ex concheolis tingitur; hyacinthus aëri, propter coloris ſimilitudinem; coccus igni, quod uterque rubeat. *Aſtronomi quatuor elementis quatuor anni tempora reſpondere volunt, igneam eſſe æſtatem, terreum autumnum, ver aërium, hyemem aquoſam. Hæc quatuor elementa in prima rerum moliſione à Deo condita fuiſſe docent Baſil. hom. 2. de mundi opificio. Damaſc. lib. 2. de fid. Orthod. cap. 5. Beda in lib. Hexam. Falſa*

itaque ſententia Cardani & aliorum, qui elementum ignis ſuſtulerunt, de quo fuſiùs diſſerendi non eſt hic locus.

θ Aliud eſſe ætherem, aliud aërem.] Æthereas nubes *dixit Lucret. pro* aëris *lib. 4. Apulejus etiam* æthera *pro* aëre *accepit;* Aqua, tellus, æther, ignis. *Et Virg.* reſonatque fragoribus æther. *& 1. Georg.* raptum ſecat æthera pennis. *& 1. Æneid.* Crebris micat ignibus æther. *ubi Servius:* ætherem *hoc loco pro* aëre *poſuit; nubes enim unde & fulmina, aëris ſunt, non ætheris. Et Virg. frequenter duo iſta confundit. Ariſt. lib. de Mundo ad Alex. cap. 2. (ſi tamen illius eſt) hoc nomine ſignificari ait cœli ſyderumque ſubſtantiam, hoc eſt, totam ſyderum, & cœli, & ſtellarum compaginem* ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, *quod eſt* ſemper currere, *ob rapidiſſimum motum cœli. Apulejus:* Ætheris, *inquit,* appellatione cœlum ipſum, ſtellæque, omniſque ſyderea compago intelligitur, non ut quidam putant, quod igneus ſit & incenſus, ſed quod curſibus rapidis ſemper rotetur. *Cic. 1. de nat. Deor.* Aſtra quæ oriuntur in ardore cœleſti, qui æther vel cœlum nominatur. *Ibidem:* Sydera æthereum locum obtinent. *rurſus:* In æthere autem aſtra volvuntur. *Et:* Reſtat, *inquit,* ultimus, & à domiciliis noſtris altiſſimus, omnia cingens & coërcens cœli complexus, qui idem æther vocatur, extrema ora, & determinatio mundi: *quomodo etiam Philoſophi duas præcipuas mundi partes conſtituunt* elementa, & ætherem, *ſive* mundum elementarem & æthereum, *ætheris nomine complectentes quicquid eſt ſupra elementum ignis. Pro igne etiam ſupremo elemento ſumi nonnunquam, teſtis eſt Servius alicubi in Virg. & Anaxagoras idem quod ignis vocabulum ſignificare volebat, quod ſuperas mundi partes igne plenas eſſe cenſeret, in quo ab Ariſtotele reprehenditur. 1. Meteorolog.*

ι Aqua ſive ſuperior, ſive inferior utique aqua eſt.] *Eſt enim corpus homogeneum, cujus ſingulæ partes retinent denominationem totius, eſt enim qualibet pars aquæ aqua, ut terra terra, Aquam virilem Ægyptii mare, muliebrem omnem aliam. Terrarum fortiorem marem vocabant ſaxa, cauteſque: fœminæ nomen aſſignabant huic tractabili ad culturam.*

κ Minerva ubi erit?] *Fabulam Minervæ & ejus interpretationem vide apud Phornutum lib. de nat. Deor. cap. de Minerva. Fulgent. lib. 2. Mytholog. apud Natalem Comitem lib. 4. cap. 5. fingitur nata è Jovis cerebro, præſes totius ſapientiæ. Homerus in hymnis:* τὴν αὐτὸς ἐγείνατο μητίετα Ζεὺς σεμνῆς ἐκ κεφαλῆς. *quo commento ſignificare volunt, humaniorum literarum diſciplinas non eſſe humani ingenii inventum, ſed ex cerebro Iovis, id eſt, ex inexhauſto divinæ ſapientiæ fonte ad hominum uſum eſſe depromptas. Pallas dicitur* ἀπὸ τοῦ πάλλειν, *id eſt,* à vibrando, *vel* jaculando: *pingitur enim quaſi manu haſtam tenens, & eam vibrans. Eſtque Dea non ſolùm artium, ſed & armorum, unde vocata* ϛρατεία, militaris, & ἀρεία Martia Minerva. *Naſoni* Dea bellica & bellatrix; *Virgilio* Armiſona: *Pindaro* ἐγχεϊβρεμος.

λ Simul enim cum his in Capitolio.] *Cic. 2. de legib. dicit, ſe illam cuſtodem urbis (ita Minervam appellat) ex ſua domo, in ipſius patris domum detuliſſe. Plut.* τὸ μὲν ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς ὁ πολὺν χρόνον ἔχων ἐπὶ τῆς οἰκίας ἱδρυμένον ἐτίμα διαφερ-

Φεύγοντας εἰς καπιτώλιον κοινώσας ἀπέφηνεν, ἀπηχθάνετο. Ἀθηνᾶ Ῥώμης Φύλακι. Palladis enim conſilio & ope conſervatam à ſe urbem oppreſſa Catilinæ conjuratione, ſæpè dixerit.

μ Si ætheris partem ſuperiorem Minervam.] *Macrob. lib.3. Satur. cap.4.* qui diligentius, *inquit*, eruunt veritatem, Penates eſſe dixerunt, per quos ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi poſſidemus. Eſſe autem medium æthera Jovem, Junonem verò imum aëra cum terra, & Minervam ſummum ætheris cacumen, eo argumento utuntur, quod Tarquinius Demarati Corinthii filius Samothraciis religionibus myſticè imbutus uno templo, ac ſub eodem tecto numina memorata conjungit. *In fabulis illis poëtarum adumbrata fuit ſpecies quædam veritatis; Minerva ſapientiæ præſes è cerebro Iovis nata, vera enim ſapientia Chriſtus ex ore altiſſimi prodiit, quæ teſtatur, ſe in altiſſimis habitare, & thronum ſuum eſſe in columna nubis.*

ν Quod de Jovis capite nata ſit.] *Obſervandum hoc loco, quod ſcribit Iuſtinus Martyr apolog.1. ad Antoninum Pium, dæmones per poëtas ipſos ſcripta Prophetarum corrupiſſe: ita quia per Iſaiam Prophetam prædictum erat, Chriſtum ex Virgine naſciturum, & in cœlum conſcenſurum eſſe, Perſeum finxerunt ex Danae virgine genitum eſſe. & quia prædictum erat in ipſis vaticiniis, ut tanquam robuſtus Gigas curreret viam, Herculem fortem, qui omnem peragravit terram, deprædicarunt. ubi rurſus intellexerunt vaticiniis promiſſum eſſe, illum omnem morbum curaturum, & mortuos excitaturum eſſe, Æſculapium ſubinduxerunt. ita quia mundo prædicandum erat, & manifeſtandum myſterium ſanctiſſ. Trinitatis, & verbi divini æterna productio ex intellectu paterno, finxerunt Minervam ex cerebro Jovis natam.* Sic enim efficere ſe poſſe dæmones *(inquit)* ſunt rati ut homines pro fabulis prodigioſis, poëticiſve narrationibus res Chriſti haberent. Et vulgata hæc ſunt & apud Græcos, & apud Gentes, ubi magis illi audebant, prophetis prænunciantibus, homines in Chriſtum credituros eſſe. *Tertull. in Apolog. c.47.* Omnia, *inquit*, adverſus veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt, operantibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris. Ab his adulteria hujuſmodi ſalutaris diſciplinæ ſuborta: ab his quædam etiam fabulæ immiſſæ, quæ diſſimilitudine fidem infirmarent veritatis.

ξ Quia Saturnus temporis longitudo eſt.] *De Saturno vide Tertull. in Apolog. c.10. ubi ſcribit, Saturnum hominem fuiſſe antiquiſſimum Deorum, dictum filium cœli, quòd pater eſſet ignotus. A Græcis dicitur κρόνος, quia χρόνος, id eſt,* tempus. *A Latinis* Saturnus, *quòd* annis ſaturetur, *ut Cic. ait lib. de nat. Deor. vel quia* ſe in devorandis filiis ſaturavit: *Ex ſe enim natos comediſſe fingitur, quia conſumit ætas temporum ſpatia, annisq; præteritis inſaturabiliter expletur.*

ο Rex Deorum Juppiter inſinuatur natus ex tempore.] *Idem lib. de conſenſu Evang. c.23.* Quid aliud indicant, *inquit*, quàm omnes Deos ſuos temporales eſſe, quorum patrem ipſum tempus conſtituunt. *Propterea ibidem ſcribit, Gentiles aliam excogitaſſe Saturni interpretationem, dicentes appellatum κρόνον velut à ſatietate intellectus, eò quòd Græcè ſatietas κόρος, intellectus autem, ſive mens νοῦς dicitur, de quo Plato in Cratylo. cui videtur & ſuffragari Latinum nomen, quaſi ex prima*

Latina parte, & Græca poſteriore compoſitum, ut diceretur Saturnus tanquam ſatur & νοῦς: Viderunt enim, *inquit,* quàm eſſet abſurdum, ſi filius temporis Juppiter haberetur, quem Deum æternum vel putari volebant. *Arnob. lib. 3. contra Gentes:* ſi tempus nomine Saturni ſignificatur, Græcorum ut interpretes autumant, ut quod chronos eſt habeatur cronos, nullum eſt Saturnium numen. Quis eſt enim tam demens, qui tempus eſſe dicat Deum, quod menſura cujusdam eſt ſpatii in continua ſerie perpetuitatis incluſi? atque ita ex ordine tolletur & iſte cœleſtium quem cœlo eſſe editum patre, magnorum & procreatorem Deorum, vitiſatorem, falciferum vetuſtas edidit priſca, & minorum tranſmiſit ætati.

π Tum pater omnipotens.] *Virg. 2. Georg. Idem à Lucretio luculentis verbis ſcriptum lib. 1. & ex Euripide ſumptum, ſic ſcribente, ut obſervavit Turneb. lib. 11. Adverſ. cap. 22.*

Ἐρᾷ δ᾽ ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν, Ἀφροδίτης ὕπο,
Ὅταν δ᾽ συμμιχθῆτον εἰς ταυτὸν δύο,
Φύουσιν ἡμῖν πάντα, καὶ τρέφουσ᾽ ἅμα.

Arnob. lib. 5. Itaque qui dicit: cum ſua Juppiter concubuit matre, non inceſtas ſignificat: aut propudioſas Veneris complexiones, ſed Jovem pro pluvia, pro Tellure Cererem nominat. Eadem ab auctore citantur lib. 1. de conſenſu Evang. cap. 23.

ϱ Fœcundis imbribus.] *Ut fœcundos hic imbres, ſic & Euripid. in Supp.* ἀπ᾽ οὐρανοῦ σταγόνας ὑδρηλὰς ὡς τάχ᾽ ἐκ γαίας τρέφῃ. *Et ut gremium conjugis, ſic idem Euripid.* χθόνα βαθύκολπον *vocavit.*

σ Aliud terram, aliud Tellurem.] *Tellus Dea terra credita antiquis, Cic. 3. de nat. Deor.* Terra ipſa Dea eſt, & ita habetur, quæ eſt enim alia Tellus, niſi terra? *Tellus tamen ipſa etiam terra dicitur. Plin. lib. 2. cap. 5. librari medio ſpacio tellurem dixit, i. e. terram. Virg. 1. Æneid.*

A magno telluris amore
Egreſſi, optata potiuntur Troes arena.

Ubi Servius: tellurem *pro* terra *poſuit, quum* Tellurem *Deam dicamus,* terram *elementum, ut plerumque Vulcanum ponimus pro igne.*

τ Eamdem Terram matrem Deorum.] *Jul. Firmicus cap. 3.* Quòd Terram matrem eſſe omnium Deorum dicunt, qui huic elemento tribuunt primas partes: verè Deorum ſuorum mater eſt, nec abnuimus aut recuſamus, quia ab hac collectos Deos ſuos aut lapideos faciunt ſemper, aut ligneos.

υ Sed etiam mater.] *Argumentum eſt divi Auguſtini: Terra ſi poëtis Gentilium credimus, vel etiam interpretationi eorum myſticæ, qua fabulas ejuſmodi involvunt, ipſa Juno eſt, at Terra mater eſt omnium Deorum; ergo Juno non modo conjux & ſoror, verum etiam mater eſt Jovis.*

φ Tandem Terram Cererem, eamdem etiam Veſtam.] *Arnob. lib. 3.* Terram quidam è vobis, quòd cunctis ſufficiat animantibus victum, magnam eſſe dixerunt; Eamdem hanc alii, quod ſalutarium [illegible] frugem gerat, Cererem eſſe pro-

pronuntiant, nonnulli autem Veſtam, quod in mundo ſtet ſola, cæteris ejus partibus mobilitate in perpetua conſtitutis.

χ Veſtam non niſi ignem eſſe.] *Tertull. lib. 1. contra Marcionem cap. 13. Ovid.*

Nec tu aliud Veſtam, quàm vivam intellige flammam.

Jul. Firmicus cap. 15. Veſta quid ſit, diſcite, ne putetis antiquum aliquid, aut cum ſummo terrore inventum, Ignis eſt domeſticus, qui in focis, quotidianis uſibus ſervit: quapropter coquos habeat non miſeras virgines ſacerdotes, quæ contemnentes ignis ipſius favillas aut præſtituto corpore peccare cogantur, aut in virginitate perſeverantes perdant honeſtam glorioſi nominis dignitatem.

ψ Quod ſicut ex Virgine, ita nihil ex igne naſcatur.] *Ita Lactant. lib. 1. cap. 12. Idcircò Virginem putant Veſtam, quia ignis inviolabile ſit elementum, nihilq; naſci poſſit ex eo, quippe qui omnia, quæ arripuerit, abſumat.*

ω An Veneres duæ ſunt.] *Plato in Sympoſio, duas Veneres conſtituit, & earum naturam & differentiam fusè explicat.*

αα Cui etiam Phœnices.] *Id teſtatur & D. Athanaſ. orat. contra Gentes:* γυναῖκες ἐν εἰδώλοις τῆς Φοινίκης πάλαι προεκαθέζοντο, ἀπαρχόμεναι τοῖς ἐκεῖ θεοῖς ἑαυτῶν τὴν τοῦ σώματος αὐτῶν μισθαρνίαν, νομίζουσαι τῇ πορνείᾳ τὴν θεὸν ἑαυτῶν ἱλάσκεσθαι, καὶ εἰς εὐμένειαν ἄγειν αὐτὴν διὰ τούτων. *Idem ſcribit Euſeb. lib. 4. de præparat. Evang. c. 8. Scribit & Strabo lib. 11. de Armeniis, quod Anaitidi Deæ filias ſuas virgines dedicarent, ac lex eſſet, ut longo tempore apud Deam conſtupratæ, deinde nuptum darentur. Idem ſcribit Herodot. lib. 1. de Lydis, quod Virgines filias proſtituerent. Et Juſtinus lib. 18. de Cypriis, quòd virgines ante nuptias ſtatutis diebus dotalem pecuniam quæſituras in quæſtum ad littus maris mitterent, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri ſoluturas.*

ββ Ne filio Junonis.] *Vulcano, qui Jovis & Junonis filius à parentibus ob deformitatem fertur ejectus, & fingitur Faber Deorum, ut qui Jovi fulmina, & Diis arma adverſus Gigantes fabricavêrit: Et quicquid artificioſè fabricatum, ab eo factum volunt, ut monile Hermionis, & Ariadnæ coronam, currum Solis, Achillis & Æneæ arma. Apud Homer. Iliad. 18. à Thetide rogatur, ut arma Achilli fabricetur.*

γγ Cooperario Minervæ.] *Huc ſpectat quod ſcribit Plato in Critia, Deos olim univerſum terrarum orbem ſingulatim eſſe ſortitos:* Vulcanus verò, *inquit,* & Minerva cùm communem haberent naturam, tum quòd ex eodem eſſent Patre, tum quòd ſapientiæ, artiumque communi quodam ſtudio ad res eaſdem aſpirarent, ita communem hæreditatem hanc regionem Græciam ſunt ſortiti, veluti virtuti & prudentiæ propria quadam & peculiari naturæ ratione accommodatam. *Apud Homerum dicitur Vulcanus cum Minerva* ἀγλαὰ ἔργα ἀνθρώπους διδάξαι ἐπὶ χθονός; Præclara opera homines docuiſſe in terra. *Phornutus lib. de natur. Deorum.* Bona hominum pars, *inquit,* artes Minervæ & Vulcano tribuere: Minervæ quidem, quia hæc prudentia ac induſtria eſſe videtur; Vulcano autem quòd ex artibus plurimæ per ignem ſua opera exhibeant. *Theodoretus ſermon. 3. contra Gentes:* ὀνομάζουσι *inquit,* τὸν λογισμὸν Ἀθηνᾶν, καὶ αὖ πάλιν Ἥφαιστον. τὰς

τέχνας ὡς πυρὶ ξυνεργῷ κεχρημένας. Rationem Minervam nominant: rurſus Vulcanum pro artibus volunt accipi, quod ignis adminiculo pleræque utantur.

δδ Quod fecit illa cum Marte.] *Plato lib. 3. de Repub. commenta de Marte & Venere in adulterio deprehenſis, Vulcani artibus irretitis nequaquam cenſet admittenda. Hæc ſuggillat Athanaſ. orat. contra Gentes* τίς ἰδὼν τὴν Ἄρεος πρὸς Ἀφροδίτην μοιχείαν, καὶ τὸν Ἥφαιστον κατ' ἀμφοτέρων κατασκευαζόμενον δόλον, καὶ τοὺς ἄλλους λεγομένους θεοὺς ἐπὶ θέαν τῆς μοιχείας ὑπὸ τοῦ Ἡφαίστου καλουμένους καὶ αὐτοὺς ἐρχομένους, καὶ ὁρῶντας αὐτῶν τὴν ἀσέλγειαν, οὐκ ἂν γελάσειε καὶ καταγνώσεται τῆς φαυλότητος αὐτῶν. Quis recognoſcens Martis cum Venere adulterium, & Vulcani contra utrumque inſidias, aliosque deos ad ſpectaculum ſtupri à Vulcano evocari, evocatosque adventare, & obtueri eorum ſalacitatem, non in riſum abeat, deteſteturque eorum nequitiam. *Et D. Gregor. Nazianzen. orat. in Julianum.* τίς ὁ τῆς χρυσῆς Ἀφροδίτης ἀφυὴς ἐραστής, καὶ μοιχὸς ἀπερίσκεπτος, καὶ τῷ ἀμφιγυήεντι κρατούμενος, καὶ θέατρον τῶν θεῶν ἐφ' ἑαυτῷ συλλέγων ἀσχημονοῦντι, *id eſt*, quis ille aureæ Veneris illepidus amator, improvidusque adulter, à loripede Vulcano retentus, deorumque theatrum ob turpitudinem ſuam, & obſcœnitatem colligens.

Cap. XI.

De multis diis, quos doctores paganorum unum eundemque Jovem eſſe defendunt.

Quotquot libet igitur phyſicis rationibus & diſputationibus aſſerant: modò ſit Jupiter *a* corporei hujus mundi animus, qui univerſam iſtam molem ex quatuor, vel quot eis placet, elementis conſtructam atque compactam implet & movet: modò inde ſuas partes ſorori & fratribus cedat: modò ſit æther ut aërem Junonem ſubterfuſam de ſuper amplectatur: modò totum ſimul cum aëre ſit ipſe cœlum, terram verò tanquam conjugem eandemque matrem: *b* quia hoc in divinis turpe non eſt, fœcundis imbribus & ſeminibus fœtet: modò autem ne ſit neceſſe per cuncta diſcurrere, Deus unus de quo multi α à poeta nobiliſſimo dictum putant:

c β Deum nanque ire per omnes
Terráſque, tractúſque maris, cœlúmque profundum.

d γ Ipſe in æthere ſit Jupiter, ipſe in aëre Juno, ipſe in mari Neptunus: in inferioribus etiam maris ipſe Salacia, in terra Pluto, in terra inferiore Proſerpina, in focis domeſticis Veſta, in fabrorum fornace Vulcanus, in ſyderibus ſol, luna & ſtellæ: *e* in δ divinantibus Apollo, *f* in ε merce Mercurius, *g* in ζ Jano *h* initiator: in termino terminator, Saturnus in tempore, Mars & *i* Bellona in bellis, η Liber in vineis, Ceres in frumentis, *k* θ Diana in ſylvis, ι Minerva in ingeniis. Ipſe ſit poſtremò etiam illa turba κ quaſi plebejorum Deorum. λ Ipſe præſit *l* nomine Liberi virorum ſeminibus, & nomine Liberæ fœminarum. μ Ipſe ſit *m* Dieſpiter, qui partum perducat ad diem. Ipſe ſit ν Dea Mena, quam præfecerunt menſtruis fœminarum. *n* ξ Ipſe Lucina, quæ à parturientibus invocetur.

tur. Ipſe opem ferat naſcentibus, excipiens eos ſinu terræ, *o* & vocetur Opis. Ipſe in vagitu os aperiat, & vocetur Deus *o* Vagitanus. *π* Ipſe levet de terra, & vocetur Dea Levana. Ipſe cunas tueatur, & vocetur *ϱ* Dea Cunina. Non ſit alius, ſed ipſe in Deabus illis, quæ fata naſcentibus canunt, & vocantur *p σ* Carmentes. Præſit fortuitis, voceturque Fortuna. *q* In diva *τ* Rumina mammam parvulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam. *r* In diva *υ* Potina potionem miniſtret. In diva *ſ* Edulica eſcam præbeat. De pavore infantum Paventia nuncupetur: de ſpe quæ venit *t* Venilia: de voluptate Volupia: de actu Agenoria: de ſtimulis, quibus ad nimium actum homo impellitur, dea Stimula nominetur. Strenua dea ſit, ſtrenuum faciendo. Numeria quæ numerare doceat? *u* Camœna, quæ canere. *x* Ipſe ſit & *φ* deus Conſus, præbendo conſilia, & dea *y* Sentia, ſententias inſpirando. *z χ* Ipſe dea Juventas, quæ *a* poſt *ψ* prætextam excipiat juvenilis ætatis exordia. Ipſe ſit Fortuna barbata, *b* quæ adultos barba induit, quos honorare voluerit: ut hoc qualecunque numen ſaltem maſculum Deum, vel à barba barbatum, ſicut à nodis Nodotum, vel certè non Fortunam, ſed quia barbas habet, Fortunium nominarent. Ipſe in Jugatino Deo conjuges jungat, & cùm virgini uxori zona ſolvitur, ipſe invocetur, & *ω* Dea Virginenſis vocetur. *c αα* Ipſe ſit Mutinus, qui eſt apud Græcos Priapus, ſi non pudet. Hæc omnia quæ dixi, & quæcunque non dixi, non enim omnia dicenda arbitratus ſum, hi omnes Dii Deæque ſit unus Jupiter: ſive ſint, ut quidam volunt, omnia iſta partes ejus, ſive virtutes ejus, ſicut eis videtur, quibus eum placet eſſe mundi animum, quæ ſententia velut magnorum multorumque doctorum eſt. Hæc ſi ita ſint, quod quale ſit, nondum interim quæro, quid perderent, ſi unum Deum colerent *ββ* prudentiore compendio? Quid enim ejus contemneretur, cùm ipſe coleretur? Si autem metuendum fuit, ne prætermiſſæ ſive neglectæ partes ejus iraſcerentur: non ergo ut volunt, *d* velut unius animantis hæc tota vita eſt, quæ omnes ſimul continet Deos, quaſi ſuas virtutes, vel membra, vel partes: ſed ſuam quæque pars habet vitam à cæteris ſeparatam, ſi præter alteram iraſci altera poteſt: & alia placari, alia concitari. Si autem dicitur omnes ſimul, id eſt, totum ipſum Jovem potuiſſe offendi, ſi partes ejus non etiam ſingillatim minutatimque colerentur, ſtultè dicitur. Nulla quippe earum prætermitteretur, cùm ipſe unus qui haberet omnia, coleretur. Nam ut alia omittam, quæ ſunt innumerabilia, cùm dicunt, omnia ſydera partes Jovis eſſe, & omnia vivere atque rationales animas habere, & ideo ſine controverſia Deos eſſe, non vident, quàm multos non colant, quàm multis ædes non conſtruant, aras non ſtatuant: quas tamen paucisſimis ſyderum ſtatuendas eſſe putaverunt, & ſingillatim ſacrificandum. Si igitur iraſcuntur, qui non ſingillatim coluntur, non metuunt paucis placatis, toto cœlo irato vivere. Si autem ſtellas omnes ideo colunt, quia in Jove ſunt, quem colunt, iſto compendio poſſent in illo uno omnibus ſupplicare. Sic enim nemo iraſceretur, cum in illo uno omnibus ſupplicaretur, nemo contemneretur, potius quàm cultis quibusdam juſta iraſcendi cauſa illis, qui prætermiſſi eſſent, multo numeroſioribus præberetur, præſertim cum eis de-

ſuper-

ſuperna ſede fulgentibus; γγ turpi nuditate diſtentus præponeretur Priapus.

L.Vives. a Corporei hujus mundi animus.] *Hoc Thales Mileſius,& Democritus. Stoici verò cum Platone Deum quidem mentem eſſe dicunt, ſed non utentem mundo pro corpore, mundum ipſum Deum eſſe, habereque & mentem & animum, ſed alium quàm ipſe ſit Deus. Veterem plerique Solem mundi animum, mentemque nominarunt: velut Cicero & Plinius, Homerum ſecuti. Phurnutus inquit, quemadmodum nos ab anima adminiſtremur ac regamur, ita mundum animam habere ſe continentem, qui Jupiter dicatur.*

Jupiter. b Quia hoc in divinis turpe non eſt.] *Heſiodus in Theogonia ſcribit, Terram peperiſſe Cœlum, hinc concubuiſſe cum Cœlo ipſo, & ex eo genuiſſe liberos undecim, inter quos fuit Saturnus.*

c Deum namque ire per omnes.] *Multi veterum exiſtimabant, Deum eſſe vim per univerſum fuſam.*

d Ipſe in æthere.] *Deum unum eſſe, qui melius ex gentibus ſapiebant, arbitrabantur: eumque pro variis virtutibus rationibúsque variè nuncupari. Sic Ariſtoteles in libello de mundo, Orpheum citans: ſic Plutarchus in Dogmatis Philoſophorum. Macrobius Deos omnes vult eſſe unum Solem: idque fusè connititur oſtendere in Saturnalibus.*

Apollo. e In divinantibus Apollo.] *Cùm putarent, hunc eſſe Solem: id eſt mundi oculum, facilè eum & videre & noſſe omnia, quæ jam eſſent, quæque fuiſſent, & quæ futura eſſent, credebant. Idcirco paſſim conſulebatur, reſponſitabátque, cum multis aliis in locis, tum præcipuè in Delphis Phocicis, Diodoro autore in vita Philippi, cujus originem talem fuiſſe refert: Eo in loco, quo templi adytum Delphis fuit, ſpecus erat receſſu magno & obſcuro: ad quem capra cùm paſcens aſcendiſſet, afflata eſt ſubterraneo illo ſpiritu, exultaréque modo inſueto cœpit. Quod admiratus paſtor, cùm & ipſe ad oſtium ſpecus veniſſet, correptus eſt furore, cœpitque quædam futura prædicere. Hoc & alii tentarunt, affectique ſunt eodem modo. Res huc eſt progreſſa, ut qui futura vellet cognoſcere, adduceret, qui capite in antrum immiſſo, vaticinaretur. Quod cùm nec ſine periculo fieret, nec etiam ſine exitio multorum, Delphici templum ibi erexerunt Deo vati Apollini, ſtatuerúntque virginem, quæ in machina conſiſtens, tuto poſſet afflari divino illo ſpiritu, reſponſaque conſulentibus reddere: quam machinam, de tribus fulcris tripodem nominarunt, quaſi trium pedum, eadem forma qua*

Pythia. *poſtea ænei tripodes. Sacerdos Pythia dicebatur, quæ initio virgo fuit, Dianæ ſimilis, Poſtea violata Pythia quadam ab Echcerate, Delphici mulierem non minorem natu annis quinquaginta Pythiam ſtatuerunt, rejectis in perpetuum virginibus: modò illa virginali uteretur cultu, ne in totum mos vetus interiret. Hæc ex illo penè ad verbum.*

Mercurius. f In mente Mercurius.] *Hic præeſſe ſermoni eſt creditus, Deus eſt factus omnium conventionum contractuúmque noſtrorum: quoniam hæc omnia per ſermonem tranſiguntur. Majis Idibus mercatorum erat feſtum, quòd eo die Mercurii ædes eſſet dedicata. A Græcis eamob cauſam ἀγοραῖος dicitur, hoc eſt forenſis: ſtatuáque illi*

in foro

Cap. XIII.

De his qui ſola rationalia animantia partes eſſe unius Dei aſſerunt.

SI autem α ſola animalia rationalia, ſicut ſunt homines, partes Dei eſſe contendunt: non video quidem ſi totus mundus eſt Deus, quomodo beſtias ab ejus partibus ſeparent? Sed obluctari quid opus eſt? De ipſo rationali animante, id eſt, homine, quid infelicius credi poteſt, β quàm Dei partem vapulare, cùm puer vapulat? Jam verò partes Dei fieri laſcivas, iniquas, impias, atque omninò damnabiles, quis ferre poſſit, niſi qui prorſus inſaniat? Poſtremò quid iraſcitur eis, à quibus non colitur, cùm à ſuis partibus non colatur? Reſtat ergo, ut dicant, omnes Deos ſuas habere vitas, ſibi quenque vivere: nullum eorum eſſe partem cujusquam, ſed omnes colendos, qui cognoſci & coli poſſunt: quia tam multi ſunt, ut omnes non poſſint. Quorum γ Jupiter, quia rex præſidet, ipſum credo ab eis putari δ regnum vel conſtituiſſe, vel auxiſſe Romanum. Nam ſi hoc ipſe non fecit, quem alium Deum opus tam magnum potuiſſe aggredi credant, cùm omnes occupati ſint officiis & operibus propriis, ne alter irruat in alterius? A rege igitur Deorum, regnum hominum potuit & propagari & augeri?

α SI autem ſola animalia rationalia.] *Eorum errorem refellit, qui ſenſerunt, non quidem omnia creata, quæ tamen ratione participant, id eſt homines, partes eſſe Dei. Ad quem errorem is proximè accedit, quem nonnulli aſſeruerunt, animam ipſam intelligentem eſſe de divina eſſentia. quem errorem refutat D. Tho. 1. p. quæſt. 90. art. 1. & 2. ſentent. diſt. 17. quæſt. 1. art. 1. & 2. contra Gent. cap. 83.* P.L.Coq.

β Quam Dei partem.] *Quæ abſurda ſequerentur ex ſuperiori ſententia, docet.*

γ Juppiter quia Rex præſidet.] *Jovem ſupremum Deorum habebat antiqua ſuperſtitio. Homer. Iliad. 5. Martem ita Jovem alloquentem inducit.* Ἄλλοι μὲν γὰρ πάντες ὅσοι θεοί εἰσ᾽ ἐν Ὀλύμπῳ, σοί τ᾽ ἐπιπείθονται. *In hymnis eum vocat* θεῶν τ᾽ ἄριστον, ἠδὲ μέγιστον. Deorum optimum & Maximum. *Heſiod. in Deog.* Φέρτατος ἐστὶ θεῶν, κράτεϊ τε μέγιστος.

δ Regnum vel conſtituiſſe, vel auxiſſe Romanum.] *Fingitur ab Homero regnorum author & dator: Iliad. 2.* Εἷς βασιλεὺς ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω σκῆπτρόν τ᾽ ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ. *Apud Heſiod.* ἐκ Διὸς οἱ βασιλῆες. *Atqui Tertull. in Apolog. c. 25.* Non ſtatim *(inquit)* Juppiter Cretam ſuam Romanis facibus illam concuti ſineret, oblitus antrum illud Idæum, & æra Corybantia, & jucundiſſimum illic nutricis ſuæ odorem. Nonne omni Capitolio tumulum ſuum propoſuiſſet, ut ea potius orbi terra præcelleret, quæ cineres Jovi texit.

Cap. XIV.

Augmenta regnorum Jovi incongruenter aſtribi, cùm ſi, ut volunt, Dea eſt victoria, ipſa huic negotio ſola ſufficeret.

HIc primùm quæro, cur non etiam ipſum regnum Deus aliquis eſt? Cur enim non etiam ita ſit, α ſi Victoria Dea eſt? Aut quid ipſo Jove in hac cauſa opus eſt, ſi Victoria faveat, ſitque propitia: & β ſemper eat ad illos, quos vult

eſſe victores? Hac Dea favente & propitia, etiam Jove vacante, vel aliud agente, quæ gentes non ſubditæ remanerent? quæ regna non cederent? *b* An fortè diſplicet bonis iniquiſſima improbitate pugnare, & finitimos quietos nullamque injuriam facientes, ad dilatandum regnum bello ſpontaneo provocare? Planè ſi ita ſentiunt, approbo & laudo.

L. Vives. Victoria. *a* Victoria Dea.] *Erat ædicula Victoriæ ad forum Romæ à Catone ſeniore dicata. Erat & Victoriæ ædes prope ædiculam, quam ædem M. Poſthumius Megellus ædilis curulis ex mulctatitia pecunia faciundam curarat. Conſul cum M. Attilio Regulo bello Samnitico dedicavit: huic L. Sylla bellis civilibus victor ludos inſtituit. Aſconius Pædianus. Meminit & Cicero prima Act. in Verrem. Victoriam Heſiodus filiam dicit Stygis & Pallantis. Fratres Victoriæ ſunt Zelus, Potentia, Vis, quæ ſemper Jovis regi aſſident, nec ſine illis imperium eſt vel Jovi, vel cuiquam principi ullum.*

b An fortè non diſplicet.] *Legendum ſine negatione: An fortè diſplicet. hoc exigit ſenſus, & ſic habent antiqui libri.*

F.L.Coq. *α* Si Victoria Dea eſt.] *Colebatur hæc ab antiquis dea, cujus ſimulacbrum effingebatur lauro coronatum, & altera manu palmæ, altera oleæ ramum præferens. vide Liv. lib. 22. ab V. C. 538. & lib. 29. ædis Victoriæ meminit. Ejus aram de Senatu ſublatam ægrè admodum tulere Gentes invaleſcente Chriſtianiſmo. Ita enim conquerebatur Symmachus Relatione ad Impp. pro avita ſuperſtitione revocanda:* Quis ita familiaris eſt Barbaris, ut aram victoriæ non requirat? *Et D. Ambroſ. epiſt. 12. ad Valentinianum Auguſtum, quæ ei reſpondet:* Hujus aram *(de Victoria loquens)* ſtrui in urbis Romæ curia petunt, hoc eſt, quò plures conveniunt Chriſtiani. *Et ibidem:* Sic deam eſſe, & Victoriam crediderunt, quæ utique munus eſt, non poteſtas; donatur, non dominatur; legionum gratia, non religionum potentia.

β Semper erat apud eos.] *Victoriam deam vetuſtas pennatam, & aligeram pinxit, ut è cœlo devolantem ad eos, quos ſuis ornare ſucceſſibus vellet. Auſonius:*

Tu quoque ab æthereo præpes victoria lapſu.

Id eſt, quæ laberis, & deſcendis è cœlo. Scribit Dion. lib. 56. quandam victoriæ ſtatuam in Germania hoſtem ſpectantem, ad Italiam obverſam fuiſſe.

Cap. XV.

An congruat bonis, latius velle regnare.

Videant ergo ne fortè nō pertineat ad viros bonos, *α* gaudere de regni latitudine. Iniquitas enim eorum, cum quibus juſta bella geſta ſunt, *β* regnum adjuvit, ut creſceret: quod utique parvum eſſet, ſi quies & juſtitia finitimorum contra ſe bellum geri nulla provocaret injuria: ac fœlicioribus ſic rebus humanis omnia regna parva eſſent concordi vicinitate lætantia. Et ita eſſent in mundo regna plurima gentium, ut ſunt in urbe domus plurimæ civium. Proinde belligerare, & perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur fœlicitas, *γ* bonis neceſſitas. Sed quia pejus eſſet, ut injurioſi juſtioribus dominarentur, ideo non incongruè dicitur etiam iſta fœlicitas. Sed proculdubio fœlicitas major

jor eſt vicinum bonum habere concordem, quàm vicinum malum ſubjugare bellantem. Mala vota ſunt, optare habere quem oderis, vel quum timeas, ut poſſit eſſe quem vincas. Si ergo juſta gerendo bella, non impia, non iniqua, Romani imperium tam magnum acquirere potuerunt, nunquid tanquam α aliqua Dea colenda eſt eis iniquitas aliena? Multum enim ad iſtam latitudinem imperii eam cooperatam videmus, quæ faciebat injurioſos, ut eſſent, cum quibus juſta bella gererentur, & augeretur imperium. Cur autem & iniquitas Dea non ſit, vel externarum gentium, ſi Pavor, & Pallor, & Febris Dii Romani eſſe meruerunt? His igitur duabus, id eſt, aliena iniquitate, & Dea Victoria dum bellorum cauſas iniquitas excitat, Victoria eadem bella fœliciter terminat, etiam feriato Jove crevit imperium. Quas enim hìc partes Jupiter haberet, cùm ea, quæ poſſent beneficia ejus putari, Dii habentur, Dii vocantur, Dii coluntur: ipſi pro ſuis partibus invocantur? Haberet hic etiam ille aliquam partem, ſi regnum etiam ipſe appellaretur, ſicut appellatur illa victoria. *a* Aut ſi regnum munus eſt Jovis, cur non & victoria munus ejus habeatur? Quod profectò haberetur, ſi *s* non lapis in Capitolio, ſed verus Rex regum & Dominus dominantium cognoſceretur atque coleretur.

a Aut ſi regnum munus eſt Jovis.] *Sic Homerus frequenter.* L. Vives.

α GAudere de regni latitudine.] *Davidi graviter Deus ſuccenſuit, ob numeratum populum. 2. Reg. 24. Nabuchodonoſorem Regem Chaldaeorum etiam animadvertit, quòd de Imperii majeſtate inſuperbiiſſet, in hac verba prorumpens:* Nonne hæc eſt Babylon civitas magna, *&c. Daniel. 4.* F.L.Cop.

β Regnum adjuvit ut creſceret.] *Quia in bello juſto licet pro qualitate injuriæ mulctare hoſtes parte agri, vel etiam occupare arces & oppida, imò licet nonnunquam principes ipſos è ditionibus deturbare. Ariſtot. primo Polit. cap. 4. omnia, quæ in bello juſto capiuntur, eſſe capientium, Et Plato 3. de Legibus. Xenophon.* Κύρου παιδ. *lic.7.* Νόμος ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιός ἐστιν, ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι καὶ τὰ σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ τὰ χρήματα, *id eſt,* Lex æterna inter homines, capta eorum urbe, qui bellum aliis inferunt, tam corpora eorum, qui in urbe ſunt, quàm fortunas, eorum eſſe qui urbem capiunt. *Et jure civili D. de captivis. Et jure Canon. diſt. 1. Debet tamen princeps bona hoſtium diripere, quantum ſatis eſt ad damni compenſationem, vel ad vindicandam illatam injuriam, cum debeat ſuam Rempub. ab injuria defendere: ſi verò longius progrediatur, jam bellum cenſetur injuſtum; ſi enim pro vindicanda injuria princeps velit totum alterius regnum, vel magnam illius partem pro leviori damno occupare, injuſtus erit. Ita ſi totum damnum reſarcitum eſt. Ex parta victoria, vel ex occupatione unius civitatis longius velle progredi, injuſtum erit: neque enim pœna debet excedere culpam. Ita quoties quis reſarcire injuriam paratus eſt, arma ſiſtenda ſunt. Archidamus apud Thucydidem lib. 1.* Ἐπὶ τὸν διδόντα δίκας οὐ νόμιμον ὡς ἐπ' ἀδικοῦντα ἰέναι. In eum, qui jure agere, & ſatisfacere paratus eſt, nefas bellum ſumere, tanquam in inimicum. *Rectè C. Pontius Samnitum dux apud Liv. lib. 9. redarguit Romanos injuſtitiæ,* Quibus non ſuæ redditæ res, non alienæ accumulatæ ſatis ſint: quorum ſævitiam

vitiam non mors noxiorum, non deditio exanimatorum corporum, non bona ſequentia Domini deditionem exſatient. *Nec dubium, Romanos multa injuſtiſſimè invaſiſſe, & ut loquitur Minut. in Octa.* Damnis alienis, & ſuis ſceleribus adoleviſſe.

γ Bonis neceſſitas.] *Nec enim licet quærere occaſiones, vel cauſas juſti belli, eo fine, ut quis devictis hoſtibus regnum dilatet. Sueton. in Auguſto. cap. 20. Eò Auguſtum laudat, quod nulli genti ſine juſtis & neceſſariis cauſis bellum intulerit: tantumque, ait, abfuit à cupiditate, quoquo modo imperium, vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam barbarorum principes in æde Martis Victoris jurare coëgerit, manſuros ſe in fide ac pace, quam peterent.*

δ Aliqua dea colenda eſt eis iniquitas aliena.] *Dementiam ſugillat Romanorum, qui Victoriæ divinos honores deferebant; Sic enim (inquit) & iniquitas loco deæ habenda eſſet, quæ plurimum ad dilatandum imperium contulerit; niſi enim iniquos hoſtes habuiſſent Romani, neque occaſiones habuiſſent toties juſti belli hoſtibus inferendi, & aliena ſuo imperio adjiciendi; deinde ſi Pavorem, Pallorem, & Febrim loco Deorum habuère, cur non & iniquitatem? Hæc numina à Græcis originem duxiſſe ſcribit Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. Nam Athenienſes Contumeliæ & Impudentiæ aras ſacrarunt, quod & teſtatur Cic. 2. de legib. & Lacedæmonii Morti, & Timori, atque aliis affectibus templa dicarunt, quod teſtatur Plutarch. in Agide, & Cleomene.*

ε Non lapis in Capitolio.] *De quo ſupra lib. 2. cap. 29.*

ζ Verus Rex regum, & Dominus dominantium.] *Ita 1. Timot. 6. dicitur,* Rex regum, & Dominus dominantium. *Et Apocal. 17.* Rex regum eſt, & Dominus dominorum. *Et 19.* Habet in veſtimento, & in femore ſuo nomen ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

Cap. XVI.

Quid fuerit quod Romani omnibus rebus & omnibus motibus Deos ſingulos deputantes, ædem Quietis extra portas eſſe voluerunt.

Miror autem plurimum, quòd cùm Deos ſingulos ſingulis rebus, & penè ſingulis motibus attribuerent, vocaverunt Deam Ageroniam, quæ ad agendum excitaret: *a* Deam Stimulam, quæ ad agendum ultra modum ſtimularet: *b* α Deam Murciam, quæ præter modum non moveret, ac faceret hominem, *c* ut ait Pomponius β murcidum, id eſt, nimis deſidioſum & inactuoſum: Deam Strenuam, quæ faceret ſtrenuum: his omnibus Diis & Deabus publica ſacra facere ſuſcepèrunt. *d* γ Quietem verò appellantes, quæ faceret quietem, cùm ædem haberet δ extra portam Collinam, publicè illam ſuſcipere noluerunt. Utrum indicium fuit animi inquieti, an potius ita ſignificatum eſt, quòd qui illam turbam colere perſeveraret: non planè Deorum, ſed dæmoniorum eum ε Quietem habere non poſſe: ad quam vocat verus medicus, dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.

Deam

a DEam Stimulam.] *An hæc eſt Horta, quæ in humanis cùm eſſet, Herſilia dicta eſt, uxor Romuli, quam ab hortando & incitando nominatam ait Labeo: cujus ædes nunquam claudebatur, quòd ſemper aliquid præclari fieri hortaretur, nec ceſſandum ſuaderet quæ poſtea vocata eſt. Hera providentia Dea, quæ negligentes ſocordesque eſſe non pateretur: nominatamque Labeo exiſtimat etiam hac appellatione ab hortando & incitando, Græca voce* παρορμᾶν. *Plutarchus. Meminerunt hujus Deæ Ovidius, Gellius, & alii.* L. Vives. Stimula

b Deam Murciam.] *Non pigebit Hermolai Barbari verba ſubjicere, ex Annotationibus in Plinium libro decimo quinto. Plinius eo loco ſic inquit: Quin & ara vetus fuit Veneri Myrtea, quam nunc Myrtiam vocant. Hermolaus: Lego Veneri Myrtea, quam nunc Murciam vocant. ex Feſto, Livio, Plutarcho, Varrone, Cornelio Nepote de viris illuſtribus. Nam Murcea Dea ſocordiæ eſt, ut Strenua, Agenorea, Stimula induſtriæ. Pomponius & Auguſtinus autores. Nam cùm metas Murcias, Apulejus libro ſexto dixit, Veneri dicatas intellexit. Quidam montem Aventinum ideo Murcium vocari tradunt, quòd è lapidibus velut muro conſtructus: non à Dea Murcia, nec à Eglinis. Ammianus quosdam ſolitos in Italia vitandæ gratia militiæ pollicem præcidere, Murcos vernacula voce nominatos: Plautus, Murcide, inquit, homo pro inerti & languido: Tantum Hermolaus autor noſtræ ætatis diligentiſſimus. Ergo in Feſto cùm dicit Murceæ Deæ ſacellum erat ſub monte Aventino, qui antè Murcus vocabatur: emendatius legetur, Murciæ Deæ, Livius lib. 1. Tum quoque multis millibus Latinorum in civitate acceptis, quibus ut jungeretur Palatio Aventinum, ad Murciæ datæ ſedes. Et Plutarchus in Problematis, quam modò Murciam Venerem, olim Myrteam vocabant.* Murcia.

c Ut ait Pomponius.] *Hermolaus, Beroald. & alii complures hunc Pomp. de hac ipſa re teſtem adducunt. Nec ſat explicant, quis Pomp. ſit, cùm fuerint multi, etiam qui ſcripſerint, an Atticus, an L. Pomp. Attelanarum ſcriptor, an Gn. Pomp. orator, qui omnes vixerunt cum Cicer. an qui poſt Cicer. fuere, Pomponius Mela, an Julius Pomponius Tragicus, cujus Quintilianus meminit, an juris conſultus.*

d Quietem verò appellantes.] *Ego conjectum ducor, Quietem hanc ad mortuos pertinuiſſe. Quietalis enim dictus eſt ab antiquis Orcbus, ideo extra urbem Quies eſt culta. Fanum Quietis erat via Labicana Livius libro quarto.*

α DEam Murciam.] *Venus primùm* Myrtea *à* Myrto *arbore illi ſacra; deinde* Murtia *vocata eſt, Plin. lib. 15. cap. 29.* Ara fuit Romæ vetus Veneris Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant. *Murtiæ meminit Tertull. lib. de Spectac. cap. 8. Quam eſſe deam* marmoris *dicit, ubi fortaſſe* marcoris *ſcribendum eſſe obſervat Turneb. lib. 22. Adverſ. cap. 16 Sed in edito recenter, & à Pammelio emendato legitur* Amoris. *quam lectionem probat ex loco citato Plinii, quod nomen id ſit deæ Veneris. Arnob. lib. 4. cum D. Auguſtino* Murciam *eam appellat deam ſegnium. Feſtus* Murceam, *& ſub Aventino eam ſacellum habuiſſe tradit, &* Murceam *dictam vult, ſive quod homines murceos, id eſt ignavos & inertes redderet, ſive quòd Aventinus, ſub quo ſacellum habuit, olim* Murcius *fuerit appellatus.* P. L. Coq.

β Mucidum, id eſt nimis deſidioſum.] *Ita apud Plautum in Epidico:* Væh tibi murcide homo, *id eſt deſidioſe, ignave, iners.*

γ Quietem verò.] *Fani Quietis quod erat via Lavicana meminit Liv. lib. 4.*

δ Extra portam Collinam.] *Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 16.* Collina quoque quæ Agonenſis dicta eſt, propter anfractus multiplices, quòd partim edita, partim declivia eſſent loca, nomen ſortita dicitur, extra quam Veneris Hercyniæ, & Quietis templa fuêre.

ε Quietem habere non poſſe.] *Quidam eo differre volunt quietem, & tranquillitatem: quod quies corporis ſit: tranquillitas animi: quæ tamen differentia perpetua non eſt, atque nonnunquam quies tranquillitatem ipſam animi ſignificat, ut hic apud D. Auguſt. quod de Alexandro ſcribit Arrianus lib. 7. cùm nunquam quieviſſe ὅς ἐκ δόξης δεινῶς ἐκρατεῖτο,* quòd gloriæ cupiditas transverſum eum rapiebat. *Idem de Romanis dici poteſt, quos nimia ambitio, ac Imperii proferendi cupiditas quieſcere nunquam ſinebat.*

Cap. XVII.

An ſi Jovis ſumma poteſtas eſt, etiam Victoria Dea debuerit exiſtimari.

An fortè dicunt, quod Deam Victoriam Jupiter mittat, atque illi tanquam regi Deorum obtemperans, ad quos juſſerit, veniat, & in eorum parte conſidat? Hoc verè dicitur, non de illo Jove, quem Deorum regem pro ſua opinione confingunt, ſed de illo vero rege ſeculorum, quòd mittat non victoriam, quæ nulla ſubſtantia eſt, ſed *a* angelum ſuum, & faciat vincere quem voluerit, cujus conſilium occultum eſſe poteſt, iniquum eſſe non poteſt. Nam ſi victoria Dea eſt, cur non Deus eſt, & triumphus, & victoriæ jungitur vel maritus, vel frater, vel filius? Talia quippe iſti de Diis opinati ſunt, qualia ſi poetæ fingerent, atque à nobis *a* β exagitarentur: reſponderent iſti, ridenda eſſe figmenta poetarum, non veris attribuenda numinibus: & tamen ſe ipſi non ridebant, cùm talia deliramenta non apud poetas legebant, ſed in templis colebant. Jovem igitur de omnibus rogarent, ei uni tantummodo ſupplicarent. *b* Non enim ſi quò miſiſſet victoriam, ſi ea Dea ſub illo rege eſt, poſſit vel audeat ei reſiſtere, & ſuam potius facere voluntatem.

L.Vives. *a* EXaggerentur.] *Legendum exagitarentur.*

b Non enim ſe miſiſſet victoria.] *Sic in veteribus: Non enim quò miſiſſet victoriam, ſi Dea eſt, & ſub illo rege eſt, poſſit ei audere reſiſtere, & ſuam potius facere voluntatem. Et Porphyrius in Ratione naturali Deorum, Jovem, ſcribit, fingi ſolitum ſceptrum tenentem leva, dextra verò modò Aquilam, modò Victoriam. Illud quoniam cæterorum Deorum Dominus, ut avium Aquila, Victoriam autem quoniam illi univerſa ſubjecta ſunt. Vel, ut Phurnutus interpretatur, quoniam nihil eſt à quo poſſit vinci.*

F.L.Coq. *a* ANgelum ſuum.] *Exod. 14.* Angelus Domini præcedebat caſtra Iſraël. *Joſue. 5. Angelus ad ipſum Joſue:* Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.

4.Reg

4 Reg. 19. Angelus nocte percuſſit in caſtris Aſſyriorum Sennacherib Hieroſolyma obſidente centum octoginta quinque millia hominum.

β Faciat vincere, quem voluerit.] Non enim in multitudine hominum, ſed in fortitudine cœli victoria eſt. *1 Mac. 5. Apud Hom. Iliad. 15. inducitur Hector loquēs, quod Juppiter horum quidem minuat robur, illis verò auxilietur, ut intelligamus, victoriam in divino auxilio conſiſtere, quod ſi ab altero exercitu receſſerit, de illius victoria plane ſit deſperandum.*

CAP. XVIII.

Fœlicitatem & Fortunam qui Deas putant, qua ratione fecerunt.

a QUid quod & α Fœlicitas Dea eſt? ædem accepit, aram meruit, ſacra ei congrua perſoluta ſunt: ipſa ergo ſola coleretur? Ubi enim ipſa eſſet, quid boni non eſſet? Sed quid ſibi vult, quòd & β Fortuna Dea putatur, & colitur? An aliud eſt Fœlicitas, aliud fortuna? Quia γ fortuna poteſt eſſe & mala: fœlicitas autem ſi mala fuerit, fœlicitas non erit. Certè omnes Deos utriusque ſexus, ſi & ſexus habent, non niſi bonos exiſtimare debemus. δ Hoc Plato dicit, hoc alii Philoſophi, hoc excellentes reipub. populorumque rectores. Quomodo ergo Dea fortuna aliquando bona eſt, aliquando mala? An fortè quando mala eſt, Dea non eſt, ſed in malignum dæmonem repente convertitur? Quot ſunt ergo Deæ iſtæ? Profectò quotquot ſunt homines fortunati, hoc eſt, bonæ fortunæ. Nam cùm ſint & alii plurimi ſimul, hoc eſt, uno tempore malæ fortunæ, nunquid ſi ipſa eſſet, ſimul & bona eſſet & mala: his aliud, illis aliud? An illa quæ Dea eſt, ſemper bona eſt? Ipſa eſt ergo fœlicitas, cur adhibentur diverſa nomina? Sed & hoc ferendum eſt. Solet enim ε & una res diverſis nominibus appellari. *b* ζ Quid diverſæ ædes, quid diverſæ aræ, diverſa ſacra? Eſt cauſa, inquiunt, quia Fœlicitas illa eſt, quam boni habent præcedentibus meritis. η Fortuna verò quæ dicitur bona, *c* θ ſine ullo examine meritorum fortuitu accidit hominibus & bonis & malis, unde etiam fortuna nominatur. Quomodo ergo bona eſt, quæ ſine ullo judicio venit & ad bonos & ad malos? Ut quid ι autem colitur, *d* κ quæ ita cæca eſt, paſſim in quoslibet incurrens, λ ut ſuos cultores plerunque prætereat, & ſuis contemptoribus hæreat? Aut ſi aliquid proficiunt cultores ejus, ut ab illa videantur, & amentur: jam merita ſequitur, non fortuitu venit. Ubi eſt ergo definitio illa fortunæ? μ Ubi eſt quod à fortuitis etiam nomen accepit? Nihil enim prodeſt eam colere, ſi fortuna eſt. Si autem, ſuos cultores diſcernit ut proſit, fortuna non eſt. *e* An & ipſam, quò voluerit, Jupiter mittit? Colatur ergo ipſe ſolus. Non enim poteſt ei jubenti, & eam quò voluerit, mittenti fortuna reſiſtere. Aut certè ipſam mali colant, qui nolunt habere merita, quibus poſſit Dea Fœlicitas invitari.

a QUid quod & Fœlicitas Dea.] *Ædis hujusce Deæ meminit aliquoties Plinius. Simulachrum ejus Archeſilao plaſtæ locatum eſt à L. Lucullo ſeſtertiis lx. Plinius lib. 35.* L. Viues.

b Quid diverſæ ædes.] *Ædes malæ Fortunæ & deteſtatæ in Exquiliis. Ædes Fortunæ fortis in ripa Tiberina. Equeſtris juxta theatrum. Erat & templum Fortunæ* Fortuna multa.

par-

parva. & aliud virginis Fortunæ, aliud Primigeniæ, aliud Obſequentis ad Capenam, & Privata, & Viſcata, & Publica, & Virilis, & Convertentis in Palatio, & Bene ſperantis, & Avertentis, & Blanda & Dubiæ in Aventino, & Mammoſa in duodecima regione, & Barbata, & Muliebris: quibus omnibus principium dedit Servius Tullius, quòd ab ea ex Servo in regnum eſſet evectus, tum etiam proſpiciens, eam occaſionibus rerum plurimum habere in utramque partem momenti: ſicut Plutarchus inquit in Problematis, omniq; in re humana dominari.

c Sine ullo examine.] *Saltem nobis cognito: ideo cauſas non habere dicitur, quod ea à nobis ignorantur: ſicut Ariſtoteles, & Platonici. Speuſippus motum ab occulto in occultum fortunam eſſe finit. De hac plura Ariſtoteles ſecundo libro Phyſicæ auſcultationis, & libello de bona fortuna, qui pars eſt moralium voluminum.*

d Quæ ita cæca eſt.] *Ariſtophanes hoc ſalſe in Pluto, qui eſt opum Deus: quod argumentum tranſtulit Lucianus in ſuum μισάνθρωπον.*

e An & ipſam quo voluerit.] *Sic Ariſtophanes, qui dicit Plutum, cùm mittitur à Jove ad bonos, claudum eſſe: cùm ad malos, celerrimum.*

F.L.Coq. α Et Fœlicitas dea eſt.] *Dea erat apud Romanos, cui adimpetrandos proſperos rerum ſucceſſus ſacra fiebant. Ædis Fœlicitatis meminit Plin. lib. 34. cap. 8. & l. 36. cap. 5.*

β Fortuna dea putabatur.] *Juvenal. Satyr. 10.* Sed te
Non facimus Fortuna deam, cœloque locamus.

γ Fortuna poteſt eſſe & mala.] *Fortunæ malæ templum dicatum in Exquiliis. Cic. 2. de legib. & Plin. lib. 1. cap. 7.*

δ Hoc Plato dicit.] *Secundo de Republ.* Ἀγαθὸς ὁ γε θεός τῷ ὄντι καὶ λεκτέον οὕτω, *ubi etiam Poëtarum* μυθολογίας, *quibus Dei* ἀμετάβλητα ἀψευδοῦς, ἀγαθῶν αἰτίαν ἀγαθουργοῦ, *natura pervertitur, & in varia* εἴδωλα *transformatur, graviſſimis argumentis damnat, & exterminat è Repub. Socrates & Plato lib. 1. de Placitis cap. 7. Deum dixerunt,* Εὖ τὸ μονοφυὲς, τὸ μοναδικὸν, τὸ ὄντως ἀγαθόν.

ε Una res diverſis nominibus appellari.] *Ob varias virtutes, & effectus, & nomina ipſa res repræſentant, ac ſignificant mediis conceptibus. Ut ergo plures ac varios conceptus de rebus ipſis efformamus, ita etiam diverſis nominibus eos ſignificamus:* Voces *enim, ut author eſt Philoſophus,* ſunt earum, quæ ſunt in anima paſſionum notæ.

ζ Quid diverſæ ædes.] *De cognominibus Fortunæ apud Romanos, & quibus templis donata fuerit, vide Plutarch. lib. de Fort. Rom. & Alex. ab Alex. 1. cap. 13. Fortunæ plurium ædium meminit paſſim Pauſanias.*

η Fortuna verò quæ dicitur bona.] *Græcis* εὐτυχία, *Romæ in Capitolio culta fuit.*

θ Sine ullo examine meritorum.] *Stobæus ſerm. 248.* ἔοικεν ἡ τύχη φαύλῳ ἀγωνοθέτῃ, πολλάκις γὰρ τοὺς μὴ νικήσαντας στεφανεῖ. *vide Senec. l. 2. de Benef. cap. 13. Non tamen ſine divina providentia, cujus reſpectu nihil fortuitò, aut caſu hominibus accidit.*

ι Ut quid autem colitur.] *Non modò hic D. Auguſt. verùm etiam Lactant. lib. 3. cap.*

in foro multis civitatibus erigitur. Plautus in principio Amphitryonis hac duo ejus officia verbis aliquot explicat: & nos de hoc alibi.

g In Jano.] *Quod vetuſtiſſimus hic eſſet omnium Deorum, ideo initiis praeſſe creditus eſt. Regnavit enim in Latio Saturni tempore. Antiquiſſimum chaos ſunt qui putent eum eſſe, ſicut Ovidius & Feſtus, qui inde Janum dictum autumat inverſis literis. Cicero ab eundo, 2. de nat. Deorum, unde etiam janua. Cornificius ſcribit à Cicerone, non Janum, ſed Eanum eſſe nominatum: unde & Janiculus mons Rom. ſive, ut quidam dicunt, quòd ibi ſit ſepultus Janus: ſive, ut alii, quòd per eum populus Rom. tranſiret in agrum Hetruſcum. Bifrons pingitur, quòd non ſolùm initiis, ſed extremis eſſet præfectus. De hoc Macrobius primo Satur. & Ovidius primo Faſtorum, multa & nos alibi.* Ianus.

h Initiator.] *Non ab initiando, id eſt, ſacris imbuendo, ſed incipiendo. Ideo in aliis melius legitur, janitor.*

i Bellona.] *A bellis, ideo olim Duellona, ſicut duella bella. Pallas putatur eſſe, quæ bellis præeſt. Græci hanc* ἐνυὼ *vocant,* ἔστι δὲ πλαστὸν πρόσωπον ὡς φόβος καὶ ἔρις καὶ κυδοιμὸς, *ut inquit Heſychius. Homerus hanc* πτολίπορθον *nominat, ut Martem: & recentes poetæ matrem Martis eſſe dicunt. Ideò* ἐνυάλιον *vocant à matre,* ἐνυὼ *dicitur, quod* ἐνιεῖσα θυμὸν καὶ ἀλκὴν τοῖς μαχομένοις, ἢ κατ' εὐφημισμὸν, ἀπὸ τοῦ ἥκιστα ἐνηὴς καὶ ἐπιεικὴς εἶναι. *Vel à furore immittendo bellantibus, vel quod minimè ſit mitis. Hujus templum in nova regione urbis, & ante hoc columna, unde haſta mittitur ſignum belli inferendi. Ovid.* Bellona.

k Diana in ſylvis.] *Luna pleraque nomina habebat: dicebatur enim Lucina, & Proſerpina, & Hecate, & Diana: hæc erat quæ in ſylvis configendis feris intenta virgo fingebatur, cum arcu & pharetra. Ideo Æneas cùm matrem vidiſſet venatricis cultu, Phœbi ſororem eſſe exiſtimavit. 1. Æneid. Memini me, neſcio apud quem, diſtichum hoc legere, non abſurdum de Luna:* Diana.

> *Terret, luſtrat, agit, Proſerpina, Luna, Diana,*
> *Ima, ſuperna, feras, ſceptro, fulgore, ſagitta.*

Prudentius libro priore contra Symmachum:

> *Terque ſuas eadem variare figuras.*
> *Denique cùm luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu.*
> *Cùm ſuccincta jacit calamos, Latonia virgo eſt.*
> *Cùm ſubnixa ſedet ſolio, Plutonia conjunx,*
> *Imperitat Furiis & dictat jura Megæræ.*

l Nomine Liberi virorum ſeminibus.] *Cic. 2. de nat. Deorum, Cerere natos Liberum & Liberam dicit eſſe. Fratres conjugéſque, Solem & Lunam putant eſſe multi: in quorum poteſtate ſint vires generandi, ſub Libero virorum, ideo illi & ſalaces Satyri ſunt comites, & in ejus templo feriiſq; colitur Priapus: ſub Libera vis fœminarum luce Luna fœminea.*

m Dieſpiter.] *Quaſi dios pater, nam dios eſt Jupiter, vel diei pater, ut Varro interpretatur.* Dieſpiter.

n Ipſa Lucina.] *Hanc Lunam eſſe ſive Dianam & Junonem, ſcribit Cicero. Terren-* Lucina.

eſſe victores? Hac Dea favente & propitia, etiam Jove vacante, vel aliud agente, quæ gentes non ſubditæ remanerent? quæ regna non cederent? *b* An fortè diſplicet bonis iniquiſſima improbitate pugnare, & finitimos quietos nullamque injuriam facientes, ad dilatandum regnum bello ſpontaneo provocare? Planè ſi ita ſentiunt, approbo & laudo.

L. Vives. Victoria. *a* VIctoria Dea.] *Erat ædicula Victoriæ ad forum Romæ à Catone ſeniore dicata. Erat & Victoriæ ædes prope ædiculam, quam ædem M. Poſthumius Megellus ædilis curulis ex mulctatitia pecunia faciundam curarat. Conſul cum M. Attilio Regulo bello Samnitico dedicavit: huic L. Sylla bellis civilibus victor ludos inſtituit. Aſconius Pædianus. Meminit & Cicero prima Act. in Verrem. Victoriam Heſiodus filiam dicit Stygis & Pallantis. Fratres Victoriæ ſunt Zelus, Potentia, Vis, quæ ſemper Jovis regi aſſident, nec ſine illis imperium eſt vel Jovi, vel cuiquam principi ullum.*

b An fortè non diſplicet.] *Legendum ſine negatione: An fortè diſplicet. hoc exigit ſenſus, & ſic habent antiqui libri.*

F. L. Coq. *α* SI Victoria Dea eſt.] *Colebatur hæc ab antiquis dea, cujus ſimulachrum effingebatur lauro coronatum, & altera manu palmæ, altera oleæ ramum præferens. vide Liv. lib. 22. ab V. C. 538. & lib. 29. ædis Victoriæ meminit. Ejus aram de Senatu ſublatam ægrè admodum tulere Gentes invaleſcente Chriſtianiſmo. Ita enim conquerebatur Symmachus Relatione ad Impp. pro avita ſuperſtitione revocanda:* Quis ita familiaris eſt Barbaris, ut aram victoriæ non requirat? *Et D. Ambroſ. epiſt. 12. ad Valentinianum Auguſtum, quæ ei reſpondet:* Hujus aram *(de Victoria loquens)* ſtrui in urbis Romæ curia petunt, hoc eſt, quò plures conveniunt Chriſtiani. *Et ibidem:* Sic deam eſſe, & Victoriam crediderunt, quæ utique munus eſt, non poteſtas; donatur, non dominatur; legionum gratia, non religionum potentia.

β Semper erat apud eos.] *Victoriam deam vetuſtas pennatam, & aligeram pinxit, ut è cœlo devolantem ad eos, quos ſuis ornare ſucceſſibus vellet. Auſonius:*

Tu quoque ab æthereo præpes victoria lapſu.

Id eſt, quæ laberis, & deſcendis è cœlo. Scribit Dion. lib. 56. quandam victoriæ ſtatuam in Germania hoſtem ſpectantem, ad Italiam obverſam fuiſſe.

Cap. XV.

An congruat bonis, latius velle regnare.

VIdeant ergo ne fortè nō pertineat ad viros bonos, *α* gaudere de regni latitudine. Iniquitas enim eorum, cum quibus juſta bella geſta ſunt, *β* regnum adjuvit, ut creſceret: quod utique parvum eſſet, ſi quies & juſtitia finitimorum contra ſe bellum geri nulla provocaret injuria: ac fœlicioribus ſic rebus humanis omnia regna parva eſſent concordi vicinitate lætantia. Et ita eſſent in mundo regna plurima gentium, ut ſunt in urbe domus plurimæ civium. Proinde belligerare, & perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur fœlicitas, *γ* bonis neceſſitas. Sed quia pejus eſſet, ut injurioſi juſtioribus dominarentur, ideo non incongruè dicitur etiam iſta fœlicitas. Sed proculdubio fœlicitas ma-

jor

jor eſt vicinum bonum habere concordem, quàm vicinum malum ſubjugare bellantem. Mala vota ſunt, optare habere quem oderis, vel quum timeas, ut poſſit eſſe quem vincas. Si ergo juſta gerendo bella, non impia, non iniqua, Romani imperium tam magnum acquirere potuerunt, nunquid tanquam δ aliqua Dea colenda eſt eis iniquitas aliena? Multum enim ad iſtam latitudinem imperii eam cooperatam videmus, quæ faciebat injurioſos, ut eſſent, cum quibus juſta bella gererentur, & augeretur imperium. Cur autem & iniquitas Dea non ſit, vel externarum gentium, ſi Pavor, & Pallor, & Febris Dii Romani eſſe meruerunt? His igitur duabus, id eſt, aliena iniquitate, & Dea Victoria dum bellorum cauſas iniquitas excitat, Victoria eadem bella fœliciter terminat, etiam feriato Jove crevit imperium. Quas enim hic partes Jupiter haberet, cùm ea, quæ poſſent beneficia ejus putari, Dii habentur, Dii vocantur, Dii coluntur: ipſi pro ſuis partibus invocantur? Haberet hic etiam ille aliquam partem, ſi regnum etiam ipſe appellaretur, ſicut appellatur illa victoria. *a* Aut ſi regnum munus eſt Jovis, cur non & victoria munus ejus habeatur? Quod profectò haberetur, ſi ε non lapis in Capitolio, ſed verus Rex regum & Dominus dominantium cognoſceretur atque coleretur.

a Aut ſi regnum munus eſt Jovis.] *Sic Homerus frequenter.* L. Vives.

α GAudere de regni latitudine.] *Davidi graviter Deus ſuccenſuit, ob numeratum populum. 2. Reg. 24. Nabuchodonoſorem Regem Chaldæorum etiam animadvertit, quòd de Imperii majeſtate inſuperbiiſſet, in hæc verba prorumpens:* Nonne hæc eſt Babylon civitas magna, *&c. Daniel. 4.* F. L. Coq.

β Regnum adjuvit ut creſceret.] *Quia in bello juſto licet pro qualitate injuriæ mulctare hoſtes parte agri, vel etiam occupare arces & oppida, imò licet nonnunquam principes ipſos è ditionibus deturbare. Ariſtot. primo Polit. cap. 4. omnia, quæ in bello juſto capiuntur, eſſe capientium, Et Plato 3. de Legibus. Xenophon.* Κύρȣ παιδ. *lib. 7.* Νόμος ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιός ἐστιν, ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῶ, τῶν ἑλόντων εἶναι καὶ τὰ σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ τὰ χρήματα, *id eſt,* Lex æterna inter homines, capta eorum urbe, qui bellum aliis inferunt, tam corpora eorum, qui in urbe ſunt, quàm fortunas, eorum eſſe qui urbem capiunt. *Et jure civili D. de captivis. Et jure Canon. diſt. 1. Debet tamen princeps bona hoſtium diripere, quantum ſatis eſt ad damni compenſationem, vel ad vindicandam illatam injuriam, cum debeat ſuam Rempub. ab injuria defendere: ſi verò longius progrediatur, jam bellum cenſetur injuſtum; ſi enim pro vindicanda injuria princeps velit totum alterius regnum, vel magnam illius partem pro leviori damno occupare, injuſtus erit. Ita ſi totum damnum reſarcitum eſt. Ex parta victoria, vel ex occupatione unius civitatis longius velle progredi, injuſtum erit: neque enim pœna debet excedere culpam. Ita quoties quis reſarcire injuriam paratus eſt, arma ſiſtenda ſunt. Archidamus apud Thucydidem lib.* 1. Ἐπὶ τὸν διδόντα δίκας ὡς νόμιμον ὡς ἐπ' ἀδικοῦντα ἰέναι In eum, qui jure agere, & ſatisfacere paratus eſt, nefas bellum ſumere, tanquam in inimicum. *Rectè C. Pontius Samnitum dux apud Liv. lib. 9. redarguit Romanos injuſtitiæ,* Quibus non ſuæ redditæ res, non alienæ accumulatæ ſatis ſint: quorum ſæ-

vitiam non mors noxiorum, non deditio exanimatorum corporum, non bona ſequentia Domini deditionem exſatient. *Nec dubium, Romanos multa injuſtiſſimè invaſiſſe, & ut loquitur Minut. in Octa.* Damnis alienis, & ſuis ſceleribus adoleviſſe.

γ Bonis neceſſitas.] *Nec enim licet quærere occaſiones, vel cauſas juſti belli, eo fine, ut quis devictis hoſtibus regnum dilatet. Sueton. in Auguſto. cap. 20. Eò Auguſtum laudat, quod nulli genti ſine juſtis & neceſſariis cauſis bellum intulerit: tantumque, ait, abfuit à cupiditate, quoquo modo imperium, vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam barbarorum principes in æde Martis Victoris jurare coëgerit, manſuros ſe in fide ac pace, quam peterent.*

δ Aliqua dea colenda eſt eis iniquitas aliena.] *Dementiam ſugillat Romanorum, qui Victoriæ divinos honores deferebant; Sic enim (inquit) & iniquitas loco deæ habenda eſſet, quæ plurimum ad dilatandum imperium contulerit; niſi enim iniquos hoſtes habuiſſent Romani, neque occaſiones habuiſſent toties juſti belli hoſtibus inferendi, & aliena ſuo imperio adjiciendi; deinde ſi Pavorem, Pallorem, & Febrim loco Deorum habuère, cur non & iniquitatem? Hæc numina à Græcis originem duxiſſe ſcribit Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. Nam Athenienſes Contumeliæ & Impudentiæ aras ſacrarunt, quod & teſtatur Cic. 2. de legib. & Lacedæmonii Morti, & Timori, atque aliis affectibus templa dicarunt, quod teſtatur Plutarch. in Agide, & Cleomene.*

ε Non lapis in Capitolio.] *De quo ſupra lib. 2. cap. 29.*

ζ Verus Rex regum, & Dominus dominantium.] *Ita 1. Timot. 6. dicitur,* Rex regum, & Dominus dominantium. *Et Apocal. 17.* Rex regum eſt, & Dominus dominorum. *Et 19.* Habet in veſtimento, & in femore ſuo nomen ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

Cap. XVI.

Quid fuerit quod Romani omnibus rebus & omnibus motibus Deos ſingulos deputantes, ædem Quietis extra portas eſſe voluerunt.

Miror autem plurimum, quòd cùm Deos ſingulos ſingulis rebus, & penè ſingulis motibus attribuerent, vocaverunt Deam Ageroniam, quæ ad agendum excitaret: *a* Deam Stimulam, quæ ad agendum ultra modum ſtimularet: *b* α Deam Murciam, quæ præter modum non moveret, ac faceret hominem, *c* ut ait Pomponius β murcidum, id eſt, nimis deſidioſum & inactuoſum: Deam Strenuam, quæ faceret ſtrenuum: his omnibus Diis & Deabus publica ſacra facere ſuſceperunt. *d* γ Quietem verò appellantes, quæ faceret quietem, cùm ædem haberet δ extra portam Collinam, publicè illam ſuſcipere noluerunt. Utrum indicium fuit animi inquieti, an potius ita ſignificatum eſt, quòd qui illam turbam colere perſeveraret: non planè Deorum, ſed dæmoniorum eum ε Quietem habere non poſſe: ad quam vocat verus medicus, dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.

Deam

a DEam Stimulam.] *An hæc eſt Horta, quæ in humanis cùm eſſet, Herſilia dicta eſt, uxor Romuli, quam ab hortando & incitando nominatam ait Labeo: cujus ædes nunquam claudebatur, quòd ſemper aliquid præclari fieri hortaretur, nec ceſſandum ſuaderet quæ poſtea vocata eſt. Hera providentiæ Dea, quæ negligentes ſocordesque eſſe non pateretur: nominatamque Labeo exiſtimat etiam hac appellatione ab hortando & incitando, Græca voce* ὁρμᾶν. *Plutarchus. Meminerunt hujus Deæ Ovidius, Gellius, & alii.* L. Vives. Stimula

b Deam Murciam.] *Non pigebit Hermolai Barbari verba ſubjicere, ex Annotationibus in Plinium libro decimo quinto. Plinius eo loco ſic inquit: Quin & ara vetus fuit Veneri Myrtea, quam nunc Myrtiam vocant. Hermolaus: Lego Veneri Myrtea, quam nunc Murciam vocant. ex Feſto, Livio, Plutarcho, Varrone, Cornelio Nepote de viris illuſtribus. Nam Murcea Dea ſocordiæ eſt, ut Strenua, Agenorea, Stimula induſtriæ. Pomponius & Auguſtinus autores. Nam cùm metas Murcias, Apulejus libro ſexto dixit, Veneri dicatas intellexit. Quidam montem Aventinum ideo Murcium vocari tradunt, quòd è lapidibus velut muro conſtructus: non à Dea Murcia, nec à Figlinis. Ammianus quoſdam ſolitos in Italia vitandæ gratia militiæ pollicem præcidere, Murcos vernacula voce nominatos: Plautus, Murcide, inquit, homo pro inerti & languido: Tantum Hermolaus autor noſtræ ætatis diligentiſſimus. Ergo in Feſto cùm dicit Murceæ Deæ ſacellum erat ſub monte Aventino, qui antè Murcus vocabatur: emendatius legetur, Murciæ Deæ, Livius lib. 1. Tum quoque multis millibus Latinorum in civitate acceptis, quibus ut jungeretur Palatio Aventinum, ad Murciæ data ſedes. Et Plutarchus in Problematis, quam modò Murciam Venerem, olim Myrteam vocabant.* Murcia.

c Ut ait Pomponius.] *Hermolaus, Beroald. & alii complures hunc Pomp. de hac ipſa re teſtem adducunt. Nec ſat explicant, quis Pomp. ſit, cùm fuerint multi, etiam qui ſcripſerint, an Atticus, an L. Pomp. Attelanarum ſcriptor, an Gn. Pomp. orator, qui omnes vixerunt cum Cicer. an qui poſt Cicer. fuere, Pomponius Mela, an Julius Pomponius Tragicus, cujus Quintilianus meminit, an juris conſultus.*

d Quietem verò appellantes.] *Ego conjectum ducor, Quietem hanc ad mortuos pertinuiſſe. Quietalis enim dictus eſt ab antiquis Orcbus, ideo extra urbem Quies eſt culta. Fanum Quietis erat via Labicana. Livius libro quarto.*

a DEam Murciam.] *Venus primùm* Myrtea *à* Myrto *arbore illi ſacra; deinde* Murtia *vocata eſt, Plin. lib. 15. cap. 29.* Ara fuit Romæ vetus Veneris Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant. *Murtiæ meminit Tertull. lib. de Spectac. cap. 8. Quam eſſe deam* marmoris *dicit, ubi fortaſſe* marcoris *ſcribendum eſſe obſervat Turneb. lib. 22. Adverſ. cap. 16. Sed in edito recenter, & à Pammelio emendato legitur* Amoris. *quam lectionem probat ex loco citato Plinii, quod nomen id ſit deæ Veneris. Arnob. lib. 4. cum D. Auguſtino* Murciam *eam appellat deam ſegnium. Feſtus* Murceam, *& ſub Aventino eam ſacellum habuiſſe tradit, &* Murceam *dictam vult, ſive quod homines murceos, id eſt ignavos & inertes redderet, ſive quòd Aventinus, ſub quo ſacellum habuit, olim* Murcius *fuerit appellatus.* P. L. Coq.

β Mucidum, id eſt nimis deſidioſum.] *Ita apud Plautum in Epidico: Væh tibi murcide homo, id eſt deſidioſe, ignave, iners.*

γ Quietem verò.] *Fani Quietis quod erat via Lavicana meminit Liv. lib. 4.*

δ Extra portam Collinam.] *Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 16.* Collina quoque quæ Agonenſis dicta eſt, propter anfractus multiplices, quòd partim edita, partim declivia eſſent loca, nomen ſortita dicitur, extra quam Veneris Hercyniæ, & Quietis templa fuêre.

ε Quietem habere non poſſe.] *Quidam eo differre volunt quietem, & tranquillitatem: quod quies corporis ſit: tranquillitas animi: quæ tamen differentia perpetua non eſt, atque nonnunquam quies tranquillitatem ipſam animi ſignificat, ut hic apud D. Auguſt. quod de Alexandro ſcribit Arrianus lib. 7. cùm nunquam quieviſſe ὅς ἐκ δόξης δεινῶς ἐκρατεῖτο,* quòd gloriæ cupiditas transverſum eum rapiebat. *Idem de Romanis dici poteſt, quos nimia ambitio, ac Imperii proferendi cupiditas quieſcere nunquam ſinebat.*

Cap. XVII.

An ſi Jovis ſumma poteſtas eſt, etiam Victoria Dea debuerit exiſtimari.

AN fortè dicunt, quod Deam Victoriam Jupiter mittat, atque illi tanquam regi Deorum obtemperans, ad quos juſſerit, veniat, & in eorum parte conſidat? Hoc verè dicitur, non de illo Jove, quem Deorum regem pro ſua opinione confingunt, ſed de illo vero rege ſeculorum, quòd mittat non victoriam, quæ nulla ſubſtantia eſt, ſed α angelum ſuum, & faciat vincere quem voluerit, cujus conſilium occultum eſſe poteſt, iniquum eſſe non poteſt. Nam ſi victoria Dea eſt, cur non Deus eſt, & triumphus, & victoriæ jungitur vel maritus, vel frater, vel filius? Talia quippe iſti de Diis opinati ſunt, qualia ſi poetæ fingerent, atque à nobis *a* β exagitarentur: reſponderent iſti, ridenda eſſe figmenta poetarum, non veris attribuenda numinibus: & tamen ſe ipſi non ridebant, cùm talia deliramenta non apud poetas legebant, ſed in templis colebant. Jovem igitur de omnibus rogarent, ei uni tantummodo ſupplicarent. *b* Non enim ſi quò miſiſſet victoriam, ſi ea Dea ſub illo rege eſt, poſſit vel audeat ei reſiſtere, & ſuam potius facere voluntatem.

L. Vives. *a* EXaggerentur.] *Legendum exagitarentur.*

b Non enim ſe miſiſſet victoria.] *Sic in veteribus: Non enim quò miſiſſet victoriam, ſi Dea eſt, & ſub illo rege eſt, poſſit ei audere reſiſtere, & ſuam potius facere voluntatem. Et Porphyrius in Ratione naturali Deorum, Jovem, ſcribit, fingi ſolitum ſceptrum tenentem leva, dextra verò modò Aquilam, modò Victoriam. Illud quoniam cæterorum Deorum Dominus, ut avium Aquila, Victoriam autem quoniam illi univerſa ſubjecta ſunt. Vel, ut Phurnutus interpretatur, quoniam nihil eſt à quo poſſit vinci.*

I. L. Coq. α ANgelum ſuum.] *Exod. 14.* Angelus Domini præcedebat caſtra Iſraël. *Joſue. 5. Angelus ad ipſum Joſue:* Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.

4 Reg. 19. Angelus nocte percuſſit in caſtris Aſſyriorum Sennacherib Hieroſolyma obſidente centum octoginta quinque millia hominum.

β Faciat vincere, quem voluerit.] Non enim in multitudine hominum, ſed in fortitudine cœli victoria eſt. *1. Mac. 3. Apud Hom. Iliad. 15. inducitur Hector loquẽs, quod Juppiter horum quidem minuat robur, illis verò auxilietur, ut intelligamus, victoriam in divino auxilio conſiſtere, quod ſi ab altero exercitu receſſerit, de illius victoria plane ſit deſperandum.*

CAP. XVIII.

Fœlicitatem & Fortunam qui Deas putant, qua ratione fecerunt.

a QUid quod & α Fœlicitas Dea eſt? ædem accepit, aram meruit, ſacra ei congrua perſoluta ſunt: ipſa ergo ſola coleretur? Ubi enim ipſa eſſet, quid boni non eſſet? Sed quid ſibi vult, quòd & β Fortuna Dea putatur, & colitur? An aliud eſt Fœlicitas, aliud fortuna? Quia γ fortuna poteſt eſſe & mala: fœlicitas autem ſi mala fuerit, fœlicitas non erit. Certè omnes Deos utriusque ſexus, ſi & ſexus habent, non niſi bonos exiſtimare debemus. δ Hoc Plato dicit, hoc alii Philoſophi, hoc excellentes reipub. populorumque rectores. Quomodo ergo Dea fortuna aliquando bona eſt, aliquando mala? An fortè quando mala eſt, Dea non eſt, ſed in malignum dæmonem repente convertitur? Quot ſunt ergo Deæ iſtæ? Profectò quotquot ſunt homines fortunati, hoc eſt, bonæ fortunæ. Nam cùm ſint & alii plurimi ſimul, hoc eſt, uno tempore malæ fortunæ, nunquid ſi ipſa eſſet, ſimul & bona eſſet & mala: his aliud, illis aliud? An illa quæ Dea eſt, ſemper bona eſt? Ipſa eſt ergo fœlicitas, cur adhibentur diverſa nomina? Sed & hoc ferendum eſt. Solet enim ε & una res diverſis nominibus appellari. *b* ζ Quid diverſæ ædes, quid diverſæ aræ, diverſa ſacra? Eſt cauſa, inquiunt, quia Fœlicitas illa eſt, quam boni habent præcedentibus meritis. η Fortuna verò quæ dicitur bona, *c* θ ſine ullo examine meritorum fortuitu accidit hominibus & bonis & malis, unde etiam fortuna nominatur. Quomodo ergo bona eſt, quæ ſine ullo judicio venit & ad bonos & ad malos? Ut quid ι autem colitur, *d* κ quæ ita cæca eſt, paſſim in quoslibet incurrens, λ ut ſuos cultores plerunque prætereat, & ſuis contemptoribus hæreat? Aut ſi aliquid proficiunt cultores ejus, ut ab illa videantur, & amentur: jam merita ſequitur, non fortuitu venit. Ubi eſt ergo definitio illa fortunæ? μ Ubi eſt quod à fortuitis etiam nomen accepit? Nihil enim prodeſt eam colere, ſi fortuna eſt. Si autem, ſuos cultores diſcernit ut profit, fortuna non eſt. *e* An & ipſam, quò voluerit, Jupiter mittit? Colatur ergo ipſe ſolus. Non enim poteſt ei jubenti, & eam quò voluerit, mittenti fortuna reſiſtere. Aut certè ipſam mali colant, qui nolunt habere merita, quibus poſſit Dea Fœlicitas invitari.

a QUid quod & Fœlicitas Dea.] *Ædis hujusce Deæ meminit aliquoties Plinius. Simulachrum ejus Archeſilao plaſta locatum eſt à L. Lucullo ſeſtertiis lx. Plinius lib. 35.* L. Vives.

b Quid diverſæ ædes.] *Ædes malæ Fortunæ & deteſtatæ in Exquiliis. Ædes Fortunæ fortis in ripa Tiberina. Equeſtris juxta theatrum. Erat & templum Fortunæ* Fortuna multa.

par-

in foro multis civitatibus erigitur. Plautus in principio Amphitryonis hæc duo ejus officia verbis aliquot explicat: & nos de hoc alibi.

g In Jano.] *Quod vetuſtiſſimus hic eſſet omnium Deorum, ideo initiis præeſſe creditus eſt. Regnavit enim in Latio Saturni tempore. Antiquiſſimum chaos ſunt qui putent eum eſſe, ſicut Ovidius & Feſtus, qui inde Janum dictum autumat inverſis literis. Cicero ab eundo, 2. de nat. Deorum, unde etiam janua. Cornificius ſcribit à Cicerone, non Janum, ſed Eanum eſſe nominatum: unde & Janiculus mons Rom. ſive, ut quidam dicunt, quòd ibi ſit ſepultus Janus: ſive, ut alii, quòd per eum populus Rom. tranſiret in agrum Hetruſcum. Bifrons pingitur, quòd non ſolùm initiis, ſed extremis eſſet præfectus. De hoc Macrobius primo Satur. & Ovidius primo Faſtorum, multa & nos alibi.* Ianus.

h Initiator.] *Non ab initiando, id eſt, ſacris imbuendo, ſed incipiendo. Ideo in aliis melius legitur, janitor.*

i Bellona.] *A bellis, ideo olim Duellona, ſicut duella bella. Pallas putatur eſſe, quæ bellis præeſt. Græci hanc ἐνυὼ vocant, ἔστι ἡ πλαστὸν μεγίστον ὡς φόβος καὶ ἔρις καὶ κυδοιμός, ut inquit Heſychius. Homerus hanc πτολίπορθον nominat, ut Martem: & recentes poetæ matrem Martis eſſe dicunt. Ideò ἐνυάλιον vocant à matre, ἐνυὼ dicitur, quod ἐνιεῖσα θυμὸν καὶ ἀλκὴν τοῖς μαχομένοις, ἢ κατ' ἀντίφρασιν, ἀπὸ τοῦ ἥκιστα ἐνηὴς καὶ ἐπιεικὴς εἶναι. Vel à furore immittendo bellantibus, vel quod minimè ſit mitis. Hujus templum in nova regione urbis, & ante hoc columna, unde haſta mittitur ſignum belli inferendi. Ovid.* Bellona.

k Diana in ſylvis.] *Luna pleraque nomina habebat: dicebatur enim Lucina, & Proſerpina, & Hecate, & Diana: hæc erat quæ in ſylvis configendis feris intenta virgo fingebatur, cum arcu & pharetra. Ideo Æneas cùm matrem vidiſſet venatricio cultu, Phœbi ſororem eſſe exiſtimavit. 1. Æneid. Memini me, neſcio apud quem, diſtichum hoc legere, non abſurdum de Luna:* Diana.

> *Terret, luſtrat, agit, Proſerpina, Luna, Diana,*
> *Ima, ſuperna, feras, ſceptro, fulgore, ſagitta.*

Prudentius libro priore contra Symmachum:

> *Terque ſuas eadem variare figuras.*
> *Denique cùm luna eſt, ſublustri ſplendet amictu.*
> *Cùm ſuccincta jacit calamos, Latonia virgo eſt.*
> *Cùm ſubnixa ſedet ſolio, Plutonia conjunx,*
> *Imperitat Furiis & dictat jura Megeræ.*

l Nomine Liberi virorùm ſeminibus.] *Cic. 2. de nat. Deorum, Cerere natos Liberum & Liberam dicit eſſe. Fratres conjugéſque, Solem & Lunam putant eſſe multi: in quorùm poteſtate ſint vires generandi, ſub Libero virorum, ideo illi & ſalaces Satyri ſunt comites, & in ejus templo feriiſque colitur Priapus: ſub Libera vis fœminarum luce Luna fœminea.*

m Dieſpiter.] *Quaſi dios pater, nam dios eſt Jupiter, vel diei pater, ut Varro interpretatur.* Dieſpiter.

n Ipſa Lucina.] *Hanc Lunam eſſe ſive Dianam & Junonem, ſcribit Cicero. Te-* Lucina.

rentius in Andria, Glycerium parturientem invocare Junonis Lucinæ opem facit: Juno, inquit, Lucina fer opem, ſerva me obſecro. Sic & Juno Opigena, quòd ferre opem in partu laborantibus crederetur, eſt culta Romæ à matronis. Feſtus. Timæus hiſtoricus propterea, qua nocte Alexander Macedo eſt natus, deflagraſſe Dianæ Epheſiæ templum tradit, quòd Diana parturienti Olympiadi deeſſe noluerit. ideò à templo ſuo aberat procul Pellam profecta. Ilythiam quoque colebant Romani in hunc uſum. Pauſanias Parcam eſſe dicit Ilythiam, fuiſſeque quæ ex Hyperboreis Delum venerit, ſitque parienti Latonæ obſtetricata. Ideo in Attica terris inter Deas γενετυλλίδας collocaretur, quæ Geneſi præeſſent. Simulachrum ante illas poni ſolebat poplitibus flexis, quòd ſic enixa eſſet filia Nauplii, ex quo more facti ſunt illi Nixidi tres in Capitolio ante cellam Minervæ, quos M. Attilius Glabrio victo Antiocho Romam tranſtulit, quibus matronæ ſupplicabant, velut præſidentibus parientium nixibus. Erant enim ſimulachra genibus innixa.

Nythia.

o Vagitanus.] *Vaticanus potius.*

Carmentes.

p Carmentes.] *Hanc prius Nicoſtratam eſſe dictam ferunt Jonii Archadum regis filiam, quæ ex Mercurio Evandrum genuit, quæque furore concitum fata mortalibus caneret: ideo Græcè Theſpiodem dictam, Latinè Carmentem, ut Dionyſius ex Romanis originibus ſcribit. Ovid. 1. Faſt. de ea:*

Ipſa mone quæ nomen habes de carmine dictum. Et pòſt:
Quæ ſimul æthereos animo conceperat ignes,
Ore dabat pleno carmine vera Dei.

Erat & porta Carmentalis Romæ, quæ poſtea Scelerata dicta eſt, & propè eam ara in Capitolio, ubi ipſa habitavit. Erant & Carmenæ, quæ primæ ſcirent hominem natum apud Varronem, canerentque illi ventura: unde illa Nicoſtrata putatur Carmenta nominata. Sunt Caſmenæ quoque nuncupatæ, & eliſos, & Camenæ: & qui eas colerent, vates ab earum vaticiniis appellati. Erant & Faunus & Fauna fratres, quorum ille canebat fata viris, hæc fœminis.

Rumina.

q In diva Rumina.] *Rumina Dea mammarum: quoniam Rumen mamma antiquo verbo. Plinius & Feſtus. Unde ficus Ruminalis, quòd ſub ea arbore lupa mammam dedit Romulo & Remo. Huic Deæ lac libabatur, lacte aſpergebantur hoſtiæ.*

Educa. Potica.

r In diva Potina.] *Donatus Educam & Poticam has Deas nominat. Sic enim in Phormionem Terentii ait: Apud Varronem legitur, initiari pueros Educæ & Poticæ & Cubæ, divis edendi & potandi, & cubandi, ut primum à lacte & à cunis transferuntur. Quod Verg.*

Nec Deus hunc menſa, Dea nec dignata cubili eſt.

Hoc annotavit Probus, hæc Donatus.

ſ Edulica.] *Lego Educa, & ſic eſt in antiquis codicibus.*

Venilia.

t Venilia.] *Verg. Veniliam matrem eſſe dicit Turni, ſororem Amatæ Latini regis uxoris. Varro Veniliam dictam eſſe ait à veniendo, & vento ſecundo, qualem qui nactus eſt in mari, gaudet, ſicut inquit Plautus.*

Camœna

u Camœna.] *Servius Camœnas muſas eſſe dicit à cantu. Feſtus ait ſic dictas, quòd caſtæ mentis ſint præſides. Ædes Camœnarum Romæ fuit ad portam Capenam,*

in pri-

in prima regione. Camœna, Latinè idem eſt quod Muſa Græcè. Nec ſolùm cantibus præſunt, ſed humanitati omni & doctrinæ: ſicut Cic. interpretatur 5. Tuſc. quæſt. Plato Craty. τὰς δὲ μούσας τε καὶ ὅλως τὴν μουσικὴν ἀπὸ τοῦ μῶσθαι ὡς ἔοικε, καὶ τῆς ζητήσεώς τε καὶ τῆς φιλοσοφίας τὸ ὄνομα τοῦτο ἐπωνόμασε, ab inquirendo dicuntur Muſæ, & à philoſophia.

x Ipſe ſit & Deus Conſus.] *Hunc Livius, Dionyſ. & Plut. Neptunum equeſtrem eſſe dicunt, cui ſit templum ædificatum ab Arcadibus ante Romulum & Remum, præeſſeque conſiliis. Idcircò velut rem arcanam ejus aram toto anno ſub terra occultari in Circo maximo. Conſualibus ſolum proferri, ejus Dei conſilio uſum ferunt Romulum in rapiendis Sabinis. Græci ἱππικὸν ποσειδῶνα vocant, quòd è terra tridenti percuſſa eduxerit equum. Fabuloſè id quidem, ſed re vera, quòd equos domare inſtituerit, & convertere in hominum uſus.* Conſus.

y Sentia.] *Fauna Fauni regis ſoror & uxor, Pici filia, Senta eſt dicta, & Fatua: hoc à fando, quòd ejus ope farentur infantes. Forſan & Senta eſt nominata, quòd quæ ſentiret quis, ea faretur. Sed nos rem hanc, ut alias hoc libro permultas, in medio reliquimus: conjecturæ enim parum nobis placent.*

z Ipſa Dea Juventas.] *De hac paulum pòſt.*

a Poſt prætextam.] *Prætexta veſtis erat dignitatis magiſtratúsque, quæ ab Hetruſcis Romam manavit: nec pueri ſolebant ea uti ante filium Tarquinii Priſci regis, qui cùm puerili ætate fortiter feciſſet in bello, bulla aurea & prætexta eſt publicè à parente donatus. Prætexta deinceps manſit ingenuis pueris: bulla quoque iis, quorum patres curulem magiſtratum geſſiſſent. Macrobius: Deponebant pueri quartodecimo anno prætextam, & ſumebant togam virilem. Latum clavum quoque ſenatorum filii, quem induiſſe tunc Auguſtum Tranquillus eſt autor. Latus clavus autem, non toga eſt, ſed tunica purpurea.* Prætexta. Latus clavus.

b Quæ adultos barba induit.] *Veteres Apollini ſacrabant ſuarum barbarum primitias, cùm primùm ex Ephebis tonderentur. Sic Theſeus Delum eſt profectus, ut id faceret. Plutarchus.*

c Ipſe ſit Motunus vel Tutinus.] *Locus non videtur carere mendo. In veteribus eſt: Mutunus vel Tutunus, & puto alterum ſcripſiſſe Auguſtinum, non utrunque, Motunum & Tutunum: ſed adjectum alterum à librario, & ex libris inde exſcriptis inoleſſe hanc lectionem. Certè ipſe libro 6. ubi de Diis, qui ituris ad thorum nuptialem conjugibus aderant, pro his duobus unum Priapum nominat. Non dubito quin ſit legendum Mutinus, ut eſt apud Lactantium: tametſi non deſunt codices Lactantiani, qui Futinus habeant. Sed Mutinus videtur dictus, quòd efficiat ut maritus magis, & virgo minus moveatur.* Mutinus.

d Velut unius animantis.] *Sic Plato, Cicero, & Stoici mundum animal unum eſſe dicunt: & unam vitam vivere, ut hominem unum.*

α A Poëta nobiliſſimo.] *Virgilio, de quo Quintil. lib. 10. cap. 10. Sibi interroganti quem crederet Homero maximè accedere, ab Afro Domitio reſponſum refert ſecundum eſſe Virgilium, propiorem tamen primo, quam tertio.* F.L.Coq.

β Deum namque ire per omnes.] *Quarto Georg. ut facilè intellexeris divinitatem ubique eſſe, omniaque permeare.*

γ Ipſe in æthere ſit Juppiter.] *Inter Gentiles qui rectè ſunt philoſophati, facilè intellexerunt, unicum eſſe ſummum Deum, ut conſtat ex Platone, Ariſtotele, Cicerone, & aliis, & multitudinem Deorum errore vulgi introductam: Omnes hujuſmodi Deos ad Solem referri contendit Macrob. lib. 1. Satur. pluribus capitibus.*

δ In divinantibus Apollo.] *Illum enim ſuper ambiguis & futuris antiqui conſulebant: hinc tot Apollinis oracula. Apollini variæ fuerunt poteſtates: nam fuit author carminis, præſes Vaticinii, ſagittandi peritiam habens, artem medicinæ percalluit, & cytharam invenit.*

ε In merce Mercurius.] *Ita dictum volunt à* mercibus *eo quòd negotiatoribus præeſſe exiſtimetur. Apud Plautum in Sticho:* Mercurio, qui me in mercimoniis juvit, lucriſque quadruplicavit rem meam: *ubi Lambinus:* Mercurius mercaturæ præeſt, & lucra adjuvat. *Ex quo* ἑρμαῖον κέρδος lucrum lucretum *vocat Arnob. l. 4. Ariſtoph. in Pluto*, ἐμπολαῖον, *id eſt*, quæſtus & lucri præſidem. *Luciano & Greg. Naz. in orat. in Julianum*, κερδῷος. *id eſt*, Lucroſus, ſeu conciliator lucri. *Arnob. l. 3. contra Gentes*, Mercurius quaſi quidem Medicurrius dictus, & quòd inter loquentes duos media currat & reciprocetur oratio, nominis hujus concinnata eſt qualitas.

ζ In Jano initiator.] *Non ab initiando, & ſacris imbuendo; ſed incipiendo, nam Jano principium omne dicatum eſt authore Servio quodam loco comment. in lib. 1. Æneid. Et à Jano diei & anni principium ducitur. Plut. in Rom. quæſt. Et Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 9. Et ei primus anni menſis dicatus, & introitus ædium eidem conſecrati, & in Deorum ſacris primus invocabatur. Arnob. lib. 3.* Quem (*Janum*) in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere Deorum ad audientiam creditis. *Ovid.*

Mox ego, cur quamvis aliorum Numina placem,
Jane tibi primùm thura, merumque ſero?
Ut poſſis aditum per me qui limina ſervo
Ad quoſcumque voſes (inquit) habere Deos.

η Liber in vineis, Ceres in frumentis.] *Tertull. in Apolog. cap. 11.* Inveniſſe dicuntur neceſſaria iſta vitæ, non inſtituiſſe: quod autem invenitur, fuit; Et quod fuit, non ejus deputabitur, qui invenit, ſed ejus qui inſtituit, erit enim antequam inveniretur. Cæterum ſi propterea Liber Deus, quod vitem demonſtravit, malè cum Lucullo actum eſt, qui primus ceraſa ex Ponto Italiæ promulgavit, quod non eſt propterea conſecratus, ut novæ frugis author, quia inventor & oſtenſor.

θ Diana in ſylvis.] *Horatio in carmine ſeculari dicitur*, Sylvarum potens Diana *Arnob. l. 3.* Venationum præpotens habeatur in expeditionibus Diana. *Xenophon ita auſpicatur*, κυνηγετικά, τὸ μὲν εὕρημα θεῶν Ἀπόλλωνος, καὶ Ἀρτέμιδος, ἄγραι καὶ κύνες. Venationes & canes inventum Deorum Apollinis & Dianæ.

ι Minerva in ingeniis.] *Præeſt enim ingeniis, & præterea artibus. Propert. lib. 3. ecloga 6.* Caſtæ Palladis artes *Ovid. l. 3. Faſt.* Qui bene placarit Pallada doctus erit.

erit. *Oppianus lib. 2. ἁλιέ.*] δοῦρα δὲ τεκτήνασθαι, ἀναστῆσαι τε μέλαθρα, φάρεά τ' ἀσκῆσαι μήλων εὐάνθεϊ καρπῷ Παλλὰς ἐπιχθονίους ἐδιδάξατο, *id eſt*, Ligna fabricari, & ædes excitare, & veſtes tenui filio, ſeu lana conficere Pallas homines docuit. *Homer. Odyſſ. η.* περὶ γὰρ σφίσι δῶκεν Ἀθήνη ἔργα τ' ἐπίστασθαι περικαλλέα, καὶ φρένας ἐσθλάς. Dedit eis Minerva pulchrorum operum ſcientiam, & bonam mentem.

κ Quaſi plebejorum Deorum.] *Id eſt, ignobilium, tenuium, vulgarium, infimi ordinis, quos ſupra minutos Deos appellavit. Populum Numinum vocat Arnob. lib. 4. contra Gentes.*

λ Ipſe præſit nomine Liberi virorum ſeminibus, & nomine Liberæ fœminarum.] *Infra lib. 6. cap. 9.* Liberum, *inquit*, à libramento appellari volunt, quòd mares in coeundo per ejus beneficium emiſſis ſeminibus liberentur, hoc idem dicant in fœminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quod & ipſam perhibeant ſemina emittere, & ob hoc Libero eamdem virilem corporis partem in templo poni, fœmineam Liberæ.

μ Ipſe ſit Dieſpiter.] *Quaſi* diei & lucis pater, *ut interpretatur Varro lib. 4. de ling. Lat. & Agell. lib. 5. c. 12. Arnob. lib. 4. Ipſe Juppiter Macrob. lib. 1. c. 15.* Ipſi quoque Romani Dieſpitrem Jovem appellant, ut diei patrem.

ν Dea Mena.] *Menſtruis mulierum fluoribus præeſſe putabatur, Jovis filia Luna credita, qua Græcis μήνη dicitur.*

ξ Ipſe Lucina, quæ à parturientibus invocetur.] *Lucinam quidam Junonem, alii Dianam eſſe volunt. Catull. in Seculari carmine ad Dianam:* Tu Lucina dolentibus, Juno dicta puerperis. *Cic. 2. de nat. Deor.* Luna, *inquit*, à lucendo nominata ſit, eadem enim eſt Lucina: Itaque ut apud Græcos Dianam, eamque luciferam, Sic apud noſtros Junonem Lucinam in pariendo invocant. *Tertull. lib. de anima cap. 39.* In partu Lucinæ & Dianæ ejulatur. *Et cap. 37. dicit ſuperſtitionem Romanam Deam finxiſſe Lucinam, quæ partum in lucem producat. Arnob. lib. 3.* Parturire alias tractu longo, & manus obſtetricis quærere, & inter omnia ſuppetias implorare Junonis Lucinæ. *Ibidem:* Parturiunt, pariunt, ut difficiles puerperiorum tricas Juno mulceat, corripiatque Lucina. *Poſtea:* Puerperis Juno præpoſita eſt, & auxiliatur genitricibus fœtis.

ο Et vocetur Opis.] Opitulius, *ſeu* opitulator *dicebatur Juppiter. Feſtus Pompejus.*

π Levet de terra, & vocetur Dea Levana.] *Moris fuit ut natus infans ab obſtetrice in terra ſtatueretur, ut ex Varrone docet Macrob.*

ρ Dea Cunina.] Deæ Cuninæ *meminit Lactant. lib. 1. cap. 20.* Quæ infantes in cunis tuetur, ac faſcinum ſubmovet.

σ Et vocantur Carmentes.] *Romani* Carmentes, *vel ſorores vel comites* Porrimam & Poſtuertam, *ut Deas coluerunt, & illis rem divinam faciebant. Ovid in Faſt. Agell. lib. 16. cap. 16. ſcribit, difficilis partus avertendi gratia aras ſtatutas fuiſſe Romæ duabus Carmentibus, quarum una Poſtverta nominata eſt, Proſa altera, à recti perverſique partus poteſtate, & nomine.*

τ Rumam dixerunt veteres mammam.] *Id notavit Nonius citans locum Catonis ex opere de liberis educandis:* Romani, *inquit*, priſco vocabulo rumam, mammam appellarunt, à quo ſubrumi etiam nunc dicuntur agni. *Hinc etiam* irrumare *dicebant antiqui pro* lactare , *quaſi* rumam in os inferre. *Plut. in quæſt. Rom. quæſt. 37.* Cur Ruminæ ſacrificantes mulieres lac victimæ invergunt, vinum non adhibent? An quia Ruma Latinis mammam ſignificat , & ruminalem ficum eam appellant, ad quam lupa mammam Romulo præbuit? Ergò Rumina, *id eſt*, lactantibus, ac nutricibus, & alendis pueris præfecta merum non admittit, quod eſt infantibus perницioſum.

υ In Diva Potina.] Potinam & Educam *nominat Deas præſides exiſtimatas edulis, & potionibus infantium.* Eduſam *ex Varrone legit Nonius. Alii* Edulicam *appellant. Donatus in Phormion. Terentii*, Edulicam, & Poticam *has Deas vocavit. Arnob. lib. 3. contra Gentes:* Victucam , & Potinam ſanctiſſimas victui potuique procurant.

φ Deus Conſus præbendo conſilia.] Conſi Dei conſilii *meminit Tertull. lib. de Spect. cap. 5. & lib. 1. contra Marcion. c. 19. Cyprian. lib. de Idol. vanit.* Conſus, quem Deum fraudis, velut conſiliorum Deum Romulus coli voluit, poſtquam in raptum fœminarum perfidia provenit. *Hiſtoriam refert Liv. lib. 1. Meminere & Dei Conſi Arnob. lib. 3. contra Gentes, & Minut. in Octa. Varro lib. 5. de ling. Lat.* Conſualia dicta à Conſo, quòd tum feriæ publicæ ei Deo , & in Circo ad aram ejus ab ſacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ.

χ Ipſe ſit Dea Juventas.] *Quæ alias* Hebe, *ut colligere licet ex Cic. lib. 1. de nat. Deor.* Ut Poetæ quidem nectar & ambroſiam epulis apparant, & aut Juventatem, aut Ganymedem pocula miniſtrantes , *Et Tuſcul. 1.* Non enim ambroſia, Deos, aut nectare, aut Juventate pocula miniſtrante lætari arbitror. *Pingebatur ab antiquis mulier formoſa, ætate Juvenili, veſtibus verſicoloribus , & floribus ornata. Dicitur &* Juventa *Ovid. lib. 1. de Triſtib.*

Nectar & Ambroſiam latices, epulasque Deorum,
Det mihi formoſa gnava Juventa manu.

Et Juventus *etiam interdum pro Dea capitur. Liv. lib. 46.* Juventutis ædem in Circo maximo C. Licinius Lucullus dedicavit.

ψ Poſt prætextam.] *Toga erat purpura prætexta , inſigne magiſtratuum: utebantur & pueri prætexta usque ad pubertatem, quo tempore ſumebant togam virilem, quæ &* pura *dicebatur. Et prætextati dicebantur usque ad 17. annum. à prætexta, quam induebant. De origine & uſu prætextæ , vide Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 6.*

ω Dea Virginenſis vocetur.] Virginenſis *Dea adhibebatur in nuptiis à Romanis, quæ virginali Zonæ ſolvendæ præerat , ut Græcis* λυσιζώνη *Diana. Ad hac alluſit Catull. cum ait:* Quòd Zonam ſolvit diu ligatam. Huic affines Perſica & Pertunda Dea. *De quib. Arnob. lib. 4.* Illa quidem , quæ obſcœnas illas & luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffenſa procedere. Hæc verò, quæ in cubiculis præſto eſt virginalem ſcrobem effodientibus maritis.

αα Ipſe ſit Mutinus, qui apud Græcos Priapus.] *Dei Mutini meminit Tertull. in Apo-*

in Apologet. cap. 25. ubi hunc locum D. Auguſtini Pammelius ex Feſto ſic reſtituendum putat: Ipſe ſit Mutinus Tutinus, qui eſt apud Græcos Priapus. *Arnob. lib. 4.* Etiamne Mutinus, cujus immanitatem pudendis, horrentique faſcino veſtras inequitare matronas, & auſpicabile dicitis & optatis? *Lactant. l. 1. cap. 20.* Et Mutinus in cujus ſinu pudendo nubentes reſident, ut Dearum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur.

ββ Prudentiore compendio.] *Compendium quævis brevitas, in qua tabulæ ineſt utilitas: ita compendium prudentius foret, ſi tot Deos in unum contraherent, tot Deorum loco, uni cultum exhiberent. Quod paulò infra dicit, iſto compendio poſſent in iſto uno omnibus ſupplicare. Quo ſenſu dixit Tertullian. lib. 4. contra Marcionem, cap. 1. compendiatum eſſe novum teſtamentum, id eſt in compendium contractum, & à legis laciniosis oneribus expeditum.*

γγ Turpi nuditate diſtentus præponeretur Priapus.] *Servius ad illud Virg. 4. Georg.*

Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.

Priapus, *inquit*, fuit de Lampſaco civitate Helleſponti, de qua pulſus propter virilis membri magnitudinem, poſt in numerum Deorum receptus meruit numē eſſe hortorum. *Strabo lib. 13. ſcribit à recentioribus relatum eſſe in cenſum Deorum, nec enim Heſiodus Priapum noverat. Arnob. lib. 3.* Helleſpontiacum Priapum inter Deas virgines atque matres circumferentem res illas præliorum ſemper in expeditione paratas.

Cap. XII.

De opinione eorum, qui Deum animam mundi, & mundum corpus Dei eſſe putaverunt.

Quid illud? Nónne debet movere acutos homines, vel qualeſcunque homines? Non enim ad hoc ingenii opus eſt excellentia, ut depoſito ſtudio contentionis attendant, α ſi mundi animus Deus eſt, eique animo mundus ut corpus eſt, ut ſit unum animal, conſtans ex animo & corpore: atque iſte Deus eſt ſinus *a* quidam naturæ in ſeipſo continens omnia: *b* β ut ex ipſius anima, qua vivificatur tota iſta moles, vitæ atque animæ cunctorum viventium *c* pro cujusque naſcentis ſorte ſumantur, nihil omnino remanere poſſe, quod non ſit pars Dei. γ Quod ſi ita eſt, quis non videat δ quanta impietas & irreligioſitas conſequatur: ut quod calcaverit quisque, ε partem Dei calcet: & in omni animante occidendo, pars Dei trucidetur? Nolo omnia dicere quæ poſſunt occurrere cogitantibus: dici autem ſine verecundia non poſſunt.

a Sinus quidam naturæ.] *Alibi: Sinu quodam naturæ. Sic Lucanus:* L. Vives.

Placido natura receptat

Cuncta ſinu.

b Ut ex ipſius anima qua vivificatur.] *Sententia Pythagorica, quam expreſſit Verg. 6. Æneidos:*

Principio cœlum & terras campósque liquentes,

Lu-

3. cap. 28. & 29. adcò ſtultam, & ridiculam Gentilium de Fortuna imperio, & divinitate ſententiam coarguit.

κ Quæ ita cæca eſt.] *Cic. in Lælio:* Non ipſa ſolùm Fortuna cæca eſt, ſed eos etiam plerumque cæcos efficit, quos complexa eſt. *Cebes Philoſophus, aliique veteres Fortunam cæcam finxêre furenti ſimilem, volubili ſaxo pendentem: quò ſignificarent, eam nihil ratione aut judicio, omnia temerè, & cæco impetu adminiſtrare, rerum humanarum aleam ſusque deque vertere, & verſatilem, & in ſola levitate conſtantem.*

λ Ut ſuos cultores plerumque prætereat.] *Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. obſervatum fuiſſe ſcribit, eos qui religioſè Fortunam colerent: magnis ſæpè incrementis auctos, qui verò minimo cultu, aut deſpectui habuiſſent, pluribus incommodis fuiſſe dehoneſtatos: Propterea Timotheus Cononis filius, quod Fortunæ ſucceſſus ſibi aſcribeberet, neque illi, ut par erat, gratiam referret, licet magnus Imperator de gradu dejectus, & infœlici pugna victus, atque in exilium actus fuit. Galba quoque qui Fortunam Tuſculanam torque fraudârat, illumque Capitolinæ Veneri dedicârat, in ſomniis Fortuna queri viſa eſt, quod ſe promiſſo fraudaſſet, brevi quoque erepturam quod dederat: interminata eſt, quod mox illius morte ſubſequutum fuit. De Timotheo refert Plut. in Apophtheg Impp. & Æmilius Probus in eodem: De Galba Sueton. in eodem cap. 18. hæ erant dæmonis artes.*

μ Ubi eſt ergò definitio illa Fortunæ.] *Quid Fortuna ſit, quomodo à caſu differat, videndus Ariſt. lib. 2. Phyſic. Plut. lib. 1. de Placit. Philoſ. cap. 29. & lib. de Fato. Plures item Fortunæ definitiones ex ſententia Philoſophorum, vide apud Lilium Gyraldum de Diis Gentium Syntag. 16.*

CAP. XIX.

De Fortuna muliebri.

TAntum ſanè huic, velut numini tribuunt, quam fortunam vocant, *a* ut ſimulachrum ejus, quod à matronis dedicatum eſt & α appellatum Fortuna muliebris, etiam locutum eſſe memoriæ commendarint, atque dixiſſe non β ſemel, ſed iterum: *b* quòd eam ritè matronæ dedicaverint. Quod quidem ſi verum ſit, mirari nos non oportet. Non enim malignis dæmonibus etiam ſic difficile eſt fallere, quorum artes atque verſutias hinc potius iſti advertere debuerunt, quod illa Dea locuta eſt, quæ fortuitu accidit, non quæ meritis venit. Fuit enim fortuna loquax, & muta fœlicitas, & ad quid aliud, niſi ut homines rectè vivere non curarent, conciliata ſibi fortuna, quæ illos ſine ullis bonis meritis faceret fortunatos? & certè ſi fortuna loquitur, non ſaltem mulieris, *c* γ ſed virilis potius loqueretur, *d* δ ut non ipſæ, quia ſimulachrum dedicaverunt, putarentur tantum miraculum muliebri loquacitate finxiſſe.

a UT ſimulachrum ejus quod à matronis.] *Anno poſt libertatem partam decimo octavo, Cùm Martius Coriolanus exul bellum intuliſſet patriæ, nec armis repelli poſſet, nec precibus flecti, lachrymis mulierum flexus eſt, templúmque exſtructum Fortunæ muliebri, via Latina ad quartum miliarium ab urbe, quod cùm dicaretur, bis locuta eſt imago. Prius ſic: Ritè me matronæ vidiſtis, ritéque dedicaſtis: Livius, &* L.Viv. Fortuna muliebri.

 Vale-

Valerius, & Plutarchus autores. Lactantius verò lib. 2. Fortunam muliebrem denunciaſſe periculum ſcribit, hoc eſt, haud dubiè, quod poſterius locuta eſt. Hujus fortunæ ſig[illegible]m nefas eſt attingi, niſi ab ea qua ſemel nupſit. Feſtus.

b Propter quod eam ritè.] *Propter, ſuperfluit, ideo expungendum.*

c Sed virilis potius.] *Cujus templum in ripa Tiberina, feſtum Calen. April. Ovidius quarto Faſtorum.*

d Ut non ipſæ quæ ſimulachrum.] *Major enim viris fides habetur, quàm mulieribus.*

F.L.Coq. *α* Appellatum Fortuna muliebris.] *Muliebris Fortunæ fanum Latina via IIII. ab urbe miliari, in quo loco Coriolanus matris precibus ſive Imperio adactus, ab urbis excidio ſe temperavit, Romæ conſecratum eſt & dedicatum anno ab V. C. 267. author eſt Liv. lib. 2. Dionyſ. lib. 8. Plut. in Coriolano. Val. lib. 5. cap. 2. Fortunæ muliebris meminit Tertull. lib. de Monogamia. cap. 17. ubi ait Fortunæ muliebri coronam imponere non niſi ...... à quo accepiſſe videtur D. Hieronym. lib. 1. contra Jovinianum ſub finem.*

β Non ſemel, ſed iterum; quòd eam ritè.] *Author Dionyſ. lib. 8. Plut. in Coriolano, & lib. de Fort. Rom. Liv. lib. 1. Lactant. lib. 2. cap. 8.*

γ Sed virilis potius.] *Romani fortunam maſculam, & fortunam muliebrem coluerunt, authore Plut. lib. de Fort. Rom. Apud Ovid. in 4. Faſt. de Fortuna virilis ſacris agitur. Primus Ancus Martius virilis Fortunæ templum dedicavit. Plutarch. ibidem.*

δ Ut non ipſæ.] *Quod major fides viris, quàm mulieribus habeatur.*

Cap. XX.

De virtute & fide, quas pagani templis & ſacris honoraverunt, prætermittentes alia bona, quæ ſimiliter colenda fuerunt, ſi rectè aliis divinitas tribuebatur.

a Virtutem *α* quoque Deam fecerunt: quæ quidem ſi Dea eſſet, multis fuerat præferenda. Et nunc quia *β* Dea non eſt, ſed donum Dei, ipſa ab illo impetretur, à quo ſolo dari poteſt: & omnis falſorum Deorum turba vaneſcit. *γ* Sed cur & Fides Dea credita eſt, & accepit etiam ipſa templum & altare: *δ* Quam quisquis prudenter agnoſcit, habitaculum illi ſeipſum facit. Unde autem ſciunt illi quid ſit Fides, cujus primum & maximum officium eſt, ut in verum credatur Deum? Sed cur non ſuffecerat Virtus? Nónne ibi eſt & Fides? *b* Quandoquidem *ε* virtutem in quatuor ſpecies diſtribuendam eſſe viderunt: prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam. Et quoniam iſtæ ſingulæ, ſpecies ſuas habent, *c* *ζ* in partibus juſtitiæ fides eſt: maximumque locum apud nos habet, quicunque ſcimus quid ſit, quòd juſtus ex fide vivit. Sed illos miror appetitores multitudinis Deorum, ſi fides dea eſt, quare aliis tam multis deabus injuriam fecerunt, prætermittendo eas, quibus ſimiliter ædes & aras dedicare potuerunt? Cur Temperantia dea eſſe non meruit, cùm ejus nomine *d* nonnulli Romani principes non parvam gloriam compararint? Cur denique Fortitudo dea non eſt, *e* quæ

aſſuit

affuit η Mutio, cùm dexteram porrexit in flammas: *f* θ quæ affuit Curtio, cùm ſe pro patria in abruptam terram præcipitem dedit: *g* ι quæ affuit Decio patri, *h* & Decio filio, κ cùm pro exercitu ſe voverunt? *i* Si tamen his omnibus vera inerat fortitudo, unde modò non agitur? Quare prudentia, quare ſapientia nulla numinum loca meruerunt? An quia in nomine generali ipſius virtutis omnes coluntur? Sic ergo poſſet & unus Deus coli, cujus partes cæteri dii putantur. Sed in illa una virtute & fides eſt, *k* λ & pudicitia, quæ tamen extra in ædibus propriis altaria meruerunt. Has deas non veritas, ſed vanitas fecit.

a VIrtutem quoque deam.] *Virtuti ædem voverat M. Marcellus in Gallia primo ſuo conſulatu. Eam filius ejus dicavit ad portam Capenam, Livius lib. XXIX. Alteram C. Marius exſtruxit Virtutis & Honoris ſubmiſſiorem, aliis, ne ſi fortè publicis auſpiciis officeret, augures eam demoliri juberent. Cicero ij. de leg. Colunto illa propter quæ datur homini aſcenſus in cœlum, mentem, virtutem, pietatem, fidem. Fidei ædes in Capitolio fuit, Plinius lib. XXXV. & Cic. iij. Offic. vicinam eam Jovi in Capitolio, jusjurandúmque ejus dicit eſſe ex Ennio & Catone in ij. de nat. Deorum. Fidem ab Attilio Calatino conſecratam ſcribit: Feſtus verò ante Romulum & Remum conſecratam ab Ænea in Palatio Fidem refert ex Agathocle, niſi ſit mendum in loco Ciceronis. Sic enim legitur: Ut fides, ut mens, quas in Capitolio dedicatas videmus: proximè à M. Scauro, antè autem ab Attilio Calatino erat Fides conſecrata. At Livius libro 23. Interea duûmviri creati ſunt, Q. Fabius Maximus, & Attilius Craſſus ædibus dedicandis: Menti Attilius, Fabius Veneri Erycinæ. Utraque in Capitolio eſt canali uno diſcretæ. Ita fieri poteſt, ut Ciceronis verba ſint intelligenda ad hunc modum: Mentem eſſe conſecratam proximè à M. Æmilio Scauro, cùm jam antè fuiſſet ab Attilio conſecrata. Dionyſius & Plutarchus Fidem à Numa eſſe ſacratam referunt, ſtatutumq; maximum jusjurandum.* L. Virtus. Fides. Mens Dea.

b Quandoquidem virtutem in quatuor ſpecies.] *Plato, Ariſtoteles, Cicero & alii.*

c In partibus juſtitiæ fides eſt.] *Cicero primo Offic. fundamentum juſtitiæ fidem vocat. Idem primo de nat. Deor. juſtitiam erga Deos pietatem eſſe dicit, cujus fides eſt pars. Speuſippus pietatem eodem modo finit.*

d Nonnulli Romani principes.] *Poſſunt huc afferri ex Valerio exempla de animi moderatione: de iis, qui ex inimicis juncti ſunt amicitia & neceſſitudine, de abſtinentia & continentia, de verecundia. Hæc enim omnia, ſicut Cicero primo Officiorum oſtendit, ſub temperantia continentur.*

e Quæ affuit Mutio.] *C. Mutius, cùm Porſenna obſideret urbem, ingreſſus ejus caſtra diſſimulato cultu, ferro ſub veſte tecto ſcribam regis obtruncavit, ratus ſe regem occidere. Cúmque juberet eum captum torqueri rex, ipſe in ignem ſacrificii, qui fortè haud procul erat, manum injecit, eámque tenuit immotam, quo uſque & admirationem & pavorem ſui regi incuteret.* C. Mutius.

f Quæ affuit Curtio.] *Lacum dicunt fuiſſe in foro Romano, qui poſtea ſtoratus eſt, ſolumque effectum, lacui Curtio fuit ad poſteros nomen. Sunt qui à Metio Curtio equite Sabino dictum putent: qui prælio inter Romulum & Sabinos equo illum* M. Curtius.

 trans-

tranſiarit. Alii à M. Curtio equite Romano, qui ſe in illum conjecit, quòd oraculum juſſerat immitti in illum id quo plurimum populus Romanus poſſet. Hæc Livius libro primo & ſeptimo ab Urbe condita. Varro tamen libro de lingua Latina tertio ſic inquit: Cornelius & Luctatius ſcribunt, eum locum eſſe fulguratum, & ex ſenatuſconſulto ſeptum eſſe, idq́; factum eſſe à Curtio Coſ. cui M. Genutius fuit collega Curtium appellatum.

Decius. *g* Quæ affuit Decio patri.] *Hic fuit homo de plebe, ſed magna gloria militari, & inſigni in patriam charitate, Coſ. cum T. Manlio Torquato bello Latino, cùm uterque Coſſ. per quietem vidiſſet ex altera acie Imperatorem deberi Diis manibus, ex altera exercitum, pacti inter ſe, ut ab utra parte exercitus pop. Rom. inciperet cedere, hujus partis Imperator ſe devoveret pro patria: quod cùm lævo cornu contigiſſet, cui Decius præerat, is ſe ſolenni carmine diis manibus pro legionibus Rom. devovit, in mediosque hoſtes, citato equo, immiſit. Livius lib. 8.*

h Et Decio filio.] *Hic fuit Coſ. iiij. cum Q. Fabio v. qui primus ex ea gente dictus eſt maximus bello Gallico, cumque ex cornu ſiniſtro, in quo erat Decius Imperator, terror & fuga fieri inciperet, Decius exemplum patris ſecutus, pro exercitu patria ſe devovit. Livius lib. x.*

i Si tamen his omnibus.] *Laurentius Valla in 2. de volup. perſon. Epicurei declamans, elevare nititur hæc Romanorum præclara facta: multaq́; affert rationes, non minus interdum veras, quàm argutas. qui ſcire cupierit petat ex eo. Liber eſt vulgaris, tametſi variè à vitriis editus. Credo Vallam ipſum fuiſſe in cauſa, qui diverſa reliquerit autographa.*

Pudicitiæ ſacella. *k* Et pudicitia.] *Erat ſacellum Pudicitiæ patritiæ in foro boario ad ædem rotundam Herculis. Livius lib. x. Quidam ſimulachrum hoc Fortunæ putant eſſe. Feſtus. Erat & plebeiæ pudicitiæ ædicula à Virginia ſtructa in vico longo, ſed quæ poſtremò in oblivionem venerit. Livius.*

V.L.cap *α* VIrtutem quoque Deam.] *Cic. 2. de legibus.* Benè verò, *inquit,* quod mens, pietas, virtus, fides conſecratur manu, quarum omnium Romæ dedicata publicè delubra ſunt, ut illas qui habeant (habent autem omnes boni) Deos ipſos in animis ſuis collocatos putent. *Virtutes (ait) non vitia conſecranda. In quem invehitur Lactant. lib. 1. cap. 20.*

β Dea non eſt, ſed donum Dei.] *Docet Plato in Menone: θείᾳ μοίρᾳ ἡμῖν φαίνεται παραγινομένη ἡ ἀρετὴ οἷς παραγίγνεται. D. Auguſt. lib. 2. de lib. arb. cap. 18. & 19. Virtutem definit,* Quod ſit bona qualitas mentis qua rectè vivitur, qua nemo malè utitur, quam Deus in nobis, ſine nobis operatur. *Quæ tamen definitio ſolis virtutibus divinitus infuſis convenit: Verùm utcumque virtus conſideretur, ſive divinitùs infuſa, ſive labore & induſtria parta, rectè donum Dei dicetur.*

γ Sed cur & Fides Dea credita eſt.] *De ſolemni fidei ſacro à Numa inſtituto, vide Liv. lib. 1. Dionyſ. lib. 2. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22. Ex Plin. lib. 35. & Cic. 3. offic. conſtat ædem fidei Capitolio vicinam fuiſſe. Et 2. de nat. Deor.* Tum autem res ipſa, in qua vis ineſt major aliqua, ſic appellatur, ut ea ipſa vis nominetur Deus, ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus, proximè à M. Æmilio

Scauro,

Scauro, antè autem ab Attilio erat Fides conſecrata. *Aræ fidei meminit Tertull. in Apolog. cap. 24. Et Clem. Alex. lib. 5. Stromat.*

δ Quam quiſquis prudenter agnoſcit.] *De fide, egregiè Philo lib. de Abrahamo ſub finem:* μόνον ἀψευδὲς δὲ βέβαιον ἀγαθὸν πίστις ἡ πρὸς τὸν θεὸν, πίστις παρηγόρημα βίου, πλήρωμα χρηστῶν ἐλπίδων, ἀφορία μὲν κακῶν, ἀγαθῶν τε φορὰ, κακοδαιμονίας ἀπόγνωσις, εὐσεβείας γνῶσις, εὐδαιμονίας κλῆρος, ἐν ἅπασι βελτίωσις ἐπαιρηρεισμένη τῷ πάντων αἰτίῳ, καὶ δυναμένῳ, μὲν πάντα, βουλομένῳ δὲ τὰ ἄριστα, *id eſt.* ſolum certum firmumque bonum eſt fides, qua Deo creditur, vitæ ſolatium, bonæ ſpei ſupplementum, depulſivum calamitatum, fœlicitatum conciliativum, ſuperſtitionis ablegatio, pietatis aſſertio, proſperitatis hæreditas, profectus in bonis omnibus fultis univerſorum auctore, qui poteſt omnia, vult tamen optima.

ε Virtutem in quatuor ſpecies.] *Hæc diviſio eſt Ariſtotelis, Platonis in Protagora, in Menone 4. de Repub. & 12. de legib. Cic. 1. offic. & aliorum. Ratio diviſionis eſt, quòd facultas appetens ſit triplex, voluntas, appetitus concupiſcendi, & appetitus iræ: Ita ad hias animi facultates in officio continendas, ornandasque, tres oportet dari morales virtutes, Juſtitiam in voluntate, temperantiam in appetitu concupiſcendi, fortitudinē in appetitu iræ, quibus jure prudentia annumeranda, licet ſit in intellectu, non in appetitu, earum enim regula eſt, & ad ejus normam, præſcriptionemque ſuos actus componunt appetitus, quoties ex illarum trium virtutum habitu operantur. Et dicuntur hæ quatuor virtutes cardinales, quo nomine eas appellant D. Ambroſ. in cap. 6. Lucæ, & D. Hieron. in cap. 1 Matt.* Propterea quòd ut fores cardinibus: ſic illis omnis moralis vitæ honeſtas, & ſanctitas fulciatur. *Per quatuor paradiſi flumina ſignificatas eſſe has quatuor virtutes volunt Philo l. 1. Alleg. D. Ambroſ. lib. de paradiſo cap. 3. & D. Gregor. l. 2. Moral. c. 36. & D. Hieron. epiſt. ad Fabiolam. Per quatuor ordines duodecim lapidum, qui erant in rationali ſummi ſacerdotis, ſibi enim hærent invicem, & dum mutuò miſcentur duodenarium efficiunt numerum.*

ζ In partibus juſtitiæ fides eſt.] *Non quidem in partibus ſubjectivis, ſed potentialibus juſtitiæ. De quibus inter cæteros D. Thom. 2. 2. quæſt. 80. Cic. 1. offic.* fundamentum juſtitiæ fides eſt, id eſt dictorum, conventorumque conſtantia, & veritas, *& dictam putat ab eo, quòd* fiat id quod dicitur, *De qua 2. offic.* nulla res vehementius Rempubl. continet, quàm fides.

η Quæ affuit Mutio.] *De fortitudine Mutii Plut. in Publicola, Liv. lib. 2. Dionyſ. lib. 5. Val. Max. lib. 3. cap. 3. eo adegit Regem Porſenam prementem tunc obſidione urbem, ut pacem cum Romanis componeret. Tertull. in Apolog. cap. 50.* Mutius dexteram ſuam libens in ara reliquit, ô ſublimitas animi! Nihil enim ſi conferatur cum fortitudine martyrum. *Et l. 1. ad Martyres cap. 4.* Mutius manum ſuam dextram in ara cremavit, ut hoc factum ejus fama haberet. *Et lib. de anima cap. 58.* Reſpice ad Mutii animum, cùm dexteram ſuam ignibus ſolvit. *Quantò Scævolæ fortitudini præſtet Chriſtianorum fortitudo oſtendit & Minut.* Vos ipſi, *inquit,* calamitoſos viros fertis in cœlum, Mutium Scævolam, qui cùm erraſſet in Regem, periiſſet in hoſtibus, niſi dexteram perdidiſſet. Et quot ex noſtris non dexteram, ſed totum corpus uri pertulerunt? viros cum Mutio, vel cum Attilio Re-

gulo comparo. Pueri, & mulierculæ noſtræ omnes ſuppliciorum terriculas inſpirata patientia doloris illudunt.

ϑ Quæ affuit Curtio.] *Adoleſcens hic nobilis fuit, qui ſe pro ſalute patriæ diis Manibus devovit, cum enim terra in medio foro ingenti hiatu deſediſſet, atque inde ex peſtilentiſſimis vaporibus multorum corpora inficerentur, eaque vorago nullo terræ ingeſtu expleri quiviſſet, reſponderunt vates, id quo Romanorum nomen poſſet, ipſi loco dicandum, ſi rem Romanam incolumem vellent. M. Curtius viris armiſque Romanos præſtare arbitratus, armatus conſcenſo equo ſine mora in ſpecum præcipitem ſe dedit; ſicque peſtis ſedata. Ab V. C. 395. Q. Servilio Hala, L. Geminio Coſſ. Liv. lib. 7. Val. lib. 5. cap. 6. Eutrop. lib. 2. cap. 1. Oroſ. lib. 3. cap. 5. Obſeq. de prodig. c. 20.*

ι Quæ affuit Decio patri, & Decio filio.] *De patre Liv. lib. 8. de filio lib. 10. Plin. lib. 22. cap. 5.* Tres Decii fuêre, qui ſe pro patria devoverunt; Pater bello Latino; filius bello Eruſco; Nepos bello, quod Pyrrhus geſſit pro Tarentinis. *Cic. 1. Tuſcul.* Si mors timeretur, non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruſcis filius, etiam cum Pyrrho nepos ſe hoſtium telis objeciſſent. *Idem 3. de nat. Deor.* Tu etiam Deciorum devotionibus placatos eſſe deos cenſes? quæ fuit eorum tanta iniquitas, ut placari populo Romano non poſſent, niſi viri tales occidiſſent? Conſilium illud Imperatorum fuit; quod Græci ϛρατήγημα appellant, ſed eorum Imperatorum, qui patriæ conſulerent, vitæ non parcerent? rebantur enim fore, ut exercitus Imperatorem equo incitato ſe in hoſtes immittentem perſequeretur, quod evenit.

κ Cùm pro exercitu ſe voverunt.] *Plin. lib. 28. cap. 2.* Durat immenſo exemplo Deciorum, Patris filiique, quo ſe vovêre, carmen, *quibus verbis, & quo ritu ſe pro legionibus Impp. devoverint, vide apud Livium lib. 8.*

λ Et pudicitia.] *Sacelli pudicitiæ patritiæ, & aræ pudicitiæ plebejæ meminit Liv. lib. 10.*

Cap. XXI.

Quòd unum non intelligentes Deum, virtute ſaltem & fœlicitate debuerunt eſſe contenti.

HÆc enim α veri Dei munera ſunt, non ipſæ ſunt deæ. Veruntamen ubi eſt virtus & fœlicitas, quid aliud quæritur? Quid ei ſufficit, cui virtus fœlicitaſque non ſufficit? Omnia quippe agenda complectitur virtus, β omnia optanda fœlicitas. Si Jupiter, ut hæc daret, ideo colebatur: quia ſi bonum aliquid eſt latitudo regni atque diuturnitas, ad eandem pertinet fœlicitatem, cur non intellectum eſt, dona Dei eſſe, non deas? Si autem putatæ ſunt deæ, ſaltem alia tanta deorum turba non quæreretur. Conſideratis enim officiis deorum dearumque omnium, quæ ſicut voluerunt pro ſua opinatione finxerunt: inveniant ſi poſſunt aliquid, quod ab aliquo Deo præſtari poſſit homini habenti virtutem, habenti fœlicitatem. Quid doctrinæ, *b* γ vel à Mercurio, vel à Minerva petendum eſſet, cùm virtus omnia ſecum haberet? *c* δ Ars quippe ipſa bene, rectèque vivendi virtus à veter. definita eſt. *d* Unde ab eo quod Græcè ἀρετὴ dicitur virtus,

Virtus ars benè rectèque vivendi.

tus, *e* nomen artis Latinos traduxiſſe putaverunt. *e* Sed ſi virtus non niſi ad ingenioſum poſſet venire, *f* quid opus erat ζ Deo Catio patre, *η* qui cautos, id eſt acutos faceret, cùm hoc poſſet conferre fœlicitas? Ingenioſum quippe naſci, fœlicitatis eſt. Unde etiam ſi non potuit à nondum nato coli dea Fœlicitas, ut hoc ei conciliata donaret, conferret hoc parentibus ejus cultoribus ſuis, ut eis ingenioſi filii naſcerentur. Quid opus erat parturientibus invocare Lucinam, cùm ſi adeſſet Fœlicitas, non ſolùm bene parerent, ſed etiam bonos? Quid neceſſe erat, Opi deæ commendare naſcentes, deo Vaticano vagientes, deæ Cuninæ jacentes, deæ Ruminæ ſugentes, deo Statilino ſtantes, deæ Adeonæ adeuntes, Abeonæ abeuntes, *g θ* deæ Menti ut bonam haberent mentem, deo Volumno & deæ Volumnæ ut bona vellent: *h ι* diis nuptialibus ut bene conjugarentur: diis agreſtibus ut fructus uberrimos caperent, *i* & maximè ipſi divæ Fructeſeæ: Marti & Bellonæ ut bene belligerarent: deæ Victoriæ ut vincerent: deo Honorino ut honorarentur: *k* deæ *κ* Pecuniæ ut pecunioſi eſſent: deo Æſculano & filio ejus Argentino, ut habeant æream argenteamque pecuniam? *l* Nam ideo patrem Argentini Æſculanum poſuerunt, *m λ* quia prius ærea pecunia in uſu eſſe cœpit, pòſt argentea. Miror autem, quòd Argentinus non genuit Aurinum, quia & aurea ſubſecuta eſt. Quem deum iſti ſi haberent, ſicut Saturno Jovem, ita & patri Argentino, & avo Æſculano, Aurinum præponerent. Quid ergo erat neceſſe propter hæc bona, vel animi, vel corporis, vel externa, tantam deorum turbam colere & invocare: quos neque omnes commemoravi, nec ſi potuerunt omnibus humanis bonis minutatim ſingulatimque digeſtis, & deos minutos & ſingulos providere: cùm poſſet magno facilique compendio una dea Fœlicitas cuncta conferre: nec ſolum ad bona capienda quiſquam alius, ſed neque ad depellenda mala quæreretur? Cur enim eſſet invocanda propter feſſos diva Feſſonia, propter *μ* hoſtes depellendos diva Pellonia, propter ægros medicus vel Apollo, vel Æſculapius, vel ambo ſimul quando eſſet grande periculum? Nec deus Spinienſis, ut ſpinas ex agris eradicaret: *n ν* nec dea Rubigo, ut non accederet, rogaretur: una Fœlicitate præſente & tuente, vel nulla mala exorirentur, vel facillimè pellerentur. Poſtremò quoniam de duabus iſtis Deabus Virtute & Fœlicitate tractamus, ſi fœlicitas virtutis eſt præmium, non dea, ſed Dei donum eſt. Si autem dea eſt, cur non dicatur, & virtutem ipſa conferre, quandoquidem virtutem conſequi fœlicitas magna eſt?

a OMnia obtinenda.] *Legendum Optanda. ex veteribus libris.* L. Vives.

b Vel à Mercurio, vel à Minerva.] *Mercurius præeſt eloquentiæ, Minerva artibus & ingeniis.*

c Ars quippe ipſa bene.] *Antiqui omnes virtutes appellarunt artes atque ſcientias bene agendi: tum etiam, quod idem eſt, prudentias, ut in Memnone Plato: nec minus eſt ars habitus, quo rectè & benè vivendò ſumus imbuti, & rectè benéque vivimus, quàm quo vel fidibus canimus, vel palæſtram exercemus, vel gladium fabricamur, aut veſtem ſuimus. Verùm iſti nihil intelligunt, niſi vocabulis illis dicatur,* Virtus.

qui-

quibus in ſchola aſſueverunt. Quod ſi aliis dicas, etiam ſi idem valentibus: jam ibi hærent, nihil intelligunt, omnia abſurda, parumque rectè poſſunt eſſe dicta.

d Unde ab eo quod Græcè.] *Donatus in Andriam Terentii,* ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, *per ſyncopen vult eſſe artem derivatam.*

e Sed ſi virtus non niſi ad ingenioſum.] *Equidem craſſo ingenio hominem non negaverim bonum eſſe poſſe, & ſunt profectò tales non pauci: ſed illa eximia & ex perfectiſſima nota virtus, non temerè, niſi in ingenioſo invenitur. Tardis mentibus, inquit in Tuſc. Cicero, virtus non facilè committitur.*

Ars. *f* Quid opus erat deo Cautio.] *In antiquis libris ſcribitur, deo Catio patre, qui Catos, id eſt, acutos faceret. Veteres catos vocabant prudentes, ingenioſos, induſtrios, quaſi cautos. hinc Portius ille ſapientiſſimus homo Cato cognominatus.*

g Deæ Menti.] *Ædes Menti vota eſt poſt pugnam ad lacum Thraſimenum. Livius lib. 22. dicata tribus annis poſt ab Attilio, duumviro in id creato. In Capitolio fuit ædes Veneri Erycinæ conjuncta, ut antè jam dixi. Sacrata eſt etiam à M. Æmilio Scauro bello Cymbrico. Feſtum ejus ſeptimo Idus Junii. Ovidius.*

Dii nuptiales. *h* Diis nuptialibus.] *Plutarch. in Problematis, quinque deos precari illos qui matrimonio conjunguntur, ſcribit: Jovem adultum, Junonem adultam, Venerem, Leporem, & in primis Dianam: ideo quinque cereos nuptiis accendi morem eſſe, nec pauciores, nec plures. Non eſt autem Lepos epithethon Veneris, ut de Suadela putavit Acron, ſed eſt potius dea per ſe* πειθὼ, *quam vocat Quintilianus perſuadendi deam. Porrò eſt &* Hymenæus. *Hymenæus præcipuus, qui in nuptiis identidem invocabatur, ſicut apud Catullum. Hunc Servius primo Æneid. ſcribit, virum fuiſſe Athenienſem, qui inter bella ſæviſſima virgines liberavit: propterea nomen ejus in nuptiis invocatur, quaſi liberatoris virginitatis. Martianus hunc Bacchi & Calliopeiæ filium dicit.*

i Et maximè ipſi divæ fruges.] *In libris manuſcriptis: Ipſi divæ Fructeſeæ.*

k Deæ pecuniæ.] *Juvenalis Satyra prima ſignificat, huic deæ nec templum eſſe erectum, nec aram, ait enim:*

Et ſi funeſta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Niſi fortè ignoravit poeta, eam eſſe deam. nam Varro ſcripſit etiam doctis multos deos ſacra & ceremonias eſſe occultas.

l Nam ideo patrem.] *Alibi ſic: Nam deum Æſculanum ideo Argentino præpoſuerunt.*

m Quia prius ærea pecunia.] *Plin. lib. 33. Argentum ſignatum eſt anno urbis conditæ quingenteſimo octogeſimo quinto, Q. Fabio Coſ. quinque annis ante primum bellum Punicum: ubi pro quingenteſimo legendum eſt quadringenteſimo. Primum enim Punicum bellum cœpit Appio Claudio Caci fratre, & Q. Fulvio Coſſ. anno V. C. quadringenteſimo nonageſimo. Eutropius in ipſo bello Punico percuſſum dicit, ſed digerendis temporibus fallitur, ut ſæpe. Verùm de hac ratione temporum jam ſum ſuperiore locutus libro. Notæ argenti fuerunt bigæ & quadrigæ, unde bigati & quadrigati. nam victoriati percuſſi ſunt paulum ante bellum ſociale ære admiſto. Aureus nummus bello Punico ſecundo percuſſus lxij annis poſtquàm argenteus.*

n Nec

n Nec dea Rubigo.] *Rubigo eſt ros putrefactus, fruges teneras corrumpens & friens. Ad aurorum ſolet id vitium ſegetibus accidere, ſilente cœlo ſicut ait Plinius, ſereniſq; noctibus, nullo ſentiente, niſi cùm factum eſt, in convallibus & locis, perflatum non habentibus. Nam ventoſa & celſa huic incommodo non ſunt ita obnoxia. Idem: Rubigalia Numa conſtituit anno regni ſui undecimo, quæ nunc aguntur ad ſeptimum Cal. Maji: quoniam tunc ferè ſegetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro determinat ſole tauri partem decimam obtinente, ſicut tunc ferebat ratio: ſed vera cauſa eſt, quod poſt dies undeviginti ab æquinoctio verno per id quatriduum varia gentium obſervatione in iiij. Cal. Maji canis occidit, ſydus & per ſe vehemens, & cui præoccidere caniculam neceſſe ſit. Hæc ille. Porrò canis Rubigini mactabatur. Ovid. 4. Faſtorum. Varro in 1. lib. Rerum ruſticarum deum facit Robigum, quem cum dea Flora conjungit, in illis ſex deorum dearumq; paribus, quos initio invocat. Et Robigum dicit vetere more: nam quaſi rodigus vocatur, à rodendo. Rubigo propriè genus eſt vitii obſcœnæ libidinis, quod hulcus dicitur. Eſt & in ferro rubigo ex ſitu & nimia quiete, unde etiam in ſegetibus gignitur.* Rubigo. Robigus.

a VEri Dei munera ſunt.] *Jacob. 1.* Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. *Et:* Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo. *Senecæ epiſt. 41.* Bonus vir ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra Fortunam, niſi ab illo adjutus, exſurgere? Ille dat conſilia magnifica & erecta. *Niſi fortaſſe Seneca Stoico more Deum non ſupremum Numen, verùm ſuperiorem animæ noſtræ partem τὸ ἡγεμονικὸν intelligat, ut ex eadem epiſtola colligi poſſe videtur. Stulta enim, imò impia Stoicorum ſententia, qui virtutem, bonam mentem, rationem perfectam divinitùs dari negabant: dari quidem divinitùs opes, imperia, vires corporis, ſed virtutem & æquam mentem, ſibi quemque ſuis viribus parare. quâ etiam dementia imbutus Horatius hæc ceciniſſe videtur.* F.L.Coq.

Hæc ſatis eſt orare Jovem, qui donat & aufert,
Det vitam, det opes; æquum mihi animum ipſe parabo.

Longe melius Plato, qui in Menone virtutem, quibus accedit, non niſi divino numine accedere ſcripſit.

β Omnia optanda fœlicitas.] *Beatitudinem, quæ & fœlicitas, definit Boëtius ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum. Philo lib. quod deterius potiori inſidietur:* Καθάπερ μήτε πῦρ, μήτε γῆν, μήτε τι τῶν τεττάρων, ἐξ ὧν ἐδημιουργήθη τὸ πᾶν, κόσμον εἶναι, τὴν δὲ τῶν στοιχείων εἰς ταυτὸν σύνοδόν τε καὶ κρᾶσιν τὸν αὐτὸν τρόπον, καὶ τὸ εὐδαιμον, μήτε ἐν τοῖς ἐκτὸς ἰδίᾳ, μήτε ἐν τοῖς περὶ σῶμα, μήτε ἐν τοῖς περὶ ψυχὴν καθ' αὐτὰ ἐξετάζεσθαι: τῶν γὰρ εἰρημένων ἕκαστον μερῶν τινα καὶ στοιχείων λόγον ἔχει: ἀλλὰ κατὰ τὸ ἐκ πάντων ἄθροισμα. *id eſt,* Sicut nec ignis, nec terra, nec unum aliquod ex quatuor, ex quibus conſtat hæc rerum univerſitas, mundus eſt, ſed elementorum in unum congreſſus, & contemperatio: Pari modo fœlicitatem nec in externis bonis propriè, nec in corporis, nec in animæ, ſeorſum examinari; hæc enim ſingula velut partes quædam & elementa ſunt, ſed in omnium ſimul congerie.

γ Vel à Mercurio, vel à Minerva.] *Mercurius præeſt eloquentiæ, Minerva ſapientiæ*

entia. Act. 14. Lyſtris civitate Lycaoniæ vocabant Gentiles Paulum; Mercurium, quoniam ipſe dux erat verbi. De quo videri poteſt & Plato in Cratylo. Turneb. lib. 8. adverſ. cap. 24. ad vocem Hermathena, quæ habetur apud Cic. lib. 1. epiſt. 2. ad Atticum: Signum erat, *inquit*, in una baſi commune Mercurio & Minervæ. *Poſuit autem ſignum iſtud Cicero in gymnaſio ſuo, id eſt, in Academia villæ ſuæ Tuſculanæ: Propterea quod Mercurius Deus eſt omnium gymnaſiorum communis, tam eorum, quæ animi ſunt, quàm eorum, quæ corporis. Minerva autem ſingularis & propria erat gymnaſii, quod inſtituerat ad cultum animi tantùm; & ad diſputationes commemorationesque de Philoſophiæ ſtudiis, cum liberalium artium præſes ſit.*

δ Ars quippe ipſa bene, recteque vivendi.] *Ita definiunt aliquando Plato & Plut. lib. de virtute morali.* Stoici *(ut refert Laërtius in vita Zenonis)* virtutem definierunt eſſe rectam ac conſtantem rationem, ut vitium, rationem depravatam ac perverſam. *Etſi multipliciter ac variè Philoſophi virtutem definierint, quæ tamen eſt Ariſt. lib. 2. Ethic. cap. 6. apud omnes jam verè obtinuit, ut quæ accuratè virtutis rationem complectatur, Quòd ſit* habitus electivus in mediocritate poſitus, prout vir prudens definierit. *Dicitur* habitus, *quia beneficio illius promptè & expeditè agimus;* Electivus, *ut eo diſtinguantur à cæteris morales virtutes;* In mediocritate poſitus, *quo diſtinguantur virtutes à vitiis, quæ etſi habitus ſunt, quibus eligimus, non tamen in mediocritate, ſed in extremo ſunt poſita;* Prout vir prudens definierit. *ut intelligatur, hanc mediocritatem pendere à prudentia, cujus officium eſt medium rationis ſingulis virtutibus præſcribere, quod amplecti poſſit.*

ε Nomen artis Latinos traduxiſſe.] *Donatus in Andriam Terentii; & Iſidorus lib. 1. Orig. cap. 1.*

ζ Deo Catio patre.] *Sunt qui* Cautium *legant, quo ſcil.* cautos *homines faceret.*

η Qui catos, id eſt acutos.] *Ita Varro lib. 6. de ling. Lat. interpretatur* cata *apud Ennium, id eſt,* acuta: Hoc enim, *inquit*, verbo Sabini dicunt, quare catus Ælius Sextus non (ut ajunt) ſapiens, ſed acutus. *Cic. 1. de legib. prudentem videtur interpretari:* Quis igitur prudentem, & ut ita dicam, catum non ex ipſius habitu, *&c. Plautus in Moſtellaria:* Miror tam catam, tam doctam te. *id eſt, ſolertem, acutam, & prudentem. Apud eundem in Epidico:* Dederim conſilium catum, *id eſt, cordatum, prudens, & acutum. Horatio lib. 1. carm. ode 10. Mercurius* catus *dicitur, id eſt, prudens, cautus, callidus. Donatus in Andriam Terentii,* Cantum *exponit callidum, doctum & ardentem παρὰ τὸ καίειν. Servius in 1. Æneid. ingenioſum. Plin. lib. 7. cap. 31. ſcribit apud Romanos catos fuiſſe cognominatos, qui animi bonis cæteros mortales ſapientia præſtitiſſent, ut hinc intelligas contra Varronis ſententiam, & ſapientes catos dici.*

ϑ Deæ Menti ut bonam haberent mentem.] *Ædes Menti vota eſt ad pugnam ad lacum Thraſimenum. Liv. lib. 22. Dicata triennio poſt ab Attilio duumviro ob id creato. Ovid. in Faſt.*

Mens quoque numen habet, Menti delubra videmus
Vota, metu belli perfide, Pœne, tui.

Cic. 2. de legib. Menti, virtuti, pietati, fidei dedicata publicè templa. *Et 2.*

de nat

de nat. Deor. ait à M. Æmilio Scauro dedicatam Mentem. Lactant. lib. 1. cap. 20. Eadem vanitate Mentem inter Deos collocavit Senatus, quam profectò ſi habuiſſet, ejusmodi ſacra nunquam ſuſcepiſſet.

ι Diis nuptialibus ut bene conjugarentur.] *Quosdam Deos eſſe nuptiarum præſides cenſebant veteres. Et in nuptiis quinque Deos precari ſolitos ſcribit Plut. in problem. 2. & Alex. ab Alex. l. 2. cap. 5. ut novis nuptis volentes & propitii adeſſent, & prolem fœcundarent, Jovem adultum, Junonem adultam, Venerem, Dianam, & Suadelam. Juno quod nuptiis praeſſe crederetur, pronuba dicitur Virg. 4. Æneid. Hymeneus etiam Deus nuptiarum putatus eſt à Græcis, ut Thalaſius à Romanis.*

κ Deæ pecuniæ.] *Nullam ædem aut aram pecuniæ fuiſſe conſecratam Romæ videtur docere Juvenal. Saty. 1.*

Et ſi funeſta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Conſtat tamen, pecuniam in deorum numerum repoſitam fuiſſe, vel Arnobio auctore, ſic enim ſcribit lib. 4. Quis ad extremum Deam pecuniam eſſe credat, quam velut maximum numen veſtræ indicant litteræ: donare annulos aureos, loca in ludis atque in ſpectaculis priora, honorum ſuggeſtus ſummos, amplitudinem magiſtratus, & quod maximè pigri amant, ſecurum per opulentias otium?

λ Priùs ærea pecuniæ.] *Iſid. lib. 6. Orig. cap. 17.* Antiquiſſimi nondum auro, argentoque invento, ære utebantur. Nam prius ærea pecunia in uſu fuit, poſtea argentea, deinde aurea ſubſecuta fuit, ſed ab ea, qua cœpit, nomen retinuit. unde & ærarium dictum, quia prius æs tantùm in uſu fuit, & ipſum ſolùm recondebatur, auro argentoque nondum ſignato, ex quorum metallis, quamvis poſtea facta fuiſſet pecunia, nomen tamen ærarii permanſit, ab eo metallo, unde initium ſumpſit. *Ibidem ſcribit, à Saturno primum æreum nummum inventum eſſe. Ipſe enim ſignari nummos & ſcribi conſtituit, propterea, & ærarium Saturno à Gentilibus conſecratum eſſe. Plin. etiam lib. 33. cap. 3. ſcribit Romanos primum ærea pecunia, poſt argentea, ac demum aliquot poſt annis lapſis aurea uſos fuiſſe. Servius Tullius Romanorum Rex VI. æreos nummos Romæ primus percuſſit. Argentea pecunia Romæ primùm ſignata eſt, quinque annis ante primum bellum Punicum, anno ab V. C. 585. Q. Fabio Coſſ. ut ſcribit idem Plin. ubi numerus annorum manifeſtum habet errorem: detrahendi enim ſunt centum anni, & legendum apud Plin. anno ab V. C. 484. In eum enim annum incidit Conſulatus Q. Fabii Maximi Pictoris, & L. Quintii Gulonis, ut conſtat ex chronologia Glareani, qui etiam hujus erroris monitos nos eſſe voluit. Et certè ex Polybio lib. 1. Solino lib. 1. cap. 2. Agellio lib. 17. cap. 21. primum bellum Punicum conſtat initium habuiſſe anno ab V. C. 489. Itaque primus apud Romanos nummi argentei uſus contigit annis ante Chriſti natale 274. Ante Romam conditam multis annis penes alias Gentes fuiſſe uſum numiſmatum conſtat ex Ariſt. in polit. Platone, & aliis, præſertim Strabone lib. 8. Plut. in Lyſandro, Pauſania in Laconicis, Polydoro Virgilio de Invent. rerum cap. 20. Georgio Agricola de pretio metallorum & monetis, Cœlio lib. 10. Antiqu. lect. cap. 2. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 15. Covarruvia, tract. de veterum collatione numiſmatum, cum his quæ modo expendun-* tur.

tur. Apud Hebræos & Ægyptios antiquiſſimum eſſe uſum argentei numiſmatis, conſtat ex ſacris literis.

μ Propter hoſtes depellendos Diva Pellonia.] *Arnob. lib. 4.* pellendorum hoſtium Dea potens Pellonia eſt.

ν Nec Dea Rubigo.] *Rubigo dea erat apud Romanos, quæ avertendæ rubiginis cauſa colebatur.* Eſt autem *rubigo* ſegetum morbus, quo ſpicæ torrentur, friatileſque redduntur. *Et Robigalia 7. Kal. Majas celebrari ſolebant, quibus Robigo Deo ſacra fiebant, ſive Rubigini Deæ, ut robiginem, ſive ut hodie uſitatius loquimur, rubiginem à ſegetibus averteret. Varro lib. 1. de re Ruſtica, cap. 1.* Quarto Rubiginem & Floram, quibus propitiis neque rubigo frumenta, neque arbores corrumpit, neque non tempeſtivè florent. *Itaque publicæ Robigo feriæ Robigalia, Floræ ludi Floralia, conſtituti. Plin. lib. 18. cap. 29.* *Tria tempora fructibus metuebant, propter quod inſtituerunt ferias, dieſque feſtos, Rubigalia, Floralia, Vinalia. Rubigalia Numa conſtituit anno undecimo regni ſui, quæ nunc aguntur ad 7. Cal. Maji, quoniam tunc fere rubigo ſegetes occupat. Robiginis Deæ meminit Tertull. lib. de ſpect. cap. 5. & Lactant. lib. 1. cap. 20. Huic Deæ canis immolabatur. Ovid. lib. 4. faſt.*

Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.

Cap. XXII.

De ſcientia colendorum Deorum, quam à ſe Varro gloriatur collatam eſſe Romanis.

QUid ergo eſt quod pro ingenti beneficio Varro jactat præſtare ſe civibus ſuis: quia non ſolùm commemorat deos, quos coli oporteat à Romanis; verum etiam α dicit, quid ad quemque pertineat? Quomodo nihil prodeſt, inquit, homines alicujus medici nomen formamque noſſe, & quid ſit medicus ignorare: ita dicit, nihil prodeſſe, ſcire Deum eſſe Æſculapium, ſi neſcias, eum valetudini opitulari: atque ita ignores, cur ei debeas ſupplicare, hoc etiam affirmat alia ſimilitudine, dicens: Non modò bene vivere, ſed vivere omnino neminem poſſe, ſi ignoret quiſnam ſit faber, quis pictor, quis tector, à quo quid utenſile petere poſſit, quem adjutorem aſſumere, quem ducem, quem doctorem. Eo modo nulli dubium eſſe aſſerens, ita eſſe utilem cogitationem deorum, ſi ſciatur, quam quiſque Deus vim & facultatem aut poteſtatem cujuſque rei habeat. Ex eo enim poterimus, inquit, ſcire β quem cujuſque rei cauſa Deum advocare atque invocare debeamus, ne faciamus *a* γ ut mimi ſolent, & optemus à δ Libero aquam, *b* à Lymphis vinum. Magna ſanè utilitas. Quis non huic gratias ageret, ε ſi vera monſtraret: & ſi unum verum Deum, à quo eſſent omnia bona, hominibus colendum doceret?

L. Vives. *a* UT mimi ſolent.] *Movendi riſus gratia.*

Nympharum genera. *b* A Lymphis vinum.] *Lympha eſt omnis humor. Nymphæ præſunt omni generi humorum: ſunt enim maris, quæ Nereidis dicuntur, filiæ Nerei: fontium, quæ Najades: humoris herbarum & florum, quæ Napeæ: humoris arborum, quæ Dryades & Hama-*

Hamadryades: humoris montium, quæ Oreades. Nymphæ, Tethidis & Oceani filiæ ſunt ter mille: Heſiodus in Theogonia.

α DIcit, quid ad quemque pertineat.] *Ita Cic. Varronem commendat lib. 1. Academ. Quæſt.* Tu ſacrorum jura, tu ſacerdotum, tu domeſticam diſciplinam, tu ſedem regionum, locorum, tu omnium divinarum, humanarumque rerum nomina genera, officia, cauſas aperuiſti. F. L. Coq.

β Quem cujusque rei cauſa Deum advocare, atque invocare.] *Maximè cavebant Romani cum in omnibus aliis vitæ officiis, tum in conſtituendis religionibus, atque in diis immortalibus animadvertendis caſtiſſimi cautiſſimique, ne alium Deum pro alio nominando falſa religione populum alligarent. Inde cum non compertum eſſet, cui Deo rem divinam fieri oporteret, cùm terra movetur, ubi ejus rei cauſa ferias edicto imperabant, Dei nomen, ita uti ſolet, cui ſervari ferias oporteret, ſtatuere & edicere quieſcebant: eas ferias ſi quis polluiſſet, piaculoque ob hanc rem opus eſſet, hoſtiam ſi Deo, ſi deæ immolabat. Idque ita ex decreto Pontificum obſervatum eſſe, M. Varro dicit, quoniam & qua vi, & per quem deorum dearum ve terra tremeret, incertum eſſet. Agell. lib. 2. cap. 28. Hinc ſolemnis vox in precibus:* Sive Deus, ſive dea es. *Auctore Arnob. lib. 3. contra Gentes, quò ſpectat & illud Plutarchi in quæſt. Rom. 61.* Διὰ τί τὸν θεὸν ἐκεῖνον, ᾧ μάλιστα τὴν Ῥώμην σώζειν προσήκει, καὶ φυλάττειν, εἴτε ἐστὶν ἄῤῥην, εἴτε θέλεια, καὶ λέγειν ἀπείρηται, καὶ ζητεῖν, καὶ ὀνομάζειν. *Aliàs eos precatos legimus:* Si Deus, ſi dea eſt, *ut conſtat ex Macrob. lib. 3. Satur. cap. 9. & ex Liv. lib. 8. cùm ſcribit: precatus inde* ſi divus, ſi diva eſſet. *Atque de deorum nomine, quos invocabant, dubitantes dicere ſolebant:* quisquis es. *Sic Plaut. Rud. act. 1. ſcen. 4.* Nunc ait: quisquis es Deus veneror. *Virg. 4. Æneid.* Sequimur te ſancte Deorum, quisquis es. *Quæ obſervata à Briſſonio lib. 1. de formulis.*

γ Ut mimi ſolent.] *Quibus hoc unum ſtudium, ut ſpectatoribus vacuis riſus poſſit atque hilaritas excitari. Arnob. lib. 4.* dicti *(ait Iſid. lib. 17. Orig. cap. ult.)* Græca appellatione, quod rerum humanarum ſint imitatores.

δ A Libero aquam, à Lymphis vinum.] *Liber, Bacchus, & Dionyſius appellatus, ad quem vini inventionem referunt; ita dictus à* liberando, *vel quòd vinum curas ſolvat, & mentem ab illis liberet, ſeu quòd vino uſi liberè loquantur. Seneca lib. de tranquillitate vitæ Liberum appellatum eſſe dicit, non ob licentiam linguæ, ſed quia liberat ſervitio curarum animum, & triſtitiæ medetur. Varro à* libendo *deducit,* quòd libera mens ebrii, quò jubet, prolabatur. πολυσάφυλος *Homero, Pindaro,* δημήτριος πάρεδρος *dicitur.*

ε Si vera monſtraret.] *Verùm id non potuit niſi edoctus à Deo, ut Moyſes, qui filios Iſrael, quibus cæremoniis, & quo ritu Deus ab illis coli vellet, edocuit, & Chriſtus ipſe veram religionem ac ceremonias inſtituit, quibus à nobis in Eccleſia coleretur: Etſi enim ut Dei notitia, ita religio ſit homini naturaliter inſita, & ut ſcribit Plin. lib. 14. nat. hiſt. cap. 19.* religione vita conſtet, *non tamen vera & ſacra religio, cujus obſervatione multa apud Deum promeremur.*

Cap. XXIII.

De Fœlicitate, quam Romani multorum veneratores Deorum diu non coluerunt honore divino, cùm pro omnibus ſola ſufficeret.

SEd unde nunc agitur, ſi libri & ſacra eorum vera ſunt, & Fœlicitas Dea eſt, cur non ipſa una quæ coleretur conſtituta eſt, quæ poſſet univerſa conferre & compendio facere fœlicem? Quis enim optat aliquid propter aliud, quàm ut fœlix fiat? Cur denique *a* tam *α* ſerò huic tantæ deæ poſt tot Romanos principes *b* Lucullus ædem conſtituit? Cur ipſe Romulus fœlicem cupiens condere civitatem, non huic templum potiſſimum ſtruxit, nec propter aliquid diis cæteris ſupplicavit, quando nihil deeſſet, ſi hæc adeſſet? Nam & ipſe nec prius rex, nec, ut putant, poſtea Deus fieret, *β* ſi hanc deam propitiam non haberet. Ut quid ergo Romulus conſtituit Romanis deos, Janum, Jovem, Martem, *c γ* Picum, *d* Faunum, *e* Tiberinum, Herculem: & ſi quos alios? Ut quid Titus Tatius addidit Saturnum, Opem, Solem, Lunam, Vulcanum, *f* Lucem, & quoscunque alios addidit, inter quos etiam deam Cloacinam Fœlicitate neglecta? Ut quid Numa tot deos, & tot deas ſine iſta? An eam fortè in tanta turba videre non potuit? *g δ* Hoſtilius certè rex deos & ipſe novos Pavorem atque Pallorem propitiandos non introduceret, ſi deam iſtam noſſet & coleret. Præſente quippe Fœlicitate, omnis pavor & pallor non propitiatus abſcederet, ſed pulſus aufugeret. Deinde quid eſt hoc, quòd jam Romanum imperium longè latèque creſcebat, & adhuc nemo Fœlicitatem colebat? An ideo grandius imperium, quàm fœlicius fuit? Nam quomodo ibi eſſet vera fœlicitas, ubi vera non erat pietas? *h ε* Pietas enim eſt verax veri Dei cultus, non cultus falſorum tot deorum, quot dæmoniorum. Sed & poſtea jam in deorum numerum Fœlicitate ſuſcepta, magna bellorum civilium infœlicitas ſubſecuta eſt. An fortè juſtè eſt indignata Fœlicitas, quòd & tam ſerò & non ad honorem, ſed ad contumeliam potius invitata eſt, ut cum ea coleretur Priapus, & Cloacina, & Pavor, & Pallor, & Febris, & cætera non numina colendorum, ſed crimina colentium? Ad extremum, ſi cum turba indigniſſima tanta dea colenda viſa eſt, cur non vel illuſtrius cæteris colebatur? Quis enim ferat, quòd *ζ* neque *i* inter deos Conſentes, *η* quos dicunt in conſilium Jovis adhiberi, nec inter deos, quos ſelectos vocant, Fœlicitas conſtituta eſt: ut templum aliquod ei fieret, quod & loci ſublimitate & operis dignitate præemineret? Cur enim non aliquid melius, quàm ipſi Jovi? Nam neque etiam Jovi regnum niſi Fœlicitas dedit? ſi tamen cùm regnaret, fœlix fuit, & potior eſt Fœlicitas regno. Nemo enim dubitat, *θ* facilè inveniri hominem, qui timeat ſe fieri regem. Nullus autem invenitur, qui ſe nolit eſſe fœlicem. Ipſi ergo dii, ſi per auguria vel quolibet modo eos poſſe conſuli putant, de hac re conſulerentur, utrum vellent Fœlicitati loco cedere: ſi fortè aliorum ædibus vel altaribus jam fuiſſet locus occupatus, ubi ædes major atque ſublimior Fœlicitati conſtrueretur: etiam ipſe Jupiter cederet, ut ipſum verticem collis Capitolini Fœlicitas potius obtineret. Non enim quispiam reſiſteret Fœlicitati,

tati, niſi, quod fieri non poteſt, qui eſſe vellet infœlix. Nullo modo omnino, ſi conſuleretur, faceret Jupiter, *i* quod ei fecerunt tres dii. *k* Mars, *l* Terminus, *m* & Juventas, qui majori & regi ſuo nullo modo cedere voluerunt. Nam ſicut habent eorum literæ, *x* cùm rex Tarquinius Capitolium fabricare vellet, eumque locum qui ei dignior aptiorque videbatur, à diis alienis cerneret præoccupatum, non audens aliquid contra eorum facere arbitrium, & credens eos tanto numini ſuoque principi voluntate ceſſuros: quia multi erant illic ubi Capitolium conſtitutum eſt: per augurium quæſivit, utrum concedere locum vellent Jovi: atque ipſi inde cedere omnes voluerunt, præter illos quos commemoravi, Martem, Terminum, Juventatem: atque ideo Capitolium ita conſtructum eſt, ut etiam iſti tres eſſent tam obſcuris ſignis, ut hoc vix homines doctiſſimi ſcirent. Nullo modo igitur Fœlicitatem Jupiter ipſe contemneret, ſicut à Termino, Marte, Juventate contemptus eſt. Sed ipſi etiam qui non ceſſerant Jovi, profectò cederent Fœlicitati, quæ illis regem fecerat Jovem. Aut ſi non cederent, non id contemptu ejus facerent, ſed quòd in domo Fœlicitatis, vel obſcuri eſſe mallent, quàm ſine illa in locis propriis eminere. Ita dea Fœlicitate in loco ampliſſimo & celſiſſimo conſtitutâ diſcerent cives omnes, unde boni voti petendum eſſet auxilium. Ac ſic ipſa ſuadente natura, aliorum deorum ſuperflua multitudine derelictâ coleretur una Fœlicitas: uni ſupplicaretur: unius templum frequentaretur à civibus, qui fœlices eſſe vellent, quorum eſſet nemo, qui nollet: atque ita ipſa à ſeipſa peteretur, quæ ab omnibus petebatur. Quis enim aliquid ab aliquo deo, niſi fœlicitatem velit accipere, vel quod ad fœlicitatem exiſtimat pertinere? Proinde, ſi Fœlicitas habet in poteſtate, cum quo homine ſit (habet autem ſi dea eſt) quæ tandem ſtultitia eſt, ab aliquo eam deo petere, quam poſſit à ſeipſa impetrare? Hanc ergo deam ſuper deos cæteros honorare etiam loci dignitate debuerunt. Sicut enim apud ipſos legitur: Romani veteres *n* neſcio λ quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quàm Jovem, ad quem diurna fulmina pertinebant: Sed poſtquàm Jovi templum inſigne ac ſublime conſtructum eſt, propter ædis dignitatem, ſic ad eum multitudo confluxit. *o* ut vix inveniatur qui Summani nomen, quod audire jam non poteſt, ſe ſaltem legiſſe meminerit. Si autem Fœlicitas dea non eſt, quoniam, quod verum eſt, munus eſt dei: ille deus quæratur, qui eam dare poſſit, & deorum falſorum multitudo noxia relinquatur, quam ſtultorum hominum multitudo vana ſectatur, dona Dei deos ſibi faciens, & ipſum cujus ea dona ſunt, obſtinatione ſuperbæ voluntatis offendens. Sic enim carere non poteſt infœlicitate, qui tanquam deam Fœlicitatem colit, & deum datorem fœlicitatis relinquit: ſicut carere non poteſt fame, qui panem pictum lingit, & ab homine qui verum habet, non petit.

Capitolium.

Summanum.

a TAm ſerò.] *L. Licinius Lucullus conſul fuit cum M. Aurelio Cotta, anno ab Urbe condita dclxvj.* *L. Vivu.*

b Lucullus.] *L. Licinius Lucullus, qui bellum adverſus Mithridatem geſſit, cui Gn. Pompejus ſucceſſor eſt miſſus adverſa nobilitate: hic quòd fæliciter bellum* *Lucull.*

con-

contra Mithridatem & Tigranem reges adminiſtraſſet, templum huic deæ conſtituit.

Picus. c Picum.] Filius hic fuit Saturni, ut ait Vergilius in ſeptimo. Regnavit in Latio Aboriginum tempore, quem Circe uxor in avem ſui nominis mutavit, quòd Pomonam deam adamaſſet: ideo ea avis Romanis eſt ſacra.

Faunus. d Faunum.] Filius hic fuit Pici apud eundem Vergil. pater Faunorum & Satyrorum, & reliquorum agreſtium numinum. Plutarchus in Parallelis Mercurii filium fuiſſe ſcribit. In Latio regnavit tempore Aboriginum, civesq́; ſuos ritu ferarum viventes, mitiorem vitam docuit: & primus loca certis nominibus, & ædificia quædam ac lucos ſacravit, à quo & fana ſunt dicta. Oraculum ejus fuit in Albunea Laurentinorum ſylva. Huic alii annum ſacrum, alii menſtruum celebrant. Valer. Probus in primo Georg. Feſtum hujus erat Romæ Nonis Decembribus, ut canit Horatius tertio Carminum.

Tyberinus. e Tyberinum.] Hic Capeti filius fuit, Albanorum rex, latro inſignis, qui trajectu Tyberis fluvii ſubmerſus, nomen dedit fluvio, cùm prius Albula diceretur.

f Lucem.] Romani Jovem colebant Luceium, ut eſt in carminibus Saliorum, quem præeſſe credebant luci, ejusq́; cauſam eſſe. Feſtus. Varro lib. 4. de ling. Latina ait, Tit. Tatium Romæ deos ſtatuiſſe Opem, Florámve, Dijovem, Saturnúmque, Solem, Lunam, Vulcanum, & Summanum: itemq́; Larundam, & Terminum, Curinum, Vorrundum, Lares, Dianámque, Lucinámque.

Palloris & Pavoris templum. g Hoſtilius certè rex.] Cùm commiſſo inter Romanos & Veientes prælio nunciatum eſſet Tullo Hoſtilio Rom. regi, Albanos deſciſcere, pallereq́; & pavere, Rom. ob eam rem videret, ipſe in re trepida templum vovit Pallori & Pavori.

h Pietas enim.] Pietas eſt, ut inquit Cic. 1. de nat. Deorum, juſtitia adverſus deos. Eſt & pietas cultus erga majores, aut ſanguine conjunctos, qui cùm eſt erga deos, religio nominatur. Erat & Romæ ſacellum Pietatis, ab Acilio dicatum, ubi mulier habitavit illa, quæ uberibus ſuis aluit patrem cuſtodia traditum. Feſtus. Ibiq́; imago factum hoc exprimens viſebatur, ut Valer. ſubindicat lib. 5. Ædis Pietatis in Circo Flaminio meminit Obſequens in Prodigiis.

Dii Conſentes. i Inter deos Conſentes.] Duodecim ſunt dii Conſentes, ſex mares, & ſex fœminæ: quorum imagines auratæ ſtabant apud forum, ut refert Varro lib. 1. Rerum ruſtic. Hos Ennius diſticho eſt complexus: Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo. Conſentes appellant, quaſi conſentientes in eo quod eſt gerendum. His enim utitur velut conſiliariis Jupiter in maximis rebus agendis, ut hic Auguſtinus: ſed apertius Seneca tradit ex diſciplina Ethruſca lib. Nat. quæſt. 2. Ferunt, in antiquis monumentis Pomponium Lætum, ejusmodi rerum diligentiſſimum inquiſitorem, & admiratorem, obſervaſſe, atque ita ad Medicen Laurentium ſcripſiſſe, ſingulis illorum deorum ſuum menſem eſſe ſacrum: Januarium Junoni, Februarium Neptuno, Martium Minervæ, Aprilem Veneri, Majum Apollini, Junium Mercurio, Quintilem Jovi, Sextilem Cereri, Septembrem Vulcano, Octobrem Marti, Novembrem Dianæ, Decembrem Veſtæ. Diodorus lib. iij. Chaldæos ſcribit, triginta aſtra dixiſſe deos conſultores, & duodecim ſigniferi ſigna: quorum unum-

num-

numquodque ſuo menſi præeſt, deos principantes nominaſſe. Erant & Ægyptiis ſui duodecim dei præcipui, ſed non idem ac Romanis.

i Quod ei fecerunt tres dii.] *Numa Pompilius rex Romanus cùm & publicum agrum populi Romani, & privatum uniuſcujusque certis limitibus terminisque defi-* Terminus.
niſſet, ſacellum erexit Termino in colle Tarpejo deo cui nihil animatum ſacrificaretur, ſed ſolùm liba, pultes, & primitiæ frugum: tametſi hoc poſtea, ut alia complura, in diſſuetudinem abiit: Saxumque erat hic Deus, & ſaxa reliqui omnes agrorum, & publici, & privatorum termini. Quos qui ſtatuto dimoviſſet loco, eum hominem liceret ſine fraude neci dedere. At cùm rex Tarquinius Priſcus templum voviſſet in Tarpeia rupe Jovi, Junoni, & Minervæ auguſtiſſimum, velletque tanti operis jacere fundamenta, invenit eo loci multorum Deorum aras, & à Tito Tatio & cæteris regibus ſacratas: quas omnes exaugurare cùm vellet, ut liberum eſſet templum ſuis tribus Diis, conſilio Nævii Accii auguris uſus, unumquemque illorum Deorum conſuluit, attributis ei avibus, num patri Jovi cederet: aves omnium tales fuerunt, ut cedere ſe ſignificarent: aves Termini & Juventæ non pati Deos illos moveri ſe portenderunt. Ita poſtea ædificato à filio vel nepote ejus regis Superbo Capitolio aræ ſunt eodem relictæ loco, quo prius fuerant. Lætum eſſe augurium reſpondit Accius, quo ſignificabatur terminos populi Rom. fore immobiles, & Juventutem invictam: Hæc ex Plutarcho & Dionyſio. Livius & Florus exaugurationem illam rege Tarquinio Superbo factam videntur narrare, tametſi eorum verba ſic intelligi poſſunt, ut ab his quæ attulimus non diſſentiant. Quòd ſi diſſentiant, Livio & Floro citius hoc loco fidem habuero, quàm aliis Græcis hominibus.

k Mars.] *De Termino & Juventate legi apud autores, quos modò recenſui, & alios permultos: de Marte non legi.*

l Terminus.] *Cùm & fœdus inter Saturnum, Titanumque ejus fratrem ſub hac conditione eſſet initum, ne Saturnus prolem aliquam maſculam tolleret, deinde oraculo eſſet Saturnus præmonitus, ſe à filio ſuo regno pellendum: liberos omnes virilis ſexus ſtatuit devorare: nato verò Jove, ingens patri ſaxum pro filio eſt ſuppoſitum: cùmque ope illius eſſet Jupiter ſervatus, cùm jam rerum potiretur, juſſit illud ſub Parnaſſo monte ſtatui, Heſiodus. Græci βαίτυλον appellant, ut Heſychius docet. unde in* Bætylus.
vomices fertur illud Græcorum: Καὶ βαίτυλον καταπίνοις: id eſt, Bætylum deglutieris. Euſebius in Phœnicum Theologia ex Sanchoniatone, Bætylum Cœli & Rheæ filium perhibet, Saturni fratrem. Porrò Bætylus poſtea dictus eſt τέρμων. Latinè Terminus, qui Jovi maximo noluit cedere, ea fortaſſe fiducia, quemadmodum Lactantius inquit, quod eum è paternis faucibus liberaſſet. Sub Dio ſemper Romæ colebatur, & libero fruebatur cælo. Feſtus, & Lactantius.

m Et Juventas.] *Juventus & Juventas, & Juventa dicitur, ſed Juventas ipſum* Juventa
numen inquit Acron. Horatius:

Et parum comis ſine te Juventas, Mercuriusque.

Quanquam eſt & ætas ipſa apud eundem Horatium:

Olim Juventas & Patrius vigor.

Et in Epodis:

Fugit juventas & verecundus color.

Verùm dea hac Græcè Hebe, Junonis ſolius filia ſine patre, ut Mars: tametſi Græci Jovem ei dant parentem, uxor fuit Herculis, Jovi poculum miniſtrabat, cui Ganymedes ſucceſſit. Eſt ἥβη propriè robur ætatis vigorque: nam ab ἡβάω deducitur. Fuit & Juventatis ædes ad Circo maximo, quam dedicavit C. Licinius Lucullus duumvir. Voverat eam ſedecim annis antè M. Livius Coſ quo die Aſdrubalem exercitumque ejus cæcidit. Idem cenſor eam faciendam locavit M. Cornelio, T. Sempronio Coſſ. Hujus quoque dedicandæ ergo ludi facti. Livius libro xxxvi. Erat & Juventæ ædicula in foro.

Summanus. *n* Neſcio quem Summanum.] *Capella hunc Plutonem eſſe dicit, quaſi ſummum manium. Ædes hujus erat prope fanum Juventatis, ut Plinius videtur ſignificare. Summanalia liba erant farinacea in modum rotæ facta. Feſtus. Fulmina nocturna ei tribuebantur, ut diurna Jovi, quæ ideo dicebantur Dia. Erant etiam quædam ambigua, quæ noctu, an die facta eſſe ignorabantur, quæ dicebantur Proverſa. ideo utrique ſacrum fiebat cum procurarentur. Ita Romani ſolos hos duos deos ſervarunt, in quorum poteſtate eſſent fulmina. Thuſci novem deos poſuerunt, & fulmina eſſe undecim generum ſicut Plinius inquit lib. 2. Feſtus & vulgaris diſciplina augurum Rom.* Fulgurum tria genera. *tria genera fulgurum tradebat. Poſtularia, quæ aliquod ſacrum fieri poſtularent: Peſtifera, quæ exitium portenderent: Perentalia ſuperiorum fulgurum approbari expiationem ſignificantia. Manubias, hoc eſt jactus fulminum, totidem oſtendit. Seneca Prima eſt Jovis unius quæ moneat: ſecunda, ex decreto Conſentium, quæ proſit, ſed non impunè: tertia, ex decreto ſuperiorum deorum perniciosa prorſus. Hæc & alia plurima de generibus fulminum ex Cecinna, Volaterrano & Aaldo. Seneca libro Naturalium quæſtionum ſecundo. Plinius quoque nonnulla, ſed in tranſcurſu, ut reliqua.*

o Ut vix inveniatur qui Summani.] *His deus præterquam quòd ignobilis erat admodum, etiam non ſatis ſciebatur quis eſſet, non ignorabant unum eſſe ex diis qui præeſſent nocti, ſed nomen ejus proprium in obſcuro erat. Ovidius ſexto Faſt.*

Reddita, quiſquis is es, Summano templa feruntur,
Tunc cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.

Ejus feriæ xiii. Calend. Julias. Erat Summani ædes prope circum maximum, & ſacellum in Capitolio.

F.L.Cap. *α* TAm ſerò huic tantæ Deæ.] *Anno ab V. C, DCLXVI. L. Licinius Coſ. cum M. Cotta conſtrui curavit.*

β Si hanc deam propitiam non haberet.] *His, quorum optatis fortuna reſponderet deos propitios; infœlicibus, atque ærumnoſis deos iratos eſſe credebant. Apud Plaut. mil. glor. act. 4. ſc 1. Palæſtrii fortunas Periplectomini laudans:* Dii tibi *(ait)* ſunt propitii. *Apud Apulejum l. 11. Metamorph. dea Iſis:* Adſum tuos miſerata caſus, adſum favens & propitia.

γ Picum, Faunum, Tiberinum.] *Hos Deos Romanorum Vernaculos vocans Cyprian. lib. de Idol. Vanit. & Minut. in Octa.* Picus Rex fuit Latinorum Fauni Pater,

Lati-

Latini Regis avus, auguriorum peritiſſimus, qui à Circe adamatus, cum ejus conjugium ſperneret mutatus fertur in avem ſui nominis, quod ideo fingi creditur, quoniam primus hac ave uſus eſt in auſpiciis. *De eo Ovid. 13. Metamorph. Virg. 7. Æneid. & ibi Servius.* Faunus filius fuit Pici, & Pater Latini antiquiſſimus Aborigenum Rex, Deus poſt mortem habitus, qui regnavit in Latio. *De eo Lactant. lib. 1. cap. 22.* Ut Pompilius apud Romanos inſtitutor ineptarum religionum fuit; ſic ante Pompilium Faunus in Latio, quia & Saturno nefaria ſacra conſtituis, & Picum Patrem inter Deos honoravit, & ſororem ſuam Fatuam, Faunamque conjugem conſecravit. Tiberinus Capeti fuit filius, & Albanorum Rex, qui in vicino flumine ſubmerſus effecit, ut pro Albula Tyberis diceretur. à ſuperſtitioſa antiquitate creditus eſt Deus eſſe Tyberis fluvii præſes, cujus monitu Æneas Evandri ſibi auxilia aſcivit.

δ Hoſtilius certè Rex Deos & ipſe novos Pavorem, atque Pallorem.] *Author eſt Tertull. Cyprian. Minut. Lactant. lib. 1. cap. 20.* Pavorem, Palloremque Tullus Hoſtilius figuravit, & coluit. *Quid de hoc dicam, niſi dignum fuiſſe, qui ſemper deos ſuos, ſicut optari ſolet, præſentes haberet?*

ε Pietas enim eſt verax veri Dei.] *Idem epiſt. 29. Pietas quam Græci* εὐσέβειαν, *vel expreſſius, & plenius* θεοσέβειαν *vocant, quid eſt niſi Dei cultus? & infra lib. 10. cap. 1. Hermes apud Lactant. lib. 2. cap. 16.* Τὸ γὰρ ἓν καὶ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἐστὶν ἀγαθὸν εὐσέβεια. *Quid verò ſit* εὐσέβεια *alio loco docet;* ἡ γὰρ εὐσέβεια γνῶσίς ἐστι τοῦ θεοῦ. *Euſeb. lib. 1. de præpar. Evangel. cap. 1. ita definit:* Ἔστι δὲ εὐσέβεια αὕτη ἡ πρὸς τὸν ἕνα καὶ μόνον ὡς ἀληθῶς ὁμολογούμενόν τε καὶ ὄντα θεὸν ἀνάνευσις, καὶ ἡ κατὰ τοῦτον ζωή, *id eſt*, Animi ad unum ſolum & verum Deum firma ſtabiliſque converſio, & conſentanea illius præceptis vita. *Philo etiam lib.* Τὸ χεῖρον τῷ κρείττονι ἐπιθέσθαι. *pietatem definit,* θεοῦ θεραπείαν, *id eſt,* Erga Deum obſequium.

ζ Neque inter Deos Conſentes.] *Ennius hoc diſticho eos complexus eſt,*

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus: Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

η Quos dicunt in conſilium Jovis adhiberi.] *Conſère,* συμβουλεύειν, *unde & Deus* Conſus. *Eos ſummi Jovis conſiliarios ac principes æſtimari ſcribit Arnob. lib. 3. Varroni ibidem dicuntur eſſe introrſus ac in intimis penetralibus cæli. Servatores eos appellat Martianus Capella, de nuptiis Philologiæ lib. 1.*

θ Facile inveniri hominem, qui timeat ſe fieri Regem.] *Numa Legatis Romanorum ad regnum vocantibus non ſtatim aſſenſus, recuſavit aliquamdiu. Dionyſ. lib. 2. Plut. in Laconicis de Leonida refert, quod cum ad eam Xerxes ſcripſiſſet,* ſi deſinas θεομαχεῖν, *id eſt,* cum Diis bellare, & meis te copiis adjungas, potes Græciæ fieri monarcha: *Eum reſpondiſſe:* Si noviſſes, quæ ſunt in vita honeſta, abſtinuiſſes à concupiſcendis alienis, mihi potius eſt pro Græcia mori, quàm in populares meos gerere monarchiam. *Germanicus Pater Caligulæ delatum ſibi à militibus; contra Tiberium poſt mortem Auguſti Imperium recuſavit, & cum nihil proficeret, & eos nequaquam de ſententia dimoveri videret, gladium diſtrinxit, ſibi ipſi manus*

 alla-

allaturum minitatus. Dion. lib. 57. Sueton. in Tiberio cap. 25. Extant plurima hujuſmodi exempla in Theatro vitæ humanæ, vol. 9. lib. 2.

ι Terminus.] *Deus putabatur, in cujus tutela fines agrorum eſſe exiſtimabant, & Terminalia feſta fuere, quæ in honorem Dei Termini celebrabantur menſe Februario ad Octavum Cal. Martias. Terminaliorum meminit Liv. lib. 43. ab V. C. 585. & lib. 45. ab V. C. 588.*

κ Cum Rex Tarquinius Capitolium.] *Ut ſcribunt Plutarch. & Dionyſ. cum Tarquinius Priſcus templum voviſſet in rupe Tarpeja auguſtum Jovi, Junoni, & Minervæ, ac ejus jacere fundamenta vellet, invenit ibi Deos alios dicatos à Numa, & à Tatio, & aliis; uſus ipſe conſilio Accii Nævii auguris requiſivit an cedere vellent, reperit reliquos omnes Deos Jovi cedere præter Terminum & Juventam. Livius, Florus, & Servius à Tarquinio ſuperbo inaugurationem factam tradunt, non à Priſco. D. Auguſt. his duobus adjungit Martem, qui non ceſſerit. Lactant. lib. 1. cap. 20. Cedentibus reliquis ſolum Terminum manſiſſe ſcribit, cui accedit authoritas Ovid. 2. Faſt.*

Quid nova cùm fierent Capitolia? nempe Deorum
Cuncta Jovi ceſſit turba, locumque dedit.
Terminus (ut veteres memorant) inventus in æde
Reſtitit, & magno cum Jove templa tenet.

λ Neſcio quem Summanum.] *Summanus, id eſt,* Manium ſummus *Pluto & Orcus (ut interpretatur Turneb. lib. 17. Adverſ. cap. 4. Quod & colligi poteſt ex Arnob. lib. 5. cui Romani nocturna fulmina, ut Jovi diurna attribuebant, ut cum D. Auguſt. teſtantur Plin. lib. 2. cap. 52. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13. & Rhodig. lib. 10. Antiq. lect. cap. 18. Quis tamen eſſet Deus ille* Summanus *addubitaſſe videtur Ovid. cum Faſtor. 6. 13. Cal. Julias templum illi ſacratum ſcribit,*

Reddita (quisquis is eſt) Summano templa feruntur,
Tunc cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.

Summani ædem de cœlo tactam refert Liv. lib. 32. ab V. C. 557.

Cap. XXIV.

Qua ratione defendant Pagani, quòd inter deos colant ipſa dona divina.

Libet autem eorum conſiderare rationes. Uſque adeóne, inquiunt, majores noſtros inſipientes fuiſſe credendum eſt, ut hæc neſcirent munera divina eſſe non deos? Sed quoniam ſciebant nemini talia, niſi aliquo deo largiente concedi: quorum deorum nomina non inveniebant, α earum rerum nominibus appellabant deos, quas ab eis ſentiebant dari, aliqua vocabula inde flectentes, ſicut à bello Bellonam nuncupaverunt, non bellum: ſicut à cunis Cuninam, non Cunam: ſicut à ſegetibus Segetiam, non ſegetem: ſicut à pomis Pomonam, non pomum: ſicut à bobus Bubonam, non bovem: aut certè nulla vocabuli declinatione, ſicut res ipſæ nominantur: ut Pecunia dicta eſt Dea, quæ dat pecuniam, non omnino pecunia Dea ipſa putata eſt. Ita Virtus, quæ dat virtutem: β Honor, qui

qui honorem: Concordia, quæ concordiam: Victoria, quæ victoriam dat. Ita, inquiunt, cùm fœlicitas Dea dicitur, non ipſa quæ datur, ſed numen illud attenditur à quo fœlicitas datur. Iſta nobis reddita ratione, multò facilius eis, quorum cor non nimis obduruit, perſuadebimus fortaſſe quod volumus.

a HOnor, qui honorem.] *Cic. 2. de nat. Deorum: Vides templum Honoris à M. Marcello renovatum, quod multis antè annis erat bello Liguſtico à Q. Maximo dedicatum. Erat Romæ idem templum Virtutis & Honoris C. Marii, diverſis tamen cellis, nam eadem fieri non poſſe jam M. Marcello v. Cos. reſponderat collegium Pont. Honori veteres nudis capitibus ſacra faciebant, cùm aliis Diis tecti operirentur. Autor in Problematis Plutarchus.* L. Vives. Honoris templũ.

a EArum rerum nominibus appellabant Deos.] *Huc ſpectat quod habet Cic. 2. de nat. Deor.* Multæ naturæ Deorum ex magnis beneficiis eorum, non ſine cauſa, & à Græciæ ſapientibus, & à Majoribus noſtris conſtitutæ, nominatæque ſunt. Quicquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non ſine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat à Deo natum nomine ipſius Dei nuncupabant, ut cùm fruges Cererem nuncupamus, vinum autem Liberum. *Poſt,* tum autem res ipſa in qua vis ineſt major aliqua ſic appellatur, ut ea ipſa vis nominetur Deus. *Poſtea de Ope, de ſalute, concordia, libertate, victoria locutus:* Quarum omnium rerum (*inquit*) quia vis erat tanta, ut ſine Deo regi non poſſet, ipſa res Deorum nomen obtinuit. F.L.Cog.

β Honor qui honorem.] *Cic. 2. de nat. Deor. author eſt Virtutis templum, & Honoris, à M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Lyguſtico à Q. Maximo dedicatum. Scribit Plut. in Marcello, quòd cùm ex Siculorum manubiis templum Honori ac Virtuti ædificatum dedicare vellet, à Pontificibus prohibitum eſſe, quod negarent unicam duobus Deis ædem haberi poſſe. Et Val. lib. 1. cap. 1. Plutarcho ſubſcribens, refert Marcellum ſeparatis ædibus Honoris ac virtutis ſimulachra ſtatuiſſe. Fuit alia Honoris ædes ante portam Collinam, de qua Cic. 2. de Legib. Illud obſervatum à Plut. in quæſt. Rom. quod Honori cùm divinam rem Romani facerent, aperto erant capite:* An, *inquit*, quod ſplendidum quiddam ſit honos, atque ob id etiam honeſtis viris & illuſtribus caput aperire ſolemus, & perinde ei Deo caput aperiendum, cùm ſacrificamus.

CAP. XXV.

De uno tantum colendo Deo, qui licet nomine ignoretur, tamen fœlicitatis dator eſſe ſentitur.

SI enim jam humana infirmitas ſenſit non niſi ab aliquo Deo dari poſſe fœlicitatem: & hoc ſenſerunt homines qui tam multos colebant Deos, in quibus & ipſum eorum regem Jovem, quia nomen ejus à quo daretur fœlicitas ignorabant, & ideo ipſius rei nomine quam credebant ab illo dari, eum appellare voluerunt. Satis ergo indicant nec ab ipſo Jove dari poſſe fœlicitatem, quem jam colebant, ſed utique ab illo, quem nomine ipſius fœlicitatis colendum eſſe cenſebant. Confirmo prorſus α à quodam Deo, quem neſciebant, eos crediſſe dari

dari fœlicitatem. Ipſe ergo quæratur, ipſe colatur & ſufficit. Repudietur ſtrepitus innumerabilium dæmoniorum. Illi non ſufficiat hic Deus, cui non ſufficit munus ejus. Illi, inquam, non ſufficiat ad colendum Deus dator fœlicitatis, cui non ſufficit ad accipiendum ipſa fœlicitas. Cui autem: non enim habet homo, quid amplius optare debeat: ſerviat uni Deo datori fœlicitatis. Non eſt ipſe, quem nominant Jovem. Nam ſi eum datorem fœlicitatis agnoſcerent, non utique alium, vel aliam, à quo daretur fœlicitas, nomine ipſius fœlicitatis inquirerent: neque ipſum Jovem cum tantis injuriis colendum putarent. Iſte β alienarum dicitur *a* adulterator † uxorum. *b* γ Iſte pueri pulchri impudicus amator & raptor.

al. adulter.

L. Vives. *a* ADulterator.] *Alibi adulter. Jovis turpiſſima adulteria ſunt apud poetas decantatiſſima: ut cum Alcmena, cum Leda, & aliis.*

b Iſte pueri pulchri.] *Ganymedis Phrygii. de hoc alibi.*

F.L. Coq. *α* A Quodam Deo quem neſciebat.] *Quales Athenis, qui ignoto Deo aram extruxerant, quem Paulus illis annunciare profitebatur:* Quod ergo ignorantes colitis, hoc annunciamus vobis *Act. 17. Et certe non dubium inter Gentiles multos adumbratam quandam, & imperfectam habuiſſe Dei cognitionem, & ut loquitur Tertull. lib. de Spectac. cap. 2.* Naturali jure, non familiari; de longinquo, non de proximo.

β Alienarum dicitur adulterator uxorum.] *De Jovis adulteriis Lactant. lib. 1. cap. 11. Arnob. lib. 4. Epiphan. in Ancorato, Tertull. in Apologet. cap. 11.* Vol. emerita recenſere: An ejusmodi ſunt, ut illos in cœlum extulerint, & non potius in imum tartarum merſerint, quem carcerem pœnarum inferum cum vultis affirmatis. Illuc enim abſtrudi ſolent impii, quique in parentes, & ſorores inceſti, & maritarum adulteri, & virginum raptores, & puerorum contaminatores. *Ubi Jovem notat præ cæteris.*

γ Iſte pueri pulchri.] *De raptu Ganymedis Homerus lib. 20. Iliad. Virg. lib. 5. Æneid. Ovid. lib. 10. Metamorph. Scribit Herodianus in Commodo, pugna inter Ilum Phrygium, Tantulum Lydium commiſſa ob Ganymedem, ipſum calamitum dilaceratum fuiſſe inter manus fratris Ili, & amatoris Tantali. Hinc divinos illi honores decretos, & à Ioue raptum. Theodoret. lib. 3. ad Græc. Inſid.* Καὶ μὴν ἐν καὶ τὸν Γανυμήδην κατά φασιν οἱ ποιηταὶ ἀνηρπάσαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν. Quin & ipſum Ganymedem, ut fingunt Poëtæ, dii rapuiſſe perhibentur, qui Jovi pocula miniſtraret. *Minut. in Octa.* Quid loquar in Ganymedem Jovis ſtuprum cœlo conſecratum? *Gentilibus id improperat Juſtinus Apolog. 1. ad Senatum Romanum. Plato l. 1. de legib. hujus fabulæ fictores reprehendit, qui auſi fuerint tantum facinus Jovi, unde omnes leges manare debent, tribuere. Cic. 1. Tuſc.* Nec Homerum audio, qui Ganymedem à Diis raptum ait propter formam, ut Jovi pocula miniſtraret. *Xenophon in Sympoſio ſcribit, Ganymedem non propter corpus, ſed propter animum in cœlum translatum, quod ex ipſa nominis compoſitione & ſignificatione deducit.*

CAP. XXVI.

De ludis ſcenicis, quos ſibi Dii celebrari à ſuis cultoribus exegerunt.

a SEd fingebat hæc Homerus, ait Tullius, & α humana ad Deos transferebat, β divina mallem ad nos. Meritò diſplicuit viro gravi, divinorum criminum poeta confictor. Cur ergo ludi ſcenici, ubi hæc dictitantur, cantitantur, actitantur, Deorum honoribus exhibentur, inter res divinas à doctiſſimis conſcribuntur? Hic exclamet Cicero non contra figmenta poetarum, ſed contra inſtituta majorum. An non exclamarent & illi, quid nos fecimus? Ipſi Dii iſta ſuis honoribus exhibenda flagitaverunt, atrociter imperarunt: cladem niſi fieret, prænunciarunt: quia neglectum eſt aliquid, ſeveriſſimè vindicarunt: quia id quod neglectum fuerat factum eſt, placatos ſe eſſe monſtrarunt. Inter eorum commemoratur virtutes, & miranda facta, quod dicam. b γ Tito Latino ruſtico Romano patrifamiliàs dictum eſt in ſomnis, in ſenatu nunciaret, ut ludi Romani inſtaurarentur, quod primo eorum die in quodam ſcelerato, qui populo ſpectante ad ſupplicium duci juſſus eſt, numinibus videlicet ex ludis hilaritatem quærentibus triſte diſplicuiſſet imperium. Cùm ergo ille, qui ſomnio commonitus erat poſtera die juſſa facere non auſus eſſet, ſecunda nocte hoc idem rurſus ſeverius imperatum eſt. Amiſit filium, quia non fecit. Tertia nocte dictum eſt homini, quòd major ei pœna, ſi non faceret, immineret. Cùm etiam ſic non auderet, δ in morbum incidit acrem & horribilem. Tum verò ex amicorum ſententia, ad magiſtratus rem detulit: atque in lectica allatus eſt in ſenatum. Expoſitoque ſomnio, recepta continuo valetudine, pedibus ſuis ſanus abſceſſit. Tanto ſtupefactus miraculo ſenatus, quadruplicata pecunia, ludos cenſuit inſtaurari. Quis non videat, qui ſanum ſapit, ſubditos homines malignis dæmonibus, c ε à quorum dominatione non liberat, niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, vi compulſos eſſe, exhibere talibus diis, quæ recto conſilio poterant turpia judicari? In illis certè ludis poëtica numinum crimina frequentantur: qui ludi cogentibus numinibus, juſſu ſenatus inſtaurabantur. In illis ludis corruptorem pudicitiæ Jovem turpiſſimi hiſtriones cantabant, agebant, placabant: ſi illud fingebatur, ille iraſceretur: ſi autem ſuis criminibus etiam fictis delectabatur, quando coleretur, niſi Diabolo ſerviretur? Itáne iſte Romanum conderet, dilataret, conſervaret imperium, quovis Romano cui diſplicebant talia, homine abjectior? Iſte daret fœlicitatem, qui infœliciter colebatur: & niſi ita coleretur, infœlicius iraſcebatur?

a SEd fingebat hæc Homerus ait Tullius.] *Primo Tuſc. quæſt. Nec Homerum audio, qui Ganymedem à Diis raptum ait propter formam, ut Jovi pocula adminiſtraret: non juſta cauſa cur Laomedonti tanta fieret injuria. Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat: divina mallem ad nos: quæ autem divina? Vigere, ſapere, invenire, meminiſſe. Graviſſima ſententia: quæ notatur vel ſuperſtitio vel impietas eorum, qui Deum menſura noſtræ fragilitatis & noſtrorum affectuum metiuntur, ut talem eum putent, quales nos ſumus, moroſi, difficiles, queruli, ſævi, invidi,* L. Viv.

vidi, ſuperbi, arrogantes, leves, deniquc flagitioſi & ſcelerati: quantò eſſet ſatius attollere nos ad æmulationem illius divinæ virtutis ac probitatis?

T. Latini hiſtoria. *b* Tito Latino.] *Hæc hiſtoria eſt frequens apud ſcriptores. Meminerunt ejus Cicero primo de divin. ex Fabio, Gellio & Cælio. Livius lib. 2. Valerius Maximus lib. 1. & poſt hos Au. Gellius, Macrobius, Lactantius. Contigit M. Minutio, A. Sempronio Coſſ. anno ab Urbe condita cclij. fuſe ab Auguſtino explicatur. Sunt tamen, qui hunc T. Larinum nominent. Lactantius Tyberium Arinum appellat.*

c A quorum dominatione.] *Alludit ad exclamationem quæ eſt apud Paulum ad Rom. 7. Infælix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jeſum Chriſtum.*

F.L.Coq. *α* HUmanos ad Deos transferebat.] *Scriptura quidem ſacra metaphoris utitur, & humana ad Deum transfert, verùm non niſi eo ſenſu, quod per materialia, corporalia, & ſenſibilia, immaterialia, ſpiritualia, & intelligibilia veniant nobis in notitiam: cùm enim naturale ſit homini, ut per ſenſibilia ad intelligibilium cognitionem veniat, rectè ſpiritualia ſub ſimilitudinibus corporalium nobis in ſcriptura proponuntur.* Impoſſibile eſt enim aliter nobis lucere divinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumvelatum. *D. Dionyſ. 1. cap. cæleſt. Hierarch. & poſt eum D. Thom. 1. p. quæſt. 1. art. 9. Philo Judæus lib. de Sacrificio Abelis, & Caini;* Ne illa quidem quæ inſunt hominibus, de Deo dicuntur propriè, ſed per quendam abuſum nominum, quo infirmitati noſtræ ſuccurritur: quamobrem aufer (ò animâ) quicquid eſt genitum mortale, mutabile, prophanum, quando de Deo ingenito, incorruptibili, immutabili, ſancto, ſoloque beato cogitas, *Et Tertull. lib. 2. contra Marionem, cap. 16.* Diſcernere, *inquit*, ſubſtantias, & ſuos ei diſtribue ſenſus, tam diverſos, quàm ſubſtantiæ exigunt, licet vocabulis commutare videantur. Nam & dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus, nec ideò tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione ſociantur. *Egregiè D. Cyrillus:* πάντα τὰ περὶ θεοῦ λαλεῖται μὲν καθ' ἡμᾶς νοεῖται γε μὴν οὐχ οὕτως, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμᾶς. *Verùm longè aliter Homerus humana ad deos transferebat, vitia ipſa, & crimina mortalium diis ipſis accommodans, unde non niſi pernicioſa de numine opinio, & labes ac corruptela morum in Repub.*

β Divina mallem ad nos.] *Quò ſpectat illud Tertulliani lib. 2. cap. 16. adverſus Marcionem:* Cùm agnoſcas hominem à Deo inflatum, in animam vivam non Deum ab homine, ſatis perverſum eſt, ut in Deo potiùs humana conſtituas, quàm in homine divina, & hominis imagine Deum imbuas potiùs, quàm Dei hominem.

γ Tito Latino ruſtico.] *Refert hiſtoriam Cic. lib. 1. de Divinat. Liv. lib. 2. ab V.C. 262. Val. lib. 1. cap. 7. Dionyſ. lib. 7. Plut. in Coriolano. Macrob. lib. 1. cap. 11. Saturnal. Tiberium Attinium vocat Lactant. lib. 2. cap. 8. Simile ſomnium Xerxi ter oblatum, quo juberetur Græcia bellum inferre, refert Herodotus lib. 2.*

δ In morbum incidit acrem, & horribilem.] *Negant Hippocrates & Avicenna, morbos ullos per dæmones mortalibus poſſe inferri, quos ſecuti ſunt Pomponatius, & Levinus Lemnius, quos vide confutatos & ex ſcriptura ſacra, & ex auctoritate*

Theo-

Theologorum, & Juriſconſultorum, apud Martinum delRio diſquiſit. Magic. lib. 3. p. 1. quæſt. 4. ſect. 55. quo pacto etiam dæmon morbos inferat, vide Franciſcum Valeſium de ſacra Philoſophia cap. 28.

ε A quorum dominatione non liberat, niſi gratia.] *Eſt enim Deus ſoſpitator ab omnium Principe miſſus. Arnob. lib. 1. & lib. 2.* Monſtrabimus, *inquit*, Chriſtum non impietatem docuiſſe nationes, ſed ab latronibus peſſimis miſerorum hominum imprudentiam vindicaſſe. Venit enim Chriſtus in hunc mundum ut diſſolveret opera diaboli. Erat diabolus fortis ille armatus cuſtodiens atrium ſuum, ſed fortior ſuperveniens Chriſtus detraxit ſpolia ejus, id eſt homines à ſervitute illius, cui obnoxii erant; in libertatem aſſeruit.

CAP. XXVII.

De tribus generibus Deorum, de quibus Scævola pontifex diſputavit.

RElatum eſt in literis, *a* α doctiſſimum pontificem Scævolam diſputaſſe β tria genera tradita Deorum: unum à poetis, alterum à philoſophis, tertium à principibus civitatis. *b* Primum genus nugatorium dicit eſſe, γ quòd multa de Diis fingantur indigna: ſecundum, non congruere civitatibus, quòd habeat aliqua ſupervacua, aliqua etiam quæ obſit populis noſſe. De ſupervacuis non magna cauſa eſt. Solet enim & à viris peritis dici: ſuperflua non nocent. Quæ ſunt autem illa, quæ prolata in multitudine nocent? Hæc, inquit, δ non eſſe Deos, Herculem, Æſculapium, ε Caſtorem, Pollucem. ζ Proditur enim à doctis, quòd homines fuerint, & humana conditione defecerint. Quid aliud, quàm quòd eorum qui ſint dii, non habeant civitates vera ſimulachra: quòd η verus Deus nec ſexum habeat, θ nec ætatem, ι nec definita corporis membra? Hæc pontifex noſſe populos non vult, nam falſa eſſe non putat. Expedire igitur exiſtimat falli in religione civitates: quod dicere etiam in libris Rerum divinarum ipſe Varro non dubitat. Præclara religio quò confugiat liberandus infirmus: & cùm veritatem qua liberetur inquirat, credatur ei expedire, quod fallitur. Poeticum ſanè deorum genus cur Scævola reſpuat, eiſdem literis non tacetur: quia ſic videlicet deos deformant, ut nec bonis hominibus comparentur, κ cum *c* alium faciunt furari, alium adulterare. Sic item aliquid aliter turpiter atque ineptè dicere ac facere: *d* tres inter ſe deas certaſſe de præmio pulchritudinis: victas duas à Venere Trojam evertiſſe: Jovem ipſum *e* converti in bovem *f* aut cygnum, ut cum aliqua concumbat: *g* deam homini nubere: Saturnum filios devorare. Nihil denique poſſe confingi miraculorum atque vitiorum, quod non ibi reperiatur, quæ à deorum natura longè abſint. O Scævola pontifex maxime, ludos tolle, ſi potes: præcipe populis, ne tales honores diis immortalibus deferant, ubi crimina deorum libeat mirari, & quæ fieri poſſunt, placeat imitari. Si autem tibi reſponderit populus: vos nobis importaſtis iſta pontifices, deos ipſos roga, quibus inſtigantibus iſta juſſiſtis, ne talia ſibi jubeant exhiberi. Quæ ſi mala ſunt, & propterea nullo modo de deorum majeſtate credenda, major eſt deorum injuria, de quibus impunè finguntur. Sed non te audiunt, dæmones ſunt, prava docent, turpibus gaudent: non ſolùm non deputant

Superflua non nocent.

Expedire falli in religione Varro nõ dubitat.

injuriam, ſi de illis iſta fingantur, ſed eam prorſus injuriam ferre non poſſunt, ſi per eorum ſolennia non agantur. Jam verò ſi adverſus eos Jovem interpelles, maximè ob eam cauſam, *b* quia ejus plura crimina ludis ſcenicis actitantur, nónne etiam ſi deum Jovem nuncuparis, à quo regitur totus atque adminiſtratur hic mundus: eo illi ſit à vobis maxima injuria, quòd eum cum iſtis colendum putatis, eorumque regem eſſe perhibetis?

L. Vives. *a* DOctiſſimum pontificem Scævolam.] *Mutii Scævolæ fuerunt multi. Pontifex hic fuit temporibus belli civilis Mariani à Mario juniore cæſus: ad quem Ciceroiuiſſe ſe dicit diſcendi gratia, poſteaquam Scævola augur interierat.*

b Primum genus nugatorium.] *Dionyſius Halicarnaſſeus libro Veterum rerum ſecundo ſcribit, Romanos ejeciſſe commenta illa poetarum, quibus dii inter ſe pugnantes, diſſidentes, adulterantes, & ejuſmodi finguntur, quæ non modò de diis, ſed ne de viris quidem bonis uti dicerentur digna eſſent: Romulumque aſſueſeciſſe Quirites ſuos, ut & bene ſentirent, & bene loquerentur de diis. Hæc & alia ibi complura, quorum etiam in Evangelicæ præparatione meminit Cæſarienſis Euſebius.*

Mercurius. *c* Alium faciunt furari.] *Mercurium, qui & Tireſiæ ſubripuit boves, Marti gladium. Vulcano forcipem, Neptuno tridentem, Apollini arcum & ſagittas, Veneri ceſtum, Jovi ſceptrum.*

d Tres inter ſe deas.] *Hæc pueris quoque ſunt nota.*

e Converti in bovem.] *Cùm rapuit Europam.*

f Aut cygnum.] *Cùm concubuit cum Leda. De his converſionibus Jovis Ovidius lib. ſexto Transformationum.*

g Deam homini nubere.] *Cererem Jaſio, Harmoniam Cadmo, Callirhoen Chryſaori, Auroram Tithono, Tethyn Peleo, Venerem Anchiſæ, Circen Ulyſſi, eidem Calypſon, & alias quas Heſiodus in Theogonia recenſet.*

h Quia ejus pulcra crimina.] *Adulteria, ſævitates, impietates, ſtupra.*

T.L.Coq *α* DOctiſſimum Pontificem Scævolam.] *Cic. 2. de legib. meminit utriusque Scævolæ, qui Pontifices Max. & iidem juris peritiſſimi. De eo cujus hic meminit D. Auguſt. ita L. Craſſus apud Cic. 1. de orat.* Scævola æqualis, & collega meus, homo omnium & diſciplina juris civilis eruditiſſimus, & ingenio prudentiaque acutiſſimus, & oratione maximè limatus atque ſubtilis, atque, ut ego ſoleo dicere, Juriſperitorum eloquentiſſimus, & eloquentium juriſperitiſſimus.

β Tria genera tradita deorum.] *Inde tria genera Theologiæ antiquis; fabuloſum, naturale & civile: de quibus infra lib. 6. cap. 5.*

γ Quod multa de diis fingantur indigna.] *Dionyſ. Halicarnaſſeus auctor eſt, Romulum admiſiſſe quidem deos in urbem, reſpuiſſe tamen hujuſmodi fabulas de diis, ſeu nugatorium illud genus deorum.*

δ Non eſſe deos Herculem, Æſculapium.] *Qua ratione ſint in deos relati, ſcribit Cic. 2. de nat. deor.* Suſcepit vita hominum, conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama, ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Caſtor & Pollux, hinc Æſculapius.

ε Caſtorem, Pollucem.] *Caſtores etiam vocati ab antiquis. Trebellius Pollio.*

Cùm

Cùm ob Imperatorias literas in æde Caſtrorum Senatus haberetur. *Capitolinus in Maximis:* Cùm ventum eſſet in ædem Caſtrorum. *Arnob. lib. 1.* Tyndaridæ Caſtores unus equos domitare conſuetus, alter pugilator bonus.

ζ Proditur enim à doctis, quod homines fuerint.] *Cicer. 3. de nat. deor.* In Græcia, *inquit*, multos habent ex hominibus deos: cuncta Græcia Herculem, Æſculapium, Tyndaridas. *Id improperat Gentilibus Tertull. in Apologet. cap. 10. & lib. de idololat. cap. 15. Athanaſius oratione contra Gentes, Minut. in Octa. Lactant. lib. 1. cap. 9. & 10. Cyprian. lib. de idol. vanit. Arnob. lib. 1. objicientibus Gentilibus, quod Chriſtiani hominem colerent:* Quid enim, *inquit*, vos hominem nullum colitis natum? num unum & alium? num innumeros? quinimò non omnes, quos in templis veſtris habetis, mortalium ſuſtuliſtis ex numero, & cœlo, ſyderibusque donaſtis? Si enim fortè vos fugit, ſortis eos humanæ, & conditionis fuiſſe communis, replicate antiquiſſimas litteras, & eorum ſcripta percurrite, qui vetuſtati vicini ſine ullis aſſentationibus, cuncta veritate in liquida prodiderunt: Jam profectò diſcetis, quibus ſinguli patribus, quibus matribus fuerint procreati, qua nati in regione, qua gente, quæ fecerint, egerint, pertulerint, actitarint, *&c.*

η Verus Deus nec ſexum habeat.] *Atque eò improbat vanam Gentilium ſuperſtitionem Lactant. lib. 1. cap. 16. quod in Dei naturam non cadat ſexus, aut coitus, aut officium generandi. Et Arnob. lib. 3.* Ne nobis, *inquit*, inconſideratus aliquis calumniam moveat, tanquam Deum, quem colimus marem eſſe credamus, ea ſcilicet cauſa, quod cum eum loquimur, pronunciamus genere maſculino, intelligat non ſexum, ſed uſu & familiaritate ſermonis appellationem ejus, & ſignificantiam promi. Non enim Deus mas eſt, ſed nomen ejus generis maſculini eſt. Quod idem vos dicere religione in veſtra non quitis: nam conſueviſtis in precibus: ſive tu Deus es, ſive tu Dea, dicere. Quæ dubitationis exceptio dare vos diis ſexum disjunctione ex ipſa declarat. *Atque id eodem improbat argumento quo Lactant. Hoc deplorat Athanaſ. oratione contra Gentes, quod vecors idololatriæ ſtudium intra mares non conſtiterit, verùm & fœminas, quas neque tutum eſt ad commune de Repub. conſilium admittere, ut Numina ſint venerati.*

ϑ Nec ætatem.] *Eſt enim Deus æternus, æternitati autem* quæ interminabilis vitæ tota ſimul eſt & perfecta poſſeſſio, *ætas repugnat.*

ι Nec definita corporis membra.] *Id non modo ex ſcripturis ſacris conſtat, in quibus ea non niſi μεταφορικῶς Deo tribuuntur: verum etiam Platoni, Ariſtoteli, Ciceroni Deus ἀσώματος.*

κ Cùm alium faciunt furari.] *Lactant. lib. 1. cap. 10.* fur ac nebulo Mercurius, quid ad famam ſui reliquit, niſi memoriam fraudum ſuarum? *Ariſtoph. in Pluto eum τοιχωρύχον appellat, id eſt* effractorem parietum: *Alii βουκλόπον, id eſt* boum furem: *Alii δόλιον καὶ κλέπτην. Fulgent. in mytholog.* Hunc, *inquit*, Deum furti & præſidem volunt, quod nihil interſit inter negotiantis rapinam atque perjurium, furantiſque dejerationem & raptum.

λ Jovem ipſum converti in bovem, aut cygnum.] *Jovis Metamorphoſes & adulte-*

dulteria criminatur Tertull. in Apologet. cap. 11. Minut. in Octav. Jul. Firmicus. Lactant. lib. 1. cap. 10. Athenagoras in Apologia, Arnob. lib. 4. Athanaſ. orat. contra Gentes, Clemens Alex. ſerm. exhort. ad Gentes, Epiphan. in Ancorato. Gregor. Nazianzen. uno verſu eſt complexus: ταῦρος, κύκνος, χρυσὸς, ὄφις, πόσις, ἅπαντα. *Et orat. 2. in Julianum:* Juppiter ob libidinem & impuritatem quidvis efficitur ille deorum conſiliarius & princeps. *Apud Homerum commemorat ſuos amores, & adulteria, & mulieres, quarum amore aliquando captus ſit, & cum quibus concubuerit. Iliad. 14.*

Cap. XXVIII.

An ad obtinendum dilatandumque regnum profuerit Romanis cultus Deorum.

NUllo igitur modo dii tales, qui talibus placantur, vel potius accuſantur honoribus, ut majus ſit crimen quòd eis falſis oblectantur, quàm ſi de illis vera dicerentur, Romanum imperium augere, & conſervare potuiſſent. α Hoc enim ſi poſſent, Græcis potius donum tam grande conferrent, qui eos in ejuſmodi rebus divinis, hoc eſt, ludis ſcenicis honorabilius digniusque coluerunt, quando & à morſibus poetarum, quibus deos dilacerari videbant, ſe non ſubtraxerunt, dando eis licentiam malè tractandi homines, quos liberet, & ipſos ſcenicos non turpes judicaverunt, ſed dignos etiam præclaris honoribus habuerunt. Sicut autem potuerunt auream pecuniam habere Romani, quamvis deum Aurinum non colerent, ſic & argenteam habere potuerunt, & æream, ſi nec Argentinum, nec ejus patrem colerent Æſculanum: & ſic omnia quæ retexere piget. Sic ergo & regnum invito quidem Deo vero nullo modo habere poſſent, diis verò illis falſis & multis ignoratis ſive contemptis, atque uno illo cognito & fide ſyncera ac moribus culto, β & melius hic regnum haberent quantumcunque haberent, & poſt hoc acciperent ſempiternum, ſive hic haberent, ſive non haberent.

F.L.Coq. α HOc enim ſi poſſent, Græcis potiùs] *Eodem fere argumento oſtendit Minutius, Romanis ad dilatandum imperium nihil profuiſſe cultum deorum. Tertull. in Apolog. cap. 25. Cyprian. de idol. vanit.*

β Melius hic regnum haberent.] *Non tamen intellige vel fidem, vel Dei gratiam titulum eſſe regni, vel imperii, cum infideles verum habeant dominium, niſi inter Chriſtianos, in quibus non niſi fideles legitimè imperant, ac magis etiam legitimum eſt Chriſtianorum imperium, quod ſancta religione, ac divinis legibus fulcitur, quam infidelium, quod ut plurimùm tyrannicum.*

Cap. XXIX.

De falſitate auſpicii, quo Rom. regni fortitudo & ſtabilitas viſa eſt indicari.

NAm illud quale eſt quod commemoravi paulo antè, α pulcherrimum auſpicium fuiſſe dixerunt, Martem, & Terminum, & Juventutem, nec Jovi regi deorum loco cedere voluiſſe? Sic enim, inquiunt, ſignificatum eſt, β Martiam gentem, id eſt, Romanam, nemini locum, quem teneret, daturam: Romanos quo-

que terminos propter deum Terminum neminem commoturum: juventutem etiam Romanam propter deam Juventutem nemini eſſe ceſſuram. Videant ergo quomodo habebant iſtum regem deorum ſuorum, & datorem regni ſui, ut ei auſpicia iſta pro adverſario ponerent, cui non cedere pulchrum eſſet: quanquam hæc ſi vera ſunt, non habent omnino quid timeant. Non enim confeſſuri ſunt, γ quòd dii ceſſerint Chriſto, qui Jovi cedere noluerunt. Salvis quippe imperii finibus, Chriſto cedere potuerunt, & de ſedibus locorum, δ & maximè de corde credentium. Sed antequam Chriſtus veniret in carne, antequam iſta denique ſcriberentur, quæ de libris eorum proferimus: ſed tamen poſtea quàm factum eſt ſub rege Tarquinio illud auſpicium, aliquoties Romanus exercitus fuſus eſt, hoc eſt, verſus in fugam, falſumque oſtendit auſpicium, quod Juventa illa non ceſſerit Jovi: & gens Martia ſuperantibus atque irrumpentibus Gallis in ipſa urbe contrita eſt, & termini imperii, deficientibus multis, ad Hannibalem civitatibus, in anguſtum fuerant coarctati. Ita evacuata eſt pulchritudo auſpiciorum, remanſit contra Jovem contumacia non deorum, ſed dæmoniorum. Aliud eſt enim non ceſſiſſe, aliud unde ceſſeras rediſſe. Quanquam enim poſtea in Orientalibus partibus *b* ε Hadriani voluntate mutati ſunt termini imperii Romani. Ille namque tres provincias nobiles Armeniam, Meſopotamiam, Aſſyriam Perſarum conceſſit imperio, ut deus ille Terminus, qui Romanos terminos ſecundùm iſtos tuebatur, & per illud pulcherrimum auſpicium loco non ceſſerat Jovi, plus Hadrianum regem hominum, quàm regem deorum timuiſſe videatur. *c* ζ Receptis quoque alio tempore provinciis memoratis, noſtra pene memoria retrorſus terminus ceſſit, *d* η quando Julianus deorum illorum oraculis deditus, θ immoderato auſu naves juſſit incendi, quibus alimonia portabatur, qua exercitus deſtitutus, mox etiam ι ipſo hoſtili vulnere extinctus, in tantam eſt redactus inopiam, ut inde nullus evaderet, undique hoſtibus incurſantibus, milite Imperatoris morte turbato, niſi placito pacis illic imperii fines conſtituerentur: ubi hodièque perſiſtunt, non quidem tanto detrimento, quantum conceſſerat Hadrianus, *e* ſed media tamen compoſitione defixi. Vano igitur augurio deus Terminus non ceſſit Jovi, qui ceſſit Hadriani voluntati, ceſſit Juliani temeritati, *f* & κ Joviani neceſſitati. Viderunt hæc intelligentiores graviores que Romani, ſed contra conſuetudinem civitatis, quæ dæmonicis ritibus fuerat obligata, parum valebant, quia & ipſi etiamſi illa vana eſſe ſentiebant, naturæ tamen rerum ſub unius veri Dei regimine atque imperio conſtitutæ, religioſum cultum qui Deo debetur, exhibendum putabant: ſervientes, ut ait Apoſtolus, creaturæ potius quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Hujus veri Dei erat auxilium neceſſarium à quo mitterentur ſancti viri & veraciter pii, qui pro vera religione morerentur, ut falſa à viventibus tolleretur.

Termini Rom. Imp. mutati.

Rom. 1.

L. Vives.

a MArtiam gentem.] *Romanam, quoniam & bellicoſam, & à filio Martis conditam. Sic plerumque Martii animi Romanorum ab autoribus dicuntur.*

Hadrianus.

b Hadriani voluntati.] *Hic fuit decimus quartus Rom. princeps adoptatus à Trojano, cui & ſucceſſit. Sed cùm, ut aliis multis, ita & gloriam patri invideret, Armeniam,*

niam, Meſopotamiam, & Aſſyriam Perſis reddidit, quas Romano imperio Trajanus adjunxerat, revocavitque exercitus, ac finem imperii eſſe voluit Euphratem, amnem: Eutropius lib. 8. cujus ego rei hanc potiſſimum fuiſſe cauſam ſuſpicor, quòd antiquis vatum reſponſis ferebatur infauſtum fore ac infœlix Imperatori pop. Rom. qui exercitus armatos trans Euphratem amnem urbemque Cteſiphontem promoviſſet: exitium hoc fuiſſe M. Licinio Craſſo, ipſumque Trajanum proximè in Italiam cum Parthica victoria non rediiſſe.

c Receptis quoque.] *Ex eodem Eutropio Aſſyria recuperata eſt per Pios fratres, Meſopotamia auſpiciis Galieni, ductu Odenati: Armenia verò auſpiciis Diocletiani, ductu Galerii.*

Julianus d Quando Julianus] *Hic iniit principatum Mamertino & Nevitta Coſs. anno urbis conditæ M. cxvj. Oroſius: Chriſtianæ pietatis inimicus victus à Parthis ad Cteſiphontem copias & rempub. afflixit morte ſua.*

e Sed media tamen compoſitione.] *Ita ut termini illi non vi manuque quæſiti ſint, ſed conditionibus pacis ab hoſtibus accepti.*

Jovianus f Et Joviani neceſſitati.] *Hic Pannonius homo ab exercitu in ſummo diſcrimine creatus, pacem cum Perſis fecit ignominioſam quidem, ſed neceſſariam. Niſibidem oppidum & partem ſuperioris Meſopotamiæ Parthis conceſſit, ita termini imperii ſunt mutati.*

F.L.Cog. α PUlcherrimum auſpicium fuiſſe dixerunt.] *De quo Liv. lib. 1. Dionyſ. lib. 3. Camillus apud Liv. lib. 5.* Hic cum augurato liberaretur Capitolium, Juventas, Terminusque maximo gaudio patrum noſtrorum moveri ſe non paſſi.

β Martiam Gentem, id eſt, Romanam.] *Quod à Marte qui creditus eſt Romuli & Remi pater originem ducerent, vel quòd bellicoſi imprimis eſſent, cùm Mars Deus belli antiquis exiſtimaretur. Ita Tertull. lib. de corona militis cap. 12. Martem dicit per Iliam & Romulos Romanum: quod nempe ex Ilia Remum, & Romulum Romæ conditores ſuſtulerit.*

γ Quod dii ceſſerint Chriſto.] *Ita prædixerat Iſaias cap. 19.* Commovebuntur ſimulachra Ægypti à facie ejus. *Euſeb. Cæſar. lib. 1. de præpar. Evang. cap. 1. Signum Chriſti adventus in mundum vult futurum idolorum caſum & ruinam. Idem eo argumento urget Judæos de demonſtr. Evangel. lib. 6. cap. 20. & lib. 8. cap. 5. & lib. 9. cap. 2.* cum ſignum certiſſimum, & inſolubile ſit adventus Chriſti, cùm corruerint idola Ægypti, & cùm videatis corruiſſe idola Ægypti, ceſſaſſe dæmonum cultum, & idololatriam omnem Ægypti, per ſtatis in perfidia tamen! *D. ipſe Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evang. cap. 16. & deinceps prædictum docet à Prophetis pro ſigno certiſſimo Chriſti adventus confractionem idolorum, & ſimulachrorum.* Et Chriſtum laudare dii ſuis oraculis compulſi ſunt, *ut ſcribit ibidem cap. 15. & 28. & cap. 17. hoc dilemmate utitur contra Gentiles: cùm eorum ſententia ſit, omnes deos colendos eſſe ſapienti, cur à numero cæterorum iſte rejectus? ſi plurimum valet, cur ab eis ſolus non colitur? ſi parum aut nihil valet, cur contritis eorum ſimulachris, ab omnibus Gentibus ſolus penè jam colitur?* Numquam, *inquit,* hujus quæſtionis vinculo eximi poterunt, qui cùm majores & minores deos colant, quos

deos

deos putant, hunc Deum non colunt, qui prævaluit omnibus, quos colunt. *Apud Niceph. lib. 1. cap. 17. extat teſtimonium Apollinis ad Auguſtum de Chriſto.*

Me puer Hebræus divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub Orcum.

Theodoret. ſermon. 7. & 10. ad Græcos infideles fuſè oſtendit adventu Chriſti, & dæmonum ſacrificia ſublata, & oracula defeciſſe.

δ Et maximè de corde credentium.] *Idem ſerm. 6. de verbis Domini in Matth. ait,* prius fragenda idola quæ ſunt in cordibus, quàm quæ ſunt in aris.

ε Adriani voluntate mutati ſunt termini.] *Trajano ſucceſſit Adrianus in imperio, pacis ſtudioſus rebellantes provincias à Trajano ſubactas, reliquit. De quo videri poſſunt Xiphilinus, & Spartianus in Adriano. Volunt nonnulli Adrianum cum Trajani gloriæ invideret tres illas nobiliſſimas provincias, quas Trajanus imperio adjunxerat, nulla ductum neceſſitate, ſed ſponte ſua Perſis reddidiſſe, revocatisque legionibus inter Romanos & Perſas veterem Imperii limitem Euphratem amnem eſſe voluiſſe. Alii potiſſimum cauſam eſſe volunt, quod antiquis vatum reſponſis ferebatur infauſtum fore Romano Imperatori, qui exercitus armatos trans Euphratem, amnem, urbemque Creſiphontem promoviſſet.*

ζ Receptis quoque alio tempore.] *Aſſyria & Armenia recuperata à L. Vero, Seleuca urbe nobiliſſima cum D. millibus hominum, & Artaxatis harum provinciarum primariis urbibus captis. Capitolino, Eutropio, Rufo, & Jornande auctoribus. Meſopotamia quater amiſſa, & quater recuperata. Eam enim ab Adriano relictam recipit cum Aſſyria & Armenia L. Verus; Commodus iterum perdidit; recuperavit Severus; tertiò à Perſis Valeriano Imperatore capta cum Armenia: occupatam tertius Romano Imperio reſtituit Odenatus decurio Palmyrenus Galieni auſpiciis. Quarto ſub Caro deperditam Maximianus Imperio reſtituit Diocletiani collega victis prima congreſſione Romanis, ſecundo conflictu profligatis Perſis, ſuperato Rege eorum Marſeo, uxore inſuper ac filiabus captis. Sextus Rufus, Onuphrius de Imperio Romano.*

η Quando Julianus deorum illorum oraculis deditus.] *Quod conſtat ex epiſt. illius ad Julianum avunculum, & altera item ad Maximum philoſophum. Teſtatur Chryſoſt. orat. contra Gentiles tom. 5. & Theodoretus lib. 3. cap. 18. cum bellum meditaretur adverſum Perſas, miſiſſe nuncios ad Delphos, ad Delon, ad Dodonam celeberrima olim Gentilium oracula, & ad alia loca ſciſcitatum vates, an bellum ei eſſet gerendum: Illi bellum ſuſcipere jubent, pollicentur que victoriam; Ita ille deceptus, ut quondam Achab impius per falſos vates, bellum Perſis intulit funeſtum ſibi ac exitiale. Ammianus Marcellinus inter reliqua Juliani vitia, præſagiorum ſciſcitationi ait nimium deditum fuiſſe lib. 25. quod etiam ſcribit idem Theodoretus lib. 10. ad Græcos infideles de oraculis. De Juliano ſatis multa Gregor. Nazianz. duabus in eum invectivis. Scriptores Eccleſ. hiſt. Eutrop. & Sextus Aurelius, Sozim. Ammian. Marcell. lib. 22. & deinceps Oroſ. lib. 7. cap. 30.*

θ Immoderato auſu naves juſſit incendi.] *Quod repetit infra lib. 5. cap. 21. refert etiam Gregor. Nazianz. Orat. 2. in eum.*

ι Ipſo

a Ipſo hoſtili vulnere extincto.] *Quomodo ſi extinctus Julianus, varias opiniones refert loco citato Gregor. Nazianz. & Chryſoſt. tom. 5. orat. contra Gentil. ſub finem. Eutrop. lib. 10. ſcribit idem cum auctore eum dum in conſultus prælüs ſe inferret, hoſtili manu interfectum eſſe vi. Cal. Julias. Impurus ſophiſta Libanius in oratione funebri, quam deo conſcripſit, cujus meminit Niceph. l. 10. cap. 36. cædem illius Apoſtata Chriſtianis adſcribit.*

x Joviani neceſsitati.] *Succeſſit hic Juliano in Imperio, Chriſtiana religione eximius, & rei militaris peritiſſimus,* Non imperii, ſed cladis hæreditatem conſecutus, *ait Gregor. Nazianz. Hunc refert Niceph. lib. 10. cap. 38. Tribunum antea militum fuiſſe, & cum Julianus optionem militibus offerret, ut vel diis ſacrificarent, vel cingulum militiæ & dignitatis deponerent, hoc facere maluiſſe, quam impiæ juſſioni parere. Idem etiam electus Imperator eam dignitatem rejecit, & inſignia Imperatoria non recepit, donec una voce Chriſtianos ſe eſſe profeſſi ſunt. Socrates l. 5. cap. 22. & Rufinus lib. 2. In ſummo rerum diſcrimine cum toto exercitu conſtitutus pacem cum Perſis fecit ignominioſam quidem, neceſſariam tamen quam quidem neceſſitatem Juliani temeritas attulerat. Gregor. Naz. orat. 2. in Julianum:* Perſæ conditionibus turpibus ſanè, Romanorumque manu & potentia indignis fœdus percuſſerunt. Quorum nomine ſi quis abſoluto Juliano Jovianum criminandum cenſeat, meo judicio perquam iniquus eſt eorum, quæ tunc acciderunt æſtimator: non enim ejus qui demeſſuit ſpica eſt, verum illius qui ſementem fecit; nec ei incendium aſſignandum eſt, qui ignem extinguere potuit; ſed qui excitavit. *Falsò ab Ammiano, & Sozimo, utpote Gentilitiæ ſuperſtitioni addictis, & Chriſtianæ religioni parum æquis in invidiam Ioviani Chriſtiani principis ſcriptum. Numquam ab orbis ortu inveniri poſſe, annalibus replicatis terrarum, partes ullas imperii ab Imperatore, vel Coſ. hoſti conceſſas. An non hoſtibus ceſſerat eas provincias Adrianus?*

CAP. XXX.

Qualia de diis gentium etiam cultores eorum ſe ſentire fateantur.

Cicero *a* augur irridet auguria, *b* & reprehendit homines, corvi & cornicula vocibus vitæ conſilia moderantes. *c β* Sed iſte Academicus qui omnia eſſe contendit incerta, indignus eſt qui habeat ullam in his rebus autoritatem. Diſputat apud eum *d* Q. Lucilius Balbus in ſecundo De deorum natura libro: & cum ipſe ſuperſtitiones ex natura rerum velut phyſicas & philoſophicas inferat, indignatur tamen inſtitutioni ſimulachrorum, & opinionibus fabuloſis, ita loquens: Videris ne igitur, ut à phyſicis rebus bene atque utiliter inventis, ratio ſit tracta ad commentitios & fictos deos? Quæ res genuit falſas opiniones, erroresque turbulentos, & ſuperſtitiones penè aniles. Et formæ enim nobis deorum, & ætates, & veſtitus ornatusque noti ſunt: genera præterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ: nam & perturbatis animis inducuntur. Accepimus enim deorum cupiditates, ægritudines, iracundias. Nec verò, ut fabulæ ferunt, dii bellis prælüsque caruerunt. Nec ſolùm, ut apud Homerum, *γ* cùm *e* duos exercitus contrarios alii dii alia ex parte de-

Simulachrorum inſtitutio & fabuloſæ opiniones de diis improbantur Ciceroni.

te defenderent,ſed etiam ut *f* δ cum Titanis, aut cum Gigantibus ſua propria bella geſſerunt. Hæc & dicuntur & creduntur ſtultiſſimè,& plena ſunt vanitatis *g* ſummæque levitatis. Ecce interim quæ confitentur qui defendunt deos gentium. Deinde cùm hæc ad ſuperſtitionem pertinere dicat,ad religionem verò, quam ipſe ſecundum Stoicos videtur docere. Non enim Philoſophi ſolùm, inquit , verum etiam majores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparaverunt. *h* ε Nam qui totos dies precabantur, inquit, & immolabant,ut ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent , ſuperſtitioſi ſunt appellati. Quis non intelligat eum conari, *i* dum ζ conſuetudinem civitatis timet, religionem laudare majorum, eamque à ſuperſtitione velle ſejungere , ſed quomodo id poſſit,non invenire? Si enim à majoribus illi ſunt appellati ſuperſtitioſi, qui totos dies precabantur & immolabant,nunquid non & illi qui inſtituerunt,quod iſte reprehendit, deorum ſimulachra diverſa ætate, & veſte diſtincta, deorum genera, conjugia, cognationes? Hæc utique cùm tanquam ſuperſtitioſa culpantur , implicat iſta culpa majores talium ſimulachrorum inſtitutores atque cultores : implicat & ipſum,qui quantolibet eloquio ſe in libertatem nitatur evolvere, neceſſe habebat iſta venerari: nec quod in hac diſputatione diſertus inſonat , mutire auderet in populi concione. Agamus itaque Chriſtiani Domino Deo noſtro gratias, *k* non cœlo & terræ,ſicut iſte diſputat,ſed ei qui fecit cœlum & terram : qui has ſuperſtitiones, quas iſte Balbus velut balbutiens vix reprehendit, per altiſſimam Chriſti humilitatem,per Apoſtolorum prædicationem, per fidem Martyrum pro veritate morientium,& cum veritate viventium, non ſolùm in cordibus religioſis, verùm etiam in ædibus ſuperſtitioſis libera ſuorum ſervitute ſubvertit.

Deorum bella propria. — *Superſtitioſi qui veteribus dicti.*

a Cicero augur.] *Fuit ex collegio augurum Cicero , inauguratus à Q. Hortenſio oratore.*

b Et reprehendit homines.] *Hac de re diſputat Cic. 2. de divinatione.*

c Sed iſte Academicus.] *Mos iſtius ſectæ erat,nihil affirmare,ſed ab aliis poſita & aſſerta conari refellere, atque convellere. quem morem in ſuis Dialogis multum ſervavit Cicero , patrociniumque Academicæ Philoſophiæ à ſe eſſe ſuſceptum, profitetur in primo de natura Deorum.* *Academicus.*

d Q. Lucilius Balbus.] *Stoicæ diſciplinæ callentiſſimus.*

e Duos exercitus contrarios.] *Græcos tuentur Juno, Pallas, Neptunus : Trojanos verò Apollo, Venus, Mars.*

f Cum Titanis.] *Titani filii erant Terræ & Titanis Saturni fratris, qui ex fœdere inter Saturnum & Titanem pacto regnum à Jove repetebant. Primò res eſt jurgiis & conviciis acta : deinde ventum eſt ad arma. Bellum hoc fuit grave, victi ſunt tamen Titani : gravius multò,quòd qui ſuperfuerant Titanorum reparatis copiis novisq; domo ſupplementis accitis, Jovem & reliquos ex ejus partibus in Ægyptum uſque pepulerunt. Illud prius dictum eſt bellum Titanorum, hoc poſterius Gigantum.* *Titani.*

g Summæque levitatis.] *Hactenus verba ſunt Ciceronis.*

h Nam qui totos dies.] *Hoc etymon ſuperſtitioſi & religioſi parum probatur Lactantio libro quarto, qui religioſos vocatos dicit à religando , quòd Deo aſtricti reli-* *Religioſus.*

gatique ſint: ſuperſtitioſos verò, qui falſam religionem colerent, ſuperſtitemque defunctorum memoriam. De religioſo Gellius cap. 9. lib. 4. Verùm Cicero non ſolùm eos dicit ſuperſtitioſos, qui ita precarentur: nam addit, id nomen poſtea patuiſſe latiùs, id eſt, aliis permultis eſſe accommodatum.

i Dum conſuetudinem.] *Ex libris de natura Deorum, & de divinatione ſatis apparet, Ciceronem non auſum pronunciare liberè, quid ſentiret de Diis, propter morem in civitate à majoribus traditum acceptumque.*

k Non cœlo & terræ.] *Quos Cicero ex ſententia Stoicorum, tanquam principes deos ponit.*

F.L.Coq. *α* CIcero augur irridet auguria] *Secundo de legibus teſtatur ſe augurem fuiſſe, ubi etiam agit, de jure & auctoritate augurum. De auguribus vide Pomponium Latum lib. 2. de ſacerdotiis cap. 5. Feneſt. cap. 4. Cic. lib. 1. de divinat. Dionyſ. lib. 2. Livium lib. 1. Val. Max. initio lib. 2. Cic. lib. 2. de divinat. rectè auguria vanitatis & ineptiæ condemnavit, longè in hac re prudentior, quàm Plato in Phædro, vel Xenophon in Cyropædia, ut obſervavit Martinus delRio diſquiſit. Magic. lib. 4. cap. 2. quæſt. 7. ſect. 2. Quod verò Ariſt. alicubi meminit, ut lib. 9. hiſt. animal. cap. 31. ille vel ex vulgi ſententia loquitur, vel augurium vocavit naturalem præſenſionem avium, quæ pluvias, tempeſtateſque inſtantes nobis indicant cantu, volatu, vel garritu. Minimè nobis dubitandum eſt, totam hanc augurandi diſciplinam, & religionem, quæ ab Etruſcis ad Romanos commigravit incertam, & illicitam eſſe, quæ quod abſtineret Dei populus, etiam ab Ariolo laudatur. Numer. 23.* Non eſt augurium in Jacob, neque divinatio in Iſrael. *Damnatur etiam à Moyſe & Prophetis, Levit. 19. Deuter 18. Eccleſ. 34. Ierem. 27. & à juris canonici auctoribus 26. q. 2. & q. 5. à D. Auguſtino, præſertim lib. 2. de doctrina Chriſt. cap. 24. Lactant. lib. 2. cap. 17. D. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 7. & 3. contra Gent. cap. 154.*

β Sed iſte Academicus, qui omnia eſſe contendit incerta.] *Ita in utramque partem de unaquaque re diſſerebant, ut cohiberent aſſenſum, neque unquam aliquid certi ſtatuerent. Græci* ἀοριστίαν *vocant, quod ſcribit Galenus lib. de optimo genere dicendi:* περὶ μηδενὸς πράγματος ὁρίσασθαι, μηδὲ ἀποφαίνεσθαι βεβαίως. *Hujus placiti Academicorum; de omnibus nimirum dubitandum, nec aliquid veri ab homine comprehendi poſſe, meminit D. Auguſt. l. 5. Confeſſ. cap. 10 & 14. Et lib. 1. Retract. cap 1. dicit, ſe contra Academicos ſcripſiſſe, ut argumenta eorum, quæ multis ingerunt veri inveniendi deſperationem, & prohibent cuiquam rei aſſentiri, ab animo ſuo amoveret, & hanc quidem ſententiam tribus libris contra Academicos pluribus rationibus refellit. Plura infra lib. 19. cap. 2. & 18.*

γ Cùm duos exercitus contrarios.] *Iliad. 20. Athanaſ. orat. contra Gentes:* τίς ἰδὼν τὴν τῶν λεγομένων θεῶν ἀκατάλλακτον πρὸς ἑαυτοὺς ἔριν ἐν Ἰλίῳ, τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν Τρώων χάριν οὐ καταγνώσεται τῆς ἀσθενείας αὐτῶν, *id eſt,* Quis conſpicatus deorum inter ſe irreconciliabile certamen, idque Græcorum & Trojanorum gratia, non eos condamnet imbecillitatis?

δ Cum Titanis, aut cum Gigantibus.] *Heſiodus in Theogonia bellum deorum adverſus Titanes & Gigantes commemorat. Sugillat Gregor. Naz. orat. 1. in Julianum:*

num: Præclarum, *inquit*, Heſiodi Theogoniam ipſis accini, & bella illic deſcripta, & tumultus ac ſtrepitus, Titanes ac Gigantes nominibus, ac rebus horrendos.

ε Nam qui totos dies precabantur.] *Superſtitionis vocabulum ductum eſt à vitio illorum, qui olim apud Ethnicos, nimii erant in precando deos, ut ſibi ſui liberi eſſent* ſuperſtites, *ideo dicti* ſuperſtitioſi. *Refert ex Cic. 2. de nat. deor. Lactant. lib. 4. cap. 28. diſcrimen à Cic. aſſignatum inter religionem, & ſuperſtitionem, & prætereà etymologiam nominis (ſuperſtitio, & ſuperſtitioſus) ab eodem traditam refellit:* Hæc interpretatio *(inquit)* quam inepta ſit, ex re ipſa licet noſcere; nam ſi in iiſdem diis colendis & religio, & ſuperſtitio verſatur, exigua, vel potiùs nulla diſtantia eſt. Quid enim mihi afferet cauſæ, cur precari pro ſalute filiorum ſemel religioſi, & idem decies facere ſuperſtitioſi eſſe hominis arbitretur. Si enim ſemel facere optimum eſt, quantò magis ſæpiùs; ſi hora prima, ergo & tota die. Si una hoſtia placabilis, placabiliores & hoſtiæ plures, quia multiplicata obſequia demerentur potiùs quàm offendunt. *Poſt:* Superſtitioſi, *inquit*, vocantur, non qui filios ſuos ſuperſtites optant (omnes enim optamus) ſed aut ii, qui ſuperſtitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus ſuis ſuperſtites celebrant imagines eorum domi tanquam deos penates: *nam qui novos ſibi ritus aſſumebant, ut in deorum vicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cælum receptos putabant, hos ſuperſtitioſos vocabant. Eos verò qui publicos & antiquos deos colerent, religioſos nominabant. unde Virg.*

Vana ſuperſtitio, veterumque ignara deorum.

Sed cùm veteres, *inquit*, deos inveniamus eodem modo conſecratos eſſe poſt obitum; ſuperſtitioſi ergo qui multos, ac falſos deos colunt: *Nos autem Religioſi, qui uni ac vero Deo ſupplicamus.* Religio, *inquit*, veri cultus eſt, ſuperſtitio falſi. Et quia deorum, *inquit*, cultores religioſos ſe putant, cùm ſint ſuperſtitioſi, nec religionem poſſunt à ſuperſtitione diſcernere, nec ſignificationem nominum exprimere. *De ſuperſtitione quomodo differat à religione, quia nimirum vel exhibet cultum divinum, cui non debet, vel eo modo quo non debet, videndus D. Thom. 2. 2. q. 92.*

ζ Dum conſuetudinem civitatis timet.] *Arguebantur enim impietatis, qui aliter, quam vulgus de diis ſentiebant, ſed qui melius philoſophabantur, facilè deprehendebant errorem vulgi: Ita Socrates condemnatus ab Athenienſibus, quod non rectè de diis ſentiret. Fugit Ariſt. ne bis peccarent in philoſophiam. Cicero ipſe Platonem ſecutus, unum Deum ſæpius fatetur immortalem, incorporeum, quo nihil ſit præſtantius, à quo mundus regatur, teſte Lactantio lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 3. invehitur in Ciceronem, quòd cum multa dixiſſet, quæ ad everſionem religionum valerent, ait tamen, illa non eſſe vulgò diſputanda, ne ſuſceptas publicè religiones diſputatio talis extinguat. Scribit Arnob. lib. 3. contra Gentes, muſſitaſſe indignanter, & dixiſſe ex Gentilibus nonnullos, oportere ſtatui per Senatum, ut abolerentur ſcripta Ciceronis, quibus Chriſtiana religio comprobetur, & vetuſtatis opprimatur auctoritas.*

Cap. XXXI.

De opinionibus Varronis, qui reprobata perſuaſione populari, licet ad notitiam veri Dei non pervenerit, unum tamen Deum colendum eſſe cenſuerit.

QUid ipſe Varro, quem dolemus in rebus divinis ludos ſcenicos, quamvis non judicio proprio poſuiſſe, cùm ad deos colendos multis locis velut religioſus hortetur, nónne ita confitetur: non ſe illa judicio ſuo ſequi, quæ civitatem Romanam inſtituiſſe commemorat: ut ſi eam civitatem novam conſtitueret, ex naturæ potius formula deos nominaque deorum ſe fuiſſe dedicaturum non dubitet confiteri? Sed jam quoniam in vetere populo eſſet accepta, ab antiquis nominum & cognominum hiſtoriam tenere ut tradita eſt debere ſe dicit, & ad eum finem illam ſcribere ac perſcrutari, ut potius eos magis colere, quàm deſpicere vulgus velit. Quibus verbis homo acutiſſimus ſatis indicat, non ſe aperire omnia, quæ non ſibi tantùm contemptui eſſent, ſed etiam ipſi vulgo deſpicienda viderentur, niſi tacerentur. Ego iſta conjicere putare debui, niſi evidenter alio loco ipſe diceret de religionibus loquens, multa eſſe vera, quæ non modò vulgo ſcire non ſit utile, ſed etiam tametſi falſa ſint, aliter exiſtimare populum expediat, & ideo Græcos *a* α Teletas *b* ac β myſteria γ taciturnitate parietibusque clauſiſſe. Hic certè totum conſilium prodidit velut ſapientium, per quos civitates & populi regerentur. Hac tamen fallacia miris modis maligni dæmones delectantur: qui & deceptores & deceptos pariter poſſident, à quorum dominatione non liberat niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Dicit etiam idem autor acutiſſimus atque doctiſſimus, quòd hi ſoli ei videantur animadvertiſſe, quid eſſet Deus, qui crediderunt, eum eſſe animam, motu ac ratione mundum gubernantem: ac per hoc etſi nondum tenebat quod veritas habet: Deus enim verus non anima, ſed animæ quoque eſt effector & conditor: tamen ſi contra præjudicia conſuetudinis liber eſſe poſſet, unum Deum colendum fateretur, atque ſuaderet, motu ac ratione mundum gubernantem, ut ea cum illo de hac re quæſtio remaneret, quòd eum diceret eſſe animam, non potius animæ creatorem. *c* δ Dicit etiam, antiquos Romanos plus quàm annos centum & ſeptuaginta deos ſine ſimulachro coluiſſe. Quod ſi adhuc, inquit, manſiſſet, caſtius dii obſervarentur. Cujus ſententiæ ſuæ teſtem adhibet inter cætera etiam gentem Judæam: nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, ε qui primi ſimulachra deorum populis poſuerunt, eos civitatibus ſuis & metum dempſiſſe, & errorem addidiſſe: prudenter exiſtimans, deos facilè poſſe in ſimulachrorum ſtoliditate contemni. Quod verò non ait, errorem tradiderunt, ſed addiderunt, jam utique fuiſſe etiam ſine ſimulachris intelligi vult errorem. Quapropter cùm ſolos dicit animadvertiſſe, quid eſſet Deus, qui eum crederent animam mundum gubernantem: caſtiuſque exiſtimat ſine ſimulachris obſervari religionem, quis non videat quantum propinquaverit veritati? Si enim aliquid contra vetuſtatem tanti poſſet erroris, profectò & unum Deum, à quo

Deus nō anima, ſed anima creator.

à quo mundum crederet gubernari,& ſine ſimulachro colendum eſſe cenſeret: atque in tam proximo inventus facilè fortaſſe de animæ mutabilitate commoneretur,ut naturam potius incommutabilem,quæ ipſam quoque animam condidiſſet,Deum verum eſſe ſentiret. Hæc cùm ita ſint, quæcunque tales viri in ſuis literis multorum deorum ludibria poſuerunt, confiteri ea potius occulta Dei voluntate compulſi ſunt, quàm perſuadere conati. Si qua igitur inde à nobis teſtimonia proferuntur,ad eos redarguendos proferuntur,qui nolunt advertere de quanta & quàm maligna dæmonum poteſtate nos liberet ſingulare ſacrificium tam ſancti ſanguinis fuſi & donum ſpiritus impertiti.

a TEletas.] *Suidas ait, τελετὴν eſſe myſterioſum ſacrificium maximum & ſumptuoſiſſimum,ſic nominatum, quòd in eo multa conſumerentur. Eſt enim τελεῖν inſumere,tametſi eſt quoque perficere: & ideò eſſe quibus hinc potius Teletas eſſe dictas placeat, ceu ſint abſoluta quædam ſacrificia, & quibus nihil deſit. Talia erant ſacra ſolis & lunæ,ut ſcribit Porphyrius,& Bacchi,& quædam expiationes,quæ libris Orphei, & Muſæi continebantur, ſicut Plato docet libro de republica ſecundo, quibus ſcelera non privatorum modò,ſed publicè quoque civitatum, & pro viventibus, & pro vita jam functis expurgarentur per ſacrificia ludóſque, & omne genus oblectamentorum,quæ ſacra Teletæ dicerentur. etſi Plato eo loci Teletas ad ſolos mortuos pertinere dicit, & inde dictas, nempe à τελοῦσι, quæ nos malis, quæ apud inferos ſunt, liberent αἳ τῶν ἐκεῖ κακῶν ἀπολύουσιν ἡμᾶς.* L. Vives. Teleta.

b Ac myſteria.] *Qualia Cereris.*

c Dicit etiam antiquos Romanos.] *Plutarchus in Vita Numæ. Hic autem Romanos prohibuit exiſtimare,imaginem Dei aut hominis ſpeciem, aut animalis habere formam. Nec fuit apud eos neque picta,neque ficta Dei prius ſpecies, ſed in prioribus centum & ſeptuaginta annis templa quidem ædificabant, ſacráque tuguria erigebant,ſimulachrum verò nullum corporeum dicabant. Perinde atque nefas eſſet deterioribus meliora aſſimilare, neque aliter atque intelligentia Deus percipi poſſit. Hæc ibi eadem apud Clementem, ut Euſebius Cæſarienſis refert, & Dionyſium Halicarnaſſeum, qui ait, templa eſſe à Numa Diis erecta,negat tamen, ſimulachra in his fuiſſe ulla, quòd Deum nulla ſpecie formave effingi poſſe crederet. Tarquinius Priſcus vanitate & ſtultitia Græcarum religionum,Ethruſcarumque domi imbutus Romanos edocuit ſimulachra Diis ponere, quod Tertullianus ſubſignificat, inquiens, Age jam rebus religio profecerit. Nam etſi à Numa concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa,nondum tamen aut ſimulachris aut templis res divina apud Romanos conſtabat,frugi religio & pauperes ritus,& nulla capitolia certantia cœlo,ſed temeraria de ceſpite altaria,& vaſa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipſe nuſquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Thuſcorum fingendis ſimulachris urbem inundaverant.*

a TEletas.] *τελετὴ, ut author eſt Budæus in Comment.* expiatio eſt & cæremonia, & ſacerdotium. *Demoſt.* πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη, καὶ τελετὴ ἐστιν ἐκ γένους. *Idem:* καὶ τελετῇ, ἢ ἱερῶν, καὶ τιμῶν μετέχειν τῶν ἐν τῇ πόλει, *id eſt*, Sacerdotiorum. *Platonem τελετὰς appellaſſe ludos & ſacrificia,idem teſtatur, dicitq́ue eſſe λύσεις &* F.L.Cop.

 καθαρ-

καθαρμοὺς ἀδικημάτων. Locus extat 2. de Repub. Idem Plato in Phædone τελετὰς vocat caremonias, οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν καταστήσαντες. Et οἱ περὶ τὰς τελετάς. Inter alia etiam adfert ex impio Luciano, Servatorem noſtrum in Palæſtina cruci affixum, ὅτι τελετὴν καινὴν εἰσήγαγεν. Extat & apud Syneſium altaris ſacrificium vocari ſolitum τελετὴν ἀπόρρητον. quaſi arcanam & myſticam caremoniam. τελετάρχην caremoniarum conditorem Chriſtum appellat Dionyſ. lib. Eccleſ. Hierarch. apud quem etiam τελετουργὸς δύναμις, vis eſt divina operans, in Eccleſiaſticis ſacramentis.

β Ac myſteria.] *Μυστήριον in ſcripturis* res arcana *dicitur, paucis cognita, quam nefas ſit vulgo efferre, non communicanda niſi initiatis. Tertull. in Apolog. cap. 7.* Cum vel ex forma omnibus myſteriis ſilentii fides debeatur. *Paul. Epheſ. 1. Γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ.* Nobis patefacto myſterio voluntatis ſuæ: *cap. 5. τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστόν, ſub quo nimirum aliquid abſconditum latet. Dicta volunt μυστήρια, vel quod ea δεῖ μύσαντας τηρεῖν ἔνδον,* occludere oportet intùs, *nec cuiquam prophano evulgare, vel ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ στόμα,* os obſignare.

γ Taciturnitate, parietibusque clauſiſſe.] *Duplicia erant myſteria apud Eleuſinem terræ Atticæ, magna Cereri ſacra, & parva Proſerpinæ, in quibus quæ agebantur, ſacerdotes ſummo ſilentio occultabant. Scribit Juſtin. lib. 5. Alcibiadem abſentem Athenis inſimulatum myſteria Cereris initiatorum ſacra, nullo magis quam ſilentio ſolemnia enunciaviſſe, ob idque non tantùm damnatum, verùm etiam diris per omnium ſacerdotum religiones devotum. Æſchilus, ut refert Clemens Alexand. lib. 2. Strom.* In ſcena effatus myſteria, in Areopago non aliter dicta cauſa fuit abſolutus, quàm oſtendens, ſe non eſſe myſteriis initiatum. *Scribit Sueton. in Auguſt. cap. 93. eum cum Athenis eſſet initiatus, quum poſtea Romæ pro tribunali, de privilegio ſacerdotum Atticæ Cereris cognoſceret, & quædam ſecretiora proponerentur, dimiſſo concilio & corona circumſtantium, ſolum audiiſſe diſceptantes.*

δ Antiquos Romanos plusquam annos centum, & ſeptuaginta.] *Id conſtat ex Plutarcho in Numa. qui dicit ex illius præcepto annis 170. ab V. C. nullam in templis Romanorum imaginem neque fictam, neque pictam fuiſſe conſpectam. Plin. lib. 34. cap. 4.* Romæ, *inquit*, ſimulachrum ex aëre factum Cereris primum reperio ex peculio Sp. Caſſii, quem regnum affectantem Pater ipſius interemerat: *Scribit Dionyſ. Halicarnaſ. Tarquinium Priſcum vanitate & ſtultitia Græcarum religionum, Etruſcarumque domi imbutum Romanos docuiſſe ſimulachra Diis ponere. Id teſtatur Tertull. in Apolog. cap. 25.* Etſi à Numa, *inquit*, concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa, nondum tamen aut ſimulachris, aut templis res divina apud Romanos conſtabat. *Ibidem:* Nondum enim tunc ingenia Græcorum, atque Tuſcorum fingendis ſimulachris urbem inundaverunt. *Et lib. de idololat. cap. 3.* Idolum aliquando retrò non erat, priusquam hujus monſtri artifices ebulliſſent, ſola templa, & vacuæ ædes erant. *Clem. Alex. l. 1. Strom. ſcribit, Numam ex his, quæ à Moyſe tradita ſunt, adjutum prohibuiſſe Romanis, ne homini, aut animali ſimilem Dei facerent imaginem. Cùm itaque centum & ſeptuaginta primis annis templa ædificarent, nullam imaginem nec ſculptam, nec depictam fecere.*

ε Qui

ſ Qui primi ſimulchra Deorum populis poſuerunt.] *Scribit Euſeb. lib. 1. de præpar. Evang. cap. 6. nullas fuiſſe apud priſcos Græcos, vel Barbaros ſimulachrorum dedicationes. Lactant. lib. 2. cap. 17. ſcribit, dæmones eſſe, qui imagines & ſimulachra fingere docuerunt, qui ut hominum mentes à cultu veri Dei averterent, & fictos mortuorum Regum vultus, & ornatos exquiſita pulchritudine ſtatui, conſecrarique fecerunt; & illorum ſibi nomina, quaſi perſonas aliquas induerunt. Antiquiſſima eſſe ſimulachra conſtat ex Script. ſacra, quæ dicit, Rachel furatam eſſe Deos Patris ſui Gen. 31. & paſſim eorum cultus prohibetur.*

Cap. XXXII.

Ad quam ſpeciem utilitatis principes gentium apud ſubjectos ſibi populos falſas religiones voluerunt permanere.

DIcit etiam de generationibus deorum magis ad poëtas, quàm ad phyſicos fuiſſe populos inclinatos: & ideo & ſexum & generationes majores ſuos, id eſt, veteres credidiſſe Romanos, & eorum conſtituiſſe conjugia. Quod utique non aliam ob cauſam factum videtur, niſi quia hominum velut *a* prudentium & ſapientium negotium fuit, populum in religionibus fallere: & in eo ipſo non ſolùm colere, ſed imitari etiam dæmones quibus maxima eſt fallendi cupiditas. Sicut enim dæmones niſi eos quos fallendo deceperint, poſſidere non poſſunt: ſic & homines principes non ſanè juſti, ſed dæmonum ſimiles, ea quæ vana eſſe noverant, religionis nomine populis tanquam vera ſuadebant, hoc modo eos civili ſocietati velut arctius alligantes, quo ſimiliter ſubditos poſſiderent. Quis autem infirmus & indoctus evaderet ſimul fallaces, & principes civitatis, & dæmones? *Dæmones quos poſſideant.*

a PRudentium & ſapientium negotium fuit populum in religionibus fallere.] *Id objicit Ciceroni Lactant. l. 2. cap. 3.* Quid ei facies, qui cùm errare ſe ſentiat, ultrò ipſe in lapides impingat, ut populus omnis offendat? ipſe ſibi oculos eruat, ut omnes cæci ſint? Qui nec de aliis bene mereatur, quos patitur errare, nec de ſeipſo, qui alienis accedit erroribus! *Quæ certè eadem in M. Varronem, qui religiones vulgo receptas, etſi falſas, ut ſcribit hic Auguſt. volebat retineri, quadrant optimè. Impius ille Machiavellus principi ſuadebat, ſi quid in religione falſum eſſet, comprobare ac firmare, dum id proſit fovendæ qualicumque Reipubl. Hoc certè conſilium fuit impii Hieroboami, qui ut ſibi populos faceret obedientiores, & omnem viam præcluderet, qua ſeſe aliquando Regibus Iudæ ſubjicerent, eos ab avita religione, & veri Dei cultu penitus abalienavit.* F. L. Coq.

Cap. XXXIII.

Quòd judicio & poteſtate veri Dei omnium regum atque regnorum ordinata ſint tempora.

DEus igitur ille fœlicitatis autor & dator, quia ſolus eſt verus Deus, ipſe dat regna terrena & bonis & malis. Neque hoc temerè & quaſi fortuitu, quia *a* Deus eſt, non fortuna, ſed pro rerum ordine ac tempore occulto nobis, notiſſimo ſibi: *β* cui tamen ordini temporum non ſubditus ſervit, ſed eum ipſe tanquam

quam dominus regit, moderatorque diſponit: fœlicitatém verò non dat niſi bonis. *a* γ Hanc enim poſſunt habere & non habere ſervientes: poſſunt & non habere & habere regnantes. Quæ tamen plena in ea vita erit δ ubi jam *b* nemo ſerviet ulli. Et ideo regna terrena & bonis ab illo dantur & malis: ne ejus cultores ε adhuc in provectu animi parvuli, hæc ab eo munera quaſi magnum aliquid concupiſcant. Et hoc eſt ſacramentum ζ veteris teſtamenti, ubi occultum erat novum, *c* quòd illic η promiſſa & dona terrena ſunt θ intelligentibus, & tunc ſpiritalibus quamvis nondum in manifeſtatione prædicantibus, & quæ illis temporalibus rebus ſignificaretur æternitas, & in quibus Dei donis eſſet vera felicitas.

Felicitas ſolis bonis evenit.

L. Vives. *a* HAnc enim poſſunt habere.] *Idem Stoici, qui ſapientem ſuum, etiamſi ſervitutem ſerviat, liberum, dominum & fœlicem eſſe ajunt: Stultos verò, etiam ſi reges ſint, ſervire, & eſſe miſeros.*

b Nemo ſerviet.] *In quibusdam codicibus duo verſus qui ſequuntur, non ſunt aſcripti, hi ſcilicet: (Et ideo regna mundi hujus Deus bonis & malis communiter præſtat, ne boni ea tanquàm Dei magna munera concupiſcant.) Et veriſimile eſt eſſe ſuppoſititios.*

c Quòd illic promiſſa & dona terrena.] *In vetere lege omnia quæ Deus promittebat ſervatoribus legis, erant temporalia & terrena, ſed illa erant æternorum & cœleſtium imagines.*

F. L. Coq. α DEus eſt, non fortuna.] *Eſt enim fortuna cauſa per accidens comparatione alicujus effectus non intenti, neque præviſi ab agente, & quidem in his, quæ agunt per intellectum, & ex intentione, fortuna enim accidit ex defectu, vel imperfectione intellectus, qui non poteſt omnia futura prævidere, ne quid præter illius intentionem accidat. Reſpectu itaque intellectus divini, qui omnia præſcit & prævidet, nihil fortuitò accidit.*

β Cui tamen ordini temporum non ſubditus ſervit.] *Hinc ſupra conſuetum naturæ curſum, & ordinem temporum multa Deus operatur, ſive per potentiam ordinariam, quà ex ſententia D. Thomæ Deus cenſetur ea omnia poſſe, quæ futura præordinavit, ſive fiant ſecundum communem naturæ curſum, ſive non fiant. Quod enim Deus traduxerit populum per mare rubrum, aliaque divina opera, quæ Deus ab æterno præordinavit ſe facturum ſupra ordinem temporum, & naturæ curſum, reducit ad potentiam ordinariam: ſive per potentiam abſolutam, ad quam Scotus & alii ea omnia revocant, quæ Deus operatur in rebus præter communem legem, ſive naturæ, ſive gratiæ ſemel à ſe conſtitutam, ut quod reſtituat viſum homini cæco, aliaque miracula operetur, nec enim ita ſubditur legi ſemel à ſe ſtatutæ, quin præter eam poſſit operari, & multa operetur, unde infinitam ſuam potentiam oſtendat. Perperam itaque de potentia Dei ſenſerunt Ariſt. & alii, qui eam ita ordini temporum ſubdiderunt, ut nihil poſſet præter ea quæ operatur ſecundùm communem curſum naturæ, & ordinem temporum.*

γ Hanc enim poſſunt habere, & non habere ſervientes.] *Gregor. Naz. epiſt. 64. ad Philaginum magis probat ſententiam Stoicorum de fœlicitate, quam Ariſtotelis,*

lis, qui volebat res externas conferre ad fœlicitatem, ut ſi quis valetudinarius ſit, aut inopia prematur, aut obſcuro genere, aut à patria extorris juxta hanc ſententiam à fœlicitate arceatur: Stoici verò nihil adjumenti, vel impedimenti, res externas ad fœlicitatem conferre dicebant, quæ ſententia magis ad Chriſtianam veritatem accedit. quam aſtruit hîc D. Auguſt. cum ſcribit, illius æquè ſervos ac dominos, privatos ac Reges participes eſſe poſſe. Quod ſignificavit D. Paul. Epheſ. 6. unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber. *Et Coloſſ. 3.* ubi non eſt Gentilis, & Judæus, circumciſio, & præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber, ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.

δ Ubi jam nemo ſerviet ulli.] *Si enim in ſtatu innocentiæ nulla ſervitus fuiſſet, ut ferè ſentiunt Theologi, niſi fortaſſe officio conſulendi, non verò libidine dominandi; multo magis in ſtatu plenæ fœlicitatis, quæ poſt hanc vitam filiis Dei promittitur, quando Deus erit omnia in omnibus, nulla erit ſervitus laborioſa.*

ε In profectu animi parvuli.] *Quibus adhuc lacte opus ſit, non ſolido cibo:* perfectorum enim ſolidus eſt cibus, *Hebr. 5. Gregor. Naz. epiſt. 63. ad Eudoxium Rhetorem:* Ita fiet, ut hîc quoque ſplendorem aſſequamur (quamdiu nimirum parvo adhuc animo ſumus, idque affectamus, & expetimus) aut certè in futuro ævo. *ubi parvo animo eos eſſe intelligit, qui nondum eo provecti ſunt, ut gloriam humanam aſpernentur, eo ſenſu quo hic D. Auguſt. Dei cultores adhuc in profectu animi eſſe parvulos, qui regna terrena, tanquam magnum aliquid à Deo expetunt, quæ inanem fœlicitatem, ac mentis figmenta ibidem vocat Gregor.*

ζ Veteris teſtamenti, ubi occultum erat novum.] *Tanquam ſpiritus ſub cortice literæ. Quod Ezech. 1. ſcribitur,* Rota in medio rotæ, *interpretatur D. Gregor. hom. 6. in Ezech.* Teſtamentum novum juxta teſtamentum vetus, quia quod deſignavit teſtamentum vetus, hoc teſtamentum novum exhibuit: & quod illud occultè annunciat, hoc iſtud exhibitum apertè clamat. *Et prophetia teſtamenti novi teſtamentum vetus eſt, & expoſitio teſtamenti veteris teſtamentum novum. De quo infra plura, lib. 16. cap. 26.*

η Illic promiſſa, & dona terrena.] *Scribit infra libr. 18. cap. 11. rerum ordinem efflagitaſſe, ut priùs in veteri teſtamento bona temporalia, deinde in novo æterna & ſpiritualia promitterentur. Et epiſt. 120. ad Honoratum, ait, hac ratione voluiſſe Deum oſtendere, terrenam fœlicitatem ad ſe pertinere, nec aliunde expectari debere, ideoque vetus teſtamentum diſpenſaſſe, quâ illa promittebatur.*

θ Intelligentibus, & tunc ſpiritalibus.] *Ut qui magis pertinerent ad novum teſtamentum, & ad legem gratiæ, quam ad vetus teſtamentum. qui nec terrenis illis rebus erant dediti, verum intelligebant revelante ſibi ſpiritu Dei, quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas omnes res geſtas & dictas futura figuranda, & prænuncianda decerneret, magisque deſiderium eorum erat de novo teſtamento. Ita ſcribit lib. 4. contra Fauſtum cap. 2. Ut multi nunc ſub novo teſtamento utpote carnales, ac terrenis rebus inhiantes magis pertinent ad vetus, quam ad novum teſtamentum.*

Cap. XXXIV.

De regno Judæorum, quod ab uno & vero Deo inſtitutum atque ſervatum eſt, donec in vera religione manſerunt.

Itaque ut cognoſcerentur etiam illa terrena bona, quibus ſolis inhiant, qui meliora cogitare non poſſunt, in ipſius unius Dei eſſe poſita poteſtate, non in multorum falſorum, quos colendos Romani antea crediderunt, populum ſuum in Ægypto *a α* de pauciſſimis multiplicavit, & eum inde ſignis mirabilibus liberavit. nec *β* Lucinam mulieres illæ invocaverunt, quando earum partus *Exod. 1.* miris modis multiplicarentur, & gens illa incredibiliter creſceret, *b* ab Ægyptiorum perſequentium, & infantes omnes necare volentium manibus ipſe liberavit, ipſe ſervavit. Sine dea Rumina ſuxerunt: ſine Cunina in cunis fuerunt: ſine Educa & Potica eſcam potumque ſumpſerunt: *γ* ſine tot diis puerilibus educati ſunt: ſine diis conjugalibus conjugati: ſine cultu Priapi conjugibus mixti: ſine invocatione Neptuni *δ* mare tranſeuntibus diviſum patuit, & ſe- *Exod. 16. 17.* quentes eorum inimicos fluctibus in ſe redeuntibus obruit. Nec conſecraverunt aliquam deam Manniam, *ε* quando de cœlo manna ſumpſerunt: nec *ζ* quando ſitientibus aquam percuſſa petra profudit, Nymphas lymphaſque coluerunt. *η* Sine inſanis ſacris Martis & Bellonæ bella geſſerunt, & ſine Victoria quidem non vicerunt, non eam tamen deam, ſed Dei ſui munus habuerunt. Sine Segetia ſegetes, ſine Bobona boves, mella ſine Mellona, poma ſine Pomona. Et prorſus omnia, pro quibus tantæ falſorum deorum turbæ Romani ſupplicandum putaverunt, ab uno verò Deo multò fœlicius acceperunt. *θ* Et ſi non in eum peccaſſent impia curioſitate, tanquam magicis artibus ſeducti ad alienos deos & idola defluendo, & poſtremò Chriſtum occidendo, in eodem regno, & ſi non ſpatioſiore, tamen fœliciore manſiſſent. Et nunc quòd per *ι* omnes ferè terras gentesque diſperſi ſunt, illius unius veri Dei providentia eſt: ut quod deorum falſorum uſquequaque ſimulachra, aræ, luci, templa evertuntur, & ſacrificia prohibentur, *κ* de codicibus eorum probetur, quemadmodum hoc fuerit tanto antè prophetarum. ne fortè cùm legeretur, in noſtris, à nobis putaretur eſſe confictum. Jam quod ſequitur in volumine ſequenti videndum eſt, & hic dandus hujus prolixitatis modus.

Judæi per omnes terras diſperſi.

L. Vives. *a* De pauciſſimis.] *Filii Iſrael qui Ægyptum ingreſſi ſunt cum eo ſeptuaginta. Gen. 46.*

b Ab Ægyptiorum.] *Alibi ſic, ab Ægyptiis perſequentibus & infantes omnes necare volentibus ipſe ſervavit: ſed ſenſus eſt idem: idcirco alia permulta, in quibus ſententia non variatur, ſuperſedeo annotare.*

F. L. Coq. *α* De pauciſſimis multiplicavit.] *Gen. 46. dicuntur cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, ſexaginta ſex. Et ibidem:* Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta. *Ubi 70. interpretes habent 75. quos ſecutus eſt Lucas Act. 7. quæ loca quomodo concilianda ſint, dicemus infra, lib. 16. cap. 40. Exodi etiam*

etiam 1. dicuntur ingreſſi 70. & quod mortuo Joſeph, & fratribus ejus, & omni cognatione ſua, creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis impleuerunt terram. Et Deut. 10. In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum, & ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus ſicut aſtra cœli.

β Nec Lucinam mulieres illæ invocaverunt.] *Huc pertinet quod ſupra cap. 11. ſcripſit, Lucina quæ à parturientibus invocetur; & illud Terentii in Andria,* Juno Lucina fer opem. *Tertull. lib. de anima c. 37.* Superſtitio Romana deam finxit Alemoniam alendi in utero fœtus; & Nonam & Decimam, à ſollicitioribus menſibus, & Partulam, quæ partum gubernet; & Lucinam, quæ producant in lucem.

γ Sine tot diis puerilibus.] *Quo ſpectat illud Tertulliani lib. de anima cap. 39.* cui hominum non adhærebit ſpiritus nequam ab ipſa etiam janua nativitatis animas aucupabundus, vel qua invitatus tota illa puerperii ſuperſtitione.

δ Mare tranſeuntibus diviſum patuit.] *Exod. 14. magno certe miraculo, licet extenuare videatur Joſephus lib. 2. antiq. cap. 7. his verbis :* Nemo mirari debet tanquam incredibile, ſi priſcis hominibus, & ad malitiam etiam tunc rudibus de ſalute periclitantibus via per mare patuit, ſive Dei voluntate, ſive naturæ ſponte. Etenim heri, & nudius tertius Alexandri magni ductu Macedonibus Pamphylium mare ceſſit, ac aliam viam non habentibus per ſe ipſum iter aperuit, cum Deus ejus opera ad deſtruendum Perſarum imperium uti decreviſſet. *Verùm de hoc plura infra lib. 10. c. 8. De hoc eodem miraculo Plin. lib. 1. & 3. de Vita Moſis.*

ε Quando de cœlo manna.] *Exod. 16. Joſeph. lib. 3. Antiquit. cap. 1.*

ζ Quando ſitientibus aquam percuſſa petra.] *Exodi 17. Joſephus ibidem.*

η Sine inſanis ſacris Martis, & Bellonæ.] *De ſacris Bellonæ hæc Lactant. lib. 1. cap. 21.* In Bellonæ ſacris ipſi ſacerdotes non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant; ſectis namque humeris, & utraque manu diſtrictos gladios exerentes currunt, efferuntur, inſaniunt. Etiamne hæc ſacra ſunt? nonne ſatius eſt pecudum more vivere, quàm Deos tam impios, tam prophanos, tam ſanguinarios colere? *De iisdem Tertull. in Apolog. cap. 9. & Minut. in Octa.*

θ Et ſi non in eum peccaſſent.] *Tertull. in Apolog. cap. 21. Et Cypr. lib. de Idol. vanit.* Judæis erat apud Deum gratia, ubi & inſignis juſtitia, & fides originalium authorum, unde illis, & generis magnitudo & regni ſublimitas floruit, & tanta fœlicitas, ut Dei vocibus, quibus edocebantur, de promerendo Deo, & non offendendo præmonerentur. Sed tanta deliquerunt fiducia patrum inflati ad declinandum, derivantes à diſciplina in prophanum modum, etſi ipſi non confitetentur, probaret exitus hodiernus ipſorum. *Et cap. 26.* Si Romanæ religiones regna præſtant, numquam retrò Judæa regnaſſet deſpectrix communium iſtarum divinitatum. Cujus & Deum victimis, & templum donis, & gentem fœderibus aliquamdiu Romani honoraſtis, numquam dominaturi ejus, ſi Deo non deliquiſſet, ultimò in Chriſtum. *Minut. in Octa.* Ipſi *(Judæi)* Deum noſtrum quamdiu caſtè, innoxiè, religioſeque coluerunt, quamdiu præceptis ſalubribus obtemperaverunt, de paucis innumeri facti, de egentibus divites, de ſervientibus Reges, modici multos, inermes armatos, dum fugiunt inſequentes Dei juſſu & elementis adnitentibus obruerunt.

i Per omnes ferè terras, genteſque diſperſi.] *Ita Tertull. & Cyprian. locis citatis:* Diſperſi, palabundi, & cœli & ſoli ſui extorres vagantur per orbem, ſine homine, ſine Deo Rege, quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur.

x De codicibus eorum probetur.] *Eamdem rationem diſperſionis Judæorum per omnes Gentes adfert in Pſalm. 58. & lib. 1. de conſenſu Evang. cap. 14. & infra lib. 18. cap. 46. ubi plura de hac re.*

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI
AD MARCELLINUM
DE CIVITATE DEI
LIBER QUINTUS
Cap. I.

Cauſam Romani imperii, omniúmque regnorum, nec fortuitam eſſe, nec in ſtellarum poſitione conſiſtere.

QUoniam conſtat, omnium rerum exoptandarum plenitudinem eſſe fœlicitatem, quæ non eſt dea, ſed donum Dei, & ideo nullum Deum colendum eſſe ab hominibus, niſi qui poteſt eos facere fœlices. Unde ſi illa dea eſſet, ſola colenda merito diceretur. Jam conſequenter videamus, qua cauſa Deus eſt, qui poteſt & illa bona dare, quæ habere poſſunt etiam non boni, ac per hoc etiam non fœlices, Romanum imperium tam magnum tamque diuturnum eſſe voluerit. Quia enim hoc deorum falſorum illa quam colebant multitudo non fecit, & multa jam diximus, & ubi viſum fuerit opportunum eſſe, dicemus. Cauſa ergo magnitudinis imperii Romani, *a α* nec fortuita eſt, nec fatalis, ſecundum eorum ſententiam ſive opinionem, qui ea dicunt eſſe fortuita, quæ vel nullas cauſas habent, vel non ex aliquo rationabili ordine venientes: & ea fatalia, quæ præter Dei & hominum voluntatem cujuſdam ordinis neceſſitate contingunt. *β* Prorſus divina providentia regna conſtituuntur humana. Quæ ſi propterea quiſquam fato tribuit, *b* quia *γ* ipſam Dei voluntatem vel poteſtatem fati nomine appellat, *δ* ſententiam teneat: linguam corrigat. Cur enim non hoc primum dicit, quod poſtea dicturus eſt, cùm ab illo quiſquam quæſierit, quid dixerit fatum? Nam id homines quando audiunt, uſitata loquendi conſuetudine, non intelligunt *c ε* niſi vim poſitionis ſyderum, qualis eſt quando quis naſcitur, ſive concipitur: *d* quod *ζ* aliqui alienant à Dei voluntate: aliqui ex illa etiam hoc pendere confirmant. Sed illi, qui ſine Dei voluntate decernere opinantur ſydera, quid agamus, vel quid bonorum habeamus, malorúmve patiamur, ab auribus omnium repellendi ſunt: non ſolùm eorum qui veram religionem tenent, ſed qui deorum qualiumcunque licet falſorum, volunt eſſe cultores. Hæc enim opinio

pinio quid aliud agit, niſi ut nullus omnino colatur, aut rogetur Deus? Contra quos modò nobis diſputatio non eſt inſtituta, ſed contra eos qui pro defenſione eorum, quos deos putant, Chriſtianæ religioni adverſantur. Illi verò qui poſitionem ſtellarum quodammodo decernentium, qualis quisque ſit, & quid ei proveniat boni, quidve mali accidat, ex Dei voluntate ſuſpendunt, ſi easdem ſtellas putant habere hanc poteſtatem traditam ſibi à ſumma illius poteſtate, ut volentes iſta decernant, magnam Deo faciunt injuriam: in cujus velut clariſſimo ſenatu, ac ſplendidiſſima curia opinantur ſcelera facienda decerni: qualia ſi aliqua terrena civitas decreviſſet, *d* genere humano decernente fuerat evertenda. Quale deinde judicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœleſtis neceſſitas adhibetur, cùm dominus ille ſit & ſyderum & hominum? Aut ſi non dicunt ſtellas, accepta quidem poteſtate à ſummo Deo arbitrio ſuo iſta decernere: ſed in talibus neceſſitatibus ingerendis illius omnino juſſa compleri: itáne de ipſo Deo ſentiendum eſt, quod indigniſſimum viſum eſt de ſtellarum voluntate ſentire? *e θ* Quòd ſi dicuntur ſtellæ ſignificare potius iſta, quàm facere: ut quaſi locutio quædam ſit illa poſitio, prædicens futura, non agens: non enim mediocriter doctorum hominum fuit iſta ſententia: non quidem ita ſolent loqui mathematici, ut verbi gratia dicant, *f* Mars ita poſitus homicidam ſignificat: ſed homicidam facit. *g* Veruntamen ut concedamus, nón eos ut debent loqui, & à philoſophis accipere oportere ſermonis regulam, ad ea prænuncianda, quæ in ſyderum poſitione ſe reperire putant, quî fit, quòd nihil unquam dicere potuerunt, cur in vita geminorum, in actionibus, in eventis, in profeſſionibus, artibus, honoribus, cæterisque rebus ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipſa morte ſit plerumque tanta diverſitas, ut ſimiliores eis ſint, quantum ad hæc attinet, multi extranei, quàm ipſi inter ſe gemini, per exiguum temporis intervallum in naſcendo ſeparati, in conceptu autem per unum concubitum uno etiam momento ſeminati?

a NEc fortuita eſt, nec fatalis.] *Quoniam de fato multa diſſerit hoc loco Auguſtinus, repetam paulò altius opiniones aliquot veterum ea de re, quò melius omnia faciliusque intelligantur. Plato unum poſuit Deum principem parentemque cæterorum, cujus nutu legibusque Dii omnes ac ipſe mundus tenerentur: miniſtrosq; eſſe reliquos Deos virtutesque cœleſtes illius conditoris hujus univerſitatis: & ab ipſis mundum certis muniis atque officiis adminiſtrari: maximi Dei juſſa legesque eſſe inevitabiles, neceſſitatem appellari. Nulla vi, nulla ratione, aut arte effici poſſe, quo minus illa, ut conſtituta ſunt, perficiantur: unde eſt illud ab ipſo uſurpatum: Neceſſitati ne Deos quidem reſiſtere, quæ verò ab aſtris geruntur, talia interdum eſſe, ut evitari ſapientia, induſtria, labore queant, in quo ſita eſt fortuna: quæ verò certis cauſis progrederentur, ac permanerent fixa, id dici fatum, quod tamen neceſſitatem non afferat electionis. Eſt enim multum in noſtra manu ſitum, quid optemus, quid inceptemus: ſed ubi incepimus, reliqua ſunt fati: ut integrum fuit Lajo, quemadmodum Euripides dicit, gignere filium. At ubi genuit, patienda illi fuerunt, quæ erant ab Apolline prædicta. Hæc involucris, ut aliaque pleraque, ſignificat Plato in poſtremo de* L. Vives Fatum quid.

 rep.

Parcæ. *rep. tres enim Parcas neceſſitatis filias in cœlis ponit. Lacheſis præconium hoc eſſe ad animas in vitam venturas ſcribit, ut non ſit dæmon eas ſortiturus, ſed contra illas potius dæmonem electuras. Eligentis verò ferè culpam omnem, ſi quid acciderit, Deum prorſus inculpatum futurum, ita ſparſiſſe Lacheſim ſortes. Epicurus hæc omnia ridet, omniaque caſu fortuito ſine ullis cauſis contingere arbitratur: aut ſi ſunt ullæ* Fortuna. *cauſæ, non eſſe præter declinationem atomi. Fortunam Platonici ſtatuunt in cauſis tum ambiguis, & quæ aliter contingere poſſunt, tum etiam obſcuris incertiſque, de quibus reddi nequit ratio, cur ſic potius actum eſt quicquam, quàm ſecus: ita non habet nullas fortuna cauſas, ſed vel mutatu faciles, vel ignotas. Ariſtoteles explicatius ſecundo libro de naturali auditione, & cæteri Peripatetici, inter quos Alexander Aphrodiſienſis: Fortuita ſunt, inquit, quorum finis non eſt ab agente actioni præſtitutus: ut ſi quis fodiens, quo pingueſcat humus reperit theſaurum, fortuna eſt: quòd non hoc ille agebat, ut aurum inveniret, ſi etiam terra uberior redditur, cum fortuitò conſequitur, & quod non eſt fortuitum. Itaque in non fortuitis exitus eſt, quem agens intenderat, in fortuitis præter ſpem ac opinionem. Vulgus Fortunam vocat cæcam, temerariam, ſine cauſa ulla, incertam, inſanam, brutam, ut inquit Pacuvius: & fatum cum neceſſitate conjunctum ſtatuunt, ac tale, ut non modò in cæteros Deos, ſed ipſum quoque principem omnium & fatalium legum conditorem Jovem, jus ac poteſtatem habeat. Quod indicat verſiculus ille: Quod fore paratum eſt, id ſummum exuperat Jovem. Poetæ id confirmant. Nam apud eorum principem Homerum lamentatur Jupiter, quòd charum ſibi filium Sarpedona, quem fata cogerent mori, eripere à morte non poſſet: & Neptunus, quòd reditum Ulyſſis in patriam impedire non poſſet, ut Cyclopem filium ulciſceretur: quoniam fatis decretum erat illum in Ithacam rediturum: & apud Ovidium idem Jupiter:*

> *Tu ſola inſuperabile fatum*
> *Nata movere putas.* *Et poſt:*
> *Quæ neque concurſum cœli, nec fulminis iram,*
> *Nec metuunt ullas tuta atque æterna ruinas.*

Fuere qui nihil fortuitum vellent, ſed omnia certa, fixa, immutabilia: ut Democritus, Empedocles, Heraclitus, & hos plerique de multitudine ſunt ſecuti, ſicut Epicurum plurimi. Utramque opinionem Lucanus explicuit libro 2.

> *Sive parens rerum primum informia regna,*
> *Materiamque rudem flamma cedente recepit,*
> *Finxit in æternum cauſas, quæ cuncta coercet,*
> *Se quoque lege tenens, & ſecula juſſa ferentem,*
> *Fatorum immoto diviſit limite mundum.*
> *Sive nihil poſitum eſt, ſed fors incerta vagatur,*
> *Fertque refertque vices, & habent mortalia caſum.*

Fortunæ ſæpe pro fato ipſo ſorteque rerum utuntur: quæ cum ex animi ſententia procedit, nominatur fœlicitas: cùm ſecus, infœlicitas. Hæc nunc aliâ ſuis locis.

b Quia ipſam Dei voluntatem.] *De hoc poſt paulùm.*

c Niſi vim poſitionis ſyderum.] *Ibi eſſe fata, Plato, Stoici, & cæteri propè Philoſo-*

loſophi exiſtimarunt, Chaldæos ac Ægyptios ſecuti, quibus omnis mathematicorum manus ſuffragata eſt.

d Quod aliqui alienant.] *Alii dicunt, diverſam eſſe ſyderum conſtitutionem à voluntate Dei, ut qui volunt omnia regi ab aſtris, Deum non proſpicere rebus noſtris. Et qui etiam ſi curent Dii humana, tamen aſtra ſuum quoque exercere in nos regnum, ut Manilius, & Firmicus, & poetæ ſæpe. Alii dicunt, hos curſus aſtrorum ſubditos eſſe Deo præpotenti, & principi naturæ, ut Plato, & Stoici, nihilque eſſe aliud eorum efficientiam quàm leges Dei.*

e Quòd ſi dicuntur ſtellæ ſignificare potius.] *Origenes in Commentariis ſuper Geneſin illo loco: Sint luminaria cœli in ſigna, ſignificare dicit ſydera, non cauſas eſſe. Sunt enim, inquit, velut apertus quidam liber, omnia futura in ſe ſcripta continens. Quod vel ex eo argui poteſt, quòd ſidera plerumque ſignificant, quæ præterierunt, at qui horum cauſa nequirent eſſe, cæterum liber hic legi ab humanis ingeniis nulla vi poteſt. Origenem Plotinus eſt ſecutus, qui aſtra negat facere, ſed ſignificare. Seneca de aſtris loquens: Effectus rerum omnium, aut movent, aut notant, ſed ſive quod evenit, faciunt, quid immutabilis rei notitia proficiet? ſive ſignificant, quid refert providere, quod evitare non poſſis. Sic ille.*

f Mars ita poſitus] *Mars ſydus eſt ardens, violentum, cruentum. Firmicus libro tertio, Martem in ſeptimo ab horoſcopo loco partiliter conſtitutum, id eſt, in occaſu, maxima mala & immenſa pericula ſcribit decernere, facere ſcilicet homines homicidas, ſceleratos, facinoroſos.* Mars ſydus.

g Veruntamen ut concedamus.] *Alludit ad id quod in libello De fato dicit de Chryſippo Cicero, qui volebat mathematicos docere, quemadmodum in arte ſua eſſent locuturi.*

a NEc fortuita eſt, nec fatalis.] *D. Auguſt. ab hoc cap. ad 13. diſputat contra fatum, prout ab antiquis philoſophis conſtituebatur, ita ut libertatem arbitrii, & rerum contingentiam ac divinam providentiam tollere videretur. De fato diſputant Alex. Aphrod. lib. de fato, Cic. lib. de fato, Plotinus Enneade 3. lib. 1. & ibidem Marſilius Ficinus. Euſeb. Cæſar. lib. 6. de præpar. Evang. c. 5. 6. 7. Boetius lib. 4. de conſolat. philoſ. carmine & proſa. Gregor. Nic. lib. de fato. D. Thom. 1. p. q. 116. & lib. 3. contra Gentes cap. 93. Picus Mirandul. lib. 4. contra Aſtrologos.* F.L.C.4.

β Prorſus divina providentia regna conſtituuntur humana.] *Id conſtat ex ſcriptura Prov. 8.* Per me Reges regnant. *Job. 35.* Qui facit regnare hominem hypocritam propter peccata populi. *Iſaiæ 45. dicit Deus, ſe Cyri imperio potentiſſimas Gentes ſubjecturum. Hier. 27. Dominus monet populum Juda per os Prophetæ, ut ſeſe dedat Regi Babylonis, ſe enim velle ſubjicere omnes gentes ejus imperio: cui conveniunt verba Danielis ad eumdem Regem cap. 2.* Tu Rex Regum es, & Deus cœli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, *Qui ibidem dicitur mutare regna, atque conſtituere. Eccleſ. 10.* Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. *A Chananæis regnum tranſtulit ad Judæos, à Saule ad Davidem, & propter peccata Salomonis regnum decem tribuum conceſſit Hieroboamo. Monebat etiam Petrus Chriſtianos, ut* obedirent Regi tanquam præcellenti,

ti, quod omnis poteſtas à Domino Deo ſit, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtat. *Ex Danielis 10. cap. conſtat, Deum præpoſuiſſe regnis & imperiis principes Angelos; nominatur enim ibi princeps regni Perſarum, per quem ſine dubio bonus Angelus intelligendus eſt, præfectus tum à Deo illi imperio, quod arguit facilè, divinâ providentia & conſtitui, & regi imperia terrena.*

γ Ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fati nomine.] *Notandum ex D. Thom. 1. p. q. 116. art. 2. ad 7. primum ipſam Dei voluntatem non formaliter, ſed cauſaliter tantùm poſſe dici fatum, quia ſeries cauſarum ſecundarum non habet immobilitatem, & infallibilitatem, adeoque rationem fati, niſi quatenus ex voluntate, & poteſtate divina pendet omnia ordinante; formaliter autem ipſam ſeriem cauſarum à Deo ordinatarum eſſe fatum.*

δ Sententiam teneat, linguam corrigat.] *Quod nomine fati ferè intelligant fatum Aſtrologicum, vel Stoicum, de quibus infra. Quod utrumque Chriſtianæ fidei, & rationi repugnat:* Nec parum intereſt ad Chriſtianam pietatem & doctrinam quibus vocibus utamur, *teſte D. Gregor. Naz. Orat. in laudem D. Baſilii. & D. Thom. 3. contra Gentes cap. 93.* Quia cum infidelibus nec nomina debemus habere communia, ne ex conſortio nominum poſſit ſumi erroris occaſio. *Nomine fati non eſt à fidelibus liberè utendum, ne videamur illis aſſentire, qui male de fato ſenſerunt, omnia neceſſitati ſyderum ſubjicientes.*

ε Non intelligunt niſi vim poſitionis ſyderum.] *Hoc ſenſu fatum aſſeruerunt Chaldæi, Ægyptii, & Aſtrologi antiqui, atque eam ſyderum poſitionem tantam vim habere putarunt, ut rebus neceſſitatem imponeret: ita ut quicquid illa poſitio ſeu conſtitutio ſyderum portenderet, inevitabiliter eveniret. Hoc ſenſu fatum etiam aſſeruit Bardeſanes hæreticus teſte D. Auguſt. lib. de hæreſ. cap. 35. Et Priſcillianiſtæ, teſte eodem cap. 70. quem errorem damnarunt Patres Concilii Bracar. 1. cap. 1. can. 8. his verbis:* Si quis animas & corpora humana fatalibus ſtellis credit aſtringi, ſicut pagani & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit. *Hoc fatum tanquam fatuum, & fidei contrarium & naturali rationi, acerrimè impugnarunt omnes veteres Chriſtiani, præſertim D. Auguſt. hoc libro, & 2. de doctri. Chriſt. Euſeb. lib. 6. de præp. Evang. Baſil. hom. 6. in Hexaemeron, & in cap. 14. Iſaiæ, & alii antiqui Patres, ſcribentes in illa verba Geneſ.* Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem, & noctem, & ſint in ſigna, & tempora. *Picus Mirand. lib. 12. contra Aſtrologos, præſertim 4. & 7. Michael Medina lib. 2. de recta in Deum fide. De hoc fato loquens D. Gregor. homil. 10. in Evang.* Abſit, *inquit,* à fidelium cordibus, ut fatum aliquid eſſe dicant. *Hæc etiam ratio fatum illud facilè evertit. Quia ad productionem alicujus effectus cauſæ particulares etiam concurrunt, & non tantùm univerſales, cum enim cauſa univerſalis ſit ex ſe indifferens ad producendos quoſvis effectus, neceſſariò eget cauſa particulari, à qua determinetur ad hunc, vel illum effectum producendum: ſic* Sol & homo *ex Ariſt. 2. Phyſic.* generant hominem. *Sola igitur poſitio ſyderum non eſt ſufficiens ad producendum ullum effectum particularem, niſi ſimul adſit cauſa particularis. Poterit verò hæc multis variari modis, & impediri; nihil ergo ſequitur neceſſariò ex ſola poſitione ſyderum.*

ζ Quod

ζ Quod aliqui alienant à Dei voluntate.] *Eorum, qui conſtituerunt fatum, poſitionem illam ſyderum, ſub qua quisque naſcitur, vel concipitur, duplicem tradit eſſe ſententiam. Alii enim nullo modo volunt à divina pendere voluntate, quos non modo à Chriſtianis, ſed etiam ab infidelibus quibuslibet longe repellendos eſſe ſcribit, cum hæc opinio omnem religionem evertat, idque agat, ut nullus omnino colatur, aut rogetur Deus. Alii verò eam divinæ voluntati ſubjiciunt, atque cum ex hac poſitione ſyderum, velint neceſſariò ſequi, quòd quis probus ſit, vel improbus, bene vel perverſe agat, magnam certè injuriam Deo inferunt, à quo velint decerni ſcelera committenda. Quacunque igitur ratione refellendum, ac evertendum illud fatum.*

η Genere humano decernente fuerat evertenda.] *Quod leges conderet injuſtiſſimas & ſocietati humanæ, ipſique Reipubl. maximè noxias, unde cauſa eſſet juſta belli illi inferendi, eamque omnino evertendi.*

θ Quod ſi dicuntur ſtellæ ſignificare.] *Ita nonnulli docuerunt ex Geneſ. 1.* Sint in ſigna, & tempora, & dies & annos. *Rejecit meritò hanc ſententiam Auguſt. quæ fuit Origenis, quem innuere videtur, cum dicit non mediocriter doctorum hominum fuiſſe ſententiam: atque in eum ſenſum interpretatum eſſe Originem locum illum, ut nimirum per varios ſyderum aſpectus & conjunctiones humanarum rerum eventus judicarent. Teſtatur Euſeb. lib. 6. de præpar. Evang. cap. 9 Verùm longe alius eſt illius loci ſenſus: dicuntur enim* in ſigna & tempora, *quaſi in ſigna temporum, nimirum motus Aſtrorum præſertim Solis & Lunæ definiunt tempora, ut dies eſt circulus ſolaris, hora 24. ejus circuitionis pars, annus motus integer Solis, per duodecim ſigna Zodiaci; menſis motus Solis per unicum Zodiaci ſignum, aut motus Lunæ per totum Zodiacum. Eſt etiam Solis motus ad diſtinctionem temporum, quia ab æquinoctiali circulo vernali, ad ſolſtitium æſtivum aſcendens, & inde ad æquinoctium autumnale tranſiens, atque inde ad ſolſtitium brumale perveniens, tandemque ad æquinoctium vernum rediens, quatuor anni tempora determinat. Vel dicuntur eſſe* in ſigna, non illa, quæ obſervare ſit vanitatis, ſed utilitatis, quæ Nautæ in gubernando, Agricolæ in ſerendo, & Medici in medendo obſervent.

CAP. II.

De geminorum ſimili diſſimilique valetudine.

a CIcero α dicit Hippocratem nobiliſſimum medicum ſcriptum reliquiſſe, quosdam fratres cùm ſimul ægrotare cœpiſſent: & eorum morbus eodem tempore ingraveſceret, eodem levaretur, geminos ſuſpicatum. b β Quos Poſſidonius Stoicus multum aſtrologiæ deditus, eadem conſtitutione aſtrorum natos, c eademque conceptos ſolebat aſſerere. Ita quod medicus pertinere credebat ad ſimillimam temperiem valetudinis: hoc philoſophus aſtrologus ad vim conſtitutionemque ſyderum, quæ fuerat quo tempore concepti natique ſunt. In hac cauſa multo eſt acceptabilior, & de proximo γ credibilior conjectura medicinalis: quoniam parentes ut erant corpore affecti dum concumberent, ita primordia conceptorum affici potuerunt, ut conſecutis ex materno corpore prioribus incrementis paris valetudinis naſcerentur: deinde in una domo eisdem alimentis nutriti, δ ubi aërem, loci poſitionem, & vim aquarum, plurimum

mum

mum valere ad corpus, vel bene vel male accipiendum medicina teſtatur: eiſdem etiam exercitationibus aſſuefacti tam ſimilia corpora gererent, ut etiam ad ægrotandum uno tempore eiſdemque cauſis ſimiliter moverentur. Conſtitutionem verò cœli ac ſyderum, quæ fuit quando concepti ſive nati ſunt, velle trahere ad iſtam ægrotandi parilitatem, cùm tam multa diverſiſſimi generis diverſiſſimorum affectuum, & eventuum eodem tempore in unius regionis terra eidem cœlo ſubdita, potuerunt concipi & naſci; neſcio cujus ſit inſolentiæ. *d* Nos autem novimus geminos non ſolùm actus & peregrinationes habere diverſas, verum etiam diſpares ægritudines perpeti. De qua re facillimam, quantum mihi videtur, rationem redderet Hippocrates, *e* diverſis alimentis & exercitationibus, quæ non de corporis temperatione, ſed de animi voluntate veniunt, diſſimiles eis accidere potuiſſe valetudines. Porrò autem Poſſidonius vel quilibet fatalium ſyderum aſſertor, mirum ſi poteſt hic invenire quid dicat, ſi nolit imperitorum mentibus in eis, quas neſciunt, rebus illudere. Quod enim conantur efficere de intervallo exigui temporis, quod inter ſe gemini dum naſcerentur, habuerunt propter cœli particulam, ubi ponitur horæ notatio, *f* quam horoſcopum vocant, aut non tantum valet, quanta invenitur in geminorum voluntatibus, actibus, moribus, caſibusque diverſitas: aut plus etiam valet, quàm eſt geminorum vel humilitas generis eadem, vel nobilitas: cujus maximam diverſitatem non, niſi in hora, qua quiſque naſcitur, ponunt. Ac per hoc ſi tam celeriter alter poſt alterum naſcitur, ut eadem pars horoſcopi maneat, cuncta paria quæro, *g* quæ in nullis poſſunt geminis inveniri. Si autem ſequentis tarditas horoſcopum mutat, *h* parentes diverſos quæro, quos gemini habere non poſſunt.

L. Vives. *a* CIcero dicit Hippocratem.] *Ubi hoc dicat Cicero non memini me legiſſe, & tamen ſuſpicor fuiſſe in libello de fato: quem qui attentius inſpexerit, inveniet mutilum lacerumque, & plenum mendarum ad ætatem noſtram perveniſſe.*

Poſſidonius. *b* Quos Poſſidonius Stoicus.] *Rhodius fuit, ibique docuit, Romam quoque venit, diſcipulus & ſucceſſor Panætii. Cicero.*

c Eademque conceptos.] *Non enim minoris refert, qua ſit quis conceptus hora, quàm qua natus.*

d Nos autem novimus geminos] *Quales etiam fuerunt Procles & Cyreſthenes Lacedæmoniorum reges. Cicero ſecundo de divinatione.*

e Diverſis alimentis & exercitationibus.] *Hanc eſſe dicit Ptolemæus primo τῶν ἀποτελεσματικῶν, unam ex cauſis cur judicare nequeat de partu aſtrologus.*

Horoſcopus. *f* Quam horoſcopum.] *Eſt ὡροσκόπος hora inſpectio, eſtque ea pars ſigniferi, quæ ſupra noſtrum hemiſphærium aſcendit, cùm quid contingit. Vertitur enim perpetuo zodiacus ille circulus, ſemperq́ue aliqua ejus portio nobis oritur, contraria occidit; alia alias cœli plagas regionesq́ue obtinent.*

g Quæ in nullis poſſunt ge.] *Quintilianus in Geminis languentibus: Nihil in rebus humanis voluit eſſe natura tam ſimile, quod non aliqua proprietate ſecerneret. Quid refert an ex eiſdem prima illa Deorum corporum animorumque compago ſemini-*

minibus oriatur? ſibi quiſque firmatur, ſibi quiſque componitur, & duo pluresve fratres naſcuntur fato ſingulorum.

b Parentes diverſos.] *Cur non ſint rivi idem, cùm ſit fons idem.*

α Cicero dicit Hippocratem nobiliſſimum Medicum.] *In his quæ nunc Ciceronis extant non reperitur, nec etiam in his, quæ extant Hippocratis.* F.L.Coq

β Quos Poſſidonius Stoicus.] *Panætii diſcipulus fuit, & ſucceſſor, Rhodi docuit, deinde Romam venit. Illius meminit Cicer. 2. Tuſc. & 1. de divinat. & 3. offic.*

γ Credibilior conjectura medicinalis.] *Cum eaſdem omnino valetudinis, & morbi periodos in duobus geminis Poſſidonius Aſtrologiæ deditus in eandem genituram, quod ſub eadem conſtitutione aſtrorum concepti eſſent, & nati: Medici verò ad ſimillimam temperiem, & complexionem, quam κρᾶσιν vocant, referrent, præfert ſententiam medicorum, & meritò quidem, repetit verba D. Auguſtini Picus Mirandulanus lib. 3. cap. 12. conſtat enim morbos, ſeu valetudinem, ex varia diſpoſitione, ſeu indiſpoſitione humorum provenire, non autem ex vario ſitu, ſeu oppoſitione, aut conjunctione ſyderum: Deinde cælum ſeu aſtra ipſa ſunt cauſa univerſalis indifferenter & ex æquo in hæc inferiora influens, effectus autem particulares ſunt in cauſas particulares referendi. Et certò conſtat non omnes eos, qui ſub eadem conſtellatione naſcuntur, eſſe eadem temperie corporis, nec in eis obſervantur eadem morborum, & valetudinis periodi.*

δ Ubi aerem, loci poſitionem.] *Hippocrates lib. de aere, aquis, pluribus locis oſtendit multùm inter ſe differre homines ob cælum, & ſolum, hacque una de cauſa Alpinos ab his, qui convalles incolunt, plurimum abeſſe: Illi enim acrius animantur, hi ad omnia opera ſegnes animo & corpore hebeſcunt.*

ε Novimus geminos.] *Cic. 2. de divinat. geminorum, etſi forma ſint ſimiles, plerumque tamen vitam, atque fortunam eſſe diſparem, docet ex hiſtoria Proclis & Euriſthenis, qui Lacedæmoniorum Reges gemini fuerunt fratres: at hi nec totidem annos vixerunt, anno enim Procli vita brevior fuit, multumque is fratri rerum geſtarum gloria præſtitit. De his vide & Pauſaniam in Laconicis. Reperitur apud Livium lib. 1. & alios Romulum & Remum natos fuiſſe geminos, quorum tamen non eadem vitæ conditio & exitus fuit.*

ζ Quam horoſcopum vocant.] ὡροσκόπος, παρὰ τὸ σκοπεῖν τὰς ὥρας, *hoc eſt*, à perſpiciendis horis: *Significat eam cæli partem, quæ hora qualibet ab inferiori hemiſphærio ſurgit ab Oriente. Horoſcopus item id temporis momentum ſignificat, quo quiſque naſcitur, quaſi horæ inſpectionem & notationem.* Eſt horæ genitalis notatio. *Vide Cælium Rhodig. lib. 12. lect. antiq. cap. 10.*

CAP. III.

De argumento quod ex rota figuli Nigidius mathematicus aſſumpſit in quæſtione geminorum.

FRuſtra itaque affertur nobile illud commentum de figuli rota, *a α* quod reſpondiſſe ferunt Nigidium hac quæſtione turbatum, *b* unde & Figulus appellatus eſt. Dum enim rotam figuli vi quanta potuit intorſiſſet, currente illa

bis numero de atramento tanquam uno ejus loco ſumma celeritate percuſſit: deinde inventa ſunt ſigna, quæ fixerat deſiſtente motu, non parvo intervallo in rotæ illius extremitate diſtantia. *c* Sic, inquit, in tanta cœli rapacitate, etiam ſi alter poſt alterum tanta celeritate naſcatur, quanta rotam bis ipſe percuſſi, in cœli ſpatio plurimum eſt. Hic † ſunt, inquit, quæcunque diſſimillima perhibentur in moribus, caſibuſque geminorum. *d* Hoc figmentum fragilius eſt quam vaſa quæ illa rotatione fingûtur. Nam ſi tam multum in cœlo intereſt, quod conſtellationibus comprehendi non poteſt, ut alteri geminorum hereditas obveniat, alteri non obveniat: cur audent cæteri, qui gemini non ſunt, cum inſpexerint eorum conſtellationes, talia pronuntiare, quæ ad illud ſecretum pertinent, quod nemo poteſt comprehendere, & momentis annotare naſcentium? Si autem propterea talia dicunt in aliorum genituris: quia hæc ad productiora ſpatia temporum pertinent: momenta verò illa partium minutarum, quæ inter ſe gemini poſſunt habere naſcentes, rebus minimis tribuuntur, de qualibus mathematici non ſolent conſuli. Quis enim conſulat, quando ſedeat, quando deambulet, quando, vel quid prandeat? Nunquid iſta dicimus, quando in moribus, operibus, caſibuſque geminorum plurima, plurimùmque diverſa monſtramus?

al. Hinc al. motibus.

L. Vives. Nigidius Figulus.

a Quod reſpondiſſe ferunt Nigidium.] *P. Nigidius Figulus honeſtiſſ. familia natus, ad præturam uſque pervenit, ſummo vir ingenio, cum aliarum diſciplinarum callentiſſimus fuit, ita ut cum M. Varrone, cujus propemodum æqualis erat, conferretur, tum verò maximè matheſeos. In Philoſophia Pythagoricos æmulabatur. Meminit ejus plerumque Cicero. Suetonius in Auguſto narrat Nigidium comperta hora genitura Octavii prænunciaſſe dominum terrarum orbi genitum. Lucanus libro primo:*

At Figulus, cui cura Deos ſecretaque cœli
Noſſe fuit, quem non ſtellarum Ægyptia Memphis
Æquaret viſu, numeriſque moventibus aſtra.

b Unde & Figulus appellatus eſt.] *Hic fuit Figulus gente Nigidiorum: nam fuerunt & alii Figuli honoratiore gente, nempe Martia, quorum unus fuit Coſ. cum L. Julio Ceſare, duobus annis ante Ciceronem conſulem. Fuit & alius Coſ. cum Naſica, ſed abrogatus magiſtratu, quia creatus adverſis auſpiciis.*

c Sic, inquit, in tanta cœli rapacitate.] *Quintilianus in Geminis languentibus: Quantum putas interfuiſſe temporis, dum primum uteri pondus egeritur, dum parum per exonerata vitalia altero rurſus homine laxantur. Breve fortaſſis exiguumque videatur mortalibus oculis, ſed ſi mente perſpicere velis orbis hujus vaſtitatem, ſcies multum eſſe, quod inter duas tranſcurrit animas.*

d Hoc figmentum fragilius eſt.] *Hoc unicum Nigidii reſponſum, quod mathematicis omnibus ſubtiliſſimum eſt viſum, omnia Genethliacorum ſcita, placita, promiſſa evertit. Si enim tam brevi temporis momento mutantur omnia, ut non diverſa modò, ſed adverſa quoque fiant, quis unquam de nato puero poterit aliquid prædicere, cùm momentum illud, vel quo conceptus, vel quo natus eſt, nemini poſſit eſſe certum. Itaque etiam ſi detur multum in nos virium poteſtatiſque habere ſydera,*

re, tamen illud quicquid eſſet, hominibus incomprehenſibile eſſet: cùm momenta, in quibus aſtrorum poſitus neceſſe eſt collocare, certo deprehendi non poſſint, & ſyderum incitatiſſimus curſus tarditatem noſtræ conſiderationis antevertat. Hoc argumentum cùm contra ſe ſuamque artem Julius Firmicus propoſuiſſet, homo nugatoriæ loquacitatis, pollicitus ſe ſoluturum, poſtquam ſatis in locis ſe communibus jactaſſet, ſolo ſilentio diſſolviſſe ſibi viſus eſt, arbitratus ſuffuſum ob oculos mentemque lectoris tornata ſua dictione pulverem, inductamque adverſarii argumenti oblivionem, ſed nec ipſe, nec quiſquam Chaldæorum ab eo ſeſe explicabit. Irretit ſe divus Thomas ſimilibus minutis, & temporis, & loci: opuſculo namque quod de fato inſcripſit, propterea eſſe geminis varia ingenia dicit, quod in locis maternis non eodem momento totum ſemen recipitur. Tum etiam centrum cordium amborum geminorum, cùm non ſit idem, ſed varia variiſque in locis eſſe quoque orizontes varios neceſſum eſt. Primum quantula eſt illa mora partium ſeminis? quantulum illud interſtitium cordium? ut ea res totam naturam hominum mutet. Ergo non ſatis erit ad mathematicum attuliſſe natum eſſe aliquem Valentiæ, vel Lutetiæ: ſed in quo vico, in quo cubiculo, in qua cubiculi parte. Verùm hiſce de rebus alio in opere diſputabo fuſius: docebóque homines nihil ſpei, nihil fidei vanis iſtis & ſuperſtitioſis adhibere rebus, ſed totos ab uno Deo Servatoréque noſtro Chriſto Jeſu pendere: in illo ſolo ſita eſſe fata omnium, ab illo ſolo petenda. Julius Firmic.

a QUod reſpondiſſe ferunt Nigidium.] *Hujus meminit Agell. lib. 19. cap. 14. dicitque Romæ floruiſſe Cæſaris, Ciceronis, & Varronis tempore. Meminit etiam Euſeb. in Chronico Olymp. 184. Pythagoricus & Magus in exilio moritur. De eo Lucan. lib. 1.* F. L. Coq.

At figulus, cui cura Deos ſecretaque mundi
Noſſe fuit, quem non ſtellarum Ægyptia Memphis
Æquaret viſu, numeriſque moventibus aſtra.

De eo narrat Suetonius in Auguſto c. 94. Et Dionyſ. lib. 45. infanti Auguſto recens edito ſtatim imperium orbis terrarum vaticinatum eſſe, idque ex inſpectione aſtrorum. At facile objiceretur Genethliacis geminos reperiri, ut plurimum natos ſub eadem conſtellatione, qui tamen diverſiſſimis ingeniis & moribus reperiantur. Ad hoc ex geminorum ortu petitum argumentum ita ſolent Genethliaci reſpondere, interſtitium illud temporis, quod medium eſt inter geminorum ortus, etſi mortalibus anguſtiſſimum videtur, in cœlo tamen ob ingentem ejus vaſtitatem, & rapidiſſimam vertiginem, magnam habere diſtantiam, & notabilem facere varietatem: & inde varietatem illam exiſtere, quæ in geminorum vita, & morib. plerumque cernitur. Juxta quod dixit Quintil. declamat. 8. in Geminis languentibus: nec enim tam pariter in lucem de maternis exiluere viſceribus, ut illos eadem origo ſignaverit. Quantum putas interfuiſſe temporis, dum primum uteri pondus egeritur, dum parumper exonerata vitalia altero rurſus homine laxantur? Breve fortaſſis, exiguumque videtur mortalibus oculis: ſed ſi terrena mente perſpicere velis orbis hujus vaſtitatem, ſcies multum eſſe, quod inter duas tranſcurrat animas. *Hoc ipſum Nigidius figulus tali exemplo demonſtrabat, Rotam quam incitatiſſime contortam cum*

bis eodem loco ſignaret atramento, ceſſante poſteà rota circumactione, haud parva reperta eſt inter duas illas partes rota ab eo ſignatas diſtantia. Verùm egregiè Auguſt. Hoc figmentum, *inquit*, fragilius eſt, quàm ipſa ſunt vaſa, quæ rota finguntur. Si enim tam brevi momento omnia mutantur, & variatur ratio conſtellationis, ſub qua quisque naſcitur, certè de nato infante nemo poterit certi quicquam prædicere, cùm illud temporis punctum, in quo eſt natus, nemini poſſit eſſe cognitum. *Itaque licet eſſet magna in homines aſtrorum vis & poteſtas, quid tamen ea ſingulorum hominum ortu portenderent, deprehendi non poſſet: Siquidem aſpectus cœli, & poſitio aſtrorum, quæ eſt in tempore, quo quisque naſcitur, certò nequit deprehendi, quòd incitatiſſimus aſtrorum motus tarditatem noſtræ conſiderationis & obſervationis tranſvolet. Picus Mirandulanus lib. 3. contra Aſtrologos cap. 3. meminit Nigidianæ rotæ, & ex eadem vanitatem arguit hujusmodi hominum, qui velint ex aſpectu aſtrorum judicium ferre de hominum moribus & conditione futura.*

Cap. IV.

De Eſau & Jacob geminis, multum inter ſe morum & actionum qualitate diſparibus.

L. Vives. Gen. 25. *a* NAti ſunt *a* duo gemini antiqua patrum memoria, ut de inſignibus loquar, ſic alter poſt alterum, ut poſterior plantam prioris teneret. Tanta in eorum vita fuerunt moribusque diverſa, tanta in actibus diſparilitas, tanta in parentum amore diſſimilitudo, ut etiam inimicos eos inter ſe faceret ipſa diſtantia. Nunquid hoc dicitur, quia uno ambulante, alius ſedebat: & alio dormiente, alius vigilabat, alio loquente, alius tacebat: quæ pertinent ad illas minutias, quæ non poſſunt ab eis comprehendi, qui conſtitutionem ſyderum, qua quisque naſcitur, ſcribunt, unde mathematici conſulantur? *b* β Unus duxit mercenariam ſervitutem, alius non ſervivit: unus à matre diligebatur, alius non diligebatur: γ unus honorem, qui magnus apud eos habebatur, amiſit, alter adeptus eſt. Quid de uxoribus, quid de filiis, quid de rebus, quanta diverſitas?

a NAti ſunt duo.] *Eſau & Jacob ex Iſaac & Rebecca. Gen. 25.*

b Unus duxit.] *Jacob Laban ſocero ſervivit propter Rachel. Erat & Rebeccæ matri chariſſimus, præripuitque fratri Eſau benedictionem, qua nihil erat vel honorificentius eo tempore, vel utilius.*

F. L. Coq. *a* NAti ſunt duo gemini antiqua Patrum memoria.] *Jacob & Eſau ex Iſaac & Rebecca. Geneſ. 25. Certè ex hac hiſtoria Jacob & Eſau, qui parentibus eisdem, unoque ſatu, atque uno partu procreati, diverſiſſimis tamen fuere ingeniis, ſtudiis, moribus, & caſibus, eventisque, meritò utuntur patres, ut vaniſſimas Genethliacorum prædictiones ex natalitiis hominum aſtris deductas redarguant. Non modò hoc loco, verum etiam lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 22. idem argumentum perſequitur Auguſt.* fieri, *inquit*, poteſt, ut aliqui gemini tam ſequaciter fundantur ex utero, ut intervallum temporis inter eos nullum poſſit apprehendi, & conſtellationum numeris annotari, unde neceſſe eſt nonnullos geminos easdem habere conſtellationes, cum paria rerum, vel quas agunt, vel quas patiuntur eventa non habeant,

ant, ſed plerumque ita diſparia, ut alius fœliciſſimus, alius infœliciſſimus vivat: Sicut Eſau & Jacob geminos accepimus natos, ita ut Jacob, qui poſtea naſcebatur, manu plantam fratris præcedentis tenens inveniretur. Horum certè dies, atque hora naſcentium aliter notari non poſſet, niſi ut amborum conſtellatio eſſet una. Quantum autem interſit inter amborum mores, facta, labores atque ſucceſſus, ſcriptura teſtis eſt jam ore omnium gentium pervagata. *Certè ita ex hac hiſtoria poſſumus arguere vanitatem hujusmodi Aſtrologorum, vel enim illi duo gemini nati ſunt ſub eadem conſtellatione, vel ſub diverſis; ſi ſub eadem, atqui diverſis longè fuere moribus, & inſtitutis, ut ex ſcriptura docet hic Auguſt. Si verò ſub diverſis conſtellationibus, quod non ſimul ſint nati, ſed unus poſt alterum, certè ut argumentatur D. Gregor. homil. 10. in Evang. ob eandem cauſam judicandum eſſet nullum hominem ſub eadem conſtellatione totum naſci, quia non totus ſimul ex utero procedit: Erunt igitur tot hominis fata, quot membra corporis. Jacob enim proximè natus eſt poſt Eſau, perinde quaſi unus infans inſtar duorum, vel duplo longior naſceretur, ut loquitur Auguſt. lib. 2. de Geneſ. ad lit. cap. 17. ubi eodem argumento geminorum Eſau, & Jacob utitur ad confutandos mathematicos: ſimili ratione diſputat Cic lib. 2. de divinat. contra mathematicos, quos Chaldæos vocat, quòd à Chaldæis primum hujuſmodi vanitas ſit introducta qui volunt omnes eodem tempore ortos, qui ubique ſunt nati, eadem conditione naſci:* quid, *inquit*, quod uno eodemque temporis puncto nati diſſimiles & naturas, & vitas, & caſus habent, parumne declarant nihil ad agendam vitam naſcendi tempus pertinere? niſi forte putamus neminem eodem tempore ipſo & conceptum & natum, quo Africanum. Numquid igitur talis fuit? *Ibidem:* Ego etiam hoc requiro, omnesne qui Cannenſi pugna ceciderunt, uno aſtro fuerint, exitus quidem omnium unus & idem fuit. Quid? qui ingenio atque animo ſingulares num aſtro quoque uno? Quod enim tempus, quo non innumerabiles naſcantur? at certè nemo ſimilis Homeri. *Hæc pauca ex multis, quibus ibidem confutat hanc vanitatem. Picus Mirandulanus lib. 3. contra Aſtrologos c. 3. eodem argumento utitur partus geminorum.*

β Unus duxit mercenariam ſervitutem.] *Jacob, qui XIV. annis ſervivit Labæ, & à matre plurimum diligebatur, & fratri præripuit benedictionem.*

γ Unus honorem, qui magnus apud eos habebatur.] *Primogenituram intelligit, & primogenitorum prærogativas in populo Dei, etiam ante legem Moſis fuiſſe commemorat Pererius in cap. 49. Geneſ. in expoſitione illorum verborum:* Ruben primogenitus meus. *Chryſoſt. homil. 51. in Geneſ. idem docet, quam apud veteres magnus eſſet honor primogenituræ.*

CAP. V.

Quibus modis convincantur mathematici vanam ſcientiam profiteri.

SI ergo hæc ad illas pertinent minutias temporum, quæ inter ſe habent gemini, & conſtellationibus non aſcribuntur, quare aliorum conſtellationibus inſpectis iſta dicuntur? Si autem ideo dicuntur, quia non ad minuta incomprehenſibilia, ſed ad temporum ſpatia pertinent, quæ obſervari notarique poſſunt: quid hic agit rota illa luti figuli, niſi ut homines luteum cor habentes in gyrum mit-

al. vaniloquio. mittantur, ne Mathematicorum † vaniloquentia convincantur? Quid denique idem ipſi, quorum morbum eodem tempore gravior leviorque apparebat ambo- rum, medicinaliter inſpiciens Hippocrates, geminos ſuſpicatus eſt? Nonne ſatis iſtos redarguunt, qui volunt ſyderibus dare, quod de corporum ſimili tempera- tione veniebat? Cur enim ſimiliter eodemque tempore non alter prior, alter poſterior ægrotabant, ſicut nati fuerant: quia α utique ſimul naſci ambo non poterant? aut ſi nihil momenti attulit, ut diverſis temporibus ægrotarent, quòd diverſis temporibus nati ſunt: quare tempus in naſcendo diverſum ad aliarum rerum diverſitates valere contendunt? Cur potuerunt diverſis tēporibus peregri- nari, diverſi tēporibus ducere uxores, diverſis tēporibus filios procreare: & multa alia, propterea quia diverſis tēporibus nati ſunt, & non potuerūt eadem cauſa di- verſis etiam tēporibus ægrotare? Si enim diſpar naſcendi mora mutavit horoſco- pum, & diſparilitatē intulit cæteris rebus, cur illud in ægritudinibꝰ manſit, quod habebat in temporis æqualitate conceptus? Aut ſi fata valetudinis in conceptu ſunt, aliarum verò rerum in ortu eſſe dicuntur, non deberent inſpectis natalium conſtellationibus de valetudine aliquid dicere, quando eis inſpicienda concepti- onalis hora non datur? Si autem ideo prænunciant ægritudines, non inſpecto cō- ceptionis horoſcopo: quia indicant eas momenta naſcentium, quomodo dice- rent cuilibet eorū geminorū ex nativitatis hora, quando ægrotaturus eſſet, cùm & alter qui non habebat eandē horam nativitatis neceſſe habeāt pariter ægrota- re? Deinde quæro, ſi tanta diſtantia eſt temporis in nativitate geminorum, ut per hanc oporteat, eis conſtellationes fieri diverſas, propter diverſum horoſcopum α β & ob hoc diverſos omnes cardines, ubi tanta vis ponitur, ut hinc etiam di- verſa ſint fata: unde hoc accidere potuit, cum eorum conceptus diverſum tem- pus habere non poſſit? Aut ſi duorum uno momento temporis conceptorum po- tuerunt eſſe ad naſcendum fata diſparia, cur non & duorum uno momento tem- poris natorum poſſint eſſe ad vivendum atque moriendum fata diſparia? Nam ſi unum momentum quo ambo concepti ſunt non impedivit, ut alter prior, alter poſterior naſceretur: cur uno momento ſi duo naſcuntur, impediat aliquid, ut alter prior, alter poſterior moriatur? Si conceptio momenti unius diverſos ca- ſus in utero geminos habere permittit: cur nativitas momenti unius non etiam quoslibet duos in terra diverſos caſus habere permittat? Ac ut omnia hujus artis vel potius vanitatis commenta tollantur, quid eſt hoc quod uno tempore, uno momento, ſub una eademque cœli poſitione concepti diverſa habent fata, quæ illos perducant ad diverſarum horarum nativitatem: & γ uno momento tem- poris, ſub una eademque cœli poſitione, de duabus matribus duo pariter nati, diverſa fata habere non poſſunt, quæ illos perducant ad diverſam vivendi vel moriendi neceſſitatem? An concepti nondum habent fata, quæ niſi naſcantur, habere non potuerunt? Quid eſt ergo quod dicunt, ſi hora conceptionalis inve- niatur, multa ab iſtis dici poſſe divinitus? Unde etiam illud à nonnullis prædica- tur, quòd quidam ſapiens horam elegit, qua cum uxore concumberet, unde fili- um mirabilem gigneret. Unde poſtremo & hoc eſt, quod de illis pariter ægro-

Hippocrates duos ægrotos geminos agnovit.

tanti-

tantibus geminis Poſſidonius magnus aſtrologus, idemque Philoſophus reſpondebat: ideo fieri, quòd eodem tempore fuiſſent nati, eodemque concepti. Nam utique propter hoc addebat conceptionem, ne diceretur ei non ad liquidum eodem tempore potuiſſe naſci, quos conſtabat omnino eodem tempore fuiſſe conceptos: ut hoc quod ſimiliter ſimulque ægrotabant, non daret de proximo pari corporis temperamento, ſed eandem quoque valetudinis parilitatem ſydereis nexibus alligaret. δ Si igitur in conceptu tanta vis eſt ad æqualitatem fatorum, non debuerunt naſcendo eadem fata mutari. Aut ſi propterea mutantur fata geminorum, quia temporibus diverſis naſcuntur, cur non potius intelligamus jam fuiſſe mutata, ut diverſis temporibus naſcerentur. Itane non mutat fata nativitatis voluntas viventium, cum mutet fata conceptionis ordo naſcentium?

α ET ob hoc diverſos cardines] *Cardines aſtrologi ponunt in genituris præcipuos quatuor: Horoſcopum, quod eſt Oriens ſignum, adverſum huic Occidens, quod ab horoſcopo diſtat partibus ſeu gradibus clxxx, per diametrum: Meſuranium ſive medium cæli inter horoſcopum & occaſum: Medium huic adverſum imum cœlum, Græcè ſic: ἀνατολὴ. δύσις, μεσουρανία, ὑπόγειον. Adduntur & quatuor alii cardines in 2. 6. 8. 12. ab hoc horoſcopo ſignis, qui cardines ſignificant deum, deam, bonam fortunam, & bonum dæmonem, Græcè θεὸν, θεὰν, ἀγαθὴν τύχην, ἀγαθοδαίμονα. Cardines nihil aliud ſunt, quàm cæleſtia ſigna, quæ ad judicandum ſpectantur, quorum primus eſt horoſcopus: ab illo cæteri numerantur. Cardo horoſcopi eſt vita, ſecundus pecuniæ vel ſpei, tertius fratrum, quartus parentum, quintus filiorum, ſextus valetudinis, ſeptimus conjugis, octavus mortis. Hæc ex nugis Materni, Manilius lib. 2, diverſa tradit. Sed quantum ad rem attinet, de cardinibus ſatis dictum eſt.* L. Vives.

α SImul naſci ambo non poterant] Neque enim, *inquit Triphonius Juriſconſultus,* Natura permittit ſimul uno impetu, duos infantes de utero matris excedere, ut de ordine naſcentium non appareat, *hic multis rationibus confutat mathematicorum vanitatem.* F. L. Coq.

β Ob hoc diverſos omnes cardines] *Cardines dicuntur duæ cæli partes immobiles ſibi mutuò oppoſitæ, quarum altera eſt ad Septemtrionem, altera ad Auſtrum, quas polos vocant Arcticum & Antarcticum: Et linea illa recta, quam Aſtronomi ab uno polo ad alterum imaginantur, Axis dicitur. Sæpè Coſmographi cardinum nomine quatuor præcipuas cæli regiones intelligunt, Ortum & Occaſum, Septentrionem & Meridiem. Verùm Aſtrologorum more cardines hic quatuor intelligit, quos ipſi ponunt, Horoſcopum, qui eſt oriens ſignum; adverſum huic occidens, quod ab Horoſcopo per diametrum diſtat gradibus 180. medium cæli, quod Græci μεσουρανίαν vocant, æquidiſtantem ab ortu & occaſu: medium huic adverſum imum cæli, quod ὑπόγειον dicunt. De quibus Manilius lib. 2. multa tradit. Dicuntur & quatuor κέντρα γενέσεως, alii cuſpides vocant, alii etiam angulos.*

γ Sub una, eademque cœli poſitione concepti] *Vide Picum Mirandulanum lib. 7. contra Aſtrologos cap. 2. & 3.*

δ Si igitur in conceptu tanta vis eſt.] *Plus conceptui eſſe tribuendum, quàm*

nativitati, diſputat Picus lib. 7. cap. 2. & 3. Etiam ex ſententia Ptolomæi 3. Apoteleſmatum. Solum utendum hora nativitatis, cum hora conceptus ignoratur, quaſi neſcientibus horam hominis concepti, & tamen volentibus de eius fato divinare, ad nativitatem neceſſario ſit confugiendum, ut hora genituræ ſit, quaſi poſt naufragium tabula.

Cap. VI.

De geminis diſparis ſexus.

QUanquam α & in ipſis geminorum conceptibus, ubi certè amborum eadem momenta ſunt temporum, ſæpe fit, ut ſub eadem conſtellatione fatali alter concipiatur maſculus, altera fœmina. β Novimus geminos diverſi ſexus: ambo adhuc vivunt, ambo ætate vigent adhuc. Quorum cum ſint inter ſe ſimiles corporum ſpecies, quantum in diverſo ſexu poteſt: inſtituto tamen & propoſito vitæ ita ſunt diſpares, ut præter actus, quos neceſſe eſt à virilibus diſtare fœmineos, ille *a* in officio comitis militat, & à ſua domo penè ſemper peregrinatur: ille de ſolo patrio, & de rure proprio non recedit. Inſuper quod eſt incredibilius, ſi aſtralia fata credantur: non autem mirum, ſi voluntates hominum & Dei munera cogitentur. Ille conjugatus, illa virgo ſacra eſt: ille numeroſam prolem genuit, illa nec nupſit. At enim plurimum vis horoſcopi valet. Hoc quàm nihil ſit, jam ſatis diſſerui. Sed qualecunque ſit, in ortu valere dicunt. Nunquid & in conceptu, ubi & unum concubitum eſſe manifeſtum eſt? *b* Et tanta naturæ vis eſt, ut cum γ conceperit fœmina, deinde alterum concipere omnino non poſſit. Unde neceſſe eſt, eadem eſſe in geminis momenta conceptus. An fortè quia diverſo horoſcopo nati ſunt, δ aut ille in maſculum dum naſcerentur, aut illa in fœminam commutata eſt? Cum igitur non uſquequaque abſurde dici poſſit, ad ſolas corporum differentias afflatus quoſdam valere ſydereos, ſicut in ε ſolaribus acceſſibus & deceſſibus videmus etiam ipſius anni tempora variari, & ζ lunaribus incrementis atque decrementis augeri, & minui quædam genera rerum: ſicut echinos, & conchas, *c* & η mirabiles æſtus Oceani: non autem & animi voluntates poſitionibus ſyderum ſubdi: nunc iſti, cum etiam noſtros actus inde religare conantur, admonent ut quæramus, unde nec in ipſis quidem corporibus eis poſſit ratio iſta conſtare. *d* Quid enim tam θ ad corpus pertinens, quàm corporis ſexus? Et tamen ſub eadem poſitione ſyderum diverſi ſexus gemini concipi potuerunt. Unde quid inſipientius dici aut credi poteſt, quàm ſyderum poſitionem, quæ ad horam conceptionis eadem ambobus fuit, facere non potuiſſe, ut cum quo habebat eandem conſtellationem, ſexum diverſum à fratre non haberet: & poſitionem ſyderum, quæ fuit ad horam naſcentium, facere potuiſſe, ut ab eo tam multum virginali ſanctitate diſtaret?

Superſtitationem in homine non fieri

L. Vives. Comit. *a* IN officio comitis] *Comitis nomen, quæ eſt dignitas, inauditum eſt priſcis, à recentibus inventum. Marcellinus Ammianus meminit lib. 14. Nebridii comitis Orientis, & Gerontii comitis Magnentianæ partis, & libro 16. Urſuli comitis largitionum,*

tionum, & libro 21. Philagrii comitis Orientis. Haud facilè dixerim, an iſti comites ſint, quos Græci dicunt ἀκολέθους, qui hærebant perpetuò in comitatu principis.

b Et tanta naturæ vis eſt.] *Ex animalibus lepus & daſypus ſoli ſuperfœtant, ut Ariſtoteles & Plinius perhibent, ita ut concepto uno fœtu, & in utero adhuc exiſtente alter concipiatur. In muliere, inquit Ariſtoteles lib. Hiſtor. animalium ſeptimo, raro contingit, ut ſuperfœtet: ſed contigit tamen, & vitales naſcuntur, cùm paululum temporis inter duos conceptus interceſſit, quomodo Herculem & Iphiclem procreatos eſſe fabulantur. Fuit & adultera, quæ alterum marito, alterum adultero ſimilem eodem partu ediderit. Hæc & alia ibidem Ariſt. & Plin. lib. 7. quæ ſunt rara exempla. Et ſi quis vellet contendere, cogi non poſſet, ut ſuperfœtatione confiteretur illos fœtus eſſe generatos, tametſi non ignoro, Eraſiſtratum nobilem arte medica dicere, geminos omnes ſuperfœtatione gigni, multos geminos eodem modo, quidam Stoicorum ſunt autores. Hippon verò & Empedocles uno coitu multitudine ſeminis provenire geminos exiſtimant. Aſclepiades ſeminis non abundantiæ, ſed vi ac virtuti id tribuit.* *Animalia ſuperfœtantia.*

c Et mirabiles æſtus Oceani.] *Bene mirabiles, quorum nemo adhuc veram cauſam ad liquidum deprehendit ſive gemini diurni incrementi, ſive gemini menſtrui, quas nautæ aquas vivas vocant plena luna & in coitu.* *Oceani æſtus.*

d Quid enim tam ad corpus pertinens.] *Reliqua enim in omni genere animalium vir & fœmina congruunt, præterquàm ratione illa generandi, in qua eſt ſexus: ut vir ſit, qui in alio poſſit ex ſe generare: fœmina verò, quæ ex alio in ſe: ideò verſas in viros fœminas produnt multi.*

α QUanquam & in ipſis geminorum conceptibus.] *Proſequitur author improbare, etiam ab ipſa rerum experientia vanitatem Aſtrologorum, qui fatalem conſtituunt conſtellationem, & ex ea velint de futura hominum conditione divinare. Narrat enim ſæpe fieri, ut gemini naſcantur ſub eadem conſtellatione, alter maſculus, & altera fœmina, qui inſtituto & propoſito vitæ ſint longè diſpares.* F.L.Coq.

β Novimus geminos diverſi ſexus.] *Ariſt. lib. 7. hiſt. animal. cap. 4.* Cùm in cæteris animalibus gemini nati, etiamſi mas & fœmina ſint, nihilominus enutriantur, ſerventurque, quam ſi mares ambo, aut fœminæ ſint, in genere certè humano pauci gemini ſervantur, ſi alter mas ſit, alter fœmina.

γ Cum conceperit fœmina, alterum concipere non poſſit.] *In muliere, ut teſtis eſt Ariſt. lib. 7. hiſt. animal. raro contingit, ut ſuperfœtet. Superfœtare tamen mulieres poſſe & Hippocratis liber de ſuperfœtatione inſcriptus, & Ariſtotelis atq; Plinii authoritas, & ipſa experientia docet. Aliquot enim ſuperfœtaſſe mulieres Ariſt. lib 7. hiſt. animal. cap. 4. ad finem tradit, & vitales etiam partus naſci, cum paululum temporis inter duos conceptus interceſſit. Ita Alcmenam Herculem, & Iphiclem eodem partu, alterum quidem Jovi, alterum verò Amphitryoni ediſſe fabulantur. Et de adultera quadam refert, quæ alterum ſuo marito, alterum adultero ſimilem peperit. Et cum geminos quadam ferret, tertium ſuperfœtavit, & cum tempus pariendi juſtum jam eſſet, primos vitales peperit, tertium quinto menſe eliſit,*

eliſit, qui ſtatim mortuus eſt, Vide Plinium lib. 7. c. 11. Quòd verò ſcribit hoc loco D. Auguſt. fœminam, cum conceperit, alterum concipere non poſſe, ita id intelligendum, quod rarò fiat, ut fœmina ſuperfœtet, quod ipſe teſtatur Ariſt. loco citato, & Avicenna Phen. lib. 3.

δ Aut ille in maſculum dum naſcerentur, aut illa in fœminam] *Certè vanum eſt, id referre in horoſcopum diverſum Avicenna 21. 3.* Cauſa, *inquit*, geminorum ſeminaria provenit copia, quando uteri ſinus uterque fuerit oppletus. Et dextra quidem parte ut plurimùm concipi mares volunt, ſiniſtra verò fœminas. *Cui ſententiæ ſuffragari Hippocrates videtur ſententiarum lib. 5. Ita refert Rhodig. li. 4. lect. Antiq. cap. 23.*

ε In ſolaribus acceſſibus & deceſſibus.] *Quando enim Sol eſt in Cancro, Leone, Virgine, ſignis nobis propinquioribus, tum eſt æſtas; quando in ſignis remotioribus Capricorno, Aquario Piſcibus, Hyems; Quando in æquinoctio verno, & declinat ad ſigna Septentrionalia, eo quidem tempore, quo eſt in Ariete, Tauro, Geminis, efficit vernum tempus; ut Autumnum quando ab æquinoctio autumnali vergit ad ſigna meridionalia, tum quidem quamdiu eſt in Libra, Scorpio, & Sagittario. Ex vario itaque ſitu & acceſſu, vel receſſu Solis ad nos in Zodiaco habemus quatuor anni tempora.*

ζ. Et Lunaribus incrementis.] *Plin. lib. 2. cap. 41.* Jam quidem lunari poteſtate, oſtreorum, conchiliorumque, & concharum omnium corpora augeri, ac rurſus minui. *Et cap. 90.* Sydus lunæ eſſe quod terras ſaturet, accedensque corpora impleat, abſcedens inaniat. Ideò cum incremento eius augeri conchilia, & maximè ſpiritum ſentire, quibus ſanguis non ſit.

η. Mirabiles æſtus oceani.] *Quibus oceani aquæ reciproca agitatione nunc ad littus accedunt, nunc in ſe redeunt, ſubſiduntq;. Unde verò æſtus, ſeu acceſſus ac receſſus ille maris, variè ſentiunt philoſophi Hæc tamen ſententia obtinuit, quæ eam cauſam Lunæ motui diurno aſcribit: quemadmodum enim motus ille in quatuor quartas eſt diviſus, juxta quatuor cœli quartas, quarum quatuor ſunt puncta, ortus, occaſus, culmen diei, & culmen noctis; Ita mare ſingulis diebus naturalibus quater movetur, bis fluendo, & bis refluendo Fluendo quidem, cum luna ab ortu uſq; ad meridiem aſcendit; refluendo, cum à meridie uſq; ad occaſum deſcendit: rurſus cum ab occaſu ad noctis culmen progreditur fluendo, ac demum à noctis culmine uſque ad ortum refluendo. Tanta tamen eſt fluxus & refluxus hujusce varietas, ut præter Lunæ motum, alias præterea cauſas habere videatur: ſi enim ſolus Lunæ motus æſtum efficit, cur pro cœli quatuor cardinibus ſingulis ſex horis non fit ubiq; huiusmodi maris æſtus? Verùm in quibusdam locis, ut in mari juxta Æthiopiam ſingulis quatuor horis fluxus abſolvitur, octo refluxus. Nec fluxus ille & refluxus in omnibus maris tractibus conſpicitur, ſed in oceano tantum, eoq; maximè occidentali; nec enim in mari Liguſtico, Tyrrheno, Narbonenſi, alibique perſpicitur hujusmodi æſtus. Nonnulli propterea, cum Lunæ hanc cauſam adſcribendam non dubitent, quæ humidis corporibus maximè dominatur, præter tamen Lunæ motum ac lumen, latentem quamdam vim, quam influxum vocant, qua vim ſuam in inferiora maximè*

humida

humida corpora tranſmittat, conſtituunt. Rectè etiam D. Auguſt. incrementis ac decrementis Lunæ id aſcribit: ſiquidem in plenilunio maximè ferunt huiuſmodi æſtus, aliàs miteſcunt. Præter cæteros vide Plin. lib. 2. cap. 97. Strabonem de ſitu orbis lib. 3. Contarenum lib. 2. de elementis. Michaelem Medinam lib. 2. de recta in Deum fide cap. 1.

b Non autem animi voluntates poſitionibus ſyderum ſubdi.] *Vide D. Thomam 1. parte, quæſt 95. art. 5. & lib 3. contra Gentes cap. 88.*

c Tam ad corpus pertinens, quàm corporis ſexus?] *In multis quidem, ut auctor eſt Ariſt. lib. 1. polit. differunt mas & fœmina, & alia ſunt utriusq; domi officia, hoc tamen potiſſimum, ut idem ſcribit lib. 1. de generat. Animal. cap. 2.* Quod mas ſit animal, quod in alio gignit; fœmina, quod in ſeipſo.

Cap. VII.

De electione diei, quo uxor ducitur, quòve in agro aliquid plantatur aut ſeritur.

Iam *a α* illud quis ferat, quòd in eligendis diebus nova quædam ſuis actibus fata moliuntur? Non erat videlicet ille natus, ut haberet admirabilem filium, ſed ita potius, ut contemptibilem gigneret: & ideo vir doctus elegit horam, qua miſceretur uxori. Fecit ergo fatum quod non habebat, & ex ipſius fato cœpit eſſe fatale, quod in ejus nativitate non fuerat. O ſtultitiam ſingularem, eligitur dies ut ducatur uxor. Credo propterea, quia poteſt in diem non bonũ, niſi eligatur, incurri, & infœliciter duci. *b* Vbi eſt ergo, quod naſcenti jam ſydera decreverunt? An poteſt homo, quod ei jam conſtitutum eſt, diei electione mutare: & quod ipſe in eligendo die conſtituerit, non poterit ab alia poteſtate mutari? Deinde ſi ſoli homines, non autem omnia quæ ſub cælo ſunt conſtellationibus ſubjacent, *c β* cur alios eligunt dies accommodatos ponendis vitibus vel arboribus, vel ſegetibus: alios dies pecoribus, vel domandis, vel admittendis maribus, quibus equarum vel boum fœtentur armenta, & cætera hujuſmodi? Si autem propterea valent ad has res dies electi, quia terrenis omnibus corporibus, ſive animantibus, ſive non animantibus, ſecundùm diverſitates temporalium momentorum, & ſyderum poſitio dominatur: conſiderent quàm innumerabilia ſub uno temporis puncto, vel naſcantur, vel oriantur, vel inchoëntur: & tam diverſos exitus habeant, ut iſtas obſervationes cuivis puero ridendas eſſe perſuadeant. Quis enim eſt tam excors, ut audeat dicere, omnes arbores, omnes herbas, omnes beſtias, ſerpentes, aves, piſces, vermiculos, momenta naſcendi, ſingillatim habere diverſa? Solent tamen homines ad tentandam peritiam mathematicorum afferre ad eos conſtellationes mutorum animalium, quorum ortus propter hanc explorationem domi ſuæ diligenter obſervant, eóſque mathematicos præferunt cæteris, qui conſtellationibus inſpectis dicunt, non eſſe hominem natum, ſed pecus. Audent etiam dicere quale pecus, utrum aptum lanicio, an vectationi, an aratro, an cuſtodiæ domus. Nam & ad ca- *Fatum.*

nina fata tentantur, & cum magnis admirantium clamoribus iſta reſpondent. Sic deſipiunt homines, ut exiſtiment, cùm homo naſcitur, cæteros rerum ortus ita inhiberi, ut cum illo ſub eadem cæli plaga nec muſca naſcatur. Nam ſi hanc admiſerint, procedit ratiocinatio, quæ gradatim acceſſibus modicis eos à muſcis ad camelos elephantóſque perducat. Nec illud volunt advertere, quòd electo ad ſeminandum agrum die, tam multa grana in terram ſimul veniunt, ſimul germinant, exorta ſegete ſimul herbeſcunt, pubeſcunt, flaveſcunt, & tamen inde ſpicas cæteris coævas, atque, ut ita dixerim, congerminales alias rubigo interimit, alias aves depopulantur, alias homines avellunt? Quomodo iſtis alias conſtellationes fuiſſe dicturi ſunt, quas tam diverſos exitus habere conſpiciunt? An eos pœnitebit his rebus dies eligere, eáſque ad cæleſte negabunt pertinere decretum, & ſolos ſyderibus ſubdent homines, quibus ſolis in terra Deus dedit liberas voluntates? His omnibus conſideratis, non immerito creditur, *d* cùm γ aſtrologi mirabiliter multa vera reſpondent, *e* occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum, δ quorum cura eſt has falſas & noxias opiniones de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus atque firmare, non horoſcopi notati & inſpecti aliqua arte, quæ nulla eſt.

Aſtrologi quando vera reſpondeant.

L.Viv. *a* IAm illud quis ferat.] *Scribunt de electionibus aſtrologi, ſicut Haly, Abenragel, & Meſſalach libro in id dicato. Haly interpres Ptolemai, ut ſcribit Ioannes Picus, frivolam eſſe atq; inefficacem hanc partem Aſtrologiæ aſſerit.*

b Vbi eſt ergo quod naſcenti.] *Si ad id, quod aggrederis, adverſam habes natalem conſtitutionem, nihil proderit auſpicatio, ex ſententia Ptolomæi. Picus adverſus aſtrologos lib.2. de hac re paulò plura, tametſi ſummam argumentorum Auguſt. hic attingit.*

Heſiodus Rei ruſticæ ſcriptores.

c Cur alios eligunt dies] *Vetuſtiſſ. omnium Heſiodus ἐν ἡμέραις, dies lunæ anniq; operibus ruſticis faciendis diſtinxit. Hunc ſecuti ſunt Græci & Latini barbariq; ſcriptores agricolationum: Democritus & hunc æmulatus Vergilius, Cato ſenior, Varro, Columella, Palladius, Plinius.*

d Cùm aſtrologi mirabiliter multa.] *Neceſſe eſt aliquando collimet, qui frequenter jaculatur: falſa mathematicorum reſponſa pauci recordantur, vera celebrantur pro admirabilibus.*

e Et occulto inſtinctu.] *Idem Auguſtinus 2. ſuper Geneſin ad literam, & 2. De doctrina Chriſtiana: Sunt, inquit, hæc aſtrorum indicia ex pactis cum dæmonibus, & inſtinctu eorum occultiſſimo, quem neſcientes humanæ mentes patiuntur. Illéq; eſt fortunatior in prædicendo, qui faventiorem habet dæmonem, magiſq; propitium.*

F.L.Coq. α ILlud quis ferat, quod in eligendis diebus] *Picus Mirand. lib. 2. contra Aſtrologos cap. 2 & 3. huiuſmodi auſpicationes, quas electiones dicunt, inutiles eſſe docet, adducto teſtimonio Haly interpretis Ptolomæi, qui expreſſis verbis docet, frivolam eſſe & inefficacem hanc Aſtrologiæ partem, quæ eſt de electionibus. Idem ratione & experientia probat: fœliciſſimè enim & ex voto ſucceſſit iis principibus, qui hujuſ-*

hujuſmodi vanitates repudiarunt, neq; ad aliquid aggrediendũ expectarunt judicium Aſtrologorum; infœliciſſimè è contra illis, qui curioſius his vanitatibus ſeſe dederunt. Huius generis eſt, quod quis eligat diem, qua uxori miſceatur, quod quam ridiculum ſit, docet hic Auguſtinus.

β Cur alios eligunt dies &c.] *Videndus Heſiodus in opere* Ἔργα καὶ ἡμέραι.

γ Cum Aſtrologi mirabiliter multa vera reſpondent.] *Nigidius Auguſto nato dominium orbis terrarum ſtatim prædixit, quem Theogenes Mathematicus adoravit inſpecta genitura. Julio Cæſari prædictum ab Aſtrologo, ut ſibi caveret ab idibus Martiis. Othoni nondum Imperatori Seleucus Mathematicus ſuperſtitem Neroni & brevi imperaturum promiſit, quod quidem mox evenit. Domitiano adhuc adoleſcentulo Mathematici mortis qualitatem prædixerunt. De C. Caligula, quid Thraſyllus Mathematicus Tiberio conſulenti prænunciaverit, vide Suetonium. Cùm verò certum ſit, prædictiones Aſtrologorum ut plurimùm vanas eſſe, qua ratione tamen nonnunquam cum eis eventa congruant, tres ſunt præcipuè cauſæ. Prima, quod cùm multa prænuncient, caſu ex iis aliquid evenit. Quod præter alios obſervavit Favorinus apud Agellium lib 14. cap. 1. dicens, Aſtrologos non comprehenſa neq; percepta dicere, ſed lubrica conjectione innixos, & quaſi per tenebras ingredientes, nonnunquam in veritatem imprudenter, ac rarò admodùm incidere; ita ut omnia, quæ temerè aut aſtutè vera dicunt, præ cæteris, quæ mentiuntur, pars milleſima non ſit. Quoniam autem, quæ falſo dicunt, plerumq; ſilentio involvuntur; at quæ verè, licet caſu, in vulgus hominumq; ſermonem dimanant, inde fit ut apud imperitos divinare exiſtimentur. Legi poteſt D. Auguſt. lib. 83. quæſtionum, quæſt. 45. Secunda cauſa eſt occulta divinæ providentiæ diſpoſitio, quæ ut docet D. Auguſt. lib. 4. Confeſſ. cap. 3. aliquando cæcas hominum mentes ignoto quodam inſtinctu ſic agitat, ut neſcientes proferant, quæ conſulentes vel ex eorum meritis, vel ex abyſſo juſti judicij Dei oporteat audire. Loco citato refert Auguſt. ſe incidiſſe in quendam Medicum in Aſtrologia judiciaria apprimè verſatum, qui eam tamen deteſtaretur, & cum eum ab illius ſcientiæ ſtudio deterreret, interrogaſſe, qui fieret, ut tam multa indè vera pronunciarentur, reſpondiſſeq;, vim ſortis hoc facere in rerum natura uſquequaq; diffuſam. Nec id mirum, cum fortuitæ ſortes aliquam interdùm dent futurorum ſignificationem. Sic Alexand. Severo (referente Lampridio in ejus vita,) cùm adhuc eſſet adoleſcens, & nihil minùs, quam de Imperio cogitaret, dum Virgilianas ſortes puerorum more ſcrutatur, verſus illi ex 6. Æneid. obtigere, qui futurum illi imperium portenderent.*

Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes, paciſque imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Tertia cauſa eſt, quod nonnunquam Aſtrologus ea prædicit, quæ ipſi dæmon ex pacto & ſocietate, vel ex occulto inſtinctu ſuggerit, quod indicat auctor hoc loco. Undè ſapienter idem monet lib. 2. ſuper Geneſ. ad lit. c. 17. & poſt eum D. Tho. 2. 2. quæſt. 95. art. 5. ad 2. magis cavendos eſſe Aſtrologos, qui vera dicunt, quam qui falſa: Hi enim vanitatem ſuam produnt; illi initi cum dæmonibus fœderis ſuſpicionem

nem dant. Addit D. Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſt. c.22. & 23. uſu venire interdum, ut homines hiſce deditiſuperſtitionibus, vera prænuncient permittente Deo in ſcelerum pœnam, hanc eis dari occaſionem ſeſe magis magisq; inſerendi multiplicibus laqueis perniciosiſſimi erroris.

δ Quorum cura eſt has falſas.] *Aſtrologiam inventum eſſe dæmonum docet Lactant. lib. 2. c.17. atq; eam ſcriptura ſacra, ſacra concilia, ſancti patres ac Theologi uno ore, ut talem damnant & improbant.*

Cap. IIX.

De his, qui non aſtrorum poſitionem, ſed connexionem cauſarum ex Dei voluntate pendentem fati nomine appellant.

QUi verò non aſtrorum conſtitutionem, ſicuti eſt, cùm quidque concipitur vel naſcitur, vel inchoatur, *a* ſed *a* omnium connexionem ſeriemque cauſarum, qua fit omne quod fit, fati nomine appellant: non multum cum eis de verbi controverſia laborandum atque certandum eſt: quando quidem ipſum cauſarum ordinem & quandam connexionem Dei ſummi tribuunt voluntati & poteſtati, qui optimè & veraciſſimè β creditur, & cuncta ſcire antequam fiant, & γ nihil inordinatum relinquere: à quo ſunt omnes poteſtates, quamvis ab illo non ſint omnium voluntates. δ Ipſam itaque præcipuè Dei ſummi voluntatem, cuius poteſtas inſuperabiliter per cuncta porrigitur, eos appellare fatum ſic probatur, *b* Annei Senecæ ſunt, niſi fallor, hi verſus:

Duc me ſumme pater, alti dominator Olympi,
Quocunq; placuerit, nulla parendi mora eſt.
Aaſum impiger: fac nolle, comitabor gemens:
Malusq; patiar facere quod licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Nempe evidentiſſimè hoc ultimo verſu ea fata appellavit, quam ſuprà dixerat ſummi patris voluntatem, cui ſe paratum obedire dicit, ut volens ducatur, ne nolens trahatur: quoniam ſcilicet ducunt volentem fata, nolentem trahunt. *c* ε Illi quoque verſus Homerici huic ſententiæ ſuffragantur, quos Cicero in Latinum vertit:

Tales ſunt hominum mentes, qualis pater ipſe
Iupiter auctiferas luſtravit lumine terras.

Nec in hac quæſtione autoritatem haberet poetica ſententia. Sed quoniam Stoicos dicit, vim fati aſſerentes, iſtos ex Homero verſus ſolere uſurpare, non de illius poetæ, ſed de iſtorum philoſophorum opinione tractatur, cùm per iſtos verſus, quos diſputationi adhibent, quam de fato habent, quid ſentiant eſſe fatum, apertiſſimè declaratur, quoniam Jovem appellant, quem ſummum Deum putant, à quo connexionem dicunt pendère fatorum.

L.Vives. Fatum quid Stoicis.

a SEd omnium connexionem, ſeriemque cauſarum,] *Cicero 1. De divinat. ex ſententia Stoicorum: fieri igitur omnia fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Græci εἱμαρμένην, id eſt, ordinem ſeriemq; cauſarum, cum cauſa*

cauſam ex ſe gignat. Ea eſt ex omni æternitate fluens veritas ſempiterna. Chryſippus apud Gell. fatum dicit eſſe φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ ἀμεταβόλου μὲν οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. *id eſt: Naturalem compoſitionem rerum omnium jam inde ab æternitate aliarum ex aliis naſcentium, eſſeq; immutabilium ejusmodi complicationem.*

b Annei Senecæ] *Libro Epiſtolarum decimoctavo,, verſus ſunt ex Cleanthe Stoico, Latini facti à Seneca: ſenarii omnes, ſed primas parum correctè legitur vulgò. Ratio verſus melius conſtaret, ſi ſic diceretur.*

Duc me parens, celſique dominator poli.

In exemplari Colonienſi eſt: Duc ſumme pater, altiq; dominator poli. Non omninò malè. In duobus paribus locis primis ſunt tribrachi: quos recipit hoc genus carminis etiã exactius, nedũ illud licentioſũ comicũ aut tragicũ. Idẽ Seneca libro tertio De beneficiis, de Deo loquens: Hunc eundem & fatũ ſi dixeris, non errabis. Nãq; fatũ nihil aliud eſt, quàm ſeries implexa cauſarum. Ille eſt prima omnium cauſa, ex qua cætera pendent. Eadem eſt communis omnium Stoicorum ſententia, ut unum Deum eſſe dicerent, ipſumq; & mentem, & fatum, & Jovem nominari, aliisq; nominibus permultis. Ita de fato quatuor ſunt veterum ſententiæ, quas Joan. Picus recenſet lib. Contra aſtrologos 4. Ut alii fatum eſſe naturam dicant, ut quæ electionis ſint, vel caſus, extra fatum ſint, quemadmodum Verg. ait, Didonem, quæ ſe occideret, non mori fato. Et Cic. 1. Antoniana: Si quid mihi humanitus accidiſſet, multa enim impendere videbantur præter naturam, etiam præterq; fatum. Hæc opinio eſt phyſica, eamq; Alexander eſt ſecutus Ariſtotelis interpres. Altera ponit æternam ſeriem cauſarum neceſſario nexarum: Tertia ſydera facit fata. Quarta divini conſilij executionem fatum vocat.

c Illi quoque verſus Homeri.] *Odiſſeæ,* τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. *Verba ſunt Uliſſis ad Phemium affirmantis, mentes hominum mutari ſubinde, nec ipſas conſtare ſibi, eſſeq; ſingulis diebus, quales eo ipſo die vult illas eſſe Iupiter deorum atq; hominum parens. Latinus verſus poſterior non expreſſit Homeri ſenſum, niſi ſit mendum, quod ſuſpicor.*

SEd omnium connexionem, ſeriemque cauſarum.] *Ita fatum conſtituebant* F.L.c.4.
Stoici, dum cauſa ex ſe cauſam parit, quousq; res ad ultimum effectum perducatur, ut quod quis (verbi gratia) Romæ natus Florentiam venerit, quòd ibi excitatus ſit tumultus, & volens ſedare tumultum interfectus fuerit. Hæc omnia ex quibus effectum eſt, ut vir ille occiſus fuerit, fati nomine Stoici intelligunt. Qui tamen eo inter ſe differebant, ut auctor eſt Plotinus Enneade 3. lib. 1. quod quidam illarum cauſarum ſeriem, ut divinæ providentiæ ſubjectam, id eſt præſcientiæ & voluntati Dei ordinanti hujusmodi ſeriem cauſarum ad producendum determinatum effectum, dicerent eſſe fatum. Quod etiam teſtatur, & probare hic videtur D. Auguſt. Alij volebant ipſam connexionem & coordinationem cauſarum etiam non relatam ad divinam vel ſummam providentiam eſſe fatum. Hæc ſententia ex eo, quòd ex tali ſerie cauſarum putat omnia evenire neceſſariò, eſt & con-

tra fidem, & contra rationem naturalem, & meritò impugnatur infra c. 10. quia in ordine hujusmodi cauſarum continentur etiam noſtræ voluntates, & cauſæ contingentes, quæ poſſunt producere & non producere ſuos effectus, & præterea mutuò ſe impedire: Igitur ex tali ſerie cauſarum non ſequitur aliquis effectus inevitabiliter & neceſſariò: at neq; ex eadẽ ſerie cauſarũ, ut ſubeſt divinæ præſcientiæ, quæ præſcientia Dei rebus non imponit neceſſitatẽ, ut ſequẽti c. docebit, ibi enim cõtendit contra Ciceronẽ, cum præſcientia divina conſiſtere libertatem arbitrij. Nec ex ſerie etiam cauſarum relata ad divinam voluntatem ſequitur neceſſario effectus, ſi cauſæ ſint contingentes, quæ enim ab illis pendent, Deus determinare non vult, & effectus ſequitur naturam cauſarum particularium ac proximarum, ut ſi contingentes; ſint, effectus ſint contingentes; ſi neceſſariæ, neceſſarij.

β Creditur cuncta ſcire, antequam fiant.] *Id paſſim docet ſcriptura Iſai 45.* Annunciate quæ futura ſunt, & dicemus quia Dij eſtis. *Hierm. 1.* priuſquam te formarem in utero, novi te. *Daniel 13.* Deus æterne, qui noſti omnia antequam fiant. *Sap. 8.* Scit præterita, & de futuris æſtimat. *Eccl. 23.* Domino Deo noſtro, antequam crearentur, nota ſunt omnia. *Et 42.* Deus novit omnem ſcientiam, annuncians ea, quæ præterierunt, & quæ ſuperventura ſunt *Joan. 1.* Vidi te ſub ficu, priuſquam te vocaret Philippus. *Rom. 4.* Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt. *Heb. 4.* Omnia nuda ſunt, & aperta oculis ejus. *Imò certitudo prophetiæ pendet ex divina cognitione futurorum. Iacob Geneſ. 49. ſpiritu divino prædicit, quæ ventura erant in diebus noviſſimis. Itaq; omnes Prophetæ futura longè ante prædixere.*

γ Nihil inordinatum relinquere.] *Omnia ſiquidem in numero, pondere & menſura. alias in ordine, ſpecie & modo. Ex ordine, qui in univerſo obſervatur, arguitur facilè debere eſſe ſapientem quandam mentem, à qua omnia regantur & adminiſtrentur: omnis enim ordo proficiſcitur ab aliquo ſapiente, cum ſapientis ſit teſte Ariſtot. lib. 1. Metaphyſic. c. 2. ordinare.*

δ Ipſam itaque præcipuè Dei ſummi voluntatem.] *Cic. lib. 1. de divinat.* fatum id appello, quòd Græci *εἱμαρμένην i. e.* ordinem, ſeriemque cauſarum, cum cauſa cauſæ nexa rem ex ſe gignat: Ea eſt ex omni æternitate fluens veritas ſempiterna. *Equidem licet fatum concedi poſſit in ea ſignificatione, qua uſurpatur pro divina voluntate, ſeu æterna rerum diſpoſitione in mente divina, impropriè tamen, cum ſignificet potius executionem divinæ providentiæ & diſpoſitionis iſtiuſmodi in rebus.*

ε Illi quoque verſus Homerici.] *Habentur Odyſſeæ 18.*

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Quibus ſignificat voluntates hominum ſubinde mutari, eſſeq; tales ſingulo quoq; die, quales velit eſſe hominum deumq; parens Iuppiter. Vnde ultimus verſus latinus non videtur exprimere Homeri ſenſum; verba ſunt Ulyſſis ad Amphinomum, quæ ſic vertit interpres Homeri: Talis enim mens eſt terreſtrium hominum, qualem diem adducit pater virorumque, deorumque.

CAP. IX.

De præſcientia Dei & libera hominis voluntate, contra Ciceronis definitionem.

HOs Cicero ita redarguere conatur, ut non exiſtimet aliquid ſe adverſus eos valere, niſi auferat divinationem. Quam ſic conatur auferre, ut neget eſſe ſcientiam futurorum, eamque omnibus viribus nullam eſſe omnino contendat, *a* vel *α* in Deo vel in homine, nullamque rerum prædictionem. Ita & Dei præſcientiam negat, & omnem prophetiam luce clariorem conatur evertere vanis argumentationibus, & opponendo ſibi quædam oracula, quæ facilè poſſunt refelli: quæ tamen nec ipſe * convincit. In his autem mathematicorum conjecturis refutandis ejus regnat oratio, quia verè tales ſunt, ut ſe ipſæ deſtruant & refellant. *β* Multò ſunt autem tolerabiliores, *b* qui vel ſydera fata conſtituunt, quàm iſte, qui tollit præſcientiam futurorum. Nam & confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt. Quod & ipſe cùm videret, etiam illud tentavit aſſerere, quod ſcriptum eſt. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus: ſed non ex ſua perſona. Vidit enim quàm eſſet invidioſum & moleſtum, ideoque Cottam fecit diſputantem de hac re adverſum Stoicos in libris De deorum natura. *c* & pro *γ* Lucilio Balbo, cui Stoicorum partes defendendas dedit, maluit ferre ſententiam, quàm pro Cotta, qui nullam naturam divinam eſſe contendit. In libris verò De divin. *d* ex ſeipſo apertiſſimè oppugnat præſcientiam futurorum. Hoc autem totum facere videtur, ne fatum eſſe conſentiat, & perdat liberam voluntatem. Putat enim conceſſa ſcientia futurorum, ita eſſe conſequens fatum, ut negari omnino non poſſit. Sed quoquo modo ſe habeant tortuoſiſſimæ concertationes & diſputationes philoſophorum, nos ut confitemur ſummum & verum Deum, ita voluntatem ſummamque poteſtatem ac præſcientiam ejus confitemur. Nec timemus ne ideo voluntate non faciamus, quod voluntate facimus: quia id nos facturos ille præſcivit, cujus præſcientia falli non poteſt. Quod Cicero timuit, ut oppugnaret præſcientiam: *e* & Stoici, ut non omnia neceſſitate fieri dicerent, quamvis omnia fato fieri contenderent. Quid eſt ergo, quod Cicero timuit in præſcientia futurorum, ut eam labefactare diſputatione deteſtabili niteretur? Videlicet quia ſi præſcita ſunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura eſſe præſcita ſunt. Et ſi hoc ordine venient, certus eſt ordo rerum præſcienti Deo: & ſi certus eſt ordo rerum, certus eſt ordo cauſarum. Non enim aliquid fieri poteſt, quod non aliqua efficiens cauſa præceſſerit. Si autem certus eſt ordo cauſarum, quo fit omne quod fit: fato inquit, fiunt omnia quæ fiunt. Quod ſi ita eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate, nullumq; eſt arbitriũ voluntatis. Quod ſi concedimus inquit, omnis humana vita ſubvertitur: fruſtra leges dãtur, fruſtra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibẽtur: neq; ulla juſtitia bonis præmia, & malis ſupplicia conſtituta ſunt. Hæc ergo ne conſequantur indigna, & ab-

Al. ipſa.

ſurda, & pernicioſa rebus humanis, non vult eſſe præſcientiam futurorum: atque in has anguſtias Cicero coarctat animum religioſum, ut unum eligat è duobus: aut eſſe aliquid in noſtra voluntate, aut eſſe præſcientiam futurorum: quoniam utrunque arbitratur eſſe non poſſe: ſed ſi alterum confirmatur, alterum tolli: ſi elegerimus præſcientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium: ſi elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipſe itaque ut vir magnus & doctus, & vitæ humanæ plurimum ac peritiſſimè conſulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaretur, negavit præſcientiam futurorum: atque ita dum vult facere liberos, facit ſacrilegos. Religioſus autem animus utrumque elegit, utrumque confitetur, & fide pietatis utrunque confirmat. Quomodo, inquit: Nam ſi eſt præſcientia futurorum, ſequuntur illa omnia, quæ connexa ſunt, donec eò perveniatur, ut nihil ſit in noſtra voluntate. Porrò ſi eſt aliquid in noſtra voluntate, eiſdem recurſis gradibus eò pervenitur, ut non ſit præſcientia futurorum. Nam per illa omnia ſic recurritur. Si eſt voluntatis arbitrium, non omnia fato fiunt: ſi non omnia fato fiunt, non eſt omnium certus ordo cauſarum. Si certus cauſarum ordo non eſt, nec rerum certus eſt ordo præſcienti Deo, quæ fieri non poſſunt, niſi præcedentibus & efficientibus cauſis. Si rerum ordo præſcienti Deo certus non eſt, non omnia ſic veniunt, ut ea ventura præſcivit. Porrò ſi non omnia ſic eveniunt, ut ab illo ventura præſcita ſunt, non eſt, inquit, in Deo præſcientia omnium futurorum. Nos adverſus iſtos ſacrilegos auſus atque impios, & Deum dicimus omnia ſcire, antequam fiant, & voluntate nos facere, quicquid à nobis non niſi volentibus fieri ſentimus & novimus. Omnia verò fato fieri non dicimus, imò nulla fieri fato dicimus: quoniam fati nomen ubi ſolet à loquentibus poni, id eſt, in conſtitutione ſyderum, qua quiſque conceptus aut natus eſt: quoniam res ipſa inaniter aſſeritur, nihil valere monſtramus. Ordinem autem cauſarum, ubi voluntas Dei plurimum poteſt, neque negamus, neque fati vocabulo

Fato nulla fieri. nuncupamus, *f* niſi fortè ut fatum *δ* à fando dictum intelligamus, id eſt, à loquendo: non enim abnuere poſſumus eſſe ſcriptum in literis ſanctis: Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi: quoniam poteſtas eſt Dei, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes unicuique ſecundùm opera ejus. Quòd enim di-

Pſ. 62. ctum eſt, *ε ſemel locutus eſt*, intelligitur immobiliter, hoc eſt incommutabiliter eſt locutus, *ζ* ſicut novit incommutabiliter omnia quæ futura ſunt, & quæ ipſe facturus eſt. Hac itaque ratione poſſemus à fando fatum appellare, niſi hoc nomen jam in alia re ſoleret intelligi, quo corda hominum nolumus inclinari. *η* Non eſt autem conſequens, ut ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, ideo nihil ſit in noſtræ voluntatis arbitrio. Et ipſæ quippe noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, ejusque præſcientia continetur, quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt. Atque ita qui omnes rerum cauſas præſcivit, profectò in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum

rum cauſas eſſe præſcivit. *g* Nam & illud quod idem Cicero concedit, nihil fieri, ſi cauſa efficiens non præcedat, ſatis eſt ad eum in hac quæſtione redarguendum. Quid enim eum adjuvat, quod dicit: Nihil quidem fieri ſine cauſa, ſed non omnem cauſam eſſe fatalem: quia eſt cauſa fortuita, eſt naturalis, eſt voluntaria? Sufficit quia omne, quod fit, nonniſi cauſa præcedente fieri confitetur. Nos enim eas cauſas, quæ dicuntur fortuitæ, unde etiam fortuna nomen accepit, non eſſe dicimus nullas, ſed latentes, easque tribuimus vel Dei veri, vel quorumlibet ſpirituum voluntati: *h* ipſasque naturales nequaquam ab illius voluntate ſejungimus, qui eſt autor omnis conditorque naturæ. Jam verò cauſæ voluntariæ aut Dei ſunt aut angelorum, aut hominum, aut quorunque animalium: *i θ* ſi tamen appellandæ ſunt voluntates animalium rationis expertium, motus illi, quibus aliqua faciunt ſecundùm naturam ſuam, cùm quid boni malive appetunt, vel evitant. [*Cauſæ voluntariæ.*] Angelorum autem voluntates dico, ſive bonorum, quos Angelos Dei dicimus: ſive malorum, quos angelos Diaboli, vel etiam dæmones appellamus. Sic & hominum bonorum ſcilicet, & malorum: ac per hoc colligitur non eſſe cauſas efficientes omnium quæ fiunt, niſi voluntarias illius naturæ, ſcilicet quæ ſpiritus vitæ eſt. [*Gen. 1. Spiritus vitæ.*] Nam & aër iſte ſive ventus dicitur ſpiritus: ſed quoniam corpus eſt, non eſt ſpiritus vitæ. Spiritus ergo vitæ qui vivificat omnia, creatorque eſt omnis corporis & omnis creati ſpiritus, ipſe eſt Deus utique ſpiritus non creatus. In eius voluntate ſumma poteſtas eſt, * qui creatorem ſpirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat, & quibusdam tribuit poteſtatem, quibusdam non tribuit. [*al. quæ.*] Sicut enim omnium naturarum creator eſt, ita omnium poteſtatum dator non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non ſunt, quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt. [*Voluntates malæ à Deo non ſunt.*] Corpora igitur magis ſubjacent voluntatibus, quædam noſtris, id eſt, omnium animantium mortalium, & *κ* magis hominum quàm beſtiarum: *λ* quædam verò angelorum: ſed omnia maximè Dei voluntati ſubdita ſunt. Cui etiam voluntates omnes ſubjiciuntur: quia non habent poteſtatem niſi quam ille concedit. Cauſa itaque rerum quæ facit, nec fit, Deus eſt. Aliæ verò cauſæ, & faciunt, & fiunt: ſicut ſunt omnes creati ſpiritus, & maximè rationales. Corporales autem cauſæ, quæ magis fiunt, quàm faciunt, non ſunt inter cauſas efficientes annumerandæ, quoniam hoc poſſunt, quod ex ipſis faciunt ſpirituum voluntates. Quomodo igitur ordo cauſarum, qui præſcienti certus eſt Deo, id efficit, ut nihil ſit in noſtra voluntate, cum in ipſo cauſarum ordine magnum habeant locum noſtræ voluntates? *k* Contendat ergo Cicero cum eis, qui hunc cauſarum ordinem dicunt eſſe fatalem, vel potius ipſum fati nomine appellant, quod nos abhorremus: præcipuè propter vocabulum, quod non in re vera conſuevit intelligi. [*Voluntas noſtra in cauſarum ordine magnum locum habet.*] Quod verò negat ordinem omnium cauſarum eſſe certiſſimum, & Dei præſcientiæ notiſſimum, plus eum quàm Stoici deteſtamur. Aut enim Deum eſſe negat, quod quidem inducta alterius perſona in libris De deorum natura facere molitus eſt: aut ſi eſſe confitetur Deum, [*Negans*]

Præſci. entia Dei Deum ipſum negat. quem negat præſcium futurorum, etiam ſic dicit nihil aliud quàm quod ille, dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. *μ* Qui enim non eſt præſcius omnium futurorum, non eſt utique Deus. *l* Quapropter & voluntates noſtræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit atque præſcivit: & ideo quicquid valent, certiſſimè valent: & quod facturæ ſunt ipſæ, omnino facturæ ſunt: quia valituras atque facturas ille præſcivit, cuius præſcientia falli non poteſt. Quapropter *m* ſi mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem *ν* fatum eſſe infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in poteſtate, quàm illo cauſarum ordine, quem non uſitato, ſed ſuo more Stoici fatum appellant, arbitrium noſtræ voluntatis auferri. *al. firmiorū & pot.*

L. Vives. *a* VEl in Deo, vel in homine.] *Libro de divinit. 2. ubi cum Q. fratre diſputans divinationem omnem conatur tollere, quam Q. ſuperiore libro aſſeruerat. Ait enim: Nihil eſt enim tam contrarium rationi & conſtantiæ, quàm fortuna, ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut ſciat quid caſu & fortuitu futurum ſit. Si enim ſcit, certè illud eveniet, ſin certè eveniet, nulla fortuna eſt. Eſt autem fortuna: rerum igitur fotuitarum nulla præſenſio: hæc ibi, & alia quæ ad intelligendum hoc caput faciunt, nos locum ceu digito indicaſſe fuerit ſatis.*

b Qui ſydera fata] *Omnes illi ponunt ſydera fata: ſed alii tanquam prima, & quæ ſuis legibus trahunt omnia, nulli Deo pareant.*

c Et pro Lucilio Balbo] *Sic enim in fine ultimi libri pronunciat: Hæc cum eſſent dicta, ita diſceſſimus, ut Velleio Cottæ diſputatio verior, mihi Balbi ad veritatis ſimilitudinem videretur eſſe propenſior.*

d Ex ſeipſo] *Nam lib. ſecundo ſeipſum facit loquentem confutantemq́, quæ frater dixerat de divinatione.*

e Et Stoici] *De hoc proximo capite.*

f Niſi fortè ut fatum à fando] *Varro lib. De lingua Latina 5. Quod Parcæ conſtituerunt naſcenti à fando fatum dictum. Lucanus in nono:*

Non vocibus ullis.
Numen eget, dixitq́, ſemel naſcentibus autor.
Quicquid ſcire licet.

Quod videtur mutuatus ex illo dicto Pſalmi, quod Auguſtinus hic citat, vel ex illo Job. 33. Semel locutus eſt Deus, & ſecundo id ipſum non repetit. Utroq́ loco unica illa Dei locutione ſtabilitas definitæ eius ſcientiæ ſignificatur, ut vulgò interpretantur: illud verò in Pſalmo: Duo hæc audivi: ſunt qui referant ad hæc duo quæ ſequuntur: Quia poteſtas Dei eſt: &, Tibi Domine miſericordia. Alii de duobus teſtamentis intelligunt. Targum Chaldæum cum his videtur nonnihil ſentire, in quo ſic eſt, legem unam locutus eſt Deus, & bis illam audivimus de ore Moſis ſcribæ magni, quoniam virtus coram Deo noſtro: tu verò Deus, ut benefacias juſtis.

g Nam & illud quod idem concedit.] *Alibi contendit. In libello de fato ex ſententia Carneadis in tres ſpecies partitur cauſas: in naturales, quæ ex rerum natu-*

naturis proficiſcuntur, ut deſcendere lapidem, calefacere ignem. Voluntarias, quæ ſitæ ſunt in liberis hominum voluntatibus, quarum non neceſſe eſſe cauſas externas & antecedentes, ſatis eſt libere. Et fortuitas, quæ obſcuræ ſunt, & ignoratæ nonnullæ: quâ in re conſentit cum omnibus phyſicis, quibus nihil fieri placet ſine cauſa.

b Ipſasque naturales.] *Non eſt alia natura ignis cur caleat, aut ſaxi cur deſcendat, aut hominis cur rationetur, & vivat, & generet ex ſe ſibi ſimilem, & aliarum rerum, quàm quòd ita juſſit parens naturæ: ſi contrarium juſſiſſet: & frigeret ignis, & aſcenderet lapis, & brutum ſtupidum eſſet homo, nec viveret, nec gigneret.*

i Si tamen appellandæ voluntates ſunt.] *Ariſtoteles libro De anima tertio, voluntatem ſolis rationalibus ineſſe dicit: appetitum eſſe in beluis, qui eſt inſtinctus à natura datus aliquid perſequendi aut fugiendi. Voluntas in rationalibus ducem habet rationem, comitem electionem, ſive eſt electio ipſa.*

k Contendat ergo Cicero.] *Diſputet ſanè Cicero cum Stoicis.* **Deus**

l Quapropter & voluntates noſtræ tantum valent.] *Creavit Deus voluntates noſtras liberas: quæ ideo liberæ ſunt, quia illa voluit, & utrumlibet poſſunt facere ex contrariis, aliud tamen factura non ſunt, quàm quod Deus præſcivit, quia aliud haud dubiè nunquam facient, tametſi poſſunt. Certum eſt enim fieri pleraq; poſſe, quæ nunquam fient: ita non res futuræ ex ſcientia Dei manant: ſed ſcientia potius Dei ex illis, quæ tamen futuræ non ſunt Deo, in quo eſt error multorum, ſed præſentes. Quocirca non rectè dicitur præſcire, niſi relatum ad actiones noſtras dicendus eſt, ſcire, videre, cernere. Quod ſi indignum videtur à fluxa caducaq; rerum natura ſempiteram ſcientiam generari, dicamus à providentia voluntateq; Dei cognitionem eius proficiſci, voluntatem ſtatuere quid futurum ſcit: ſcientiam, quid voluntas ſtatuerit, noſſe. Origenes ſuper Geneſin: Quod futurum eſt, ait cauſam eſſe cur id eventurum prævideri Deus. Itaq; non id fieri, quia præſcitur: potius contra præſciri, quia futurum eſt.* **quomodo videat futura.**

m Si mihi fati nomen.] *Sic ſæpe autores Latinæ linguæ, velut poetæ & hiſtorici, & oratores, Fata dicunt hominum, & voluntatem deorum. Bœtius tale diſcrimen facit inter fatum & providentiam, quale hic Auguſt. inter fatum & voluntatem. Apuleius in Dogmate Platonis: Providentiam eſſe divinam ſententiam conſervatricem proſperitatis eius, cuius cauſa tale ſuſcipit officium. Divinam legem eſſe fatum, per quod inevitabiles cogitationes Dei atq; incepta complentur. Unde ſi quid providentia agitur, id agitur etiam fato: & quod fato terminatur, providentia debet ſuſceptum videri. Sed eſſe aliquid in nobis, & in fortuna nonnihil, & fortunæ improvidos caſus ignorari à nobis fatetur: inſtabile enim & incurrens intercedere ea ſolere, quæ conſilio fuerunt & meditatione ſuſcepta, quæ non patiantur meditata ad finem venire: & tunc quidem cum impedimentum illud utiliter provenit, res illa fœlicitas nominatur. At ubi repugnationes iſtæ nocivæ erunt, infœlicitas dicitur. Sic ille.*

E.L.C.9. α VEL in Deo vel in homine.] *Hoc cap. docet, in Deo eſſe præſcientiam futurorum, nec tollere tamen ipſam libertatem arbitrij. Itaq; Ciceronem reprehendit, qui cùm non videret, qua ratione poſſet conciliare libertatem arbitrij in nobis, cum præſcientia certa & infallibili rerum futurarum in Deo, nec cogeretur negare libertatem arbitrij, ſuſtulit præſcientiam futurorum. Itaq;* dum vult facere liberos *(inquit)* facit ſacrilegos, *ſi nimirum, ut conſtituamus in nobis libertatem arbitrij, impiè ac ſacrilege tollamus præſcientiam futurorum, quæ Dei maximè propria eſt, ita docuit Cic. li. 2. de divin. ex propria ſententia tollens ipſam divinationem, h.e. præſcientiam futurorum, cum 1. lib. Q. fratrem in contrariam partem diſſerentem induxiſſet, & lib. de fato. Quæ Ciceronis ſententia non modò cum ſacra ſcriptura, verùm & cum ratione ipſa naturali pugnat, ut qui affirmare audeat, Deum non eſſe præſcium futurorum, contingentium & liberorum; perinde ſe habeat ac ſi cum inſipiente dicat;* non eſt Deus: *ut hæc duo ex diametro ſecũ pugnent, eſſe Deũ & non eſſe præſciũ futurorũ.* Et religioſus animus, *inquit,* utrumq; eligit, utrumq; confitetur, & fide pietatis utrumq; confirmat, utrumq; enim in ſcripturis ſacris nobis revelatum, & utrumque Catholica fide, quæ divinæ revelationi innititur, certiſſimum eſt: ut licet ea non poſſemus ſimul conciliare, neutrum tamen citra fidei præjudicium negari poſſit. *Quemadmodum Cic. ne rerum contingentiam & libertatem arbitrij tolleret, ſuſtulit præſcientiam rerum futurarum à Deo, quòd ſcientia infallibilis & certa non videretur poſſeſſa re cum contingentia rerum: Ita è converſo alij philoſophi & multi hæretici, cum faterentur illam præſcientiam, ab ea contingentiam deſtrui, & uſum libertatis, rebuſq; omnibus fatalem quandam neceſſitatem imponi aſſeruerunt. Ita Wicleff inter cæteros, ut conſtat ex Waldenſe tom. 1. c. 22. & 25. Eadem difficultas eſt conciliandi ipſam providentiam divinam, prædeſtinationem, gratiam Dei efficacem cum libertate arbitrij. Quo factum eſt, ut nonnulli, ut ſtatuerent libertatem arbitrij, negarint efficacem Dei gratiam. Alij verò poſita gratia efficaci Dei aſſeruerint, in nobis non remanere libertatem arbitrij. Extat apud D. Anſel. elegans libellus de concordia præſcientiæ & prædeſtinationis, nec non gratiæ Dei cum libero arbitrio. Atq; de hac materia Theologi diſſerunt, ubi de Dei ſcientia, providentia, prædeſtinatione, Dei gratia, ac de libero arbitrio agunt.*

β Multo ſunt autem tolerabiliores.] *Minùs enim impium eſt; negare in nobis libertatem arbitrij, & fatalem quandam neceſſitatem in noſtris actionibus inducere, quàm negare à Deo præſcientiam futurorum; id enim impium & ſacrilegum eſt, idq; demùm eſt negare divinitatem ipſam.*

γ Pro Lucilio Balbo, cui Stoicorum partes.] *Cotta partes agit Epicuri, qui providentiam Deorum tollebat, Balbus verò partes Stoicorum, qui eam aſſerebant, atq; auditis utrinq; rationibus ad calcem tertij lib. de nat. deor. Cic. ita concludit:* Hæc cum eſſent dicta, ita diſceſſimus, ut Velleio Cottæ diſputatio verior, mihi Balbi ad ſimilitudinem veritatis videretur eſſe propenſior.

δ Ut fatum à fando.] *A participio* fatus *deducit Priſcianus, quòd* fatum *ſit velut dictum ac juſſum divinum. Varro lib. 4. de lingua Lat.* fatur is, qui primum

mum homo ſignificabilem ore emittit vocem. Ab eo antequam ita faciant pueri dicuntur infantes, cum id faciunt, jam fari. Ab hoc tempore, quod tum pueris conſtituant Parcæ fando, dictum fatum, & res fatales.

ε Semel locutus eſt Deus.] *Ex Pſ.61. quod interpretatur immutabiliter, irrevocabiliter Deus locutus eſt, ad firmitatẽ & certitudinẽ aſſeverationis divinæ, ut* (ſemel) *immutabilitatem ſignificet. Sic Pſ. 88.* Semel juravi in ſancto meo, *ad ſignificandam ſemel facti juramenti firmitatem. Ita Hebr. 9.* Statutum eſt omnibus hominib. ſemel mori, *i.e. immutabiliter, immobili decreto. Ita Job. 33.* Semel loquitur Deus, *i.e. immutabiliter, quod nunquam retractet, quod ſemel decrevit. quod Jſa. 46. legitur:* Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.

ζ Sicut novit incommutabiliter.] *Quemadmodum enim Deus contingentia certa & infallibili ſcientia novit, & materialia immaterialiter, & compoſita ſimpliciter, & enunciabilia per ſimplicem intelligentiam; Ita etiam mutabilia immutabiliter & invariabiliter novit.*

η Non eſt autem conſequens.] *Ex præſcientia Dei potiùs libertatẽ in nobis, & contingentiã in reb9, quã contrariũ colligi docet. Quẽadmodũ n. præſcivit De9 nos aliquid facturos, ita libera voluntate facturos prævidit: in ordine n. cauſarũ etiam prævidet & noſtras voluntates, quas liberè ſeſe determinaturas ad aliquid agendũ præcognoſcit: licèt enim non aliud factura ſint, quàm quod Deus præcognoſcit, quia præſcientia Dei infallibilis eſt & certa, poſſunt tamen ad aliud ſe determinare, & eas novit Deus liberas ac indifferentes, & præſcientia illius æterna non modò ad actiones voluntatis, vel ad effectus cauſarum contingenter agentium terminatur, verùm etiam ad modum eorum, quod ſc. liberè & contingenter à voluntatibus noſtris, vel cauſis contingentibus procedere debeant. Hoc idem docet lib. 3. de lib. arb. c. 3.* fit, *inquit,* ut Deum non negemus eſſe præſcium omnium futurorum, & nos tamen velimus, quod volumus: Cum enim ſit præſcius voluntatis noſtræ, cujus eſt præſcius, ipſa erit: voluntas ergò erit, quia voluntatis eſt præſcius. Nec voluntas eſſe poterit, ſi in poteſtate non erit: ergò & poteſtatis eſt præſcius. Non igitur per ejus præſcientiam mihi poteſtas adimitur, quæ propterea mihi certior erit, quia ille, cujus præſcientia non fallitur, adfuturam mihi eſſe præſcivit. *Ubi hoc argumento utitur, quod Deus ut præſcivit quæ homo facturus eſt, ita etiam, quæ facturus eſt ipſe, ut quid de juſtis & impiis ſit facturus, quæ tamen non neceſſitate, ſed libera voluntate facturus eſt. Deus enim extra ſe nihil neceſſariò, ſed omnia liberè operatur. Eodem modo explicat Anſelmus concordiam præſcientiæ divinæ & liberi arbitrij:* Non debes, *inquit,* dicere, præſcit Deus me peccaturum, vel non peccaturum, ſed præſcit me Deus peccaturum ſine neceſſitate, vel non peccaturum; *Et ita ſequitur, quod ſive peccaveris, ſive non peccaveris utrumq; ſine neceſſitate erit. Ut Deus intelligatur præſcire effectum eo modo eventurum, quo à cauſa procedit, ut à libera liberè, à contingente contingenter, à neceſſaria neceſſariò.*

θ Si tamen appellandæ ſunt voluntates.] *Nam voluntas intelligitur facultas animæ intellectualis, eſtq; appetitus rationalis, ſpecie diſtinctus ab appetitu ſenſi-*

tivo, qui eſt in animalibus rationis expertibus, & ipſum rationis ductum ſequitur.

ι Omnium poteſtatum datur, non voluntatum.] *De actionibus & motibus ipſius voluntatis loquitur, non de facultate ipſa: ſic enim ſcribit lib. 12. Confeſſ. c. 11.* Hoc ſolum à te non eſt, quod non eſt, motusque voluntatis à te qui es, ad id quod minus eſt, quia talis motus delictum atque peccatum eſt. *Et lib. de ſpiritu & lit. c. 31.* Legimus, *inquit*, non eſt poteſtas niſi à Deo, non autem legimus, non eſt voluntas niſi à Deo, & rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt. *Aliqua igitur voluntas non eſt à Deo? quo vero ſenſu, an quia ad illam non concurrit? verum cum reale eſſe habeat, neceſſario à Dei concurſu pendet, fortaſſe quia Deus illam voluntatem non compulit, nec præcepit, nec ad illam moraliter movit; ut conſtat in malis voluntatibus, in quibus hoc loco ponit exemplum, ut enim ſcribit Proſper ad object. 5. Vincent.* Sicut prævaricatoribus Angelis non Deus indidit illam, quæ in veritate non ſtetit, voluntatem; ita nec hominibus hunc [illegible]ctum, quo diabolum imitarentur, inſeruit. *Id licet verum ſit, ut tamen [illegible]vit Pater Suarez lib. 1. de concurſu Dei cum voluntate cap. 13. n. 12. [illegible] iens D. Auguſtini præſertim hoc loco. Intendit enim explicare contra [illegible], præſcientiam Dei non impedire liberam actionem voluntatis, quia Deus illa præſcientia videat connexionem omnium cauſarum, tamen in actionibus [illegible] cauſis earum eſt voluntas libera, quam item Deus videt, & eius determinationem; quo ſenſu ait Deum eſſe auctorem omnium poteſtatum, nimirum ſola ſua efficacia & virtute, in quo ſenſu ſubdit, non eſſe auctorem omnium voluntatum, ſc. ſua efficacia, determinando illas ex vi ſui concurſus, & ita, inquit, erit univerſalis propoſitio, quæ explicatur in malis actibus, quia in eis notior eſt, non quia in eis ſolis vera ſit; longè tamen diſpar ratio, quia bonarum voluntatum auctor dici poteſt, nullo modo malarum: ad hoc enim concurſum ſuum præbet, ut voluntas ad bonum, non ad malum ſe determinet, & quod malè agat, eſt præter illius intentionem. Deinde in actionibus gratiæ ita Deus prævenit voluntatem, eamq; ſuo auxilio efficaci prædeterminat, ut nihilominus libere ſeſe determinet, nec efficacia gratiæ tollat voluntatis libertatem, & ab æterno Deus præſcit voluntatem, ſi efficaciter ab eo vocetur ad opera ſalutis ſe determinaturam liberè tamen; Nec itaq; præſcientia Dei in illis actionibus, ut nec prædeſtinatio tollit libertatem illarum actionum.*

κ Magis hominum, quàm beſtiarum.] *Ariſtot. lib. 1. polit. cap. 5. in homine conſiderat duplex imperium, herile & civile, δεσποτικὴν ἀρχὴν καὶ πολιτικήν.* Animus, *inquit*, imperat corpori ſeruili imperio, ut nullo modo poſſit reluctari imperanti: mens verò appetitui civili, & regio.

λ Quædam verò Angelorum.] *Ita exiſtimavit Ariſtot. li. 12. Metaphyſ. text. 44. corpora cæleſtia moveri ab intelligentijs. Et ipſe D. Auguſt. lib. 83. quæſtionum quæſt. 79.* Unaquæque res viſibilis in hoc mundo habet Angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam. *Et D. Grego. lib. 4. dialog. c. 5.* In hoc mundo viſibili nihil, niſi per creaturam inviſibilem diſponi poteſt. *De præſidentia Angelorum ſuper*

ſuper creaturam corporalem videri poteſt D. Tho. 1. p. quæſt. 110. & 3. lib. contra Gentes c. 78. & 83.

μ Qui enim non eſt præſcius omnium futurorum, non eſt utique Deus.] *Ita enim certa & infallibilis præſcientia futurorum Dei eſt propria, ut ſoli ipſi, & quidem neceſſariò conveniat. Iſai 41.* Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dii eſtis vos. *Theodoretus:* Vos, *inquit* Idola & falſa numina, prædicite futura, & narrate præterita, quæ à principio facta ſunt, ut probetis vos eſſe Deos. *Cyrillus ad eum locum Iſaiæ.* Divinæ & ineffabilis gloriæ proprium ac peculiare eſt, omnia ſcire, nihil prorſus ignorare neque præteritorum, neque inſtantium neque futurorum. *Et Chryſ. hom. 18. in cap. 1. Joannis.* Hoc, *inquit*, vel maximè Dei opus eſt, quod neque dæmones imitari poſſunt, quamvis majorem in modum adnitantur. In miraculis enim ſæpe ſub veritatis umbra decipi poſſumus: certa autem prædictio futurorum immortalis Dei duntaxat opus eſt. *Deinde, quemadmodum Deus ſua immenſitate omnia loca complectitur, ut nullus dari poſſit locus, cui non ſit præſens divina cognitio; Ita ſua æternitate omnia tempora complectitur. Cùm ergo divina cognitio menſuretur æternitate, nihil certè eſt vel præteritum, vel etiam futurum, quod divinam cognitionem ſubterfugiat. Negare itaq; præſcientiam ipſam futurorum à Deo, eſt negare divinitatem ipſam.*

ν Fatum eſſe infirmioris, potentioris voluntatem.] *Ita Platon. providentiam definiebant, ut eſſet ἣ πρώτȣ θεȣ̃ νόησις ἤτȣ βȣ́λησις:* Supremi Dei cogitatio ſive voluntas. *Et Boetius li. 4. de conſolat. phil. tale diſcrimen conſtituit inter providentiam & fatum, quale D. Auguſt. hoc loco inter voluntatem & fatum, ut providentia ſit in Deo, fatum rebus mobilibus inhærens diſpoſitio, per quam providentia ſuis quæq; nectit ordinibus, i. e. executio divinæ providentiæ, & veluti imago ipſius rebus impreſſa, ut ipſa ordinatio rerum in fines ſuos per media convenientia, prout eſt ab æterno in mente divina, dicatur providentia; prout verò ex tempore exercetur in rebus, dicatur fatum.*

CAP. X.

An voluntatibus hominum aliqua dominetur neceſſitas.

UNde nec illa neceſſitas formidanda eſt, quam formidando *a* Stoici laboraverunt, cauſas rerum ita diſtinguere, ut quaſdam ſubtraherent neceſſitati, quaſdam ſubderent: atque in his, quas eſſe ſub neceſſitate noluerunt, ß poſuerunt etiam noſtras voluntates, ne videlicet non eſſent liberæ, ſi ſubderentur neceſſitati. Si enim neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in poteſtate, ſed etiam ſi nolumus, efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis: manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè, vel perperam vivitur, ſub tali neceſſitate non eſſe. γ Multa enim facimus, quæ ſi nollemus, non utique faceremus. Quò primitus pertinet ipſum velle: nam ſi volumus, eſt: ſi nolumus, non eſt. Non enim vellemus, ſi nollemus. δ Si autem illa definitur eſſe neceſſitas, ſecundùm quã dicimꝰ neceſſe eſſe, ut ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. *b* ε Neque enim

& vitam DEI & ζ præſcientiam DEI ſub neceſſitate ponimus, ſi dicamus neceſſe eſſe DEUM ſemper vivere, & cuncta præſcire: η ſicut nec poteſtas eius minuitur cùm dicitur, mori fallique non poſſe. Sic enim hoc non poteſt, ut potius ſi poſſet, minoris eſſet utique poteſtatis. θ Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non poteſt. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod ſi accideret, nequaquam eſſet omnipotens. Unde propterea quædam non poteſt, quia omnipotens eſt.* Sicut etiam cùm dicimus, neceſſe eſt eſſe, ut cum volumus, libero velimus arbitrio: & verum procul dubio dicimus: & non ideo ipſum liberum arbitrium neceſſitati ſubjicimus, quæ adimit libertatem. Sunt igitur noſtræ voluntates, & ipſæ faciunt quicquid volendo facimus, quod non fieret, ſi nollemus. Quicquid autem aliorum hominum voluntate nolens quiſque patitur, etiam ſic voluntas valet: etſi non illius tamen hominis voluntas, ſed poteſtas Dei eſt. Nam ſi voluntas tantum eſſet, nec poſſet quod vellet, potentiore voluntate impediretur. Nec ſic tamen voluntas, niſi voluntas eſſet, nec alterius, ſed eius eſſet, qui vellet, etſi non poſſet implere quod vellem. Unde quicquid præter ſuam voluntatẽ patitur homo, non debet retribuere humanis, vel angelicis, vel cuiusquã creati ſpiritus voluntatibus, ſed eius potius, qui dat poteſtatẽ volentibus. c κ Nõ ergo propterea nihil eſt in noſtra voluntate, quia Deus præſcivit, quid futurũ eſſet in noſtra voluntate. Nõ enim, qui hoc præſcivit, nihil præſcivit. Porrò ſi ille, qui præſcivit, quid futurũ eſſet in noſtra voluntate, non utiq; nihil, ſed aliquid præſcivit: profecto & illo præſciente, eſt aliquid in noſtra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur: aut retenta præſcientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas eſt, negare præſcium futurorum, ſed utrunq; amplectitur, utrũq; fideliter & veraciter confitemur. Illud, ut bene credamus: hoc, ut bene vivamus. λ Malè autẽ vivitur, ſi de Deo non bene creditur. Unde abſit à nobis eius negare præſciẽtiã, ut liberi* eſſe velimus, quo adjuvãte ſumus liberi, vel erimus. d μ Proinde non fruſtra ſunt leges, objurgationes, exhortationes, ν laudes, & vituperationes: quia & ipſas futuras eſſe præſcivit, & valent plurimũ quantũ eas valituras eſſe præſcivit: & ξ preces valent ad ea impetranda, quæ ſe precantibus conceſſurũ eſſe præſcivit: & juſta præmia bonis & factis, peccatis ſupplicia conſtituta ſunt. e ο Neque enim ideo peccat homo, quia Deꝰ illum peccaturum præſcivit: imò ideo non dubitatur ipſum peccare, cum peccat: quia ille, cuius præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſcivit, qui ſi nolit omnino non peccat: π ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit.

Deus revera omnipotens.

al. Sic

Et Deum præſciũ futurorũ & liberũ hominẽ eſſe voluntatẽ.

al. liberè velimus.

Non ideo peccat homo, quia Deus hoc futurum præſcivit

a UNde nec illa neceſſitas] *Cicero libello de fato: Ac mihi quidem videtur, cum duæ ſententiæ fuiſſent veterum philoſophorum, una eorum, qui cenſerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim neceſſitatis afferret. In qua ſententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Ariſtoteles fuit: Altera eorum, quibus viderentur ſine ullo fato eſſe animorum motus voluntarii. Chryſippus tanquam arbiter*

arbiter honorarius medium fieri voluiſſet: ſed applicat ſe ad eos potius, qui neceſſitate motus animi liberatos volunt. Hæc & alia Cicero. Idcirco Oenomaus Cynicus Democritum dixit ſervos feciſſe animos noſtros: Chryſippum verò ſemiſervos, ut eſt apud Euſebium libro 6. Evang. præpar. Quo loco diſputat de fato quam plurima. Itaq; fato cum ſubdant animos Stoici, non tamen neceſſitatem illis concedunt, nec ſinunt, ut cogere non poſſint. Fato enim fiunt omnia cauſis antecedentibus & proximis, ſed non principalibus & perfectis, quarum illæ priores juvant tantum, quæ in noſtra poteſtate non ſunt: hæ verò efficiunt, quæ ſunt in manu noſtra. Plutarchus in Placitis philoſophorum ſententiam Stoicorum referens dicit, apud illos variè eventus rerum proficiſci, alios ex neceſſitate illa prima & maxima: alios ex fato, alios ex libertate animorum, alios ex fortuna, alios caſu quodam. Stoici, ut ſumma dicam, in tractanda ratione fati Platoni ſunt ferè ſuffragati. Quod cùm Plutarchus teſtatur, tum verò res ipſa indicat. At cum fato fieri omnia, & in fato ineſſe neceſſitatem ajunt, de mente illa & providentia Dei loquuntur. Nam & Jovem ex eorum placitis diximus fatum eſſe, & ipſi rationem pronœamq; illam, id eſt providentiam, à qua adminiſtrantur omnia, fatum nominant.

b Neque enim vitam Dei & præſcientiam.] *Platonici ajunt, neceſſe eſſe deos ita ſe habere, ut ſunt, non neceſſitate extrinſecus illata, ſed naturali optimaq; ipſis, ideoq; maximè voluntaria, cum & nollent unquam optione propoſita aliter ſe habere. Quo magis miror, Plinium Secundum hominem & ingenio & eruditione tantum ſic contra omnipotentiam Dei cavillari, ne Deum quidem poſſe omnia. Namq; nec ſibi mortem conſciſcere, ſi velit, quod homini dedit. Optimum in tantis vitæ pœnis exiſtimavit, ita deos calamitatibus miſeriisq; premi, ut homines optare aliquos mortem, nec conſequi poſſe. Deceperant videlicet eum fabulæ, quæ Plutonem dilata morte mœrere faciunt, ſicut Lucanus inquit:*

Et rector terræ, quem longa in ſecula torquet
Mors dilata Deum.

c Non ergo propterea nihil eſt in noſtra voluntate.] *Ardua quæſtio, & variè à multis tractata, An præſcientia Dei neceſſitatem aliquam afferat rebus. Attigi ſuperiore capite hac de re nonnulla, multi de ſchola recentiore obligationum arte accedunt ad diſputationem muniti, ut ſi aliquid tibi ſumpſeris, ipſis quod ſibi retineant non deſit, ut ſi hoc ceperis, contrarium ſit tibi relinquendum: atque adeo, ut magis irretita magiſq; inviſcata tota re diſcedatur, quàm cum accederetur: ponis Deum ſcire me curſurum cras, aufer ergo me non curſurum, ponis hoc, aufer illud. Quid erat tricis illis & verborum laqueis opus, niſi ſimpliciter loqui, ut hic Auguſtinus, non ideo peccare hominem, quod Deus præſcivit eum peccaturum, qui ſi nolit, poteſt omnino non peccare, idq; ſi fiat, hoc præſcivit Deus: vel ut dicit Chryſoſtomus ſuper Epiſtola Pauli ad Corinthios: Enimvero Chriſtus inquit, neceſſe eſt ut veniant ſcandala, non ideo arbitrii libertatem corrumpens, aut vitæ vim & neceſſitatem imponens, ſed prædicens id quod ex mala hominum voluntate omnino futurum eſt: quod ſanè futurum eſt, non quia id Deus prævideris, ſed*

hominum voluntas immedicabilis fuerit. Non enim quia prædixit Deus, hæc facta ſunt, ſed quia omnino ex mala hominum voluntate ventura erant, ipſe prædixit. Hæc Chryſoſtomus interprete homine docto Hieronymo Donato. Ac profectò non plus addit neceſſitatem rebus venturis præſcientia Dei, quàm præſentibus ſpectator cum fiunt: ita cum video te ſcribere, potes ipſe quidem non ſcribere: quod ſi non ſcribas, jam te non videbo ſcribentem. Porrò Deo futura tam præſentia ſunt, atque adeò magis, quàm nobis quæ vocamus præſentia. Nã quò capacior eſt mens, hoc illi tempus præſens eſt latius: Deo verò infinitæ capacitatis infinitum tempus eſt præſens: tota ergo æternitas, quæ ſola eſt infinita. Hæc res difficiliorem efficit hanc diſputationem, quod ſic imaginantur quidam futura Deo, ut nobis.

d Proinde non fruſtra ſunt leges.] *Hoc objiciebatur iis, qui neceſſario fato dicebant omnia fieri. Quod cum neceſſe eſſet hunc eſſe malum, illum bonum, cur malus ſupplicium, bonus præmium merebatur, cum neceſſaria nec vitio dentur nec laudi: tum etiam nec exhortari ad virtutem carpereque vitia prodeſſet: cum fieri aliter non poſſet, quin malus eſſet, quem fatum eſſet eſſe malum. Manilius hocquoque ex fato eſſe concludit. Sic enim ait:*

Hominum menti tanto ſit gloria major,
Quod cœlo gaudente venit, rurſusque nocentis
Oderimus magis in culpam pœnasque creatos.
Nec refert ſcelus unde cadat, ſcelus eſſe fatendum eſt.
Hoc quoque fatale eſt, ſic ipſum expendere fatum.

Nos verò, & bonis paratum præmium, parata merito eſt laus, malis vituperium, pœnaque quod libera voluntate & ille bene fecit, & hic malè, idque ſpectante Deo non cogente.

e Neque enim ideo peccat homo.] *A præſcientia Dei non proficiſcitur peccatum huius, ſed noſtra potius de peccato huius ſcientia. Nam ſicut à voluntate Dei noſtra voluntas, ita & à ſcientia Dei noſtra ſcientia demanat. Hæc de fato expoſitis aliorum ſententiis, quo facilius intelligeretur Auguſtini mens.*

α STоici laboraverunt, cauſa; rerum ita diſtinguere.] *Ut teſtis eſt Plut. lib. 1. de placitis philoſoph. c. 29. Stoici dicebant,* ἃ μὲν εἶναι κατ' ἀνάγκην, ἃ δὲ καθ' εἱμαρμένην, ἃ δὲ κατὰ προαίρεσιν, ἃ δὲ κατὰ τύχην, ἃ δὲ κατὰ τὸ αὐτόματον. Alia fieri neceſſariò, alia fato, alia inſtituto animi, alia forte fortuna, alia caſu. *Et Epictetus in Enchirid, c. 1. ex Stoicorum ſententia,* Τῶν ὄντων τὰ μέν ἐστιν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῖν.

β Poſuerunt etiam noſtras voluntates.] *Melius certe quam illi, qui apud Euſeb. lib. 6. de præpar. Evang. c. 2. voluntates hominum fatales eſſe arbitrati ſunt. Et ipſe Apollo, cùm de milite quodam interrogatus eſſet, cur tam periculoſæ rei ſtuderet? reſpondit;* Mars Genethliacus concitat.

γ Multa enim facimus, quæ ſi nollemus.] *Unde colligitur liberum arbitrium, nec omnia nos neceſſitate agere, imò voluntatem liberè ſe determinare ad agendum, vel non agendum; ad agendum hoc vel illud. Quod non modo ex ſcripturis ſacris edocemur, & certiſſima fide tenemus:* Revelavit enim, *(ait D. Auguſt. lib. de gratia,*

&

& lib. arb. c. 2.) per ſcripturas ſacras, eſſe in nobis liberum voluntatis arbitrium. *Sed & Philoſophi ipſi idem docuere, ut teſtatur Juſtinus Martyr apolog. 1. pro Chriſtianis:* Angeli, hominesque, quoniam initio cum crearentur, acceperunt à Deo liberum arbitrium, juſtè pœnam peccatorum luent in æternis ignibus. *Eſt autem genitarum omnium rerum hæc natura, ut virtutis ac vitij capaces ſint, nulla enim laude quicquam eſſe dignum, niſi eſſet ad utrumlibet flexibile: atteſtantur mihi, quotquot rationem veram ſecuti ſunt legislatores, vel Philoſophi, dum alia jubent, vetant alia.*

δ Si autem illa definitur eſſe neceſſitas, ſecundum quam.] *Hunc locum D. Auguſtini citat Bellarminus lib. 3. de grat. & lib. arbitr. c. 6. ex ſententia adverſariorum, qui eo nitebantur, ut docerent, ad rationem liberi arbitrij ſatis eſſe libertatem à coactione, non autem libertatem à neceſſitate: contra quos contendit neceſſariam etiam eſſe libertatem à neceſſitate, ut poſſimus velle & nolle, velle & non velle: Et reſpondet hoc loco D. Aug. diſtinguere neceſſitatẽ in duas ſpecies. Dicit n. eſſe quandã neceſſitatẽ quæ facit, ut res non ſit in poteſtate, qualis eſt neceſſitas moriendi; non enim eſt in poteſtate noſtra mori, aut non mori. Aliam autẽ eſſe neceſſitatem, quæ non facit rem non eſſe in poteſtate. Priorem neceſſitatem fatetur D. Auguſt. pugnare cum libertate, ideoq; non eſſe dicendum, voluntatem noſtram eſſe ſub tali neceſſitate. Poſteriorem dicit non pugnare cum libertate, & ideo non eſſe timendum, ne talis neceſſitas, ſi admittatur, libertatem auferat voluntatis.*

ε Neque enim & vitam Dei.] *Neceſſitatis, quæ non tollat libertatem, hoc primum ponit exemplum, ubi* per vitam Dei *(ait Bellarminus)* intelligit actionem vitæ, nempe intelligere & velle: *Etſi enim neceſſe ſit ſemper Deum vivere, id eſt intelligere, & velle, non tamen tollitur ejus libertas, quia multa libere vult, ac proinde etiam liberè intelligit practica intelligentia. Itaq; neceſſitas ſemper vivendi cadit ſuper actum intelligendi & volendi, non ſuper modum operandi: neceſſariò enim Deus ſemper intelligit & vult, ſed liberè fertur ad hoc vel illud objectum.*

ζ Et præſcientia Dei,] *Alterum exemplum neceſſitatis non tollentis libertatem: neceſſe enim Deum cũcta præſcire, non tamen præſcientia Dei ponitur ſub neceſſitate tollente libertatem, quia neceſſitas præſciendi eſt ex hypotheſi, non abſoluta. Poſito enim, quod Deus velit aliquid eſſe futurum, neceſſariò præſcit illud eſſe futurum, ſed ſicut poterat abſolutè non velle illud eſſe futurum, ita poterat abſolutè non præſcire eſſe futurum.*

η Sicut nec poteſtas ejus minuitur.] Sicut, *inquit*, non minuitur potentia Dei per hoc, quod non poteſt mori, aut falli, eſt enim nihilominus omnipotens: ſic non minuitur ejus libertas per hoc, quod neceſſe eſt, eum ſemper vivere, & cuncta præſcire.

θ Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non poteſt.] *Eſt enim Deus ipſa vita, & ipſa ſumma ſapientia. Malè itaq; concludebat atheus ille Plinius lib. 2. nat. hiſt. c. 7. non eſſe omnipotentem Deum, quod mortem ſibi conſciſcere non poſſit. Et Elymas magnus apud D. Dionyſium c. 8. lib. de diu. nom. perperam obijcebat:* Si eſt omnipotens Deus, quomodo à veſtro Theologo aliquid

non

non poſſe dicitur? *beatum inſimulans Paulum, qui ait Deum ſeipſum non poſſe negare. 2. Tim. 2.* Seipſum negare (*reſpondet Dionyſius*) à veritate excedere eſt, porrò veritas Deus eſt, & à veritate cadere, eſt à Deo cadere: Si igitur veritas Deus eſt, veritatiſque negatio eſt à Deo prolapſio, à Deo cadere Deus non poteſt, & non eſſe (ut ſic dixerim) non eſt, & non poſſe, non poteſt. *Ita licet ſit omnipotens, dicitur tamen non poſſe peccare, quod peccare ſit deficere à perfecta ratione, unde poſſe peccare eſt poſſe deficere in agendo, quod repugnat omnipotentiæ, ideò Deus peccare non poteſt, qui eſt omnipotens. Certè ſi mori vel falli poſſet, non eſſet Deus, quia non eſſet ipſummet eſſe, ipſa vita, ipſa ſapientia.*

ι Sicut etiam cùm dicimus.] *Aliud exemplum eſt neceſſitatis non excludentis libertatem arbitrij, quando dicimus, neceſſe eſſe hominem cum vult, libero velle arbitrio: hic enim ſenſus compoſitus eſt, qui cum includat libertatem arbitrij, rectè ſcribit eam non tollere. Eſt enim apud Divum Anſelmum duplex ſenſus compoſitus, unus quidem præcedens ipſum actum, alius verò includens ipſum actum; ut poſito, quod quis ambulet, vel videam eum ambulare, neceſſe eſt ut ambulet, ita poſito quod quis velit, neceſſe eſt eum velle, & quod liberè feratur circa aliquod objectum, neceſſe eſt liberè velit. Quæ neceſſitas tantum abeſt ut libertatem excludat, ut etiam eam includat, quam etiam neceſſitatem ex hypotheſi vocant. Anſelmus ſequentem, quæ nihil eſſe cogit.*

κ Non ergò propterea nihil eſt in noſtra voluntate.] Tantum abeſt, *inquit*, ut per præſcientiam Dei tollatur contingentia rerum & libertas arbitrij, ut indè maximè confirmetur. *Cum enim Deus præſciat futurum, eo modo quo eſt futurum, ſc. à cauſa contingente contingenter, & à libera liberè, tantum abeſt, ut ex certitudine talis præſcientiæ ſit conſequens effectum non eſſe contingenter, aut liberè futurum, ut potius inde conſequatur contingenter aut liberè futurum. Quia ut certitudo præſcientiæ conſtare poſſit, ita omninò futurus eſt effectus, ſicut Deus præſcivit eſſe futurum. Rectè itaq; concludit, nullo modo nos cogi, aut retenta Dei præſcientia tollere libertatem arbitrij; aut retento voluntatis arbitrio tollere Dei præſcientiam. Utrumq; enim extremum maximè cavendum eſt, eo ferè modo, quo lib. 2. de peccat. meritis & remiſſionibus c. 18. lib. de gratia Dei c. 74. lib. de grat. & lib. arbit. c. 4. & epiſt. 47. monet nos ſic gratiam Dei aſtruamus, ut liberum arbitrium non negemus, nec ſic aſſeramus liberum arbitrium, ut negemus gratiam, utrumq; enim extremum hæreticum eſſe.*

λ Male autem vivitur, ſi de Deo non benè creditur.] *Recta enim fides requiritur ad juſtificationes & ad ſalutem.* Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. *Principium accedendi ad Deum eſt fides. Hebr. 11.* Accedentem ad Deum oportet credere. *Oratio juſti Jacobi 5. & heroica alia juſtorum opera fidei tribuuntur ab Apoſtolo Hebræo. 11.* Quoniam radix, & principium, ac fundamentum omnium illorum erat recta in Deum fides. *De immolatione filij per Abraham ita Auguſt. præf. enarrat. in Pſal. 31.* Magnum opus, ſed ex fide. Laudo ſuperædificium operis, ſed video fidei fundamentum: laudo fructum boni operis, ſed in fide agnoſco radicem. Si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham,

nihil

nihil illi prodeſſet qualecunque illud opus eſſet. *Idem docet lib. de prædeſt. c.7. & alibi ſæpe.*

u Proinde non fruſtrà leges.] *Quæ certè fruſtra eſſent, ſi fatum conſtitueretur. Vide Euſeb. Cæſareenſem lib.6. de præpar. Evan. c.5. Baſilium hom.6. in Hexameron.*

y Laudes & vituperationes.] *Juſtinus Martyr Apolog. 2.* Si fato omnia fiant, nihil planè fuerit, in noſtra poteſtate ſitum: ſi enim fatale ſit hunc quidem eſſe bonum, illum verò malum, neque ille fuerit probandus, neque hic reprehendendus. Ac niſi arbitrio libero & ad turpia fugienda, & ad honeſta diligenda facultatem habeat mortalium gens, non fuerit in cauſa; ſine culpa qualiumcunque demùm factorum.

ξ Et preces valent ad ea impetranda.] *Baſil. enarrat. in c.14. Iſaiæ. Chaldæorum ſtudium, & Aſtrologiam damnat, quod res omnes lationi aſtrorum ſubſternentes, providentiam ipſam rerum humanarum moderatricem prorſus à ſe ablegent, adeò ut orationē ad Deū effusā, & ipsā, qua Deus colitur, pietatē negēt quidvis poſſe, quin potiùs, ſi qua borū credantur contingere, id omne referunt ad cauſā fatalē.*

o Neque enim ideò peccat homo.] *Idem lib. 3. de lib. arb. cap.4. docet, qua ratione Deus ſit præſcius peccatorum, non tamen auctor:* Sicut, *inquit,* tu memoria tua non cogis, facta eſſe, quæ præterierunt, ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt. Et ſicut tu quædam, quæ feciſti, meminiſti, nec tamen quæ meminiſti, omnia feciſti: Ita Deus omnia, quorum ipſe auctor eſt, præſcit, nec tamen omnium, quæ præſcit ipſe auctor eſt. *Damaſcenus lib. 2. de fide c.30. dicit, Deum omnia quidem præſcire, non tamen omnina prædefinire, præſcit enim ea, quæ in noſtra etiam poteſtate & arbitrio ſita ſunt, at non item ea prædefinit. Neq; enim vitium admitti vult, neq; etiam virtuti vim affert. Cyrillus lib.1. in Joannem. tractans illa verba Joannis 11.* Nemo ex iis periit, &c. Non enim, quoniam ſcriptum de illo eſt, quod periturus eſſet, propterea eò nequitiæ proceſſit, ſed quoniam malignitate ſua periturus omninò erat, idcircò id futurum ſcriptura prædixit. *Et infrà.* qui novit omnia, & futura quaſi præſentia videt, per ſcripturam nobis etiam hoc prædixit: non autem omnia, quæ Deus novit, aut vult, aut imperat. *Proſper ad capit. Gallorum c. 7. docet lapſum quorundam Deo adſcribere immodicæ eſſe pravitatis, quaſi illorum ruinæ impulſor atq; auctor ſit, quoniam illos ruituros propria ipſorum volunnte præſcivit. Et ſentent. ſuper 15. capitulo Gallorum, in bonis quidem permiſceri docet præſcientiam & prædeſtinationem: in malis autem operibus noſtris ſola præſcientia Dei intelligenda eſt.* Quoniam ſicut præſcivit, & prædeſtinavit, quæ ipſe fecit, & ut faceremus dedit, ita præſcivit tantum, non etiam prædeſtinavit quæ nec ipſe fecit, nec ut faceremus, exegit. *Nec ideò peccaturus eſt, quoniam Deus præſcivit eum peccaturum, imò ideò præſcivit eum peccaturum, quoniam peccaturus erat. Quo refer præclarum teſtimonium Bedæ in 8. tomo lib quæſtionum, quæſt.13.* Quid? ergò coegit nos Deus, ut mali ſibi videremur ab æterno? abſit, nam potiùs nos coegimus eum, ut nos malos videret. *Affert exemplum, quo etiam utitur Boetius 5. de conſol. Proſa. 6.* Si video jacentem aliquem, neceſſitas ei non infertur à viſu meo, ut jaceat, ſed potiùs à jacente infertur mihi neceſſitas, ut videam.

β Sed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit.] *Ut intelligatur, non ideò peccaturum, quia à Deo præſcitur, imò Deum præſcire, ex eo quòd eſt peccaturus. Ita docet Juſt. Mart. quæſt. 58. de Orthod.* Prænotio, *inquit*, non eſt cauſa ejus, quod futurũ erat, ſed quodfuturum erat; cauſa eſt prænotionis: non enim prænotioné ſequitur res futura, ſed ré futurã prænotio; nec ullo pacto qui prænoſcit, cauſa eſt rei futuræ. Ita Chriſtus nõ eſt cauſa perditionis Iudæ, ſed perditio cauſa prænotionis Domini. *Eodẽ modo loquitur Divus Hieron. in c. 26. Hierem. & Athanaſ. lib. de cruce, ſive de paſſione Chriſti, in ea verba* (ut impleretur quod dictum eſt à Propheta) *ait non propterea veniſſe, quia prædictum erat à propheta, ſed è contrario, quia erat futurum, ideò fuiſſe à propheta prædictum. Chryſoſt. homil. 60. in Matth. in ea verba* (neceſſe eſt ut veniant ſcandala) *ſcribit*; Non propterea, quia Deus prædixit ſcandala futura ideò futura ſunt, ſed è contrario, quia futura ſunt, ideò prædixit Deus. Si igitur aliud futurum fuiſſet, aliud etiam Deus præſciviſſet.

Cap. XI.

De univerſali providentia Dei, cuius legibus omnia continentur.

DEus itaque ſummus & verus cum verbo ſuo, & ſpiritu ſancto, quæ tria unum ſunt, Deus unus omnipotens, creator & factor omnis animæ atque omnis corporis, cuius ſunt participatione fœlices, quicunque ſunt veritate, α non vanitate fœlices: qui fecit hominem rationale animal ex anima & corpore: qui eum peccantem nec impunitum eſſe permiſit, nec ſine miſericordia dera relinquit: qui bonis & malis eſſentiam etiam α cum lapidibus, vitam ſeminalem etiam cum arboribus, vitam ſenſualem etiam cum pecoribus, vitam ſenſualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum ſolis angelis dedit, β à quo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo, à quo eſt menſura, numerus, pondus: à quo eſt quicquam naturaliter eſt, cuiuscunque generis eſt, cuiuscunque æſtimationis eſt: à quo ſunt ſemina formarum, formæ ſeminum, motus ſeminum atque formarum. Qui dedit & carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fœcunditatem, membrorum diſpoſitionem, ſalutem, concordiam: qui & animæ irrationali dedit memoriam, ſenſum, appetitum, rationali autem inſuper mentem, intelligentiam, voluntatem, qui non ſolùm cœlum & terram, nec ſolum angelum & hominem, ſed nec exigui & contemptibilis animantis viſcera, γ nec avis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium ſine ſuarum partium convenientia, & quadam veluti pace dereliquit, nullo modo eſt credendus regna hominum eorumque dominationes & ſervitutes à ſuæ providentiæ legibus alienas eſſe voluiſſe.

L. Viv. α NOn vanitate fœlices.] *Sic legitur in omnibus codicibus, mihi tamen aptius videtur legi fideles.*

F. L. Cog. α Eſſentiam etiam cum lapidibus.] *Propterea* omnis creaturæ *nomine, ex D. Gregor. intelligitur* homo, *quoniam habet* eſſe *cum lapidibus*, vivere *cum plantis*, ſentire *cum animantibus*, intelligere *cum Angelis, ideò etiam dicitur*

μικρο-

μικρόκοσμος quod omnes gradus entis, quibus conſtat univerſum, & qui ſeorſum reperiuntur in aliis creaturis in ſe complectatur, ideò dicitur ἐπιτομὴ quoddam universi & magnum miraculum.

β A quo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo.] *In his enim conſiſtit ratio boni, quæ cernitur in omnibus effectibus creatis: ut enim docet idem Auguſtinus lib. 4. de Geneſ. ad lit. c. 3. & l. de nat. boni c. 3. Et D. Thom. 1. p. q. 5. art 5.* Omne bonum creatum conſiſtit in modo, ſpecie, & ordine. *Quod ita explicat ex ſententia Divi Auguſtini, ut per modum intelligatur commenſuratio, quam habet effectus in ordine ad ſuam cauſam, ut habet ſcilicet eum modum & limitem, quem ei cauſa præfixit. Per ſpeciem intelligitur ipſa forma, quod unumquodq; in ſpecie conſtituatur per formam. Per ordinem verò perfectio accidentalis, quatenus hac ordine quodam ex forma ſequitur: unde conſtat, bonitatem cujusq; creaturæ pendere à cauſa ſua efficiente & formali, & item perfectionibus accidentalibus. Ab eis nihil differunt numerus, pondus, & menſura. Sap. 11.* Omnia feciſti in numero, pondere, & menſura.

γ Nec exigui & contemptibilis animantis viſcera.] *Argumento à minori ad majus utitur: Si enim minima quæq; ſub divinam providentiam cadunt, multò magis ipſa regna hominum & ipſorum dominationes, Lucæ 12. & Matth. 6. Multa ſunt, quæ Dei providentiam etiam circa minima declarant, ut quod Deus curam habeat fœni, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur. quod ſine Dei providentia paſſer non pereat. Sap. 13.* Puſillum & magnum ipſe fecit, cui eſt cura de omnibus. *Pſ. 184.* Ignis grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum *dicuntur* facere verbum ejus, *i. e. præceptum ac ordinationem providentiæ ipſius. Si res hujusmodi alioqui caſui maximè expoſitæ ſub ipſius providentiam cadunt, multò magis aliæ res majores. Ariſtotel. lib. 1. de part. Animal. c. 5. teſtis eſt in natura nihil ne minimum quidem eſſe, quod non referat ingenium, & mentem ſummi illius artificis. Vide D. Thom. 1. p. q. 22. art. Videri poteſt Chryſoſt. & Theodor. hom. 1. de providentia.*

CAP. XII.

Quibus moribus antiqui Romani metuerunt, ut Deus verus, quanuis non eum colerent, eorum augeret imperium.

PRoinde α videamus, quos Romanorum mores, & quam ob cauſam Deus verus ad augendum imperium adjuvare dignatus eſt, in cuius poteſtate ſunt etiam regna terrena. Quod ut abſolutius diſſerere poſſemus, ad hoc pertinentem & ſuperiorem librum ſcripſimus, quod in hac re poteſtas nulla ſit eorum deorum, quos etiam rebus nugatoriis colendos putarunt, & præſentis voluminis partes ſuperiores, quas hucusque perduximus, de fati quæſtione tollenda, ne quiſquam cui jam perſuaſum eſſet non illorum deorum cultu Romanum imperium propagatum atque ſervatum, neſcio cui fato potius id tribueret, quam Dei ſummi potentiſſimæ voluntati. Veteres igitur primique Romani, quantum eorum docet & commendat hiſtoria, quanuis ut aliæ gentes, excepta una populi Hebræorum deos falſos colerent, & non Deo victi-

mas, ſed dæmoniis immolarent, tamen laudis avidi, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem, divitias honeſtas volebant: hanc ardentiſſimè dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac & mori non dubitaverunt. Cæteras cupiditates huius unius ingenti cupiditate preſſerunt. Ipſam denique patriam ſuam, quoniam ſervire videbatur inglorium, dominari verò atque imperare glorioſum, prius omni ſtudio liberam, deinde dominam eſſe concupierunt. Hinc eſt quod regalem dominationem non ferentes, β annua imperia binosque imperatores ſibi fecerunt, a qui conſules appellati ſunt à conſulendo, non reges, aut domini à regnando atque dominando, cum & reges utique à regendo dicti melius videantur, ut regnum à regibus, reges autem, ut dictum eſt, à regendo: ſed faſtus regius non diſciplina putata eſt regentis, vel benevolentia conſulentis, ſed ſuperbia dominantis. Expulſo itaque rege Tarquinio, & conſulibus inſtitutis, ſecutum eſt, *b* quod idem autor in Romanorum laudibus poſuit, quod civitas incredibile memoratu adepta libertate, quantum brevi creverit, tanta cupido gloriæ, inceſſerat. Iſta ergò laudis aviditas & cupido gloriæ, multa illa miranda fecit laudabilia ſcilicet atque glorioſa ſecundum hominum exiſtimationem. Laudat idem Saluſtius temporibus ſuis magnos & præclaros viros, Marcum Catonem & Caium Cæſarem, dicens quòd diu illa reſpublica non habuit quenquam virtute magnum, ſed ſua memoria fuiſſe illos duos ingenti virtute, diverſis moribus. In laudibus autem Cæſaris poſuit, quod ſibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus eniteſcere poſſet: ita fidebat in votis virorum virtute magnorum, ut excitaret in bellum miſeras gentes & flagello agitaret Bellonam ſanguineo, ut eſſet ubi virtus eorum eniteſceret. Hoc illa profectò laudis aviditas & gloriæ cupido faciebat. Amore itaque primitus libertatis, poſt etiam dominationis, & cupiditate laudis & gloriæ, multa magna fecerunt. Reddit eis utriusque rei teſtimonium etiam poëta inſignis eorum. Inde quippe ait:

Nec non Tarquinium ejectum Porſenna jubebat
Accipere, ingentiq; urbem obſidione premebat
Aeneadæ in ferrum pro libertate ruebant.

Tunc itaque magnum illis fuit aut fortiter emori, aut liberos vivere. Sed cum eſſet adepta libertas, tanta cupido gloriæ inceſſerat, ut parum eſſet ſola libertas, niſi & dominatio quæreretur, dum pro magno haberetur, quod velut loquente Jove idem poëta dicit:

Quin aſpera Juno,
γ *Quæ mare nunc, terrasq; metu, cælumq; fatigat,*
δ *Conſilia in melius referet mecumq; fovebit*
Romanos rerum dominos c *gentemq; togatam.*
Sic placitum, veniet luſtris labentibus ætas,
ζ *Cùm* d *domus Aſſaraci* e *Phthian* η *clarasq;* θ *Mycenas*
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.

Quæ quidem Vergilius Jovem inducens tanquam futura prædicentem, ipſe

Gloria ingens cupiditas in Romanis.

Conſules Reges.

jam facta recolebat, cernebatque præſentia. Verùm propterea commemorare illa volui, ut oſtenderem dominationem poſt libertatem ſic habuiſſe Romanos, ut in eorum magnis laudibus poneretur. Hinc eſt & illud eiusdem poëtæ: quod cum aliarum gentium artibus eas ipſas proprias Romanorum artes regnandi atque imperandi, & ſubigendi ac debellandi populos anteponeret, ait:

Excudant alii ſpirantia mollius æra:
f Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:
Orabant cauſas melius, cœliq; meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem:
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Has artes illi tantò peritius exercebant, quantò minus ſe voluptatibus dabant, & enervatione animi & corporis in concupiſcendis & augendis divitiis, & per illas moribus corrumpendis, rapiendo miſeris civibus, largiendo ſcenicis turpibus. Unde cum tales jam morum labes ſuperabant, atq; abundabant, quando ſcribebat iſta Saluſtius, canebatque Vergilius, non illis artibus honores & gloriam, ſed dolis atque fallaciis ambiebant. Unde idem dicit: Sed primò magis ambitio quàm avaritia animos hominum exercebat, quod tamen vitium propius virtuti erat. Nam gloriam, honorem, imperium bonus & ignavus æquè ſibi exoptant. Sed ille, inquit, vera via nititur, huic quia bonæ artes deſunt, dolis atque fallaciis contendit. Hæ ſunt illæ bonæ artes, per virtutem ſcilicet, non per fallacem ambitionem ad honorem, & gloriam, & imperium pervenire, quæ tamen bonus & ignavus æquè ſibi exoptant. Sed ille, id eſt bonus, vera via nititur. Via virtus eſt, qua nititur tanquam ad poſſeſſionis finem, id eſt, ad gloriam, honorem, imperium. Hoc inſitum habuiſſe Romanos etiam deorum apud illos ædes indicant, g quas conjunctiſſimas conſtituerunt Virtutis & Honoris, pro diis habentes quæ dantur à Deo. Unde intelligi poteſt quem finem volebant eſſe virtutis, & quò eam referebant, qui boni erant, ad honorem ſcilic. nam mali nec habebant eam, quanuis honorem habere cuperent, quem malis artibus conabantur adipiſci, id eſt, dolis atque fallaciis. Melius laudatus eſt Cato. De illo quippe ait: Quò minus petebat gloriam, x eò magis illum ſequebatur. Quandoquidem gloria eſt, cuius illi cupiditate flagrabant, h λ judicium hominum bene de hominibus opinantium. Et ideo melior eſt virtus quæ humano judicio contenta non eſt, niſi conſcientiæ ſuæ. Unde dicit Apoſtolus: *Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Et alio loco: *Opus autem ſuum probet unusquiſq;, & tunc in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in altero.* Gloriam ergo & honorem & imperium quæ ſibi exoptabant, & quo bonis artibus pervenire nitebantur boni, non debet ſequi virtus, ſed ipſa virtutem. Neque enim eſt vera virtus, niſi quæ ad eum finem tendit, ubi eſt bonum hominis, quo melius non eſt. Unde

Virtutis & honoris templa apud Roman.
2. Cor. 1.
Gal. 6.
Virtus vera.

Unde & honores quos petiuit Cato, *i* petere non debuit, ſed eos civitas ob eius virtutem non petenti dare. Sed cum illa memoria duo Romani eſſent, virtute magni, Cæſar & Cato, longe virtus Catonis veritati videtur propinquior fuiſſe, quam Cæſaris. Proinde qualis eſſet illo tempore civitas, & antea qualis fuiſſet, videamus in *k* ipſa ſententia Catonis: Nolite, inquit, exiſtimare, majores noſtros armis Rempublicam ex parva magnam feciſſe. Si ita eſſet, multò pulcherrimam eã nos haberemus. Quippe ſociorum atque civiũ præterea armorum & equorum major copia nobis quàm illis eſt. Sed alia fuere quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla ſunt: domi induſtria, foris juſtũ imperiũ, animus in conſulendo liber, neq; libidini neq; delicto obnoxius Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publicè egeſtatẽ, privatim opulentiã: laudamus divitias, ſequimur inertiã; inter bonos&malos diſcrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio poſſidet. Neque mirum ubi vos ſeparatim ſibi quisque conſilia capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ ſervitutis. Eo fit ut impetus fiat in vacuam remp. *l* Qui audit hæc Catonis verba ſive Saluſtii, putat quales laudantur Rom. veteres, omnes eos tales tunc fuiſſe vel plures. Non ita eſt, alioquin vera non eſſent, quæ ipſe idem ſcribit, ea quæ commemoravi in ſecundo lib. huius operis, ubi dicit: Injurias validiorum & ob eas diſceſſionem plebis à patribus, aliasque diſſenſiones domi fuiſſe, jam inde à principio, neque ampliùs æquo & modeſto jure actum, quàm expulſis regibus, quandiu metus à Tarquinio fuit, donec bellum grave, quod propter ipſum cum Hetruria ſuſceptum fuerat, finiretur. Poſtea verò ſervili imperio patres exercuiſſe plebem, regio more verberaſſe, agro pepuliſſe, & cæteris expertibus ſolos egiſſe in imperio. Quarum diſcordiarum dum illi dominari vellent, iſti ſervire nollent, finem fuiſſe bellum Punicum ſecundum. Quia rurſus gravis metus cœpit urgere, atque ab illis perturbationibus alia majore cura cohibere animos inquietos, & ad concordiam revocare civilem. Sed per quoſdam paucos, qui pro ſuo modo boni erant, magna adminiſtrabantur, atque illis toleratis ac temperatis malis, paucorum bonorum providentia res illa creſcebat, ſicut idem hiſtoricus dicit, multa ſibi legenti & audienti, quæ po. Ro. domi militiæq. mari atque terra præclara facinora fecerit, ſe libuiſſe attendere, quæ res maximè tanta negotia ſuſtinuiſſet: quoniam ſciebat ſæpenumero parva manu cum magnis legionibus hoſtium contendiſſe Ro. cognoverat parvis copiis bella geſta cum opulentis regibus, ſibique multa agitanti conſtare dixit, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patraviſſe, eoque factum ut divitias paupertas, multitudinem paucitas ſuperaret. Sed poſtquam luxu atque deſidia, inquit, civitas corrupta eſt, rurſus reſp. magnitudine ſui imperatorum atque magiſtratuum vitia ſuſtentabat. Paucorum igitur virtus ad gloriam, honorem, imperium, vera via, id eſt virtute ipſa nitentium etiam à Catone laudata eſt. Hinc erat domi induſtria, quam commemoravit Cato, ut ærarium eſſet opolentum, tenues res privatæ. *m* Unde corruptis moribus vitium eſſe contrarium

poſuit,

poſuit, publicè egeſtatem, privatim opulentiam. Quamobrem cum diu fuiſſent regna Orientis illuſtria, voluit Deus & Occidentale fieri, quod tempore eſſet poſterius, ſed imperii latitudine & magnitudine illuſtrius. Idque talibus potiſſimum conceſſit hominibus ad domanda gravia mala multarum gentium, qui cauſa honoris, laudis & gloriæ conſulerent patriæ, in qua ipſam gloriam requirebant, ſalutemque eius ſaluti ſuæ præponere non dubitarent, pro iſto uno vitio, id eſt, amore laudis, pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes.

a QUi conſules appellati ſunt à conſulendo.] *A conſulendo dictos eſſe conſules, ſatis inter omnes conſtat: ſed cum conſulere ſignificet multa, dubium eſt* L. Vives.
à qua mente ſit dictus conſul. Quintilianus lib 1. Sitne conſul à conſulendo, an à judicando: nam & hoc conſulere veteres vocavere: unde adhuc remanet illud, rogat boni conſulas, id eſt bonum judices. Quin. & Liv. conſulem olim judicem eſſe dictum tradit. Sed ego cum Varrone nomen miniſterij puto eſſe conſul: ut admoneretur nihil eum habere in repub. virium poteſtatisq́ue, ſed admonitorem ſolum poſitum ſenatus & po. at eos quid fieri placeret conſuleret. Nihil enim in ſenatu antiquitus fieri ſolebat, niſi conſulente & referente conſule. unde illa tam crebra apud rerum ſcriptores: petiit à conſ. ut de hoc aut illo referret. Cæſar 1. Comment. belli civilis Pompeiani: Literis à Fabio C. Cæſaris conſulibus redditis ægrè ab illis impetratum eſt, ſumma trib. pleb. contentione ut in ſenatu recitarentur: ut verò ex literis ad ſenatum referretur, impetrari non potuit. Quibus verbis ſatis apparet non dici ſententias à ſenatoribus, niſi à conſ. referretur, quod maximè priſcis temporibus ſervabatur. Nam poſteris jus quoq; aliis nonnullis magiſtratibus fuit & cogere ſenatum, & ad eum referre, ſi quid vellent. Porrò Varronis verba, ſi quis requirit, hæc ſunt ex lib. De Lingua Lat. 4. Conſul. nominatus, quod conſuleret po. & ſenatum, niſi illinc potius: unde Actius ait in Bruto, qui rectè conſulat, conſul fiat.

b Quod idem autor.] *Saluſt. in bello Catil.*

c Gentemque togatam.] *Bene, inquit Servius, togatam, quoniam omnis ſexus & conditio toga utebatur.*

d Domus Aſſaraci.] *Rom. Aſſaracus avus fuit Anchiſæ, Capys pater, à quo* Aſſaracus.
Æneas. Porrò ab Ænea Julus, ab hoc reges Albani, & hinc Ro. profecti.

e Phthiam claraſque Mycenas.] *Hoc ſpectat ad vindictam incenſionis Ilij,* Phthia.
quod patriæ eorum, qui Trojanos vicerant, eſſent à nepotibus Trojanorum ſubigendæ. Sic in 6. Æneid. Eruet ille Argos, Agamemnoniasq́ue Mycenas: Ipſumq́ue Æacidem genus armipotentis Achilli Ultus avos Trojæ, templa & temerata Minervæ. Phthia verò patria eſt Achillis in Phthiade regione Macedoniæ, educatus tamen eſt Achilles Lariſſæ Theſſaliæ, ideo Lariſſæus dicitur, quanquam & Phthia & Lariſſa ſunt in Achaia: Nam arx Argivæ dicta eſt Lariſſa, ut alias declarabo. Phthiam Macedoniæ L. Æmilius Paulus Ro. ſubdit, victo Perſeo. Mycenæ in Argolide Mycenæ.
ſunt, teſte Mela, ad quas ab Argis eſt regnum tranſlatum. Eas cum reliqua Achaia Argi.
cepit L. Mumius. Argi ſunt prope Mycenas. Mela. Argis ab Inacho ad Pelopem re-

gnatum

gnatum eſt annos d lxiiij. Euſebius Julius Higinus erratum dicebat eſſe à Vergilio his verſibus in hiſtoria, nam non idem eruit Argos, & vicit Pyrrhum: ideo eximendum verſum illum cenſebat, ipſumq́; Æacidem. Sed Servius illeq́; ſubaudiendum eſſe ait, ut de Curio intelligatur.

f Credo equidem.] *Antiqua exemplaria Auguſtini habent, Cedo equidem, ſed apud Verg. eſt Credo.*

g Quas conjunctiſs.] *Imò eadem erat ædes Virtutis & Honoris, quam fecit Marius Cimbris devictis: ſed quia canalis erat medius, duæ eſſe videbantur.*

h Judicium hominum bene.] *Hæc eſt in univerſum gloria, ſed de vera gloria Cic. 3. Tuſcul. quæſt. ſic inquit: Eſt gloria ſolida quædam res & expreſſa, non adumbrata, ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute: ea virtuti reſonat tanquam imago.*

i Petere non debuit.] *Cato Uticenſis, de quo hic loquitur, petiit trib. pleb. & adeptus eſt petiit præturam, factus eſt prætor, ſed paſſus prius repulſam prælato Vatinio homine impuriſs. diis & hominib. inviſo: petiit conſulatum, tulit repulſam. Homo, ut Plutarch. inquit, qui pretio comparandus erat ad gerendos magiſtratus, dignior qui cogeretur accipere honores, quàm qui peteret.*

k Ipſa ſententia Catonis.] *In oratione, quam habuit in ſenatu trib. pleb. deſignatus contra conjuratos. Saluſt. in Catil.*

l Qui audit hæc.] *Semper Romani poſteriores priorum virtutes in ore habuerunt, & in cœlum tollebant: vel quia perpetuò res vergebat in deterius, vel quod ſemper præterita tempora videntur meliora.*

m Vitium eſſe contrarium.] *Antiqui libri. Vitium econtrario poſuit.*

F. L. Coq. α PRoinde videamus quos Romanorum mores.] *Superioribus libris Auguſtinus probaverat per inanium deorum cultum, qui antiquitus colebantur à Romanis, minimè propagatum aut ſervatum fuiſſe imperium Romanum. Initio hujus libri deinde contra inducentes fatum diſputavit, ne fato potiùs, quam divinæ voluntati, aut providentiæ tanti imperij magnitudinem tribuerent. Ut enim auctor eſt Cic. 2. de divinat.* L. Tarutus Firmanus Chaldaicis rationibus eruditus urbis Romæ natalem diem repetebat ab his Palilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus. Romamq́ue cum eſſet in jugo luna, natam eſſe dicebat, nec ejus fata canere dubitabat! O vim, *inquit*, maximam erroris: etiamne urbis natalis dies ad vim ſtellarum & lunæ pertinebat? ſac in puero referre, ex qua affectione cœli primum ſpiritum duxerit: num hoc in latere, aut in cæmento, ex quib. urbs effecta eſt, potuit valere?

β Annua imperia, binosq́ue imperatores.] Hæc eſt *(inquit Florus)* ſecunda populi Romani ætas, in qua liber vivere cœpit, primaq́ue Reip. mutatio, qua Tarquinio Rege exacto, & libertate parta annuum imperium duobus viris mandatum eſt, duobus quidem ut alter alerius inſolentiæ, ſi res poſtularet, intercedere, & occurrere poſſet. *Conſulum nomen ad milleſimum plus minùs annum progreſſum, cum Romanorum imperio floruiſſe, Imperator auctor eſt in Novel. de conſulibus in principio. De iiſdem vide Pomponium Lætum de magiſt. Rom.*

Rom. c. 15. & Feneſtellam c. 7. Livium lib. 1. Dionyſ. libro quarto. Vocabantur initio Prætores, quod præeſſent, *vel* præirent *populo, ac militaribus copiis. Judices aliquando dictos conſtat ex lege, quæ primùm forſan Comitiis centuriatis creati ſunt, quam refert Cicer. 3. de legibus.* Regio imperio duo ſunto, iique præeundo, judicando, & conſulendo Prætores, Judices, Conſules appellantor, &c. *Primum creati ſunt Conſules anno urbis 245. & primi Coſſ. Calend. Januariis creati ſunt: inde factum eſt, ut Januarius primus menſis anni à Romanis haberetur. Quod autem dicit binos Imperatores, contrarius videtur locus 1. Machabæor. 8. ubi dicuntur Romani committere magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari univerſæ terræ ſuæ, & omnes uni obedire: qui tamen locus intelligendus vel de dictatore, quem in ſummis Reip. periculis creare ſolebant, eiq; ſummum imperium deferre. Si verò de Conſulibus, quos hic binos Imperatores vocat, accipiamus; ita intelligendum duos Conſules alternis diebus imperaſſe, ſcribit enim Livius lib. 2. alterum tantum Conſulem faſces habuiſſe, & lib. 22. bello contra Annibalem uno die penes Paulum ſummam imperij fuiſſe; & altero penes Varronem, ut videretur ſemper imperium quodammodò penes unum eſſe.*

γ Quæ mare nunc terraſque.] *Simile quid apud Ariſtoph. in equit. ſub Cleonis perſona* ὁμοῦ ταράττων τὴν δὲ γῆν, καὶ τὴν θάλατταν εἰκῆ.

δ Conſilia in melius referet.] *Sic Plato lib. 5. de legibus* ἐπὶ τὸ βέλτιον μεταβολὰς *dixit. Et Ariſtoph. in Nub.* ταῦτα μέν τοι θεὸς ἐπὶ τὸ βέλτιον τρέπειν. *Et* ἐν εἰρήνῃ νῦν γὰρ ὁ δαίμων φανερῶς εἰς ἀγαθὰ μεταβιβάζει.

ε Gentemque togatam.] *Togarum varia erant antiquis Romanis genera: ut* toga prætexta, *qua utebantur pueri uſq; ad annum decimum octavum, dicta, quod veſti purpura intexebatur. Poſtea ſumebant togam virilem, quæ & libera dicebatur.* Toga pura, *quam tytunculi forenſes aſſumebant tyrocinij die.* Toga candida, *quam petitores magiſtratuum induebant, unde* candidati *dicebantur. Toga inſigne erat Romanorum, ſicut Pallium Græcorum: hinc Romani* togati *dicebantur, ut Græci* palliati, *eamq; iis ſolis ferre licuit, ut ea veluti nota diſcernerentur cives ab extraneis. Itaq; eius uſu excludebantur, qui damnatione civitatem amiſerant. Plin. l. 4. epiſt. de Licinio:* Is cum Græco pallio amictus intraſſet, carent enim uſu togæ, quibus aqua & igni interdictum eſt. *Scribit Tertull. lib. de pallio cap. 1. togam à Pelaſgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos commeaſſe.*

ζ Domus Aſſaraci,] *Aſſaracus Trois filius fuit, avus Anchyſæ, & pater Capys. Virg. 3. Georg.* Aſſarici proles, *per domum Aſſarici Romanos intelligit, qui ab Ænea poſt excidium Trojæ in Italiam profecto originem ducerent.*

η Phthiam.] *Phthia civitas Theſſaliæ Achillis patria. Id ſibi vult poëta, quod nepotes Trojanorum, id eſt Romani vindictam ſumpturi eſſent de Græcis, qui illam incenderant, & majores ſuos, id eſt Trojanos bello aggreſſi erant. Eadem fere 6. Æneid.*

Eruet ille Argos, Agamemnoniaſque Mycenas
Ipſumque Æacidem, genus armipotentis Achilli,
Ultus avos Trojæ, templa & temerata Minervæ,

θ Claraſque Mycenas.] *Magnas Mycenas vocat idem Virg. lib. 2. Æneid. quod Regia eſſet Agamemnonis Græcorum principis, quodq́; Trojanis temporibus honoratiſſima eſſet urbs, & agri fertilitate abundans, ut teſtatur Ariſt. lib. 1. meteor. c. 14. de ea Strabo lib. 8. & toti Græciæ tum imperaret, ut ſcribit Pauſanias in Arcad.*

ι Excudent alii.] *Alij quidem populi aliis actibus excellent, ut pictura, vel ſculptura, vel arte oratoria, vel Aſtronomia; verum Romani imperio & dominio longe reliquas nationes antecellunt. Quæ gentes atq́; urbes quibus artibus excelluerunt, ad easq́; inſitam quamdam propenſionem habuerint, vide Cœlium Rhodig. lib. 16. lect. Antiq. c. 3. & Alex. ab Alex. l. 4. c. 13.*

κ Eo magis illum ſequebatur.] *Eſt enim inſtar umbræ, quæ nos vel invitos comitatur: ita gloria virtutem ſequitur etiam fugientem.*

λ Judicium hominum bene de hominibus.] *Ita definit. Cic. 3. Tuſc.* Gloria eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute. *Et in Rhetor.* Eſt frequens de aliquo fama cum laude. *Et orat. pro Marcello:* Illuſtris & pervagata fama meritorum.

μ Petere non debuit.] *populi Romani ingratitudinem notat Seneca lib. 5. de Benef. c. 17. quod Catoni præturam negaverit, conſulatum pernegaverit:* Dignior, qui cogeretur accipere honores, quam qui peteret *(ait Plutarch.)*

ν In ipſa ſententia Catonis.] *Orationem intelligit, quam habuit in Senatu contra conjuratos, ut extat apud Saluſtium.*

ξ Publice egeſtatem, privatim opulentiam.] *Verum antiqui Romani malebant eſſe pauperes in divite Repub. quam divites in paupere Repub. Thucid. l. 2. in orat. Pericles ad Athenienſes, inquit,* præſtare Rempublibam publicè eſſe fœlicem, tutam & divitem, quam ſingulos & privatos: nam illa fœlice, & hi quoque ſervantur; his ſolum beatis, illa vero miſera, tandem & ipſi evertentur.

ο Cum diu fuiſſent regna Orientis illuſtria.] *Tria Imperia Aſſyriorum, deinde Perſarum, ac poſtremo Græcorum intelligit, quæ apud Danielem per ſtatuam viſam Nabuchodonoſori, & per quatuor beſtias ſignificata ſunt.*

CAP. XIII.

De amore laudis, qui cum ſit vitium, ob hoc virtus putatur: quia per ipſum vitia majora cohibentur.

l. 1. Epiſt. NAm ſanius videt, qui & amorem laudis vitium eſſe cognoſcit, quod nec poëtam fugit Horatium, qui ait.

a *Laudis amore tumes, ſunt certa piacula, quæ te*
b *Ter purè lecto poterunt recreare libello.*

Idemque in carmine Lyrico, ad reprimendam dominandi libidinem ita cecinit.

Lib. 2. Carm. c *Latius a regnes avidum domando*
Spiritum, quàm ſi Lybiam remotis
d *Gadibus jungas, e & uterq́; Pœnus*

Serviat uni.

Veruntamen qui libidines turpiores fide pietatis, impetrato ſpiritu ſancto, & amore intelligibilis pulchritudinis non refrænant, melius ſaltem cupiditate humanæ laudis & gloriæ, non quidem jam ſancti, ſed minus turpes ſunt. Etiam Tullius *f* hinc diſſimulare non potuit, in iisdem lib. quos de rep. ſcripſit, ubi loquitur de inſtituendo principe civitatis: β quem dicit *g* alendum eſſe gloria, & conſequenter commemorat, majores ſuos γ multa mira atque præclara gloriæ cupiditate feciſſe. Huic ergo vitio non ſolùm non reſiſtebant, verum etiam id excitandum & excitandum & accendendum eſſe cenſebant, putantes hoc utile eſſe reip. Quanquam nec in ipſis philoſophiæ lib. Tullius *h* ab hac peſte diſſimulet, ubi eam luce clarius confitetur. Cùm enim de ſtudiis talibus loqueretur, quæ utique ſectanda ſunt ſine veri boni, non ventoſitate laudis humanæ, hanc intulit univerſalem generalemque ſententiam: *i* δ Honos alit artes, omneſque accenduntur ad ſtudia gloria, jacentque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur. *Princeps alendus gloria.*

a LAudis amore tumes.] *Ad Mecœnatem 1. lib. Epiſt.* L.Viv.

b Ter purè lecto.] *Legendi ſunt philoſophorum lib. De moribus purè, non adverſis animis, ſed ſecundis, ita ut prodeſſe nobis cupiamus quæ dicunt. nam tunc demum proſunt. Porphyrion interpres Horatij ait, velut ad ſacrificandum caſtè ac lotis manibus accedendum putat.*

c Latius regnes.] *Carminum libro 2. ad Saluſt.*

d Gadibus.] *Hæc inſula eſt Hiſpaniæ nobilis peregrinatione Herculis.*

e Et uterque Pœnus.] *Acron & Porphyrion per alterum Pœnum intelligunt Afros in Lybia, per alterum Gaditanos, qui à Pœnis ſunt conditi, ut intelligat poeta conjunctionem regni per terras mari diſtinctas, quod antea in eodem carmine dixerat.*

f Inde ſilere non potuit.] *Antiqua volumina diſſimulare pro ſilere habent, & hinc proinde.*

g Alendum eſſe gloria.] *Sic pleriq; Stoicorum ſapientum ſuum animal eſſe gloria dicunt. Simonides poeta inductus à Xenophonte in Hierone, hominem à cæteris animantibus hoc potiſſimum ſejungit, quod honore ac gloria tangatur.*

h Ab hac peſte.] *Melius legeretur, hanc peſtem.*

i Honos alit artes.] *In proœmio Tuſcul. quæſtionum.*

α LAtius regnes.] *Horat. lib. 2. Carm. ode. 2. ad Saluſt. Senſus eſt, latiores unumquemq; regni fines habiturum, ſi coerceat ſuas cupiditates, quam ſi disjunctiſſimas provincias poſſeſſionibus ac dominio conjungat.* F.L.Cig.

β Principem alendum eſſe gloria.] *Reprobat D. Thom. lib. 1. de regimine principum c. 7.*

γ Multa mira atque præclara gloriæ cupiditate feciſſe.] *Arrian. lib. 6. de expedit. Alexandri dicit, immenſam gloriæ præ cæteris rebus cupiditatem tranſverſum illum ad pericula abripuiſſe.*

δ Honos alit artes.] *Lactant. lib. 3. c. 8. Nec artes, nec vero honorem, qui inde conſequi-*

conſequitur, probat eſſe ſummum bonum: Artes, *inquit*, ideo diſcuntur, ut exerceantur, exercentur autem vel ad ſubſidia vitæ, vel ad voluptatem, vel ad gloriam; non eſt igitur ſummum bonum, quod non propter ſe expetitur. Quid ergo intereſt, utrum ſcientiam ſummum bonum putemus, an illa ipſa, quæ ſcientia ex ſe parit, fructum, gloriam, voluptatem, quæ non ſunt homini propria, & ideo ne ſumma quidem bona. *Vide reliqua.*

Cap. XIV.

De reſecando amore laudis humanæ, quoniam juſtorum gloria omnis in Deo ſit.

Huic igitur cupiditati melius reſiſtitur ſine dubitatione, *a* α quam ceditur. Tantò enim quiſque eſt Deo ſimilior, quantò ab hac immunditia mundior. Quæ in hac vita, etſi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam bene proficientes animos tentare non ceſſat, ſaltem cupiditas gloriæ ſuperetur dilectione juſtitiæ. Ut ſi alicubi jacent, *b* quæ apud quoſque improbantur: ſi bona, ſi recta ſunt, etiam amor humanæ laudis erubeſcat, & cedat amori veritatis. Tam enim eſt hoc vitium inimicum piæ fidei, ſi major in corde ſit cupiditas gloriæ, quàm Dei timor vel amor, ut dominus diceret: β *Quomodo poteſtis credere gloriam ab invicem expectantes, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quærentes?* item de quibusdam qui in eum crediderant, & verebantur palàm confiteri, ait Evangeliſta γ: *Dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei.* δ Quod ſancti Apoſtoli non fecerunt. Qui cum in his locis prædicarent Chriſti nomen, ε ubi non ſolùm improbabatur: ſic ille ait, jacentque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur: verum etiam ſummæ deteſtationis habebatur, tenentes quod audierant à bono magiſtro, eodemque medico mentium. ζ *Si quis me negaverit coram hominibus, negabo eum* c *coram patre meo, qui in cœlis eſt,* d *& coram Angelis Dei:* η inter maledicta & opprobria, inter graviſſimas perſecutiones crudeleſque pœnas non ſunt deterriti à prædicatione ſalutis humanæ tanto fremitu offenſionis humanæ. Et quod eos divina facientes atque dicentes, divineque viventes debellatis quodammodo cordibus duris, atque introducta pace juſtitiæ ingens θ in eccleſia Chriſti gloria conſecuta eſt: non in ea tanquam in ſuæ virtutis fine quieverunt, ſed eam quoque ipſam ad Dei gloriam referentes, cuius gratia tales erant. Iſto quoque fomite eos, quibus conſulebant, ad amorem illius à quo & ipſi tales fierent, accendebant. Namque ne propter humanam gloriam boni eſſent, docuerat eos magiſter illorum: dicens: *Cavete facere juſtitiam veſtram coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Sed rurſus ne hoc perverſè intelligentes hominibus placere metuerent, minuſque prodeſſent latendo, quod boni ſunt: demonſtrans, quo fine innoteſcere deberent. *Luceant*, inquit, *opera veſtra coram hominibus, ut videant bona facta veſtra, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Non ergo ut videamini ab eis, id eſt, hac intentione ut eos ad vos converti velitis, quia non per vos aliquid eſtis,

Gloria cupiditas dilectione juſtitiæ ſuperanda

Iohan. 5

Ioh. 12.

Matth. 10.

Matt. 6.

Matt. 5.

eſtis, ſed ut glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt, ad quem converſi, fiant quod eſtis. * Hoc ſecuti ſunt martyres, qui Scævolas, & Curtios, & Decios non ſibi inferendo pœnas, ſed illatas ferendo, & virtute vera, quoniam vera pietate & innumera multitudine ſuperarent. Sed cùm illi eſſent in civitate terrena, quibus propoſitus erat omnium pro illa officiorum finis, incolumitas ejus, & regnum non in cœlo, ſed in terra: non in vita æterna, ſed in deceſſione morientium, & ſucceſſione moriturorum: quid aliud amarent quàm gloriam, qua volebant etiam poſt mortem *e* tanquam vivere in ore laudantium? *al. Hy.*

a QUàm ceditur.] *Legendum cum ceditur, & ſic expoſcit ſenſus. Reſiſtendum eſt enim gloriæ cupidini, non cedendum.* *L. Viver.*

b Ubi non ſolùm improbantur.] *Sic arbitror legendum. Ubi non ſolùm improbantur, jacentq́ue illa ſemper, ſicut ille ait, quæ apud quosq́ue etiam, &c.*

c Coram patre meo.] *Sic Matth. 10.*

d Et coram angelis Dei.] *Sic Lucæ 12.*

e Tanquam vivere.] *Ennius: Vivus volito per ora virum.*

α HUic igitur cupiditati.] *Cupiditatem gloriæ, quæ fuit in Romanis, perſequitur improbare.*

β Quomodo poteſtis credere gloriam ab invicem.] *Joannis 5. qua ratione humanæ gloriæ cupiditas eos à credendo impediret, Cyrillus & Theophilus apte docent. Dum enim Principes, ſacerdotes & Phariſæi obſervantiſſimi Moſaicæ legis, & traditionum veterum videri volunt apud populum, & contra populus demum apud principes ſanctitatis opinione gratiam inire, non ſolum in Chriſtum credere renuerunt, verum etiam illi, & omnibus quæ docebat & faciebat, repugnarunt. Ita gloria Dei, ſeu etiam pia fides, qua glorificatur Deus, & quam etiam glorificat non ſecus inter ſe pugnant, neq́ue magis inter ſe conveniunt, quam ſapientia Dei & ſapientia hominum, quarum altera alteri ſtultitia eſt 1. Cor. 1.*

γ Dilexerunt gloriam hominum.] *Joan. 12. Genitivi illi* (Dei & hominum) *ut notat Maldonatus, aut* active, *aut* paſſive *ſumi poſſunt. Si* active *ſumi intelligantur, ſenſus erit,* eos dilexiſſe potius ab hominibus, quam à Deo gloriam habere. Si paſſive, dilexiſſe homines potius, quam Deum glorificare. *Omnes fere ſacri interpretes volunt ſumi* active: *voluit enim Evangeliſta notare paſſionem ſeu effectum, qua impediti principes illi, cum crederent, non tamen confitebantur: amare autem aliorum gloriam, id eſt gloriam illis optare non eſt paſſio, propriam vero apud homines gloriam quærere, ea tum demum paſſio eſt, & quidem potentiſſima; atq́ue eam in Romanis nunc reprehendit Auguſt. eiq́ue reſiſtendum non cedendum dicit.*

δ Quod ſancti Apoſtoli non fecerunt.] *Quam alieni fuerint ab aucupanda vana gloria, vide Chryſoſt. homil. 35. in priorem ad Corinth. ubi eorum ſtudium longe aliud fuiſſe, utpote alienum ab ambitione & vana gloria, quam Judæorum & Philoſophorum docet.*

ε Ubi non ſolum improbatur.[*Ita Apoſtolus:* prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam.

ζ Si quis me negaverit.] *Hinc refutatur error Helceſetarum, qui volebant ſufficere ad ſalutem, ſi quis Chriſtum & fidem gereret in pectore, licet ore negaret, ut ex Origine refert Euſeb. lib.6. hiſt. Eccl. c. 28. Fuit hæreſis Priſcilianiſtarum, ut meminit Auguſt. lib. contra Mendacium c.6. & lib. de hæreſib. c.70. non tantum licere occultare fidem, ſed etiam negare ad vitam tuendam. Utebantur loco pſal.14.* Qui loquitur veritatem in corde ſuo: *quaſi dicat, id ſatis eſſe. Refelluntur à D. Auguſtino exemplo D. Petri, qui graviſſime peccavit, quamvis corde Chriſtum non negaſſet. Utitur etiam hoc loco Matth. & Rom. 11.* Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Lucæ 9.* qui erubuerit me & meos ſermones, erubeſcet eum filius hominis.

η Inter maledicta, & opprobria.] *Apoſt.* maledicimus & benedicimus, perſecutionem patimur & ſuſtinemus.

θ Ingens in Eccleſia Chriſti gloria.[*Chryſoſt. hom. 66. ad popul. Antioch.* Diſcipulos Chriſtus poſtquam obierunt tunc effulgere fecit. nam & eorum loca & ſepulchra, ſimul & tempora perenni memoria celebrari curavit. Tu vero mihi ſepulchrum oſtendas Alexandri, & profer diem, quo vitam finivit. Sed nihil horum inſigne, omnia deſtructa ſunt & exterminata. Chriſti vero ſervorum & ſepulchra clara ſunt, Regiam aſſecuta civitatem, & dies notisſimi mundo feſtam afferentes lætitiam, & illius quidem loculum & proprii neſciunt, horum vero ſciunt & barbari. Et ſervorum crucifixi ſepulchra regiis aulis ſunt clariora non magnitudine & ædificiorum pulchritudine (nam & in hoc etiam ſuperant) ſed quod multo majus eſt convenientium ſtudio. *Atq; plura alia in hanc rem dicit.*

ι Martyres, qui Scævolas, Curtios.] *Vide Chryſoſt. in 1. ad Cor. homil. 4. ubi docet, Apoſtolos & ſervos Chriſti longe conſtantius, & majori cum fortitudine mortem & omnia tormenta contemſiſſe, quam Socratem, qui cicutam hauſit, & alios, ſi qui apud Gentiles mortem viſi ſint contempſiſſe.* Si, *inquit,* tormenta aliqui paſſi ſunt, laus eorum periit, pro turpi enim cauſa perierunt, alij quidem tanquam ſecreta locuti, alij tyrannidem affectantes, alij in turpiſſimis rebus deprehenſi, alij temere, ſtulte, & ſine cauſa exitium ſibi accerſiverunt: verum aliter apud nos, propterea res illorum tacentur, hæ autem florent, & in dies clariores redduntur.

Cap. XV.

De mercede temporali, quam Deus reddidit bonis moribus Romanorum.

Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam cum ſanctis angelis ſuis in civitate ſua cœleſti, α ad cuius ſocietatem pietas vera perducit, quæ non exhibet ſervitutem religionis, α β quam latriam Græci vocant: niſi uni vero Deo, ſi neque hanc eius terrenam gloriam excellentiſſimi imperii concederet, γ non redderetur δ merces bonis artibus eorum, id eſt virtutibus

quibus

quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam dominus ait: Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam. Sic & iſti privatas res ſuas pro re communi, hoc eſt republica, & pro eius ærario contempſerunt, avaritiæ reſtiterunt: conſuluerunt patriæ conſilio libero: neque delicto ſecundùm ſuas leges, neque libidini obnoxii: his omnibus artibus tanquam vera via niſi ſunt ad honores, imperium, gloriam honorati ſunt in omnibus ferè gentibus: imperii ſui leges impoſuerunt multis gentibus: hodiéque literis & hiſtoria glorioſi ſunt penè in omnibus gentibus. Non eſt, quod de ſummi & veri Dei juſtitia conquerantur: perceperunt mercedem ſuam.

a Quam λατρείας.] Λλατρεύω, *quod eſt colo, ſervio.* *L. Vives*

α AD cujus ſocietatem.] *Apoſt. Hebr. 12. vocat civitatem Dei viventis Hieruſalem cæleſtem & multorum millium Angelorum frequentiam, id eſt cœtum & ſocietatem, & congregationem ſeu conventum innumerabilium Angelorum.* *F. L. Coq.*

β Quam latriam Græci vocant.) λατρεία τοῦ θεοῦ *dicitur apud Plat. in Apolog. Solent diſtinguere latriam à δουλεία, quod cultus latriæ exhibeatur ſoli Deo, δουλείας etiam creaturis.* λατρεύοντες cultores Dei *ubique vocantur ab Apoſt. epiſt. Hebr.* λατρεύω *idem eſt quod* revereor aut colo; δουλεύω *idem quod ſervio. Unde hæc duo verba apud Græcos frequenter pro eodem uſurpantur, ut tam Deo, quam creaturis communia ſint. Plura infra ad lib. 10. c. 2.*

γ Non redderetur merces bonis artibus eorum.) *Monarchiam quidem Romanis Deus donavit, ut redderet mercedem bonis operib. eorum, quæ digna non erant vita æterna; tum etiam ut per unionem omnium gentium ſub uno principatu pararetur via Evangelicæ prædicationi. Hanc rationem reddit S. Leo ſerm. de SS. Petro & Paulo. Etiam mercede temporali dicit ſe compenſare Nabuchodonoſor ſervum ſuum. Ezech. 29.* Nebuchodonoſor Rex Babylonis ſervire fecit exercitum ſuum ſervitute magna adverſus Tyrum. Et merces non eſt reddita ei de Tyro pro ſervitute, qua ſervivit mihi adverſus eam. *Infra:* Dedi ei terram Ægypti pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus. *In quem locum D. Hier* Ex eo quod Nabuchodonoſor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei judicio præteriri. *D. Thom. 2. ſent. diſt. 27. q. 1. art. 4. citat in hanc ſententiam D. Gregor. lib. 5. moral. c. 1. frequenter Deum in hoc mundo remunerare eum, qui præmium futuræ gloriæ non meretur, ut ſic nullum bonum irremuneratum inveniatur. Idem 3. par. quæſtion. 89. art. ſexto ad 3.* Deus, *inquit*, recordatur bonorum, quæ quis facit in ſtatu peccati, non ut remuneret ea vita æterna, quæ debetur ſolis operibus vivis, i.e. ex charitate factis, ſed remunerat ea temporali remuneratione: *Sicut Gregor. dicit homil. 40. de divite & Lazaro, quod* niſi dives ille aliquod bonum egiſſet, & in præſenti ſæculo remunerationem accepiſſet, nequaquam Abraham ei diceret: Recepiſti bona in vita tua. *Ita vult D. Auguſtinus, quod imperium orbis conceſſum fuerit Romanis, propter amorem in*

patriam

patriam, propter jus & æquitatem, cujus obſervantiſſimi fuerunt, & propter civilem benevolentiam. Vide eundem D. Thom. lib. 3. de regimine principum. c. 4. 5. & 6. Exod. 1. quod obſtetrices illæ Ægyptiorum ſervaverant pueros Hebræorum contra præceptum Regis, dicitur Deus illis ædificaſſe domos. D. Auguſt. initio lib. 2. locutionum in Exod. & Theodoretus q. 2. in exodum interpretatur augere rem familiarem, & locupletare, ingentemq; bonorum temporalium copiam largiri voluit, itaq; Deum remuneraſſe obſtetrices largiendo eis divitias & bona temporalia, cum non eſſet remuneraturus vita æterna.

ð Non redderetur merces bonis artibus eorum.] *Gregor. Arimin. 1. ſent. diſt. quæſt. 3. articul. 2. & 2. ſentent. diſtinct. 26. q. 1. artic. 3. diſputat, nullas fuiſſe virtutes, vel bona opera etiam moraliter digna aliquo præmio in Romanis, & citans hunc locum Auguſtini:* Nullum peccatum, *inquit*, eſt meritorium alicujus præmij, ſed tantum pœnæ: ſed indirecte & per accidens aliquando præmiatur, ſcilicet cum quis intuitu finis alicujus obtinendi aliquem actum exercet, & illum finem Deus illi confert, tunc talis finis poteſt dici præmium, ſecundum intentionem operantis, qui ipſum pro præmio intendebat. Non tamen ſemper eſt finis reſpectu Dei conferentis, qui aliquando pro præmio non confert, imo forte pro pœna, aut aliqua alia cauſa ſibi nota, nobis ignota. Hic Romanis, *inquit*, gloria imperij ſibi à Deo conceſſa dicitur merces actuum ſuorum apud Auguſtinum non quod pro illis præmiandis data ſit, ſed quod ab illis pro ſuis actibus tanquam merces quærebatur. *Sicut de hypocritis dicitur à Salvatore:* Receperunt mercedem ſuam, *quam ſc. intendebant. Quod vero dicit Auguſtinus bonis artibus eòrum, id eſt, virtutibus redditum hujuſmodi præmium:* Tales artes, *inquit*, non dicit virtutes, quod vere ſint virtutes, ſed quod formam & ſimilitudinem habeant virtutum; *Ut enim ait contra Julianum lib. 4. c. 12.* Sunt vitia, quæ finitima videntur & propinqua virtutibus, cum abſint ab eis, &c. *Verum Gregor. Arimin. in hac doctrina nimium rigidus viſus eſt; nec enim negandum, in infidelibus etiam reperiri aliqua ex genere ſuo bona moralia opera, quæ præmio tempotali aliquo non ſunt indigna. De quo videri poteſt D. Tho. cum ſuis interpretibus. 2. 2. q. 10. art. 4.*

Cap. XVI.

De mercede ſanctorum civium civitatis æternæ, quibus utilia ſunt Romanorum exempla virtutum.

Civitas æterna. Merces α autem ſanctorum longè alia eſt etiam hic opprobria ſuſtinentium pro civitate Dei, quæ mundi huius dilectoribus odioſa eſt. Illa civitas ſempiterna eſt. α β Ubi nullus oritur, quia nullus moritur. Ubi eſt vera & plena fœlicitas, non dea, ſed donum Dei. Inde fidei pignus accipimus, quandiu peregrinantes eius pulchritudini ſuſpiramus. Ibi non oritur Sol ſuper *Rom. 8. Matt. 5.* bonos & malos, ſed ſol juſtitiæ ſolos protegit bonos. Ibi non erit magna induſtria ditare ærarium publicum privatis rebus anguſtis, ubi theſaurus communis eſt veritatis. Proinde non ſolum ut talis merces talibus hominibus

reddere-

redderetur, Romanum Imperium ad humanam gloriam dilatatum eſt, verum etiam ut γ cives æternæ illius civitatis, δ quandiu hîc peregrinantur, diligenter & ſobriè illa intueantur exempla, & videant, quanta dilectio debeatur ſupernæ patriæ propter vitam æternam, ε ſi tantum à ſuis civibus terrena dilecta eſt propter hominum gloriam. 2. Cor. 5.

a Ubi nullus oritur.] *Hoc eſt, nullus novus accreſcit: ut neq; ex aſcitis decreſcat ullus, cum omnes numerati & conſtituti ſint, æterna Dei & præſcientia & ſelectione.* L. Vives.

α Merces autem Sanctorum longè alia.] *De ea Geneſ. 15.* Ego ero merces tua magna nimis. *Exo. 33.* Oſtendam tibi omne bonum. *Sap. 5.* Juſti in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum. Oculus non vidit, neq; auris audivit, neque in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparavit diligentibus ſe. *Iſai. 64. 1. Cor. 2.* F. L. Coq.

β Ubi nullus oritur, quia nullus moritur.] *Omnes enim cives illius civitatis ſunt ab æterno prædeſtinati, & nullus huic numero accreſcit, neq; ex hoc numero decreſcit, novit enim Dominus, qui ſunt ejus. Illa civitas abunde deſcribitur Apoc. 21.*

γ Cives æternæ illius civitatis.] *Ita vocat Apoſt. cives ſanctorum, & domeſticos Dei, vocat Auguſt. Abelem civem illius civitatis infra lib. 15. c. 1.*

δ Quamdiu hic peregrinantur.] *2. Cor. 5. Peregrinari dicit nos à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.*

ε Si tantum à ſuis civibus.] *Similia apud eumdem lib. de opere Monachorum c. 25.* Si hujus terrenæ Reipub. antiquiſſimi principes clariſſimo literatorum ſuorum eloquio prædicari ſolent, quod rem communem univerſi populi ſuæ civitatis, privatis ſuis rebus ſic anteponebant, ut quidam eorum Africa edomita triumphator, quod nubenti filiæ daret, non habuerit, niſi ex Senatusconſulto de publico dotaretur: quo animo debet eſſe in Rempub. ſuam civis æternæ illius civitatis Hieruſalem cœleſtis, &c. *Et D. Chryſoſt. ut refert Stobæus ſerm. 162.* Si pro gloria & dignitate hujus vitæ invenitur, qui vel totum profundat patrimonium, quid poteſt eſſe nobis miſerius, qui pro permanente gloria, & quæ eripi non poteſt, ne tantillum quidem expendimus.

Cap. XVII.

Quo fructu Romani bella geſſerint, & quantum his quos vicere, contulerint.

Quantum enim pertinet ad hanc vitam mortalium, quæ paucis diebus ducitur & finitur, quid intereſt, ſub cuius imperio vivat homo moriturus, α ſi illi qui imperant, ad impia & iniqua non cogant? An verò aliquid nocuerunt Romani gentib. quib. ſubjugatis impoſuerunt leges ſuas, niſi quia id factũ eſt ingenti ſtrage bellorũ? Quod ſi concorditer fieret, id ipſũ fieret meliore ſucceſſu: β ſed nulla eſſet gloria triumphantiũ. Neq; enim & Romani non vivebant ſub legibus ſuis, quas cæteris imponebant. a Hoc ſufficeret Reipublicæ, niſi

cæ, niſi Marti & Bellonæ diſplicebat, ut nec victoria locum haberet, nemine vincente, ubi nemo pugnaverat. Nonne Romanis & cæteris gentibus una eſſet eademque conditio? Præſertim, ſi mox fieret, quod poſtea gratiſſimè atque humaniſſimè factum eſt: *b* γ ut omnes ad Romanum imperium pertinentes ſocietatem acciperent civitatis, & Romani cives eſſent: ac ſi eſſet omnium quod erat ante paucorum: tantum, quod plebs illa, quæ ſuos agros non haberet, de publico viveret: qui paſtus eius per bonos adminiſtratores reipublicæ gratius * à concordibus præſtaretur, quàm victis extorqueretur. Nam quid interſit ad incolumitatem bonoſque mores, & ipſas certè hominum dignitates, quod alii vicerunt, alii victi ſunt, omnino non video, præter illum gloriæ humanæ inaniſſimum faſtum, in quo perceperunt mercedem ſuam, qui eius ingenti cupidine arſerunt, & ingentia bella geſſerunt. Nunquid enim illorum agri tributa non ſolvunt? Nunquid eis licet diſcere, quod aliis non licet? *c* Nunquid non multi ſenatores ſunt in aliis terris, qui Romam nec de facie quidem norunt? Tolle jactantiam, & omnes homines quid ſunt, niſi homines? Quod ſi perverſitas ſeculi admitteret, ut honoratiores eſſent quique meliores: nec ſic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius eſt ponderis fumus. Sed utamur etiam in his rebus beneficio Domini Dei noſtri, conſideremus quanta contempſerint, quæ pertulerint, quas cupiditates ſubegerint pro humana gloria, qui eam tanquam mercedem talium virtutum accipere meruerunt: & valeat nobis etiam hoc ad opprimendã ſuperbiam, ut *d* cum illa civitas, in qua nobis regnare promiſſum eſt, tantum ab hac diſtet, quantum diſtat cœlum à terra, à temporali lætitia vita æterna: ab inanibus laudibus ſolida gloria: à ſocietate mortalium, ſocietas angelorum: à lumine ſolis & lunæ, lumen eius qui fecit ſolem & lunam: nihil ſibi magnum feciſſe videantur tantæ patriæ cives, ſi pro illa adipiſcenda fecerint boni operis aliquid, vel mala aliqua ſuſtinuerint: cum illi pro hac terrena jam adepta tanta fecerint, tanta perpeſſi ſint: præſertim, quia remiſſio peccatorum, quæ cives ad æternam colligit patriam, habet aliquid, cui per umbram quandam ſimile fuit *e* aſylum illud Romuleum, quo multitudinem, qua illa civitas conderetur, quorumlibet delictorum congregavit impunitas.

al. ac cõcordius. — *Honor human.* — *Remiſſio peccatũ. Aſylum Romuleum.*

L. Viv. *a* HOc ſufficeret reip.] *In veteribus codicibus habetur ſic: Hoc ſi fieret ſine Marte & Bellona, ut nec victoria locum haberet, &c.*

b Ut omnes ad Rom. imperium pertinentes.] *Olim populi Latij ſolebant in civitatem aſciſci. Hinc ventum ad alios Italiæ populos, & trans Padum itum, & trans Alpes, & trans mare. Claudius Cæſar multas barbaras gentes donavit civitate Romana, dicens, nihil magis fuiſſe Lacedæmoniis & Athenienſibus exitio, quàm quod in ſocietatem civitatis nunquam recepiſſent, quos viciſſent armis. Mox ſub Hiſpanis & Afris & Tracibus & aliarum nationum Cæſaribus paulatim integræ provinciæ, & totum deniq; imperium donatum eſt jure civitatis Romanæ. Et cum initio reliqui omnes præter Græcos dicerentur Barbari, etiam Romani ipſi jam domini, poſt Latini & Itali ea ſunt nota exempti, donatis provinciis omnibus civita-*

Barbaræ gentes quæ

civitate, illi ſoli nomine barbarei ſunt notati, qui ſub Romanó imperio non eſſent: & hic eſt ſenſus Herodiani, Spartani, Eutropij, & recentiorum hiſtoricorum, cum de Barbaris loquuntur. Ita Rhenus duas dicebatur habere ripas, hanc citeriorem Romanam, illam ulteriorem, Barbaram. Claudian.

O quoties doluit Rhenus, qua barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur judice ripis.

ε Nunquid non multi ſenatores.] *Donatis civitate multis gentibus, etiam in ſenatum ex illis complures ſunt aſſcripti, fueruntq́ſenatores, tametſi Romam nunquam veniſſent, ut cives alij, qui Romam nunquam viderunt.*

α SI illi qui imperant, ad impia & iniqua non cogant.] *Ita Chriſtum obedire principibus etiam infidelibus, non tamen ubi aliquid præciperent, quod iniquum eſſet. ut q.3. c. Julianus Imperator quamvis eſſet apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites, quibus cum dicebat, Producite aciem pro defenſione Reip. obediebant ei. Cum autem diceret eis, Producite arma in Chriſtianos, tunc cognoſcebant Imperatorem cœli. Ex Ambroſio recitatur. Et ibidem can. Imperatores recitantur verba D. Auguſtini in Pſ.124.* Julianus extitit infidelis Imperator, nonne extitit Apoſtata, iniquus Idololatra? milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli, ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum, qui in cœlo erat. Quando volebat ut idola colerent, thurificarent, præponebant illi Deum; Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant, diſtinguebant Dominum æternum, à Domino temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum & Domino temporali. *Ibidem recitantur verba Iſidori: Si is qui præeſt, &c.* Principibus vero impia & iniqua præcipientibus reſiſtendum eſt, exemplo Sydrac, Miſac & Abdenago, qui reſtitere Regi præcipienti, ut divinos honores deferrent ſtatuæ aureæ. *Aug. Epiſt.166.* F.L.C.q.

β Sed nulla eſſet gloria triumphantium.] *Ita referunt de Alexandro, qui quoties à patre Philippo nobile quoddam captum oppidum, aut memorabili prælio parta victoria nunciabatur, haud magnopere lætabatur, cæterum ad ſuos dicebat æquales:* Omnia *(ô pueri)* genitor occupabit, ita ut ne vobiſcum grande ullum ac inſigne facinus oſtentare mihi ſit reliquum. *Tanta eum gloriæ cupido tenebat, quoq́ majores à patre facultates acciperet, eo ſe minora gerere poſſe exiſtimabat.*

γ Ut omnes ad Romanum imperium pertinentes.] *Primum quidem Latini, alij deinde Italiæ populi, ſi poſtremo integræ, ampliſſimæq́ extra Italiam civitates ac provinciæ Romana civitate donatæ ſunt, ut Roma eſſet communis patria. Joſephus lib.2. contra Appionem;* Romana clementia non modicum cunctis appellationis ſuæ donum conceſſit, non ſolum viris ſingulis, ſed etiam in univerſum magnis Gentibus. *Dionyſ. Halicar. lib.2. ſcribit, id fuiſſe Romuli inſtitutum:* Romuli præclariſſimum libertatis Romanæ fundamentum firmiſſimum, atque ad futurum imperium momentum non minimū; quod extraneos in jus ſuæ civitatis admiſerit. Ita enim factum eſt, ut cum ejus inſtituta regni ſucceſſores

ceſſores ſervaverint, Romanorum civitas nulli genti, vel populoſiſſimæ numero hominum cederet. *Indeq; reprehendit Thebanos, & Lacedæmonios, & Athenienſes, qui ob retinendam generis nobilitatem nullos, vel raros in jus civitatis admiſerunt, unde factum, ut vel una clade accepta partum imperium amiſerint: Ror ni vero multis bellis impliciti non ſuccubuerint acceptis cladibus, militum nu ero ſufficiente ad excipiendos omnium impetus. Dionyſii ſententiam confirmat & illud Cic. orat. pro C. Balbo.* Illud verò ſine dubitatione maximè noſtrum fundavit Imperium, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille creator urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis augeri civitatem oportere, cujus authoritate & exemplo nunquam eſt intermiſſa à Majoribus noſtris largitio & communicatio civitatis. *vide Sigon. de antiq. jure populi Rom. l.1. c.1. & Lazium l.12. comment. Reip. Rom. c.1.*

d Cum illa civitas, in qua nobis regnare promiſſum eſt.] *De hac civitate Hebr. 11.* Non habemus hîc civitatem permanentem, ſed futuram inquirimus. *Hebr. 11. de Abrahamo.* Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus. *Meminit & illius, & civium ejus Hebr. 12.* Acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis Hieruſalem cœleſtem, & multorum Angelorum frequentiam, & eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis. *Hæc civitas deſcribitur à Joanne Apocalyp. 21.* Quod non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus eſt agnus, *& dicitur* tabernaculum, *ſeu habitatio* Dei cum hominibus.

e Aſylum illud Romuleum.] *De quo ſupra lib. 1. c. 35.* Habet, *inquit,* nonnihil per umbram ſimile aſylum illud Romuli civitati à Chriſto conditæ, id eſt Eccleſiæ: quemadmodum enim Romulus aſylum illud inſtituit, quo confugientibus quibuſcunque ſcelerum omnium pollicetur impunitatem; Ita Chriſtus ad Eccleſiam, quam ſanguine ſuo acquiſivit, & fundavit in æternum, confugientibus quibuſcunque remiſſionem peccatorum pollicetur. Act. 10. Hinc omnes prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus. *Donatiſtæ Catholicis objiciebant (ut teſtatur D. Aug. li. 2. contra Creſc. Gramm. c.13.) Quod idem facerent, quod Romulus, quia eorum nocentes ad ſe confugientes exciperent, facinoroſum aſylum eorum Eccleſiam appellantes, in hoc Gentiles imitati, eamdem olim calumniam Chriſtianis impingentes, quod præteritorum omnium delictorum, per baptiſmi ſacramentum abolitionem promitterent. Verum longè diſpar eſt ratio, nam ut ibidem ſcribit:* Non ſicut conviciaris, tanquam in aſylum Romuli veſtros nocentes recepimus, quos civitas Dei recipiendo efficit innocentes, cum ad eamdem veraci corde tranſierint, de qua ejus conditor dicit: non poteſt civitas abſcondi ſuper montem poſita, non enim eam condidit, qui fratrem ſuperbe occidit iratus, ſed qui fratres humiliter redemit occiſus. *Et lib. 1. de conſenſ. Evang. c.12.* Neq; enim quando aſylum conſtituerunt Romulus & Remus, ut quiſquis cujuslibet ſceleris reus eo confugiſſet, inultum haberet commiſſum, præcepta pœnitentiæ

dederunt

dederunt ad ſanandas animas miſerorum, ac nō potius collectam timentium manum contra ſuas civitates, quarum leges timebant mercede impunitatis armarunt. Quando itaque confugiebant ad aſylum Romuli, non meliores efficiebantur converſione à peccatis, vel mutatione voluntatis; ut quando ab hæreſi, vel ab infidelitate ad Eccleſiam confugiunt, non ij ſunt, qui prius. *Quod idem ſcribit eodem lib.2. contra Creſc. c.9.* Noli ulterius in hac re non tantum carnaliter, verum etiam pueriliter ſapere, ut tales, quales erant, veſtros à nobis ſuſcipi exiſtimes, qui converſione voluntatis ab errore ad veritatem, à diviſione ad unitatem, à diſſenſione ad pacem, ab inimicitijs ad charitatem, ab humana præſumptione ad divinarum ſcripturarum authoritatem, non ante incipiunt eſſe noſtri, quam eſſe deſtiterint veſtri.

Cap. XVIII.

Quàm alieni à jactantia debeant eſſe Chriſtiani, ſi aliquid fecerint pro dilectione æterna patria, cum tanta Romani geſſerint pro humana gloria & civitate terrena.

Quid ergo magnum eſt pro illa æterna cœleſtique patria, cuncta ſeculi hujus quamlibet jucunda blandimenta contemnere, ſi pro hac temporali atque terrena filios Brutus potuit & occidere, quod illa facere neminem cogit? Sed certè difficilius eſt filios interimere, quàm quod pro iſta faciendum eſt, ea quæ filiis congreganda videbantur atque ſervanda, vel donare pauperibus, vel ſi exiſtat tentatio, quæ id pro fide atque juſtitia fieri compellat, amittere. α Fœlices enim vel nos vel filios noſtros, non divitiæ terrenæ faciunt, aut nobis viventibus amittendæ, aut nobis mortuis à quibus neſcimus, vel fortè à quibus nolumus poſſidendæ. Sed Deus fœlices facit, qui eſt mentium vera opulentia. Bruto autem, quia filios occidit, infœlicitatis perhibet teſtimonium etiam poeta laudator. Ait enim:

β Natosq; pater nova bella moventes, *Deus vera mentium opulentia*
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infœlix, utcunq; ferent ea facta minores.

Sed verſu ſequenti conſolatus eſt infœlicem.

Vicit amor patriæ, laudumq; immenſa cupido.

Hæc ſunt duo illa libertas & cupiditas laudis humanæ, quæ ad facta compulere miranda Rom. Si ergo pro libertate moriturorum & cupiditate laudum, quæ à mortalibus expetuntur, occidi filii à patre potuerunt, quid magnum eſt, γ ſi pro vera libertate, quæ nos ab iniquitatis & mortis & diaboli dominatu liberos facit, nec cupiditate humanarum laudum, ſed charitate liberandorum hominum: nón à Tarquinio rege, ſed à dæmonibus & dæmonum principe: non filii occiduntur, ſed Chriſti pauperes inter filios computantur? Si alius etiam Rom. δ princeps cognomine Torquatus ε filium, non quia contra patriam, ſed etiam pro patria, tamen quia contra imperium ſuum, id eſt contra quod imperaverat pater imperator, ab hoſte provocatus juvenili ardore *Torquatus*

pugnaverat, licet viciſſet, occidit: ne plus mali eſſet in exemplo imperii contempti, quàm boni in gloria hoſtis occiſi: ζ ut qui ſe jactant, qui pro immortalis patriæ legibus omnia, quæ multò minus quàm filii diliguntur, bona ter-
Camillus rena contemnunt? η Si Furis Camillus etiam ingratam patriam, à cuius cervicibus acerrimorum hoſtium Vejentium jugum depulerat, θ damnatusque ab æmulis fuerat, à Gallis iterum liberavit, quia non habebat potiorem ubi poſſet vivere glorioſius: cur extollatur, velut grande aliquid fecerit, qui fortè in eccleſia ab inimicis carnalibus graviſſimam exhonorationis paſſus injuriam, ι non ſe ad eius hoſtes hæreticos tranſtulit, aut aliquam contra illam ipſe hæreſim condidit, ſed eam potius, quantum valuit, ab hæreticorum pernicioſiſſima pravitate defendit: *a* κ cum alia non ſit, non ubi vivatur in hominum glo-
Mutius. ria, ſed ubi vita acquiratur æterna? λ Si Mutius, ut cum Porſenna rege pax fieret, qui graviſſimo bello Romanos premebat, quia Porſennam ipſum occidere non potuit, & pro eo alterum deceptus occidit, in ardentem aram ante oculos eius dexteram extendit, dicens, multos tales, qualem illum videret, in eius exitium conjuraſſe: cuius ille fortitudinem & conjurationem talium
al. dubitatione. perhorreſcens, ſine ulla * dilatione ſe ab illo bello facta pace compeſcuit: Qvis regno cœlorum imputaturus eſt merita ſua, ſi pro illo non unam manum neque hoc ſibi ultro faciens, ſed perſequente aliquo patiens totum flammis cor-
Curtius. pus impenderit? μ Si Curtius armatus equo concito in abruptum hiatum terræ ſe præcipitem dedit, deorum ſuorum oraculis ſerviens, qui juſſerant, ut illuc id quod Romani haberent optimum mitteretur: nec aliud intelligere potuerint, quàm viris armiſque ſe excellere, unde videlicet oportebat, ut deorum juſſis in illum interitum vir præcipitaretur armatus. Quid ſe magnum pro æterna patria feciſſe dicturus eſt, qui aliquem fidei ſuæ paſſus inimicum, non ſe ultro in talem mortem mittens, ſed ab alio miſſus obierit, quandoqui-
Matt. 10 dem à domino ſuo eodemque rege patriæ ſuæ certius oraculum accepit: *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere.* Si ſe oc-
Decii. cidendos ν certis verbis quodammodo conſecrantes ξ Decii devoverunt, ut illis cadentibus & iram deorum ſanguine ſuo placantibus, Rom. liberaretur exercitus, nullo modo ſuperbiant ſancti martyres, tanquam dignum aliquid pro illius patriæ participatione fecerint, ubi æterna eſt & vera fœlicitas, ſi uſque ad ſui ſanguinis effuſionem non ſolùm ſuos fratres, ο pro quibus fundebatur, verùm & ipſos inimicos, à quibus fundebatur, ſicut eis præceptum eſt, diligentes, charitatis fide & fidei charitate certarunt? *b* Si π Marcus Pulvillus
Marcus Pulvillus dedicans ædem Jovis, Junonis, Minervæ, falsò *c* ſibi ab invidis morte filii nunciata, ut illo nuncio perturbatus abſcederet, atque ita dedicationis gloriam collega eius conſequeretur, ita contempſit, *d* ut eum etiam projici inſepultum juberet: & ſic in eius corde orbitatis dolorem, gloriæ cupiditas vicerat: quid magnum ſe pro Evangelii ſancti prædicatione, qua cives ſupernæ patriæ de diverſis liberantur & colliguntur erroribus, feciſſe dicturus eſt, cui dominus
Matt. 8. de ſepultura patris ſui ſolicito ait: *Sequere me, & ſine mortuos ſepelire mortuos*

tuos

tuos ſuos? σ Si M. Regulus ne crudeliſſimos hoſtes jurando falleret, ad eos ab ipſa Roma reverſus eſt, quoniam ſicut Romanis eum tenere volentibus reſpondiſſe fertur, poſteaquàm Afris ſervierat, dignitatem illic honeſti civis habere non poſſet: cumque Carthaginienſes, quoniam contra eos in Romano ſenatu egerat, graviſſimis ſuppliciis necaverunt, τ qui cruciatus non ſunt pro fide illius patriæ contemnendi, ad cuius beatitudinem fides ipſa perducit? Aut quid retribuetur domino pro omnibus quæ retribuit, ſi pro fide, quæ illi debetur, talia fuerit homo paſſus, qualia pro fide, quam pernicioſiſſimis inimicis debebat, paſſus eſt Regulus? Quomodo autem ſe audebit extollere de voluntaria paupertate υ Chriſtianus, *f* ut in huius vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam, quæ præducit ad patriam, ubi veræ divitiæ ipſe Deus eſt, cùm audiat *g* vel legat φ L. Valerium, qui in ſuo defunctus eſt conſulatu, uſque adeò fuiſſe pauperem, ut nummis à populo collatis, eius ſepultura curaretur? Audiat χ vel legat *h* Q. Cincinnatum, cum quatuor jugera poſſideret, & ea ſuis manibus coleret, ab aratro eſſe abductum ut dictator fieret: *i* ψ major utique honore quàm conſul: *k* victiſque hoſtibus, ingentem gloriam conſecutum; in eadem pauperitate manſiſſe? Aut quid ſe magnum feciſſe prædicabit, qui nullo præmio mundi huius fuerit ab æternæ illius patriæ ſocietate ſeductus, ω cum *l* Fabritium didicerit tantis muneribus Pyrrhi regis Epirotarum, promiſſa etiam quarta parte regni à Rom. civitate non potuiſſe divelli: ibique in ſua paupertate privatum manere * voluiſſe? Nam illud quod remp. id eſt rem populi, rem patriæ, rem communem cùm haberent opulentiſſimam atque ditiſſimam, ſic ipſi in ſuis domibus pauperes erant, *m* αα ut quidam eorum, qui jam bis conſul fuiſſet, *n* ex illo ſenatu pauperum hominum pelleretur notatione cenſoria, quod decem pondo argenti in vaſis habere compertus eſt: ſi ita iidem ipſi pauperes erant, quorum triumphis publicum ditabatur ærarium, nonne omnes Chriſtiani, qui excellentiore propoſito divitias ſuas communes faciunt, ſecundum id quod ſcriptum eſt in Actib. Apoſtolorum, Ut diſtribuatur unicuique, ſicut cuique opus eſt, & nemo dicat aliquid proprium, ſed ſint illis omnia communia: intelligunt ſe nulla ob hoc ventilari oportere jactantia: id faciendo pro obtinenda ſocietate angelorum, cum penè tale aliquid illi fecerint pro conſervanda gloria Romanorum? Hæc & alia, ſi qua huiuſmodi reperiuntur in literis eorum, quando ſic innoteſcerent, quando tanta fama prædicarentur, niſi Rom. imperium longè lateque porrectum, magnificis ſucceſsibus augeretur? Proinde per illud imperium tam latum tamque diuturnum, virorumque tantorum virtutibus præclarum atque glorioſum, & illorum intentioni merces, quam quærebant, eſt reddita, & nobis propoſita neceſſariæ commonitionis exempla: ut ſi virtutes, quarum iſtæ utcunque ſunt ſimiles, quas iſti pro civitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei glorioſiſſima civitate non tenuerimus, pudore pungamur: ſi tenuerimus, ſuperbia non extollamur. Quoniam ſicut dicit Apoſtolus, *indignæ ſunt paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ad humanam

verò

M. Regulus.

Paupertatis voluntariæ commendatio.

al maluiſſe.

Act. 2.

Rom. 8.

verò gloriam præſentiſque temporis ſatis digna vita exiſtimabatur illorum. Unde etiam Judæi, qui Chriſtum occiderunt, revelante teſtamento novo, quod in veteri velatum fuit, ut non pro terrenis & temporalibus beneficiis, quæ divina providentia permixtè bonis maliſque concedit, ſed pro æterna vita muneribusque perpetuis & ipſius ſupernæ civitatis ſocietate colatur Deus unus & verus, rectiſſimè iſtorum gloriæ donati ſunt, ut hi, qui qualibuscunque virtutibus terrenam gloriam quæſierunt & acquiſierunt, vincerent eos, qui magnis vitiis datorem veræ gloriæ & civitatis æternæ occiderunt atque reſpuerunt.

L.Vives. *a* Cum alia non ſit ubi vivatur.] *Deeſt una negatio. ſic legendum, cùm alia non ſit, non ubi vivatur in hominum gloria.*

b Si M. Pulvillus.] *Livius lib. 2. & Valer. lib. 5. Plutar. in Publicola, Dionyſius, & alij. Templum Jovi, Junoni, & Minervæ votum eſt à Tarquinio Priſco, extructum à Superbo: quo expulſo, dedicatio ad conſules ſpectabat, ſortito dedicatio Capitolij obtigit M. Horatio Puluillo, cui contigit quod Auguſti narrat.*

c Sibi ab invidis.] *A. M. Val. P. Valerij conſulis fratre, qui ægrè ferebat, non ab homine ſuæ familiæ dicari tam magnificum templum, nunciavit ergo filium obiiſſe, ut funeſta familia Horat. à dedicatione abſiſteret.*

d Ut eum etiam projici inſepultum.] *Sic Plutar. nam Livius efferri eum juſſiſſe ſcribit.*

e Sine mortuos.] *Sine homines mundo vivos, ſed revera mortuos, quia Deo mortuos, ſepelire eos, quos ipſi mortuos arbitrantur.*

f Ut in huius vitæ pereg.] *Prorſus ut in via, ſic in vita, ut quiſq; eſt expeditiſſimus, minimiſq; oneribus gravatus, ita facillimè iter conficit.*

g Vel legat Lucium Valerium.] *Valerium Publicolam ſcribunt Liv. Valer. Plutarch. Dionyſ. Eutropius, & alij ob tenuitatem cenſus funere publico eſſe elatum. Plutar. collatam ab unoquoque ſcribit certam ſummam ad expenſam funeris. Apulejus in Apologia de magia, ſextantes dicit collatos. Sed Auguſt. hic ut aliud agens hiſtoriam ſummo tenus attigit, ita nec prænomen, nec annum mortis exactè attendit, dicebatur enim P. non L. & non in ſuo quarto conſulatu obiit, ſed anno poſt, Verginio & Caſſio Coſſ. ſexto anno poſt expulſos reges. Liv. & Dionyſ.*

h Quintum Cincinnatum.] *Livius lib. 3. & Valer. lib. 4.*

Dictatura. *i* Major utique honore quàm conſul.] *Dictatura magiſtratus erat regius, à quo non erat provocatio, cui conſules cæteriq; magiſtratus dicto audientes erant. ſex menſibus lege finiebatur, & in ſolis periculis reip. creabatur à conſule, in terra Italia, ſilentio noctis populi magiſter nominabatur, ſibiq; magiſtrumequitum aſciſcebat. Anno Urbis con.cclij hic magiſtratus in urbem eſt inductus, poſt Cæſaris mortem lege M. Antonij conſulis propter invidiam Cæſaris perpetui dictatoris, in perpetuum ſublatus.*

k Victiſque hoſtibus.] *Equis, de quibus triumphavit.*

Fabricius. *l* Fabritium.] *Hic pauper fuit & divitiarum contemptor, inſectatorq; miſſus legatus de captivis redimendis ad Pyrrhum regem Epirotarum, rogatus eſt ab eo ut*

in

in Epirum ſecum iret, daturum illi ſe quartam regni ſui partem: cui Fabricius reſpondit, hoc regi non expedire: Epirotas enim Fabritium ſi viderent & noſſent, libentius ipſi parituros, quàm Pyrrho, quod Pyrrhus non ægrè tulit, ſed ſimplicem magnanimitatem Fabritij admiratus eſt. Pecuniam etiam ab eodem rege oblatam amicitiæ nomine repudiavit.

m Ut quidam eorum qui jam bis conſul.] *Valer. lib. 2. de Cornelio Ruffino iſtud narrat, qui motus eſt ſenatu ab hoc ipſo Fabritio cenſore, quòd decem pondo argenti facti haberent. Idem Livius lib. 14. & Gell. lib. 4. qui eum dictatorem quoque fuiſſe narrat. Hic eſt Cornelius, qui Sibylla prius, deinde Sylla primus Corneliorum eſt dictus. Macrobius. Priorem conſulatum geſſit cum Man. Curio Dentato: poſteriorem xiij. anno poſt cum C. Junio.* Corn. Sylla.

n Ex illo ſenatu pauperum hominum.] *Nulla ætas feracior fuit continentium & ſanctorum hominum Romæ, quàm illa belli Pyrrhi.*

α FOelices nos non divitiæ terrenæ faciunt.] *Fœlicitatem hominis non conſiſtere in divitiis, docet D. Tho. 1.2. q. 2. art. 1. Nec enim in divitiis naturalibus, nec in artificialibus, quæ eſt diviſio Ariſt. 1. polit. c. 6.* F. L. Cog.

β Natosque pater.] *Virg. 6. Æneid. Sed ea ſuperius retulit libro 3. c. 16.*

γ Si vero pro libertate.] *De qua Chriſtus Joan. 8.* Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis. *De qua Apoſt.* Liberati à peccato, &c.

δ Romanus princeps, cognomine Torquatus.] *T. Manlius hoc cognomen tulit à torq. Gallo hoſti, quem ab eo provocatus occiderat, detracto. Cic. 4. Tuſc. & li. 3. offic. Livius lib. 7. Plin. lib. 33. c. 1. Agell. lib. 9. c. 13.*

ε Filium, non quia contra patriam.] *Refert hiſtoriam Liv. lib. 8. Val. lib. 2. cap. 7.*

ζ Ut quid ſe jactant, qui pro immortalis patriæ legib.] *Elegantiſſime D. Hieron. epiſt. ad Pammach. ſuper obitu Paulinæ uxoris:* Et tamen non eſt ſatis profecto & conſummato viro opes contemnere, pecuniam diſſipare & projicere, quod in momento & perdi, & inveniri poteſt: fecit hoc Crates Thebanus Antiſthenes, fecerunt plurimi, quos vitioſiſſimos legimus. Plus debet Chriſti diſcipulus præſtare, quàm mundi philoſophus, gloriæ animal & popularis auræ, atque rumorum venale mancipium. Tibi non ſufficit opes contemnere, niſi Chriſtum ſequaris.

η Si Furius Camillus etiam ingratam patriam.) *Liv. lib. 5. Plut. in Camillo. Val. lib. 5. c. 3.*

θ Damnatus ab æmulis fuerat.) *A. L. Apuleio Tribuno pleb. tanquam peculiator Verentanæ prædæ reus factus duris ſententiis in exilium miſſus eſt, oblitus tamen injuriæ, patriæ in ſummo periculo conſtitutæ ſuccurrit. Reſpub. ipſa, quàm ſæpe ingrata fuerit in optimos ac ſibi devotiſſimos, ut inter cæteros in Camillum, vide Senecam lib. 5. de Benef. c. 17. & Val. lib. 5. c. 3.*

ι Non ſe ad ejus hoſtes hæreticos.) *Ita multi ab Eccleſia perfugæ fuerunt, & ad hæreticorum caſtra tranſierunt, quod in petitione honorum & dignitatum Eccleſiaſticarum repulſam paſſi eſſent.* Eccleſiam (*Egeſippo teſte*) antea Virginem, vanis

vanis nondum doctrinis corruptam primus depravare cœpit in Epiſcopatus petitione repulſam paſſus Thebutes, ſeu Theobutes, aut Thebulis plebeius, & ex ſeptem primis hæreſibus unus. *Euſeb. lib. 4. c. 22. Niceph. lib. 4. c. 7. ut teſtis eſt Tertull. lib. adverſus Valentinianos c. 4.* Speraverat Epiſcopatum Valentinus, quod & ingenio poterat, & eloquio, ſed alium ex martyrij prærogativa loci potitum indignatus de Eccleſia authenticæ regulæ abrupit & (ut ſolent animi pro prioratu exciti præſumptione ultionis accendi) ad expugnandam converſus eſt veritatem. *Sic authore D. Ambroſio lib. 1. de Pœnit. c. 15.* Novatus Epiſcopatûs amiſſi dolore ſuccenſus ſchiſma compoſuit. *De quo vide & Niceph. lib. 6. c. 3. Ita Marcion quod ad Epiſcopatum pervenire nequiviſſet, ad Cerdonis ſectam confugit, ut teſtantur adverſus hæreſes Epiph. & Aug. Ita de Florino & Blaſto referunt Euſeb. lib. 5. c. 15. & Niceph. lib. 4. ca. 20. quod ipſi novas opiniones de vero veritatis verbo induxerint. Florinus quidem, quod in petitione presbyterij repulſam tulerat. Et Blaſtus non ob diſſimilem cauſam. Prateolus Elenchi hæreſ. lib. 6. v. Florinus. Sic Montanum nuper ad fidem converſum nimiæ honoris ac dignitatis ambitione percitum, & immodica arrogantia primatusq; cupiditate immodica tranſverſum actum, accenſumq;, inimico aditum præbuiſſe, ac ſubito mentis exceſſu lymphatum, inſolita, & contra Majorum traditionem & antiqua conſuetudinis ſucceſſionem nova proloqui ſub Prophetæ ſpecie cœpiſſe, referunt idem Niceph. lib. 4. capit. 22. Euſeb. lib. 5. capite decimo ſexto. Sic authoribus Epiphanio & Aug. Aërius cum Presbyter eſſet, doluiſſe fertur, quod Epiſcopus ordinari non potuit, & in hæreſim lapſus eſt.* Tertull. ipſe vir doctiſſimus, *ut teſtis eſt D. Hieron. lib. de viris illuſtribus capite de Melitone Aſiano,* uſque ad mediam ætatem presbyter fuit Eccleſiæ Africanæ in Numidia, poſtea vero contumelia clericorum Romanæ Eccleſiæ ad Montani dogmata delapſus eſt. *Scribit Polydorus Virgilius hiſt. Anglorum lib. 19. in Edoardo 3. Joannem Uuicleffum à principio indignatum, quod non potuiſſet ad ſummos ſacerdotalis ordinis aſpirare honores, factum inde ſacerdotibus cunctis inimicum, cœpiſſe divina ſcripta perverſe interpretari ac ſectam novam condere.*

x Cum alia non ſit ubi vita acquiratur æterna.] Ideo comparatur Eccleſia cum arca Noe, quod ſicut regnante diluvio periit, qui in arca non fuit; ita & nunc pereunt, qui in Eccleſia non ſunt, *ut ait Hieron. epiſt. ad Damaſum de nomine Hypoſtaſis. quo accedit celebre illud Cypriani dictum libr. de unit. Eccleſiæ.* Non habet Deum patrem, qui non habet Eccleſiam matrem. *Auguſt. libro quarto, de Baptiſ. c. 1.* Eccleſia paradiſo comparata indicat nobis, poſſe quidem ejus Baptiſmum homines etiam foris accipere, ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere: Nam & flumina de fonte paradiſi *(ſicut ſcriptura teſtatur)* etiam foras largiter manaverunt, non tamen in Meſopotamia, vel in Ægypto, quo illa flumina pervenerunt, eſt fœlicitas vitæ, quæ in paradiſo commemoratur. Ita fit, ut cum paradiſi aqua ſit extra paradiſum, beatitudo tamen non ſit niſi intra paradiſum: Sic ergo Baptiſmus Eccleſiæ poteſt eſſe extra Eccleſiam, munus autem beatæ vitæ, non niſi intra Eccleſi-

Eccleſi-

Eccleſiam reperitur. *Conc. Lateran. ſub Innoc. 3. c. 1.* Una eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nemo ſalvatur.

λ Si Mutius ut cum Porſenna Rege.) *Liv. lib. 2. Plut. in Publicola, Dionyſ. li. 5. Oroſ. lib. 2. c. 5. Seneca lib. quare bonis viris mala accidunt. c. 3.*

μ Si Curtius armatus.) *Meminit ſupra libro quarto, c. 20. narrat hiſtoriam Liv. libro 7. Val. 5. c. 6. Oroſ. lib. 3. c. 5. Lactant. lib. 3. c. 13.*

ν Certis verbis quodammodo conſecrantes.) *Quibus verbis & quo ritu ſe pro legionibus Imperatores devoverent, vide apud Livium lib. 8. 8. Plinius libr. 28. cap. 2.*

ξ Decij devoverunt.) *Apud Caſſiodorum lib. 9. Var. Athalaricus Rex Paulino V. C. epiſt. 22.* Antiquos in te Decios Roma cognovit: Decios *(inquam)* priſcis ſæculis honoratam proſapiam, libertatis auxilium, curiæ decus, Romani nominis ſingulare præconium.

ο Pro quibus fundebatur.) *Non quidem ad redemptionem, ut fuſus eſt Chriſti ſanguis, ſed ad exemplum fortitudinis. Leo papa epiſt. 83.* Quamvis in conſpectu Domini multorum ſanctorum pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi. Accepere juſti, non dedere coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ; ſingulares quippe in ſingulis mortes fuere, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſolvit. *Eodem argumento, quo hic Auguſtinus oſtendit, debere Chriſtianos multa facere, & pati pro dilectione æternæ patriæ, cum tanta Romani paſſi ſint pro humana gloria & civitate terrena, & Tertull. utitur lib. ad Martyres; docens, eos non debere mortem vel etiam quælibet tormenta & cruciatus reformidare, oſtendens, pro humana gloria ea omnia à multis eſſe contempta. Simile quid habet Paulus 1. Cor. 9.* qui in agone contendit, &c.

π Si M. Pulvillus.) *Val. libr. 5. capit. 10. Liv. lib. 2. ab V. C. 247. Plut. in Publicola.*

ρ Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.) *Matth. 8. certum eſt, Chriſtum eleganti ejusdem nominis ambiguitate uti voluiſſe: cum enim bis nominet mortuos, non eodem modo utrobiq; accipitur: aut enim utrobiq; mortuos, aut utrobique vivos, ſed metaphorice mortuos appellaret, quod utrumq; eſt abſurdum: nec enim mortui mortuos, nec vivi vivos ſepeliunt. Mortuos ergo priore loco, quidam infideles vocari putant. Alij omnes peccatores, qui non de Chriſto, ſed de rebus hujus mundi cogitant, ut Aug. lib. 4. de Trinit. c. 3. & infra li. 20. c. 6. & q. 6. in Matth. ſecundo loco vocat mortuos, qui vere mortui ſunt.*

σ Si M. Regulus.) *Tertull. lib. cit. ad Martyr. c. 4.* Regulus dux Romanus captus à Carthaginenſibus, cum ſe unum pro multis captivis Carthaginenſibus compenſari noluiſſet, máluit hoſtibus reddi, & in arcæ genus ſtipatus undique extrinſecus clavis transfixus tot cruces ſenſit. *Vide Senecam epiſt. 71. Idem lib. quare bonis viris, &c. c. 3.* Veniamus ad Regulum, quid illi fortuna nocuit, quæ illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit? figunt cutem clavi, & quocunque fatigatum corpus reclinavit, vulneri incubuit, & in perpetu-

perpetuam vigiliam ſuſpenſa ſunt lumina. Quanto plus tormenti, tanto plus gloriæ.

τ Qui cruciatus non ſunt.) *Rom. 8.* non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

υ Ut in hujus vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam.) *Ita Julianus apoſtata irriſorie dicebat, ſe Christianos ſpoliare bonis ſuis, ut expeditiores irent in cælum, id eſt. εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν εὐοδώτεροι πορεύωσι.*

φ Vel legat L. Valerium.) *P. Valerium Publicolam intelligit, qui ob tenuitatem cenſus funere publico elatus eſt: nec in ſuo Conſulatu defunctus eſt, ut hic habet Auguſt. in prænomine videtur erraſſe, legendum enim eſt P. Plinius de viris illuſtribus tit. 15. Mortuus eſt anno ab V.C. 250. Coſſ. P. Poſthumio & Agrippa Menenio, & impenſa publica, quadrantibus viritim à populo collatis, ſepultus honoris cauſa in urbe prope forũ annuoq; matron. luctu honoratus eſt. Liv. lib. 2. Plut. in ejus vita. Dionyſ. lib. 5. Eutrop. Val. lib. 4. c. 4.*

χ Vel legat Q. Cincinnatum.) *Liv. lib. 3. Dion. 10. Cic. in Catone Majore. Pli. lib. 18. c. 3. Florus in Epit. lib. 1. c. 11. Val. li. 4. c. 4.*

ψ Major utique honore, quam Conſul.) *Dictatura enim ſupremus erat magiſtratus, cui cæteri magiſtratus obediebant, cui licebat in caput civis animadvertere, nec jus erat provocandi. Primum creatus anno 12. vel ut alij volunt 9. ab exactis Regibus, cum vigeſimum Latinorum urbes contra Romanos conſpiraſſent concitante Octavio Manilio Tuſculano Tarquinij Superbi genero, apud quem tum ipſe exulabat: nec creabatur quis Dictator, niſi in ſummo Reip. diſcrimine.*

ω Cum Fabricium didicerit.) *Vide Senecam epiſt. 120.* Fabricius Pyrrhi Regis aurum repulit, majusq; regno iudicavit, Regias opes poſſe contemnere.

αα Ut quidem eorum, qui jam bis conſul fuiſſet.) *P. Cornelium Ruffinum intelligit, de quo Val. Max. li. 2. c. 9. Agell. li. 4. c. 8. & li. 17. c. 21. Epitome Livij lib. 14.* eodem anno, quo Pyrrhus Italia pulſus, C. Fabricius, & Q. Æmilius Papus Cenſores facti, cum alios equitum Senatorumque Romanorum, tum P. Ruffinum, quamvis Dictator & bis Conſul fuiſſet, Senatu moverunt, quod decem pondo argentea vaſa poſſideret.

Cap. XIX.

Quomodo inter ſe differant cupiditas gloriæ & cupiditas dominationis.

INtereſt ſane α inter cupiditatem humanæ gloriæ & cupiditatem dominationis. Nam licet proclive ſit, ut qui humana gloria nimium delectatur, β etiam dominari ardenter affectet, tamen qui veram licet humanarum laudum gloriam concupiſcunt, dant operam bene judicantibus non diſplicere. Sunt enim multa in moribus bona, de quibus multi bene judicant: quamvis ea multi non habeant, & per ea bona morum nituntur ad gloriam & imperium, vel dominationem, de quibus ait Saluſtius: Sed ille vera via nititur. Quiſquis autem ſine cupiditate gloriæ, qua veretur homo bene judicantibus diſplicere, dominari atque imperare deſiderat, etiam per apertiſſima ſcelera quærit plerunque obtinere quod diligit. Proinde qui gloriam concupiſcit, aut vera via nititur, aut certè dolis atque fallaciis contendit, volens bonus videri,

Dominandi libido ſine, vero gloria ſtudio.

quod

quod non eſt. Et ideo virtutes habenti magna virtus eſt contemnere gloriam, quia contemptus eius in conſpectu Dei eſt: judicio autem non aperitur humano. Quicquid enim fecerit ad oculos hominum, quo gloriæ contemptor appareat, ad majorem laudem, hoc eſt, γ ad majorem gloriam facere, ſi credatur, non eſt unde ſe ſuſpicantium ſenſibus aliter eſſe, quàm ſuſpicantur, oſtendat. *Gloriæ contemtus.* Sed qui contemnit judicia laudantium, contemnit etiam ſuſpicantium temeritatem, quorum tamen, ſi verè bonus eſt, non contemnit ſalutem: quoniam tantæ juſtitiæ eſt, qui de ſpiritu Dei virtutes habet, ut etiam ipſos diligat inimicos, & ita diligat, ut *ſuſurrones, vel detrectatores velit correctos habere conſortes, non in terrena patria, ſed ſuperna. *al. ſuos oſores.* In laudatoribus autem ſuis, quamvis parvipendat, quod eum laudant, non tamen parvipendit, quod eum amant: nec eos vult fallere laudantes, ne decipiat diligentes. Ideoque inſtat ardenter, ut potius ille laudetur, à quo habet homo, quicquid in eo jure laudatur. Qui a. contemtor gloriæ dominationis eſt avidus, beſtias ſuperat, a ſive crudelitate vitæ, ſive fluxu luxuriæ. Tales quidam Romani fuerunt. Non enim cura exiſtimationis amiſſa, dominationis cupiditate caruerunt. Multos tales fuiſſe prodit hiſtoria. Sed huius vitii ſummitatem, & quaſi arcem quandam b Nero δ Cæſar primus obtinuit, cuius fuit tanta luxuries, ut nihil ab eo putaretur virile metuendum, tanta crudelitas, ut nihil molle habere crederetur, ſi neſciretur. Etiam c talibus tamen dominandi poteſtas non datur, niſi ſummi Dei providentia, ζ quando res humanas judicat talibus dominis dignas. *Impiiſſimi Tyranni providentiâ DEI evehuntur.* Aperta de hac re vox divina eſt, loquente Dei ſapientia: *Per me reges regnant, & tyranni per me tenent terram.* c η Sed ne tyranni non peſſimi atque improbi reges, ſed veteri nomine fortes dicti exiſtimentur: unde ait Vergilius: *Prov. 8.*

d *Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni:*

Apertiſſimè alio loco de Deo dictum eſt: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter perverſitatem populi.* *Iob. 34.* Quamobrem, quamuis, ut potui, ſatis expoſuerim, qua cauſa Deus unus verus & juſtus Romanos ſecundùm quandam formam terrenæ civitatis bonos adjuverit ad tanti imperii gloriam conſequendam: poteſt tamen & alia cauſa eſſe latentior, propter diverſa merita generis humani, Deo magis nota quàm nobis: dum illud conſtet inter omnes veraciter pios, θ neminem ſine vera pietate, id eſt, veri Dei vero cultu, veram poſſe habere virtutem: ι nec eam veram eſſe, quando gloriæ ſervit humanæ. Eos tamen, qui cives non ſunt civitatis æternæ, quæ in ſacris literis noſtris dicitur civitas Dei, utiliores eſſe terrenæ civitati, e quando κ habent virtutem, vel ipſā, quàm ſi nec ipſam. f Illi autem, qui vera pietate præditi, bene vivunt, λ ſi hanc ſcientiam regendi populos conſectati ſunt, nihil eſt fœlicius rebus humanis, quàm ſi Deo miſerante habeant poteſtatem. *Virtus nulla vera, quæ gloriæ humanæ ſervit.* Tales autem homines, virtutes ſuas, quantaſcunque in hac vita poſſunt habere, non tribuunt niſi gratiæ Dei: g quod eas volentibus, credentibus, petentibusque dederit, ſimulque intelligunt, quantum ſibi deſit ad perfectionem juſtitiæ: qualis eſt in illorum ſancto-

rum angelorum ſocietate, cui ſe nituntur aptare. Quantumlibet autem laudetur atque prædicetur virtus, quæ ſine vera pietate ſervit hominum gloriæ, nequaquam ſanctorum exiguis initiis comparanda eſt, quorum ſpes poſita eſt in gratia & miſericordia veri Dei.

L. Vives. *a* Sive crudelitate vitæ.] *Alibi, ſive crudelitatis vitiis ſive luxuriæ.*

Nero. *b* Nero Cæſar primus.] *Hic fuit filius Domitij Ænobarbi & Agrippinæ Germanici filiæ, adoptatus à Clau. Cæſare vitrico. unde & Claudius Nero Cæſar eſt dictus. Patri ſucceſſit ultimus principum, domum Cæſarum cognatione attingens: homo incredibilis crudelitatis & ignaviæ, hisq; vitiis ad poſteros nobilitatus. Et erat alioqui, ſicut Tranquillus narrat, æternitatis, perpetuæq; famæ cupidus. Aprilem menſem Neronem appellavit. Romam Neropolim nuncupare deſtinarat.*

Tyrannus *c* Sed ne tyranni non peſſimi.] *Dixi alias de tyranno. Olim nihil inter regem & tyrannum intereat. à τυραννέω dicitur, quod eſt impero. Verg. iiij. Æneid.*

Te propter Libycæ Numadumq; tyranni
Odêre infenſi.

Et Horat. libro iij. Carm.

Princeps & innantem Maricæ littoribus tenuiſſe Lyrim, late tyrannus.

Acron: Tyrannus alibi pro domino, alibi pro crudeli, alibi pro potenti. Ita Auguſtinus fortem hic poſuit pro potente: ut apud Græcos δύναμις & potentia eſt & fortitudo, quemadmodum apud Homerum ſæpe & Pindarum: ut in Nemeis de Hercule: εἶδε γὰρ ἐκνόμιον λῦμ᾽ ἄτε καὶ δύναμιν ὕβ.

d Dextram tetigiſſe tyranni. [*Æneæ, quem Latinus virum bonum eſſe exiſtimabat.*

e Quando habent virtutem vel.] *Mendoſus locus; ſenſus eſt, utiliores eſſe terrenæ civitati, cùm habent gloriæ cupidinem, quàm cum nec ipſam.*

f Illi autem, qui vera pietate.] *Iſti ſunt illi veri philoſophi, qui ſi dominarentur, vel domini eorum eſſent ſimiles, beatas fore reſpub. Plato dixit.*

g Quod eas volentibus.] *Ex Epiſt. catholica Jac. 1. cap. Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus ſimpliciter, nec improperat: & dabit ei: poſtulet autem fide, nihil hæſitans.*

F. L. Coq. *α* Inter cupiditatem humanæ gloriæ.) *Gloria dicitur*, Conſentiens approbatio, communiſque opinio inſignis probitatis & meritorum alicujus. *De ea Cicer. libro 1. de Offic.* Vix invenitur, qui laboribus ſuſceptis, periculiſque aditis non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam. *Idem eodem libr.* Multi bella quæſiverunt ſæpe propter gloriæ cupiditatem, atque id in magnis animis, ingenijsque plerumque contingit.

β Etiam dominari ardenter affectet.) *Ut Cæſar, qui ut referunt Cic. 3. Offic. & Suetonius c. 30. verſus illos Euripidis ſemper habebat in ore:* Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι κάλλιστον ἀδικεῖν, τ᾽ ἄλλα δ᾽ εὐσεβεῖν χρεών. *Quos ipſe Cic. ſic vertit:* Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia violandum eſt, alijs rebus pietatem colas. *Et quibus id placet,* Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπέροχον ἔμμεναι πάντων.

γ Ad majorem gloriam facere ſi credatur.] *Ut plurimum nulli homines ſitientiores*

entiores gloriæ ſunt, quam qui eam fugientium ſpecie perſequuntur. Inde Plato Diogeni Cynico, qui ſe Platonis faſtum calcare diceret, Calcas, *inquit*, ſed alio faſtu. *Ita Ariſt. ſordidum ac neglectum Lacedæmoniorum veſtitum ad arrogantiam refert, lib. 4. Ethic. c. 13.*

δ Nero Cæſar primus obtinuit.] *Ut referunt Tranquillus, & Dio. Domitius pater facile portendit, qualis futurus eſſet Nero, inter gratulationes enim amicorum negavit quicquam ex ſe & Agrippina niſi deteſtabile, & malo publico naſci potuiſſe.* Nero.

ε Talibus tamen dominandi poteſtas.] *Hinc conſtat, infideles, & gratia Dei alienos, vel etiam impios legitimum habere Dominium. Monet Apoſt. Rom. 13.* Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. *Inter errores Ioannis Uuiclef. fuit hic etiam damnatus in Concilio Conſtantienſi:* Nullus eſt Dominus civilis, dum eſt in peccato mortali. *Vide Victoriam Relect. de Indis Inſulanis. num. 4. 5. 6.*

ζ Quando res humanas judicat talibus dominis dignas.) *Ita enim Dominus minabatur populo ſuo:* Dabo eis Regem in furore meo.

η Sed ne tyranni non peſſimi.] *Olim inter Regem & tyrannum nihil intererat. De quo plura lib. 2. c. 21. Nonnulli tyrannum deducunt, παρὰ τὸ τείρειν καὶ αἰτίας, vel τῦ τυρβεῖν vel ἀπὸ τῶν τυρρηνῶν, quod ſævitia infames eſſent.* Tyrann.

θ Neminem ſine vera pietate.] *Vide infra li. 19. de civit. Dei c. 25. unde in Romanis illis antiquis fuit quædam umbra virtutis, vera tamen virtutes non fuere.*

ι Nec eam veram eſſe, quando gloriæ ſervit humanæ.] *Id novit Cic. lib. 1. offic.* Vera, *inquit* & ſapiens animi magnitudo, honeſtum illud, quod maxime natura ſequitur, in factis poſitum, non in gloria indicat, principemque ſe eſſe mavult, quàm videri. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non eſt habendus.

κ Quando habent virtutem vel ipſam.] *Putat Vives, mendoſum eſſe locum, quod negavit illis ineſſe virtutem, cum nec veram habeant pietatem, vult igitur inſinuare, utiliores eſſe terrenæ civitati ambitioſos homines, & dominandi cupidos, cum habent gloriæ cupiditatem, quàm ſi non habeant: Gloriæ enim cupiditas efficit, ut ab apertis ſceleribus abſtineant, & legitime dominari videri velint, & optimis legibus gubernare, ut ſi probi non ſunt, ſaltem videri velint, & cum apud poſteros ſibi gloriam comparare ſtudeant, à flagitiis & criminibus abſtineant: qui verò dominandi quidem cupiditate tenentur, & non gloriæ, hi facile ad illicita feruntur.*

λ Si hanc ſcientiam regendi populos conſectati ſunt.] *Qualem à Deo poſtulavit Salomon, quæ eſt prudentia Monarchica.*

CAP. XX.

Tam turpiter ſervire virtutes humanæ gloriæ, quàm corporis voluptati.

Solent

Solent *a* philoſophi, qui finem boni humani in ipſa virtute conſtituunt, ad ingerendum pudorem quibusdam philoſophis, qui virtutes quidem probant, ſed eas voluptatis corporalis fine metiuntur, & illam per ſeipſam putant appetendam, iſtas propter ipſam, *β* tabulam quandam verbis pingere, ubi voluptas in ſella regali quaſi delicata quædam regina conſidat: eique virtutes famulæ ſubjiciantur, obſervantes eius nutum, ut faciant, quod illa imperaverit. Quæ prudentiæ jubeat, ut vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet, & ſalva ſit. Juſtitiæ jubeat, ut præſtet beneficia, quæ poteſt ad comparandas amicitias corporalibus commodis neceſſarias, nulli faciat injuriam, ne offenſis legibus voluptas vivere ſecura non poſſit. Fortitudini jubeat, ut ſi dolor corpori acciderit, qui non compellat in mortem, teneat dominam ſuam, id eſt, voluptatem fortiter in animi cogitatione, ut per priſtinarum deliciarum ſuarum recordationem mitiget præſentis doloris aculeos. Temperantiæ jubeat, ut tantum capiat alimentorum, & ſi qua delectant, ne per immoderationem noxium aliquid valetudinem turbet, & voluptas, quam etiam in corporis ſanitate Epicurei maximam ponunt, graviter offendatur. Ita virtutes cum tota ſuæ gloriæ dignitate, tanquam imperioſæ cuidam & inhoneſtæ mulierculæ ſervient voluptati. Nihil hac pictura dicunt eſſe ignominioſius & deformius, & quod minus bonorum ferre poſſit aſpectus: & verum dicunt. Sed non exiſtimo, ſatis debiti decoris eſſe, *γ* picturam, ſi etiam talis fingatur, ubi virtutes humanæ gloriæ ſerviant. Licet enim iſta gloria *b* delicata *δ* mulier non ſit, *ε* inflata tamen eſt, & multum inanitatis habet. Unde non ei dignè ſeruit ſoliditas quædam firmatasque virtutum, ut nihil provideat prudendentia, nihil diſtribuat juſtitia, nihil toleret fortitudo, nihil temperantia moderetur, niſi unde placeatur hominibus, & ventoſæ gloriæ ſerviatur. Nec illi ſe ab iſta defenderint fœditate, qui cum aliena ſpernant judicia velut gloriæ contemptores, ſibi ſapientes videntur, & ſibi placent. Nam eorum virtus, ſi tamen ulla eſt, alio modo quodam humanæ ſubditur laudi. Neque enim ipſe, qui ſibi placet, *c* *ζ* homo non eſt. Qui autem vera pietate in Deum, quem diligit, credit & ſperat, plus intendit in ea, *η* in quibus ſibi diſplicet, quàm in ea, ſi qua in illo ſunt, quæ non tam ipſi quàm veritati placent. Neque id tribuit, unde jam poteſt placere, niſi eius miſericordiæ, cui metuit diſplicere. De his ſanatis gratias agens, de illis ſanandis preces fundens.

Volupta tis pictura.

L. Vives. *a* Solent philoſophi.] *Stoici, ut Cleanthes. Cicero ſecundo de finibus meminit tabellæ huius & picturæ.*

b Delicata mulier non ſit.] *Nam ſudore & laboribus quæritur.*

c Homo non eſt.] *Id eſt, humana, & humanè ſapit.*

F.L.Coq. *α* Solent Philoſophi.] *Stoici, qui in hoc fallebantur, quod finem boni humani ipſam virtutem dicerent, cum ſit non finis ipſe hominis, ſed medium ad finem.*

β Tabulam quamdam verbis pingere.] *Apud Cic. 2. de Finibus, extat mentio hujus tabulæ & picturæ.*

γ Pictu-

γ Picturam, ſi talis etiam fingatur.) *Non minus ignominioſum eſſe docet, virtutes eo referre, ut quis gloriam humanam conſequatur, quam ſi eas ad voluptatem corporis referat, cum ſint alioqui ornamenta animi, & praſtantiora ad ignobilius, tanquam ad finem non poſſint referri. Si quis ergo hujusmodi tabulam depingat, in qua gloria tanquam Regina ſedeat, & virtutibus imperet, certe non minoris ignominia & dedecoris erit hujusmodi tabula, quam ea, qua tantum defert voluptati.*

δ Delicata mulier non ſit.[*Magnis enim laboribus & periculis comparatur, ut de Alexandro refert Arrianus lib.6. quod,* immenſa gloriæ præ cæteris rebus cupiditas tranſverſum illum ad pericula abripiebat.

ε Inflata tamen eſt, & multum inanitatis habet.] *Chryſoſt. apud Stobaum ſerm. 163.* Merito certe dicta eſt ab antiquis inanis gloria, inanis enim eſt, intus nihil continens utile, ſed ut larvæ videntur ſplendidæ & amabiles, intus vero ſunt inanes, itaque etiamſi veris vultibus elegantiores, neminem tamen unquam ad ſui amorem videndo attraxerunt; tale quid etiam & multo miſerius quiddam eſt, quæ à vulgo datur gloria.

ζ Homo non eſt.] *Ad illud Chremetis Terentiani alludit:* Homo ſum, humani à me nihil alienum puto, *id eſt, humana ſapit. Qualis à Paulo dicitur* Animalis homo, *utpote, qui non ſapit ea, qua ſurſum, ſed qua deorſum.*

η In quibus ſibi diſplicet.) *Nempe peccata, de quibus Apoſtol.* quem fructum habuiſti in his, in quibus nunc erubeſcitis?

CAP. XXI.

Romanum regnum à Deo vero eſſe diſpoſitum, à quo eſt omnis poteſtas, & cujus providentia reguntur univerſa.

QUæ cum ita ſint, non tribuamus dandi regni atque imperii poteſtatem, niſi Deo vero, *a* qui dat fœlicitatem in regno cœlorum ſolis piis: regnum verò terrenum & piis & impiis: ſicut ei placet, *a* cui nihil injuſtè placet. Quamvis enim aliquid dixerimus, quod apertum nobis eſſe voluit, tamen multum eſt ad nos, & valde ſuperat vires noſtras, hominum occulta diſcutere, & liquido examine merita dijudicare regnorum. Ille igitur unus verus Deus, qui nec judicio, nec adjutorio deſerit genus humanum, quando voluit, & quantum voluit Romanis, regnum dedit: β qui dedit Aſſyriis, vel etiam Perſis: *b* γ à quibus ſolos duos deos coli, unum bonum, alterum malum continent literæ iſtorum, ut taceam de populo Hebræo, de quo jam dixi, quantum ſatis viſum eſt: qui præter unum Deum non coluit, & quando regnavit. Qui ergo Perſis dedit ſegetes ſine cultu deæ Segetiæ: qui alia dona terrarum ſine cultu tot deorum, quos iſti rebus ſingulis ſingulos, vel etiam rebus ſingulis plures præpoſuerunt: ipſe etiam regnum dedit ſine cultu eorum, per quorum cultum ſe iſti regnaſſe crediderunt. Sic etiam hominibus, *c* qui δ Mario, ipſe Cajo Cæſari: qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſianis, vel patri, vel filio *d* ſuaviſſimis imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo. Et ne per ſingulos ire neceſſe

ceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, *e* ipſe *s* apoſtatæ Juliano, ζ cujus egregiam indolem decepit amore dominandi ſacrilega & deteſtanda curioſitas, cuius vanis deditus oraculis erat, quando fretus ſecuritate victoriæ naves qvibus victus neceſſarius portabatur, incendit. Deinde fervidè inſtans immodicis auſibus & mox merito temeritatis occiſus, in locis hoſtilibus egenum reliquit exercitum, ut aliter inde non poſſet evadi, *n* niſi contra illud auſpicium Dei Termini, de quo ſuperiore libro diximus, Romani imperii termini moverentur. Ceſſit enim Terminus deus neceſſitati, qui non ceſſerat Jovi. Hæc planè Deus unus & verus regit & gubernat, ut placet. Et ſi occultis cauſis, nunquid injuſtis?

L. Vives. *a* QUi dat fœlicitatem in regno cœlorum.] *Sunt quædam exemplaria, quæ ſic habent. Qui dat fœlicitatem regnum cœlorum ſolis piis. Alia ſic: Qui dat fœlicitatem in regno cœlorum ſolis piis. Utroq; modo melius quàm in excuſis.*

Zoroaſtres. *b* A quibus ſolos duos deos coli.] *Perſæ Magi, quorum princeps Zoroaſtres, duo principia ponebant: unum bonum, alterum malum. Numen bonum cœli, malum verò inferorum deum arbitrantes. Hunc Plutonem & Arimanium dixerunt dæmonem malum, illum verò dæmonem bonum Jovem & Horoſmadem. Autores Hermippus, Eudoxus, & Theopompus apud Laertium Diogenem. Magos videtur ſecutus Plato libro decimo Legum, cùm animas ponit in mundo geminas: alteram unde proficiſcantur bona, alteram unde mala: niſi potius Pythagoræ ſententiæ aſſenſus eſt, qui principiorum unitatem Deum eſſe ait mentem, uniusq; naturam, & bonum: Dyada verò infinitam, materialem, circa quam eſt multitudo, genius, &* *Manich.* *malum. Manichæi quoq; hæretici, ut Auguſtinus libro de hæreſibus ſcripſit, duo principia ponebant inter ſe diverſa & adverſa, eademq; æterna & coæterna: duasq; naturas atq; ſubſtantias, boni ſcilicet & mali. qua opinione antiquos alios hæreticos ſunt ſecuti.*

c Qui Mario, ipſe Cajo.] *Binos conjungit, alterum bonum, alterum malum, crudelis Marius, clementiſſimus C. Cæſar: optimus princeps Auguſtus, peſſimus Nero.*

Veſpaſianus. *d* Suaviſſimis imperatoribus.] *T. Veſpaſianus duos habuit filios, alterum ſibi cognominem, alterum Domitianum. Pater fuit vir multorum ſalium, jucundiſſimus. Filius Titus tam humanus, ut amor & delitiæ generis humani ſit nominatus. Suetonius. Plinius Secundus in præfatione Naturalis hiſtoriæ ad Titum Veſpaſianum filium: Narrare tibi conſtitui, jucundiſſime imperator: ſit enim hæc tui præfatio veriſſima, dum maximo conſeneſcit in patre. Domitianus patri & fratri diſſimilis, ſævus & inimicus omnium fuit.*

Julianus. *e* Ipſe apoſtatæ Juliano.] *Quaſi deſertori & transfugæ Juliano: qui cum eſſet prius Chriſtiana pietate imbutus, deſcivit ab ea inductus à Libanio ſophiſta, dediditq; ſe totum oraculis, ſortibus, dictisq; & factis magorum ac divinaculorum, quorum inanibus fraudulentisq; reſponſis & promiſſis præceps ivit. vir cætera egregij animi, regendiq; imperij callentiſſimus.*

Cum

α CUi nihil injuſte placet.] *Nam voluntas ejus regula eſt juſtitiæ, neq; ſubditur ſuperiori alicui regulæ, ut ab ea poſſit deflectere.* P.L.cog

β Qui dedit Aſſyrijs, vel etiam Perſis.] *Quatuor enim fuere præcipua orbis imperia, Aſſyriorum quod duravit 1240. vel eo amplius annis; & Perſarum quod illi ſucceſſit, quod duravit 230. annis, quod Alexander Magnus Græcorum dux evertit, ut prædictum erat à Daniele 8. c. tandem omnia ditioni Romanorum ceſſere, fere præfigurata in quatuor illis beſtiis Danielis, & adumbrata in ſtatu illa Nabuchodonozori oſtenſa, ut interpretatus eſt Daniel.*

γ A quibus ſolos duos deos coli.] *Perſæ auctore Zoroaſtre Oromazum, vel ut aliis placet Taromagdem, & inter læva numina Arimanem, ſeu Veiovem, aut Averruncum Deum colebant, ut Plut. de Iſide, & Oſiride. Laert. in proœmio & Agathias lib.11. docent. Arimanem autem Heſychius Ditem patrem, ſeu Plutonem facit, ſic enim explicat* Ἀρειμάνιος ὁ ᾍδης παρὰ Πέρσαις. *Apud Plut. in Themiſtocle* Xerxes lætitia ob adventum Themiſtoclis exultans ab Arimane precatus dicitur, ut hoſtibus ſuis eamdem ſemper mentem viros præſtantes & fortes patria pellendi, injiceret. *Ut tamen auctor eſt Strabo lib.15.* Perſæ cœlum Jovem putant, colunt Solem, quem Mithram vocant. Iidem Lunam, & Venerem, & Ignem, & Tellurem, & Ventos, & Aquam. *Perſas ſolem & ignem adoraſſe affirmatur in Synodo Act.6.*

δ Qui Mario, ipſe C. Cæſari.] *Crudelis Marius, clementiſſimus Cæſar. Sueton. in Cæſare c.75* Ita optimus princeps Auguſtus, Nero peſſimus, ut qui ad perniciem generis humani natus videretur.

ε Ipſe Apoſtatæ Iuliano.] *Lib. 2. contra lit. Petiliani ca.92. vocat inimicum Chriſti Apoſtatam, adverſarium Chriſtianorum, ſervum dæmoniorum; defecit enim à Religione Chriſtiana, & Gentiliſmum quantum potuit, revocavit ac bellum ipſi Chriſto ὀστηρῶς indixit. Ita Nazianz. orat. 1. in illum bis enim titulis exornat;* Draco ille, magna illa mens, Aſſyrius ille, ille communis omnium inimicus atque hoſtis cum multo furore in terra debachatus, & comminatus, tam multam iniquitatem in excelſum locutus atque meditatus. *Quemadmodum apoſtata miles dicitur, cum ab Imperatore ſuo ad hoſtem deficit, ita veteres Chriſtiani eos, qui à fide ad Paganiſmum aut Judaiſmum defeciſſent, infami vocabulo apoſtatas vocabant, quod ab Imperatore Chriſto, cui ſemel nomen dederant, ad Sathanam, quem abjuraraant, deſciviſſent. Socrates lib.3. c.1. Sozomen. libr.5. c.2. & Niceph. lib.10. c.1. ſcribunt, Maximum Epheſium Philoſophum Nicomediæ Julianum philoſophiã docuiſſe, & in ejus animo odiũ religionis Chriſtionæ inſeviſſe.*

ζ Cujus egregiam indolem decepit.] *Maximus philoſophus Epheſius non mediocriter Julianum ad imperandi libidinem excitavit, quum idolorum ſacris initiatum inſtituiſſet, & ad Chriſtianiſmi odium perduxiſſet. Theodoret. lib.3. ca.3. & authores ſupra citati.*

η Niſi contra illud auſpicium Dei Termini.] *Jovinianus enim Juliani in imperio ſucceſſor, ut de pace cum Perſis tranſigeret, quos aggreſſus bello fuerat Julianus, Syriæ partem, Nyſibimq; iis conceſſit. Niceph. lib.10. cap.38. Eutropius eum*

cum Sapore neceſſariam quidem pacem, ſed ignobilem feciſſe ſcribit, mutatis finibus, ac nonnulla imperij parte tradita. Nazianz. orat. 2. in Julian. Jovinianum excuſat: Perſæ, *inquit*, conditionibus turpibus ſane Romanorumque manu, & potentiâ indignis fœdus percuſſerunt. Quarum nomine ſi quis abſoluto Iuliano Jovinianum criminandum cenſeat, meo judicio perquam iniquus eſt eorum, quæ tum acciderunt, æſtimator; non enim ejus qui demeſſuit, ſpica eſt, verum illius, qui ſementem fecit, nec ei incendium aſſignandum eſt, qui ignem extinguere potuit, ſed qui excitavit, &c.

Cap. XXII.

Tempora exitusq́; bellorum ex Dei pendere judicio.

SIc etiam tempora ipſa bellorum ſicut in eius arbitrio eſt, juſtoque judicio & miſericordia vel atterere, vel conſolari genus humanum, ut alia citius, alia tardius finiantur: *a* α bellum Piratarum à Pompejo, *b* bellum β Punicum tertium à Scipione incredibili celeritate, & temporis brevitate confecta ſunt. γ Bellum quoque fugitivorum gladiatorum, *c* quamvis multis Romanis ducibus & duobus conſulibus victis, Italiaque horribiliter contrita atque vaſtata, tertio anno poſt multa conſumpta * conſummatum eſt. δ Picentes, Marſi, & Peligini gentes non exteræ, ſed Italicæ poſt diuturnam & devotiſſimam ſub Romano jugo ſervitutem, in libertatem caput erigere tentaverunt: jam multis nationibus Romano imperio ſubjugatis, deletaque Carthagine. In quo bello Italico Romanis ſæpiſſimè victis, *d* ubi & duo conſules perierunt, & alii nobiliſſimi ſenatores. Non diuturno tamen tempore tractum eſt hoc malum. Nam quintus ei annus finem dedit, ε ſed bellum Punicum ſecundum cum maximis detrimentis & calamitate reip. per annos decem & octo Romanas vires extenuavit, & penè conſumpſit: *e* ζ in duobus præliis fermè ſeptuaginta Romanorum millia ceciderunt. η Bellum Punicum primùm per viginti & tres annos peractum eſt: *f* bellum θ Mithridaticum quadraginta annis. Ac ne quiſquam arbitretur, rudimenta Romanorum fuiſſe fortiora ad bella citius peragenda, ſuperioribus temporibus multum in omni virtute laudatis, ι bellum Samniticum *g* annis tractum eſt fermè quinquaginta, in quo bello ita Romani victi ſunt, κ ut ſub jugum etiam mitterentur. Sed quia non diligebant gloriam propter juſtitiam, ſed juſtitiam propter gloriam diligere videbantur, *h* pacem factam, λ fœdusque ruperunt. Hæc ideò commemoro, quoniam multi præteritarum rerum ignari, quidam etiam diſſimulatores ſuæ ſcientiæ, ſi temporibus Chriſtianis aliquod bellum paulò diutius trahi vident, ilico in noſtram religionem proteruiſſimè inſiliunt, exclamantes: quod ſi illa non eſſet, & vetere ritu numina colerentur, jam Romana illa virtute, quæ adjuvante Marte & Bellona, tanta celeriter bella confecit, id quoque celerrimè finiretur. Recolant igitur qui legerunt, quàm diuturna bella, quàm variis eventibus, quàm luctuoſis cladibus à veteribus ſint geſta Romanis, ſicut ſolet orbis terrarum velut procelloſiſſimum pelagus varia talium

Bella citò finita.

al. conſumtum.

Bella multis annis ægrè confecta.

malorum

malorum tempeſtate jactari: & quod nolunt aliquando, fateantur: nec inſanis adverſus Deum linguis ſe interimant, & decipiant imperitos.

a BEllum Piratarum.] *Intra quadrageſimum diem, poſtquam Brunduſio Pompeius ſolvit. Florus & Cicero pro lege Manilia.* L. Vivei.

b Quàm multis Romanis ducibus.] *Arius prætor & conſules duo Gn. Lentulus, & L. Gellius ab Spartbaco ſunt victi.*

d Ubi & duo conſules perierunt.] *L. Julius Cæſar, & P. Rutilius Livius.*

e In duobus prœliis.] *Ad Thraſimenum lacum, & ad Cannas.*

f Bellum Mithridaticum quadraginta annis.] *Sic Florus: ſed intermiſſum eſt pace cum Sylla facta: repetitum à L. Lucullo: perfectum à Gn. Pompeio Magno.*

g Annis fermè quinquaginta.] *Eutropius & Oroſius undequinquaginta annos in boc bello numerant, Florus quinquaginta, Appianus octoginta, quod eſt Livij computationi vicinius, qui lib. xxiij. per centum propè annos bellum dicit geſtum inter Romanos & Samnites, variante fortuna eventum. Quod ſi bellum Samniticum Fabio Gurgite conſule finitur, non ſunt plures quàm anni quinquaginta à M. Valerio Corvino, & à Cornelio Coſſo coſſ. ſed junxerunt ſe Samnitium arma etiam cum Pyrrho, & jam antea cum Dentato conſeruerant manus, poſt Gurgitem conjuncta, & ante quàm in Italiam tranſiret Pyrrbus.*

h Pacem factam fœdusque.] *Satis boc oblique ſignificat Livius lib. nono, qvum verbis Pontij Samnitium ducis eludi fidem, fœdera, ſacraq; à Romanis puerilibus interpretamentis dicit, quod re vera ita erat: nam in verbis pueriliter plerunq; cavillabantur ad ſuum commodum.*

i Quàm variis eventibus.] *Alij codices eventis. Non diſputo, an dici poſſit eventus, plurali numero, quod rarum eſſe Valla ait: dici tamen poſſe certum eſt, & inveniri ille non negat.* Eventus

a BEllum piratarum à Pompeio.] *De bello piratico, quod & maritimum nominatur, accurate Dio. lib. 36. & Plut. in Pompeio. Cic. pro lege Manilia. Liv. li. 99. Florus li. 3. c. 6. Velleius & Eutrop. li. 6. Oroſ. li. 6. c. 4.* Intra paucos menſes ingenti celeritate ac fœlicitate à Cn. Pompeio confectum. F. L. Coq.

β Bellum Punicum tertium à Scipione.] *Hoc bellum deſcribitur ab Appiano in Lybico, à Plutarcho in Catone, Eutropio lib. 4. Floro lib. 2. c. 15. Oroſ. lib. 4. c. 23.* Quarto poſtquam cœptum fuit anno, terminatum.

γ Bellum quoque fugitivorum gladiatorum.] *Oroſ. lib. 5. ca. 24. Qui duces Romani occubuerint, à quibus tandem bello victi ſint ad internecionem deſcribit, & quantum terrorem urbi iniecerint, ſuperatis ſæpius Romanis exercitibus; imo exterritam fuiſſe urbem non minore propemodum metu, quam ſub Annibale circa portas fremente trepidaverat.*

δ Picentes Marſi.] *Oroſ. libr. 5. cap. 18. Epitome Livij lib. 72. 73. 74. Eutrop. libr. 5.*

ε Bellum Punicum ſecundum.] *Quod ab Annibale contra Romanos geſtum eſt per 18. annos continuos, ut bic docet Auguſt. geſtum tamen annos 17. docet Oroſ. libro*

roſ. libro quarto c.20. & totidem annos duraſſe, author eſt Polyb. lib.3. Inchoatum eſt Cornelio & Sempronio Coſſ. finitumq́; anno 18. Cn. Cornelio, & P. Ælio Peto Coſſ.

ζ In duobus prælijs ferme 70000. Romanorum.] *Nam apud lacum Traſimenum exercitus Romanorum funditus trucidatus eſt, ipſe Conſul Flaminius occiſus; 25. millia Romanorum in eo prælio cæſa, ſex millia capta referuntur. Apud Cannas vero æternum vulnus imperij 44. millia Romanorum interfecta ſunt, periit enim in eo Coſ. Æmylius Paulus, Conſulares aut prætorij viri viginti interfecti ſunt, Senatores vel capti, vel occiſi ſunt triginta, nobiles viri trecenti, Pedeſtrium militum quadraginta millia, Equitum tria millia quingenti.*

η Bellum Punicum primum per 23. annos.] *Polyb. li. 1. & Liv. qui tempus hujus belli excitati reſpiciunt, ſcribunt id geſtum annis 24. Sed Oroſ. li.4. c.11. cum Auguſtino 23. ſed annos numerant ab Appio Claudio, & Q. Fulvio Coſſ. quibus bellum Punicum primum geri cœptum eſt.*

θ Bellum Mithridaticum 40. annis.] *Oroſ. lib. quinto, c.19.* De Mithridatici belli ſpatio *(inquit,)* varie traditum eſt, cum alij 30. alij 40. annis geſtum ferant. *Florus lib.3. c.5. ſcribit, Mithridatem annis 40. reſtitiſſe. Appian. in Mithridatico ait hoc bellum geſtum annis 42.*

ι Bellum Samniticum annis tractum eſt ferme 50.] *49. annis multa Romanorum clade protractum, author eſt Oroſ. l.3. c.22. & Eutrop. Florus annis 50. vult protractum.*

κ Ut ſub jugum etiam mitterentur.] *Liv. ab V.C. 433.*

λ Pacem factam, fœdusque.) *Ad eam fortaſſe, qua injuſſu populi facta erat, nec authoritate Senatus, non tenebantur Romani, ut docuit oratione habita ad Senatum Sp. Poſthumus. Videnda tamen & advertenda oratio Pontij Samnitum ducis, qua perfidiam, & vix pueris dignas Romanorum ambages notat & perſtringit.*

Cap. XXIII.

De bello, in quo Rhadagaiſus rex Gothorum dæmonum cultor uno die cum ingentibus copiis ſuis victus eſt.

Quod tamen noſtra memoria recentiſſimo tempore Deus mirabiliter & miſericorditer fecit, non cum gratiarũ actione commemorant, ſed quantum in ipſis eſt, omnium ſi fieri poteſt hominum oblivione ſepelire conantur: quod à nobis ſi tacebitur, ſimiliter erimus ingrati. α Cùm α Rhadagaiſus rex Gotthorum agmine ingenti, & immani jam in urbis vicina conſtitutus, Romanis cervicibus immineret: uno die tanta celeritate ſic victus eſt, ut ne uno quidem non dicam extincto, ſed nec vulnerato Romanorum, β multo amplius quàm centum milium proſterneretur ejus exercitus, atque ipſe cum filiis mox captus pœna debita necaretur. Nam ſi ille tam impius cum tantis & tam impiis copiis Romam fuiſſet ingreſſus, cui pepercíſſet? quibus honorem locis martyrum detuliſſet? In qua perſona Deum timeret? cuius non ſanguinem

effuſum, cuius pudicitiam vellet intactam? Quas autem iſti pro diis ſuis voces haberent, quanta inſultatione jactarent, quod ideo ille viciſſet, ideo tanta potuiſſet, quia quotidianis ſacrificiis placabat atque invitabat Deos, quod Romanos facere Chriſtiana religio non ſinebat. Nam propinquante jam illo his locis, ubi nutu ſummæ majeſtatis oppreſſus eſt, cum eius fama ubique crebreſceret, nobis apud Carthaginem dicebantur γ hoc credere, ſpargere, jactare Paganos, quod ille diis amicis protegentibus & opitulantibus, quibus immolare quotidie ferebatur, vinci omnino non poſſet ab eis, qui talia diis Romanis ſacra non facerent, nec fieri à quoquam permitterent. Et non miſeri gratias tantæ miſericordiæ Dei, qui cùm ſtatuiſſet irruptione barbarica graviore dignos mores hominum caſtigare, indignationem ſuam tanta manſuetudine temperavit, ut illum primo faceret mirabiliter vinci, ne ad infirmorum animos evertendos gloria daretur dæmonibus, quibus eum ſupplicare conſtabat. Deinde cũ ab his barbaris Roma caperetur, qui contra omnẽ conſuetudinẽ bellorũ ante geſtorum ad loca ſancta confugientes, Chriſtianæ religionis reverentia tuerentur, ipſiſque dæmonibus atque impiorum ſacrificiorum ritibus, de quibus ille præſumpſerat, ſic adverſarentur pro nomine Chriſtiano, ut longè atrocius bellũ cum eis quàm cũ hominibus gerere viderentur: ita verus dominus gubernatorque rerum & Romanos cum miſericordia flagellavit: & tamen incredibiliter victis ſupplicatoribus dæmonum, nec ſaluti rerum præſentium neceſſaria eſſe ſacrificia illa monſtravit, ut ab his, qui non pervicaciter contendunt, ſed prudenter attendunt · nec propter præſentes neceſſitates religio vera deſeratur, & magis æternæ vitæ fideliſſima expectatione * teneatur. *al. expectatio.*

α RHadagaiſus rex Gothorum.] *Hoc ſub Honorio Caſare, de quo in præfatione diximus.* L.Vives.

α CUm Rhadagaiſus Rex Gothorum.) *Ejuſdem hiſt. meminit ſer. 29. in Luc.* Everſis in urbe Roma omnibus ſimulachris, Rhadagaiſus Rex Gothorum cum ingenti exercitu, multo numeroſiore, quàm Alarici fuit, venit. Paganus homo erat Rhadagaiſus, Jovi ſacrificabat quotidie, nunciabatur ubiq; quod à ſacrificijs non deſiſteret Rhadagaiſus. Tunc omnes iſti, *ſcilicet pagani:* Ecce nos non ſacrificamus, ille ſacrificat, vinci habemus à ſacrificante, quibus non licet ſacrificare, Deus oſtendens, quod non in iſtis ſacrificijs eſt ipſa temporalis ſalus, ipſa regna terrena, victus eſt Rhadagaiſus adjuvante Domino, miro modo. *Incidit ea clades Rhadagaiſi in annum Domini 406. in Feſulanis montibus.* F.L.Coq.

β Multo amplius quam centum millium.] *Paulus Æmylius initio lib. 1. hiſt. Francorum, Oroſ. 7. c 37. & Paulus Diaconus lib. 13. in Rhadagaiſi exercitu pluſquam ducenta millia Gothorum fuiſſe referunt, & tam numeroſum exercitum fuiſſe divinitus conterritum & fuſum, ipſumq; Rhadagaiſum in manus incidiſſe Romanorum, & ab eis interfectum.*

Hos

γ Hos credere, ſpargere, jactare paganos.] *Referunt Oroſius & Paul. Diac.* Invadit illico Romam pavor infinitus, fit omnium paganorum in urbe concurſus, acclamatur à cunctis, ſe ideo hæc perpeti, quod neglecta fuerint magnorum ſacra Deorum, magnis querelis ubique agitur, ac continuo de repetendis ſacris agitur, fervent tota urbe blaſphemiæ, vulgo nomen Chriſti tanquam lues aliqua probris ingravatur.

Cap. XXIV.

Quæ ſit Chriſtianorum imperatorum, & quàm vera fœlicitas.

NEque α enim nos Chriſtianos quoſdam imperatores ideo fœlices dicimus, β quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hoſtes reipub. domuerunt, vel inimicos cives adverſus ſe inſurgentes, & cavere & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia vitæ huius ærumnoſæ, vel munera, vel ſolatia, γ quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quò pertinent iſti. Et hoc ipſius miſericordia factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum crederent, velut ſumma bona deſiderarent. Sed fœlices eos dicimus, δ ſi juſti * imperant, ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium, non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt: ε ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, majeſtati eius famulam faciunt: ſi Deum timent, diligunt, colunt, ſi plus amant illud regnum, *a* ζ ubi non timent habere conſortes, ſi tardius vindicant, facilè ignoſcunt: η ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ tuendæque reip. non pro ſaturandis inimicitiarum odiis exerunt: ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent, ſi quod aſperè coguntur plerunque decernere, miſericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compenſant: *b* ſi luxuria tanto eis eſt caſtigatior, θ quanto poſſet eſſe liberior: ι ſi malunt cupiditatibus pravis, quàm quibuslibet gentibus imperare. Et ſi hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem fœlicitatis æternæ, ſi pro ſuis peccatis humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium, Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos imperatores dicimus eſſe fœlices: interim ſpe, poſtea re ipſa futuros, cum id quod expectamus, advenerit.

al. juſt.

L. Vives. *a* UBi non timent habere conſortes.] *Hic in mundo reges omnes timent habere conſortem. Omnis enim poteſtas impatiens eſt conſortis, ſicut inquit Lucanus: at in fœlicitate Dei æterna, cùm plures ſunt conſortes, non minus eſt gaudium, imò quodammodo majus.*

b Si luxuria tanto in eis.] *Iuxta bonum Mimum: Quo plus licet, eo libeat minus.*

F. L. Coq. α NEque enim nos Chriſtianos.] *Quemadmodum vulgare eſt Auguſtino, ea opera bona appellare, quæ grata ſint Deo, & in eum referantur, quæq; conferant ad ſalutem, & eas virtutes dicere, quæ in homine Chriſtiano cum fide & charitate conjuncta ſunt; quæ verò moraliter & ex genere tantum bona ſunt, bona*

minime

norum operum nomine minime dignatur. Ita fœlicitatem humanam, ſeu mundanam, qualis Imperatoribus & principibus multis inter homines attribui poteſt, minime fœlicitatẽ reputat: ſed eam demum, quæ in principibus Chriſtianis juſte imperantibus, Deo acceptis, & qui ſuam poteſtatem ei acceptam referant, illiq; famulentur, reperitur, veram fœlicitatem exiſtimat.

β Quia vel diutius imperarunt.] *Themiſt. philoſophus orat. 5.* οὐ γὰρ ζωῆς μῆκος διωκτέον τῷ βασιλεῖ ἀλλ᾽ ὑπεροχὴν ἀρετῆς, ἐπεὶ καὶ Διονύσιος καὶ Τιβέριος ἐγάπησαν γήρως ταῖς μοναρχίαις, ἀλλὰ τὸ γῆρας αὐτῶν οὐδὲν ἄλλο ἦν ἢ μακροτέρα κακοδοξία.

δ Quidam etiam cultores dæmonũ accipere merum.] *Sylla fœlicis (ſic dictus eſt apud Romanos) cognomen ſibi uſurpavit. Metellus omnium Romanorum fœliciſſimus exiſtimatus eſt. Precabantur antiquitus Imperatoribus fœlicitatem Auguſti.*

ε Si juſti imperant.] *Nam ut Auguſtus apud Senecam in Ludo Claudij,* pietate & juſticia principes dij fiunt. *Et ut Heſiod. in Theogon.* τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες οὕνεκα λαοῖς, βλαπτομένοις ἀγορῆφι ἔργα τελεῦσι.

Hac una Reges olim ſunt fine creati,
Dicere jus populis, injuſtaque tollere facta.

ζ Si ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum.] *Vide eumdem homil. 35. & epiſt. 48. ubi docet, Reges debere ſervire Chriſto, leges pro eo ferendo, atq; adeo impletum illud Davidis:* Et nunc Reges intelligite, & erudimini, qui judicatis terram. *Et præſignatum fuiſſe tempus Regum primo perſequentium Eccleſiam, & poſtea eam defendentium in uno Rege Nabuchodonozor, qui primo leges iniquas propoſuit, divino cultui maxime adverſas, poſtea vero lege cavit, ut qui blaſphemaret verum Deum, non inultus maneret.*

η Ubi non timent habere conſortes.] *Regnũ enim non patitur duos; & omnis poteſtas impatiens conſortis erit. Legatis Darij ita reſponſum ab Alexandro docet Diodor. Sicul. lib. 17. Plutarch. Curtius, Arrianus:* Quemadmodum Mundus, ſi duo eſſent Soles, nec ornatum, nec ordinem ſuum haberet; itidem & terrarum orbis, duobus Regibus principatum tenentibus, non facile ſeditionum & tumultus expers erit.

θ Si eamdem vindictam pro neceſſitate regendæ, tuendæque Reipub.] Niſi enim coerceetur improborum hominum audacia, nullibi tuta eſſet inter improbos innocentia.] *Quemadmodum Plut. in Bruto ait, Brutum incitatum eſſe ad cædem Cæſaris odio tyrannidis tantùm, Caſſium vero & cæteros odio tyranni, i.e. non ad vindictam libertatis, ſed ſui.*

ι Quanto poſſet eſſe liberior.] *Turpe enim illud:* licet, ſi libet *Spart in Antoni. Carac. pulchrius illud Senecæ:* Minimum decet libere, cui nimium licet. *Laudandum illud Theodoaldi Regis apud Caſſiodor. Var. lib. 10.* Cum omnia poſſimus, ſola credimus licere nobis laudanda. *Euripid.* οὐ τοὺς κρατοῦντας χρὴ κρατεῖν ἃ μὴ χρεών. Non fas potentes poſſe quod fieri nefas. *De libertate peccandi quàm noxia ſit, vide Philip. Iud. de fuſione linguarum fol. 299.*

 κ Si ma-

x Si malunt cupiditatibus pravis.] *Cic. paradoxo. 5.* Cui tandem hic libero imperabit, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? Refrenet prius libidines, ſpernat voluptates: iracundiam teneat, coerceat avaritiam, cæteras animi labes repellat, tum incipiat aliis imperare, cum ipſe improbiſſimis dominis dedecori, ac turpitudini parere deſierit.

CAP. XXV.

De proſperitatibus, quas Conſtantino Imperatori Chriſtiano DEus contulit.

NAm bonus Deus, ne homines, qui eum crederent propter æternam vitam colendum, has ſublimitates & regna terrena exiſtimarent, poſſe neminem conſequi, niſi dæmonibus ſupplicaret, α quòd hi ſpiritus *a* in talibus multum valerent: *b* β Conſtantinum imperatorem non ſupplicantem dæmonibus, ſed ipſum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. *c* γ Cui etiam condere civitatem *d* Romano imperio ſociam, velut ipſius Romæ filiam, ſed ſine δ aliquo dæmonum templo ſimulachroque conceſſit. *e* Diu imperavit, *f* univerſum orbem Romanum unus Auguſtus tenuit & defendit: in adminiſtrandis & gerendis bellis victorioſiſſimus fuit: *g* ζ in tyrannis opprimendis per omnia proſperatus eſt. Grandævus ægritudine & ſenectute defunctus eſt, *h* η filios imperantes reliquit. Sed rurſus ne Imperator quiſquam ideo Chriſtianus eſſet, ut fœlicitatem Conſtantini mereretur, θ cum propter vitam æternam quiſq; debeat eſſe Chriſtianus, *i* Jovinianum ι multò citius quàm Julianum abſtulit. *k* κ Gratianum ferro tyrannico permiſit interimi longè quidem mitius, *l* quàm Magnum Pompeium, colentem videlicet Romanos deos. Nam ille vindicari à Catone non potuit, quem civilis belli quodammodo heredem reliquerat. Iſte autem, quavis piæ animæ ſolatia talia non requirant, λ *m* à Theodoſio vindicatus eſt, quem regni participem fecerat, *n* μ cum parvulum haberet & fratrem: avidior fidæ ſocietatis, quàm nimiæ poteſtatis.

Chriſtiani Impp. infelici exitu uſi

a IN talibus multum valerent.] *Non eſt poteſtas, inquit Job, quæ cum dæmonica ſuper terram conferatur. Sciunt enim ubi lateant opes, norunt artes, fraudesq;, quibus ad imperium poſſit homo evehi, & hoſtes vincere.*

L. Vives.

b Conſtantinum imperatorem.] *Hic filius Conſtantij & Helenæ in Britannia natus, primus poſt Philippum fuit princeps Romanus Chriſtianus, partibusq; expugnatis ſolus fœliciſſimè obijt, naturali morte Nicomediæ, anno imperij altero & triceſimo.*

Conſtantinus.

c Cui etiam condere civitatem.] *Imitatio Vergiliana:*

O regina novam cui condere Juppiter urbem.

Porrò Conſtantinus jam bellis omnibus defunctus, ſolutusq; gravioribus curis, animum ad novam urbem condendam, & de ſuo vocandam nomine adjecit. Primum in Sardico agro Aſiæ deſtinarat, poſt ad Sigeum Troadis fundamenta ſunt jacta: tertiò translata opera Chalcedonem, erectiq; ibi muri: cumq; fabriles funiculos a-

ves

des corripuiſſent, tranſtuliſſentq; Byzantium, quæ eſt urbs Thraciæ, ubi velut ita jubente Deo condita eſt urbs, quæ dicta Conſtantinopolis: quod nomen adhuc retinet. Byzantium verò etiam dicitur, quod ibi fuerit id oppidum à Pauſania Spartanorum rege conditum: quod Severus imperator propemodum evertit, milites autem Galieni principis funditus delevere. Bizantium.

d Romano imperio ſociam.] *Illuc enim magnam & ſenatus & totius nobilitatis partem Rom. Conſtantinus tranſtulit, principesq; ferè omnes Conſtantinopoli magis quàm Romæ habitarunt: ita opibus & claritate civium certavit cum urbe Româ.*

e Sine aliquo dæmonum templo.] *Divæ enim Mariæ virgini urbem Conſtantinus dicavit.*

f Univerſum orbem Rom.] *Sic dicitur orbis Romanus, id quod ex orbe poſſidebant Rom. ut orbis Chriſtianus, quod Chriſtiani habemus: orbis Hiſpanus, quod Hiſpani. Lucan. orbem Hiberum dixit pro Hiſpania, & orbem Arctoum pro Gallia & Germania. Et cum ex Hiſpania in Italiam, & inde in Græciam tranſiturus eſſet Cæſar, inquit: Victrices aquilas alium laturus in orbem. Marcellinus Romani orbis crebrò meminit. Aurelianus, ut autor eſt Trebellius Pollio, ſcribens ad Zenobiam ſic exorſus eſt: Aurelianus Imperator Romani orbis. Stultum eſt affirmare Imperatorem Romanum jus habere in totum orbem terrarum, cuius nunquam fuit dominus: (* nec in ea quidem jus habet, quorum aliquando fuit dominus, & jam amiſit: quoniam quo jure quæſierat, eodem perdidit, ſtrage ſcilicet hominum & bellicis furiis. Accenduntur principes iſtis fictitiis titulis, qui aliud nihil ſunt, quàm faces orbis terrarum, peſtisq; totius generis humani. In culpa eſt impia & indocta juriſconſultorum argutatio.) **Orbis Rom.

g In tyrannis opprimendis.] *Maxentio & Licinio.*

h Filios imperantes.] *Conſtantium, Conſtantinum, & Conſtantem: tametſi non ſatis convenit, diviſeritne ipſe heredibus imperium, an ipſi poſt eius mortem ſorte id fecerint.*

i Jovinianum.] *Septimo menſe imperij Dadaſcana in Aſia obiit crudelitate ſtomachi, ipſo eodem & Varroniano coſ. Chriſtianus fuit, & à Valentiniano in numerum divorum relatus.*

k Gratianum ferro tyrannico.] *Hæc de principibus Rom. apud Eutropium, Paulum Diaconum, Oroſium, & Pomponium Lætum. Gratianus Valentiniani fuit filius: in hunc Treveris agentem legiones Romanæ conjurarunt, electo Maximo quodam duce, qui Gratianum in Italiam iter molientem, dolo circumventum interfecit: fuit princeps religioni noſtræ dedititiſſimus.* Iovinianus. Gratianus.

l Quàm Magnum Pompeium.] *Quem ſatellites pueri Ptolemæi in cymba cuncto Alexandrino populo ſpectante obtruncarunt: morsq; illa fuit viro tanto indigniſſima. Livius, Florus, Plutar. Lucanus, Appian.*

m A Theodoſio vindicatus eſt.] *Gratianus Theodoſium Hiſpanum magna omnium approbatione conſortem imperij apud Syrmium fecerat: virum & virtutibus omnibus, & ſtrenuitate inſignem, è Trajano genus ducentem, cui & perſimilis* Theodoſius.

ferebatur: ab hoc Maximus Aquileiæ agens captus & interemptus eſt.

η Cum parvulum haberet & fratrem.] *Valentinianum.*

F.L.Cor. α QUod hi ſpiritus in talibus multum valerent.] *Quantum tamen Deus permittit, cujus eſt aurum & argentum, cujus eſt terra & plenitudo ejus: quamvis enim noverint, ubi ſint recōditi theſauri, & referat in Alexand. Appollonium, arte ſua theſauros ſolitum quærere, minime tamen permittit Deus, vel homines hac via diteſcere; vel ſi quando id permittat, certe non niſi eos, quos juſto ſuo judicio patitur præcipites ruere in profundum peccatorum, & tandem in barathrum ignis æterni. Neq; divitiæ, ſi quando obtineantur opera & arte dæmonum, conferunt niſi ad pernitiem & exitium animarum.*

β Conſtantinum Imperatorem non ſupplicantem dæmonibus.] *Ejus exemplo primum oſtendit, fœlicitatem mundanam piis & religioſis principibus etiam conferri nonnunquam à Deo.* Fuit autem hic primus Romanorum principum, *ut ait Lactant. in præfat.* qui repudiatis erroribus majeſtatem Dei ſingularis ac veri & cognovit & honoravit. *lib. 5. C. de natural. lib. li. dicitur veneranda Chriſtianorum fide Romanorum muniſſe imperium: Diva memoriæ vocatur l. 3. C. de legit. tut.*

γ Cui etiam condere civitatem.] *Conſtantinopolim ab ejus nomine dictam, quam etiam ſecundam Romam vocari juſſit. In conſtitut. Impp. paſſim. Socrat. lib. 1. hiſt. Eccl. c. 12. & l. 5. c. 8. ita vocatur. Zonar. l. 1. c. 2. Niceph. lib. 7. c. 48. Oroſ. li. ſeptimo, c. 28.* Urbem nomine ſuo Romanorum Regum vel primus, vel ſolus conſtituit.

δ Sine aliquo dæmonum templo.] *Teſtis eſt Niceph. lib. ſeptimo cap. 49. Conſtantinum tria maxima templa Servatori Chriſto conſtructa dedicaſſe: Sanctæ Sophiæ, ſanctæ Pacis, & ſanctæ Virtutis. Inſuper celeberrimis Apoſtolis templum quoq; ſuum condidiſſe. Socrates tamen libro primo, c. 12. dicit tantum duas Eccleſias ædificaſſe, alteram Pacis, Alteram Apoſtolorum nomine appellatam.*

ε Diu imperavit.] *Ita ad eum Lactant.* Dabit tibi Deus fœlicitatem, virtutem, diuturnitatem. *Gubernacula Imperij uno & triginta annis fœliciſſime tenuiſſe, auctor eſt Oroſius libro ſeptimo, c. 26.*

ζ In tyrannis opprimendis.] *Maxentio & Licinio. Niceph. l. 7. c. 45. Euſeb. de vita Conſtantini lib. 2. c. 17. & 18.*

η Filios imperantes reliquit.] *Conſtantinum, Conſtantinum, & Conſtantem.*

θ Cum propter vitam æternam quiſque debeat eſſe Chriſtianus.] *Si primarium quidem, & potiſſimum finem ſpectemus, Deus ipſe eſt, propter quem colendum Chriſtiani eſſe debemus, cum religione ſola Chriſtiana vere & debite colatur: ſi tamen intendamus in finem minus principalem ac ſecundum, certe ob bonum etiam aliquod noſtrum, quæ vita æterna eſt, religionem Chriſtianam amplecti debemus. Ita enim David* inclinabat cor ſuum ad faciendas juſtificationes Dei propter retributionem. *Ita Moyſes* malens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, *aſpirabat in remunerationem, Hebr. 11.*

ι Jovinianum multo citius, quam Julianum.] *Nam Iovinianus ſeptem tantum menſibus imperavit. Socrat. lib. tertio, cap. 22. Niceph. lib. 10. c. ult. Theodoret. li. quarto. c. 4. Sozom. lib. 6. c. 5. Iulianus vero menſibus octo, & anno uno regnavit De ejus morte Eutrop. Sex. Aurelius, Ammian. Marcell. lib. 22. Socrat. li. 3. cap. 18.*

κ Gratianum ferro tyrannico.] *De Gratiani miſeranda cæde ab Andragathio Maximi tyranni præfecto perpetrata, vide Niceph. lib. 12. c. 20. Oroſ. lib. 7. c. 34. Paulum Diacon. lib. 12. Ambroſ. in Pſ. 61.*

λ A Theodoſio vindicatus eſt.] *Gratianus cum afflictum ac pene collapſum Reip. ſtatum videret, eodem conſilio, quo quondam Nerva elegerat conſortem imperij Traianum Hiſpanum, qui reſtituerat imperium in integrum, elegit ipſe Theodoſium reſtituendæ Reipublicæ virum imprimis idoneum, & reliquis virtutibus, tum etiam ipſa fide & pietate Chriſtiana valde præſtantem. Oroſius libro ſeptimo, capite trigeſimo quarto. Niceph. li. 11. c. 1. Sozom. lib. 7. c. 2.*

μ Cum parvulum haberet & fratrem.] *Valentinianum juniorem, Valentiniani ſenioris ex Iuſtina filium.*

Cap. XXVI.

De fide & pietate Theodoſii Auguſti.

Unde & ille non ſolùm vivo ſervavit, quam debebat fidem, verùm etiam poſt eius mortē pulſum ab ejus interfectore Maximo, α Valentinianū eius parvulum fratrem, in ſui partes imperii tanquam Chriſtianus excepit pupillum: paterno cuſtodivit affectu, quem deſtitutum omnibus opibus nullo negotio poſſet auferre, ſi latius regnandi cupiditate magis quàm benefaciendi charitate flagraret. Unde potius eum ſervata eius imperatoria dignitate, ſuſceptum, ipſa humanitate & gratia conſolatus eſt. *a* Deinde cum Maximum terribilem faceret ille ſucceſſus, hic in anguſtiis curarum ſuarum non eſt lapſus ad curioſitates ſacrilegas atque illicitas, *b* ſed ad β Joannem in Ægypti eremo conſtitutum, quem Dei ſervum prophetandi ſpiritu præditum fama crebreſcente didicerat, miſit: atque ab eo nuntium victoriæ certiſſimum accepit. Mox tyranni Maximi extinctor, *c* Valentinianum puerum in imperii ſui partibus, unde fugatus fuerat, cum miſericordiſſima veneratione reſtituit: eoque, ſive γ per inſidias ſive quo alio pacto vel caſu proximè extincto, δ alium tyrannum Eugenium, qui in illius imperatoris locum non legitimè fuerat ſurrogatus, accepto rurſus prophetico reſponſo, fide certus oppreſſit, contra cuius robuſtiſſimum exercitum magis orando, quàm feriendo pugnavit. Milites nobis, qui aderant, retulerunt, extorta ſibi eſſe de manibus quæcunque jaculabantur, cum à Theodoſii partibus in adverſarios vehemens ventus iret, & non ſolùm, quæcunque in eos jaciebātur, concitatiſſimè raperet, verùm etiam ipſorum tela in eorum corpora retorqueret. *d* Unde & poeta ε Claudianus, quamvis à Chriſti nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:

Iohannes Eremita prophetandi Spiritu præditus.

Ventus à Theodoſio cōtra hoſtes pugnans Dei virtute.

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,

Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Victor autem ſicut crediderat, & prædixerat, Jovis ſimulachra, quæ adverſus eum fuerant, neſcio quibus ritibus velut conſecrata, & in Alpibus conſtituta, depoſuit: eorumque fulmina, quòd aurea fuiſſent jocantibus, quod illa lætitia permittebat, e curſoribus, & ſe ab eis fulminari velle dicentibus, hilariter benigneque donavit. ζ Inimicorum ſuorum filios, quos non ipſius juſſus, ſed belli abſtulerat impetus: etiam nondum Chriſtianos ad eccleſiam confugientes, Chriſtianos hac occaſione fieri voluit, & Chriſtiana charitate dilexit: nec privavit rebus, ſed auxit honoribus. In neminem poſt victoriam privatas inimicitias valere permiſit. Bella civilia non ſicut Cinna, & Marius, & Sylla, & alii tales, *f* qui nec finita finire voluerunt, ſed magis doluit exorta, quàm cuiquam nocere voluit terminata. Inter hæc omnia ex ipſo initio imperii ſui η non quievit juſtiſſimis & miſericordiſſimis legibus adverſus impios laboranti eccleſiæ ſubvenire: *g* quam θ Valens hæreticus favens Arrianis vehementer afflixerat, ι cuius eccleſiæ ſe membrum eſſe, magis quàm in terris regnare gaudebat. κ Simulachra gentilium ubique evertenda præcepit, ſatis intelligens nec terrena munera in dæmoniorum, ſed in Dei veri eſſe poſita poteſtate. *b* Quid autem fuit eius religioſa humilitate mirabilius, λ quando in Theſſalonicenſium graviſſimum ſcelus, cui jam epiſcopis intercedentibus promiſerat indulgentiam, tumultu quorundam, qui ei cohærebant, μ vindicare compulſus eſt, & ν eccleſiaſtica coërcitus diſciplina ſic egit pœnitentiam, ut imperatoriam celſitudinem pro illo populus orans, magis fleret videndo proſtratam, quàm peccando timeret iratam? Hæc ille ſecum, & ſi qua ſimilia, quæ commemorare longum eſt, bona opera tulit: ex iſto temporali vapore cuiuslibet culminis & ſublimitatis humanæ, quorum operum merces eſt æterna felicitas: cuius dator eſt Deus, ſolis veraciter piis. Cætera verò vitæ huius vel faſtigia vel ſubſidia: ſicut ipſum mundum, lucem auras, terras, aquas, fructus, ipſiusque hominis animam, corpus, ſenſus, mentem, vitam, bonis maliſque largitur. In quibus eſt etiam quælibet imperii magnitudo, quàm pro temporum gubernatione diſpenſat.

Theodoſij religioſa humilitas.

L. Vives. *a* DEinde cum Maximum.] *Adminiſtrabatur bellum ab Andragatio comite Maximi, homine in bellis exercitato & callidiſſimo duce: cuius artibus in magnas difficultates Theodoſius adducebatur.*

b Sed ad Joannem in Ægypti eremo.] *Iohannes Anachoreta ſpiritu vaticinij afflatus, cùm aliis permultis pleraq; prædixit, tum verò Theodoſio victoriam Dei verbis eſt pollicitus. Proſper Aquitanus. ad hunc in dubiis rebus conſilij gratia confugiſſe Theodoſium narrat Diaconus.*

Iohannes Anachoreta.

c Valentinianum puerum.] *Gratiani fratrem Occidentis imperio præfecit, quem Arbogaſtes comes Viennæ dolo peremit, Eugeniumq; creavit tyrannum, & ingentibus barbarorum coactis copiis Alpium tranſitum obſederunt, ut ab eo Theodoſium arcerent. Princeps pientiſſimus totam noctem, quæ pugnæ diem præceſſit, ſine cibo potuq; precibus ac meditationi ſacræ intentus, poſtridie prælium commiſit,*

cum

cùm exercitu eſſet hoſtibus longè impar, ubi divina ope palam adjutus hoſtium exercitum proſtravit. Eugenius captus & cæſus eſt, Arbogaſtes ſibi manum intulit.

d Unde Claudianus.] *Hunc Ægyptium fuiſſe vulgatior eſt opinio, & ſic tradit Poſſidonius, qui fuit ejus familiaris: non Rhodius ille philoſophus, ſed præſul quidam Afer. Ad carmen natus fuit, quod elegantiſſimè ſcripſit, poetico vir ingenio, & ad ſuperſtitionem propenſior: tametſi de Chriſto extat carmen ejus nomine inſcriptum, quod credo ab eo in Honorij gratiam compoſitum, ut fuit aſſentator maximus. Hi verſus quos Auguſtinus citat, ſunt in Panegyrico de tertio Honorij conſulatu, quos in Honorij potius, quàm Theodoſii laudem ſcripſit, & ſi de hac ipſa Alpina victoria loquens, quam fatis & fœlicitati Honorij citius, quàm Theodoſii pietati per aſſentationem plus quam ſcurrilem adſcribit. Sic enim ait:* Claudianus.

Victoria velox
Auſpiciis effecta tuis: pugnaſtis uterq;.
Tu fatis, genitorq; manu: te propter & Alpes
Invadi faciles: cauto nec profuit hoſti
Munitis hæſiſſe locis: ſpes irrita valli
Concidit: & ſcopulis patuerunt clauſtra revulſis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adverſas acies, revolutaq; tela
Vertit in autores, & turbine reppulit haſtas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes, cui militat æther:
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Sic in codicibus Claudiani legitur: apud Auguſtinum aliter. Fortaſſe ad eum tunc ferebantur modum, quo Auguſtinus ſcripſit, qui fuit illorum temporum æqualis. Tametſi in vetere lib. Colonienſi ſic habetur:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther:
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Eodem modo apud Oroſium & Diaconum.

e Curſoribus.] *Nomen eſt officij in aula principali à currendo dictum, quod celeriter aliquo mitterentur. Non videntur iſti abſimiles noſtris pueris à pedibus, quos etiam ſic vocarunt priſci, ut Cicero: & recentiores, ut Martialis. Suetonius curſorum meminit in Nerone: Nunquam, inquit, carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſitais mulionibus, armillata & phalerata cum hamaxochorum turba atque curſorum. Et in Tito: Confeſtim ad alterius matrem, quæ procul aberat, curſores ſuos miſit, qui anxiè filium ſalvum nunciarent. Romani principes, cùm ſe totos in Græciam tranſtuliſſent, Græcis nominibus miniſteria omnia nuncuparunt. Itaq; inter hæc legimus δρομεῖς, id eſt curſores. Veteres quoq; curſores habuerunt, ut Alexander Macedo Philonidem, qui mille & ducenta ſtadia uno die confecit, ut ſcribit Plinius.* Curſores.

f Qui nec finita finire voluerunt.] *Hoc eſt, qui etiam finitis bellis nondum finẽ impone-*

imponere voluerunt: & cum nulli jam ſupereſſent hoſtes, ipſi ſibi, quos jugularent, hoſtes faciebant.

Valens. *g* Quam Valens hæreticus.] *Valens princeps ſecta fuit Arriana, epiſcopos & monachos verè Chriſtianos miſeris modis obtrivit & conculcavit: multos eorum cæcidit. Gotthis petentibus Chriſtianam religionem, epiſcopos miſit Arrianos.*

Theſſalonicenſium clades. *h* Quid autem fuit eius religioſa humilitate.] *Theſſalonica, quæ civitas eſt in Macedonia, cum tumultu theatrali quidam & ductores ordinum, & in exercitu magiſtratus eſſent à civibus pulſati, graviter hoc ferens Theodoſius, atrociter in eam civitatem juſſit animadverti: precibus tamen epiſcoporum Theſſalonicenſibus noxam condonaverat. Sed cum potentium in interiore aula amici injuria eſſent affecti, illi Theodoſii animum multa ſuadendo tundendoq; ad vindictam impulerunt, exercitus à principe in urbem immiſſus, multa civium millia obtruncavit. Ob quod facinus Ambroſius Mediolanenſis pontifex, imperatorem feriis dominicæ reſurrectionis ſacris interdixit, quoad indictam publicam pœnam exolveret. Imperator pontifici dicto audiens fuit, modeſteq; proſtratus atq; abjectus more ac inſtituto veterum pœnitere ſe commiſſi profeſſus, veniamq; à Deo & cœlitibus primùm, deinde ab epiſcopo, poſtremo à tota eccleſia petÿt, ad hunc modum expiatus redditus eſt eccleſiæ ſacriſq;.*

F.L.Coq. α VAlentinianum ejus parvulum fratrem.] *Nicephor. lib. 12. c. 21.*

β Sed ad Joannem in Ægypti eremo.] *Caſſianus li. 4. collat. c. decimo tertio.* Non ante præſumebat Theodoſius Imperator ad præpotentium bella tyrannorum procedere, quam oraculis illius animaretur atq; reſponſis: Quibus confidens velut cœlitus ſibi delatis trophæa de bellis deſperatis atque hoſtibus reportabat. *Niceph. libro 12. c. 39. Theodoret. lib. 5. c. 24. Sozom. lib. 7. c. 22.* Joannes ille eremi cultor prædixit Eutropio Eunucho Theodoſij, & ipſum victoriam de Eugenio tyranno reportaturum, & in Italia moriturum. quod utrumque accidit. *hiſt. tripart. libro nono, c. 45.*

γ Eoque ſive per inſidias.] *Nicep. lib. duodecimo cap. 38. Sozom. lib. 7. c. 22. Socrates, & Theodoret. lib. 5. c. 24. hiſtor. tripart. l. 9. c. 45.* Iuniorem Imperatorem Valentinianum gula fracta interijſſe, renunciatum eſt. Cædem eam per inſidias ei molitos eſſe ferunt cubicularios Eunuchos, atque alios quoſdam, Arbogaſtemque maxime illum, qui militarium Eugenij tyranni copiarum omnium habuit curam & adminiſtrationem.

δ Alium tyrannum Eugenium.] *Qualis fuerit hic Eugenius, quomodo imperium invaſerit, & imperialia ſumpſerit inſignia, adjuvante Arbogaſte, vide Niceph. lib. 12. c. 39. Socrat. lib. 5. c. 24. Theodoret. lib. 5. c. 24. Sozom. lib. 7. c. 22. Ex quibus intelliges, divinitus reportaſſe Theodoſium victoriam de Eugenio tyranno, & Arbogaſte ejus præfecto: Tela etiam ab hoſtibus in Theodoſii exercitum immiſſa validiſſimum ventum in eos retorſiſſe, & ventum validiſſimum, qualem numquam antea flaviſſe memoriæ proditum eſt, in ora illorum irruiſſe, & ordines ſolviſſe, & quæ a Theodoſianis jaciebantur tela, acriore etiam in illos impetu lata fuiſſe, hiſtoria referunt.*

ε Poeta

ſ Poeta Claudianus.] *Alexandrinum hinc fuiſſe teſtatur Suidas, cui magis aſſentiendum puto, quàm Petrarcha & Landino, qui Florentinum fuiſſe contendunt,* nulla *(ut ſcribit Lilius Gyraldus dialogo 4. de Poetis Lat.)* nixi authoritate, ut in ejuſmodi re opus erat. *Is prælium Theodoſii contra Eugenium, & inſignem victoriam de eo reportatam pulcherrimis verſibus ad Honorium recens Imperatorem renunciatum complexus eſt, quos Vives hoc loco repetit, & ex his aliquot D. Auguſt.*

ζ Inimicorum ſuorum filios.] *Quanta clementia in propinquos maximè uſus ſit, paucis complexus eſt Ambroſ. epiſt. 29. quam ad eum ſcribit.* Inimici tui filios revocaſti, nutriendos apud affinem dediſti, matri hoſtis tui miſiſti de ærario tuo ſumptus. *De clementia Theodoſij videri poteſt Themiſtius orat quinta, de ejus laudibus. Quod vero ait hoc loco è Theodoſio Imp. hoſtibus, qui pugnaſſent in caſtris, filiiſq; eorum confugientibus ad Eccleſiã indulgentiam impertitam eſſe, eã procuratã eſſe per interceſſionem Sancti Ambroſij, docet Paulinus in ejus vita.* Extincto itaque tyranno Eugenio à Satellitibus ejus, cum S. Ambroſius ſcripta acciperet Imperatoris, non illi alia cura major fuit, quam ut pro ijs interveniret, quos reatus involverat. Obſecravit primo ſcriptis Imperatorem miſſo Diacono: Poſtea vero quam directus eſt Joannes tunc Tribunus & Notarius, qui nunc præfectus eſt, ad tuitionem eorum, qui ad Eccleſiam confugerant, etiam ipſe Aquileiam perrexit, præcaturus pro eis, quibus facile venia impetrata eſt, quod Chriſtianiſſimus Imperator provolutus pedibus ſacerdotis teſtabatur meritis, & orationibus ejus ſervatum ſe eſſe. *Syneſius ea orat. qua agit cum Arcadio de ſervanda clementia erga ſupplices, ingerit paternum exemplum, illudq; magnifice de Theodoſio prædicat, quod victor hoſtium ipſe à miſericordia vinceretur, generoſitatemq; naturæ ad indulgentiam flecteret. Extat luculentum teſtimonium apud Claudianum.*

——Non inſultare jacenti
Malebat mitis precibus, pietatis abundans.
Pœnæ parcus erat, pari non intulit iram:
Poſt acies odiis idem, qui terminus armis.

η Non quievit juſtiſſimis & miſericordiſſimis legibus.] *Quas leges contra Hæreticos ediderit Theodoſius, vide Niceph. libro 12. c. 15. Theodoret. lib. 5. c. 8. 9. 10. Socrat. l. 5. c. 10. Sozom. l. 7. c. 12. Extat in jure civili lex* Omnes vetitæ *Cod. de* Hæreticis & Manich. l. cuncti hæretici *cum ll. ſeq. eod.*

θ Quam Valens Hæreticus favens Arrianis.] *Idem lib. 2. contra literas Petiliani c. 92.* Quærant quid Catholici in oriente perpeſſi ſint, quando Valens imperabat Arrianis. *Hic Valentiniani Imperatoris fuit frater, ab eo conſors Imperij, & Auguſtus nominatus, cui circiter triennium ſuperſtes fuit, Arrianorum defenſor ac vindex acerrimus, orthodoxorum vero perſecutor, ſed juſta vindicta à Gothis etiam Arrianis in tugurio vivus exuſtus cum imperaſſet annos 14.*

ι Cujus Eccleſiæ ſe membrum eſſe.] *Id certe reliqua nobilitatis ſtemmata longo antecedit intervallo, & longe melius eſt abjectum eſſe in Domo Dei, quam im-*

perio & opibus affluere in ſeculo. Ita Moſes ſprevit opes & regnum Ægyptiorum negans ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, ne vero Deo renunciaret. Certe qui minor eſt in regno cœlorum, & vel in ipſa Eccleſia militante, major eſt quovis etiam potentiſſimo Principe à Deo alieno. Gregor. Nazianz. de ſe & de Baſilio loquens orat. in eumdem: Cum alijs *(inquit)* alia quædam cognomenta ſint, vel à parentibus accepta, vel ex ſeipſis, h.e. ex proprijs vitæ ſtudijs inſtitutiſque comparata, nobis contra magna res erat, & illuſtre nomen Chriſtianos eſſe & nominari. *Et orat. in laudem fratris Cæſarij:* Sublimius *(inquit)* præſtantiusque eſt infimo ordine apud Deum collocari, quam apud terrenum Imperatorem honoris primas tenere. *Et de eodem:* In multis magniſque dignitatibus florebat, hoc tamen ad decus & gloriam præcipuum ducebat, ut & eſſet, & diceretur Chriſtianus, idque tanti æſtimabat, ut præ hoc uno reliqua omnia in unum congeſta ludi ac nugarum inſtar haberet. *Gregor. Turon. l.2. c.2. hiſt. Franc.* Prædives opibus, ac ſecundum ſeculi dignitatem nobilitate Senatoria florens, & quod his omnibus nobilius eſt, fide Catholica pollens. *Salvianus epiſt. 1.* Inter cæteras caſtimoniæ ſapientiæq; virtutes, eſt & fidei nobilitas, quæ omnibus ſemper ornatibus ornamento eſt; quia ſine hac nihil tam ornatum eſt, quod ornare poſſit. *Referunt Annales Franciæ D. Ludov. quaſi locantem ſciſcitatum eſſe à familiaribus, quonam loci exiſtimarent ipſi majorem honorem contigiſſe: alijs ubi coronatus fuerat; alijs ubi hoſtes fuderat, dicentibus; ille Poſſiacam villam nominavit, quod in ea baptiſmo tinctus fuerat.*

κ Simulachra Gentilium ubique evertenda præcepit.] *Niceph. l. 12. cap. 25.* Fideliſſimus Imperator fuerat adverſus Græcos errores conferens ſtudium omne, conſtitutiones tulit, quibus ſanxit, ut ſimulachrorum delubra, ubicumque locorum in imperio ſuo invenirentur, ex ipſis fundamentis everterentur. *Laudat ex hac parte S. Ambroſius Theodoſium orat. in fun. ejusdem:* Imitatus *(inquit,)* Theodoſius Jacob, qui ſupplantavit perfidiam tyrannorum, qui abſcondit ſimulachra gentium; omnes enim cultores Idolorum fides ejus abſcondit, omnes ceremonias obliteravit. *Socrates l.5. c.16.*

λ Quando in Theſſalonicenſium graviſſimum ſcelus.] *Niceph. l.12. cap. 40. Sozom. l.7. c.24. Theodor. l.5. cap.17. deſcribunt hiſtoriam, & quod fuerit ſcelus Theſſalonicenſium narrant, cui jam Epiſcopis intercedentibus promiſerat indulgentiam: Paulinus in vita S. Ambroſij, apud Theodoſium pro illis egiſſe, atq; etiam indulgentiam impetraſſe teſtatur.* Promiſerat Ambroſio Imperator ſe veniam daturum civibus ſupradictæ civitatis: ſed agentibus comitibus occulte cum Imperatore ignorante ſacerdote, uſque in horam tertiam gladio civitas eſt donata, atque plurimi interempti innocentes. *Non modo Ambroſium, ſed & alios Epiſcopos apud eum egiſſe de concedenda venia, colligi videtur hic ex Auguſtino, ſed magna præ cæteris apud eum erat authoritas Ambroſij.*

μ Vindicare compulſus eſt.] *Declarat Ruffinus l.2. c.18.* Ad Circenſes invitari populum, eique ex improviſo circumfundi milites, atque obtruncari paſſim, ut quiſque occurriſſet, gladio jubet, & vindictam dari, non crimini, ſed furori

Furori. *Sozom. l. 7. c. 24.* Civitas multis injuſtis cædibus adimpleta fuit: Siquidé & peregrini, qui modo vel adnavigaverant, vel de via advenerant, ex improviſo apprehendebantur, fiebantq; miſerabiles clades. *Septem hominum millia cæſa fuiſſe Theodoret. affirmat. l. 5. c. 17.* Et ad trium horarum ſpacium ſæviſſe gladium, Paulinus ait.

y Eccleſiaſtica coercitus diſciplina ſic egit pœnitentiam. *Niceph. l. 12. c. 41. Theodoret. l. 5. c. 17. & ig. Sozom. l. 7. c. 24. teſtantur, Ambroſium excommunicaſſe Theodoſium, eiq; prohibuiſſe ingreſſum Eccleſiæ, atq; Imperatorem injunctam ſibi pœnitentiam humiliter impleviſſe.*

CAP. XXVII.

Contra invidos invectio Auguſtini, qui ſcripſerunt contra editos jam libros.

PRoinde iam etiam illis reſpondendum eſſe video, qui manifeſtiſſimis documentis, quibus oſtenditur, quod ad iſta temporalia, quæ ſola ſtulti habere concupiſcunt, nihil deorum falſorum numeroſitas proſit, confutati atque convicti conantur aſſerere, non propter vitæ præſentis utilitatem, ſed propter eam, quæ poſt mortem futura eſt, eſſe colendos deos. Nam iſtis, qui propter amicitias mundi huius volunt vana colere, & non ſe permitti puerilibus ſenſibus conqueruntur, his quinque libris ſatis arbitror eſſe reſponſum. *a* Quorum tres priores cum edidiſſem, & in multorum manibus eſſe cœpiſſent, audivi quoſdam, neſcio quam adverſus eos reſponſionem ſcribendo præparare. Deinde ad me perlatum eſt, quod jam ſcripſerint, *a* ſed tempus quærant, quo ſine periculo poſſint edere. Quos admoneo, non optent, quod eis non expedit. *b* Facilè eſt enim cuiquam videri reſpondiſſe, qui tacere noluerit. Aut quid eſt loquacius vanitate? Quæ non idem poteſt quod veritas: quia ſi voluerit etiam, plus poteſt clamare quàm veritas. Sed conſiderent omnia diligenter: & ſi fortè ſine ſtudio partium judicantes talia eſſe perſpexerint, quæ potius exagitari, quàm convelli poſſint garrulitate impudentiſſima, & quaſi Satyrica vel mimica levitate, cohibeant ſuas nugas: & potius à prudentibus emendari, quàm laudari ab imprudentibus eligant. Nam ſi non ad libertatem vera dicendi, ſed ad licentiam maledicendi tempus expectant, abſit, ut eis eveniat quod ait Tullius de quodam, qui peccandi licentia fœlix appellabatur: *c* β O miſerum, cui peccare licebat. Unde quiſquis eſt, qui maledicendi licentia fœlicem ſe putat, multò erit fœlicior, ſi hoc illi omnino non liceat, cum poſſit depoſita inanitate jactantiæ etiam iſto tempore tanquam ſtudio conſulendi quicquid voluerit, contradicere: & quantum poſſit ab eis, quos conſulit amica diſputatione, hoc eſt honeſtè, graviter, liberè, quod oportet audire. *Vanitas veritate loquacior.*

a SEd tempus quærant, quo ſine periculo.] *Multi adverſus alios ſcribunt, qui occaſionem aliquam expectant edendi, cum ſua utilitate & inimici damno: qui cum ut lædant, ſolum ſcribant, magnopere ad bona doctaq; judicia tanquam publici omnium hoſtes execrabiles ſunt. Cui enim non ſit perfacilè lædere: aut quis* *L. Vives.*

eſt animus ille, qui ſibi eruditionem facultatesq; vel mentis vel corporis tributas putat in perniciem aliorum? Quod ſi prodeſſe aliis ſtudent, tunc demum proferant ſcripta ſua, cùm & alios plurimum juvare & adverſarios minimum lædere ſeſe arbitrentur poſſe. Edant dum vivit, dum viget ac valet, dum reſpondere ac ſe tutari poteſt. Plinius in præfatione Hiſtoriæ mundi ſcribit, Aſinium Pollionem paraſſe in Plancum orationes, quas poſt mortem eius eſſet editurus, ne reſpondere poſſet. Plancum ubi hoc reſciſſet, cum mortuis non niſi larvas luctari dixiſſe: quo dicto ita eſſe orationes illas repercuſſas, ut apud eruditos nihil impudentius haberetur.

b Facilè eſt enim cuiquàm videri reſpondiſſe.] *Imperitum vulgus, quod non ſpectatorem modò, ſed judicem quoq; cauſarum magnorum virorum ultro ſe facit, etiam ſpretum ac rejectum incognita cauſa illum victum pronunciat, qui tacet: illum reſpondiſſe, qui non tacuerit. Litem eſſe ambiguam & amplius pronunciat, ſi uterq; ex æquo multa dixerit: uter meliora, nec attendit, ac ne, ſi velit quidem, poteſt, cum non intelligat: cumq;, ut hic dicit Auguſtinus, loquacior ſit vanitas veritate, imperiti ſæpe, ac utinam non ſemper, pro vana loquacitate ferunt ſententiam.*

c O miſerum cui peccare.] *Cic. 5. Tuſcul. de Cinna loquens: Beatusne igitur, qui hos interfecit? Mihi contra non ſolum eò videtur miſer, quod ea fecit, ſed etiam quod ita ſe geſſit, ut ea facere ei liceret. Et ſi peccare nemini licet, ſed ſermonis errore labimur. Id enim licere dicimus, quod cuiq; conceditur.*

B.L.Coq. α Quorum tres cum edidiſſem.] *Opus hoc de civit. Dei plurium annorum ſpatio fuiſſe elucubratum patet ex libro ſecundo. Retract. c.43.* Quod opus *(inquit,)* per aliquot annos me tenuit, eoque alia multa intercurrebant, qui differre non oporteret. *Et primum quidem edidiſſe tres priores libros, poſtea duos ex epiſt. 102.* Nam tribus illis libris de civitate Dei *(ait)* contra dæmonicolas inimicos ejus, duos alios addidimus, quibus quinque libris ſatis diſputatum arbitror adverſus eos, qui propter præſentis vitæ fœlicitatem DEos calendos putant, eamque felicitatem à nobis impediri opinantes Chriſtiano nomini infeſti ſunt.

β O Miſerum cui peccare liceat.] *Ad eumdem modum author epiſt. 166.*

Quæ eſt peior mors animæ, quam libertas erroris?

DIVI

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI
AD MARCELLINUM
DE CIVITATE DEI
LIBER VI.
CAP. I.

De his, qui dicunt deos à ſe, non propter præſentem vitam coli, ſed propter æternam.

QUinque ſuperioribus libris ſatis mihi adverſus eos videor diſputaſſe, qui multos deos & falſos, quos eſſe inutilia ſimulachra, a vel immundos ſpiritus, & pernicioſa dæmonia, vel certè creaturas, non creatorem veritas Chriſtiana convincit, propter vitæ huius mortalis rerumque terrenarum utilitatem, eo ritu ac ſervitute β quæ Græcè latria dicitur, & uni vero Deo debetur, venerandos & colendos putant. Et nimiæ quidem ſtultitiæ vel pertinaciæ, nec iſtos quinque, nec ullos alios, quanticunque numeri libros ſatis eſſe poſſe, quis neſciat? Quando ea putatur gloria vanitatis, nullis cedere viribus veritatis, in perniciem utique eius, cui vitium tam immane dominatur. Nam & contra omnem curantis induſtriam, non malo medici, ſed ægroti inſanabilis morbus invictus eſt. Hi verò, qui ea, quæ legunt, vel ſine ulla, vel non cum magna ac nimia veteris erroris obſtinatione intellecta & conſiderata perpendunt, facilius nos iſto numero terminatorum quinq; voluminum, plus quàm quæſtionis ipſius neceſſitas poſtulabat, ſatis feciſſe, quàm minus diſſeruiſſe judicabunt. Totamque invidiam, quam Chriſtianæ religioni de huius vitæ cladibus, terrenarumque contritione ac mutatione rerum, imperiti facere conantur, non ſolùm diſſimulantibus, ſed contra ſuam conſcientiam faventibus etiam doctis, quos impietas veſana poſſedit, omnino eſſe inanem rectæ cogitationis atque rationis, plenamque leviſſimæ temeritatis & pernicioſiſſimæ animoſitatis, dubitare non poterunt. Nunc ergo quoniam deinceps, ut promiſſus ordo expetit, etiam hi refellendi & docendi ſunt, qui non propter iſtam vitam, ſed propter illam, quæ poſt mortem futura eſt, deos gentium, quos Chriſtiana religio deſtruit, colendos eſſe contendunt: placet à veridico oraculo ſancti Pſalmi ſumere exordium diſputationis meæ: a *Beatus cuius eſt dominus Deus ſpes ipſius, & non reſpexit in vanitates, & inſanias mendaces.* Veruntamen in omnibus γ vanitatibus inſaniiſque mendacibus, longè tolerabilius philoſophi audiendi ſunt, δ quibus diſplicuerunt iſtæ opiniones erroresque populorum: qui populi conſtituerunt ſimulachra numinibus, multaque de eis, quos deos immortales vocant, falſa atque indigna ſive finxerunt, ſive

Latria debetur Deo.

Pſal. 4.

Philoſophi

 ficta

ficta crediderunt:&credita eorũ cultui,ſacrorũq; ritib.miſcuerunt.Cũ his ergo hominib.*b*qui etſi nõ licere ſ prędicando,ſaltẽ utcunq; in diſputationib.muſſitando,talia ſeimprobare teſtatiſunt, nõ uſq; adeò inconvenienter quæſtio iſta tractatur: Utrum non unũ Deũ, qui fecit omnẽ ſpiritualẽ corporalemq; creaturam, propter vitam, quæ poſt mortem futura eſt, coli oporteat: ſed multos deos, *c* quos ab illo uno factos, & ſublimiter collocatos, quidam eorundem philoſophorum cæteris excellentiores nobilioresque ſenſerunt. Cæterum quis ferat dici atque contendi, deos illos, quorum in quarto libro quoſdam commemoravi, quibus rerum exiguarum ſingulis ſingula diſtribuuntur officia, vitam æternam cuiquam præſtare? An verò illi peritiſſimi & acutiſſimi viri, qui ſe pro magno beneficio conſcripta docuiſſe gloriantur: ut ſciretur, quare cuique deorum ſupplicandum eſſet, quid à quoquam eſſet petendum, ne abſurditate turpiſſima, qualis jlocaliter in Mimo fieri ſolet peteretur à Libero aqua, à Nymphis vinum, autores erunt cuipiã hominum Diis immortalib. ſupplicanti: ut cum à Nymphis petierit vinũ eiq; reſponderint: nos aquam habemus, hoc à Libero pete: poſſit rectè dicere: ſi vinũ non habetis, ſaltem date mihi vitam æternam? Quid hac abſurditate monſtruoſius? Nonne illæ cachinnantes, *d* ſolent enim eſſe ad riſum faciles, ſi non affectent fallere ut dæmones ſupplici reſpondebunt: O homo, putaſne in poteſtate nos habere vitam, quas audis non habere vel vitem: Impudentiſſimæ igitur ſtultitiæ eſt, vitam æternam à talibus diis petere vel ſperare, qui vitæ huius ærumnoſiſſimæ atque breviſſimæ, & ſi qua ad eam pertinent adminiculandam atque fulciendam, ita ſingulas particulas tueri aſſeruntur: ut ſi id quod ſub alterius tutela ac poteſtate eſt, petatur ab altero, tam ſit inconveniens & abſurdum, ut mimicæ ſcurririlitati videatur eſſe ſimilimum. Quod cum fit à ſcientibus mimis, dignè ridentur in theatro: cum verò à neſcientibus ſtultis, dignius irridentur in mundo. Cui ergo deo vel deæ, & propter quid ſupplicaretur, quantum ad illos deos attinet, quos inſtituerunt civitates: à doctis ſolerter inventum, memoriæque mandatum eſt: quid à Libero, verbi gratia, quid à Nymphis, quid à Vulcano, aeſic à cæteris, quos partim commemoravi in quarto libro, partim prętereundos putavi. Porrò ſi à Cerere vinum, à Libero panem, à Vulcano aquam, à Nymphis ignem petere erroris eſt: quantò majoris deliramenti eſſe intelligi debet, ſi cuiquam iſtorum pro vita ſupplicetur æterna? Quamobrem ſi cum de regno terreno quæreremus, quoſnam illud deos vel deas hominibus credendum eſſet poſſe conferre: diſcuſsis omnibus, longè alienum à veritate monſtratum eſt, à quoquam iſtorum multorum numinum atque falſorum ſaltem regna terrena exiſtimare conſtitui: nonne inſaniſsimæ impietatis eſt, ſi æterna vita, quæ terrenis omnibus regnis ſine ulla dubitatione vel comparatione præferenda eſt, ab iſtorum quoquam dari cuiquam poſſe credatur? Neq; enim propterea dii tales vel terrenum regnum dare non poſſe viſi ſunt: quia illi magni & excelſi ſunt, hoc quiddam parvum & abjectum, quod non dignarentur in tanta ſublimitate curare. Sed quantalibet conſideratione fragili-

Vita æt. à Diis fruſtra petitur

tatis

tatis humanæ caducos apices terreni regni meritò quiſque contemnat: illi dij tales apparuerunt, ut indigniſsimi viderentur, quibus danda atque ſervanda deberent vel iſta committi. Ac per hoc, ſicut ſuperiora proximis duobus libris pertractata docuerunt, nullus Deus ex illa turba, vel quaſi plebejorum, vel quaſi procerum deorum, idoneus eſt regna mortalia mortalibus dare, quanto minus poteſt, immortales ex mortalibus facere? His accedit, quia ſi jam cum illis agimus, qui non propter iſtam, ſed propter vitam, quæ poſt mortem futura eſt, exiſtimant colendos deos: jam nec propter illa ſaltem quæ deorum talium poteſtati tanquam diſpartita & propria, non ratione veritatis, ſed vanitatis opinione tribuuntur, ommino colendi ſunt: ſicut credunt hi, qui cultum eorum vitæ huius mortalis utilitatibus neceſſarium eſſe contendunt: contra quos jam quinque præcedentibus voluminibus ſatis, quantum potui, diſputavi. Quæ cum ita ſint, ſi eorum qui colunt deam Juventatem, ætas ipſa floreret inſignius: contemptores autem eius, vel intra annos occumberent juventutis, vel in ea tanquam ſenili * corpore frigeſcerent: ſi malas cultorum ſuorum ſpecioſius & feſtivius Fortuna barbata veſtiret: à quibus autem ſperneretur, glabros aut malè barbatos videremus: etiam ſic rectiſſimè diceremus, hucuſque iſtas deas ſingulas poſſe ſuis officiis quodammodo limitari, ac per hoc, nec à Juventate oportere peti vitam æternam, quæ non daret barbam: nec à Fortuna barbata boni aliquid poſt hanc vitam eſſe ſperandum, cuius in hac vita poteſtas nulla eſſet, ut eandem ſaltem ætatem, quæ barba induitur, ipſa præſtaret. Nunc verò cum earum cultus, nec propter iſta ipſa quæ putant eis ſubdita ſit neceſſarius: qui & multi colentes Juventatem deam, minimè in illa ætate viguerunt, & multi non eam colentes, gaudent robore juventutis: itemque multi Fortunæ barbatæ ſupplices, ad nullam, vel deformem barbam pervenire potuerunt: & ſi qui eam pro barba impetranda venerantur, à barbatis eius contemptoribus irridentur. Itane deſipit cor humanum, ut quorum deorum cultum propter iſta temporalia, & cito prætereuntia munera, quibus ſingulis ſinguli præeſſe perhibentur, inanem ludibrioſumque eſſe cognoſcit, propter vitam æternam credat eſſe fructuoſum? Hanc dare illos poſſe, nec hi dicere auſi ſunt, qui eis, ut ab inſipientibus populis colerentur, iſta opera temporalia, quoniam nimis multos putaverunt, ne quiſquam eorum ſederet otioſus, minutatim diviſa tribuerunt.

(Margin notes: *al. torpue-re.* · *L. Vives*)

BEcatus eſt dominus Deus.] *Septuaginta verterunt: Beatus cujus eſt nomen domini ſpes ejus. τὸ ὄνομα κυρίου ἐλπὶς αὐτοῦ. In Hebraica veritate ſic habetur, ut citat Auguſtinus, nec multum refert, utrolibet legatur modo.*

b Qui & ſi non liberè prædicando.] *Timebant enim publica iudicia, ut Athenis Areopagum: quemadmodum Cicero dicit de Epicuro.*

c Quos ab illo uno factos.) *Sic ſenſit Plato in Timæo.*

d Solent enim eſſe ad riſum faciles.) *Alluſit ad Vergilij dictum in Palæmone:*

Et quo, ſed faciles Nymphæ riſere, ſacello.

Tametſi

Tai netſi non dixit faciles Vergilius, quòd riderent facilè, ſed quòd eſſent facilè exorabiles & placabiles: ſicut in quarto, Georgicorum:

Faciles venerare Napeas.

Et faciles etiam homines dicuntur eadem mente.

F.L.Coq. α VEl immundi ſpiritus & pernicioſa dæmonia.) *Ita vocantur à Clemente Alex. in* προτρεπτικῷ βδελυρὰ ὄντως καὶ πνεύματα ἀκάθαρτα.

β Ac ſervitute, quæ Græce latria dicitur, & uni Deo debetur.) *Quod idem docet infra l.10. c.1. & l.5. locut. in Deut. & q.61. in Geneſim, & l.1. de Trinit. c.6. propterea D. Paulus Rom. 1. Gentiles, quod hanc ſervitutem exhibuerint creaturis,* ἐλάτρευσαν *(inquit)* τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *ratione ſupremæ excellentiæ, & ſupremi dominij illi debetur.*

γ In omnibus vanitatibus, inſanijsque mendacibus.) *Deos gentium ſeu idola vanitatum nomine hic interpretatur. Epiſt. 131. eadem locutione utitur, ubi vanitates & inſanias mendaces, fabulas quib. plena ſunt Poëtarum carmina, oratorum inflata & expolita mendacia, ipſorum philoſophorum argutias garrulas, appellat.*

δ Quibus diſplicuerint iſtæ opiniones erroresque populorum.) *Nam Philoſophi ſolo lumine naturæ ducti facile intellexerunt, errore populorum factum eſſe, ut tot Dij inducerentur: Joſephus l.2. contra Appionem.* Quis eorum, qui apud Græcos ſapientia ſunt mirabiles, non redarguit nobiliſſimos Poetas, & præcipue legislatores, quoniam hujuſmodi ſectas de Dijs ab initio populis inſeruere?

ε Qui etſi non libere prædicando.) *Timebant enim publica judicia: Joſephus l. 11. contra Appionem.* Pythagoras & Anaxagoras, & Plato, & poſt illos philoſophi Stoici, & pene cuncti de divina videntur ſapuiſſe natura; ſed hi quidem ad breve philoſophantes populo ſuperſtitionum opinionibus jam præoccupato veritatem dogmatis proferre non auſi ſunt. Ipſe quidem Plato confeſſus eſt, quia veram de Deo opinionem propter ignorantiam plebis proferre ſecurum non eſt. *Et Iuſtinus ſcribit in exhortat. ad gentes, Platonem doctrinam Moſis cæterorumq; prophetarum de uno ſolo Deo agnoviſſe, quam in Ægypto didicerat; tamen propter Socratis caſum veritum, ne contra ſe quoq; aliquis Anytus aut Melitus exoriretur, qui populo Athenienſi occlamaret:* Plato curioſitate ſua violat, quos civitas colit deos, eſſe non exiſtimat; *Et Theodoretus l.3.* θεραπευτ. *docet Platonem Athenienſis populi metu adductum populari errore implicitum manſiſſe, & l.2. ſcripſerat, priſcos illos philoſophos meticuloſe ac paventer veritatis dogmata protuliſſe; vulgi enim reſpectantes errorem, non manifeſta quidem aſſertione, ſed obſcurioribus verbis veritatem prodebant. Clemens Alexandrinus in* προτρεπτικῷ: Xenophon Athenienſis *(inquit)* ipſe quoque aperte de veritate ſcribit teſtimonium dicturus de veritate, niſi ipſe quoque timuiſſet pharmacum.

ζ Quæ ab illo uno factos.) *Plato in Timæo vocat ſupremum Deum,* δημιουργὸν θεῶν, opificem eorum.

Immor-

a Immortales ex mortalibus facere.] *Quos fabuloſe finxerit antiquitas ex mortalibus immortales factos, vide Hyginum de fabulis c.224. Lactantium l.3.c.27.* Eſt Deus, qui ſolus poteſt honorare virtutem, cujus merces immortalitas ſola eſt; *qua vero ratione ſuos ex mortalib. immortales faciat Deus, incognitum fuit ipſis gentibus.*

ι Nec à fortuna barbata.] *Fortuna barbata ſupra etiam meminit l. 4. c.11.*

CAP. II.

Quid Varronem de diis gentium ſenſiſſe credendum ſit, quorum talia & genera detexit & ſacra, ut reverentius cum eis ageret, ſi de illis omnino reticeret.

QUis Marco Varrone curioſius iſta quæſivit? Quis invenit doctius? Quis conſideravit attentius? Quis diſtinxit acutius? Quis diligentius, pleniúsque conſcripſit? Qui tametſi minùs eſt ſuavis eloquio, doctrina tamen atque ſententiis ita refertus eſt, ut *a* in omni eruditione, quam nos ſecularem, illi autem liberalem vocant, ſtudioſum rerum tantum iſte doceat, quantum ſtudioſum verborum Cicero delectat. *a* Denique & ipſe Tullius huic tale teſtimonium perhibet, ut in libris Academicis dicat eam, quæ ibi verſatur, diſputationem ſe habuiſſe cum Marco Varrone: homine, inquit omnium facilè acutiſſimo, *b* & ſine ulla dubitatione doctiſſimo. *c* Non ait eloquentiſſimo, vel facundiſſimo: quoniam re vera in hac facultate multum impar eſt, ſed omnium, inquit, facile acutiſſimo. Et in eis libris, id eſt, Academicis, ubi cuncta dubitanda eſſe contendit, addidit: ſine ulla dubitatione doctiſſimo. Profectò, de hac re ſic erat certus, ut auferret dubitationem, quam ſolet in omnibus adhibere, tanquam de hoc uno etiam pro Academicorum dubitatione diſputaturus, ſe Academicum fuiſſet oblitus. In primo autem libro cum eiusdem Varronis literaria opera prædicaret: *d* Nos, inquit, in noſtra urbe peregrinantes errantesque tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum reduxerunt, ut poſſemus aliquando qui & ubi eſſemus, agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu publicam diſciplinam, tu ſedium, regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti. Iſte igitur vir tam inſignis excellentisque peritiæ, *e* & quod de illo etiam Terentianus elegantiſſimo verſiculo breviter ait: *ß* Vir doctiſſimus undecunque Varro: qui tam multa legit, ut aliquid ei ſcribere vacaſſe miremur: *f* tam multa ſcripſit, quàm multa vix quenquam legere potuiſſe credamus. Iſte, inquam, vir tantus ingenio, tantusque doctrina, ſi rerum velut divinarum, de quibus ſcripſit, oppugnator eſſet atque deſtructor: easque non ad religionem, ſed ad ſuperſtitionem diceret pertinere, neſcio utrum tam multa in eis ridenda, contemnenda, deteſtandaque conſcriberet. Cum verò deos eosdem ita coluerit, colendosque cenſuerit, ut in eo ipſo opere literarum ſuarum dicat ſe timere ne pereant; non incurſu hoſtili, ſed civium negligen-

tia: de qua illos velut ruina liberari à ſe dicit, & in memoria bonorum per huiuſmodi libros recondi atque ſervari utiliore cura, quàm Metellus de incendio ſacra Veſtalia, & Æneas de Trojano excidio Penates liberaſſe prædicatur. Et tamen ea legenda ſeculis prodit, quæ à ſuperioribus & inſipientibus merito abjicienda, & veritati religionis inimiciſſima judicentur: quid exiſtimare debemus, niſi hominem acerrimum ac peritiſſimum, non tamen ſancto ſpiritu liberum, oppreſſum fuiſſe ſuæ civitatis conſuetudine ac legibus: & tamen ea, quibus movebatur ſub ſpecie commendandæ religionis, tacere noluiſſe?

Varro ſervus conſuetudinum legumq; civitatis

L. Vives.

a DEnique & ipſe Tullius.] *Conſilium de his, quos eſſet in Dialogos Academicos incluſurus Cicero, qui vult copioſè cognoſcere, habeat libros Epiſtolarum ad Atticum 13. epiſtola prima, quæ eſt primum potius volumen, quam epiſtola Cicer. lib. De divinat. ſecundo ſcribit, ſe quatuor volumina de quaſt. Acad. edidiſſe. Et quanquam ad Atticum ſuum ſcribens quatuor illa volumina ad duo contraxiſſe ſcribat, conſtat tamen multa deeſſe: & ex duobus libris quos modò habemus, poſterior tanquam quartus ſubinde à Nonio Marcello citatur. locus qui ab Auguſtino adducitur non extat in his libris quos legimus.*

Varro.

b Et ſine ulla dubitatione doctiſs.] *Varronem etiam viventem, cum multum valet invidia, doctiß. omnium togatorum appellarunt: viventiq́ue, quod nemini antea, ſtatua poſita eſt in bibliotheca, quæ prima eſt in publicata ab Aſinio Pollione Romæ.*

c Non ait eloquentiſs.] *Cultum verborum vel non curaſſe, vel aſſequi nequiiſſe, certè non præſtitiſſe Varronem ex reſiduis eius libris liquet.*

d Nos, inquit, in noſtra urbe.] *Verba ſunt Ciceronis ex primo lib. qui adhuc extat. Simile teſtimonium eſt de eo 2. Antoniana.*

Terentianus.

e Et de illo etiam Terentianus.] *Hic fuit Carthaginienſis, vixitq́ue temporibus Diocletiani: ſcripſit opus carmine, quod adhuc extat, de literis, ſyllabis, & metris: cuius autoritate Servius & Priſcianus ſæpe utuntur. Hic verſiculus, quem Auguſtinus citat, eſt in capite de Phaleucis verſibus.*

f Qui tam multa ſcripſit.] *Gellius lib. 3. ex ipſius Varronis primo Hebdomadum libro refert, Varronem anno octogeſimo quarto ſcripſiſſe quadringentos nonaginta libros, è quibus aliquot cum proſcriptus eſſet, direptis bibliothecis ſuis non comparuiſſe.*

T. L. Coq.

a IN omni eruditione quam nos ſecularem, illi liberalem vocant.] *Sic vocat etiam Tertullianus l. de ſpectac. c. 18.* doctrinam ſæcularis literaturæ, *& l. de præſcr. c. 7.* Sapientiam ſæcularem, *& D. Paulus 1. Cor. 3. vocat* ſapientiam hujus ſæculi. *Ipſe D. Auguſt. epiſt. 131. literas ſacras vere liberales eſſe docet, externas verò diſciplinas nihil habere congruum libertati, niſi quod habent congruum veritati. Et ſi vero ſi conferantur cum ſacris literis, quæ veram gratiæ libertatem docent, illiberales videantur, nec tamen vere libero homine ac Chriſtiano indignas eſſe conſtat ex eodem D. Auguſtino lib. 2. c. 1. ex D. Baſilio oratione de utilitate capienda ex libris gentilium, ex D. Hieronymo ep. ad Magnum oratorem, & ex Gregorio Nazianze-*

zianzeno, qui in Julianum invehitur, quod Chriſtianos Græcorum literis interdixiſſet: nec jam à nobis ea verborum differentia obſervatur, ut ſecularem, non liberalem eruditionem externas illas diſciplinas appellemus. τὴν ἔξω σοφίαν καὶ τοὺς ἔξωθεν λόγους, καὶ τὴν ἔξωθεν παιδείαν. *ſtudia externa & profana dicunt Baſil. Gregor. Damaſcenus & alij,* καὶ τοὺς ἔξωθεν σοφοὺς, *philoſophos Gentilium; ita Hebræi* חכמות חיצוניות, *id eſt, externas diſciplinas appellant.*

β Vir doctiſſimus undecumque Varro.] *Sidon. ep. 6. l. 2.* Similis doctrinæ viri hinc Auguſtinus, hinc Varro. *Lactantius l. 1. c. 6.* M. Varro, quo nemo unquam doctior nec apud Græcos quidem vixit. *Eundem Quintilianus l. 10. cap. 1. Romanorum eruditiſſimum appellat.*

γ Tam multa ſcripſit.] *De Varronis ſcriptis præter M. Tullium 1. Academic. q. & D. Auguſtinum hoc loco, D. Hieronymus in q. Hebraic. in Geneſin. Iſid. l. 6. Originum c. 5. Claudianus Mamertus l. 2. de ſtatu animæ c. 9. Quintilianus loco citato,* plurimos *(inquit)* hic libros & doctiſſimos compoſuit peritiſſimus linguæ Latinæ & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum, noſtrarumque, plus tamen ſcientiæ collaturus, quàm eloquentiæ.

δ Non ad religionem, ſed ad ſuperſtitionem diceret pertinere.] *Quomodo differat religio à ſuperſtitione, legi poteſt Lactantius l. 4. c. 18. ſuperſtitionem dixit Agellius l. 10. Noct. Attic.* importunam & ineptam religionem, *& Cic. l. 2. de nat. deor. ex ſententià majorum ſuperſtitionem à religione diſcernit: nam qui totos dies precabantur & immolabant, ut ſui liberi ſibi eſſent* ſuperſtites, ſuperſtitioſi *ſunt appellati, quod nomen poſtea latius patuit: qui autem omnia, quæ ad cultum Dei pertinerent, diligenter pertractarent & tanquam relegerent, ſunt dicti* religioſi à relegendo. *Eſt enim religio, ſi debito modo Deus colatur, ubi autem vel falſus Deus colitur, vel non debito modo verus Deus honoratur, ſuperſtitio eſt. Unde Judæi & multi ex infidelibus & hæreticis, etſi verum Deum colere ſe profiteantur, quia tamen vel falſis ſignis ad Deum colendum utuntur, ut nunc Judæi, vel vanis ceremonijs & ab hominibus pro arbitrio inſtitutis, ac nihil ad ſalutem animæ ſpectantibus, ſuperſtitioſi ſunt, non religioſi.*

ε Neſcio utrum tam multa in eis ridenda.] *Vide quantum cæcutiat in rebus divinis, & quo ruat mens humana ſine Deo & vera fide, & non niſi à Deo edocti de rebus divinis bene ſenſerunt aut ſcripſerunt: qui vero proprio ingenio niſi ſunt, in tenebris ambulantes in ſtultiſſimos errores lapſi ſunt. (Ita Catholici, qui vera & certa regula nituntur: & ſenſum ſuum Eccleſiæ per omnia ſubjiciunt,* quæ regitur à Sp. ſancto, ac columna eſt, & firmamentum veritatis, *circa divina myſteria nullo errore verſantur. Hæretici Varroni non ſunt abſimiles, qui cum velint ſapere, non ad ſobrietatem, & proprio ſenſu nitantur, in ridiculos ac deteſtandos errores labuntur.)*

Cap. III.

Quæ ſit partitio Varronis librorum ſuorum, quos de antiquitatibus rerum humanarum divinarumq́ compoſuit.

QUadraginta α & unum libros ſcripſit Antiquitatum: hos in res humanas divinasque diviſit, rebus humanis viginti quinque, divinis ſedecim tribuit: iſtam ſecutus in ea partitione rationem, ut rerum humanarum libros ſenos, *a* quatuor daret partibus. Intendit enim, qui agant, ubi agant, quando agant, quid agant. In ſex itaque primis de hominibus ſcripſit, in ſecundis ſex de locis, ſex tertios de temporibus, ſex quartos eoſdemque poſtremos de rebus abſolvit. Quater autem ſeni, viginti & quatuor fiunt. Sed unum ſingularem, qui communiter prius de omnibus loqueretur, in capite poſuit. β In divinis *b* * identidem rebus, eadem ab illo diviſionis forma ſervata eſt, quantum attinet ad ea, quæ diis exhibenda ſunt. Exhibentur enim ab hominibus in locis & temporibus ſacra. Hæc quatuor, quæ dixi, libris complexus eſt ternis: nam tres priores de hominibꝰ ſcripſit, ſequentes de locis, tertios de temporibꝰ, quartos de ſacris, etiã hic qui exhibeant, ubi exhibeant quãdo exhibeant, quid exhibeant, ſubtiliſſima diſtinctione cõmendans. Sed quia oportebat dicere, & maximè id expectabatur, quibus exhibeant, de ipſis quoque diis tres conſcripſit extremos, ut quinquies terni quindecim fierent. Sunt autem omnes, ut diximus, ſedecim, quia & iſtorum exordio unum ſingularem, qui prius de omnibus loqueretur, appoſuit: quo abſoluto, conſequenter ex illa quinquepartita diſtributione, tres præcedentes, qui ad homines pertinent, ita ſubdiviſit, ut primus ſit de pontificibus, ſecundus *c* de auguribus, tertius *d* γ de quindecimviris ſacrorum. Secundos tres ad loca pertinentes: ita, ut in uno eorum de ſacellis, altero de ſacris ædibus diceret, tertio de locis religioſis. Tres porrò qui iſtos ſeqvuntur, ad tempora pertinent, id eſt ad dies feſtos: ita ut unum faceret de feriis, alterum de ludis Circenſibus, de ſcenicis tertium. Quartorum trium, ad ſacra pertinentium, uni dedit conſecrationes, alteri ſacra privata, ultimo publica. Hanc velut pompam obſequiorum in tribus, qui reſtant, dii ipſi ſequuntur extremi, quibus iſte univerſꝰ cultus impenſus eſt. In primo dii certi, in ſecundo incerti, in tertio cuncti, noviſſimo dii præcipui, atque ſelecti. In hac tota ſerie pulcherrimæ ac ſubtiliſſimæ diſtributionis, & diſtinctionis vitam æternam fruſtra quæri & ſperari, impudentiſſimè vel optari, ex his quæ jam diximus, & quæ deinceps dicenda ſunt, cuivis hominum, qui corde obſtinato ſibi non fuerit inimicus, facillimè apparet. Vel hominum enim ſunt iſta inſtituta, vel dæmonum, non quales vocant illi dæmones bonos: ſed, ut loquar apertius, δ immundorum ſpirituum, & ſine controverſia malignorum, qui noxias opiniones, quibus anima humana magis magiſque vaneſcat, & incommutabili æternæque veritati coaptari atque inhærere non poſſit, invidentia mirabili & occultè inſerunt cogitationibus impiorum: & apertè aliquandò ingerunt ſenſibus: & qua poſſunt, fallaci atteſtatione confirmant. Iſte ipſe Varro, propterea ſe prius de rebus humanis, de divinis autem poſtea ſcripſiſſe teſtatur, ε quòd prius extiterint civitates, deinde ab eis hæc inſtituta ſint, ζ Vera autem religio non à terrena aliqua civitate inſtituta eſt: ſed planè cœleſtem ipſa inſtituit civitatem. Eam verò inſpirat & docet verus Deus, dator vitæ æternæ, veris cultorib. ſuis. Quatu-

a. itidem.

a QUatuor daret partibus.] *Hoc eſt in quatuor ſecaret partes, ne quis de partibus aliquarum rerum putet.* L.Pyro

b Identidem rebus.] *Sic etiam in antiquis, ſed erratum puto ignoratione librarij. Eſt enim identidem, crebro idem. Legendum autem itidem, quaſi ſimiliter, pari modo.*

c De auguribus.] *Augurum diſciplina antiquiſſima eſt, ex Aſia in Græciam, hinc in Etruriam allata, & ad Aborigenes Latij, inde Romam. Romulus augur fuit, & tres augures inſtituit, ut Dionyſius perhibet. Idem Livius, qui unicuiq; tribuum ſuum augurem datum ſcribit. Additus eſt quartus procedente tempore. Poſt quinq; adjecti, ut eſſent novem. Idem de pontificibus factum M. Valerio, Q. Apuleio Coſſ.*

d De quindecimviris.] *Quum libros Sibyllinos emiſſet Tarquinius Superbus rex, duos viros illis inſpiciendis præfecit, qui ſoli eos adirent, cum eſſet opus, dictiq; duumviri ſacrorum. Poſt auctus numerus facti decemviri ſacrorum lege Sextia Licinia in contentione ordinum accepta, duobus annis antequam conſulatus communicaretur plebi, multò deinde poſt additi quinq;, qui numerus poſtea manſit.*

α QUadraginta & unum libros ſcripſit antiquitatum.] *D. Hieron. in proœmio l.2. comm. in epiſt. ad Galatas M. Varronem cunctarum antiquitatum diligentiſſimum perſcrutatorem appellat.* F L.C.4

β In divinis identidem rebus.] *Volumen rerum divinarum C. Cæſari dicavit, in qua Theologiam civitatis Romanæ 60. libris explicavit.*

γ Xv-viris Sacrorum.] *Duum-viri Sacrorum à Tarquinio Superbo inſtituti fuerunt, ut ſcribit Dionyſius l. 4. qui ſacris libris legendis carminibusq; Sybillæ, fatisq; pop. Romani interpretandis præerant: cum plebs deinde ex ſuis creari inſtaret, ex plebeijs & patritijs creati ſunt decem, & inde quindecim, qui libros inſpicerent: ſic à duum-viris ad x-viros & xv-viros res devenit, & aliquando eis data cura fuit corrigendorum faſtorum. Pomponius Lætus, & Feneſtella de ſacerdotijs Romanorum c.13. Agellius l.1. c.10. de libris Sybillinis à Tarquinio emptis locutus*; ad eos (*inquit*) quaſi ad oraculum xv-viri adeunt, cum dij immortales publice conſulendi ſunt.

δ Sed ut loquar apertius, immundorum ſpirituum.] *Alios enim dæmones bonos, alios malos antiquitas appellabat, ut auctor eſt Lactantius l.2. c. 15. Euſebius l.4. c.6. & infra D. Auguſtinus l.9. c.2. tamen in ſcriptura ſacra dæmones & dæmonia ſpiritus immundi & noxij ſemper intelliguntur.*

ε Quod prius extiterint civitates, deinde ab eis hæc inſtituta ſunt.] *Ad civitatis enim conſtitutionem & regimen imprimis neceſſaria eſt religio. Plato ipſe l. 4. de repub. fundamentum Reip. religionem eſſe dicit. Ariſtoteles l. 7. πολιτικῶν c.8. ad conſtituendam civitatem rerum divinarum ac ceremoniarum curationem, quam ſacerdotium appellant, neceſſariam eſſe ſcribit. Plutar. contra Colotem.* Si terras, *inquit*, obeas, invenire poſſis urbes muris, literis, Regibus, domibus, opibus, numiſmate carentes, gymnaſiorum & Theatrorum neſcias: urbem templis, dijsque carentem, quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur,

 non

non bonorum cauſa ſacrificet, non mala ſacris avertere conetur, nemo unquam vidit. Sed facilius urbem condi ſine ſole poſſe puto, quam opinione de dijs penitus ſublata civitatem coire, aut conſtare. *Nec igitur potuerunt exiſtere civitates, quæ ſacra aliqua non inſtituerent.*

ζ Vera autem religio non à terrena aliqua civitate inſtituta eſt.] *Licet enim religio ſit innata homini, & dictet naturalis ratio colendum eſſe Deum, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 81. art. 2, ad 3. & oblatio item ſacrificij, ut idem tradit q. 81. art. 1. ſit de lege naturæ, quo tamen ritu; & quibus ceremonijs determinate Deus colatur, eſt ex inſtitutione divina. Et ut ſacrificia ac ſacramenta veteris legis à Deo erant ordinata, ita in nova lege ſacrificium & ſacramenta ſunt inſtituta; quibus à nobis coli velit; ut religio Chriſtiana ſupernaturalis ſit, ac divina inſtitutio, non humanum inventum, ut quemadmodum Ioſephus l. 2. contra Appinionem contendit, leges Moſis à Deo manaſſe, reliquarum vero gentium humanum fuiſſe inventum, ita ſacram religionem unam eſſe à Chriſto inſtitutam; quæ Deus in Eccleſia legitime colitur, cæteras, quæ ab hominibus ſunt inducta, ſuperſtitiones eſſe, & quidem humanum inventum exiſtimandum ſit.*

Cap. IV.

Quod ex diſputatione Varronis apud cultores deorum antiquiores res humanæ quàm divinæ reperiantur.

Varronis igitur confitentis ideo ſe prius de rebus humanis ſcripſiſſe, poſtea de divinis: quia divinæ iſtæ ab hominibus inſtitutæ ſunt, hæc ratio eſt: Sicut prior eſt, inquit, pictor, quàm tabula picta: prior faber, quam ædificium: ita priores ſunt civitates, quàm ea, quæ à civitatibus ſunt inſtituta. Dicit autem, ſe prius ſcripturum fuiſſe de diis, poſtea de hominibus, ſi de omni natura deorum ſcriberet; quaſi hic de aliqua ſcribat, & non de omni: a aut verò etiam aliqua, licet non omnis deorum natura, non prior debeat eſſe, quàm hominum? Quid quod in illis tribus noviſſimis libris, deos certos, & incertos, & ſelectos diligenter explicans, nullam deorum naturam prætermittere videtur? Quid eſt ergo, quod ait, ſi de omni natura deorum & hominum ſcriberemus, prius divina abſolviſſemus, quàm humana attigiſſemus? Aut enim de omni natura deorum ſcribit, aut de aliqua, aut omnino de nulla. Si de omni: præponenda eſt utique rebus humanis. Si de aliqua: cur non etiam ipſa res præcedat humanas? An indigna eſt præferri etiam univerſæ naturæ hominum pars aliqua deorum? Quod ſi multum eſt, ut aliqua pars divina præponatur univerſis rebus humanis, ſaltem digna eſt vel Romanis. Rerum quippe humanarum libros, non quantum ad orbem terrararum, ſed quantum ad ſolam Romam pertinet, ſcripſit. Quos tamen rerum divinarum libris ſe dixit ſcribendi ordine merito prætuliſſe: ſicut pictorem tabulæ pictæ: ſicut fabrum ædificio, apertiſſimè confitens, quod etiam iſtæ res divinæ, ſicut pictura, ſicut ſtructura, ab hominibus inſtitutæ ſint. Reſtat ut de nulla deorum natura ſcripſiſſe intelligatur: neque hoc apertè dicere voluiſſe, ſed intelligentibus

tibus reliquiſſe. *b* Ubi enim dicitur, non omnis, uſitatè quidem intelligitur aliqua. Sed poteſt intelligi & nulla: quoniam quæ nulla eſt, nec omnis, nec aliqua eſt: *c* Nam ut ipſe dicit: ſi omnis eſſet natura deorum de qua ſcriberet, ſcribendi ordine rebus humanis præponenda eſſet. Ut autem & ipſo tacente veritas clamat, præponenda eſſet certè rebus Romanis, etiamſi non omnis, ſed ſaltem aliqua eſſet. Rectè autem poſtponitur, ergo nulla eſt. Non itaque rebus divinis anteferre voluit res humanas, *a* ſed rebus veris noluit anteferrre res falſas. In his enim quæ ſcripſi: de rebus humanis, ſecutus eſt hiſtoriam rerum geſtarum: quæ autem de his, quas divinas vocat, quid niſi opiniones rerum vanarum? Hoc eſt nimirum, quod voluit ſubtili ſignificatione monſtrare: non ſolùm ſcribens de his poſterius, quàm de illis, ſed etiam rationem reddens, cur id fecerit. Quam ſi tacuiſſet, aliter hoc factum eius ab aliis fortaſſe defenderetur. In ea verò ipſa ratione quam reddidit, nec aliis quicquam reliquit pro arbitrio ſuſpicari, & ſatis probavit, homines ſe præpoſuiſſe inſtitutis hominum, non naturam hominum naturæ deorum. Ita ſe libros rerum divinarum non de veritate, quæ pertinet ad naturam, ſed de falſitate, quæ pertinet ad errorem, ſcripſiſſe confeſſus eſt. Quod apertius alibi poſuit, ſicuti in quarto lib. cõmemoravi, ex naturæ formula ſe ſcripturum fuiſſe, ſi novam ipſe conderet civitatem: quia verò jam veterem invenerat, non ſe potuiſſe niſi eius conſuetudinem ſequi.

a A Ut verò etiam aliqua.] *Nulla eſt natura deorum, tametſi non omnis ea ſit, ſed exigua aliqua pars, quæ non toti humano generi præſtet.* L. Vives.

(*b* Ubi enim dicitur non omnis.] *Mirum eſt hoc loco nihil attuliſſe commentatores noſtros de æquipollentiis dialecticorum: nullas maximas, nullas dignitates ex Petro Hiſpano ſodale ſuo: nihil mobilitatum, nihil immobilitatum. Aug: hic ex præceptis dialecticorum eſt locutus, quibus Non omnis homo diſputat, & Aliquis homo non diſputat in contrarium recurrunt, non omne verò nihil affirmat: ſed ſive aliquid ſit, modo aliquid non ſit, ſive nihil, non omne verum efficitur. Nam ſi nullus homo eſt, & non omnem eſſe neceſſe eſt, quippe aliquis non eſt, cùm falſum ſit omnem eſſe, ex rationibus contrariarum contradicentiumq́; iſta naſcuntur. Si enim verum eſt nullum hominem eſſe, & falſum eſt aliquem non eſſe, verum profectò erit omnem eſſe, quod eſt alicujus non repugnans: ita nullus & omnis ſimul in veritate congruerent, quod fieri nequit. Hæc inquirendi de vero & falſo præcepta Ariſtoteles, & eum ſecuti Græci dialectici docuerunt, ex iis quoq́; qui latini nominari poſſunt, Apulejus περὶ ἑρμηνείας. Martianus Capella & Boetius Severinus.*

c Nam ut ipſe dicit, ſi omnis eſſet.] *Auguſtinus ſublato connexo, aufert & id cui eſt connexum: noſtri dicunt rejecta concluſione conditionalis, rejici quod præcedit: ſic ſi aliqua eſſet natura deorum, de qua ſcribit, ea præponenda eſſet rebus humanis: at non eſt præponenda ea natura, de qua ſcribit rebus humanis: non eſt ergo illa natura ulla divina. Si enim aliter fieret, conſecutio eſſet mala; cùm fieri poſſet, ut quod antecedit eſſet verum, falſum verò quod ſequitur. Repugnans enim conſequentis enunciati verum eſſet cum antecedente. Hæc quamodo dixi dialectica eſſent,*

ſent, ſi verbis dialecticis ſcriberentur, hoc eſt ſcholaſticis, fætoris & ſqualoris plenis: ſed quia grammaticis, h.e. paulo Latinioribus, etiamſi non exactè Latinis, grammatica ſunt, non dialectica.)

Ed.c.4. α SEd rebus veris noluit anteferre res falſas.] *Senſus eſt quod debuiſſet quidem Varro in ſuis libris Antiquitatum præferre res divinas humanis, & in prioribus de dijs, & ijs, quæ ad Deorum cultum pertinent, loqui, in poſterioribus de humanis, ut quæ à dijs pendeant, & his ſint poſteriores. Verùm quia, quæ de hominibus ſcribebat, vera erant, & narrationem rerum geſtarum continebant: quæ vero tradebat de divinis, figmenta erant ab hominibus excogitata, ideo quia vera preferenda ſunt falſis, hunc ordinem ſecutus eſt, ut prioribus libris antiquitatum traderet humana: poſterioribus divina à civitatibus inſtituta.* Itaque homines *(inquit)* præpoſuit inſtitutis hominum: non naturam hominum naturæ Deorum.

CAP. V.

De tribus generibus theologia ſecundum Varronem, ſcilicet uno fabuloſo, altero naturali, tertio civili.

DEinde illud quale eſt, α quod tria genera theologiæ dicit eſſe, id eſt, rationis, quæ de dijs explicatur, eorumque unum mythicon appellari, alterum phyſicon, tertium civile? Latinè ſi uſus admitteret, genus quod primum poſuit, β fabulare appellaremus, ſed fabuloſum dicamus: à fabulis enim mythicon dictum eſt: quoniam γ μῦθος Græcè fabula dicitur. Secundum autem, ut naturale dicatur, jam & conſuetudo locutionis admittit. Tertium etiam ipſe Latinè enunciavit, quod civile appellatur. Deinde ait: δ Mythicon appellant, ε quo maximè utuntur poetæ: phyſicon, quo philoſophi: civile, quo populi. Theologia fabuloſa. Primum, inquit, quod dixi, in eo ſunt multa contra dignitatem & naturam immortalium ficta. ζ In hoc enim eſt, ut Deus alius ex capite, η alius ex femore ſit, θ alius ex guttis ſanguinis natus: ι in hoc ut dij furati ſint, κ ut adulteraverint, λ ut ſervierint homini. Denique in hoc omnia dijs attribuuntur, quæ non modo in hominem, ſed etiam quæ in contemptiſſimum hominem cadere poſſunt. Hic certè ubi potuit, ubi auſus eſt, ubi impunitum putavit, quanta mendaciſſimis fabulis naturæ deorum fieret injuria, ſine caligine ullius ambiguitatis expreſſit. Loquebatur enim, non de naturali theologia, non de civili, ſed de fabuloſa, quam liberè à ſe putavit eſſe culpandam. Videamus, quid de altera dicat: *b* Secundum genus eſt, inquit, quod demonſtravi, Theologia phyſica. de quo multos libros philoſophi reliquerunt. In quibus eſt: dij qui ſint, ubi quod genus, quale, ex quonam tempore, an à ſempiterno fuerint, μ an ex igne ſint, *c* ut credit Heraclitus: *d* ν an ex numeris, ut Pythagoras: *e* an ex atomis, ut Epicurus. Sic alia, quæ faciliùs intra parietes in ſchola, quàm extra in foro ferre poſſunt aures. Nihil in hoc genere culpavit, quod phyſicon vocavit, & ad philoſophos pertinet: tantùm ξ quod eorum inter ſe controverſias commemoravit, per quos facta eſt diſſidentium multitudo ſectarum. Removit

tamen

tamen hoc genus à foro, id eſt, à populis: ſcholis verò & parietibus clauſit. Illud autem primum mendaciſsimum atq; turpiſsimum à civitatibus non removit. O religioſas aures populares, atque in his etiam Romanas. Quod de diis immortalibus philoſophi diſputant, ferre non poſſunt: quod verò poetæ canunt, & hiſtriones agunt, quia contra dignitatem ac naturam immortalium ficta ſunt: quia non modo in hominem, ſed etiam in contemptiſſimum hominem cadere poſſunt, non ſolùm ferunt, ſed etiam libenter audiunt. Neque id tantum, ſed diis quoque ipſis hæc placere, & per hæc eos placandos eſſe decernunt. Dixerit aliquis, hæc duo genera mythicon & phyſicon, id eſt, fabuloſum atque naturale, diſcernamus ab hoc civili, de quo nunc agitur: unde & illa ipſe diſcrevit. Jamque ipſum civile videamus, qualiter explicet. Video quidem, cur debeat diſcerni fabuloſum: quia falſum, quia turpe, quia indignum eſt. Naturale autem à civili velle diſcernere, quid eſt aliud, quàm etiam ipſum civile fateri eſſe mendoſum? Si enim illud naturale eſt, quid habet reprehenſionis, ut excludatur? Si autem hoc, quod civile dicitur, naturale non eſt, quid habet meriti, ut admittatur? Hæc nempe illa cauſa eſt, quare prius ſcripſerit de rebus humanis, poſterius de divinis: quoniam in divinis rebus non naturam deorum, ſed hominum inſtituta ſecutus eſt. Intueamur ſanè & civilem theologiam. Tertium genus eſt, inquit, quod in urbibus cives, maximè ſacerdotes, noſſe atque adminiſtrare debent. *o* In quo eſt, quos deos publicè colere, quæ ſacra & ſacrificia facere quemque par ſit. Adhuc quod ſequitur attendamus: Prima, inquit, theologia maximè accommodata eſt ad theatrum: ſecunda ad mundum, tertia ad urbem. Quis non videat, cui palmam dederit? Utique ſecundæ, quam ſuprà dixit eſſe philoſophorum. Hanc enim pertinere teſtatur ad mundum, *f* quo iſti nihil eſſe excellentius opinantur in rebus. Duas verò illas theologias, primam & tertiam theatri ſcilicet atque urbis diſtinxit ac ſejunxit. Videmus enim non continuò, quod eſt urbis, pertinere poſſe ad mundum, quamvis urbes eſſe videamus in mundo. Fieri enim poteſt, ut in urbe ſecundum falſas opiniones, ea colantur & credantur, quorum in mundo vel extra mundum natura ſit nuſquam. Theatrum verò ubi eſt, niſi in urbe? Quis theatrum inſtituit, niſi civitas? Propter quid inſtituit, niſi propter ludos ſcenicos? Ubi ſunt ludi ſcenici, niſi in rebus divinis, de quibus hi libri tanta ſolertia conſcribuntur?

Theologia civilis.

a FAbulare appellaremus.] *Suetonius in Tyberio hac voce eſt uſus: Maximè, inquit, curavit notitiam hiſtoriæ fabularis, usq; ad ineptias & deriſum.* *L. Vives.*

b Secundum genus eſt.] *Platonici, ſed Stoici maximè omnia illa commenta de diis ad mundi cauſas naturasq; principes retulerunt. ut Plato attigit in Cratylo & perſona hominis Stoici Cic. 2. De natura deorum, Phurnutus, & alij permulti. ſed plurima ita coacta & abſurda, ut planè ludere eos appareat.*

c Ut credit Heraclitus.] *Heraclitus Epheſius, qui librum ſcripſit Delio natatore indigentem, ideoq; cognominatus eſt σκοτινός. Ex igne cuncta naſci, inq; ignem* *Heraclitus.*

 reſolvi

reſolvi dixit, animarum dæmonumq́ referta eſſe omnia. Huius de igne opinionem ſecutus eſt Hippaſus Metapontinus.

Pitha- *d* An ex numeris, ut Pythagoras.] *Hic & deum, & animas noſtras, & cuncta* goras. *quæ ſunt in mundo numeris conſtare aſſeruit, ex eorumq́ concentu & harmonia univerſa progigni, quos numeros poſtea Plato ab Italicis philoſophis, qui Pythagoreæ præceptorum ſectatores erant, edoctus, & clariores & apertiores reddidit, tametſi non ita aperuit, quin à maxima eorum parte lectorem excludat. Unde illud de re obſcura apud Ciceronem ad Atticum ſcribentem, numeri Platonis.*

Epicurus *e* An ex atomis, ut Epicurus.] *Hic Democritum æmulatus, omnia fieri conſtareq́ dixit ex corpuſculis ramentisq́ munitiſſimis & inſecabilibus, quas ideo ἀτόμους nominavit, quibus tamen formam, magnitudinem & pondus non adimebat.*

f Quo iſti nihil eſſe excellentius.] *Nihil enim novit natura vel maius, vel pulchrius, ut inquit Seneca: idem Plato in Timæo, idem Cic. 2. De natura deorum, idem alij omnes philoſophi.*

F.L.Coq. *α* QUod tria genera Theologiæ dicit eſſe.] *Ejuſdem partitionis meminit Plutarchus l.1. de placitis philoſophor. c.6. qui* deorum cultum nobis tradiderunt, *(inquit,)* tribus formis uſi ſunt, naturali, fabuloſa, teſtimonio legum naturalem philoſophi, fabuloſam Poetæ docent, leges ſuas ſingulæ habent civitates. *Ejuſdem meminit Euſebius l.4. de præpar. Ev. in præf.*

β Fabulare appellaremus.] *Suetonius in Tyberio c.70. hac uſus eſt voce, maxime tamen curavit notitiam hiſtoriæ fabularis usque ad ineptias atque deriſum.*

γ Μῦθος Græcè fabula, dicitur.] *Cum tamen aliquando ſignificet idem, quod* λόγος*: & veteres* μυθεῖσθαι *dicunt pro* λέγειν*, hoc eſt, narrare, Iliad. 1.* μῦθον ἀγάασσάμενοι *orationem admirantes, &* μῦθον *pro ſermone vero uſurpat Plato* τομ *5:* μῦθον μυθοῦμαι*; id eſt,* λέγω *apud Homerum,* τὸ τοῦ μύθου *ut eſt in proverbio, apud Gregorium Naziazenum.*

δ Mythicon appellant, &c.] *Eodem modo Plutarchus loco citato, naturalem Theologiam philoſophi, fabuloſam Poetæ docent, leges ſuas ſingulæ habent civitates.*

ε Quo maxime utuntur Poetæ.] *Tertullianus in Apologetico c. 14. Poetas vocat dedecoratores deorum. Gregorius Nazianzenus in oratione in Iulianum deridet rationem loquendi de dijs ipſorum Poetarum.*

ζ In hoc enim eſt ut Deus alius ex capite.] *Primum genus Theologiæ, nempe fabuloſum, ut quod ſit contra dignitatem immortalium inſtitutum, improbare aggreditur. Minervam fingunt Poetæ ex cerebro Iovis natam. Iuſtinus Martyr. Apolog. 2. pro Chriſtianis,* finxerunt *(inquit)* Minervam Jove natam, nec tamen ex concubitu, ſed quia voluntate intellectuque Deum per verbum creaſſe mundum didicerant, finxerunt hanc primam intelligentiam.

η Alius ex femore.] *Bacchum intelligit, quem natum fingunt ex femore Iovis: ferunt enim Semelem ex Iove jam gravidam, cum ab amatore Deo, qui ſe illi daturum quicquid petijſſet, per Stygiam paludem juraverat, Iunonis dolo hoc munus ſibi*

ſibi rogaſſet. ut talis ſecum, qualis cum Iunone ſolebat, nocte una concumberet, fulmine fuiſſe exuſtam puerumq́ utero exemptum femori Iovis fuiſſe inſertum, quem ille poſtea maturo partus tempore more gravidæ mulieris enixus eſt. Ovidius *l. 3. Metamorphoſ.*

Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo
Eripitur, patrioque tener (ſi credere dignum eſt)
Inſuitur femori, maternaque tempora complet.

Et l. 3. Faſtorum.

Expletum eſt patrio corpore matris opus.

Et Manilius l. 2. rerum Aſtronomicarum.

Atque iterum patrio naſcentem corpore Bacchum.

Plura Natalis Comes l. 5. Mythol. c. 14.

θ Alius ex guttis ſanguinis natus.] *Pegaſus equus alatus, qui ex Meduſæ ſanguine fingitur procreatus, deinde in cœlum dicitur evolaſſe, ibiq́ inter ſidera conſtitutus.*

ι In hoc ut dij furati ſint.] *Mercurium intelligit, quem furem & Nebulonem vocat Lactantius l. 1. c. 10. qui nihil ad famam nominis ſui reliquerit, niſi memoriam fraudum ſuarum: Hanc mythologicam Theologiam reprehendit Nazianzenus his verſibus.*

Nunc Græci fingunt, quorum væſania divos
Condidit auctores vitij, ſcelerumq́ue patronos.
Fures, androgynos, mœchos, peſteſq́ue virorum.
Carnifices natos tollentes morte patreſq́ue,
Quodq́ue etiam multo gravius templiſq́ue ſacriſq́ue
Crimina non puduit miſeros ornare nefanda.

κ Adulteraverint.] *Iovis adulteria ſatis à Poetis decantata, quæ ſuſius perſtringit Arnob. l. 4. adverſus gentes, item Tertullianus in Apolog. c. 11. & Lactantius l. 1. c. 10.*

λ Ut ſervierint hominis.] *Ut Apollo Admeto in forma paſtoris filia ejus amore captus, & Apollo ac Neptunus ipſi Laomedonti.*

μ An ex igne ſint ut credidit Heraclitus.] *Tertullianus in Apolog. c. 40. Deum alij ex igne aſſeverant, ut Heraclito viſum eſt, & de præſcr. c. 7. ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit, & lib. 1. contra Marcionem: Deum pronunciaverunt Thales aquam, Heraclytus ignem.*

ν An ex numeris ut Pythagoras.] *Omnia ex numeris conſtare aſſerebat, & ex harmonia ac concentu numerorum naſci. Tertull. in Apologetico loc. cit.*

ξ Tantum quod eorum inter ſe controverſias commemoravit.] *Ita Iuſtinus in exhortat. gentiles perſtringit:* Creditis *(inquit)* quanta ſit confuſio apud veſtros illos ſapientes, quos religionis doctores habetis; alius vult ignem eſſe omnium rerum principium, alius aerem, alius aquam, &c. *Eadem Tertull. l. de præſcr. c. 7.*

ο In quo eſt, quos deos publicè colere, quæ ſacra & ſacrificia facere quemque par

que par ſit.] *Legibus 12. Tabul. (ut teſtatur Cicero 2. de legibus) illud cavebatur:* Separatim nemo habeſſit deos, neve novos, ſed ne advenas niſi publice adſcitos privatim colunto. *Verus enim erat decretum, cujus meminit Tertull. in Apologet. & Euſeb. l.2. hiſtor. Eccleſiaſt. c.2.* ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probaretur. *Sacerdotia item & ſacrificia inſtituta tum à Romulo, tum à Numa Pompilio ad Theologiam civilem ſpectabant.*

π Prima (inquit) Theologia.] *Ita triplicem Theologiam diſtinguebat Varro ut fabuloſa, quam & hiſtoricam nuncupabant, auctores haberet Poetas. Secunda Naturalis, quæ & Myſtica, philoſophos ipſos; Tertia civilis civitates ipſas, apud quas diverſa ſacra, & ceremoniæ Deorum colendorum eſſent inſtituta; ut prima fabuloſa maxime accommodata eſſet ad Theatrũ, in quo proponebantur publice adulteria, latrocinia, & ſcelera Deorum; ſecunda ad mundum pertineret, quem ipſi philoſophi conſiderant; Tertia demum ad civitates.*

CAP. VI.

De theologia mythica, id eſt, fabuloſa, & de civili, contra Varronem.

O Marce Varro, cùm ſis homo omnium acutiſſimus, & ſine ulla dubitatione doctiſſimus, ſed tamen homo, non Deus, α nec ſpiritu Dei ad videnda & annuncianda divina in veritatem libertatemque ſubvectus, carnis quidem quàm ſint res divinæ ab humanis nugis atque mendaciis dirimendæ: ſed vitioſiſſimas populorum opiniones, & conſuetudines in ſuperſtitionibus publicis vereris offendere, quas à deorum natura abhorrere, vel talium quales in huius mundi elementis humani animi ſuſpicatur infirmitas, & ſentis ipſe, cùm eas uſquequaque conſideras, & omnis veſtra literatura circumſonat. Quid hic agit humanum quanuis excellentiſſimum ingenium? Quid tibi humana licet multiplex ingensque doctrina in his anguſtiis ſuffragatur? Naturales deos colere cupis: civiles cogeris. Inveniſti alios fabuloſos, β in quos liberius quod ſentis evomas, a unde & iſtos civiles velis noliſve perfundas. Dicis quippe fabuloſos accommodatos eſſe ad theatrum, naturales ad mundum, civiles ad urbem, cum mundus opus ſit divinum, urbes verò & theatra opera ſint hominum: γ nec alii dii rideantur in theatris, quàm qui adorantur in templis, nec aliis ludos exhibeatis, quàm quibus victimas immolatis. Quantò liberius ſubtiliusque iſta divideres dicens, alios eſſe deos naturales, alios ab hominibus inſtitutos? Sed de inſtitutis aliud habere literas poetarum, aliud ſacerdotum, utraſque tamen ita eſſe inter ſe amicas conſortio falſitatis, ut gratæ ſint utræque dæmonibus, quibus inimica eſt doctrina veritatis. Sequeſtrata igitur paululum theologia, quam naturalem vocant, de qua poſtea diſſerendum eſt, placetne tandem vitam æternam peti, aut ſperari à diis poëticis, theatricis, ludicris, ſcenicis? Abſit. Imò avertat Deus verus tam immanem ſacrilegamque dementiam. Nunquid ab eis diis, quibus hac placent, & quos hæc placant, cum eorum illic crimina frequentantur, vita æterna poſcenda eſt? Nemo ut arbitror, uſque ad tantum præcipitium furioſiſſimæ impietatis inſanit-

Doctrina veritatis dæmonibus inimica.

inſanit. *b* Nec fabuloſa igitur, nec civili theologia ſempiternam quiſquam adipiſcitur vitam. Illa enim de iis turpia fingendo ſeminat, hæc favendo metit. Illa mendacia ſpargit, hæc colligit. Illa res divina falſis criminibus inſectatur, hæc eorum criminum ludos in divinis rebus amplectitur. Illa de diis nefanda figmenta hominum carminibus perſonat, hæc ea deorum ipſorum feſtivitatibus conſecrat. Facinora & flagitia numinum illa cantat, hæc amat. Illa prodit, aut fingit, hæc autem aut atteſtatur veris, aut oblectatur & falſis. Ambæ turpes, ambæque damnabiles. Sed illa, quæ theatrica eſt, publicam turpitudinem profitetur: iſta quæ urbana eſt, illius turpitudine ornatur. Hinccine vita æterna ſperabitur, unde iſta brevis temporaliſque polluitur? An verò vitam polluit conſortium nefariorum hominum, ſi ſe inſerunt affectionibus & aſſenſionibus noſtris, & vitam non polluit ſocietas dæmonum, qui coluntur criminibus ſuis? Si veris, quam mali: ſi falſis, quàm malè? Hæc cum dicimus, videri fortaſſe cuipiam nimis harum rerum ignaro poteſt, ea ſola de diis talibus indigna majeſtate divina, & ridicula deteſtabiliaque celebrari, quæ poëticis cantantur carminibus, & ludis ſcenicis actitantur: ſacra verò illa, quæ non hiſtriones, ſed ſacerdotes agunt ab omni eſſe dedecore purgata & aliena. Hoc ſi ita eſſet, nunquam theatricas turpitudines in eorum honorem quiſquam celebrandas eſſe cenſeret, nunquam eas ipſi dii præciperent ſibimet exhiberi. Sed ideo nihil pudet ad obſequium deorum talia gerere in theatris, quia ſimilia geruntur in templis. Denique commemoratus autor, cum civilem theologiam à fabuloſa & naturali, tertiam quandam ſui generis diſtinguere conaretur, eam magis ex utraque temperatam, quàm ab utraque ſeparatam intelligi voluit. Ait enim ea quæ ſcribunt poëtæ minus eſſe, quàm ut populi ſequi debeant: quæ autem philoſophi, plus quàm, ut ea vulgum ſcrutari expediat. Quæ ſic abhorrent, inquit, ut tamen ex utroque genere ad civiles rationes aſſumpta ſit non pauca. Quare quæ ſunt * communia cum * poetis, unà cum civilibus ſcribemus. E quibus major ſocietas debet eſſe nobis cum philoſophis, quàm cum poetis: non ergo nulla cum poetis. Et tamen alio loco dicit de generationibus deorum magis ad poetas quam ad phyſicos fuiſſe populos inclinatos. Hic enim dixit, quid fieri debeat, ibi quid fiat. Phyſicos dixit utilitatis cauſa ſcripſiſſe, poetas delectationis. Ac per hoc ea, quæ à poetis conſcripta, populi ſequi non debent, crimina ſunt deorum, quæ tamen delectant & populos & Deos. Delectationis enim cauſa, ſicut dicit, ſcribunt poetæ, non utilitatis: ea tamen ſcribunt quæ dii expetant, populi exhibeant.

Civilis Theol. æque ut Poetica inſeſta.

al. comm. *al. proprium*

a UNde & iſtos civiles velis noliſve profundas.] *In Colonienſi exemplari perfundas legitur, & rectius. Ex iis enim, quæ Varro evomit in deos fabuloſos, neceſſe eſt etiam perfundantur dij civiles, qui ex fabuloſis manarunt, & ſine dubio iidem ſunt.* L. Vives.

b NEc ſpiritu Dei ad videnda & annuncianda divina.] *At ſine ſpiritu Dei philoſophi non niſi obſcure admodum quandam umbram veritatis percepe-* F.L.Coq.

runt, & in reliquis licet docti, ſubtiles & acuti: ubi tamen ad divina ventum eſt cæcutierunt. *Iuſtinus in exhort. ad Gentes,* Nec naturæ ope, nec humana cogitatione tam magnas ac divinas res homo poteſt percipere, ſed dono deſcendente in ſanctos viros cœlitus, qui non opus habent arte diſſerendi, aut contentioſe diſputandi, modo ſe puros præbeant operationi divini ſpiritus, ut ipſum numen ſuperne deſcendens pulſet eos tanquam lyram aut cytharam, & cœleſtem eis ſapientiam revelet. *Ibidem poetas ac Græcorum philoſophos exagitat, & oſtendit neutros veræ religionis datores fuiſſe, ac primum quam ridicula ſit Poetarum Theologia, Theogonia, & doctrina de dijs examinat; deinde philoſophorum ſententias. Et Apolog. 1. pro Chriſt.* Quidquid uſquam apud ſcriptores omnes recte dicitur, noſtrum eſt Chriſtianorum: cæterum ſcriptores per inditum ſibi nativum rationis ſemẽ non niſi obſcure potuerunt veritatem videre. Aliud enim eſt ſemen quoddam & incitamentum quoad fieri poteſt; aliud id à quo gratia hæc & facultas promanat. *Tertull. l. 1. de anima* c. 1. Cui veritas comperta ſine Deo, cui Deus cognitus ſine Chriſto, cui Chriſtus exploratus eſt ſine ſpiritu ſancto, cui ſpiritus ſanctus accommodatus ſine fidei ſacramento? *Ut intelligamus non immerito Varronem hallucinatum eſſe in ſcribendo de divinis, qui ſpiritu Dei ad illa videnda & annuntianda non ſubveheretur.*

β In quos liberius quod ſentis evomas.] *Tertull. in Apolog. c. 14. Vocat Varronem,* Romanum Cynicum, *quod libere quæ ſentiret de dijs loqueretur, quod de fabuloſis ſolis dicit D. Auguſt. ſcribit tamen inde neceſſario perſtringi deos civiles, cum ijdem ſint, qui & dij fabuloſi, & hi colantur in civitatibus, quorum flagitia & ſcelera Poetæ decantant.*

γ Nec alij dij rideantur in Theatris quam qui adorantur in Templis.] *Lactant. l. 5. c. 21.* qualis eſt iſta religio *(inquit)* aut quanta majeſtas putanda eſt, quæ adoratur in templis, illuditur in Theatris.

δ Nec fabuloſa igitur nec civili Theologia.] *Pulchra collatione utriusq; docet à neutra ſperari poſſe vitam æternam, quam tamen vera Theologia & Dei notitia monſtrat ac præbet hominibus: quam vero utraq; illa ſit improbanda ex utriusq; inſtituto & fine docet.*

Cap. VII.

De fabuloſæ & civilis theologiæ ſimilitudine atq; concordia.

REvocantur α igitur ad theologiam civilem, theologia fabuloſa, theatrica, ſcenica, indignitatis & turpitudinis plena. Et hæc tota quæ merito culpanda & reſpuenda judicatur, pars huius eſt, quæ colenda & obſervanda cenſetur, non ſanè pars incongrua ſicut oſtendere inſtitui: & quæ ab univerſo corpore aliena importunè illi connexa atque ſuſpenſa ſit, ſed omnino conſona, & tanquam eiusdem corporis membrum convenientiſſimè copulata. Quid enim aliud oſtendunt illa ſimulachra, formæ, ætates, ſexus, habitus deorum? β Nunquid barbatum Jovem, imberbem Mercurium poetæ habent, pontifices non habent? Nunquid Priapo Mimi, non etiam ſacerdotes enormia pudenda

pudenda fecerunt? An aliter ſtat adorandus in locis ſacris, quàm procedit ridendus in theatris? *a* Num Saturnus ſenex, Apollo ephebus, ita perſonæ ſunt hiſtrionum, ut non ſint ſtatuæ delubrorum? Cur Forculus, qui foribus præeſt, & Limentinus qui limini, dii ſunt maſculi, atque inter hos Cardea fœmina eſt, quæ cardinem ſervat? Nonne iſta in rerum divinarum libris reperiuntur, *γ* quæ graves poetæ ſuis carminibus indigna duxerunt? Nunquid Diana thetrica *b* portat arma, & urbana ſimpliciter virgo eſt? Numquid ſcenicus Apollo cithariſta eſt, & ab hac arte Delphicus vacat? Sed hæc honeſtiora ſunt in comparatione turpiorum. Quid de ipſo Jove ſenſerunt, qui *δ* eius nutricem in Capitolio poſuerunt? Nonne *ε* atteſtati ſunt *c* Evemero, qui omnes tales deos non fabuloſa garrulitate, ſed hiſtorica diligentia homines fuiſſe mortalesque conſcripſit: *d* Epulones etiam deos paraſitos Jovis ad eius menſam, qui conſtituerunt, quid aliud quàm *e* mimica ſacra eſſe voluerunt? Nam paraſitos Jovis ad eius conviviũ adhibitos, ſi minus dixiſſet, riſũ utiq; quęſiſſe videretur. Varro dixit. Non cum irrideret deos, ſed cum commendaret, hoc dixit: divinarum, non humanarum rerum libri hoc eum ſcripſiſſe teſtantur. Nec ubi ludos ſcenicos exponebat, ſed ubi Capitolina jura pandebat. Denique à talibus vincitur, & fatetur; ſicut forma humana deos fecerunt, ita eos delectari humanis voluptatibus crediſſe. Non enim & maligni ſpiritus ſuo negotio defuerunt, ut has noxias opiniones humanarum mentium ludificatione firmarent. *f ζ* Unde etiam illud eſt, quod Herculis ædituus, otioſus atque feriatus luſit teſſeris ſecum utraque manu alternante, in una conſtituens Herculem, in altera ſeipſum: ſub ea conditione, ut ſi ipſe viciſſet, de ſtipe templi ſibi cœnam pararet, amicamque conduceret: ſi autem victoria Herculis fieret, hoc idem de pecunia ſua voluptati Herculis exhiberet: deinde cum à ſeipſo tanquam ab Hercule victus eſſet, debitam cœnam & nobiliſſimam meretricem *g η* Laurentinam * deo Herculi dedit. At illa cum dormiviſſet in templo, vidit in ſomnis Herculem ſibi eſſe commixtum, ſibique dixiſſe, quod inde diſcedens cui primum juveni obvia fieret, apud illum eſſet inventura mercedem, quam ſibi credere deberet ab Hercule perſolutam. Ac ſic abeunti cum primus juvenis ditiſſimus Tarutius occurriſſet, eamque dilectam ſecum diutius habuiſſet, illa herede relicta, defunctus eſt. Quæ ampliſſimam adepta pecuniam, ne divinæ mercedi videretur ingrata, quod acceptiſſimum putavit eſſe numinibus, *θ* populum Romanum etiam ipſa ſcripſit heredem: atque illa non comparente inventum eſt teſtamentum, quibus meritis eam ferunt etiam honores meruiſſe divinos. Hæc ſi poetæ fingerent, ſi mimi agerent, ad fabuloſam theologiam dicerentur procul dubio pertinere, & à civilis theologiæ dignitate ſeparanda judicarentur. Cum verò hæc dedecora, non poetarum, ſed populorum: non mimorum, ſed ſacrorum: non theatrorum, ſed templorum, id eſt, non fabuloſæ, ſed civilis theologiæ, à tanto autore produntur, non fruſtra hiſtriones ludicris artibus fingunt deorum, quæ tanta eſt, turpitudinem, ſed planè fruſtra ſacerdotes velut ſacris ritibus conantur fingere deorum, quæ nulla eſt, honeſtatem.

Evemerus.

Luſus æditui cum Herculo.

al. Larentinam.

Sacra

Sacra ſunt Junonis, & hæc *b* in eius dilecta inſula Samo celebrantur, ubi nuptum data eſt Jovi. *x* Sacra ſunt Cereris, ubi à Plutone rapta Proſerpina quæritur. Sacra ſunt Veneris, *i λ* ubi amatus eius Adonis aprino dente extinctus juvenis formoſiſſimus plangitur. Sacra ſunt matris deûm, ubi *μ* Atys pulcher adoleſcens ab ea dilectus & muliebri zelo abſciſſus, etiam hominum abſciſſorum, quos Gallos vocant, infœlicitate deploratur. Hæc cum deformiora ſint omni ſcenica fœditate, quid eſt, quod fabuloſa de diis figmenta poetarum ad theatrum videlicet pertinentia velut ſecernere nituntur à civili theologia, quam pertinere ad urbẽ volunt: quaſi ab honeſtis & dignis indigna & turpia? Itaque potius eſt, unde gratiæ debeantur hiſtrionibus, qui oculis hominum pepercerunt, nec omnia ſpectaculis nudaverunt, quæ ſacrarum ædium parietibus occuluntur. Quid de ſacris eorum boni ſentiendum eſt, quæ tenebris operiuntur, cum tam ſint deteſtabilia, quæ proferuntur in lucem? Et certè quid in occulto agant per abſciſſos & molles, ipſi viderint. Eoſdem tamen homines infœliciter ac turpiter enervatos atque corruptos minimè occultare potuerunt. Perſuadeant cui poſſunt, ſe aliquid ſanctum per tales agere homines: quos inter ſancta ſua numerari atque verſari negare non poſſunt. Neſcimus quid agant; ſed ſcimus per quales agant. Novimus autem, quæ agantur in ſcena, quæ nunquam vel in choro meretricum, quo nemo abſciſſus aut mollis intravit, & tamen etiam ipſa turpes & infames agunt, neque enim ab honeſtis agi debuerunt. Quæ ſunt ergo illa ſacra quibus agendis tales elegit ſanctitas, quales *k ν* nec thymelica in ſe admittit obſcœnias?

L. Vives. *a* NAm Saturnus ſenex.] *Per interrogationem figuratè, non ſciſcitandi gratia, ſed inſtandi, ut, quod negari non poteſt, ardentius inſigatur: ſicut Quintilianus docet l.9. aut legendum, num Saturnus. Nam res ſic habet, quòd Saturnus ſenex, & Apollo Ephebus in templis viſitur: unde eſt ille Dionyſij Syracuſij jocus, cùm barbam auream Æſculapio ademiſſet, non decere patre imberbi filium eſſe barbatum. Apollinis ſimulachrum Deli dextra manu arcum tenebat, ſiniſtra verò tres Gratias, quarum una citharam, altera tibias, media fiſtulam habebat.*

b Portat arma.] *Arcum & pharetram.*

c Evemero.] *Hic fuit Siculus, è civitate Meſſana, qui Iovis & cæterorum deorum hiſtoriam veram ſcripſit ex titulis & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur; quam Græci ſacram vocant. Ennius interpretatus eſt, ut ſcribit Cicero. Meminerunt hujus ſcriptoris, cùm Græci frequentes, tum ex Latinis Cicero, Varro, Lactantius, Macrobius, Servius, & alij permulti. Hunc Evemerum, quòd veram hiſtoriam ſcripſiſſet de diis, Sextus Empiricus ἄθεον, id eſt impium & ſine deo, vocatum eſſe ait: cui Theodoricus Cyrenenſis ſuffragatur, illum inter Diagoras & Theodorus numerans. Timon in Syllis γέροντα ἀλαζόνα nominat, id eſt, ſenem inſolentem, & qui libros edat iniquiores.*

d Epulones etiam.] *Collegio pont. triumviri additi ſunt, qui ſacra convivia,* Epulones *hoc eſt, qui in deorum ludis exhibebantur, curarent: dictiq́ ſunt triumviri epulones. Sequenti tempore additi ſunt duo: ita fuerunt quinq́ viri: poſtremo per ambi-*

ambitionem duo alij adjecti, & hic numerus manſit ſeptem virorum epulonum, qui curant publicum epulum, ipſis menſa parabatur ante Iovis ſimulachrum, ibiq; epulabantur. Cic. in Aruſp. reſp. epulones Iovis opt. max. appellat. Paraſitos nominavit, quòd horum mos eſt, alienas ſectari menſas, ut nomen ipſum ex græco oſtendit. Ita Varro ex naturali ſignificatu, epulones illos paraſitos vocavit, quaſi convivas Iovis. Hoc enim eſt παράσιτος à παρασιτέω.

e Inimica ſacra.] *Legendum mimica.*

f Unde etiam illud eſt.) *Hanc metricem quidam putant fuiſſe Floram, alij Accam Larentiam, cujus feriæ Larentinalia: ſed de hoc multa Macrobius primo Saturn. Attingit etiam Lactant. ſed paucis. Verrius Flaccus Flavam cognominatam eſſe hanc ſcribit. Plutarch. quoq; de hac ipſa re in Problem.*

g Laurentiam.] *Alibi Larentiam vulgatius nominant: nam Accam Laurentiam, Romuli nutricem ferunt, ejusq; putant eſſe feſta Laurentalia, hujus verò ſcorti feſta eſſe Floralia.*

h In eius dilecta inſula Samo.] *Samos inſula eſt in mari Icario, à ſummitate & aſperitate ſic dicta. Lactant. lib. 1. Inſulam Samum ſcribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi Juno adoleverit, ibiq; etiam Jovi nupſerit. Itaq; nobiliſſimum & antiquiſſimum templum eius eſt Sami: ſimulachrum in habitu nubentis figuratum, & ſacra eius anniverſaria nuptiarum ritu celebrabantur: Hæc Lactant. Erat chara Samos Junoni, nempe natale ſolum Sic Verg. 1. Æneid.* Samos.

i Ubi amatus eius Adonis.] *Cinara ex Myrrha filia ſua aſtutia nutricis genuit Adonim formoſiſſimum juvenem, qui Cypri regnavit. Valer. Probus in Gallum Vergilij ſcribit ex ſententia Heſiodi, hunc Phœnicis fuiſſe filium, ex Philoſtephano verò genitum à Jove ſine ullius fœminæ accubitu. Hunc Venus adamavit: cumq; venandi eſſet ſtudioſiſſimus, ab apro ferociſſimo dilaniatus eſt. Fabulantur, aprum hunc à zelotypo Marte eſſe immiſſum, Veneremq; mœſtiſſimam multum luxiſſe Adonim, vertiſſeq; eum in florem ſui nominis. Simulachrum Veneris dicit Macrobius fingi in monte Libano, capite obnupto, ſpecie triſte, faciem manu læva intra amictum ſuſtinens: lachrymæ viſione conſpicientium manare creduntur Phœnices Adonim γίγγραν nominabant, ut autor eſt Pollux lib. 4. ideo mœſtas illas tibias, quibus in luctu Adonis uti ſolebant, γίγγρας appellarunt, tametſi Feſtus genus putat exiguarum tibiarum gingrinas de voco anſerum appellatas, qui gingrire dicuntur. Porrò quod Adonis flore juventæ eſt ſubreptus, ideo Veneri orti dicabantur, qui ſine fructu ſpeciem quandam præberent florum foliorumq;: unde proverbium apud Græcos natum, ἀδώνιδος κῆποι: quod ut reliqua alia, ita & hoc accuratiſſimè explicat Eraſmus noſter in Adagiis ſuis, ſive, ut Budæus vocat, in ſalino Mercurij, & logotheca Minervæ.* Adonis. Gingrire

k Nec Thymelica in ſe admittit obſcœnitas.] *Thymelicorum & Thymeles meminerunt Græci crebrò. Et ex Latinis Vitruvius lib. de architectura quinto, ſed obſcurè mea ſententia: quæ ego vel explicabo, vel certè explicandi cauſam incitamentumq; dabo eruditioribus. In theatro erat ſcena inter duo theatri cornua extenſa, in qua agebant hiſtriones tragici & comici. Erat & Orcheſtra ſenatorem* Thymelici. Orcheſtra locus ſen.

locus inter cuneos & ſcenam, in qua pulpitum quinq; pedibus altum, quod Græci Thymelem dicebant, & Logeum, in quo & chorus tragœdiarum ſaltabat: Comœdiarum quoq; cum habebant comœdiæ chorum, modò ad hiſtriones verſus, modò ad populum hiſtrionibus in ſcena abditis: ibi & citharœdi, & aulœdi, & quotquot perſonam ex fabula non agentes, actioni fabulæ ſubſerviebant, nomenq; loco in quo ſaltarent, dederunt: nam orcheſtra eſt appellata ab ὀρχέομαι, *ſalto: & thymelem* αὐλιτικὴν *interpretantur Græci, & illos omnes artifices muſices thymelicos putant Thymelem dictam ab aris quæ ibi erant extructæ Apollini & Baccho: nam &* θυμέλη *pro ara ponitur: de quibus Donatus cenſet Terentium in Andria locutum, Sume verbenas ex ara. Apuleius in Apologia priore Thymelicum choragium poſuit pro apparatu hiſtrionum & ornatu illo ſcenæ. Fuit & Thymele Latini hiſtrionis, ut quidam putant, uxor, ut alij ſocia, eiuſdemq; artis mimicæ. Ambobus Domitianum Cæſarem impenſe delectatum. Martialis lib. 1. ad Domitianum declarat:*

Qua Thymelem ſpectas, deriſoremq; Latinum,
Illa fronte precor carmina noſtra lege.

F.L.Coq. α Revocatur igitur ad Theologiam civilem, Theologia fabuloſa.] *Oſtendit contra Varronem Theologiam fabuloſam, quam Theatricam, ſenicam, indignitatis & turpitudinis plenam nominat, perperam diſtingui à civili, cum ad eam revocetur, & eadem ſit plane, cum ijdem ſint dij, qui in templis coluntur, & quorum in ſcenis flagitia publice exhibentur, & eodem modo proponantur in templis à Pontificibus formæ, ætates, & ſexus Deorum, quo in Theatris à Poetis: quo ſpectat illud Lactantij l. 1. c. 11.* Mentitos ajunt eſſe Poetas, & his tamen credunt, imo vero non eſſe mentitos, reipſa probant. Ita enim Deorum ſimulachra confingunt, ut ex ipſa diverſitate ſexus appareant vera eſſe, quæ dicunt Poetæ.

β Numquid barbatum Jovem.) *Et imberbis Iuppiter cultus eſt Anxuri in Italia, quam nunc Terracinam vocant, unde forſitan dictus Anxurus apud Virgilium ſub finem 7. Æneid.*

——Queis Iuppiter Anxurus aruis
Præſidet, & viride gaudens Feronia luco.

Sed ut mavult Servius, dicebatur Anxurus quaſi ἄνευ ξυροῦ, ſine novacula, *quod ea ad barbam, qua carebat, radendam nunquam indiguiſſet.*

γ Quæ graves Poetæ ſuis carminibus indigna.] *Ubi oſtendit, civilem Theologiam magis improbandam & ridiculam eſſe, quam fabuloſam, quod multa de dijs indigna contineat: quæ explodit ipſa fabuloſa, & quæ Poetæ ipſi ſuis verſibus prorſus indigna exiſtimavere.*

δ Qui ejus nutricem in Capitolio.] *A Capra Iovem enutritum fingunt Poetæ, Amalthæa nomine,* λέγεται δὲ ἀπὸ μὲν τῆς τινὸς κέρατος ἀμβροσίαν ῥεῖν, ἀπὸ δὲ τοῦ ἄλλου νέκταρ.

ε Nonne atteſtati ſicut Evemero.] *De Evemero Cicero l. 1. de nat. Deorum: ab Evemero & mortes & ſepulturæ Deorum demonſtrantur; utrum igitur hic confirmaſſe religionem videtur, an penitus totam ſuſtuliſſe? Minutius:* Evemerus exſequitur

ſequitur Deorum natales, patrias, ſepulchra dinumerat, & per provincias monſtrat. *Lactant. l.1 c.11.* Antiquus auctor Evemerus colligit res geſtas Jovis, & cæterorum, qui dij putantur, hiſtoriamqae contexuit ex titulis & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur, maximeque in fano Jovis Triphylij, ubi auream columnam poſitam eſſe ab ipſo Jove titulus indicabat, in qua columna geſta ſua perſcripſit, ut monumentum poſteris eſſet rerum ſuarum. *Theoph. Antioch. Epiſ. ſerm. 5.* Τὰ περὶ τοῦ Εὐημέρου ἀθεωτάτου περισσὸν ἡμῖν καὶ λέγειν; πολλὰ γὰρ τολμήσας περὶ θεῶν φθέγξασθαι ἔσχατον καὶ τὸ ἐξ ὅλου μὴ εἶναι θεούς, ἀλλὰ τὰ πάντα αὐτοματισμῷ διοικεῖσθαι βούλεται. *Negat tamen, eum fuiſſe atheum Clemens Alexandrinus in* προτρεπτικῷ. *Meminit ejusdem Plutarchus l.1. de Placitis philoſophorum c.7. Euſeb. l.2. de præpar. Evangelij ca.4. Cælius Rhodogin. l.22. Antiquar. lect. c.3. Alexander ab Alexandro l.2. Genialium dierum c.2. Libros Ennium in linguam Latinam tranſtuliſſe ſcribit Arnob. l.4. contra Gentes & ex Cicerone D. Auguſtinus l.1. de conſenſu Evang. c.23.*

ζ Unde etiam illud eſt quod æditᴜus Herculis.] *Quod hic refert D. Auguſt. de æditᴜo Herculis, ſimile exemplum refert Joſephus l.10. Antiquit. c.4. Sed majoris probri de æditᴜis Anubis, quos diverſa fortuna ſecuta eſt; omnes enim à Tiberio extremis pœnis affecti, & templum exciſum.*

η Laurentinam Deæ Herculi dedit.] *Tertullianus in Apologet. c.13. Laurentiam,* Publicum ſcortum *appellat; & c. 24.* Proſtitutiſſimam lupam. *Lactant. l. 1. c.20. hujus nominis etiam dies feſtus dicatus eſt; & Laurentinalia conſtituta. Macrob. l.1. Saturn. c.20.*

θ Populum Romanum ipſa etiam ſcribit heredem.] *Hinc conſtat eandem eſſe, quæ & Flora dicebatur. Lactantius l.1. c.20.* Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, Populum Romanum ſcripſit heredem, certam pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant Floralia.

ι In ejus dilecta inſula Samo.] *Lactant. l.1. c.17. Inſulam Samum ſcribit, Varro prius* Partheniam nominatam, *quod ibi Iuno adoleverit, ibiq; etiam Iovi nupſerit. Itaq; nobiliſſimum & antiquiſſimum ejus templum eſt Sami, & Simulachrum in habitu nubentis figuratum.*

κ Sacra ſunt Cereris.] *Lactant. l.1. c.21.* Quia facibus ex Ætnæ vertice accenſis Proſerpinam quæſiſſe dicitur, idcirco ſacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.

λ Ubi amatus ejus Adonis.] *Fabula deſcribitur ab Aphthonio Rhetore. Ovidius ſub finem 10. Metamorph. ſcribit ab Apro interfectum, Theocritus exprimit in Adonidem Epitaphio Idyll. 23. Macrob. lib.1. Saturn. cap. 21. Politianus cap. 11. Miſcellan.*

μ Ubi Atys pulcher adoleſcens.] *Tertullianus in Apologet. c.13.* Videmus aliquando caſtratum Atym illum Deum ex Peſſinunte. *Lactant. l.1. c.17.* Deûm mater & amavit formoſum adoleſcentem, & eundem cum pellice deprehen-

ſum exſectis virilibus Semivirum reddidit, & ideo ejus ſacra nunc à Gallis ſacerdotibus celebrantur.

v Nec Thymelica in ſe admittit obſcœnitas.] *Eſt* θυμέλη *ſcenæ pars illa, in qua ſunt Thymelici, ludij, cytharœdi, cithariſtæ, ſymphoniaci ſimilesque artifices,* Qui ſuas per orcheſtram præſtant actiones, *uti loquitur Vitruvius l.3. architect. c.8. Ita tamen Pollux l.5. definit,* Σκήνη μὲν ὑποκριτῶν ἴδιον, ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ, ἐν ᾗ καὶ ἡ θυμέλη εἴ τι βημάτι οὖσα, εἴ τι βωμός. *id eſt,* Scena hiſtrionum erat propria, orcheſtra autem chori, in qua erat thymele; ſive pulpitum id eſſet, ſive ara. *Plutarchus in Sympo.* Alia quidem ad thymelem & orcheſtram rejecimus. *Vide Cœlium l.8. c.8. lection. antiqu.*

CAP. VIII.

De interpretationibus naturalium rationum, quas doctores pagani pro diis ſuis conantur oſtendere.

AT *a* enim habent iſta phyſiologicas quaſdam, ſicut ajunt, id eſt, naturalium rationum interpretationes. Quaſi verò nos in hac diſputatione phyſiologiam quæremus, & non theologiam, id eſt, rationem non naturæ, ſed Dei. Quanvis enim, qui verus Deus eſt, non opinione, ſed natura ſit Deus, non tamen omnis natura Deus eſt, quia & *β* hominis, & pecoris, & arboris, & lapidis utique natura eſt, quorum nihil eſt Deus. Si autem interpretationis huius, quando agitur de ſacris matris deûm, caput eſt certè, quod mater deorum eſt terra, quid ultra quærimus, quid cætera perſcrutamur? Quid evidentius ſuffragatur eis, qui dicunt, omnes iſtos deos homines fuiſſe? Sic enim ſunt terrigenæ, ſicut terra eis mater eſt. In vera autem theologia opus Dei eſt terra, non mater. Verumtamen quoquo modo ſacra eius interpretentur, & referant ad rerum naturam, *a γ* viros muliebria pati non eſt ſecundum naturam, ſed contra naturam. Hic morbus, hoc crimen, hoc dedecus habet inter illa ſacra profeſſionem, quod in vitioſis hominum moribus vix habet inter tormenta confeſſionem. *δ* Deinde ſi iſta ſacra, quę ſcenicis turpitudinibus convincuntur eſſe fœdiora, hinc excuſantur atque purgantur, quod habent interpretationes ſuas, quibus oſtendantur rerum ſignificare naturam: cur non etiam poetica ſimiliter excuſentur atque purgentur? Multa enim & ipſi ad eundem modum interpretati ſunt, uſque adeò, ut quod ab eis immaniſſimum & infandiſſimum dicitur: Saturnum filios ſuos devoraſſe. ita nonnulli interpretentur, *b* quod longinquitas temporis, quæ Saturni nomine ſignificatur, quicquid gignit ipſa conſumat. Vel ſicut idem opinatur Varro; quod pertineat Saturnus ad ſemina, quæ in terram, de qua oriuntur, iterum recidunt. Itemque alii alio modo, & ſimiliter cætera. Et tamen theologia fabuloſa dicitur, & cum omnibus huiuſcemodi interpretationibus ſuis reprehenditur, abjicitur, improbatur: nec ſolum à naturali, quæ philoſophorum eſt, verum etiam ab iſta civili, de qua agimus, quæ ad urbes populoſque pertinere aſſeritur: eo quòd de diis indigna confinxerit, merito repudianda diſcernitur. Eo nimirum

Terra opus Dei

Saturnus

mirum conſilio, quoniam acutiſſimi homines atque doctiſſimi, à quibus iſta conſcripta ſunt, ambas improbandas intelligebant, & illam ſcilicet fabuloſam, & iſtam civilem. Illam verò audebant improbare, hanc non audebant. Illam culpandam propoſuerunt, hanc eius ſimilem comparandam expoſuerunt, non ut hæc præ illa tenenda eligeretur, ſed ut cum illa reſpuenda intelligeretur: atque ita ſine periculo eorum, qui civilem theologiam reprehendere metuebant, utraque contempta, ea, quam naturalem vocant, apud meliores animos inveniret locum. Nam & civilis & fabuloſa ambæ fabuloſæ ſunt, ambæq; civiles: ambas inveniet fabuloſas, qui vanitates & obſcœnitates ambarum prudenter inſpexerit, ambas civiles, qui ludos ſcenicos pertinentes ad fabuloſam in deorum civilium feſtivitatibus, & in urbium divinis rebus adverterit. Quomodo igitur vitæ æternæ danda poteſtas cuiquam deorum iſtorum tribuitur: quos ſua ſimulachra & ſacra convincunt, diis fabuloſis apertiſſimè reprobatis, eſſe ſimillimos formis, ætatibus, ſexu, habitu, conjugiis, generationibus, ritibus, in quibus omnibus aut homines fuiſſe intelliguntur, & pro uniuscuiusque vita vel morte ſacra eis, & ſolennia conſtituta, hunc errorem inſinuantibus firmantibusque dæmonibus, aut certè ex qualibet occaſione immundiſſimi ſpiritus fallendis humanis mentibus irrepſiſſe?

a VIros muliebria pati.] *Galli matris deûm, cum non poſſent facere quæ viri, patiebantur quæ fœmina.* L.Vives.

b Quod longinquitas temporis.] *Interpretatio Cic. 2. De natura deorum. nam* κρόνος *eſt Græcè quaſi* χρόνος, *de hoc alibi.*

α AT enim habent phyſiologicas quaſdam interpretationes.] *Ita Stoici, ut eſt apud Varronem l. de natura Deorum; referente Lactantio l. 1. c. 12. & 17. quæ fingebant turpiſſime Poetæ de diis, ad Phyſicam rationem traducebant. Plura in hanc rem ſupr. ad c. 10. l. 4.* F.L.Coq.

β Hominis, & pecoris, & arboris, & lapidis ubique natura eſt.] *Natura nomen communiſſimum eſt. D. Auguſtinus l. 2. de moribus Manichæorum c. 2. naturam definit,* Id quod in ſuo genere intelligitur aliquid eſſe. *Unde natura vim, conditionem, qualitatem cuiq; rei inditam, & innatam ſignificat. Thomas Magiſter,* Φύσις οὐσίας διαφέρει, οὐσία μὲν γὰρ ἔστιν ἡ ἑκάστου ὕπαρξις. Φύσις δὲ ἡ ἐνοῦσα τινι δύναμις. οἷον Φύσις τῆς γῆς βλαστάνειν βοτάνας, καὶ Φύσις τοῦ πυρὸς τὸ θερμαίνειν. Vis quæque rebus inſita.

γ Viros muliebria pati non eſt ſecundum naturam.] *Mas ſiquidem & fœmina diſtinguuntur natura: Et hæc diſtinctio ad generationem prolis & multiplicationem, ac conſervationem ſpeciei humanæ eſt ordinata. Illiciti itaq; concubitus cum indebito ſexu, peccata contra naturam ſpeciatim dicuntur, quos vocat Philo,* ὀχείας ἐκθέσμους. *item,* ἐκφύλους καὶ ἐκθέσμους συνόδους, immanes, ac nefarios concubitus. *D. Auguſtinus Gallos ſacerdotes matres Deorum intelligit, qui ſibi abſcindebant virilia, & patiebantur quæ fœmina, quos Arnobius l. 5. contra Gentes effœminatos, exoletos vocat.*

δ Deinde ſi iſta ſacra, quæ ſcenicis turpitudinibus] *Cum hæc turpiſſima & fœdiſſi-*

fœdiſſima (inquit) pertineant ad Theologiam civilem, excuſantur vero, quod ſub illis lateat aliqua ſignificatio rerum naturalium. Poetica igitur, ſeu fabuloſa Philoſophia reprobanda non erit, cum ea, quæ à poetis ficta ſunt de dijs, eaſdem interpretationes facilè admittant.

CAP. IX.

De officiis ſingulorum deorum.

QUid ipſa numinum officia tam viliter minutatimq; concîſa, propter quod eis dicunt pro uniuſcuiuſque proprio munere ſupplicari oportere? Unde non quidem omnia, ſed multa jam diximus. Nonne ſcurrilitati mimicæ magis quàm divinæ conſonant dignitati? Si duas quiſquam nutrices adhiberet infanti: quarum una nihil niſi eſcam, altera nihil niſi potum daret: ſicut iſti ad hoc duas adhibuerunt deas, Educam & Potinam: nempe deſipere, & aliquid mimo ſimile in ſua domo agere videretur. *Liber.* Liberum à liberamento appellatum volunt, quod mares in coeundo per eius beneficium emiſſis ſeminibus liberentur. *dicunt.* Hoc idem * in fœminis agere β Liberam, quam etiam Venerem putant, α γ quod & ipſas * perhibeant ſemina emittere, *ipſam* & ob hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, fœmineam Liberæ. *b* Ad hæc addunt mulieres attributas Libero & vinum, propter libidinem concitandam. *Bacchanalia.* Sic δ Bacchanalia ſumma celebrantur inſania. Ubi Varro ipſe confitetur, à Bacchantibus talia fieri non poſſe, *c* niſi mente commota. *d* ε Hæc tamen poſtea diſplicuerint ſenatui ſaniori, & ea juſſit auferri. Saltem hic tandem forſitan ſenſerunt, quid immundi ſpiritus, dum pro diis habentur, in hominum poſſint mentibus. Hæc certè non fierent in theatris. Ludunt quippe ibi, non furunt, quanvis deos habere, qui etiam ludis talibus delectentur, ſimile ſit furoris: Quale autem illud eſt, quod cùm religioſum à ſuperſtitioſo ea diſtinctione diſcernat, ut à ſuperſtitioſo dicat timeri deos: à religioſo autem tantum vereri ut parentes, non ut hoſtes timeri, atque omnes ita bonos dicat, ut facilius ſit, eos nocentibus parcere, quàm lædere quemquam innocentem? Tamen mulieri fœtæ poſt partum tres deos cuſtodes commemorat adhiberi, ne Sylvanus deus per noctem ingrediatur & vexet, eorumque cuſtodum ſignificandorum cauſa tres homines noctu circumire limina domus, & primo limen ſecuri ferire, poſtea pilo, tertio deverrere ſcopis: ut his datis culturæ ſignis, deus Sylvanus prohibeatur intrare: quia neque arbores cæduntur ac putantur ſine fero: neque far conficitur ſine pilo: neque fruges coacervantur ſine ſcopis, Ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos: *e* Intercidonam à ſecuris interciſione: *f* ζ Pilumnum à pilo: Deverram à ſcopis: quibus dijs cuſtodibus contra vim dei Sylvani, fœta conſervaretur. *Deorum diſcordia* Ita contra Dei nocentis ſævitiam non valeret cuſtodia bonorum, niſi plures eſſent adverſus unum: eique aſpero, horrendo, inculto, utpote ſylveſtri ſignis culturæ tanquam contrarijs repugnarent. Iſtáne eſt innocentia deorum: iſta concordia? Hæccine ſunt numina ſalubria urbium, magis ridenda quàm ludibria poetarum & the-

atrorum? Cùm mas & fœmina conjunguntur, adhibetur deus Iugatinus. ſit hoc ferendum. Sed † domum eſt ducenda, quæ nubit, adhibetur deus Domiducus. Ut maneat cum viro, additur dea Manturna. Quid ultra quæritur? Parcatur humanæ verecundiæ: peragat cætera concupiſcentia carnis & ſanguinis procurato ſecreto pudoris. Quid impletur cubiculum turba numinum: *h* quando & paranymphi inde diſcedunt? Et ad hoc impletur: non ut eorum præſentia cogitata major ſit cura pudicitiæ, ſed ut fœminæ ſexu infirmæ novitate pavidæ, illis cooperantibus ſine ulla difficultate virginitas auferatur. Adeſt enim dea Virginenſis, & deus pater Subigus, & dea mater Prema, & dea Partunda, & Venus, & Priapus. Quid eſt hoc? Si omnino laborantem in illo opere virum ab diis adjuvari oportebat: non ſufficiebat aliquis unus, aut aliqua una. Nunquid Venus ſola parum eſſet, quæ ob hoc etiam dicitur nuncupata, quod ſine eius vi fœmina virgo eſſe non deſinat? Si ulla eſt frons in hominibus, quæ non eſt in numinibus? nonne cum credunt conjugati tot deos utriusque ſexus præſentes, & huic operi inſtantes, ita pudore afficiuntur, ut & ille minus moveatur, & illa plus reluctetur? Et certè ſi adeſt *i η* Virginenſis dea, ut virgini zona ſolvatur: ſi adeſt deus Subigus, ut viro ſubigatur: ſi adeſt dea Prema, ut ſubacta ne ſe commoveat, premetur, *θ* dea Partunda ibi quid facit? Erubeſcat, eat foras, agat aliquid & maritus. Valde inhoneſtum eſt, ut quod vocatur illa, impleat quiſquam niſi ille. Sed fortè ideo toleratur, quia dea dicitur eſſe, non deus. Nam ſi maſculus crederetur, & Partundus vocaretur, majus contra eum pro uxoris pudicitia poſceret maritus auxilium, quàm Fœta contra Silvanum. Sed quid hoc dicam, cum ibi ſit & *k ι* Priapus nimis maſculus, *κ* ſuper cuius *l*immaniſſimum & turpiſſimum faſcinum ſedere nova nupta jubebatur more honeſtiſſimo & religioſiſſimo matronarum? Eant adhuc, & civilem theologiam à theologia fabuloſa, urbes à theatris, templa à ſcenis, ſacra pontificum à carminibus poetarum, velut res honeſtas à turpibus, veraces à fallacibus, graves à levibus, ſerias à ludicris, appetendas à reſpuendis, qua poſſunt quaſi conentur ſubtilitate diſcernere. Intelligimus quid agant, qui illam theatricam & fabuloſam theologiam ab iſta civili pendere noverunt, & ei de carminibus poetarum tanquam de ſpeculo reſultare: & ideo iſta expoſita, quam damnare non audent: illam eius imaginem liberius arguunt & reprehendunt, ut qui agnoſcunt quid velint, & hanc ipſam faciem, cuius illa imago eſt, deteſtentur, quam tamen ipſi dii tanquam in eodem ſpeculo ſe intuentes ita diligunt, ut qui qualeſque ſint in utraque melius videantur. Unde etiam cultores ſuos terribilibus imperiis compulerunt, ut immunditiam Theologiæ fabuloſæ ſibi dicarent, in ſuis ſolennitatibus ponerent, in rebus divinis haberent: atque ita & ſeipſos immundiſſimos ſpiritus manifeſtius eſſe docuerunt, & huius urbanæ Theologiæ velut electæ & probatæ illam theatricam, abjectam, atque reprobatam, membrum partemque fecerunt, ut cum ſit univerſa turpis & fallax, atque in ſe contineat commentitios deos, una pars eius ſit in literis ſacerdotum, altera in carminibus poetarum.

Utrum

Utrum habeat & alias partes, alia quæſtio eſt. Nunc propter diviſionem Varronis, & urbanam & theatricam Theologiam ad unam civilem pertinere ſatis, ut opinor, oſtendi. Unde quia ſunt ambæ ſimilis turpitudinis, abſurditatis, indignitatis, falſitatis: abſit à viris religioſis, ut ſive ab hac, ſive ab illa vita ſperetur æterna. Denique & ipſe Verro commemorare & enumerare deos cœpit à conceptione hominis, quorum numeros exorſus eſt à Jano, eamque ſeriem perduxit uſque ad decrepiti hominis mortem: & deos ad ipſum hominem pertinentes clauſit *m* λ ad Næniam deam, quæ in funeribus ſenum cantatur. Deinde cœpit deos alios oſtendere, qui pertinerent non ad ipſum hominem, ſed ad ea quæ ſunt hominis, ſicuti eſt victus, veſtitus, & quæcunque alia quæ huic vitæ ſunt neceſſaria, oſtendens in omnibus, quod ſit cuiusque munus, & propter quid cuiq; debeat ſupplicari: in qua univerſa diligentia nullos demonſtravit vel nominavit deos, à quibus vita æterna poſcenda ſit, propter quam unam propriè nos Chriſtiani ſumus. Quis ergo uſque adeò tardus ſit, ut non intelligat, iſtum hominem civilem Theologiam tam diligenter exponendo & aperiendo, eamque illi fabuloſæ indignæ atque probroſæ ſimilem demonſtrando, atque ipſam fabuloſam partem eſſe huius ſatis evidenter docendo, non niſi illi naturali, quam dicit ad philoſophos pertinere, *n* in animis hominum moliri locum, ea ſubtilitate ut fab. loſam reprehendat, civilem verò reprehendere quidem non audeat, ſed prodendo reprehenſibilem oſtendat, atque ita utraque judicio rectè intelligentium reprobata, ſola naturalis remaneat eligenda? De qua ſuo loco in adjutorio Dei veri diligentius diſſerendum eſt.

Nænia.

L. Vives. *a* Quod & ipſam perhibeant.] *Alibi ipſas, quaſi fœminas, de quo eſt magna controverſia inter philoſophos. Plato & Ariſtoteles non ſemen eas ajunt emittere, ſed humorem quendam ſudori non diſſimilem, qui ad generationem nihil faciat. Pythagoras & Democritus ſemen contendunt emittere. Epicurus Democritum ſequitur, ut ſolet Hippo. quaſi inter hos medius ſemen eſſe ait, ſed generatione nihil conferre: quippe quod exeat, non maneat in vaſe generationis.*

b Ad hæc addunt mulieres.] *Bacchum ſequebantur Satyri & mulieres furentes, quæ bacchæ dicebantur ululantes. Unde Euſtathius deum Bacchum dictum eſſe ab incondito illo clamore quaſi à* βαχεῖν, *deinde interpoſito elemento* κ *dictum Bacchum: nominatæ & Mimallonides à Mimante monte minoris Aſiæ & Baſſarides, & Thyades, à Thyia, quæ prima ſacris Liberi patris initiata eſt. Plutarchus in libello de cupiditate opum, in antiquis Bacchi ſacris hanc fuiſſe pompam dicit. Amphoram vini cum palmite, hinc hircum, quem trahebat aliquis, pòſt ciſtam nucum & phallum, quæ poſtea obſoleverunt, & precioſiora ſunt inducta. Erat etiam & vannus. ſicut Virgilius inquit: h.e. cribrum cereale: ut exponit Servius. Varro vallum poſuit, quod nihilo minus ſignificat, & conus: id eſt, nux pinea, ad ſimilitudinem thyrſorum, quos ipſæ Bacchæ, quæ in Indiam ſecutæ ſunt Bacchum, geſtabant. Erant enim thyrſi haſtæ præpilatæ pampinis & hederis circumveſtitæ. Addebatur hedera, quod ſit quædam ejus ſpecies, quæ furorem concitat: ut Plutarchus*

in

in Problem. ait, & ebrios faciat abſq; vino: & in furorem proclives leniat ac manſuefaciat: & ipſa hedera in univerſum ἀπὸ τῦ κισσᾶν, quod eſt, in Venerem trahere, deducitur. Eſt etiam thyrſis corona nuptialis: eſt & lampas, quam in Dionyſij honorem praeferebant, ſed cum corona eſt, dicunt in ultima eſſe acutum tonum, ſic θυρσός. In his ſacris, furor ſacrificantibus incutiebatur: unde Bacchum nominatum ait Valerius Probus. Eſt enim bacchari, idem quod furere: & baccha appellatæ, quæ per furorem ſacra Liberi patris celebrarent. Ideo Mænades quoq; dictæ, & Bacchus ipſe Mænoles, quaſi totus furens, ut ſcribit Clemens. Euſebio eltante. Thyrſi. Hedera. Mænades.

c Niſi mente commota.] *Nam ſi quietæ eſſent tranquillaq; mente, nunquam talia facerent: partim ineptæ ſtultaq;, partim abominandæ fœditatis, partim crudelia atq; inhumana. Multæ enim cædes per ejuſmodi ſacrificiorum furorem committebantur. Sic occiſi ſunt Pentheus, & Ninus Indiæ rex, & Lycurgus Thrax, & Orpheus.*

d Hæc tamen poſtea diſplicuerunt ſenatui.] *De Bacchanalium nefariis ſceleribus, eorumq; ab Italia expulſione per ſenatusconſultum. Livius abunde libro 39.*

e Intercidonem.] *Vetera exemplaria Intercidonam habent.*

f Pilumnum à pilo.] *Servius nono Æneid. Pilumnus & Picumnus fratres fuerunt dij: horum Picumnus ſtercorandorum agrorum invenit uſum: unde & Sterquilinus dictus eſt: Pilumnus verò, pilendi frumenti: unde à piſtoribus colitur, & ab ipſo pilum dictum eſt. Servius hæc. Capella lib. 2. comminuendæ frugis farriſq; fragmenta Pilumno ſignat Italia. Pilum verò eſt & telum Romanum, pedum quinq; & ſemis, ut ſcribit Modeſtus: ferro trigono, unciarum novem: & inſtrumentum, quo quid in mortario frangitur conteriturq;. Antiqui Ethruriæ & Latij populi fruges concidebant pani conficiendo pilis: idq; opus erat manuum. Molæ deinde ſunt inventæ commodiore rerum uſu, in quibus etiam non deeſt ſuum pilum ruido, ut vocat Plinius lib. 18. Marcellus Pilumnum & Picumnum, deos vocat, Præſides auſpiciis conjugalibus, Varro de vita pop. Rom. libro 2. Natus ſi erat vitalis ac ſublatus ab obſtetrice ſtatuebatur in terra, ut auſpicaretur rectus, diiſq; conjugalibus, Pilumno & Picumno in ædibus lectus ſternebatur.* Pilumnum. Pilum.

g Domiducus.] *Capella domiducam Junonem vocat lib. 2. his verbis: Interducam & Domiducam Unxiam, Cinthiam, mortales puellæ debent in nuptias convocare, ut earum & itinera protegas, Junoni loquitur & in optatas domos ducas, & cum poſtes ungent, fauſtum omen affigas, & cingulum ponentes in thalamis, non relinquas.* Iuno domiduca.

h Quando & paranymphi.] *Paranymphus à Hieronymo dicitur pronubus: auſpex quoq; à Latinis nominatur: nam auſpicari ſolebant, ut ſcribit Cic. Hi à marito mittebantur ad fœminã: ab hac ad illum pronuba. Tacitus de Nerone: Ipſe per licita atq; illicita fœdatus, nil flagitij reliquerat, quo corruptior ageret, niſi paucos poſt dies uni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagoræ fuit, in modum ſolennium conjugiorum denupſiſſet. inditum imperatori flammeum, miſit auſpices dotes, & genialis thorus, & faces nuptiarum.* Paranymphus.

i Virginenſis dea, ut virgini zona ſolvatur.] *Hanc Capella Cinthiam Junonem videtur appellare. Vetuſtis temporibus puellæ, quandiu erant virgines, faſciam virginalem perpetuò geſtabant. Cuius meminit Homerus 11. Odyſſeæ: qui mos ad Romanos poſtea manavit, duravitq́ uſq́ ad caſum imperij. Martialis: Qui Zonam ſolvit diu ligatam. Utuntur & in Hiſpania virgines faſciis.*

Priapus. *k* Priapus nimis maſcul.] *Hunc Servius ſcribit pulſum è Lampſaco, ubi erat natus, propter nimiam virilis membri magnitudinem. Lactantius ſcribit inter Priapum & Aſinum Sileni, qui omnes erant in comitatu Bacchi, ortum certamen de membri virilis magnitudine, Priapumq́ ab aſino victum, interemiſſe victorem. Ideoq́ Columella Priapum vocat deum terribilis membri. Ovidius in Priapeia de pene Priapi plurima, quæ pudoris cauſa tranſeo.*

l Immaniſſimum & turpiſſimum.] *Faſcinum Priapi penem eſſe oſtendit Ovidius in poemate obſcœno:*

Priape quod ſis faſcino gavis tento.
Et poſt paulùm:
Soles ſacrum revinctus pampino caput,
Ruber ſedere, cum rubente faſcino.

Horatius faſcinum eandem rem nominat. Cauſam adducit Porphyrio, quod faſcinandis rebus hæc membri deformitas adderetur. Ego potius ab avertendo faſcino dictum eſſe puto, quòd in ſacris Dionyſii ritè propiciato Priapo, & impoſita illi corona à matrona honeſtiſſima, faſcinum à frugibus averteretur, ut Auguſtinus proximo lib. ex Varrone narrat. Ad faſcinum ergo amoliendum jubebatur ſuper id ſedere: nam & Pompeius Feſtus verſus faſcenninos, qui in nuptiis dicebantur, etiam inde videri poſſe dictos ſcribit, quod faſcinum exiſtimarentur arcere. Sicut ergo in agris, ita & in nuptiis Priapus, ſeminum deus, ne fœcunditas faſcinatione impediretur, colebatur, (Mutinus) *niſi fortè illud potius ſit, quod Lactantius ait lib. 1. Mutinum eſſe deum, in cuius ſinu pudendo nubentes primùm ſedeant, ut illarum pudicitiam prior deus delibaſſe videatur. Mutinum enim Priapum eſſe diximus lib. 4. qui præſtet, ut in primo concubitu vir moveatur, virgo verò ne reluctetur: ut hic Auguſtinus ſignificat. Feſtus idem autor eſt, novam nuptam in lanata pelle ſolitam ſedere: vel quod his veſtiebantur veteres, vel quod lanificium profiteretur, & eſſet præſtatura. Plutarchus in Problematis ſponſam inducentes, pellem ſubſternunt, ipſa ſecum colum & fuſum domo affert.*

Nænia. *m* Ad Næniam deam.] *Nænia carmen erat lugubre, quod in laudem mortui ad tibiam cantabatur à præfica ſola cæteris flentibus, cuius inventorem Horatius Simonidem poetam fuiſſe ſignificat. Fuit etiam dea, cuius ſacellum extra portam Viminalem: nomen fictum eſt de voce flentium. Sunt qui eo verbo finem putent ſignificari: alij ab extremi inteſtini vocabulo vocem deductam, quod Græci νέτον dicunt, chordarum quoq́ ultima νέτη vocatur, unde extermam cantionis vocem næniam nominari placuit. Feſtus lib. 12.*

n In animis hominum moliri locum.] *An mollire, ſed certè ſenſus eſt, Varronem clàm & paulatim hoc agere, ut excluſis duabus theologiis ſola naturalis in hominum mentibus hæreret.*

o Li-

α Liberum à liberamento appellatum volunt, quod mares.] *Aliter vero à r.l.c.4. libendo, quod lubrica mens ebrij quolibet prolabatur. Seneca l. de tranq. vitæ,* quia liberat ſervitio curarum animum, & aſſerit, vegetioremque & audaciorem in omnes conatus facit.

β Liberam quam etiam Venerem putant.] *Tertullianus l. de ſpectac. cap. 10.* Veneri & Libero convenit: Duo iſta Dæmonia inſpirata & conjurata inter ſe, ſunt ebrietatis & libidinis. Itaque theatrum Veneris Liberi quoque domus eſt. *Cicero primo de natura Deorum hoc nomine Proſerpinam intelligit his verbis,* Hunc dico Liberum Semele natum, non eum, quem majores noſtri auguſte, ſanctéque Liberum cum Cerere & Libera conſervaverant. *Et Arnobius l. 5. contra gentes,* quam ætas mortalium modo Liberam, modo Proſerpinam vocavit.

γ Quod & ipſas perhibeant ſemina emittere.] *De hoc concertatio eſt inter Philoſophos & Medicos. Nam Ariſtoteles l.1. de generat. anim. c.19. & 20. & l.2. cap. 4.* fœminas ſemen non emittere, nec ab ipſis genituram in conceptibus conferri diſſerit. *Contrarium ſentiunt Medici, ac in primis Galenus l.1. de ſemine c.5. imo ſimilitudinem natorum ad parentes ad ſemen ipſum referunt: multos autem matribus naſci quam ſimillimos videmus. Partum ei ſimilem reddi, cujus ſemen prævaleat, vult Galenus. Imóque ſi maris ſemen prævaleat, mas naſcetur, & niſi aliunde impediatur, patris ſimilis efficietur, contra ſi fœminæ, fœmella, eaque matrem referens gignetur.*

δ Bacchanalia ſumma celebrantur inſania.] *Tertull. in Apolog. c. 37.* vocat Bacchanalium furias. *& Poeta, ut ſcribit Iuſtinus Martyr. l. de Monarchia,* Bacchum furentem vocat.

ε Hæc tamen poſtea diſplicuerunt Senatui.] *Tertullianus in Apolog. c. 6.* Liberum patrem cum myſterijs ſuis Coſſ. Senatus auctoritate non modo urbe, ſed univerſa Italia eliminaverunt. *Quomodo introducta ſunt in urbem Bacchanalia, & quam fœdiſſima eſſent, & quo indicio deprehenſa à Senatu, ac dirum, vide Livium l.39. ab urbe cond. D.LXIX. & Valerium Maximum l.6. c.5.*

ζ Pilumnum à Pilo.] *Varro Pilumnum & Picumnum deos infantes eſſe ait, eiſque pro puerpera lectum in atrio ſterni, dum exploratur an vitalis ſit qui natus eſt.*

η Virginienſis dea, ut virgini Zona ſolveretur.] *Virginienſem deam priſci illi colebant, quæ Zonæ virginali ſolvendæ præerat. Solebant enim viri prima nocte ſponſæ zonam in honorem Virginienſis deæ dicatam ſolvere. Quod Homerus λ. Οδύσσ. expreſſit λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην.* Solvit autem virginalem zonam, *quo referendum eſt & illud Catulli,* Et zonam ſolvit diu ligatam. *Ea fortaſſe erat Cinctia Iuno, cujus nomen auctore Feſto ſanctum habebatur in nuptijs, quod initium conjugij erat cinguli ſolutio, quo nova nupta erat cincta, inde Græcis λυσίζωνος, ſolvizona, ut quæ virgineam zonam ſolvit, λυσιζώνη etiam Epithetum eſt Dianæ: Veruntamen ajunt zonam illam ſolvi ſolitam cum nupta pareret, non prima nocte nuptia-*

nuptiarum. Interpres Apollonij λύουσι τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκτουσαι, καὶ ἀνατιθέασι Ἀρτέμιδι, ὅθεν καὶ λυσιζώνης Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἦν ἐν Ἀθήναις.

θ Dea Pertunda ibi quid facit.] *Arnob. l. 4. adverſus gentes:* Etiamne Pertunda, quæ in cubiculis præſto eſt virginalem ſcroben effodientibus maritis.

ι Priapus nimis maſculus.] *Scribit Lactant. l. 1. c. 2. inter aſellum Sileni & Priapum ortum eſſe certamen de membri obſcæni magnitudine: Priapum victum, & iratum interemiſſe victorem. Arnobius l. 3.* Helleſpotiacum Priapum inter duas virgines atque matres circumferentem res illas præliorum ſemper in expeditione paratas.

κ Super cujus immaniſſimum & turpiſſimum faſcinum.] *Mutinus dicitur Arnobio l. 4.* etiamne Mutinus, cujus immanibus pudendis, horrentique faſcino veſtras inequitare matronas & auſpicabile ducitis, & optatis? *& Lactantius l. 1. c. 20.* & Mutinus, in cujus ſinu pudendo nubentes proſident, ut illarum pudicitiam prior ille Deus delibaſſe videatur.

λ Ad Næniam Deam.] *Næniam Deam funerum veteres coluerunt, cui ſacellum fuiſſe extra urbem non longe à Viminali porta, auctor eſt Feſtus: bujus dea meminit etiam Arnobius l. 4. Nænia etiam carmen eſt, ut ſcribit Feſtus, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam.*

CAP. X.

De libertate Senecæ, qui vehementius civilem theologiam reprehendit quàm Varro fabuloſam.

LIbertas ſanè quæ huic defuit, ne iſtam urbanam theologiam theatricæ ſimillimam apertè ſicut illam reprehendere auderet, Anneo Senecæ, quem nonnullis indiciis inveniemus *a α* Apoſtolorum noſtrorum claruiſſe temporibus, non quidem ex toto, verùm ex aliqua parte non defuit. Affuit enim ſcribenti, viventi defuit. Nam *b* β in eo libro, quem contra ſuperſtitiones condidit, multò copioſius atque vehementius γ reprehendit ipſe civilem iſtam & urbanam theologiam, quàm Varro theatricam atque fabuloſam. Cum enim de ſimulachris ageret, ſacros inquit, immortales inviolabileſque deos in materia δ viliſſima atque immobili dedicant, ε habitus illis hominum ferarumq; & piſcium. Quidam verò mixto ζ ſenſu diverſis corporibus induunt: numina vocant, quæ ſi ſpiritu accepto ſubito occurrerent, η monſtra haberentur. Deinde aliquanto poſt, cum theologiam naturalem prædicans, quorundam philoſophorum ſententias digeſſiſſet, oppoſuit ſibi quæſtionem, & ait: Hoc loco dicet aliquis: Credam ego cœlum & terram deos eſſe, & ſupra lunam alios, infra alios? Ego feram aut Platonem, *c* θ aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit Deum ſine corpore, alter ſine animo? Et ad hoc reſpondens, quid ergo tandem, inquit: veriora tibi videntur T. Tatii, aut Romuli, aut Tulli Hoſtilii * ſomnia? Cluacinam T. Tatius dedicavit deam, Picum, Tyberinúmq; Romulus: Hoſtilius pavorem atq; pallorem teterrimos hominũ affectꝰ, quorũ alter mentis territæ motꝰ eſt, alter corporis, nec morb. quidem, ſed color. Hæc nu-

* al. numina.

numina potius credes, & cœlo recipies? De ipſis verò *ι* ritibus crudeliter turpib. quàm liberè ſcripſit? Ille, inquit, viriles ſibi partes amputat: ille lacertos ſecat. *κ* Ubi iratos deos timent, qui ſic propitios mirentur? Dii autem *λ* nullo debent coli genere, ſi & hoc volunt. Tantus eſt perturbatæ mentis & ſedibus ſuis pulſæ furor, ut ſic dii placentur, quemadmodum *d* ne homines quidem. Sæviunt teterrimi *e μ* & in fabulas traditi crudelitatis Tyranni, laceraverunt aliquorum membra, neminem ſua lacerare juſſerunt. *ν* In *f* regiæ libidinis voluptatem caſtrati ſunt quidam, ſed nemo ſibi ne vir eſſet jubente domino manus intulit. *ξ* Se ipſi in templis contrucidant, vulneribus ſuis ac ſanguine ſupplicant. Si cui intueri vacet, quæ faciunt, quæque patiuntur, inveniet tam indecora honeſtis, tam indigna liberis, tam diſſimilia ſanis, ut nemo fuerit dubitaturus furere eos. Si cum paucioribus furerent, nunc ſanitatis patrocinium inſanientium turba eſt. Jam illa, quæ in ipſo Capitolio fieri ſolere commemorat, & intrepidè omnino coarguit, quis credat niſi ab irridentibus, aut furentibus fieri? Nam cum *ο* in ſacris Ægyptiis *g* Oſirim lugeri perditum, mox autem de invento magnum fuiſſe gaudium deriſiſſet, cum perditio eius inventioque fingatur, dolor tamen ille atque lætitia ab eis, qui nihil perdiderunt, nihilque invenerunt, veraciter exprimatur: Huic tamen, inquit, furori certum tempus eſt. Tolerabile eſt, ſemel in anno inſanire. In Capitolium perveni, pudebit publicatæ dementiæ, quòd ſibi vanus furor attribuit officii: alius numina Deo ſubjicit, alius horas Jovi nunciat, alius lictor eſt, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem. Sunt, quæ Junoni ac Minervæ capillos diſponant, longè à templo non tantum à ſimulachro ſtantes, digitos movent ornantium modo. Sunt quæ ſpeculum teneant, ſunt, quæ *h* ad vadimonia ſua deos advocent. Sunt, qui libellos offerant, & illos cauſam ſuam doceant. *i* Doctus archimimus ſenex jam decrepitus, quotidie in Capitolio mimum agebat, quaſi dii libenter ſpectarent, quem homines deſierant. Omne illic artificum genus operantium diis immortalibus deſidet. Et paulò poſt: Hi tamen, inquit, etiamſi ſupervacuum uſum, non turpem nec infamem Deo promittunt. Sedent quædam in Capitolio, quæ ſe à Jove amari putant: *k* nec *π* Junonis quidem, ſi credere poëtis velis, iracundiſſimæ reſpectu terrentur. Hanc libertatem Varro non habuit, tantummodo poëticam theologiam reprehendere auſus eſt, civilem non auſus eſt, quam iſte concidit. Sed ſi verum attendamus, *ρ* deteriora ſunt templa, ubi hæc aguntur, quam theatra, ubi finguntur. Unde in his ſacris civilis theologiæ has partes potius elegit Seneca ſapienti, ut eas in animi religione non habeat, ſed in actibus fingat. Ait enim: Quæ omnia ſapiens ſervabit tanquam legibus juſſa, non tanquam diis grata. Et paulò poſt: Quid quod & matrimonia, inquit, deorum jungimus, & ne piè quidem fratrum ſcilicet & ſororum? *l* Bellonam Marti collocamus: Vulcano Venerem: Neptuno Salaciam: quoſdam tamen cœlibes relinquimus, *m σ* quaſi conditio defecerit, præſertim cum quædam viduæ ſint, ut Populonia, vel Fulgora, & diva Rumina, quibus non miror petitorem defuiſſe.

 Omnem

Omnem iſtam ignobilem deorum turbam, quam longo ævo longa ſuperſtitio congeſſit, ſic inquit, adorabimus, ut minerimus cultum eius magis ad morem, quàm ad rem pertinere. Nec leges ergo illæ, nec mos in civili theologia id inſtituerunt, quod diis gratum eſſet vel ad rem pertineret. Sed iſte *n* *r* quem philoſophi quaſi liberum fecerunt, tamen *v* quia illuſtris *o* populi Romani ſenator erat, ⌽ colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat: quod culpabat, adorabat: quia videlicet magnum aliquid eum philoſophia docuerat, ne ſuperſtitioſus eſſet in mundo, ſed propter leges civium moresq; hominum, non quidem ageret fingentem ſcenicum in theatro, ſed imitaretur in templo, eò damnabilius, quod illa quæ mendaciter agebat, ſic ageret, *p* χ ut eum populus veraciter agere exiſtimaret. Scenicus autem ludendo potius delectaret, quàm fallendo deciperet.

L. Vives. *a* APoſtolorum noſtrorum claruiſſe temporibus.] *An fortè indiciis illarum epiſtolarum, quæ circumferuntur Pauli ad Senecam, & huius viciſſim ad illum, quas non credo ab illis eſſe ſcriptas. Sed conſtat principatu Neronis & Senecam claruiſſe, conſulemq; fuiſſe, & Petrum ac Paulum Apoſtolos extremo ſupplicio pro Chriſti pietate cohoneſtatos. Apoſtoli namq; & Seneca intra duos annos è vita migrarunt, ac neſcio an eisdem Silio Nerva & Attico Veſtino conſulibus.*

b In eo libro quem contra ſuperſtitiones.] *Libri Senecæ nonnulli ſunt amiſſi, ut hi de ſuperſtitionibus, & de matrimonio, cuius meminit Hieronymus adverſus Jovinianum, diſputans de matura morte, cuius Lactantius, & de terræ motu, cuius idem ipſe Seneca. Huius jacturam ut aliorum complurium veterum ſcriptorum, deploravit Joannes Andreas Straneus civis meus, in Annotationibus quas in Senecam ipſum ſcribit, quarum guſtum miſit ad me epiſtola, qua mecum amicitiam iniit. Homo qui ut ſummæ eruditioni ſummam quoq; probitatem adjunxit, ita mirum quàm literas meliores, optimaq; ſtudia adjuvare pro virili conetur, & iis qui in hoc incumbunt candidè ac toto pectore bene velit, & faveat.*

Ioannes Andreas Straneus

Strato. *c* Aut Peripateticum Stratonem.] *Strato Lampſacenus fuit Archeſilai filius, qui Phyſicus cognominatus, quod eo ſtudio ſit præter cætera oblectatus, auditor Theophraſti, curatorq; teſtamenti, & ſcholæ ſucceſſor, Ptolemæi Philadelphi magiſter. Stratones octo ponit Laertius in Vitis.*

d Ne quidem homines.] *Volunt interponi ſemper aliquid grammatici inter ne & quidem, ſed conjuncta ſine verbo aliquo interjecto ſexcenties apud Ciceronem, & Livium & Plinium, & alios invenias, niſi ad illa omnia unicam dent reſponſionem librarij erratum eſſe: non quin putem elegantius interponi, nec aliter ipſe loqui velim.*

e Et in fabulas traditi crudelitatis.] *Ut Dionyſii, Phalaris, Mezentius, Tarquinius Superbus, Sylla, Cinna, Marius, Tyberius, & Claudius, & Caligula.*

f Regiæ libidinis voluptate.] *Antiqui libri, in regiæ libidinis voluptatem. Habebant veteres reges præcipuè Perſarum ſuos eunuchos, quibus multum fidebant.*

Oſiris. *g* Oſirim lugeri perditum.] *Cum Oſiris à fratre Typhone eſſet laceratus, pœnaq; de Typhone eſſet ab Iſide & Oro Apolline accepta, magno cum luctu corpus Oſiridis*

Oſiridis quæſitum eſt: cumq́ eſſet inventum, etiam ſi diſperſum, tamen magno gaudio Iſis eſt affecta, idq́ poſtea inſtituit, ut quotannis certo tempore cum lachrymis & ejulatu Oſiris quæreretur, lætitia magnisq́ ludis celebraretur productus puer, ceu inventus. Ideo Lucanus ait:

Nunquamq́ ſatis quæſitus Oſiris

b Ad vadimonia ſua.] *Vadari eſt aliquem ad judicem certa die advocare, vadimonium eſt ſponſio ipſa oſtendi ſe in judicio. Hinc vadimonium obire apud Ciceronem, eſt ſe ſiſtere, & non obire contra, quod eſt deſerere, ſicut Plinius ait in præfatione hiſtoriæ naturæ, niſi cùm vadimonium eſt dilatum à prætore. Exemplorum pleni ſunt autores. Faciebant ergo deos ut homines advocatos, cùm cauſam eſſent dicturi.* Vadari. Vadimonium.

i Doctus Archimimus.] *Mimi à μιμέομαι dicuntur, quaſi imitatores, qui in ſcena geſtus actusq́ eorum, quos irridere volunt, imitantur: tum etiam mores, qui ethologi nominantur, & ethopœi, unde ethopœia apud Quintilianum. Pantomimi ſunt rerum omnium imitatores. Archimimi præcipui, & cen mimorum principes, qualis erat ille Favo temporibus Veſpaſiani: quis verò fuerit hic, cujus meminit Seneca, non temerè affirmarim.* Archimimus. Pantomimus.

k Nec Iunonis quidem.] *Hæc enim zelotypa erat & vehemens ſævaq́ in privignos omnes & pellices, quæ ne Dædalæ quidem illi ignovit, h. e. ſtatuæ ligneæ, quam ſe Iupiter iratus finxit ducere in Bœotia. Nam reconciliata conjugi Iovi ſtatuam cremari juſſit, ut Plutarchus narrat. Hinc lex Numæ vetuſtiſſima, Pellex aram Junonis ne tangito: ſi tanget, Junoni crinibus dimiſſis agnum fœminam cædito.* Iuno.

l Bellonam Marti.] *Alij Bellonam matrem eſſe volunt, non uxorem. Nerienem verò, ſeu, ut Varro dixit, Nerienem ejus eſſe conjugem; quod verbum, ſicut Gellius tradit, Sabinum eſt, eoq́ ſignificatur virtus & fortitudo. Unde Nerones dicti à præſtanti fortitudine. Sed Sabini à Græcis mutuati ſunt, qui vincula & firmamenta membrorum νεῦρα nominant, unde Latini nervos. Plautus in Truculento. Mars peregrè adveniens ſalutat Nerienem uxorem ſuam. Gellius libro x. Noct.*

m Quaſi conditio defecerit.] *Conditio in fœminis eſt conjugium: unde quærere conditionem, & invenire conditionem filiæ. Quærendam conditionem filiæ dixit Livius l. 4. & Cic. in Philippicis. Hinc apud juriſconſultos in verbis repudij erant & illa: Conditione tua non utar.*

n Quem philoſophi quaſi liberum.] *Idem Seneca philoſophiæ ſerviendum eſſe dicit, ſi liberi eſſe velimus, quaſi liberum dixit arguté. q. non exactè liber abſoluteq́ fuerit, ſed propemodum liber.*

o Populi Ro. ſenator.] *Exulavit Seneca ſub Claudio principe: ſed cùm Claudius ſublata Meſſalina Agrippinam duxiſſet, hac Seneca reditum, & ſenatum, & præturam à Claudio impetravit, ut Neronem filium inſtitueret. Hinc factus eſt poſtea conſul cum Trebellio Maximo, quemadmodum Ulpianus inquit l. xxxvj.*

xxxvj. Pandect. juris civilis, ingentes & invidioſiſſimas opes poſſedit. Tranquillus & Tacitus. Iuvenalis: Senecæ prædivitis orti.

p Ut enim populus veraciter.] *Ideo nocebat exemplo, quod ne committeret, Elezarus maluit mortem obire. 2. Machab. 6. quantum hic ſanctius & verius philoſophicè.*

F.L.Cap. *α* APoſtolorum noſtrorum claruiſſe temporibus.] *An argumento erunt epiſtolæ, quæ feruntur D. Pauli ad Senecam, & Senecæ ad eundem? certe eas probare videtur D. Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, & item D. Auguſt. ep. 54. ad Macedonium. Pamelius ad c. 20. l. de anima Tertull. Hieronymo potius credendum ſcribit, quàm Ludovico Vivi, qui hoc loco eas ab illis ſcriptas negat; hanc olim fuiſſe paſſim opinionem ſcribit Lipſius: Suſpectæ merito ſunt illæ epiſtolæ Baronio, tomo 1. A. CHR. 71. Unde autem fluxerit hæc opinio de illis epiſtolis, oſtendit. Extant enim quædam acta Paſſionis Pauli, Lini nomine, conſignata, in quibus hæc leguntur de Paulo & Seneca: Inſtitutor imperatoris adeo eſt illi amicitia copulatus, videns in eo divinam ſcientiam, ut ſe à colloquiò illius vix temperare poſſet, quo minus ſi ore ad os alloqui non poſſet illum, frequentibus certe datis, & acceptis literis ipſius dulcedine, atq; amicabili colloquio frueretur. Sed ea acta multis erroribus eſſe referta, ut Lini non eſſe conſtet, idem oſtendit. Verùm aliunde conſtat, Senecam Apoſtolorum claruiſſe temporibus: ſub Nerone enim cujus præceptor fuit, vixit, & etiam mortem obijt, ſub quo etiam pro Chriſtiana fide Apoſtolorum principes martyrio coronati ſunt.*

β In eo libro, quem contra ſuperſtitiones condidit.] *Hunc librum citat & Tertullianus in Apolog. c. 12. qui jam non extat. Ut nec liber de matrimonio, quem citat D. Hieronymus adverſus Iovinianum ſub finem, nec exhortationum libri, quos citat Lactantius l. 1. c. 5. nec libri mortales, quos item citat l. 2. c. 2.*

γ Reprehendit iſte civilem iſtam & urbanam Theologiam.] *Quod teſtatur & Tertull. in Apologet. c. 12. & Lactant. l. 2. c. 2.*

δ In materia] viliſſima atque immobili.] *Quæ exſibilat Euſebius l. 3. de Præparat. Evangelij c. 3. hunc errorem gentilium & Sophocles agnovit, ut docet Clemens Alexandr. l. 5. ϛρωματ. & Iuſtinus ἐν προτρεπτικῷ.*

ε Habitus illis hominum, fararumque & piſcium.] *Eo reprehendit Gentilium inſaniam Apoſtolus Romanorum 1.* Quod mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. *Plutarch. l. 1. de Placitis philoſoph. c. 6. ſcribit, antiquos formam humanam dijs adſcripſiſſe,* Quod omnium rerum principatus ſit penes numen: omnibus autem animalibus pręſtet homo pulcritudine, virtutũ ornamentis, mente. Itaque præſtantiſſimos ſimiles eorum, quæ alijs omnibus eſſent ſuperiora, cenſuerunt.

ζ Quidam vero diverſo ſexu.] *Alij legunt diverſos ſexus, quæ lectio melior eſt.*

η Monſtra haberentur.[*Quod ſcribit & Tertull. in Apolog. c. 16.* Canino & leonino capite commiſtos, & de capro, & de ariete cornutos, & à lumbis hircos, &

tos, & cruribus ſerpentes, & planta, vel tergo alites deos receperunt, *& Minutius*, de capro & homine mixtos deos, & leonum, & canum deos dedicatis, nonne & Albam bovem cum Ægyptijs adoratis & paſcitis? *Expreſſit & hac Leonum monſtra Prudentius l.1. adverſus Symmachum.*

Quos penes omne ſacrum eſt, quidquid formido tremendum
Suaſerit; horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monſtra Deos.

ι Aut Peripateticum Stratonem.] *Hic diſcipulus fuit Theophraſti, & ſucceſſit illius ſchola, Archeſilai filius Lampſacenus, qui ideo eſt appellatus, ut tradit Laertius in ejus vita, quod in ea ſpeculatione pra cateris diligentiſſimè verſatus eſſet; fuit praceptor Ptolomai Philadelphi, à quo talentis 80. donatum ferunt.*

κ Ritibus crudeliter turpibus.] *De crudelitate ejusmodi ſacrorum videndus Tertullianus in Apologet. c.9. Iuſtinus Martyr. Apolog. c. 1. ad Senatum. Clemens Alexandrinus in* προτρεπτικῷ. *Lactant. l.1. c.21.*

λ Ubi iratos deos timent, qui ſic propitios merentur.] *Cui conſonat illud Lactantij l.1. c.21.* O dementiam inſanabilem, quid illis iſti Dij amplius facere poſſent, ſi eſſent iratiſſimi, quam faciunt propitij? quid poteſt eſſe his hominibus ſancti? At quid in prophanis locis facient? qui inter aras Deorum ſumma ſcelera committunt?

μ Nullo debent coli genere.] *Ibidem Lactant.* Sectis namque humeris & utraque manu diſtrictos gladios exerentes currunt, efferuntur, inſaniunt. *Optime igitur Quintilianus in Fanatico:* Iſtud, *inquit,* ſi Deus cogit, iratus eſt, nonne ſatius eſt pecudum more vivere, quam Deos tam impios, tam profanos, tam ſanguinarios colere? *Tertullianus in carmine ad Senatorem ex Chriſtiana religione ad idolorum ſervitutem converſum.* Quis patiatur eam te matrem credere magnam, poſſe Deam dici rurſusque putare colendam, cujus cultores inſania turpis inurit?

ν In fabulas traditi crudelitatis.] *Ut Buſyris Ægyptiorum tyrannus crudeliſſimus, Mexentius Tyrrhenorum rex, de quo Virgilius, ſine reſpectu Deorum, in homines impius, ait Macrobius l.3. Saturna. c.5. Phalaris, de quo Ariſtoteles l. 7. Ethicorum c.6. & Athenaus l.9. Sylla, Marius, Tyberius, Caligula, Nero, Domitianus, Heliogabalus, Maximinus monſtra fuere crudelitatis. In Chriſtianos crudeliſſimi fuere, pra cateris Diocletianus & Maximianus, habes exempla crudelitatis apud Senecam l.3. de ira à c.14. ad 18.*

ξ In regiæ libidinis voluptatem caſtrati ſunt quidam.] *A Perſis ortam puerorum caſtrationem, & ipſam ſpadonum appellationem tradit Stephanus de urbibus,* Σπάδα *(inquiens)* οὐδετέρως κώμη περσική, ἐν ᾗ πρώτη εὐνουχισμὸς γέγονεν, ὅθεν σπάδοι λέγονται. *Ab Aſſyrijs & Medis luxum hunc manaſſe dubium non eſt. Babyloniorum regem Nabuchodonoſorem ex Iudaica juventute quoſdam, nec non ex alijs gentibus bello, in ipſo atatis flore, caſtrari curaſſe, auctor eſt Joſephus lib. 10. Antiquit. Iudaic. c 16 D. Hieronymus in c. 1. Danielis ſcripſit, arbitrari Hebraos Danielem, Ananiam, Aſariam, & Miſaelem fuiſſe Eunuchos in aula Re-*

gis Babylonis, Semiramidem omnium primam mares caſtraſſe ſcribit Ammianus Marcellinus l.14. Teneres mares *(inquit)* caſtravit omnium prima, velut vim injectans naturæ. *Cauſam caſtrandi Medis fuiſſe τὴν τρυφὴν Athenæus ait. Unde Claudianus in Eutrop. l. 1.*

——Seu Perſica ferro
Luxuries naſci vetuit lanuginis umbram.

De hujuſmodi Regia libidine merito conqueritur Seneca l. 1. controverſ. cap. 4. Principes, *inquit*, viri contra naturam ſuas divitias exercent, caſtratorum greges habent, exoletos ſuos, ut ad majorem patientiam idonei ſint, amputant.

ο Seipſi in templis contrucidant.] In ſacris matris Deum, *ait Lactant. l. 1. c. 21.* homines ſuis ipſi virilibus litant: amputato enim ſexu, nec viros ſe nec fœminas faciunt. In ſacris Bellonæ *(ait ibidem)* ſacerdotes non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant: ſectis namque humeris, & utraque manu diſtrictos gladios exerentes currunt, efferuntur, inſaniunt.

π In ſacris Oſyrim lugeri perditum.] *De hujuſmodi ſacris ita Minutius.* Conſidera, *inquit*, ſacra ipſa & ipſa myſteria, invenies exitus triſtes, fata & funera, & luctus atque planctus miſerorũ Deorũ. Iſis perditũ filiũ cum Cynocephalo ſuo, & alijs ſacerdotibus luget, plangit, inquirit, & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & dolorem infœliciſſimæ matris imitantur: mox invento filio gaudet Iſis, exſultant ſacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur, nec denſiunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdunt. Nonne ridiculum eſt vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas? Hæc tamen Ægyptia quondam, nunc & ſacra Romana ſunt. *De ijſdem Lactantius l. 1. c. 21. Euſebius l. 2. de præparat. Evang. c. 1. Theophilus ſerm. 1. ad Autolicum. Fabula extat apud Diodorum l. 1. c. 2. extat & libellus Plutarchi de Iſide & Oſiride. Tertull. carmi. ad ſenatorem ex Chriſtiana religione ad idolorum cultum converſum, ſacerdotibus Iſidis in ſacris ſuis tunicas muliebres tribuit, mutatum ſexum, lacerationem corporis, & fuſionem cruoris.*

ρ Nec Iunonis quidem iracundisſimæ.] *Lactant. l. 1. c. 17. Iuno pellices acerrime perſecuta eſt, quia parere ipſa non potuit ex fratre.*

σ Deteriora ſunt templa, ubi hæc aguntur.] *Id exprobrat Gentilibus Tertull. in Apologet. c. 15.* In templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerumque æditüorum, & ſacerdotum tabernaculis ſub ijſdem vitis, & apicibus & purpuris, thure flagrante libidinem expungi. *Inſectatur & Iulius Firmicus l. de erro. profana. relig. c. 13.* ad Theatrum potius templa transferte, ut in ſcenis religionum iſtarum ſecreta tradantur, & ut nihil prætermittat improbitas, hiſtriones facite ſacerdotes, alter dignior locus religionibus iſtis inveniri non poterit; illic amores Deorum vilis turba decantet, illic caſus, motuſque ſaltatorij, illic Deorum in templis ab impijs & facinoroſis magiſtris.

τ Quaſi conditio defecerit.] *Conditio interdum pro matrimonio, & conjunctione*

ctione ſponſaliorum & nuptiarum uſurpatur l.36. D. de rit. nupt. l. ult. D. de proxen. apud Livium l.3. & Suetonium in Galba c.5. quo ſenſu conditiones expedire l. ult. D. de ſponſalibus, conditionem quærere. *Vel non d.l.36. D. de rit. nupt. Arnob l.1.* atque in conjugalia fœdera veniunt conditionibus ante quæſitis. *Conventa conditio dicebatur (inquit Feſtus) cum primus ſermo de nuptiis, & earum conditione habebatur in renunciatione ſponſaliorum hac uſos formula;* conditione tua non utor, *ſcribit Cajus l. 2. D. de ſponſal. apud Curtium l. 15. ubi Darius filiam Alexandro offert in matrimonium, & pro dote quidquid inter Helleſpontum & Euphratem jacet,* Optimum *(ait Parmenio,)* regnum aucupari poſſe conditione, non bello.

υ Quem philoſophi quaſi liberum fecerunt.] Zeno, *ut teſtatur Laertius in ejus vita*, liberos ſolos eſſe dicebat, qui ſunt ſtudioſi. *Cic 5. Paradoxo docet*, ſolos ſapientes liberos eſſe. *Seneca ipſe epiſt. 8. ſcribit ex philoſophia verum libertatem peti:* philoſophiæ, *inquit*, ſervias oportet, ut tibi contingat vera libertas. *Diogenes licet ſervus, qui tamen philoſophus, dicebat ſe ſcire hominibus liberis imperare. Verum quia non fuit vera ſapientia in Seneca, nec divinæ philoſophiæ gnarus erat, ideo eum non vere liberum, ſed quaſi liberum effectum docet.*

Φ Illuſtris populi Romani Senator.] *Senator factus eſt Seneca, cum illi principatu Claudij opera Meſſalinæ in exſilium relegato Agrippina ſimul reditum & patriam impetravit, eumq́; Neroni præceptorem dedit.*

χ Colebat quod reſpuebat, agebat quod arguebat.] *Hoc eſt, in quo doctos, ac prudentes viros perſtringit Lactantius l.3.c.3.* Videmus (inquit) doctos ac prudentes, cum religionum intelligant vanitatem, nihilominus tamen in ipſis, quæ damnant, colendis neſcio qua pravitate perſtare. *Deinde notat expreſſim Ciceronem, ut hic D. Auguſtinus Senecam.* Intelligebat *(ait)* falſa eſſe, quæ homines adorarent, nam cum multa dixiſſet, quæ ad everſionem religionum valerent, ait tamen non eſſe illa vulgo diſputanda, ne ſuſceptas publice religiones talis diſputatio extinguat.

ψ Ut eum populus veraciter agere exiſtimaret.] *Atqui ut verbo non licet, ita nec facto mentiri maxime in re graviſſima, cujusmodi eſt religio. Eleazarus maluit mortem pati acerbiſſimam, quam fingere, ne ſuo exemplo aliis noceret: 2. Machabæor. 6. Tamen 4. Regum 5. Eliſeus permiſit Naamam Syro, ut quando rex Syriæ ingrediebatur templum idolorum, ipſe una cum eo poſſet ingredi; & adorare verum Deum etiam coram idolo, cum exiſtimaretur adorare idolum. Verum non nocebat exemplo ſuo, nec ex illius facto ſequebatur aliquod ſcandalum, quia inter infideles verſabatur, nec idola Syrorum, ſed verum Deum Iſrael adorabat, neq́; ut Cicero, vel Seneca, colebat quod reprehendebat, aut in falſa aliqua religione præſtabat, ne facto quidem, aut externo actu, cum in templo non proſterneret ſe idolo, ſed Regi ipſi Syriæ.*

CAP. XI.
Quid de Judæis Seneca ſenſerit.

Sabbata Judæorũ reprehenſa.

HIc inter alias civilis theologiæ ſuperſtitiones *a* reprehendit etiam ſacramenta Judæorum, & β maximè ſabbata, inutiliter id eos facere affirmans, quod per illos ſingulos ſeptem interpoſitos dies, ſeptimam ferè partem ætatis ſuæ perdant vacando, & γ multa in tempore urgentia non agendo lædantur. δ Chriſtianos tamen jam tunc Judæis inimiciſſimos, in neutram partem commemorare auſus eſt, ne vel laudaret contra ſuæ patriæ veterem conſuetudinem, vel reprehenderet *a* contra propriam forſitan voluntatem. De illis ſanè Judæis cum loqueretur, ait: Cum interim uſque eò ſceleratiſſimæ gentis conſuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta ſit, ε victi victoribus leges dederunt. Mirabatur hæc dicens, & quid divinitus ageretur, ignorans. Subjecit planè ſententiam, qua ſignificaret, quid de illorum ſacramentorum ratione ſentiret. Ait enim: Illi tamen cauſas ritus ſui noverunt, & major pars populi facit, quod cur faciat, ignorat. Sed de ſacramentis Judæorum, vel cur, vel quatenus inſtituta ſint autoritate divina, ac poſtmodum à populo Dei, cui vitæ æternæ myſterium revelatum eſt, tempore quo oportuit eadem autoritate ſublata ſint, & aliàs diximus: maximà ζ cum *b* adverſus Manichæos ageremus: & in hoc opere loco opportuniore dicendum eſt.

Chriſtianos nec vituperat nec laudat Seneca.

L. Vives. *a* CONtra propriam forſitan voluntatem.] *Incenſa à Nerone Roma, cum rei facinoris multis per impudentiſſimam calumniam ab emiſſariis principis ſubjicerentur, Chriſtiani ſunt quæſiti, quorum ſupplicia non dubitabat Nero, quin futura eſſent popularia ob novum religionis genus, quorum pœnæ tam exquiſitæ, omnemq́ humanitatem ſuperantes fuere, ut ſpectanti populo miſericordiam moverent. Seneca à principe petiit, ut in rus aliquod ſecedere valetudinis cauſa liceret, quod cum non impetraſſet, domi atq́ adeò in cubiculo multos menſes ſe continuit. Tacitus ad evitandam invidiam ſacrilegiorum Neronis hoc interpretatur. Ego verò quod lanienam inſontium ſpectare non ſuſtineret.*

b Adverſus Manichæos.] *Qui vetus inſtrumentum legemq́ Judaicam calumniabantur, ut Auguſtinus narrat libro de hæreticis, ad Quod vult deum, eaſq́ ſanctas ſcripturas non à Deo, ſed ab uno ex principibus tenebrarum dictatas eſſe affirmabant. Contra hoc genus hominum variis diſputat Auguſtinus.*

F. L. Coq. *a* REprehendit etiam ſacramenta Iudæorum] *Reprehendenda quidem Senecæ tempore, cum ſufficienter promulgatum eſſet Evangelium, abrogata illa ceremonia Moſaica. Verum non eo ſenſu reprehendit; nam neq́ divinitus inſtituta unquam fuiſſe illa ſacramenta, aut ex præcepto cælitus dato ab Hebræis obſervata putavit, ſed perperam ſenſit & de Judæis, & de eorum religione; ut multi alij profani auctores; inter quos Plinius l. 3. natur. hiſtor. c. 1. Moſem magicæ artis accuſat; multa vana de Iudæis, & de eorum inſtitutis fingit Iuſtinus l. 33. Tacitus 21. Annal. ut omnino ſacrarum literarum ignarus multa comminiſcitur ridicula de Iudæis & eorum ritibus.*

β Maximè Sabbata.] *Septimum diem fuiſſe Iudæis ex inſtitutione divina magna religione obſervatum tradunt ſcripturæ, ut vel qui & ligna Sabbato collegiſſet lapidaretur. Num 6. Quod autem religio tunc fuit, nunc & ſuperſtitio eſt, cui quantum addicta ſit gens illa, patet vel ex epiſtola Syneſij ad Euoptium, ubi de navigatione ſua loquens,* Cum *(inquit)* exorta tempeſtate peracta eſſet dies paraſceves, & veſpere Sole decidente Iudæi, qui nautæ erant, Sabbatum inchoarent, qui clavum tenebat, mox ut Solem terram reliquiſſe conjectavit, relicto clavo proſtravit ſe, ſeque cuique calcandum exhibuit; rati autem naviganteſ id deſperatione eum feciſſe omnes conſternabantur: cum autem cauſam accepiſſent, quidam gladio evaginato necem eidem intendebant, ut in opus incumberet; ille vero immobilis librum legebat legis, nec minus quam Machabæus aliquis, mortem comminatam contemnebat.

γ Multa in tempore urgentia non agendo lædantur.] *Nam ſæpius hoſtibus Sabbato impreſſionem facientibus non reſtitere, ut eſt apud Ioſephum l. 12. antiqu. c. 1. ubi Ptolemaus Lagi, Rex Ægypti ingreſſus urbem Hieroſolymam Sabbato, eum diem Iudæis in otio & quiete agentibus nullo negotio potius domino, acerbe etiam & inclementer tractavit. & 1. Machabæ. ubi cum Iudæi Sabbato nollent pugnare, omnes ad unum trucidati ſunt: Ita tamen lex Sabbati interpretanda erat, ut, ubi urgeret neceſſitas, liceret etiam Sabbatho bellum gerere; quod poſtea re melius perſpecta, facile intellexerunt, dum decreverunt ſe ab hoſtibus defendere, ſi eos die Sabbathi adorirentur.*

δ Chriſtianos tamen jam tunc Iudæis.] *Baronius tom. 1. an. Chr. 66. citans hunc locum D. Auguſtini,* Si ex ſententia Auguſtini, *inquit,* Seneca Chriſtianorum nunquam meminit, quomodo eſt, ut dictæ epiſtolæ, in quibus de Chriſtianis, & Chriſtiana religione ſæpe agitur, & cum Chriſtiano homine Chriſtique Apoſtolo Senecæ adſcribantur?

ε Victi victoribus leges dederunt.) *Ioſephus l. 2. contra Appionem ſub finem ſcribit, leges Iudæorum apud Græcos & Barbaros valuiſſe plurimum.*

ζ Cum adverſus Manichæos ageremus.) *Libris contra Fauſtum Manichæum: Cur ſuo tempore ſacramenta illa Iudaica auctoritatem haberint, deinde ſint abrogata, ut ea jam obſervare impium ſit & ſuperſtitioſum: ratio eſt, quia erant inſtituta tantum in ſignificationem futurorum: ſed de his alias.*

CAP. XII.

Quod gentilium deorum vanitate detecta, nequeat dubitari æternam à eos vitam nemini poſſe præſtare, qui nec ipſam adjuvant temporalem.

NUnc autem α propter tres theologias, quas Græci dicunt mythicen, phyſicen, politicen: Latinè autem dici poſſunt, fabuloſa, naturalis, civilis: quod neque de fabuloſa, quam & ipſi multorum falſorumque deorum cultores liberrimè reprehenderunt: neque de civili, cuius illa pars eſſe convincitur, eiusque & iſta ſimillima vel etiam deterior invenitur, ſperanda eſt æterna

vita: ſi cui ſatis non ſunt, quæ in hoc volumine dicta ſunt, adjungat etiam illa, quæ in ſuperioribus libris, & maximè quarto de fœlicitatibus datore Deo plurima diſputata ſunt. Nam cui niſi uni fœlicitati propter æternam vitam conſecrandi homines eſſent, ſi dea Fœlicitas eſſet? Quia verò non dea, ſed munus eſt Dei: cui Deo niſi fautori fœlicitatis conſecrandi ſumus, qui æternam vitam ubi vera eſt, & plena fœlicitas, pia charitate diligimus? Non autem datorem eſſe fœlicitatis quenquam iſtorum deorum, qui tanta turpitudine coluntur: & niſi ita colantur, multo turpius iraſcuntur, atque ob hoc ſe ſpiritus immundiſſimos confitentur, puto ex his quæ dicta ſunt, neminem dubitare oportere. Porrò qui non dat fœlicitatem, vitam quomodo poſſit dare æternam? Eam quippe vitam æternam dicimus, ubi eſt ſine fine fœlicitas. Nam ſi anima in pœnis vivit æternis, quibus & ipſi ſpiritus cruciabuntur immundi, mors illa potius æterna dicenda eſt quam vita. Nulla quippe major & pejor eſt mors, quam ubi non moritur mors. Sed quod animæ natura, per id quod immortalis creata eſt, ſine qualicunque vita eſſe non poteſt, ſumma mors eius eſt alienatio à vita in æternitate ſnpplicii. Vitam igitur æternam, id eſt ſine ullo fine fœlicem, ſolus ille dat, qui dat veram fœlicitatem. Quam quoniam illi, quos colit theologia iſta civilis dare non poſſe convicti ſunt: non ſolùm propter iſta temporalia atque terrena, quod ſuperioribus quinque libris oſtendimus, ſed multò magis propter vitam æternam, quæ poſt mortem futura eſt: quod iſto uno etiam illis cooperantibus egimus, colendi non ſunt. Sed quoniam veternoſæ conſuetudinis vis nimis in alto radices habet, ſi cui de iſta civili theologia reſpuenda atque vitanda parum videor diſputaſſe, in aliud volumen, quod huic, opitulante Deo, ſubjungendum eſt, animum intendat.

Vita æterna.

B.L.Coq. α NUnc autem propter tres.) *Concludit h. c. non modo fabuloſam, ſed & civilem Theologiam reprobandam eſſe: h. e. cultum Deorum à civitatibus vulgo receptum; nec enim eas vitam æternam, quæ ſumma fœlicitas eſt, dare poſſe, ſed unum Deum eum eſſe, & à nobis colendum, qui ſolus vitam æternam, quæ ſumma fœlicitas eſt, ſuis largiri poſſit.*

β Sine qualicumque vita eſſe non poteſt.) *Inde falſum quod aſſeruere aliqui, cruciatibus inferni damnatorum animas tandem conſumi: quod videtur docere Arnobius l. 2. contra gentes,* cum *ſcribit*, animas neſcientes Deum perlongisſimi temporis cruciatu conſumi ignifero, *& infra* cum *ſcribit*, ſævam illam mortem non repentinam afferre extinctionem, ſed per tractum temporis cruciabilis pœnæ acerbitate conſumere.

γ Alienatio à vita in æternitate ſupplicij.] *Duplicem pœnam damnatorum inſinuat, damni, ut vocant Theologi, quæ eſt alienatio à vera vita, ſeu privatio divini conſpectus & ſenſus, qua cruciantur in igne inferni. In peccato enim duo ſunt, averſio ab incommutabili bono, cui reſpondet pœna ipſa damni, & converſio ad commutabile bonum, cui reſpondet pœna ſenſus.*

DIVI

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI

AD MARCELLINUM

DE CIVITATE DEI

LIBER VII.

Cap. I.

An cum in theologia civili divinitatem non eſſe conſtiterit, in ſelectis diis eam inveniri poſſe credendum ſit.

DIligentius me pravas & veteres opiniones veritati pietatis inimicas, quas tenebroſis animis altius & tenacius diuturnus humani generis error infixit, evellere atque extirpare conantem: & illius gratiæ, qui hoc ut verus Deus poteſt, pro meo modulo in eius adjutorio cooperantem, ingenia celeriora atque meliora, quibus ad hanc rem ſuperiores libri ſatis ſuperque ſufficiunt, patienter & æquanimiter ferre debebunt: & propter alios non putare ſuperfluum, quod jam ſibi ſentiunt non eſſe neceſſarium. Multum magna res agitur, cum vera & verè ſancta divinitas, quanuis ab ea nobis etiam huic, quam nunc gerimus, fragilitati neceſſaria ſubſidia præbeantur: non tamen propter mortalis vitæ tranſitorium vaporem, ſed propter vitam beatam, quæ non niſi æterna eſt, quærenda & colenda prædicatur. Hanc divinitatem, vel, ut ſic dixerim, deitatem: *a* nam & hoc verbo uti jam noſtros non piget, *α* ut è Græco expreſſius transferant, id quod illi θεότητα appellant. Hanc ergo divinitatem ſive deitatem non eſſe in ea theologia, quam civilem vocant, quæ à M. Varrone ſedecim voluminibus explicata eſt, id eſt, non perveniri ad æternæ vitæ fœlicitatem talium deorum cultu, quales à civitatibus qualiterque colendi inſtituti ſunt: cui nondum perſuaſit ſextus liber, quem proximè abſolvimus: cum iſtum forſitan legerit, quid de hac quæſtione expedienda ulterius deſideret, non habebit. Fieri enim poteſt, ut ſaltem deos ſelectos atque præcipuos, qvos Varro volumine complexus eſt ultimo: de quibus parum diximus, quiſquam colendos propter vitam beatam. Quæ non niſi æterna eſt, opinetur. Qua in re non dico *b* β quod facet us ait Tertullianus fortaſſe quàm verius, ſi dii ſeliguntur ut *c* bulbi, utique cæteri improbi judicantur. Non hoc dico, video enim etiam ex electis ſeligi aliquos ad aliquid majus atque præſtantius, ſicut in militia cum tyrones electi fuerint, ex his quoque eliguntur ad opus aliquod majus armorum. Et cum eliguntur in eccleſia, qui fiant præpoſiti, non utique cæteri reprobantur, cum γ omnes boni fideles electi meritò nuncupentur. Eliguntur in ædificio lapides angulares, non reprobatis cæteris, qui ſtructuræ partibus aliis deputantur. Eliguntur uvæ ad veſcendum, nec reprobamus

alias, quas relinquimus ad bibendum. Non opus eſt multa percurrere, cùm res in aperto ſit. Quamobrem non ex hoc, quod dij ex multis quidem ſelecti ſunt, vel is, qui ſcripſit, vel eorum cultores, vel dij ipſi vituperandi ſunt: ſed animadvertendum potius, quinam iſti ſint, & ad quam rem ſelecti videantur.

L. Vives. a NAm & hoc verbo ut jam noſtros.] *Hieronymum, Lactantium, Fulgentium, Græci olim à θεῖος, h.e. divinus, ſubſtantivum derivabant θειότης, divinitas: qua vox Chriſtianis hominibus tam latè patere viſa eſt, quàm nomen ipſum divinus. Idcirco cùm propriam illam Dei naturam appoſitiore vocabulo ſignificare vellent, θεότητα nominarunt, Athanaſius, uterq́ Gregorius, & alij Græci, quod ipſis magis permittebatur, ut Quintilianus inquit, quàm Latinis. Sed nec Latini deterriti ſunt arctis linguæ, ridigisq́ præceptis, quominus & ipſi deitatem dicerent, naturam illam Dei ſignificantes, quæ Deo propria eſt, nec ad alia egreditur, ad quæ divinus & divinitas. Nam divinitas dicitur orationis, libri, rei geſtæ, hominis, & aliarum rerum. Deitas non dicitur, ſicut nec illa ſunt dij, licet eſſe divina poſſint. Quocirca Latinos Chriſtianæ pietatis ſcriptores immeritò mihi Laurentius Val. in Dialectica ſua videtur arguere, quod deitate utantur novo quidem vocabulo, ſed in re prius non uſu trita. Nam Græcos reprehendere, quòd verba ſuo ſibi fingant arbitratu, h.e. antiquam Græciæ libertatem opprimere.*

Deitas.

Divinitas.

Tertullianus. b Quod facetius ait Tertullianus.] *De hoc in ſcriptoribus eccleſiaſticis Hieronymus: Tertullianus presbyter provinciæ Africæ, civitatis Carthaginenſis, patre Centurione proconſulari, hic acris & vehementis ingenij ſub Severo principe & Antonino Caracalla floruit, multaq́ ſcripſit volumina, quæ quia nota ſunt pluribus, prætermittimus. Cyprianus martyr absq́ Tertulliani lectione, ne unam quidem diem præterijſſet, quem magiſtrum ſolitus erat vocare. Delapſus eſt Tertullianus ad Montani dogma, invidia & contumelijs Romanæ eccleſiæ clericorum impulſus. Hæc Hieronymus. Hujus libri cùm multis ætatibus latuiſſent, anno quo hæc edebamus, ſunt reperti in Germania, & cum B. Rhenani Seletſtadienſis, hominis eruditiſſimi, apud Frobenium typis æneis cuſi.*

Bulbi. c Bulbi.] *Bulbi in univerſum dicuntur omnes eæ radices, quæ ſunt in modum cæparum. Nam & bulbos liliorum dicit Palladius: ſed peculiariter ſunt bulbi, quos mergarides vocant Arabes, Venerem excitantes. Quod oſtenditur diſticho Martialis. Plinius l.19. nobiliſſimam inter bulbos ait eſſe ſcyllam, quæ eſt ceu ſylveſtris cæpe, & hanc comprehendere Epimenidiam, quam ſolam radicem in eſum venire ex ſcylleis, teſtatur Theophraſtus l.7. nam aliæ non eduntur.*

F.L.Cog. a UT & Græce expreſſius transferant.] *Certe deitas Latine, ut θεότης Græce vocabulum eſt Theologicum. Dionyſius l. de divinis nomin. c.1.* Τ ὑπερούσιον καὶ κρυφίαν θεότητα, *& ſæpius Damaſcenus l.1. de c.11.* Ἀπερίγραπτον θεότητα *nominas*, incircumſcriptam deitatem *Gregorius Nazianz.* Πῶς ἄν τις λεχθείη μᾶλλον καὶ ἑαυτῷ καὶ θεότητι μαχόμενος. *Iſidorus Peluſiota l.1. ep.247.* Μία γὰρ ἐστιν ἡ θεότης, τρεῖς δὲ αἱ ὑποστάσεις. *Verum occurrit paſſim apud Græcos patres. Verbo deitatis utitur D. Auguſtinus l.4. de Trinit. c.20. & alibi paſſim: & Fulgentius l. de fid. Orthodox.*

thodox. ad Donatum ſub finem, & lib. de incarn. & gratia Chriſti, ut immerito viſum ſit Laurentio Valla novum & inuſitatum vocabulum deitatis.

β Quas facetias ait Tertullianus.] *In Apologetico c.3. ſimile quid habet;* Cum alij alios colitis (*inquit*) utique, quos non colitis offenditis, prælati, alterius ſine contumelia alterius eſſe non poteſt, quia nec electio ſine reprobatione: *aut certe ad illum, aut ad neſcio quem Tertull. locum alludit hic D. Auguſtinus, ut etiam obſervavit Pamelius. Angelus Polit. l.4. epiſt. recenſitis Tertulliani ſcriptis:* Ipſe (*inquit*) quorundam præter hos libros meminit à ſe compoſitorum, qui nec extant.

γ Omnes boni fideles electi merito nuncupantur.] *Sic vocantur Roman. 9.* Quis accuſabit adverſus electos Dei? *Coloſſ.3.* Secundum fidem electorum Dei *2. Timoth.2.* Omnia ſuſtineo propter electos. *2. Petr.2. fideles vocantur* genus electum, *& Apocal. c.17.* vocati, & electi, & fideles: *quibus locis electi opponuntur reprobis. Licet enim omnes Chriſtiani quodammodo vocentur electi, ſimpliciter tamen in ſcriptura electi Dei illi dicuntur, qui non modo ad fidem, vel gratiam, ſed & ad gloriam ab æterno ſunt prædeſtinati: & horum comparatione cæteri reprobi dicuntur; cum itaq; D. Auguſtinus hoc loco Tertulliani ſententiam irridet diſputantis contra Varronem, quod ſi aliqui dij ſunt ſelecti, ſequitur alios eſſe reprobatos, certe D. Auguſtinus non loquitur de electione, aut electis ſimpliciter ad gloriam cum Chriſto, verum de his, qui in aliquo ſtatu ex multis eliguntur, ut conſtat ex exemplis D. Auguſtini, ut ſi ex multis tyronibus aliqui eligantur ad majorem gradum aliquem, & ſi ex multis canonicis unus in Epiſcopum eligatur, ſi ex multis lapidibus ad ædificium domus neceſſarijs aliqui præeligantur, qui in nobilioribus domus partibus collocentur, hoc enim ſenſu non ſequitur, ſi aliqui electi ſint, quod cæteri ſint reprobati, & ita conſequentiam Tertulliani tanquam minus ſolidam redarguit D. Auguſtinus: nam ſi de electis ſeu prædeſtinatis ad gloriam ſit ſermo, Tertulliani conſequentia valet, ſi aliqui ſint electi, reliquos eſſe reprobatos, cum immediate electis ejuſmodi reprobi opponantur.*

CAP. II.

Qui ſint Dii ſelecti, & an ab officiis viliorum deorum habeantur excepti.

α HOs α certè deos ſelectos Varro unius libri contextione commendat Janum, Jovem, Saturnum, Genium, Mercurium, Apollinem, Martem, Vulcanum, Neptunum, Solem, Orcum, Liberum patrem, Tellurem, Cererem, Junonem, Lunam, Dianam, Minervam, Venerem, Veſtam: in β quibus omnibus fermè viginti, duodecim mares, octo ſunt fœminæ. *b* Hæc numina utrum propter majores in mundo adminiſtrationes ſelecta dicuntur: an quod populis magis innotuerunt, majorque eſt eis cultus exhibitus? Si propterea quia opera majora ab his adminiſtrantur in mundo, non eos invenire debuimus inter illam quaſi plebeiam numinum multitudinem, minutis opuſculis deputatam. Nam ipſe primùm Janus, cùm puerperium concipitur, unde cuncta opera illa

ra illa ſumunt exordium, minutatim minutis diſtributa numinibus, aditum aperit recipiendo ſemini. *c* Ibi eſt & Saturnus propter ipſum ſemen. *d* Ibi Liber, qui matrem effuſo ſemine liberat. Ibi Libera, quam & Venerem volunt, quæ hoc idem beneficium conferat fœminæ, ut etiam ipſa emiſſo ſemine liberetur. Omnes hi ex illis ſunt, qui ſelecti appellantur. Sed & ibi eſt & *e* dea Mena, quæ menſtruis fluoribus præeſt, quanuis Jovis filia, tamen ignobilis. *f* Et hanc provinciam fluorum menſtruorum: in libro ſelectorum deorum ipſi Junoni idem autor aſſignat, quæ in diis ſelectis etiam regina eſt: & hic tanquam Juno Lucina cum eadem Mena privigna ſua eidem cruori præſidet. Ibi ſunt & duo, neſcio qui, obſcuriſſimi, Vitumnus & Sentinus, quorum alter vitam, alter ſenſus puerperio largiuntur. Et nimirum multò plus præſtant, cum ſint ignobilisſimi, quàm illi tot proceres & ſelecti. Nam profectò ſine vita & ſenſu quid eſt illud totum, quod muliebri utero geritur, niſi neſcio quid abjectiſſimum *g* limo ac pulveri comparandum.

L. Vives. Dii ſelecti.

a HOs certè deos ſelectos.] *Duodecim dijs Conſentibus, de quibus alibi ſumus locuti, adduntur octo velut patricij, ſed non ſenatores, qui etiam magnos in mundi adminiſtratione gerunt magiſtratus, & interſunt certis generibus conciliorum: quod & faciunt interdum reliqui dij. Seneca in Ludicro libello, Janum dicit ſententiam à Jove rogatum in numero patrum conſcriptorum, & quidem conſulem pomeridianum: ſed ibi ludit, & allegoricè loquitur. Tametſi hæc omnia de diis ludi ſunt, & ineptia mera. Itaq; hoc modo conjunguntur, Jupiter & Juno, Saturnus & Tellus, Mercurius & Minerva, non conjugio, ſed communitate artium: ſicut Liber pater & Ceres, tum fratres Apollo & Diana: hinc amaſii Mars & Venus: tum duo ignes, Vulcanus & Veſta: & duo lumina mundi, Sol ac Luna, Janus; Neptunus, Genius, & Orcus: ſunt ſine paribus ob ignobilitatem fœminarum.*

b Hæc numina utrum.] *Figura loquendi in problematis frequens.*

c Ibi eſt & Saturnus.] *Varro libro quarto de lingua Latina: Saturnus, inquit, à ſatu dicitur.*

d Ibi Liber, &c. ibi Libera.] *Cicero ſecundo de natura deorum, alium eſſe dicit Liberum Bacchum, Semele & Jove natum, quàm Liberum, quem Romani auguſtè ſanctèq; cum Libera & Cerere colerent: qui duo Liber & Libera filij fuerunt Cereris, ideo Liberos dictos. Idem in Verrem actione ſexta. Liberam dicit fuiſſe Proſerpinam Cereris filiam. His tribus diis templum erat juxta Circum maximum ab A. Poſthumio dictatore votum, à Tiberio Cæſare renovatum. Tacitus libro ſecundo.*

Mena.

e Dea Mena.] *Hæc Luna eſt, quæ Græcè μήνη dicitur, quæ illa menſtrua profluvia temperat, quæ ad eius rationem vel moventur, vel quieſcunt: ut Ariſtoteles libro de anima ſcribit, quæ etiam eſt Jovis & Latonæ filia. Ideo privignam eam Junonis vocat, ignobilis tamen eſt illo nomine apud Latinos.*

f Et hanc provinciam fluorum.] *Junonem Fluonam mulieres colebant, quod eam ſanguinis fluorem in conceptu retinere dicerent. Feſtus.*

g Limo ac pulveri.] *Ex principio Geneſeos, ubi hominis corpus ſumptum de limo ſcribitur, & abiturum in pulverem.*

α HOs certe deos Selectos.] *Dij ſelecti fortaſſe ijdem, qui Dij Magni, qui maximum imperium & numen habere fingebantur, ac publice colebantur; quos Cicero 3. de natur. deor.* nobiles deos, & alibi ſummates deos dicit. *Semperq́ decuriæ habitos divinæ. & de leg.* deos majorum gentium *vocat, qui ſemper cœleſtes ſunt habiti.* F.L.Coq.

β Quibus omnibus ferme viginti.] *Conſentes Dij Ennianis verſibus numerantur 12.* Juno, Veſta. Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo; *Quibus velut adſcriptitios addiderunt octo. Apud Ægyptios ſimiles fere deorum ordines ac gradus fuerunt, ut apud Herodotum in Euterpe legimus,* πρῶτοι *octo,* δεύτεροι *duodecim, & qui ex his 12. nati ſunt,* νεώτατοι καὶ ἔσχατοι *dicebantur.*

γ Ibi Liber, ibi Libera.] *Scribit Cicero 2. de natur deor. alium eſſe Liberum Bachum, Iove & Semele natum, à Libero, quem Romani cum Libera & Cerere auguſte ſancteq́ conſecrarunt. Horum trium Deorum templum Cornelius Tacitus l. 2. Annal. Romæ apud Circum maximum conſtitutum eſſe ait ab Aulo Poſtumo Dictatore votum, à Tyberio Cæſare inſtauratum. Livius l. 12.* Supplicatio, *inquit,* ad Cereris, Liberi, Liberæque fuit, quod ex Sabinis terræ motus ingens cum multis ædificiorum ruinis nunciatus erat. *Liberam eandem eſſe ac Venerem hic putatur, & c. ſeq. Cererem ſeu Venerem; Arnobius l. 5. ſecutus Ciceronem act. 6. in Verrem* Liberam Proſerpinam *intelligit.*

δ Ibi eſt & Dea Mena.] *Hæc luna eſt, quæ Græcis* Μήνη *dicitur &* Σελήνη, *quam etiam Perſas divini numinis loco habuiſſe conſtat ex Herodoto l. 2. & Strabone l. 15.*

CAP. III.

Quam nulla ſit ratio, qua de ſelectione quorundam deorum poſſit oſtendi, cum multis inferioribus excellentior adminiſtratio deputetur.

QUæ igitur cauſa, α tot ſelectos deos ad hæc opera minima compulit, ubi à Vitumno & Sentino, quos fama obſcura recondit, in huius munificentiæ partitione ſuperentur? Confert enim ſelectus β Janus aditum & quaſi januam ſemini: confert ſelectus Saturnus ſemen ipſum: confert ſelectus Liber eiuſdem ſeminis emiſſionem viris: a confert hoc idem Libera, quæ Ceres ſeu Venus eſt fœminis: confert ſelecta Juno, & hæc non ſola, ſed cum Mena filia Jovis, fluores menſtruos b ad eius quod conceptum eſt incrementum. Et confert Vitumnus obſcurus & ignobilis vitam: confert Sentinus obſcurus & ignobilis ſenſum. Quæ duo tanto illis rebus præſtantiora ſunt, quanto & ipſæ res ab his intellectu ac ratione vincuntur. γ Sicut enim quæ ratiocinantur & intelligunt, profectò potiora ſunt his, quæ ſine intellectu atque ratione ut pecora vivunt & ſentiunt: ita & illa quæ vita ſenſuque ſunt prædita, his qui nec vivunt nec ſentiunt meritò præferuntur. δ Inter ſelectos itaque deos Vitumnus

vivificator, & Sentinus ſenſificator magis haberi debuerunt, quàm Janus ſeminis admiſſor, & Saturnus ſeminis dator vel ſator, & Liber & Libera ſeminum commotores vel emiſſores: quæ ſemina indignum eſt cogitare, niſi ad vitam ſenſumque pervenerint. Quæ munera ſelecta non dantur à diis ſelectis, ſed à quibusdam incognitis, & præ iſtorum dignitate neglectis. Quod ſi reſpondetur, ε omnium initiorum poteſtatem habere Janum, & ideo illi etiam, quod aperitur, conceptui non immerito attribui: & omnium ſeminum Saturnum, & ideo ſeminationem quoque hominis non poſſe ab ejus operatione ſejungi: & omnium ſeminum emittendorum Liberum & Liberam, & ideo his etiam præeſſe, quæ ad ſubſtituendos homines pertinent: ζ omnium purgandorum & pariendorum Junonem, & ideo eam non deeſſe purgationibus fœminarum, & partubus hominum. Quærant quid reſpondeant de Vitumno & Sentino, utrum & ipſos velint habere omnium quæ vivunt & ſentiunt, poteſtatem: Quod ſi concedunt, attendant, quàm eos ſublimius locaturi ſint. Nam ſeminibus naſci in terra, & ex terra eſt. Vivere autem atque ſentire, etiam deos ſydereos opinantur. Si autem dicunt Vitumno atque Sentino hæc ſola attributa, quæ in carne viviſcunt, & ſenſibus adminiculantur, cur non DEus ille, qui facit omnia vivere atque ſentire, etiam carni vitam præbet & ſenſum, univerſali opere hoc munus etiam partubus tribuens? Et quid opus eſt Vitumno atque Sentino? quod ſi ab illo, qui vitæ & ſenſibus præeſt univerſaliter cuncta reguntur, & his quaſi famulis iſta carnalia velut extrema & ima commiſſa ſunt: itane ſunt illi ſelecti deſtituti familia, ut non invenirent, quibus etiam ipſi iſta committerent, ſed cum tota ſua nobilitate qua viſi ſunt ſeligendi, opus facere cum ignobilibus cogerentur? Juno ſelecta & regina, γ Jovisque ſoror & conjunx, hæc tamen Iterduca eſt pueris, & opus facit cum deabus ignobiliſſimis Abeona & Adeona. θ Ibi poſuerunt & Mentem deam, quæ faciat pueris bonam mentem, & inter ſelectos iſta non ponitur, δ ι quaſi quicquam majus præſtari homini poſſit. Ponitur autem Juno, κ quia Iterduca eſt, & Domiduca, quaſi quicquam proſit iter carpere, & domum duci, ſi mens non eſt bona. Cujus muneris deam ſelectores iſti inter ſelecta numina minimè poſuerunt. Quæ profecto & Minervæ fuerat præferenda, ε cui per iſta minuta opera puerorum memoriam tribuerunt. Quis enim dubitet multo eſſe melius habere bonam mentem, quàm memoriam quantumlibet ingentem? Nemo

Mens memoriâ præſtantior. enim malus eſt, qui bonam habet mentem. ζ λ Quidam verò peſſimi, memoria ſunt mirabili, qui tanto peiores ſunt, quanto minus poſſunt, quod malè cogitant, oblivisci. Et tamen Minerva eſt inter ſelectos deos. Mentem autem deam turba vilis operuit. Quid de Virtute dicam? quid de Felicitate? de quibus in quarto libro multa jam diximus: quas cum deas haberent, nullum eis locum inter ſelectos deos dare voluerunt, ubi dederunt Marti μ & Orco, ν ξ uni effectori mortium, alteri receptori. Cum igitur in his minutis operibus, quæ minutatim diis pluribus diſtributa ſunt, etiam ipſos ſelectos videamus, ζ tanquam ſenatum cum plebe pariter operari: & inveniamus à quibusdam

diis,

illis, qui nequaquam ſeligendi putati ſunt, multò majora atque meliora adminiſtrari, quàm ab illis qui ſelecti vocantur: reſtat arbitrari, non propter præſtantiores in mundo adminiſtrationes, ſed quia provenit eis ut ut populis magis innoteſcerent, ſelectos & præcipuos nuncupatos. Unde dicit etiam ipſe Varro, *g* quod diis quibuſdam patribus, & deabus matribus, ſicut hominibus ignobilitas accidiſſet. Si ergo Fœlicitas ideo fortaſſe inter ſelectos deos eſſe non debuit, quod ad iſtam nobilitatem non merito, ſed fortuitu pervenerunt ſaltem inter illos, vel potius præ illis Fortuna poneretur, quam dicunt deam non irrationabili diſpoſitione, ſed ut temerè acciderit, ſua cuique dona conferre. Hæc in diis ſelectis tenere apicem debuit, in quibus maximè quid poſſet, oſtendit: quando eos videmus, non præcipua virtute, non rationabili fœlicitate, ſed temeraria, ſicut eorum cultores de illa ſentiunt, Fortunæ poteſtate ſelectos. Nam & vir diſertiſſimus Saluſtius etiam ipſos deos fortaſſis attendit, cum diceret: Sed profecto Fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex libidine magis quàm ex vero celebrat obſcuratque. Non enim poſſunt invenire *o* cauſam, cur celebrata ſit Venus, & obſcurata ſit Virtus, cum ab iſtis ambarum conſecrata ſint numina, nec comparanda ſint merita. Aut ſi hæc nobilitari meruit, quòd plures appetunt Venerem, quàm Virtutem, cur celebrata eſt dea Minerva, & obſcurata eſt dea Pecunia: cum in omni genere humano plures alliciat avaritia, quàm peritia? & in eis ipſis, qui ſunt artificioſi, rarò invenies hominem, qui non habeat artem ſuam pecuniaria mercede venalem, pluriſque pendatur ſemper propter quod aliquid fit, *i* quàm id propter quod illud fit. Si ergo inſipientis judicio multitudinis facta eſt deorum iſta ſelectio, cur dea Pecunia Minervæ prælata non eſt, cum propter pecuniam ſint artifices multi? Si autem paucorum ſapientium eſt iſta diſtinctio, cur non prælata eſt Veneri Virtus, cum eam longe ratio præferat? Saltem certè, ut dixi, ipſa Fortuna, quæ, ſicut putant qui ei plurimum tribuunt, in omni re dominatur, res cunctas ex libidine magis quàm ex vero celebrat obſcuratque: ſi tantum & in deos valuit, ut temerario judicio ſuo quos vellet celebraret, obſcuraretque quos vellet, præcipuum locum haberet in ſelectis, quæ in ipſos quoque deos tam præcipuæ eſt poteſtatis. An ut illic eſſe non poſſet, nihil aliud etiam ipſa Fortuna, niſi adverſum putanda eſt habuiſſe Fortunam? Sibi ergo adverſata eſt, quæ alios nobiles faciens, nobilitata non eſt.

Avaritia plures allicit, quàm peritia.

a Confert hoc idem Libera, quæ Ceres ſeu Venus eſt.] *Liberam ſororem Dioniſii diximus, Solemq; & Lunam per eos ſignificari, qui ſeminibus omnis generis præſunt, Lunam & Venerem eſſe oſtendemus, & Cererem eſſe Apuleius lib. 11. Aſini ſignificat. & Macrobius libro 1. Saturnalium, & Valerius Probus, Serviusq; primo Gergicôn Vergilii Porphyrius fructuum generativam virtutem in Luna Cererem nominari perhibet. Vergilius Liberum conjungit, Varronem ſecutus, ex quibus datur facilè intelligi Liberam quoq; dici Cererem.* L. Vives.

b Ad eius quod conceptum eſt incrementum.] *De menſtruo Plinius libro 7. hæc eſt generando homini materia, ſemine è maribus coaguli modo hoc in ſeſe glo-* *Menſtruum.*

merante, quod deinde tempore ipſo animatur corporaturq́. Ergo quum gravidis fluxit, invalidi aut non vitales partus eduntur, aut ſanioſi: ut autor eſt Nigidius; Porrò menſtruo ipſo nihil fieri poteſt magis vel tetrum, vel ſpurcum, vel etiam noxium, ut vel hoc unum ſatis ſit ad pudefaciendam hominis ſuperbiam.

c Joviſque ſoror & conjunx.] *Vergilius: Et ſoror & conjunx. De Junone frequens hoc eſt.*

d Quaſi quicquam majus.] *Vetus eſt omnium philoſophorum, nihil in orbe melius aut majus homine, nec in homine quicquam ipſa mente.*

e Cui per iſta minuta opera puerorum.] *Quinquatribus Minervæ pueri apophoreta magiſtris ferebant, vacabantq́; & illis diebus à diſcendo, ut Minervæ operarentur, quæ præeſt memoriæ, qua una continentur omnes diſciplinæ, & quæ in pueris ingenij eſt ſignum præcipuum, ut Quintilianus ait, præeſt etiam ingeniis, quæ de Jovis capite putatur nata. Ovidius tertio Faſtorum:*

Pallu. *Pallada nunc pueri, teneraq́; ornate puellæ:*
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.

Et alia de Pallade eodem loco.

f Quidam verò peſſimi.] *Plato iniucundos homines & contentioſos multum memoria valere ſcribit in Theæteto: quod haud dubiè ex ſiccitate & ſoliditate cerebri colligi poteſt.*

g quod diis quibuſdam patribus.] *Jupiter clarior eſt Saturno patre, hic Cælo: huius parentes omnino ignorantur, etſi Phurnutus patrem Cæli Acmonem nominat penitus ignotum. Juno etiam illuſtrior Ope, & hæc matre ſua.*

h Plures alliciat avaritia.] *Quærenda pecunia primum eſt, Virtus poſt nummos: hæc Janus ſummus ab imo perdocet: hæc recinunt juvenes dictata, ſenesq́; ut ait Horatius. Apud Euripidem eſt quidam qui nihil curat, quod peſſimus vocetur, modò etiam ditiſſimus, addens cauſam, ſolitos omnes quærere num quis ſit dives? non an bonus? tantiq́; ununquenq́; eſſe, quantum poſſideat.*

i Quàm id propter quod illud fit.] *Legendum: quàm id quod propter aliud fit. hoc ſenſus expoſtulat, & ſic eſt in veteribus libris. ἀξίωμα eſt Ariſt. primo Poſteriorum. Propter quod aliquid ſit, id magis eſſe: cum probat non modò prius, ſed magis etiam principia cognoſci, quam quæ ex iis manant. Quanquam hic non tam de cauſa finali loquitur, quàm efficiente: ſed in primo Ethicorum docet ea, quorum gratia alia fiant, eſſe iis, quæ fiunt præſtantiora.*

E.L.Coq. α IOt ſelectos Deos ad hæc opera minima.] *Quemadmodum antiqui finxere ſingulas partes in homine ſingulos Deos obtinere, prout ſcribit Fulgentius l. 3. Mytholog. ut Iovem caput, Minervam oculos, Iunonem brachia, pectus Neptunum, cinctum Martem, renes & inguina Venerem, pedes Mercurium. Unde illud Homeri:*

ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.

Ut velint deos omnes ſingula ſua in tam perfectam opus fabricandum contuliſſe. Eadem dementia ſingula ſingulis dijs officia diſtribuerunt.

β Ianus

β Ianus aditum & quaſi januam.] *Tertull. l. de Idololat. c.15.* Ipſum Ianum à Ianua, *fertur enim praeſſe januis. Hinc contendit Macrobius l.1. c.9. Eundem eſſe cum Apolline, qui θυραῖος vocatur.*

γ Sicut enim quæ ratiocinantur & intelligunt.] *Cum varij ſint gradus entium,* intelligere ſeu ratiocinari, ſentire, vivere, & eſſe. *Latiſſima eſt inter eos differentia, ut unum ſit alio nobilius, & quæ perfectiorem gradum obtinent, ſunt etiam nobiliora & perfectiora; Verum ab uno & eodem principio Deo ac ſummo ente omnibus datum eſt & eſſe & vivere, ut docet Ariſtoteles 1. de cælo text. 100. His quidem clarius, illis vero obſcurius; & in homine quidem qui ratiocinatur & intelligit, ſentit, vivit & habet eſſe, una & eadem anima hac omnia præſtat, quemadmodum perperam Ethnici induxerunt multos deos, quorum unus eſſe, alter vitam, alius ſenſum conferret; ita merito eorum Philoſophorum ſententia repudienda eſt, qui quot gradus eſſendi in homine, tot animas inducebant; ut alia quidem tribueret eſſe, alia vitam, alia ſenſum, &c.*

δ Inter ſelectos itaque deos.] *Argumentatur ita D. Auguſtinus, illi dij citra dubium cæteris debent præferri, & inter ſelectos haberi, quibus nobiliora opera conveniunt: hujuſmodi ſunt Vitumnus & Sentinus, ſi cum Iunone, Saturno & Libero conferantur; quid ergo iſti inter deos ſelectos recenſentur, illi minus?*

ε Omnium initiorum poteſtatem habere Ianum.) *Hinc illud Septimi Poetæ Afri relatum à Beato Rhenano ad l. Tertull. de coro. milit. & à Pamelio ad l. de Idololat. c.15.*

Iane pater, Iane tuens, Dive biceps, biformis
O care rerum ſator, ò principium deorum, &c.

Et ſolebat antiquitus in Deorum ſacris primus invocari, ut teſtatur Macrob. l.1. Saturnal. c.9.

ζ Omnium purgandorum & pariendorum Iunonem.) *Hæc fingitur à Poetis nubentibus & parturientibus præeſſe, à quibus etiam invocari ſolebat, ut docet illud Terentij.*

Iuno Lucina fer opem———

Tertullianus l. de anim. c.39. meminit totius ſuperſtitionis, quæ in puerperio vane & impie obſervabatur: Cui hominum (*inquit*) non adhærebit ſpiritus nequam ab ipſa etiam janua nativitatis animas aucupabundus, vel qua invitatus tota illa puerperij ſuperſtitione? Ita omnes idololatria obſtetrice naſcuntur, dum ipſi adhuc uteri infulis apud idola confectis redimiti genimina ſuæ dæmoniorum candidata profitentur, dum in partu Lucinæ & Dianæ ejulatur, dum per totam hebdomadam Iunoni menſa proponitur, dum ultima die fata ſcribenda advocatur, dum prima etiam conſtituto infante ſuper terram Statenæ deæ ſacrum eſt.

η Jovisque ſoror & conjunx.) *Virg. 1. Æneid. Ita Hom. Iliad. τ.*

Ἥρην δὲ προσέειπε κασιγνήτην ἄλοχόν τε.

Huc alludit Lactantius lib. 1 c.10. Stultus (*inquit*) M. Tullius, qui C. Verri objecit adulteria, eadem enim Iuppite, quem colebat, admiſit, qui P. Claudio ſororis

merante, quod deinde tempore ipſo animatur corporaturq́. Ergo quum gravidis fluxit, invalidi aut non vitales partus eduntur, aut ſanioſi: ut autor eſt Nigidius; Porrò menſtruo ipſo nihil fieri poteſt magis vel tetrum, vel ſpurcum, vel etiam noxium, ut vel hoc unum ſatis ſit ad pudefaciendam hominis ſuperbiam.

c Joviſque ſoror & conjunx.] *Vergilius: Et ſoror & conjunx. De Junone frequens hoc eſt.*

d Quaſi quicquam majus.] *Vetus eſt omnium philoſophorum, nihil in orbe melius aut majus homine, nec in homine quicquam ipſa mente.*

e Cui per iſta minuta opera puerorum.] *Quinquatribus Minervæ pueri apophoreta magiſtris ferebant, vacabantq́ & illis diebus à diſcendo, ut Minervæ operarentur, quæ præeſt memoriæ, qua una continentur omnes diſciplinæ, & quæ in pueris ingenij eſt ſignum præcipuum, ut Quintilianus ait, præeſt etiam ingeniis, quæ de Jovis capite putatur nata. Ovidius tertio Faſtorum:*

Palw. *Pallada nunc pueri, teneræq́ ornate puellæ:*
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.

Et alia de Pallade eodem loco.

f Quidam verò peſſimi.] *Plato iocundos homines & contentioſos multum memoria valere ſcribit in Theæteto: quod haud dubiè ex ſiccitate & ſoliditate cerebri colligi poteſt.*

g quod diis quibuſdam patribus.] *Jupiter clarior eſt Saturno patre, hic Cælo: huius parentes omnino ignorantur, etſi Phurnutus patrem Cæli Acmonem nominat penitus ignotum. Juno etiam illuſtrior Ope, & hæc matre ſua.*

h Plures alliciat avaritia.] *Quærenda pecunia primum eſt, Virtus poſt nummos: hæc Janus ſummus ab imo perdocet: hæc recinunt juvenes dictata, ſeneſq́, ut ait Horatius. Apud Euripidem eſt quidam qui nihil curat, quod peſſimus vocetur, modò etiam ditiſſimus, addens cauſam, ſolitos omnes quærere num quis ſit dives? non an bonus? tantiq́ unumquemq́ eſſe, quantum poſſideat.*

i Quàm id propter quod illud fit.] *Legendum: quàm id quod propter aliud fit. hoc ſenſus expoſtulat, & ſic eſt in veteribus libris. ἀξίωμα eſt Ariſt. primo Poſteriorum. Propter quod aliquid fit, id magis eſſe: cum probat non modò prius, ſed magis etiam principia cognoſci, quàm quæ ex iis manant. Quanquam hìc non tam de cauſa finali loquitur, quàm efficiente: ſed in primo Ethicorum docet ea, quorum gratia alia fiant, eſſe iis quæ fiunt præſtantiora.*

R L.Cog. *α* IOs ſelectos Deos ad hæc opera minima.] *Quemadmodum antiqui finxere ſingulas partes in homine ſingulos Deos obtinere, prout ſcribit Fulgentius l. 3. Mytholog. ut Iovem caput, Minervam oculos, Iunonem brachia, pectus Neptunum, cinctum Martem, renes & inguina Venerem, pedes Mercurium. Unde illud Homeri:*

Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.

Ut velint deos omnes ſingula ſua in tam perfectam opus fabricandum contuliſſe. Eadem dementia ſingula ſingulis dijs officia diſtribuerunt.

β Ianus

β Ianus aditum & quaſi januam.] *Tertull. l. de Idololat. c.15.* Ipſum Ianum à Ianua, *fertur enim praeſſe januis. Hinc, contendit Macrobius l.1. c. 9. Eundem eſſe cum Apolline, qui θυραῖος vocatur.*

γ Sicut enim quæ ratiocinantur & intelligunt.] *Cum varij ſint gradus entium,* intelligere ſeu ratiocinari, ſentire, vivere, & eſſe. *Latiſſima eſt inter eos differentia, ut unum ſit alio nobilius, & quæ perfectiorem gradum obtinent, ſunt etiam nobiliora & perfectiora; Verum ab uno & eodem principio Deo ac ſummo ente omnibus datum eſt & eſſe & vivere, ut docet Ariſtoteles 1. de cælo text. 100. His quidem clarius, illis vero obſcurius; & in homine quidem qui ratiocinatur & intelligit, ſentit, vivit & habet eſſe, una & eadem anima hac omnia præſtat, quemadmodum perperam Ethnici induxerunt multos deos, quorum unus eſſe, alter vitam, alius ſenſum conferret; ita merito eorum Philoſophorum ſententia repudienda eſt, qui quot gradus eſſendi in homine, tot animas inducebant, ut alia quidem tribueret eſſe, alia vitam, alia ſenſum, &c.*

δ Inter ſelectos itaque deos.] *Argumentatur ita D. Auguſtinus, illi dij citra dubium cæteris debent præferri, & inter ſelectos haberi, quibus nobiliora opera conveniunt: hujuſmodi ſunt Vitumnus & Sentinus, ſi cum Iunone, Saturno & Libero conferantur; quid ergo iſti inter deos ſelectos recenſentur, illi minus?*

ε Omnium initiorum poteſtatem habere Ianum.) *Hinc illud Septimi Poetæ Afri relatum à Beato Rhenano ad l. Tertull. de coro. milit. & à Pamelio ad l. de Idololat. c. 15.*

Iane pater, Iane tuens, Dive biceps, biformis
O care rerum ſator, ò principium deorum, &c.

Et ſolebat antiquitus in Deorum ſacris primus invocari, ut teſtatur Macrob. l. 1. Saturnal. c. 9.

ζ Omnium purgandorum & pariendorum Iunonem.) *Hæc fingitur à Poetis nubentibus & parturientibus præeſſe, à quibus etiam invocari ſolebat, ut docet illud Terentij.*

Iuno Lucina fer opem———

Tertullianus l. de anim. c. 39. meminit totius ſuperſtitionis, quæ in puerperio vane & impie obſervabatur: Cui hominum (*inquit*) non adhærebit ſpiritus nequam ab ipſa etiam janua nativitatis animas aucupabundus, vel qua invitatus tota illa puerperij ſuperſtitione? Ita omnes idololatria obſtetrice naſcuntur, dum ipſi adhuc uteri infulis apud idola confectis redimiti genimina ſuæ dæmoniorum candidata profitentur, dum in partu Lucinæ & Dianæ ejulatur, dum per totam hebdomadam Iunoni menſa proponitur, dum ultima die fata ſcribenda advocatur, dum prima etiam conſtituto infante ſuper terram Statenæ deæ ſacrum eſt.

η Jovisque ſoror & conjunx.) *Virg. 1. Æneid. Ita Hom. Iliad. τ.*

Ἥρην δὲ προσέειπε κασιγνήτην ἄλοχόν τε.

Huc alludit Lactantius lib. 1 c. 10. Stultus (*inquit*) M. Tullius, qui C. Verri objecit adulteria, eadem enim Iuppiter, quem colebat, admiſit, qui P. Claudio ſororis

roris inceſtum, at illi Opt. Max. eadem fuit & ſoror & conjunx. *Macrobius id Phyſice interpretatur l.1. in ſomnium Scipionis c.17. quod Iuno ſit aer, & dicitur ſoror, quia ijsdem ſeminibus, quibus cælum etiam aer eſt procreatus; conjunx, quia aer ſubjectus eſt cælo.*

θ Ibi poſuerunt & Mentem deam.] *Bellis Punicis republica multum afflicta & ob aſſiduas calamitates crebrasq; clades acceptas valde attonitis & ſtupefactis civium animis, ex Pontificum ſententia à Senatu decretum eſſe, ut ædes ſacræ Menti voverentur, Livius l.32. A.V. c.537. & l.33. A.V. c.539. refert Octavium ædem Menti dedicaſſe. Ovidius l.6. Faſtor. ſcribit.*

Mens quoque numen habet: Menti delubra videmus
Vota, meta belli, perfide Pene, tui.

ι Quaſi quicquam majus homini præſtari poſſit.] *Mens, quæ Græcis νοῦς dicitur, cui regnum totius animi à natura tributum eſſe docet Cicero 3. de nat. deor. & 3. officior. ſcribit,* mente Deum nihil dediſſe divinius, *& in Cato.* mente nihil præſtabilius homini ſive natura, ſive quis Deus dederit, *& l.5. de finib.* mentem principem animæ partem vocat, *Græcis τὸ ἡγεμονικὸν dicitur.*

κ Quia interduca eſt & domiduca.] *Ita Iuno dicebatur, quia credebatur puellas nubentes in domos maritorum deducere.*

λ Quidam vero peſſimi memoria ſunt mirabili.] *Nam à corporis ſeu potius cerebri bona temperie provenit, quæ naturalis eſt, nec à virtute vel bonitate morum pendens. Neronem valuiſſe memoria teſtis eſt Suetonius, Apollonium Thyanæum Suidas. Qui priſcis temporibus memoria valuerint plurimum, vide apud Plinium l.7. nat. hiſtor. c.24. Senecam in prolo. declamatio. Quintilianum l.1. inſtit. orator. c.11. Valerium Max. l.8. c.7. Alexandrum ab Alex. l.6. c.18. Muretum l.3. variar. lect. c.1. Theatrum vitæ humanæ, vol.17. l.4.*

μ Orco.] *Qui Pluto Græcis eſt, Orcus Romanis: unde Orcinus libertus, qui teſtamento manumiſſus eſt, ſeu qui teſtamento directam libertatem accepit, quaſi teſtatoris Orco demiſſi, ſeu ut Apulejus loquitur,* qui jam in peculio Proſerpinæ & Orci familia numeratur libertus. *Cælius l.9. lectio. antiq. cap. 18. Orcum dici Plutonem probat ex Cicerone, qui ſceleratiſſimum Verrem omnis divini humaniq; juris corruptorem, qui ſacra publica privataq; hoſtiliter deprædaretur, ac in omnem ætatis ſexus indiſcrimmatim debacchantem Orcum alterum appellavit. Lactantius l.10. c.14. Pluto late dictus eſt* Deſpiter, *alij* Orcum *vocant.*

ν Uni effectori mortium.] *Mars homicida Lactantio dicitur l.1. c.10. Homerus Iliad. ε.*

Ἄρες Ἄρες, βροτολοιγὲ μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα.

Pindaro βιατὰς & ἐλελίχθων dicitur ſævus, funeſtus, ſanguineus Latinis.

ξ Tanquam ſenatum cum plebe.] *Ridicula allegoria ut ſelecti Dij componerent Senatum, minores plebeij eſſent.*

ο Cauſam ut celebrata ſit Venus] *Ea fortaſſe fuit, quia rudes & illepidos primi ſæculi mortales voluptatum uſum prima docuerit, & meretricias libidines aut certe latentes adhuc & ſecretas evulgarit. Nullum fere numen veterum deorum majori-*

majoribus ceremoniis, frequentioribusque locis honoratum legitur. Dicitur à Lucretio hominum Diumque voluntas.

π Et obſcurata eſt Dea pecunia.] *Iuvenalis Satyr. 1.*

—— Et ſi funeſta Pecunia templo
Nondum habitas ——

CAP. IV.

Melius actum eſt cum diis inferioribus, qui nullis infamantur opprobriis, quàm ſelectis, quorum tantæ turpitudines celebrantur.

GRatularetur autem diis iſtis ſelectis quiſquam nobilitatis & claritudinis appetitor, & eos diceret fortunatos, ſi non eos magis ad injurias, quàm ad honores ſelectos videret. Nam illam infimam turbam ipſa ignobilitas texit, ne obrueretur opprobriis. Ridemus quidem, cum eos videmus figmentis humanarum opinionum partitis inter ſe operibus diſtributos, *a* tanquàm minutularios * vectigalium conductores, *b* vel tanquàm opifices in vico argentario, ubi unum vaſculum ut perfectum exeat, per multos artifices tranſit, cum ab uno perfecto perfici poſſet. Sed aliter non putatum eſt operantium multitudini conſulendum, niſi ut ſingulas artis partes citò ac facilè diſcerent ſinguli, ne omnes in arte una tardè & difficilè cogerentur eſſe perfecti. Veruntamen vix quiſquam reperitur deorum non ſelectorum, qui aliquo crimine famam traxit infamem: vix autem ſelectorum quiſpiam, qui non in ſe notam contumeliæ inſignis acceperit. Iſti ad iſtorum humilia opera deſcenderunt, illi in illorum ſublimia crimina non pervenerunt. *c* α De Jano quidem non mihi facilè quicquam occurrit, quod ad probrum pertineat. Et fortaſſis talis fuit, ut innocentius vixerit, *d* & à faſcinoribus flagitiisque remotius. β Saturnum fugientem benig[nus] excepit, cum hoſpite partitus eſt regnum, ut etiam civitates ſingulas conderent: γ Iſte Janiculum, ille Saturniam. Sed iſti in cultu deorum omnis dedecoris appetitores, cuius vitam minus turpem invenerunt, eum ſimulachri monſtroſa deformitate turparunt, nunc eum bifrontem, nunc etiam δ quadrifrontem, tanquam geminum facientes. An fortè voluerunt, ut quoniam plurimi dii ſelecti erubeſcenda perpetrando *e* ε amiſerant frontem: quantò iſte innocentior eſſet, tantò frontoſior appareret.

al. munuſculari.

Ianus ceteris diis ſelectis innocentior.

a TAnquàm munuſcularios vectigalium conductores.] *In antiquis libris variè legitur, in aliis munuſcularios, in aliis minicularios, eſt ubi minutularios nec omnino malè. Nam ſignificantur tenues quidam publicani, qui nec per ſe, nec ſocietate magna illa reipublicæ vectigalia redimunt, ſed portiunculas exiguas.* L. Vives.

b Vel tanquam opifices in vico argentario.] *Olim enim cælat vas, alius inaurat, alius indit, vel labra, vel anſam, vel naſum: tametſi argentarii non ſunt, qui argentea vaſa cælant, conduntque, ſed menſarii, quos Græci trapezitas vocant, apud quos pecuniæ deponuntur: & horum tabernæ argentariæ vocantur, quæ erant circum forum, ut Vitruvius libro 5. & Livius libro 26. ſignificat. Hinc eſt cedere foro Plauto in Perſa. vicum tamen argentarium hic Auguſtinus poſuit pro eo, ubi ſunt officinæ aurifabrorum.*

Trapezitæ.

Ianus *c* De Jano quidem.] *Janus indigena Italiæ regnavit in ea cum Cameſe etiam indigena, ita ut regio vocaretur Cameſena, urbs verò Janiculum: ſed illo mortuo, omnia in ditionem Jani conceſſerunt. Hic Saturnum arma filij ex Creta fugientem excepit: quem, cum ab eo edoctus eſſet artem agri colendi, in partem regni accepit, tradito Tarpeio colle: ubi arx cum oppidulo Saturnia eſt dicta, quæ poſtea cum Æniopolis eſſet ab Ænea nuncupata, vetus tamen nomen retinuit, & Saturnia dicta eſt: cuius aliquot poſteris quoq; ætatibus manſerunt veſtigia, quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quæ poſtea Pandana, quod in muro ſcriptura hoc teſtatur: poſtea Tarpeia, & condito templo, ac velut Saturno illinc quoque à filio pulſo, Capitolium Jovis Optimi Maximi nominatum eſt. Vergil. lib. 8. & Servius eodem loco. Ovidius primo Faſtorum. Eutropius, Solinus, Macrobius, Dionyſius, Prudentius. Libellus circumfertur nomine Beroſi Babylonici, qui Janum dicit fuiſſe Noam. Eum libellum ego mera ſomnia narrare puto, digna profectò commentis Anianis. De Jano hoc eodem libro paulò poſt plura.*

d Et à faſcinoribus flagitiiſque.] *Ovidius ſexto Faſtorum ſtupraſſe Janum ſcribit Cranem nympham, quæ poſtea Carna eſt dicta, juſq; habet cardinis. Sed Auguſtinus vel huius facti non meminit, cum hæc ſcriberet, vel commentitium prorſus & fabuloſum putavit.*

Frons. *e* Amiſerant frontem.] *Os & facies, & frons, pro pudore capitur. Hinc perfricare faciem apud Plinium, & frontem apud Quintilianum ex Calvo, pro excutere pudorem. Lucanus.*

Nec calor imperij, nec frons erit ulla ſenatus.

Et Perſius:

Exclamet Melicerta periſſe
Frontem de rebus.

F.L.Coq. α DE Iano quidam.] *Ianus dicitur regnaſſe in Italia cum Cameſo ita participata potentia, ut regio Cameſena oppidum Ianiculum vocaretur, poſt ad Ianum ſolum redactum eſt. Beroſus Annianus putat Ianum fuiſſe* Noe, *quem ferunt ab antiquis appellatum fuiſſe* Ianum, id eſt, viniferum, *quod vocabulum originem duxit ex voce Hebræa, Iain, quæ vinum ſignificat: verum ſatis conſtat, fictum eſſe illum Beroſum, nec ulla fide dignum.*

β Saturnum fugientem.] *De Saturni in Italiam adventu Virgilius 8. de Æneid. Ovidius in Faſtis, Macrobius l. 1. ſaturnal. c. 7. Dionyſius l. 1. Diodorus l. 4. Minutius in Octavio, Lactantius l. 1. c. 13.*

γ Iſte Ianiculum, ille Saturniam.] *Virgilius 8. Æneidos.*

Hanc Ianus pater hanc Saturnus condidit urbem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Arnob. l. 1. contra Gentes. Ianus Ianiculi conditor, & civitatis Saturniæ Saturnus auctor, *& Minutius in Octav.* Vrbem Saturniam dedit de ſuo nomine, & Ianiculum Ianus ad memoriam uterque poſteritatis reliquerunt: *Fortaſſe & inde Italia Saturnia primum dicta, prout ſcribit Dionyſius l. 1. & Stephanus de urbibus*

bibus. Σατορνία ἡ Ιταλία πρῶτον ἐκαλεῖτο *de quo & videri poteſt Tertull. in Apologetico c.10.*

δ Nunc eum bifrontem.] *Virgil.7. Æneid.*

——Ianique bifrontis imago.

Macrobius l. 1. Saturn. c. 7. ita interpretatur, Ut quæ ante, quæque à tergo eſſent, intueretur: *Quod proculdubio ad prudentiam Regis ſolertiamq́ referendum eſt, qui & præterita noſſet, & futura proſpiceret: Plutarch. in Roman. quæſt. 22. Ianum bifrontem fuiſſe dictum conjicit, aut quia genere Græcus ac profectus in Italiam ſedibusq́ apud barbaros poſitis linguam vitaq́ rationem mutaverit; aut quod Imlos feris utentes injuſtisq́ moribus ſuadendo ad aliud vitæ genus traduxit, agriculturaq́ & civili inſtitutione compoſuit.*

ε Nunc etiam quadrifrontem.] *Ianum inquit, Crinitus, Pontifices multis variisq́ nominibus vocant,* ut geminum, bifrontem, quadrifrontem, *l. 4. c 10. ubi & citat hunc locum, indeq́ ſignificatam vult Iani prudentiam, quod univerſa climata majeſtate ſua complexus ſit, & quatuor orbis partes conſpicit.*

ζ Amiſerant frontem.] *Frons pro pudore ac verecundia ſumitur Hierem.3.* frons mulieris meretrcis facta eſt tibi: *Inde homo perfrictæ frontis, qui pudorem omnem dedidicit velut abſterſo manu, à vultu, pudore, & effrontes appellemus inverecundos, & quod Horatius dixit.*

——Clament periiſſe pudorem
Cuncti pene patres. ——

Id Perſius imitatus ait:

——Exclamet Melicerta periſſe
Frontem de rebus.——

CAP. V.

De paganorum ſecretiore doctrina, phyſicisq́ rationibus.

SEd ipſorum potius interpretationes phyſicas audiamus, quibus turpitudinem miſerrimi erroris, α velut altioris doctrinæ ſpecie colorare conantur. Primùm, eas interpretationes ſic Varro commendat, ut dicat antiquos ſimulachra deorum, & inſignia, ornatusque confinxiſſe, quæ cum oculis animadvertiſſent hi, qui adiſſent doctrinæ myſteria, poſſent animam mundi ac partes eius, id eſt, deos veros animo videre: quorum qui ſimulachra ſpecie hominis fecerunt, hoc videri ſecutos, quod mortalium animus, qui eſt in corpore humano, β ſimillimus eſt immortalis animi: tanquàm ſi vaſa ponerentur cauſa notandorum deorum, & in Liberi ædem α γ œnophorum ſiſteretur, quod ſignificaret vinum per id quod continet, id quod continetur: ita per ſimulachrum, quod formam habet humanam, ſignificari animam rationalem, eo quod velut vaſe natura iſta ſoleat contineri, cuius naturæ Deum volunt eſſe, vel deos. Hæc ſunt myſteria doctrinæ, in quæ iſte vir doctiſſimus penetraverat, unde in lucem iſta proferret. Sed dic homo acutiſſimè, num in iſtis doctrinæ myſteriis illam prudentiam perdidiſti, qua tibi ſobriè viſum eſt, quod

hi, qui primi populis ſimulachra conſtituerunt, & metum dempſerunt civibus ſuis, & errorem addiderunt, caſtiusque deos ſine ſimulachris veteres obſervaſſe Romanos? Hi enim tibi fuerunt autores, ut hæc contra poſteriores Romanos dicere auderes? Nam etſi illi antiquiſſimi ſimulachra coluiſſent, fortaſſis totum iſtum ſenſum de ſimulachris non conſtituendis, interim veri timoris ſilentio premeres, & in huiuſcemodi pernicioſis vaniſque figmentis myſteria iſta doctrinæ loquacius & elatius prædicares. Anima tamen tua tam docta, & ingenioſa, (ubi te multum dolemus, per hæc myſteria doctrinæ ad Deum ſummum, id eſt, à δ quo facta eſt, ε non cum quo facta eſt: ζ nec cuius portio, ſed cuius conditio eſt: η nec qui eſt omnium anima, ſed qui fecit omnem animam, quo ſolo illuſtrante fit anima beata, ſi eius gratiæ non ſit ingrata) nullo modo potuit pervenire. Verùm iſta myſteria doctrinæ, qualia ſint quantique pendenda, quæ ſequuntur, oſtendent. Fatetur interim vir iſte doctiſſimus, animam mundi ac partes eius eſſe veros deos: unde intelligitur totam eius theologiam eam ipſam ſcilicet naturalem, cui plurimum tribuit, uſque ad animæ rationalis naturam ſe extendere potuiſſe. De naturali enim pauciſſima præloquitur in hoc libro, in quo videbimus, utrum per interpretationes phyſiologicas ad hanc naturalem poſſit referre civilem, quam de diis ſelectis ultimam ſcripſit: quod ſi potuerit, tota naturalis erit. Et quid opus erat ab ea civilem tanta cura diſtinctionis abjungere? Si autem recto diſcrimine ſeparata eſt, quando nec iſta vera eſt, quæ illi naturalis placet: pervenit enim uſq; ad animam, non uſque ad verum Deum, qui fecit & animam: quanto eſt & abjectior & falſior iſta civilis, quæ maximè circa corporum eſt occupata naturam, ſicut ipſæ interpretationes ejus, ex quibus quædam neceſſario * commemorare me oportet, tanta ab his exquiſitæ & enucleatæ diligentia demonſtrabunt.

al. neceſſaria.

L. Vives. a OEnophorum ſiſteretur.] *Quaſi οἶνυ φόρον, vinum ferens. vas eſt vinarium. Juvenalis Satyra ſexta utitur hoc vocabulo. Idem Apuleius lib. 2. & 8. Aſini. & Martialis. Plinius inter opera Praxitelis recenſet œnophoron, qui non tam vas, quàm puer eſſet vinum ferens. Ex hoc loco Beroaldus colligit œnophoron poni ſolitum in templo Bacchi, non ſatis acutè: ceu verò hoc fieri ſolere Auguſtinus his verbis ſignificet.*

F. L. Coq. α Velut altioris doctrinæ.] *Quod ſcribit Paganos turpitudinem miſerrimi erroris, qui ſacrilege circa vanorum deorum cultum committebatur, altioris doctrinæ ſpecie conatos eſſe colorare, huic ſimile eſt, quod Tertullianus ſcribit de Valentinianis hæreticis, à quibus ſi quis bona fide de myſterijs ſuis, quæ mera portenta erant, quæreret,* altum eſt *(reſpondebant) ac ſanctis nominibus & titulis & argumentis veræ religionis vaniſſima atq; turpiſſima figmenta configurabant.*

β Simillimus eſt immortalis animi.] *Ita Cicero 5. Tuſcul.* humanus animus decerptus ex mente divina, cum alio nullo, niſi cum ipſo deo, ſi hoc fas eſt dictus, comparari poſſit. *Platonici & Stoici tantam conformitatem ſtatuebant inter ani-*

ter animum humanum & Deum, ut ob id fortaſſe ſcripſerit Seneca l. cur bonis viris mala accidant, c.1. inter bonos viros ac Deum amicitiam eſſe conciliante virtute, immo neceſſitudinem & ſimilitudinem, quoniam quidem bonus ipſe tempore tantum à Deo differt diſcipulus ejus, conciliatorque & vera progenies, quem parens ille magnificus virtutum non lenis exactor, ſicut ſeveri patres, durius educat.

γ Oenophorum.] οἰνοφόρον, *idem quod* οἰνοφόρημα, vas vinarium, *qua voce Juvenalis, Martialis, & Apulejus utuntur.*

δ A quo facta eſt.] *Iſta docet ſupra non aliunde, quam per creationem à Deo productam eſſe hominis animam. Geneſ.2.* inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem, *Zonar. l.12.* fingens ſpiritum hominis in eo. *Eccleſ.12.* Spiritus revertatur ad dominum, qui dedit illum. *Hieronymus epiſt. ad Pammachium adverſus errores Ioannis Hieroſolymit.* Omne humanum genus, quibus animarum cenſetur exordijs, utrum ex traduce juxta bruta animalia, ut quomodo corpus ex corpore, ſic anima generetur ex anima? &c. *an certe quod eccleſiaſticum eſt juxta eloquia ſalvatoris,* pater meus usque modo operatur, & ego operor. *Et illud Zachar.* Qui format ſpiritum hominis in ipſo. *Et in Pſalmis,* qui fingit per ſingulos corda eorum, *quotidie Deus fabricetur animas, cujus velle feciſſe eſt, & conditor eſſe non ceſſat. Plura ſunt ejusmodi teſtimonia patrum, ſed in re tam certa non opus eſt tot teſtimonijs.*

ε Non cum quo facta eſt.] *Deus enim* ἄκτιστος, καὶ ἀποίητος, καὶ ἀΐδιος: *anima autem ex tempore creata, & producta ex nihilo.* fides Catholica conſtanter prædicat, *ait Leo Papa epiſt. 93. ad Turibium c.10.* quod animæ hominum priusquam ſuis inſpirarentur corporibus non fuere *Secunda ſyno. Nicen. actor. 6.* Et quidem animæ hominis & divinæ naturæ differentia diſcreta exiſtit: hæc enim increata eſt, & temporis neſcia, illa vero & creata, & temporaria, & ab hac condita.

ζ Nec cujus portio, ſed cujus conditio eſt.] *Id dicitur contra quoſdam philoſophos & hereticos, qui dixerunt animam nequaquam fieri, ſed eſſe* quandam particulam divinæ naturæ, *proindeq; aliquid de ipſa Dei ſubſtantia, qua nullam ſui cauſam efficientem habet. Contra hoc eſt decretum Concilij Bracharenſis c.5.* Si quis animas humanas, vel angelos ex Dei credat ſubſtantia exſtitiſſe, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit. *Concilium Tole.1. in aſſert. fidei.* Si quis dixerit vel crediderit animam humanam Dei portionem eſſe, vel Dei ſubſtantiam, anathema ſit. *Leo. 1. bujus nominis Pontifex epiſt.71. cap.5. de Priſcillianiſtarum erroribus tractans.* Refertur *(inquit)* quod animam hominis divinæ aſſerant eſſe ſubſtantiæ, nec à natura conditoris ſui conditionis noſtræ diſtare naturam, quam impietatem ex philoſophorum quorundam Manichæorum opinione manantem fides Catholica damnat, ſciens nullam tam ſublimem, tamque præcipuam eſſe facturam, cui Deus ipſe natura ſit. *Leo 9. epiſt. ad Petrum Epiſcopum Antiochenſ. in explicatione fidei Romanæ Ec-*

cleſia. Vide Alphonſum à Caſtro libr. 2. contra hæreſes verbo anima. hæreſ. 4.

η Nec qui eſt omnium anima.] *Quod ſenſerunt quidam philoſophi, ut Pythagoras apud Ciceronem 1. de natura deorum, hanc ſententiam tribuit Epiphanius l.1. hæreſ. 5. Stoicis, & Euſebius l.14. præparat. Evang. c.6. Democrito. Petrus Abaillardus teſte D. Bernardo ep.190. docuit, ſpiritum ſanctum eſſe animam mundi, quam ſententiam ex Platone didiciſſe tradit ibidem Divus Bernhardus.*

θ Qui fecit omnem animam.] *Pſ.57.* omnem flatum ego feci. *Ezech.* omnes animæ meæ ſunt. *Irenæus l. 2. c. 11.*

Cap. VI.

De opinione Varronis, qua arbitratus eſt Deum eſſe animam mundi, qui tamen in partibus ſuis habeat animas multas, quarum divina natura ſit.

Dicit *a* ergo idem Varro adhuc de naturali theologia præloquens, α Deum ſe arbitrari eſſe animam mundi, β quem Græci vocant κόσμον, *b* & hunc ipſum mundum eſſe Deum. Sed ſicut hominem ſapientem, cum ſit ex corpore & animo, tamen ab animo dici ſapientem: ita mundum deum dici ab animo, cum ſit ex animo & corpore. Hic videtur quoquo modo confiteri unũ Deum, γ ſed ut plures etiam introducat, adjungit mundum dividi in duas partes, cœlum & terram: & cœlum bifariam in æthera & aëra: terram verò in aquam & humum. *c* E quibus δ ſummum eſſe æthera, ſecundum aera, tertiam aquam, infimam terram. Quas omnes quatuor partes animarum eſſe plenas, in æthere & aere immortalium, in aqua & terra mortalium: à ſummo autem circuitu cœli uſque ad circulum lunæ, æthereas animas eſſe aſtra ac ſtellas, eoſque cœleſtes deos non modo intelligi eſſe, ſed etiam videri. *d* ε Inter lunæ verò gyrum & nimborum ac ventorum cacumina aereas eſſe animas, ſed eas animo non oculis videri, & vocari heroas, & lares, & genios. Hæc eſt videlicet breviter in iſta prælocutione propoſita theologia naturalis, quæ non huic tantùm, ſed & multis philoſophis placuit: de qua tunc diligentius diſſerendum eſt, cum de civili, quantum ad deos ſelectos attinet, opitulante Deo vero, quod reſtat, implevero.

L. Vives. *a* Dicit ergo idem Varro.] *Platonici, Stoici, Pythagorici, & his antiquiores Jonici philoſophi, mentem dicunt eſſe Deum, ſed non eodem omnes modo. Nam animamq; illam & mundum eſſe Plato animatum dicit mundum eſſe deum: ſed alium deum, quem mentem vocat, hoc ipſo priorem facit, & animæ mundi parentem. Stoicis ferè cum Platone congruit, niſi quod non omnes idem ſentiunt. Thales Mileſius, & Democritus non alium putant majorem Deum anima mundi. Pythagoræ ſententiam alibi expoſui.*

b Et hunc ipſum mundum.] *Platonicè & Stoicè, & ex ſententia plurimorum philoſophorum.*

c E quibus ſummum eſſe æthera.] *Ariſtoteles ſupra hunc noſtrum aerem ignis elementum locat, hinc cœlum. Platonici cœlum putant eſſe igneum ætheraq; appellant.*

pellant. Tum & eam partem aeris, quam incendit vicinus cæleſtis ignis, flammam dicunt eſſe innoxiam & purum. quam multi affirmant Platonis fuiſſe ſententiam, Pythagoram ſecuti, qui globo univerſi quatuor addit corpora. Verum hic Varro aerem facit cælo proximum, ſecutus multorum opinionem, maximè Stoicorum: tametſi non multum iſti à Platonicis & Peripateticis abſunt: ſi rectè intelligantur, aut certè ſi diſertius ipſi eloquantur ſua. Sed æther non modò cælum & ignis, ſed aer quoq; dicitur, ſicut & Latinè cælum: velut apud Vergilium:

Illa levem fugiens raptim ſecat æthera pennis.

ε *d* Inter lunæ vero gyrum.] *Ea eſt prima regio aeris, ex Ariſtotelis diviſione, in libris ſublatorum, qui primum aeris tractum eſſe dicit usq; ad locum, in quo nubes, nives, grandines, fulgura, & tonitrua fiunt: ſecundum ubi hæc fiunt: tertium usq; ad ignis elementum.*

α DEum ſe arbitrari eſſe animam mundi.] *Epiphan. hæreſi 5. hoc idem de deo Stoicos ſentire docet.* Deum dicunt eſſe mentem, quæ ſit univerſæ hujus viſibilis molis, cœli videlicet ac terræ, & aliarum rerum velut in corpore anima. *Ejuſdem opinionis meminit Euſebius l.14. de præparat. Evang. c. 6. & 15. c.14. Refellit Lactantius l.7. c.3. Apud Plutarchum l.1. de placitis philoſophorum, c.7. etiam Thales exiſtimavit Deum eſſe, νοῦν τοῦ κόσμου. Democritus, νοῦν τὸν θεὸν ἐμπυροειδῆ τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν.* F.L.C.

β Quem Græci vocant κόσμον.) *Ab ornatu & pulchritudine. Plinius l. 2. c. 4.* quem κόσμον Græci nomine ornamentum appellaverunt, eum nos à perfecta abſolutaque elegantia mundum. *Apud Ariſtotelem l. de mundo, ad Alexandrum, κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ, καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. ibidem, κόσμον ἐτύμως τὸ σύμπαν ὀνομάσῃς ἄν, univerſum ipſum commode κόσμον nominaveris.*

γ Ut plures introducat adjungit mundum.) *Ita de Stoicis Epiphanius loco citato,* Partiuntur *(inquit)* unam deitatem in multas partiales eſſentias, in Solem & Lunam, & ſidera, in animam, & aerem, & alia.

δ Summum eſſe æthera, ſecundum aera.) *Nomine ætheris Varro cælum intelligit, ſub quo proxime aerem collocat, ſecutus fortaſſe eorum ſententiam, qui nullum eſſe ignis elementum putarunt.*

ε Inter Lunæ gyrum & nimborum & ventorum cacumina aereas eſſe animas.) *Nimirum in prima illa regione aeris, unde videtur ea fuiſſe doctiſſimi Varronis ſententia, inter cælum & aerem non eſſe interjectum aliquod aliud elementum.*

CAP. VII.

An rationabile fuerit Ianum & Terminum in duo numina ſeparari.

IAnus igitur, à quo ſumpſit exordium, quæro quis nam ſit? *a* α Reſpondetur: Mundus eſt. Brevis eſt hæc planè atque aperta reſponſio. Cur ergò *b* β ad eum dicuntur rerum initia pertinere: fines verò ad alterum, quem Terminum

num vocant? Nam propter initia & fines, duobus iſtis dijs, c γ duos menſes perhibent dedicatos, præter illos decem, quibus uſque ad Decembrem caput eſt Martius: δ Ianuarium Iano, ε Februarium Termino. d ζ Ideo terminalia eodem menſe Februario celebrari dicunt, e cum fit η ſacrum purgatorium, quod f vocant Februum: unde menſis nomen accepit. Nunquid ergo ad mundum, qui Ianus eſt, initia rerum pertinent, & fines non pertinent, ut alter illis Deus præficeretur? Nonne omnia, quæ in hoc mundo fieri dicunt, in hoc etiam mundo terminari fatentur? Quæ eſt iſta vanitas in opere illi dare poteſtatem dimidiam, in ſimulachro faciem duplam? g Nonne iſtum bifrontem multò elegantius interpretarentur, ſi eundem, & Ianum & Terminum dicerent: atque initijs unam faciem, finibus alteram darent: quoniam qui operatur, utrunque debet intendere? In omni enim motu actionis ſuæ, qui non reſpicit initium, non proſpicit finem. Unde neceſſe eſt, ut memoriæ reſpicienti, proſpiciens connectatur intentio. Nam cui exciderit, quod cœperit, quomodo finiat, non inveniet. Quòd ſi vitam beatam in hoc mundo inchoari putarent, extra mundum perfici, & ideo Iano, id eſt, mundo, ſolam initiorum tribuerent poteſtatem: profectò ei præponerent Terminum, eumque à dijs ſelectis non alienarent. Quanquam etiam nunc, cum in iſtis duobus dijs initia rerum temporalium fineſque tractantur, Termino dari debuit plus honoris. Major enim lætitia eſt, cùm res quæque perficitur: ſolicitudinis autem plena ſunt cœpta, donec perducantur ad finem: quem qui aliquid incipit, maximè appetit, intendit, expectat, exoptat: nec de re inchoata, niſi terminetur, exultat.

L. Vives. a RESpondetur, mundus eſt.] *Macrobius 1. Saturn.*

b Ad eum dicuntur rerum initia pertinere.] *Xenon hanc adducit cauſam, quod primus in Italia deos coli docuerit Janus: idcirco in ſacrificiis, initia & præfationem meruiſſe. Qui plura cupit de hoc legere, habet apud Macrobium autorem ſatis vulgarem.*

c Duos menſes.] *Ante Numam annus Rom. more Albanorum decem erat menſium, à Marcio ad Decembrem. Numa duos menſes addidit ultimos anno, Januarium & Februarium. Varro & Plutarchus. Ovidius verò 2. Faſt. putat, Januarium olim initium fuiſſe anni, Februarium verò finem, cuius ultimæ feriæ eſſent Termini, poſtea x. viros in xij. tab. Februarium Januario junxiſſe.*

d Ideo Terminalia.] *Ultimus feſtus dies Februarij ante fugam Tarquinij, nam poſt Terminalia regifugium eſt celebratum parta libertate. Terminalia verò fuerunt xxiij. die Feb Beda lib. De nat. rerum.*

e Cum fit ſacrum.] *Non quod Terminalibus fiat expiatio illa, ſed quod eo menſe.*

f Vocant Februum.] *Ovidius ſecundo Faſtorum.*

Februa Romani dixere piamina patres. Et poſt:
Deniq; quodcunq; eſt, quo corpora noſtra piantur,
Hoc apud intonſos nomen habebat avos.

Menſis

Menſis ab his dictus.

ζ Nonne iſtum bifrontem.] *Cicero ſecundo de natura deorum, Janum primis & extremis videtur præficere. Idem Macrobius ex ſententia multorum.*

α RESpondetur mundus eſt.] *Macrobius l 1. Saturnal. c. 9. Ianum alij mundum, id eſt cœlum eſſe voluerunt, Ianumq; ab eundo dictum, quod mundus ſemper eat, dum in orbem volvitur, & ex ſe initium faciens in ſe refertur. Unde Cornificius Etymorum l. 3.* Cicero *(inquit)* non Ianum, ſed Eanum nominat ab eundo. *Hinc & Phœnices in Sacris imaginem ejus exprimentes draconem finxerunt in orbem redactum, caudamq; ſuam devorantem: ut appareat mundum & ex ſeipſo ali & in ſe reſolvi. Arnobius l. 3.* Ianum *(inquit)* quidam ex vobis mundum, annum alij, Solem eſſe prodidere nonnulli. F. L. Co

β Ad eum dicuntur rerum initia pertinere.] *Inde Ianua dicta primus ingreſſus ad interiora domus, quod huic deo conſecratum erat omne principium, & Ianeus antiquis, quem hodie Ianitorem vocamus. Feſtus. Cicero 2. de natura deor.* Ex quo tranſitiones perviæ Iani, foresque in liminibus profanarum ædium Ianuæ nominantur.

γ Duos menſes perhibent dedicatos] *Auctor eſt Plutarchus in Numa apud Romanos initio annum ex ordinatione Romuli fuiſſe tantum decem menſium;* & conjecturam, *inquit*, affert ultimi appellatio: cum enim Decembrem etiam nunc vocant. *Quod etiam Martius primus ordine vocaretur obſcurum non eſt, nam quintum ab illo Quintilem, ſextum, Sextilem nominabant, ac reliquos deinceps ſingulos eo modo. A Numa additi ſunt Ianuarius, & Februarius ita dictus, quod luſtrationis expiationisq; menſis quidam ſit: hoc enim dictio proprie ſignificat. Ianuarius autem, qui primus eſt, a Iano dicitur: quare vero Ianuario primum locum dederit, & Martium è prima ſede tranſtulerit, putat Plutarchus hanc eſſe rationem; quod in omnibus vellet rem urbanam bellicæ in honore præferri. Janus enim apud illos vetuſtiſſimos, ſive Genius, ſive Rex fuerit, dicitur ferum & ſylveſtrem cultum in urbanum civilemq; mutaſſe, proindeq; ipſum bifrontem fingunt, tanquam alteram ex altera formam diſpoſitionemq; reddiderit. Idem videndus, & in quæſtionibus Romanicis 19. & Macrobius l. 1. Saturnal. c. 12. 13. Beda l. de rat. temp. c. 10. Alex. ab Alex. l. 3. c. 24.*

δ Ianuarium Iano.] *Macrobius l. 1. c. 7. ſcribit, Ianuarium dicatum eſſe Saturno: Iunoni dicatum eſſe dicit Alexander ab Alex. l. 3. c. 23.*

ε Februarium Termino.] *Quis deus ille Terminus, non ſatis conſtat, nam hunc menſem alij Neptuno dicatum fuiſſe volunt, Alex. ab Alexandro loco citato; alij Plutoni: Iſidorus l. 5. Origen. c. 33.* Februarius nuncupatur à Februo, id eſt Plutone, cui eo menſe ſacrificabatur. Nam Ianuarium dijs ſuperis, Februarium dijs manibus Romani conſecraverant. Ergo Februarius à Plutone nominatur. *Beda l. de rat. temp. c. 10.* Secundum Numa dicavit Februo, i. e. Plutoni, qui luſtrationũ potens credebatur. *Februarium dictum vult quod tum, i. e. extremo anni mẽſe populꝰ februaretur, i. e. luſtraretur ac purgaretur: vel à Iunone Februata, quam alij februalem, Romani februlem vocant: quod ipſi eo menſe ſacra fiebant. Vide Athenæum l. 3.*

ζ Ideo Terminalia.] *De Terminalium inſtitutione Plutarchus in Numa, Dionyſ. l.2. Alexander ab Alexandro l.2. c.22. Terminalia inde Varro vult dicta, quod is dies anni extremus conſtitutus: probabilius à Termino deo, in cujus honorem agebantur.*

η Sacrum purgatorium quod vocant februum.] *Vide Varronem l. 5. de lingua Latina.* Februum Sabinis purgamentum, & id in ſacris noſtris verbum: *Feſtus:* quæcumque purgamenti cauſa in quibusque ſacrificijs adhibentur, Februa appellantur, id vero quod purgatum dicitur februatum: *Per duodecim dies continuos Februarij celebrabantur Februa, illisque diebus pro impetranda mortuorum manibus quiete, omnis populus piaculis ſacrificijsque circa ſepulchra accenſis facibus cereisque intentus erat.*

CAP. VIII.

Ob quam cauſam cultores Jani, bifrontem imaginem ipſius finxerunt, quam tamen etiam quadrifrontem videri volunt.

a SEd Jani bifrontis ſimulachri interpretatio proferatur. Duas enim facies ante & retro habere dicitur, quod hiatus noſter, cum os aperimus, mundo ſimilis videatur: unde b & α palatum Græci οὐρανὸν appellant. Et β nonnulli, inquit, poëtæ Latini cœlum vocaverunt palatum: à quo hiatu oris, & foras eſſe aditum ad dentes verſus, & introrſus ad fauces. Ecce, quò perductus eſt mundus propter palati noſtri vocabulum, vel Græcum, vel poëticum. Quid autem hoc ad animam, quid ad vitam æternam? Propter ſolas ſalivas colatur hic Deus, quibus partim glutiendis, partim expuendis ſub cœlo palati utraque panditur janua. Quid eſt porrò abſurdius, quàm in ipſo mundo non γ invenire duas januas ex adverſo ſitas, per quas, vel admittat ad ſe aliquid intro vel emittat à ſe foras: & de noſtro ore & gutture, quorum ſimilitudinem mundus non habet, velle mundi ſimulachrum componere in Jano, propter ſolum palatum, c cuius ſimilitudinem Janus non habet? Cum verò eum faciunt quadrifrontem, & Janum geminum appellant, ad quatuor mundi partes hoc interpretantur, quaſi aliquid ſpectet mundus foras, ſicut per omnes facies Janus. Deinde ſi Janus eſt mundus, & δ mundus quatuor partibus conſtat, d falſum eſt ſimulachrum Jani: quia Janus & ſi quadrifrons legitur, nunquam tamen quadriianus invenitur. Aut ſi propterea verum eſt, quia etiam nomine orientis & occidentis totus ſolet mundus intelligi, nunquid cum duas partes alias nominamus ſeptentrionis & auſtri, ſicut illum quadrifrontem dicunt geminum janum, ita quisquam geminum dicturus eſt mundum? Non habent omnino unde quatuor januas quæ intrantibus & exeuntibus pateant? interpretentur ad mundi ſimilitudinem: ſicut de bifronte, quod dicerent ſaltem in ore hominis invenerunt, e niſi Neptunus fortè ſubveniat & porrigat piſcem, qui præter hiatum oris & gutturis etiam dextra & ſiniſtra fauces paterent.
Joh. 10. Et tamen hanc vanitatem per tot januas nulla effugit anima, niſi quæ audit veritatem dicentem: *Ego ſum janua.*

a Sed

a SEd Iani bifrontis.] *Alÿ hunc regem bifrontem fuiſſe referunt, quod fuerit prudentiſſimus, viderit͂q́ procul ventura, & reſpexerit præterita, ſicut de cordato Homerus inquit: ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω λεύσσει. Plutarchus in Problematis duas cauſas affert: alteram, quod Janus fuerit Perrhæbus Græcus, ſic eſſe literis mandatum: qui poſtea quàm in Italiam veniſſet, linguam ſimul cum moribus mutarit. Altera cauſa eſt: quod Italos populos Janus & agros colere docuerit, & rempublicam adminiſtrare: Alÿ, ut Ovidius, quod hic Auguſtinus attingit; quod Janus ſit mundus gemina facie, hac ortum ſpectante, illa occaſum. Sunt qui Janum ſolem velint, cuius eſt quotidie ortus & occaſus. Nigidius eſt autor, colíq; a Græcis ἀπόλλωνα θυραῖον & ἀγυιέα, quaſi Janitorem & viis præfectum. Tametſi non crediderim eadem forma cultum, qua Janum apud Romanos. Nam Ovidius inquit:* L. Viv.

Quem tamen eſſe deum dicam te, Jane biformis?
Nam tibi par nullum Græcia numen habet.

Pingebatur & quadriformis. C. Baſſus de diis apud Macrobium: Janus bifrons pingitur, quaſi inferûm & superûm janitor. Idem quadriformis, quaſi univerſa climata majeſtate ſua complexus. Hic Janus eſt is, quem geminum in ſacrificiis vocabant: nam ſimplex duplici tantum eſt fronte, & Janus geminus, cuius porta claudebatur pace, bello patebat.

b Palatum Græci οὐρανόν.] *Ut Ariſtoteles in lib. de partibus animalium. Plinium exiſtimant hunc imitatum etiam cœli vocabulo uſum eodem ſignificatu libro undecimo, nam de cerebro loquens: Hoc, inquit, eſt viſcerum excelſiſſimum proximumq́; cœlo capitis.*

c Cuius ſimilitudinem.] *Alÿ, cuius ſimilitudine Janus nomen habet.*

d Falſum eſt ſimulachrum Jani.] *In aliis ſic: falſum eſt ſimulachrum Jani bifrontis, ut reliqua ſuppoſititia ſint: uſq; Aut ſi propterea, quod non videtur admodum abſurdum ex iis quæ adduntur.*

e Niſi Neptunus.] *Quandoquidem id in hominibus non eſt invenire.*

α PAlatum Græci οὐρανὸν appellant.] *ὑπερῷον καὶ ὑπερῴα οὐρανός, item οὐρανίσκος palatum Græcis dicitur. Damaſcenus ὄργανα τῆς γεύσεως ἡ γλῶσσα, καὶ ὑπερῴα ἣν καλοῦσί τινες οὐρανίσκον. Ariſt. l. 2. de partibus animal. cap. 17. ὑπὸ δὲ τὸν οὐρανὸν ἐν τῷ στόματι ἡ γλῶσσα τοῖς ζώοις ἐστί. Lingua palato ſubjacet; & quia cœlum ipſum dictum eſt templum; quod ipſum primo intuemur & contemplamur, ideo eleganti imitatione Græcorum palatum etiam templum Lucretius appellavit.* F.L. Cop.

β Nonnulli poſtea Latini cœlum vocaverunt palatum.] *Ita Ennius Cœli palatum dixit. Eleganter Cicero 2. de nat. deor. dum palato quid ſit optimum judicat Epicurus, cœli palatum (ut ait Ennius) non ſuſpexit, alluſione facta ad ipſam vocem, quæ & palatum hominis & cœlum ſignificat; h.e. dum nimium ventri indulget, cœli motus & converſiones minus conſideravit. Ibi enim apud Ciceronem palatum legendum eſt, ut in quibuſdam exemplaribus.*

γ Non invenire duas Ianuas ex adverſo ſitas.] *Oriens & Occidens, per quas ſol & reliqua aſtra ingrediuntur noſtrum hemiſphærium, duæ januæ poſſunt intelligi.*

δ Mundus quatuor partibus conſtat.] *Secundum longitudinem enim ſumitur Oriens & Occidens, ſecundum latitudinem Meridies & Septentrio.*

ε Niſi quæ audit veritatem dicentem.] *Veritas hæc Chriſtus eſt, qui in Evangelio dicit; Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſalvabitur, & alibi: Nemo venit ad patrem niſi per me, & per quem habemus acceſſum ad patrem.*

IX.

De Jovis poteſtate atq; eiusdem cum Jano comparatione.

JOvem autem, *a* α qui etiam Jupiter dicitur, quem velint intelligi, exponant. Deus eſt, inquiunt, habens poteſtatem cauſarum, quibus aliquid fit in mundo. Hoc quàm magnum ſit, nobiliſſimus *b* Vergilii verſus ille teſtatur.

Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Sed cur ei præponitur Janus, hoc nobis vir ille acutiſſimus doctiſſimusque reſpondeat. Quoniam penes Janum, inquit, ſunt prima, penes Jovem ſumma. Merito ergo β rex omnium Jupiter habetur: Prima enim vincuntur à ſummis: quia licet prima præcedant tempore, ſumma ſuperant dignitate. Sed rectè hoc diceretur, ſi factorum prima diſcernerentur & ſumma. Sicut enim initium facti eſt proficiſci, ſummum pervenire: initium facti inceptio diſcendi, ſummum perceptio doctrinæ: ac ſic in omnibus prima ſunt initia, ſummaque ſunt fines. Sed jam hoc negotium inter Janum Terminumque diſcuſſum eſt. Cauſæ autem quæ dantur Jovi efficientia ſunt, non effecta: neque ullo modo fieri poteſt, ut vel tempore præveniantur à factis vitiisve factorum. Semper enim prior eſt res quæ facit, quàm illa quæ fit. Quapropter ſi ad Janum pertinent initia factorum, non ideo priora ſunt efficientibus cauſis, quas Jovi tribuunt. Sicut enim nihil fit, ita nihil inchoatur ut fiat, quod non faciens cauſa præceſſerit. Hunc ſanè deum penes quem ſunt omnes cauſæ factarum omnium naturarum, naturaliumque rerum, ſ Jovem populi appellant, γ & tantis contumeliis, tamque ſceleſtis criminationibus colunt, δ tetriore ſacrilegio ſeſe obſtringunt, quàm ſi prorſus nullum putarent Deum. ε Unde ſatius eſſet eis alium aliquem Jovis nomine nuncupare, dignum turpibus & flagitioſis honoribus, ſuppoſito vano figmento, quod potius blaſphemarent, (Sicut Saturno dicitur ſuppoſitus lapis, quem pro filio devoraret:) quàm iſtum deum dicere, & tonantem, & adulterantem, & totum mundum regentem, & per tot ſtupra diffluentem, & naturarum omnium naturaliumque rerum cauſas ſummas habentem, & ſuas cauſas bonas non habentem. Deinde quæro, quem jam locum inter deos huic tribuat Jovi, ſi Janus eſt mundus? Deos enim veros animam mundi ac partes eius iſte definivit, ac per hoc quicquid hoc non eſt, non eſt utique ſecundum iſtos verus Deus. Num igitur ita dicturi ſunt, Jovem animam mundi, ut Janus ſit corpus eius, id eſt iſte viſibilis mundus? Hoc ſi dicunt, non erit quemadmodum Janum deum dicant, quoniam mundi corpus non eſt Deus, vel ſecundum ipſos, ſed anima mundi ac partes eius. Unde idem Varro apertiſſimè dicit, Deum ſe arbitrari eſſe animam mundi, & hunc ipſum

Res quæ facit prior eſt illa, quæ fit.

Saturnus

ipſum mundum eſſe Deum: ſed ſicut hominem ſapientem, cum ſit ex animo & corpore, tantum ex animo dici ſapientem: ita mundum Deum dici ab animo, cùm ſit ex animo & corpore. Solum itaque mundi corpus non eſt Deus: ſed aut ſola anima eius, aut ſimul corpus & animus: ita tamen, ut non ſit à corpore, ſed ab animo deus. Si ergo Janus eſt mundus, & deus eſt Janus, nunquid Jovem, ut deus eſſe poſſit, aliquam partem Jani eſſe dicturi ſunt? Magis enim Jovi univerſum ſolent tribuere. Unde eſt illud: Jovis omnia plena. Ergo & Jovem, ut deus ſit, & maximè ut rex deorum, non alium poſſunt exiſtimare, quàm mundum: ut in diis cæteris ſecundum iſtos ſuis partibus regnet. In hanc ſententiam etiam quoſdam verſus *c* Valerii Sorani exponit idem Varro, in eo libro, quem ſeorſum ab iſtis de cultu deorum ſcripſit, qui verſus hi ſunt.

d *Juppiter omnipotens regum rex ipſe, deusq́;*
Progenitor, genitrixq́; deûm, deus unus, & omnis.

Exponuntur autem in eodem libro, ita ut eum *e* marem exiſtimarent, qui ſemen emitteret, fœminam quæ acciperet: Jovemque eſſe mundum, & eum omnia ſemina ex ſe emittere, & in ſe recipere, qua cauſa, inquit, ſcripſit Soranus: Jupiter progenitor genitrixque: nec minus cum cauſa unum & eundem omnia eſſe. *f* Mundus enim unus, & in eo uno omnia ſunt. *Mundus unus. L. Vives.*

a QUi etiam Jupiter dicitur.] *Nam duos rectos habet, Jupiter, & Jovis, & ex utroq́; obliquos Jovis & Jupitris: quanquam uſus alterius rectum, alterius obliquos rejecit, ſicut in Græco ζεὺς & διός.*

b Vergilii verſus ille.] *Secundo Georgicorum, ubi eos fœliciſſimos putat, qui rerum cauſas inquirunt, & conſequuntur, ex ſententia Peripateticorum & Academicorum, quam Ariſt. lib. x. Ethicorum, & Cicero quintò de finibus fuſè perſequitur.*

c Valerii Sorani.] *Huius Valerij Sorani meminerunt Cicero primo de oratore, Plin. lib. 3. Solinus in Polyhiſtore, Plutarch. in Problem. Macrobius lib. 1. Saturnalium, & Servius 1. Greg. Fuit Latinus homo doctiſſimus togatorum, ut Craſſus dicit in primo de oratore Cic. Tributum hoc eſt Varroni, ſed ante Varronem Sorano: ſicut Poeta nomen Ennio ante Vergilium. Functus eſt Romæ honoribus, præcipuè tribunatu plebis: & quod nomen illud arcanum urbis Romæ, quod evulgari eſt nefas, auſus eſſet enunciare, pœnas luit. Plinius, Solinus, Macrobius, Plutarchus in Problematis, tametſi Plutarchus in Pompeio Q. Valerium philoſophum, quod multi non dubitant de Sorano dici, à Pompeio narrat occidi juſſum: ſed autorem dicit huiusce rei Oppium eſſe, cui cavendum, ne credulè aſſentiamur de Pompeio narranti, nempe homini Cæſaris amico. Sunt qui putent hunc ſubita morte corruiſſe: alij ſuffixum eſſe cruci, ut Servius.*

d Jupiter omnipotens.] *In antiquis codicibus verſus prior ſic legitur.*
Juppiter omnipotens regum, rerumq́; deûmq́;.

e Marem, &c. fœminam.] *Ex Orpheo in Hymnis, ex quo ſunt ipſi verſus.*
Ζεὺς ἄρσην γένετο, ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.

f Mundus enim unus.] *Ex ſententia optimi cuiusq́; philoſophi contra Anaximandrum*

mandrum, & Anaximenem, & Ariſtarchum, & Xenophanem, & Diogenem, & Leucippum, & Democritum, & Epicurum, qui plures conſtruebant.

RL.Coq. α Qui etiam Iuppiter dicitur.] *De hoc nomine ita Lactantius l. 1. ca. 11. Erraverunt, inquit, quod in Deum nomen hominis transtulerunt, qui quia ſolus eſt, non indiget nomine. Iovem autem illum eſſe, qui ſit ex Ope Saturnoq; natus, negari non poteſt: vana eſt igitur eorum perſuaſio, qui nomen Iovis deo tribuunt. Solent enim quidam errores ſuos hac excuſatione defendere, qui convicti de uno Deo, cum id negari non poſſunt, ipſum ſe colere affirmant, verum hoc ſibi placere, ut Iuppiter nominetur, quo quid abſurdius? Iuppiter enim ſine contubernio conjugis filiaq; coli non ſolet: unde quid ſit apparet, nec fas eſt id nomen eo transferri, ubi nec Minerva eſt ulla, nec Ianus, quid quod hujus nominis proprietas non divinam exprimit ſed humanam? Iovem enim Iunonemq; à juvando dictos eſſe Cicero interpretatur, & Iuppiter quaſi juvans pater dicitur, quod in Deum minime congruit &c. Græci* Ζῆνα καὶ Δία *vocant, quæ duo ſi in unum componantur, ut ait Plato in Cratylo, Dei naturam ſignificant.* οὐ γάρ ἐστιν ἡμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσι. ὅστις ἐστὶν αἴτιος μᾶλλον τοῦ ζῆν, ἢ ὁ ἄρχων τε καὶ βασιλεὺς τῶν πάντων. συμβαίνει γὰρ ὀρθῶς ὀνομάζεσθαι οὕτως, τοῦ θεὸς εἶναι, δι' ὃν ζῆν ἀεὶ πᾶσι τοῖς ζώοις ὑπάρχει.

β Rex omnium Iuppiter habetur.] *Ita Orpheo dicitur* βασιλεὺς θεῶν καὶ ἀθανάτων. *Homero* βασιλεὺς ἀνδρῶν τε θεῶν τε *Virgilius.* Deum atque hominum Rex. Heſiodus.

> Αὐτὸς γὰρ πάντων βασιλεὺς καὶ κοίρανός ἐστιν
> Ἀθανάτων.

γ Tetriore ſacrilegio ſeſe obſtringunt, quam ſi nullum putarent eſſe Deum.] *Huic ſimile eſt illud Epiphanij,* κακοπιστίαν χεῖρον εἶναι τῆς ἀπιστίας.

δ Unde ſatius eſſet eis aliquem alium.] *Ita Lactantius l. 1. c. 11. dicit Philoſophos, quod ea, quæ de Iove feruntur, minime in deum convenirent, duos Ioves feciſſe, unum naturalem, alterum fabuloſum, & Xenocrates apud Clementem l. 1. ϛρωμα]. duos Ioves facit,* τὸν μὲν ὕπατον Δία, τὸν δὲ νέατον καλῶν.

ε Et tacitus contumelijs.] *Ideo adſcivit publice eoſdem fere quos Græci Romulus, fabulis tamen & probris, quæ de diis narrabantur, à Græcis repudiatis, ut auctor eſt Dionyſius l. 2. & Euſebius l. 2. de præparatio. Evangel. c. 10. quo eodem conſilio & fabuloſa de Diis è ſua Republica Plato exploſit. Arnobius l. 3.* Aut veriſſime Dij ſunt, *inquit,* & ea quæ commemoraſtis non faciunt, aut ſi ea, quæ dicitis, faciunt, ſine ulla dubitatione Dij non ſunt.

ζ Valerij Sorani.] *Plura de eo Gyraldus dialog. 4. de latinis Poetis.*

η Mundus enim unus.] *Id non tam ratione quam fide conſtat & ſcriptum, neq; unitatis mundi cauſa eſt, quam vel Ariſtoteles adfert;* quod ex tota ſua materia conſtet, *vel quam Plato in Timæo adducit* εἴπερ κατὰ τὸ παράδειγμα δεδημιουργημένος ἐστί, quod ad exemplar factus ſit. *Miror vero Michaelem Montanum nobilem Gallum ſcripſiſſe, Origenem & D. Thomam non eſſe auſos aſſerere unicum tantum eſſe mundum.*

θ In eo uno omnia ſunt.] *πᾶν id eſt, omne à Græcis dicitur, quod in eo præter ea ſint omnes ſpecies rerum, atq; adeo omnes gradus entis.*

CAP. X.

An Jani & Jovis recta diſcretio ſit.

CUm ergo & Janus mundus ſit, & α Jupiter mundus ſit, unusque ſit mundus, quare duo dii ſunt Janus & Jupiter? Quare β ſeorſum habent templa, γ ſeorſum aras, diverſa ſacra, diſſimilia ſimulachra? Si propterea, quia alia vis eſt primordiorum, alia cauſarum, ex illa Iani, ex iſta Iovis nomen accepit: numquid ſi unus homo in diverſis rebus duas habeat poteſtates, aut duas artes, quia ſingularum diverſa vis eſt, δ ideo duo judices, aut duo dicuntur artifices? Sic ergo & unus deus cum ipſe habeat poteſtatem primordiorum, ipſe cauſarum, num propter hoc duos deos eſſe neceſſe eſt putari, qui primordia cauſæque res duæ ſunt? Quod ſi hoc juſtum putant, etiam ipſum Iovem tot deos eſſe dicant, quod ei cognomina propter multas poteſtates dederunt: quoniam res omnes, ex quibus illa cognomina ſunt adhibita, multæ atque diverſæ ſunt, ex quibus pauca commemoro.

α ET Iuppiter mundus ſit.] *Clemens Alex. l. 5. ςρωμάτ. refert verba Æſchili:* Ζεύς ἐστὶν αἰθήρ. Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δὲ οὐρανὸς, Ζεύς τοι τὰ πάντα, χ' ὅτι τῶν δε ὑπέρτερον, Iuppiter eſt æther, eſt terra Iuppiter, cœlumque, & omnia Iuppiter, & ſi quid ſupra. F.L. ſeq.

β Seorſim habent templa.] *Id conſtat ex Pub. victore de regionibus urbis:* Cum Marcellus bello Gallico ad Claſtidium ædem Honori & Virtuti voviſſet, dedicatio ejus à Pontificibus impedita eſt, *ut ſcribit Livius l. 37. A. V. C. 548.* quod negarent unam cellam amplius quam uni Deo recte dedicari.

γ Seorſim aras.] *Macrobius l. 1. Saturnal. c 9. refert ex Varrone l. 5. rerum humanarum Iano 12. aras pro totidem menſibus dedicatas, quod non ſolum Ianuarij, ſed omnium menſium ingreſſus teneretur, inde etiam Iunonium dictum, quod in ditione Iunonis ſint omnes Calendæ.*

δ Ideo duos judices aut duo artifices.] *Hæc eſt doctrina Theologorum, cum quærunt:* an ſi Chriſtus aſſumeret plures naturas humanas, diceretur plures homines, an unus homo: *Vt enim nomen ad aliquam formam ſignificandam impoſitum multiplicetur, non ſatis eſt multiplicatio formæ, ſed præterea requiritur multiplicatio habentis formam; quod ſi non multiplicetur, ſingulariter tale nomen uſurpabitur; ſi quis ergo habeat plures artes, non eum propterea dicimus plures artifices: ſi quis plura habeat regna, non dicimus eum propterea plures Reges.*

ε Ipſe habeat poteſtatem primordiorum, ipſe cauſarum.] *Ita cenſuit de Iove Orpheus.*

Ζεὺς πρῶτος ἐγένετο, * Ζεὺς ὕστατος ἀρχικέραυνος,
Ζεὺς κεφαλὴ, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.

CAP.

CAP. XI.

De cognominibus Jovis, quæ non ad multos deos, ſed ad unum eundemq; referuntur.

Jovi tot cognomina cur impoſita? DIxerunt *a* eum victorem, *β* invictum, *γ* opitulum, impulſorem, *δ* ſtatorem, *b* centupedam, ſupinalem, tigillum, *c* elmum, ruminum, & *ε* alia *d* quæ perſequi longum eſt. Hæc omnia cognomina impoſuerunt uni Deo *ζ* propter cauſas poteſtatesque diverſas, non tamen propter tot res etiam tot deos eum eſſe coegerunt: quod omnia vinceret, quod à nemine vinceretur, quod opem indigentibus ferret, quod haberet impellendi, ſtatuendi, reſupinandi poteſtatem, quod *e* tanquam tigillus mundum contineret ac ſuſtineret, quod aleret omnia, quod *η* ruma, id eſt mamma aleret animalia. In his ut advertimus, quædam magna ſunt, quædam exigua, & tamen *θ* unus *f* utraque facere perhibetur. Puto inter ſe propinquiora eſſe cauſas rerum, atque primordia, propter quas res unum mundum, duos deos eſſe voluerunt, Iovem atque Ianum, *ι* quem * continere dicunt mundum, & mammam dare animalibus: nec tamen propter hæc duo opera tam longè inter ſe vi & dignitate diverſa, duo dii eſſe compulſi ſunt, ſed unus Iupiter, propter illud Tigillus, propter hoc Ruminus appellatus eſt. Nolo dicere, quod animalibus mammam præbere ſugentibus magis Iunonem potuit dicere quàm Iovem: præſertim *κ* cum eſſet diva Rumina, quæ in hoc opus adjutorium illi famulatumque præberet. Cogito enim poſſe reſponderi, & ipſam Junonem nihil aliud eſſe quàm Jovem, ſecundùm illos Valerii Sorani verſus, ubi dictum eſt.

al. quam

Iuno.

Jupiter omnipotens regum rerumq; deûmq;
Progenitor genitrixq; deûm.

Quare ergo dictus eſt & Ruminus, cum diligentius fortaſſe quærentibus, ipſe inveniatur eſſe etiam illa diva Rumina? *g* Si enim majeſtate deorum rectè videbatur indignum, ut in una ſpica alter ad curam geniculi, alter ad folliculi pertineret, quanto eſt indignius unam rem infimam, id eſt, ut mammis alantur animalia, duorum deorum poteſtate curari, quorum ſit unus Jupiter rex ipſe cunctorum: & hoc agat non ſaltem cum conjuge ſua, ſed cum ignobili neſcio qua Rumina, niſi quia ipſe eſt etiam ipſa Rumina, ipſe Ruminus: Ruminus fortaſſe pro ſugentibus maribus: Rumina pro fœminis? *h* Dicerem quippe noluiſſe illos Jovi fœmininum nomen imponere, niſi & in illis verſibus progenitor genitrixque diceretur: & inter alia eius cognomina legerem, quod etiam pecunia vocaretur, quam deam inter illos minuſcularios invenimus, ut in quarto libro jam commemoravimus. Sed cum & mares & fœminæ habeant pecuniam: cur non & Pecunia & Pecunius appellatus ſit, ſicut Rumina & Ruminus, ipſi viderint.

Jovis cognomina. *a* DIxerunt eum victorem.] *Jovis plurima fuerunt apud Græcos & Latinos cognomina, quorum pleraq; ex Græcis perſequitur inſtituto ſuo Orpheus in Hymnis, & ſparſim Homerus in utroq; poemate & Hymnis; velut quod ſit Φίλι@,*

id

id eſt amicitiæ præſes, & ξένιος, hoſpitalis, & ἑταιρεῖος ſocius, & ὅρκιος jurisjurandi præſes, & alia quæ ad naturam eius potius pertinent, quàm ad uſum hominum. Præter hæc erat & Jupiter Anxurus Terracinæ, quaſi ἄνευ ξυροῦ, ſine novacula imberbis, unde & Anxur olim dicta Terracina, Servius. Erat & Apomyas in Olympia, quem ſacravit Hercules, quaſi muſcarum abactorem. cum illis inter ſacrificandum infeſtaretur: & Athenis Jupiter Φράτριος, quaſi tribulis, cuius feſtum ſecundo die τῶν ἀπατουρίων, hoc eſt, deceptoriorum, isq; dies ab effluxu cruoris hoſtiarum ἀνάῤῥυσις dicebatur. & in Caria λαβραδεὺς, quaſi ſecurarius, in cuius dextra non fulmen, ſed ſecuris erat, quam Lydi λάβρυν dicunt, apud Plutarchum in Prob. Erat etiam in Græcia ἐλευθέριος, quaſi liberator, quod ab armis Perſarum liberaſſet: in Aſia minore Mileſius: in Chaonia, Dodonæus: Ammonius in Africa: Athenis μειλίχιος, cui nullum ſacrificabatur animal, ſed frugibus placabatur & pomis, Thucydides. Erat & ἀφέσιος, quaſi dimittens, & κόκκυξ Argis, hoc eſt, cuculus, & φύξιος à Phryxo ſacratus, quaſi fugæ comes, ubi & vellus aureum, apud Apollonium: & Aratrius apud Phœnices, Cœli filius Saturni frater, cui fuit Dagoni nomen, aratri inventor, unde cognominatus Jupiter Aratrius: & πανελλήνιος toti Græciæ communis. In Sicilia ἀγοραῖος, forenſis, quod foro præeſſet, eiq; ſtatua eo loco erigebatur: Herodotus. Erat Romæ præter ea nomina, quæ commemorat Auguſtinus, Jupiter Feretrius, de ferendis ſpoliis opimis, ſacratus à Romulo: Capitolinus, à loco: Elicius, quem ſacravit Numa in Aventino ab eliciendo è mentibus divinis, quomodo procuranda eſſent fulmina & prodigia: Piſtor, à panibus, quos de Capitolio jactarunt obſeſſi Roma capta, cuius feſtum ſexto Idus Junij: Viminius, in colle Viminali: Prædator, prædæ adjutor, cui & aliquid debebatur de præda, Servius: Ultor, quem ſacravit Agrippa: Tonans, quem Auguſtus poſt bellum Cantabricum: Cuſtos à Domitiano in Capitolio: Latialis, à Tarquinio Superbo in monte Albano: Invictus, cuius feſtum Idibus Junij: Inventor, cuius ara prope portam Trigeminam, ſacratus ab Hercule inventis bobus, cui juvencus immolabatur: Adultus, cui ſacrificabatur in nuptiis, Livius, Dionyſius, Plutarchus, Suetonius, Lactantius, qui libro primo ſcribit, Jovem de nominibus hoſpitum ſuorum eſſe plerunq; cognominatum, velut Atabyrium, Lapriandum, à quibus in bello eſt adjutus, tum Laprium, & Molionem, & Caſſium. Theſeus Hecaleſium Jovem, & eius ſacra inſtituit in Attica terra de nomine Hecales vetulæ hoſpitæ ſuæ. Ariſtoteles in libello de mundo, cuius jam aliàs mentionem fecimus. cum Deus ſit unus, multinomius eſt ab effectionibus omnibus, nempe Jupiter, & ἀστραπαῖος, id eſt fulgurator, & βρονταῖος, tonans, αἴθριος, ſerenator, & αἰθέριος, cæleſtis, & κεραύνιος fulminator, & ὑέτιος pluvius, & ἐπικάρπιος frugifer, & πολιεὺς urbicus, & γενέθλιος natalitius, & ἕρκιος vallaris, & ὁμόγνιος cognatus, & πάτριος patrius: ipſe eſt etiam fata & omnia, quæ de fato & parcis dicuntur, nempe ἀνάγκη, καὶ μοῖραι καὶ νέμεσις, καὶ ἀδράστεια. Sic ille.

b Centumpedam.] *Ab ſtabilitate ſic eſt dictus, ut idem Auguſtinus explicat: nam firmius res conſiſtit, quo pluribus innititur pedibus, & velut fulcris. Eſt & vermis centipeda.*

c Alinum.] *Alij codices alumnum, ſed Almum melius ut arbitror. Nam alma & almus ab alendo dicuntur: unde Venus alma, & Ceres, & terra alma. Alumnus verò non facilè eſt is qui alit, quod quidam putant.*

d Quæ per ſe proſequi longum eſt.] *Antiqui codices habent: Quæ perſequi longum eſt. Commentatores verbi ſignificationem parum intelligentes, per ſe proſequi dèpravarunt, rati perſequi ſolum dici de inſectatione inimica.*

e Tanquam tigillus mundum contineret.] *Tignus, unde tigillus trabs, cui tectum innititur. Ariſtot.* περὶ τοῦ κόσμου, *umbilicis quibus fornix continetur & ſiſtitur, Deum eſſe in mundo ſimilem ait, qui ſi abſit vel momentum, corruat pro:inus naturæ ædificium neceſſe eſt, ut ablato umbilico fornicis ſtructura tota diſſoluta conciderет. Non eſt ab hoc propoſito diſſonum, quod Orpheus in Hymnis de Jove inquit:*

Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε, καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος. *Et poſt.*
Ζεὺς πόντου ῥίζα.

f Utraque facere.] *Et magna & parva.*

g Si enim majeſtate deorum.] *Libro 4. Deriſa eſt opinio eorum, qui alium Deum curæ geniculi, alium folliculi tribuebant.*

h Dicere quippe voluiſſe.] *In antiquis melius: Dicerem quippe noluiſſe.*

F.L.Coq. α Dixerunt eum victorem.] Q. Fab. Cos. in bello contra Gallos & Samnites ædem Jovi victori & ſpolia hoſtium vovit. *Liv. l.30. ab V.C. 468.*

β Invictum.] *Ita Horatius 3. Carminum.*

----- Uxor invicti Jovis eſſe neſcis.

γ Opitulum.] *Quod opem ferat. Feſtus.* Opitulus Iuppiter & opitulator dictus eſt quaſi opis lator.

δ Statorem.] *Cicero in Catilinam.* Quem ſtatorem hujus urbis atque imperij vere nominamus: *ſic dictus quod ſtare fecit Romanos a Sabinis in fugam verſos.*

ε Alia quæ perſequi longũ eſt. *Multæ ſunt cognomina Iovis tà ap. Græcos tũ ap. Latinos. Lucianus in Timone,* ὦ Ζεῦ φίλιε καὶ ξένιε, καὶ ἑταιρεῖε, καὶ ἀστεροπητὰ, καὶ ὅρκιε, καὶ νεφεληγερέτα, καὶ ἐρίγδουπε καὶ εἴ τί σε ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσιν. *Plato in Euthydemo dicit Athenienſibus vocari* ἕρκειον, καὶ φράτριον, *i. e.* urbis ſceptorum tribuumq; præſidem. *De aliis nominibus Iovis, vide Cælium Rhodiginum l.18. c.18. quam multis nominum additamentis Iuppiter Romæ celebraretur videri poteſt Minutius Fælix in Octavio, & Briſſonius l.1. de formul.*

ζ Propter cauſas poteſtateſque diverſas.] *Sic in ſcriptura plura nomina Deo imponuntur propter multiplices perfectiones, quas noſter intellectus in illa ſimpliciſſima eſſentia concipit, nihil tamen ideo id detrahit unitati, vel ſimplicitati divinæ: verum cum illa eſſentia ſit infinita, noſter intellectus finitus & limitatus, nec unico conceptu poſſit apprehendere divinæ eſſentiæ infinitam perfectionem, neceſſe eſt ut plures formet conceptus, qui quidem ſignificentur per voces, & nomina. Hinc fit ut diverſis nominibus in ſcripturis Deus ſignificetur, ita Chriſtus ob varias proprietates etiam dicitur ovis, Paſtor, Agnus, vitis, via, veritas, vita, oſti-*

um, unus tamen Chriſtus eſt. Recte igitur D. Auguſtinus, licet propter cauſas, poteſtateſque diverſas multa cognomina Gentiles impoſuerunt uni Deo, non tamen inde dicendum plures eſſe Deos.

η Ruma, id eſt, mamma.] Ruma *à veteribus dicebatur* mamma, *ut annot. Nonius citans locum Catonis ex opere de liberis educandis.* Romani, *inquit, Cato*, priſco vocabulo rumam mammam appellarunt: à qua ſubrumi etiam nunc dicuntur agni. *Feſtus*, mamma ruma dicitur, unde ruſtici appellant hœdos ſubrumos, qui adhuc ſub mammis habentur.

θ Unus utraque facere perhibetur.] *Eſt enim prima cauſa univerſalis à qua ſuperiora & inferiora omnia pendent: primum ens, à quo omnia magna & parva habent eſſe: imo repugnat aliquid in rerum natura exiſtere: & non eſſe productum à Deo, & id ex ſcriptura manifeſte colligitur Pſalmo 114.* qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in ejus ſunt. Jo.1. omnia per ipsũ facta ſunt. Act.4. Tu qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Rom. 11. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, *& innumera alia loca. vid. D. Thomam 1. p. q. 44. art. 1.*

ι Cum eſſet diva Rumina.] *Eam deam veteres dixere, quæ lactantibus adhuc infantibus præerat.*

CAP. XII.

Quod Jupiter etiam pecunia nuncupetur.

QUàm verò eleganter rationem huius nominis reddiderunt, & α pecunia, inquiunt, vocatur, quod eius ſint omnia. O magnam rationem divini nominis, imò verò ille cuius ſunt omnia, viliſſimè & contumelioſiſſimè pecunia nuncupatur. Ad omnia enim quæ cœlo & terra continentur, quid eſt pecunia in omnibus omnino rebus, *a* β quæ ab hominibus nomine pecuniæ poſſidentur? Sed nimirum hoc avaritia Jovi nomen impoſuit, γ ut quiſquis amat pecuniam, non quemlibet deum, ſed ipſum regem omnium ſibi amare videatur. Longè autem aliud eſſet, ſi divitiæ vocaretur, δ aliud nanque ſunt divitiæ, aliud pecunia. *b* ε Nam dicimus divites, ſapientes, juſtos, bonos, quibus pecunia vel nulla, vel parva. Magis enim ſunt virtutibus divites: per quas eis etiam in ipſis corporalium rerum neceſſitatibus ſatis eſt quod adeſt pauperes verò avaros dicimus ſemper inhiantes, & egentes. Quamlibet enim magnas pecunias habere poſſunt, ſed in earum quantacunque abundantia non egere non poſſunt. ζ Et Deum ipſum verum rectè dicimus divitem, non tamen pecunia, ſed omnipotentia. Dicuntur itaque & divites pecunioſi, η ſed interius egeni, ſi cupidi. Item dicuntur pauperes pecunia carentes, ſed interius divites, ſi ſapientes. Qualis ergo iſta theologia debet eſſe ſapienti, ubi rex deorum eius rei nomen accepit, *c* θ quam nemo ſapiens concupivit? Quantò enim facilius ſi aliquid hac doctrina, quod ad vitam pertineret æternam, ſalubriter diſceretur, Deus mundi rector non ab eis pecunia, ι ſed *d* ſapientia vocaretur, κ cuius amor purgat à ſordibus avaritiæ, hoc eſt, ab amore pecuniæ?

Divitiæ qui. *Deo quomodo dives.* *Sapientia.*

L.Vives. a QUæ ab hominibus nomine pecuniæ.] *Omnia quæ poſſidentur, nomine pecuniæ ſunt comprehenſa: unde peculium dicitur à pecude deducta appellatione, ut ajunt Columella, Feſtus, & Servius, quod hæ veterum eſſent unicæ divitiæ, ſicut adhuc ſunt multarum gentium. Erant enim ferè paſtores, à quibus manaſſe vocabulum hoc etiam Varro confirmat lib. de Lat. lin. 4. poſtea ad opes urbanas ſe extendit.*

b Nam dicimus divites.] *Paradoxum Stoicum,* ὅτι οἱ σοφοὶ μόνοι πλούσιοι. *Quod Cicero ita eſſe multis magniſq; rationibus ſuadet. Idem magnis ingeniis philoſophorum eſt diſputatum, qui ſæpiſſimè contra pecuniam perorarunt.*

c Quam nemo ſapiens concupivit.] *Saluſt. in Cat. Avaritia pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupivit: ea quaſi venenis malis imbuta corpus animumq; virilem effœminat, ſemper infinita, inſatiabilis eſt, neq; copia neque inopia minuitur.*

d Sapientia vocaretur.] *Ut nos vocamus.*

F.L.Co. α EA Pecunia inquiunt, vocatur.] *Pecuniam enim in deorum numero repoſitam fuiſſe, vel ipſum Iovem fuiſſe deam Pecuniam, vel Arnobio auctore conſtat.* Quis ad extremum deam Pecuniam eſſe credat, quam velut maximum Numen veſtræ indicant litteræ donare aureos annulos, loca dare in ludis, atque in ſpectaculis, priora honorum, ſuggeſtus ſummos?

β Quæ ab hominibus nomine pecuniæ.] Pecuniam antiqui à pecore *deduxerunt,* quod univerſa eorum facultas in pecore conſiſteret. *Pecunia enim & ſignatum æs, quæ moneta dicitur & numiſma, non reperitur introducta ab Homero, qui ne minimarum quidem rerum exquiſitas mentiones omiſit & inventiones rerum diligenter perſcripſit: unde pecuniæ appellatio non tantum nummos continet aut numiſmam ſignificat, ſed omnia quæ pecunia æſtimari poſſunt, quæve ſunt in bonis reipublicæ aut privatorum, ſeu in patrimonio & poſſeſſione, ut Iuriſconſulti tradunt, l.4. 178. & 222. D. de verb. ſignific. Auguſtinus etiam l. de Chriſtiana diſciplina, c.6.* Totum, inquit, quod homines in terra habent, quorumque domini ſunt, pecunia vocatur. ſervus ſcil. vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum eſt, pecunia dicitur, *& infra.* Ideo pecunia vocata eſt, quia antiqui totum quod habebant, in pecoribus habebant, *& refertur 1. qu. 3. v. totum. & l. 1. de libero arbitr. c.15.* Pecunia, (*inquit*) quo uno nomine continentur omnia, quorum jure domini ſumus, & quorum vendendorum, atque donandorum poteſtatem habere videmur.

γ Ut quiſquis amat pecuniam non quemlibet Deum.] *Avarus enim in ultimum finem conſtituit pecuniam, & quantum in ipſo eſt, ipſam Deum ſuum facit. Hinc à D. Paulo rectè dicitur avaritia* idolorum ſervitus *D. Auguſt. tractatu de diſciplina Chriſtiana, c.9.* Reſpice & vide, quam multum interſit inter pecuniam tuam, & Deum tuum, pulchrior eſt iſte ſol quam pecunia tua, & tamen iſte ſol non eſt Deus tuus. Porro ſi pulchrior eſt iſte ſol, quam pecunia tua, quantum eſt pulchrior qui fecit hanc lucem?

δ Aliud namque ſunt divitiæ, aliud pecunia.] *Divitiæ ſunt amplæ opes for-*

tuna & rerum abundantia. Divites ſunt, qui etiam locupletes, pecunioſorum autem ac locupletum (*ait Nonius*) proprietatem aperit M. Tullius de repub. l.II. à pecore pecunioſos & á poſſeſſionibus locorum locupletes appellatos eſſe aſſerens, multaque ditione ovium & boum, quia tunc erat res in pecore & locorum poſſeſſionibus, ex quo pecunioſi, & locupletes vocantur

ε Nam dicimus ſapientes divites, iuſtos, bonos.] *Cicero paradoxum ſextum inſcribit, ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος. Ubi etiam ait,* Quis dubitet, quin in virtute divitiæ ſint? quoniam nulla poſſeſſio, nulla vis auri & argenti pluris, quam virtus æſtimanda eſt. *Socrates in Phædro Platonis ſub finem, à diis ſibi hanc mentem emitti petit, ut exiſtimet ſolum ſapientem divitem eſſe.*

ζ. Deum ipſum vere dicimus divitem.] Dives eſt in omnes, qui invocant illum. *Rom.10* Deus qui dives eſt in miſericordia. *Epheſ.2.* Pro divitijs habet in ſe ſufficientiam omnium bonorum. *D.Thomas 1. contra gentes c.202.*

η Interius egens ſi cupidi.] *Cicero,* Quem enim intelligimus divitem aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor in eo, cui tanta eſt poſſeſſio, ut ad liberaliter vivendum facile contentus ſit; qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus enim tuus oportet ſe judicet divitem, non hominum ſermo, neque poſſeſſiones ſuæ; *Poſt,* Animus hominis dives, non arca appellari ſolet; quamvis illa ſit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo. *Plura in hanc rem Seneca epiſt. 119. Paſſim.*

θ Quem nemo ſapiens concupiverit.] *Huc pertinet quod egregie Cicero l.3. officio.* Nihil eſt tam anguſti, tamque parvi animi, quam amare divitias, nihil honeſtius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas, ad beneficentiam, liberalitatemque conferre.

ι Sed ſapientia vocaretur.] *Ita vocatur in ſcriptura, & quamvis ſit nomen appropriatum verbo, ſeu filio, qui virtus & ſapientia patris dicitur, tamen etiam de Deo eſſentialiter intelligi poteſt: In unum Deum ſapientis nomen quadrare recte Pythagoras exiſtimavit, & Plato ipſe in Phædro,* Τὸ μὲν σοφὸν ὦ Φαῖδρε καλεῖν ἔμοιγε μέγα εἶναι δοκεῖ, καὶ μόνῳ θεῷ πρέπειν.

κ Cujus amor purgat à ſordibus avaritiæ.] *Ita docet in Ench. c.pen.* Minuitur cupiditas caritate creſcente. *& l.83. q.36.* Charitatis venenum eſt ſpes adipiſcendorum aut retinendorum temporalium, nutrimentum ejus eſt diminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas.

CAP. XIII.

Quod dum exponitur quid Saturnus, quidve ſit Genius uterque unus Jupiter eſſe doceatur.

SEd quid de hoc Jove plura, ad quem fortaſſe cæteri referendi ſunt, ut inanis remaneat deorum opinio plurimorum, cum hic ipſe ſit omnes: ſive quando partes eius, vel poteſtates exiſtimantur: ſive cum vis animæ, quam putant per cuncta diffuſam ex partibus molis huius, in quas viſibilis mundus iſte conſurgit, & multiplici adminiſtratione naturæ quaſi plurium deorum nomina

al deorum. accepit? Quid eſt enim Saturnus? α Unus, inquit, de principibus deus,* penes quem ſationum omnium dominatus eſt. Nonne expoſitio verſuum illorum Valerii Sorani ſic ſe habet: Jovem eſſe mundum, & eum omnia ſemina ex ſe emittere & in ſe recipere? Ipſe eſt igitur penes quem ſationum omnium dominatus eſt. *a* β Quid eſt Genius? Deus eſt, inquit, qui præpoſitus eſt, ac γ vim habet omnium rerum gignendarum. Quem alium hanc vim habere credunt, quam mundum cui dictum eſt:

Genius.

Jupiter omnipotens progenitor genitrixq́ue?

Et cum alio loco *b* genium dicit eſſe uniuſcuiusque animum rationalem, & ideo eſſe ſingulos ſingulorum: talem autem mundi animum Deum eſſe, ad hoc idem utique revocat, ut tanquam univerſalis genius ipſe mundi animus eſſe credatur. Hic eſt igitur quem appellant Jovem. *c* Nam ſi omnis genius Deus, & omnis viri animus genius, ſequitur ut ſit omnis viri animus deus: quod ſi & ipſos abhorrere abſurditas ipſa compellit, reſtat ut eum ſingulariter & excellenter dicant deum genium, quem dicunt mundi animum, ac per hoc Jovem.

L. Vives. *a* Quid eſt Genius.] *Feſtus Pompeius: Genium appellabant deum, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum. Auſuſtius: Genius, inquit, eſt deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur, propterea Genius meus nominatur, quia me genuit. Quæſitum apud eruditos, quis deus eſſet Genius, inventumq́ue non ſimpliciter id dici. Nam Genius natura eſt deus parens illius, & Genii ſunt cœlorum multi, quorum meminit Capella in Nuptiis: & Martis Genius Melicerta, ut ait Parthenius: & corporalium rerum Genii ſunt elementa quatuor, ignis, aer, aqua & terra. Quæ Græci cum ϛοιχεῖα vocent γενέθλιους quoq́ue θεοὺς dicunt. cui non abſimile eſt quod Macrobius adducit de penatibus naturæ, quod ſit medius aer Jupiter, & infimus Juno, & ſupremus æther Minerva, quis tribus ſub uno tecto Tarquinius Priſcus templum vovit. Duodecim cœli ſigna cum ſole & luna ſunt qui Genios ajant, & hi quidem Genii univerſaliores. Nam ſuus eſt cuiq́ue loco Genius, quem faciunt ei præſidere. Quin & unicuiq́ue hominum ſuus ſic dictus, ut Cenſorinus inquit, ſive quod in eius tutela, ut quiſq́ue natus eſt, vivit: ſive quod ut generemur, curet: ſive quod unà gignatur nobiſcum: ſive etiam, quod nos genitos ſuſcipiat, ac tueatur. Eundem eſſe Genium & Larem multi prodiderunt veterum, in quis & C. Flaccus in libro, quem ad Cæſarem de indigitamentis reliquit. Porrò Lares, quemadmodum eſt apud Ovidium, gemini fuerunt filii Mercurii & Laræ ſive Larundæ nymphæ. Ideo veterum pleriq́ue, inter quos Euclides, geminos ſingulis hominum addunt Lares, alterum bonum, alterum malum: qualis ille fuit, quem Plutarchus, Florus, & Appianus ſcribunt oblatum M. Bruto media nocte ad tenuem lucernam de bello cogitanti.*

b Genium dicit eſſe uniuſcuiusque animum rationalem.] *De hoc copioſius proximo libro.*

c Nam ſi omnis Genius deus.] *Concluſio prima formæ primi ordinis ſyllogiſmorum, vulgo barbara dicunt.*

α Unus

α Unus de principibus Deus.] *Emendatum à quibusdam invenio, unus de præcipuis Deus;* Ad quem fortaſſe cæteri referendi ſunt, *Eadem facilitate & argumento, quo omnes deos ad Solem referri poſſe docuit Macrobius l.1. Saturn.c.18. & ſeq.* F.L.Ceqi

β Quid eſt Genius.] *Cenſorinus c.3. de die natali,* Genius eſt Deus, cujus in tutela, ut quiſque natus eſt, vivit, *ut obſervat Turnebus l.16.adverſar.c.19. natali die celebrabatur & colebatur Genius, ut ex illa caſura Perſiana plenum eſt,* funde merum Genio. *Colebatur autem à viris: hi enim genium habere cenſebantur, non à fœminis, Deusq́; natalis vocabatur juxta illud Tibulli,*

At tu natalis quoniam Deus omnia ſentis
Annue.

Vocabatur etiam Deus natura, *ut obſervat idem Turnebus l.2. Adverſ. cap.12. ut autem viri ſuo die natali Genium colebant, ſic mulieres venerabantur Iunonem, quæ etiam Iuno natalis dicebatur, ut apud Tibullum.*

Natalis Iuno ſanctos cape thuris acervos.

Et ut per Genium virorum, ſic per Iunonem mulierum jurabant: de viro Tibullus ſic ſcribit,

Perque tuos oculos per Geniumque rogo.

De muliere item.

Hæc per ſancta tuæ Iunonis Numina juro.

Per Genium Cæſaris jurare ſolitos conſtat ex Ulpiano l. ſi duo 55. D. de jurejurando, Suetonio in Caligula c.17. Dione l.57. & ex Tertulliano in Apologetico c.28. & 32. & l. ad Scapulam c.2. Genium Genio alteri præſtare credebant, refert Plutarchus in Antonio, ei dictum aliquando à Mathematicis, Genium illius timere ſolitum Genium Auguſt. Binos genios ab ipſo natali die cuiq́; mortalium datos Empedocles docuit, ut referunt Eugubinus l.8. de perenni philoſophia c.40. & Alexander ab Alexandro lib.6. c.4. & Servius ad illud 6. Æneid.

Quiſque ſuos patimur manes -----

Cum naſcimur, *inquit,* duos genios ſortimur, unum qui ad bona hortatur, alterum qui ad mala. *Nec hominum modo, ſed etiam urbium, coloniarum, locorum genios eſſe credebant, ut tradit Alex. ab Alexandro loc. cit. Servius ad illud 1. Georgic.*

Invitat genialis hyems -----

Genium veteres dixere naturalem Deum cujusq́; vel loci, vel rei, vel hominis: & civitatum genios apud Arnobium l.1. & γένιον τȣ̃ δήμου apud Dionem l.1. & genium publicum apud Ammianum Marcellinum legimus. Certe vetuſtiſſima illa opinio de Geniis proxime accedit ad Chriſtianam veritatem, qua certe novimus hominibus ſtatim à nativitate deputari cuſtodes Angelos, quin & provinciis ac regnis à Deo præfici. De Genio plura apud Gyraldum hiſtor. deorum Syntagm.15.

γ Ac vim habet omnium rerum gignendarum.] *Ita Feſtus & Iſidorus l. 8. Originum c.11. Qui ſubjungit, ſed à gignendis liberis, unde & geniales lecti dicebantur à Gentibus, qui novo marito ſternebantur.*

CAP. XIV.

De Mercurii, & Martis officiis.

MErcurium *a* verò & Martem, quomodo referrent ad aliquas partes mundi, & opera Dei quæ ſunt in elementis, non invenerunt, & ideo eos ſaltem operibus hominum præpoſuerunt, ſermocinandi & belligerandi miniſtros. *a* β Quorum Mercurius ſi ſermonis etiam deorum poteſtatem gerit, ipſi quoque regi deorum dominatur, ſi ſecundum eius arbitrium Jupiter loquitur, aut loquendi ab illo accipit facultatem, quod utique abſurdum eſt. Si autem illi humani tantum ſermonis poteſtas tributa perhibetur, non eſt credibile ad lactandos mamma, non ſolùm pueros, ſed etiam pecora, unde Ruminus cognominatus eſt, Jovem deſcendere voluiſſe, & curam noſtri ſermonis, quo pecoribus antecellimus, ad ſe pertinere noluiſſe: ac per hoc idem ipſe eſt Iovis atque Mercurius. *b* γ Quod ſi ſermo ipſe dicitur eſſe δ Mercurius, ſicut illa quę de eo interpretantur oſtendunt. *c* Nam ε ideo Mercurius, quaſi medius currens dicitur appellatus, quod ſermo currat inter homines medius, *d* ideo ἑρμῆς Græcè, quod ſermo vel interpretatio, quæ utique ad ſermonem pertinent, ἑρμηνεία dicitur: *e* ideo ζ & mercibus præeſſe, quia inter vendentes & ementes ſermo fit medius: *f* η ideo alas ei in capite & pedibus ponunt, volentes ſignificare volucrem ferri per aera ſermonem: *g* θ ideo nuncium dictum, quoniam per ſermonem omnia cogitata enunciantur. Si ergo ι Mercurius ipſe ſermo eſt, etiam ipſis confitentibus deus non eſt: ſed cum ſibi deos faciunt eos, qui dæmones ſunt, immundis ſupplicando ſpiritibus, poſſidentur ab eis qui non dii, ſed dæmones ſunt. Item quia nec Marti aliquod elementum vel partem mundi invenire potuerunt, ubi ageret opera qualiacunque naturæ, κ deum belli eſſe dixerunt, quod opus eſt hominum, & optabile non eſt. Si ergo pacem perpetuam Fœlicitas daret, Mars quid ageret non haberet. Si autem λ ipſum bellum eſt Mars, ſicut ſermo Mercurius, utinam quàm manifeſtum eſt, quod non ſit Deus: tam non ſit & bellum, quod vel falsò vocetur Deus.

Sermo.

L. Vives. *a* QUorum Mercurius ſi ſermonis.] *Mercurios quinque fuiſſe narrat apud Ciceronem Cotta, primum, Cœlo patre & Die matre natum: ſecundum, Valentis & Pheronidis filium, eum qui ſub terris habetur, idem Tryphonius eſt. Tertium Jove tertio natum & Maia. Quartum, Nilo patrem, quem Ægyptij nefas habebant nominare. Quintum, quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur intereniſſe, ob eamque cauſam Ægypto præfuiſſe, atque Ægyptiis leges & literas tradidiſſe: hunc Ægyptij Theut appellant. Hæc Cicero. Eius Theut meminit in Phædro Plato, & Euſebius libro 1. Præparationis Evangelicæ, qui eum ab Ægyptiis tradit vocari Thoyth, ab Alexandrinis Thot, Græcos ἑρμῆν dicere, qui & literas primus docuit, & de theologia altius arcaniusque ſcripſerit. Diodorus etiam lib. 1. redegiſſe hunc Mercurium narrat voces in ordinem, ac plerisque rebus indidiſſe nomina, ſacraque [illegible] & ceremonias tradidiſſe. De vocibus confirmat Horatius ex Alcæo poeta, [illegible] de cauſis Ægyptij inventorem & Deum ſermonis illum putaverunt, interpre-*

tem quoq; & nuntium dixere hominum ac deorum. Cùm quod ſacra velut à diis ad homines pertuleris, tum vel maximè, quod ſermo ab hominibus ad homines & ad deos tranſcurrat, ſine quo nullum conſtat commercium. Unde illa apud Ariſtidem Rhetorem fabella, nullum commercium, concordiam in genere humano nullam fuiſſe, prius quam ſermonem Mercurius in eo ſparſiſſet, & inventio literarum paratiſſima fuit commento occaſio, quod procul diſſitos literis alloqueremur, unde inventor earum Mercurius ultrò citroq; commeare exiſtimatus eſt, & mandata diligentiſſimè exequi.

b Quod ſi ſermo ipſe dicitur,] *Porphyrius in Phyſiologia: Orationis interpretandi vim Mercurium dixerunt, qui tenſus rectusq; fingitur propter orationis vigorem: cæterum, quod oratio compoſita eſt, aliam ſolarem volunt, quæ ſit Mercurius, aliam lunarem, quæ Hecate: aliam univerſalem, quæ Hermopis. Feſtus Pomp. unam ex cauſis cur Mercurius ſit Cyllenius nuncupatus eſſe dicit, quod ſermo ſine manibus omnia conficiat, quibus partibus corporis egeni κυλλοὶ vocantur, tametſi hoc nomen ad omnes mutilatos patet: alij de loco Cyllenium nuncupant.*

c Nam ideo Merc. quaſi med. currens.] *At Feſtus ait, à mercibus eſſe dictum. Ego enim nomen à mercor derivatum puto unde ſunt mercatus & mercatura, & merx, quis omnibus præeſt Mercurius.*

d Ideo ἑρμῆς Græcè.] ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, *id eſt interpretari. Hoc idem eſt eſſe nuncium deorum, non quod dicta interpretetur, ſed quod diligentiſſimè, & optima fide peragat, quæ ſunt mandata, quod eſt munus ſermonis, perferre ab animis ad animos ſenſa, quæ aliter pateſieri & edoceri nequeunt: cumq; animi pro diis putarentur, ideo interpres divûm, & nuncius eſt appellatus. Plato in Cratylo:* ὃς τὸ εἴρειν ἐμήσατο δικαίως ἂν καλοῖτο ὑπὸ ὑμῶν Εἰρέμης. νῦν δὲ ἡμεῖς, ὡς οἰόμεθα, καλλωπίζοντες τὸ ὄνομα Ἑρμῆν καλοῦμεν. καὶ ἥ γε Ἶρις ἀπὸ τοῦ εἴρειν ἔοικε κεκλημένη ὅτι ἄγγελος ἦν. *Quirin. inquit, hoc eſt loqui commentus eſt meritò vocetur à vobis iremes. Nunc vero nos elegantius rati nomen proferre, Hermam vocamus. Ipſa etiam Iris à dicendo videtur nominata, quoniam nuncia quoq; eſt. Porrò omnis qui alicui negotio conficiendo ſe interponit, dicitur interpres, conciliator quoq; & medius, ſicut Servius inquit 4. Æneid. ut apud Ciceronem, qui interpretes corrumpendi judicij eſſe ſolent. Et Verg. ipſe verbis Didonis Junonem alloquentis, quæ conciliatrix fuerat Didonis & Æneæ:*

Tuq; harum interpres curarum, & conſcia Juno.

e Ideo & mercibus præeſſe.] *Sine ſermone perit commercium mortalium. Diodorus perhibet exiſtimatum à quibusdam Mercurium menſuram, pondus, & mercaturæ quæſtum inveniſſe. Extat & apud Græcos proverbium* κοινὸς ἑρμῆς.

f Ideo alas.] *Mercurius alatus fingitur, non modò in pedibus, quæ vocant talaria, & apud Homerum* πέδιλα, *ſed etiam in temporibus: utrinq; enim ei prominent pinnulæ pares, ut Apuleius deſcribit in Apologia. Fingitur enim deus ille petaſatus, hoc eſt galero tectus, extantibus ſupra galerum pinnis, quod in Amphy. ſignificavit Plautus verbis ipſius Mercurij: Ego has habeo usq; in petaſo pinnulas. Hanc annotationem acceptam refero Beroaldo in Comment. Auguſti Suetonij.*

 h Ideo

b Ideo nuncium.] *Hoc idem, ut dixi, interpres ex Diodoro Siculo lib. 6. & ſic exponit Acron libro 1. Carm. Horatij.*

F.L. α MErcurium vero & Martem quomodo referrent.] *Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 9. docet non eſſe aliud nomen Martis ac Mercurij, quam Solem ipſum.*

β Quorum Mercurius ſi ſermonis deorum poteſtatem gerit.] *Mercurius apud Græcos dicitur* λόγιος *quaſi* ſtudiorum, literarum, eloquentiæque præſes, *ut interpretatur Budæus in Comment. & Turnebus l. 11. adverſar. c. 28. Apud Lucianum,* τῷ λογίῳ θύσομεν. *i.e.* Ἑρμῇ. *Gregorius Nazianzenus Orat. 2. in Iulian. in eum invectus quod Chriſtianis ſtudia liberalium artium prohibuiſſet.* Τίς Ἑρμῆς σοὶ λόγιος *inquit,* τοῦτο δὲ ἐπὶ νοῦν ἤγαγε; Quis Mercurius Logius tibi hoc in mentem induxit. *Act. 14. Gentes Paulum vocabant Mercurium, quod ipſe eſſet dux verbi.*

γ Si ſermo eſſe dicitur ipſe Mercurius.] *Scribit Suidas Mercurium fingi à Poetis,* Υἱὸν Διός καὶ Μαίας εἶναι τοῦ νοῦ καὶ τῆς Φρονήσεως. ἐκ νοῦ γὰρ καὶ Φρονήσεως ὁ λόγος γεννᾶται.

δ Mercurius quaſi medius currens.) *Arnob. l. 3.* Mercurius quaſi quidam medicurrius dictus eſt, & quod inter loquentes duo media currat & reciprocetur oratio nominis hujus concinnata eſt qualitas.

ε Ideo Ἑρμῆς Græce ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, quod eſt interpretari.) *De eo nomine ita Plato in Cratylo,* τοῦτο γε ἔοικε περὶ λόγον τι εἶναι ὁ Ἑρμῆς, καὶ τὸ ἑρμηνέα εἶναι, καὶ τὸ ἄγγελον, καὶ τὸ κλοπικόν τε καὶ ἀπατηλὸν ἐν λόγοις. καὶ τὸ ἀγοραστικόν, περὶ λόγου δύναμιν ἐστὶ πᾶσα αὕτη ἡ πραγματεία. *Dicitur vero ab* εἴρειν, *quod eſt* ſermone uti, *&* μήσασθαι, *quod ſignificat* aliquid arte & induſtria exquirere, *conſtatum eſſe* Ἑρμοῦ *nomen, ut Dei illius efficacia in expedienda induſtria & ſermone diſſerendo ſignificaretur* ὥσπερ ἐπιτάττει ἡμῖν *(inquit)* ὁ νομοθέτης ὦ ἄνθρωποι, ὃς τὸ εἴρειν ἐμήσατο, δικαίως ἂν καλοῖτο ὑπὸ ἡμῶν Εἰρέμης, νῦν δὲ ἡμεῖς ὡς οἰόμεθα καλλωπίζοντες τὸ ὄνομα Ἑρμῆν καλοῦμεν, *elegantiori venuſtiorique modo loquendi* Ἑρμῆν *dicimus.*

ζ Ideo mercibus præeſſe.) *Unde* ἀγοραῖος *Mercurij eſt epithetum. Ariſtophanes* νὴ τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀγοραῖον κἀπιορκῶ γε βλεπόντων; per Mercurium qui colitur in foro. *Ideo & Feſtus à mercibus vult Mercurium eſſe dictum, hunc enim negotiorum omnium exiſtimabant eſſe Deum. &* lucrius Deus *dicitur, ut lucri auctor, Ariſtophanes in Pluto addubitans quo nomine Mercurius appellandus ſit,* ſtatuamus eum *(inquit)* ἐμπολαῖον i.e. quæſtus & lucri præſidem.

η Ideo alas ei in capite & pedibus.) *Suidas,* διὰ τοῦτο πτερωτὸν αὐτὸν ποιοῦσιν ὡς ταχύν. οὐδὲν γὰρ λόγου ταχύτερον. καὶ Ὅμηρος ἔπεα πτερόεντα *dixit.*

θ Ideo nuncium dictum.) *Inde* κῆρυξ *&* διάκτωρ *Græcis dicitur. Homerus in hymno Mercurij, eum vocat* ἄγγελον ἀθανάτων ἐριούνιον, nuntium immortalium valde utilem. Magni Jovis & deorum nuntium *vocat eum. Horat. Ode 10 lib. 1. Carm. Odyſſ. 6. mittitur ad Calypſo ut jubeat dimittere Ulyſſem & l. 10. Æneid. ad Iove Carthaginem ad animos Carthaginenſium, & regina Trojanis hoſpitium.*

tibus mox adventuris excipiendis præparandos. Apud Lucianum matri Maiæ de varietate negotiorum, ac miniſteriorum ſuorum conquerens, καὶ διαστρώσαντα, *ait*, τὴν ἐκκλησίαν, εἰ τὰ εὐθετήσαντα ἕκαστα, παραστῆναι τῷ Διῒ, καὶ διαφέρειν τὰς ἀγγελίας, τὰς παρ' αὐτοῦ ἄνω, καὶ κάτω ἡμεροδρομοῦντα, καὶ ἐπανελθόντα ἔτι κεκονιμένον παρεστηκέναι τὴν ἀμβροσίαν.

ι Si ergo Mercurius ipſe ſermo eſt.) *Eodem argumento utitur Arnobius lib. 3.* Mercurius quaſi medicurrius, quod inter duos loquentes media currat oratio. Ergo ſi hoc ita eſt (*inquit*) non eſt Dei nomen Mercurius, ſed ſermonis reciprocantis & vocis, atque ita hoc pacto aboletur, & extinguitur caduceator ille Cyllenius in algido fuſus monte verborum excogitator & nominum: nundinarum, mercium, commerciorumq; mutator.

κ Matrem belli Deum eſſe dixerunt.] πολέμιος Ἄρης ἀπὸ τῆς ἄρσεως καὶ ἀναιρέσεως κεκλημένος, *Clemens Alex. in* προτρεπτ. *Suidas deducit à privativa*, α. *&* ῥῶ τὸ λέγω, *quod* in bello manibus, non verbis opus ſit. *Plato in Cratylo*, Ἄρην *vult dici*, κατὰ τὸ ἄῤῥεν, καὶ τὸ ἀνδρεῖον, *id eſt*, à maſculo quodam & virili robore, quo in bello opus ſit.

λ Si autem bellum eſt Mars, manifeſtum quod non ſit Deus.] *Ita Clemens Alexandrinus in* προτρεπτ. εἰ δὲ ἔρις, καὶ μάχη οὐ θεοὶ, οὐδὲ Ἄρης οὐδὲ Ἐνυώ, *id eſt*, ſi lis & pugna non ſunt dij, nec deus eſt Mars, nec Enyo.

CAP. XV.

De ſtellis quibusdam, quas pagani deorum ſuorum nominibus nuncupaverunt.

NIſi *a* α fortè iſtæ ſtellæ ſunt hi dij, β quas eorum appellavere nominibus. Nam ſtellam quandam vocant Mercurium, quandam itidem Martem: ſed ibi eſt & illa, quam vocant Iovem, & tamen eis mundus eſt Iovis. Ibi quam vocant Saturnum, & tamen ei præter eam dant non parvam ſubſtantiam, omnium videlicet ſeminum. γ Ibi eſt & illa omnium clariſſima, quæ ab eis appellatur Venus: *b* & tamen δ eandem Venerem eſſe etiam Lunam volunt, quanuis de ε illo fulgentiſſimo ſydere apud eos *c* tanquam de malo aureo Iuno Venusque contendant. Luciferum enim quidam Veneris, quidam dicunt eſſe Iunonis: ζ ſed ut ſolet Venus Iunonem vincit. Nam multò plures eam ſtellam Veneri tribuunt, ita ut vix eorum quiſquam reperiatur, qui aliud opinetur. Quis autem non rideat, cum regem omnium Iovem dicant, cum ſtella eius à ſtella Veneris tanta vincatur claritate? Tantò enim eſſe debuit cæteris illa fulgentior, quantò eſt ipſe potentior. Reſpondent ideo ſic videri, quia illa quæ putatur obſcurior, ſuperior eſt, atque à terris longe remotior. Si ergo ſuperiorem locum major dignitas meruit, η quare Saturnus ibi eſt Iove ſuperior? An vanitas fabulæ, quæ regem Iovem facit, non potuit uſque ad ſydera pervenire: *d* θ & quod non valuit Saturnus in regno ſuo neque in Capitolio, ſaltem eſt permiſſus obtinere in cœlo? Quare autem Ianus non accepit aliquam ſtellam, ſi propterea quia mundus eſt, & omnes in illo ſunt, *e* & Iovis *Lucifer.*

mundus eſt, & habet tamen? An iſte cauſam ſuam compoſuit ut potuit, & pro una ſtella quam non habet inter ſydera, tot facies accepit in terra? Deinde ſi propter ſolas ſtellas Mercurium & Martem partes mundi putant, ut eos deos habere poſſint, quia utique ſermo, & bellum non ſunt partes mundi ſed actus hominum, cur arieti & tauro & cancro & ſcorpioni, cæteriſque huiuſmodi quæ cœleſtia ſigna numerant, & ſtellis non ſingulis, ſed ſingula pluribus conſtant, ſuperiuſque iſta in ſummo cœlo perhibent collocata, ubi conſtantior motus inerrabilem meatum ſyderibus præbet, nullas aras, nulla ſacra, nulla templa fecerunt? nec deos, non dico inter hoc ſelectos, ſed nec inter illos quidem quaſi plebeios habuerunt.

L.Vives. a Niſi fortè illæ ſtellæ.] *Plato in Cratylo inquit, veteres Græcos non alios pro dijs habuiſſe coluiſſéq;, quam quos etiam tum barbarorum complures, cœlum, ſolem, lunam, & ſydera, quos naturales vocant deos, ut Sanchoniato Berytius ſcribit, qui autor eſt, priſcos mortales præcipuè Phœnices, & Ægyptios benè meritis de ſe hominibus, quiq; aliquid in communem vitæ contuliſſent uſum, eos honores habuiſſe, ut templa illis ſtatuæq; erigerentur, nominibus naturalium deorum impoſitis. Hunc enim cœlum, illum ſolem, alium Jovem, alium Saturnum nuncuparunt: hæc ille. Et haud dubiè vel quod eſſent aſtrologiæ periti dij ipſi, ea nomina ſyderum ſibi indebant, quarum virtutibus ſe crederent valere: vel poſteri ſydera nominibus eorum vocaverunt, qui eas artes attulerunt ad vitam, quarum effectricia exiſtimarent ea eſſe ſydera. Nam Mercurius ſtella homines ut putant reddit facundos, ingenio verſatili, accommodatq; naturæ illius planetæ cui ſeſe addit: quam cauſam video placuiſſe Servio, cur Mercurius deorum nuntius appellatus ſit: nam bonus benignuſq; eſt cum Jove & Sole, atrox & maleficus cum Saturno & Marte. Mars quoq; violentus eſt in cœlo, & cruentus, bella motuſq; terris immittit, idcirco Martem iraſcentiæ vim Porphyrius interpretatur, quæ quoniam ignea eſt, atq; cruenta, bellis eſt præfecta. Hinc oritur theologia Stoicorum, referentium deorum rationes naturaſq; ad corpora mundi, unde naſcitur tanta rerum omnium obſcuritas, ut veritas altiſſ. tenebris obruta perſpici nulla arte queat: ſicut ait tum ex eodem Sanchoniathone Euſebius lib. Præp. Evang. 1. tum etiam ex ſuis ipſius argumentis ac rationibus, uti & Aug. hoc libro diſputat.*

b Et tamen eandem Venerem eſſe etiam Lunam.] *Macrob. lib. Saturn. 1. & adducit Philochorum in Athide, Venerem eſſe Lunam, eiq; ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili, quod eadem & mas exiſtimaretur, & fœmina. Apuleius lib. 11. Transfor. ad Lunam. Sed tu cœleſtis Venus, quæ primis rerum exordiis ſexuum diverſitatem generato amore ſociaſti, & æterna ſobole humano genere propagato, nunc circumfluo Paphi ſacrario coleris.*

c Tanquam de malo aureo Iuno Venusque.] *Fabula de auri mali contentione inter tres deas, Junonem, Venerem, & Minervam notior eſt, quàm ut ſit opus hic eam explicare.* Lucifer. *Porrò de Lucifero ſic Pl. lib. 2. Infra ſolem ambit ingens ſydus appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipſiſq; cognominibus æmulum ſolis & lunæ, præveniens quippe & ante matutinum exoriens Luciferi nomen accipit, ut ſol alter,*

dieiq;

diemq́ maturans: contra ab occaſu refulgens nuncupatur Veſper, ut prorogans lucem, vicemq́ lunæ reddens. Quam naturam ejus Pythagoras Samius primum deprehendit Olymp. circiter 42. qui fuit urbis Romæ annus 142. largiare magnitudini extra cuncta alia ſydera eſt, claritatis quidem tantæ; ut unius hujus ſtellæ radiis umbræ reddantur. Itaque & in magno nominum ambitu eſt. Alij enim Iunonis, alij Iſidis, alij Martis deum appellavere. Hæc ibi.

d Et quod non valuit Sat.) *Nam è Creta pulſus à filio Iove, & è Capitolio, qui prius erat Saturnius; poſtea collis ille ſacer fuit Iovi capitolino.*

e Et Iovis mundus eſt. *Veterem rectum Iovis uſurpat, ſic in ſexto De rep. Cic. Proſperus & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur Iovis.*

f Superiusque iſta.) *In octavo cœlo eſt ſignifer duodecim ſignis conſtans, animalium nominibus inſignitus, dictus idcirco ζῳδιακός; quorum ſignorum unumquodq́ multis ſtellis eſt illuſtre.*

g Ubi conſtantior motus.) *Quia vigintiquatuor horis circum terram volvitur, eundem curſum perpetuò ſervans, unde fiunt nox & dies, ipſaq́ ſigna eodem ſemper ſunt ordine, eiſdem ſita locis, cùm planetæ modò ſint inter ſe adverſi, modò averſi, jam alius præcurrat alium, alius ſequatur: quæ varietas motuum cauſam Græcis præbuit vocandi ſtellas illas planetas, quaſi erratiles, cum nullus eorum erret, ſed ſimul omnes collati errare videantur difformitate motuum, quæ in octavi cœli ſtellis non eſt, nempe ſitis omnibus eodem cœlo, quod ideo ἀπλανὲς dicitur.*

a NIſi forte ſtellæ iſtæ ſint hi dij.] *Plato in Cratylo dicit primos homines qui Græciam olim incoluerunt, eoſdem tantum agnoviſſe deos, quos etiamnum barbarorum complures ſolent, nimirum Lunam, Terram; Aſtra & cœlum. Quod & refert Euſebius l. 1. de præparat. Evang. c. 6. vocaſſe autem deos, quia cùm ipſa cernerent θεῖν ſemper in currere atq́ revolvi, ab hac ipſius θεῖν natura deos appellarunt; Anaximander Mileſius ſtellas & aſtra deos putavit. Xenocrates & Alcmæon Crotoniates ſideribus divinitatem tribuerunt; hanc ſtultam philoſophorum opinionem & Lucilij Stoici apud Ciceronem l. 2. de nat. Deor. redarguit Lactantius l. 2. c. 5. Cauſam hujus opinionis refert Plutarchus,* Βλέποντες γὰρ ἀεὶ τοὺς ἀστέρας θέοντας, αἰτίους γὰρ τοῦ θεωρεῖν ἡμᾶς ἥλιόν τε καὶ σελήνην θεοὺς προσηγόρευσαν. *Adorarunt aliquando Hebræi veri Dei obliti militiam illam cœli i. ſtellas, damnati* δευτερον. *17. 4. Reg. 17. Iſaia 40. Hieremiæ 19. Amos 5. & Sap. 13. reprehenduntur Idololatræ,* Qui Solem & Lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt, neque ſciverunt quanto his dominator rerum ſpecioſior eſt. *Chaldæi etiam ſigna Zodiaci, Solem, Lunam aliaque aſtra dixere deos. Diodorus Siculus l. 3. bibliothec. c. 10. Solem ab Ægyptiis ut Deum cultum ſcribit. Philo Iudæus l. 1. de Monarch. Solem etiam venerabantur Perſæ. Herodotus lib. 1. Strabo l. 15. Iuſtinus l. 1. Macro. l. 1. c. 6. Proinde Soli ſacer currus regem in publico prodeuntem anteire ſolebat; ut Xenophon l. 8.* Παιδ. *refert. Athenæus l. 13. ſcribit Darium intellecta continentia Alexandri erga matrem, uxorem & filias manibus in Solem protenſis precatum*

eſſe; ut aut ſe, aut Alexandrum vellet regnare, ηὔξατο τῷ ἡλίῳ τὰς χεῖρας ἀνατείνας, ἢ αὐτὸν βασιλεύειν ἢ Αλέξανδρον.

β Quas deorum appellavere nominibus.] *Macrobius l. 1. in ſomnium Scipionis c. 21.* Notandum *(inquit)* quod eſſe ſtellam Saturni, & alteram Jovis, Martis aliam, non naturæ conſtitutio, ſed humana perſuaſio eſt, quæ ſtellis numeros & nomina fecit. *Unde obſervat Ciceronem dixiſſe non illam ſtellam, quæ Saturnia eſt, ſed quam in terris Saturniam nominant, & ille fulgor, qui dicitur Iovis, & quem Martium dicitis; adeo expreſſit in ſingulis nomina hæc non eſſe inventa natura, ſed hominum commenta ſignificationi diſtinctionis accommodata. Quis primus nomina ſtellis impoſuerit non ſatis conſtat: fortaſſe illi primi homines quoſdam ſuos in deos retulerunt, atq; ita nominibus deorum ſtellas ejuſmodi inſignierunt. Pulchre Tertullianus l. de teſtimo. anim. c. 2.* Negas deos eſſe dum ſuis vocabulis nuncupas Saturnum, Jovem, Martem, Mercurium. *Aliæ autem ſunt ſtellæ fixæ, quæ ſunt in firmamento ſeu octavo cælo licet moveantur, qui tamen ob diſtantiam non ita percipiuntur moveri, & præterea quia ſervant ſemper eandem diſtantiam adinvicem, ideo dicuntur fixæ. Aliæ autem diſtinctæ propriis orbibus dicuntur erraticæ, à Græcis planetæ, quæ pro varietate motuum diverſam inter ſe obſervant oppoſitionem. Nomina & ordo peti poſſunt ex Plinio l. 2. c. 6. & Ptolemai Almag. & Cicerone in ſomnium Scipionis.*

γ Illa omnium clariſſima.) *Græcis dicitur* Φωσφόρος.

δ Eandem Venerem eſſe Lunam volunt.) *Apud Macrobium l. 1. Saturn. c. 8. Philochorus in Attide eandem affirmat eſſe Lunam.*

ε De illo fulgentisſimo ſidere, quod quidam Iunonis, &c.) *Ita Hyginus l. 2.* Ποιητικῶν ἀστρονομικῶν *ſub finem,* Quarta ſtella eſt Veneris Lucifer nomine quàm nonnulli Iunonis eſſe dixerunt. *Hunc eundem Heſperum appellari multis traditum eſt hiſtoriis. Hic autem omnium ſiderum maximus eſſe videtur, nonnulli hunc Auroræ & Cephali filium eſſe dixerunt pulcritudine multis præſtantem, ex qua re dicitur etiam Iuno cum Venere certaſſe, ut etiam Eratoſthenes dicit, dum hac de cauſa Veneris appellari, exoriente ſole, & occidente videri, quare jure hunc Luciferum & Heſperum nominatum.*

ζ Vt ſolet Venus Iunonem, vincit.) *Plato in convivio virtutem & efficaciam amoris pulchre deſcribit.* Καὶ μὴν εἴς γε ἀνδρείαν Ἔρωτι οὐδὲ Ἄρης ἀνθίσταται, οὐ γὰρ ἔχει Ἔρωτα Ἄρης, ἀλλ' ἔρως Ἄρη. Ἀφροδίτης ὡς λόγος, κρείττων δὲ ὁ ἔχων τοῦ ἐχομένου.

η Quia Saturnus ibi eſt Jove ſuperior.) *Hic communiter ſolet aſſignari ordo planetis, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, licet Plato in Timæo ſecundum Solem ſupra Lunam poſuerit, quod & Alcinous lib. de doctr. Platon. c. 14. De hinc tertium Luciferum à terra. Sic etiam ſentit Ariſtoteles l. de mundo, vide Macrobium l. 1. in ſomnium Scipionis c. 19. Plinium l. 2. nat. hiſt. c. 8. Cic. 2. de nat. deor.*

θ Quod non valuit Saturnus in regno ſuo.) *Expulſus dicitur à Iove filio regno. De-*

quo. Deinde cum incoluiſſet montem Saturnum dictum, poſtea fuit ſacer Jovi, & ibi exſtructum Capitolium.

ι Cur Arieti & Tauro & Cancro.) *Ita fere argumentatur Cotta apud Ciceronem l. 3. de nat. deor. Solem Deum eſſe, Lunamq́, quorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianam putant; quod ſi Luna dea eſt, ergo etiam Lucifer, cæteræq́ errantes numerum deorum obtinebunt, igitur etiam inerrantes. Cur autem arcus ſpecies non in deorum numero reponatur?*

CAP. XVI.

De Apolline & Diana cæteriſq́ ſelectis diis quos partes mundi eſſe voluerunt.

a APollinem α quanuis b divinatorem c & β medicum velint, tamen ut in aliqua parte mundi ſtatuerent, γ ipſum etiam ſolem eſſe dixerunt. δ Dianamque germanam eius ſimiliter lunam d & ε viarum præſidem ζ Unde & virginem volunt, quod via nihil pariat, f η & ideo ambos ſagittas habere, quod ipſa duo ſydera de cœlo radios terras uſque pertendant. θ Vulcanum volunt ignem mundi, ι Neptunum aquas mundi, κ Ditem patrem, hoc eſt Orcum, terrenam & infimam partem mundi. Liberum & Cererem præponunt ſeminibus, vel illum maſculinis, illam fœmininis: vel illum liquori, illam verò ariditati ſeminum. Et hoc utique totum refertur ad mundum, id eſt, ad Jovem, qui propterea dictus eſt progenitor genitrixque, quod omnia ſemina ex ſe emitteret, & in ſe reciperet. Quandoquidem etiam matrem magnam eandem Cererem volunt, quam nihil aliud dicunt eſſe quàm terram, eamque perhibent & Iunonem. Et ideo ei ſecundas cauſas tribuunt rerum, cum tamen Iovi ſit dictum progenitor genitrixque deûm: quia ſecundum eos totus mundus ipſe eſt Iovis. Minervam etiam, quia eam humanis artibus præpoſuerunt, nec invenerunt vel ſtellam ubi eam ponerent, eandem vel ſummum æthera, g vel etiam lunam eſſe dixerunt. λ Veſtam quoque ipſam propterea dearum maximam putaverunt, quod ipſa ſit terra, h quanuis ignem mundi leviorem, qui pertinet ad uſus hominum facilem, non violentiorem, qualis Vulcani eſt, ei deputandum eſſe crediderunt. Ac per hoc omnes iſtos ſelectos deos hunc eſſe mundum volunt, in quibusdam univerſum, in quibusdam partes eius: in univerſum, ſicut Iovem: partes eius, ut genium, ut matrem magnam, ut ſolem, & lunam; vel potius Apollinem & Dianam: & aliquando unum deum res plures: aliquando unam rem deos plures faciunt. Nam unus deus res plures ſunt: ſicut ipſe Iupiter: & mundus enim totus Iupiter, & ſolum i cœlum Iupiter, & ſola ſtella Iupiter habetur & dicitur. Itemque Iuno ſecundarum cauſarum domina, & Iuno aër, & Iuno terra, k etſi Venerem vinceret Iuno ſtella. Similiter Minerva ſummus æther, & Minerva eadem luna, quam eſſe in ætheris infimo limite exiſtimant. Unam verò rem deos plures faciunt. Et Ianus eſt mundus, & Iupiter. Sic & Iuno eſt terra, & mater magna, & Ceres.

a Apol-

L. Vives. Apollo.

a APollinem.] *Apollines Cicero 3. De nat. deorum quatuor ponit: Dianas tres. Tertium Apollinem, & ſecundam Dianam filios dicit fuiſſe Jovis Saturnij & Latonæ.*

b Divinatorem.] *Hoc vulgatiſſimum eſt tot autoribus, tum Græcis, tum Latinis, eadem re ſcribentibus. Plato in Cratylo, Theſſalos ait non ἀπόλλωνα dixiſſe, ſed ἀπλῶν, propter divinationem in qua eſt, τὸ ἀληθές τε καὶ ἁπλοῦν ταὐτόν γέ ἐστι: id eſt, propter verum & ſimplicitatem, quæ idem ſunt. Nicander in Ætolicis ſcribit Apollinem divinam peritiam edoctum à Glauco, qui poſtea factus deus marinus, & Melicerta nominatus eſt.*

c Et medicum.] *Macrob. 1. Saturnal. virgines Veſtales ſic indigetant, Apollo medice, Apollo Pæan. Eundem eſſe Æſculapium probat, hoc eſt, vim ſalubrem de ſubſtantia ſolis animis, & corporibus animantium ſubvenientem. Hæc & alia de Apolline plurima ibi.*

d Et viis præſidere.] *Feſtus lib. 9. Juvenalia ſingebantur Dianæ ſimulachra, quia ea ætas fortis eſt, ad tolerandam viam. Diana enim viarum putatur dea: præſidet enim ſaltibus & montibus, viasque illuſtrat, per quas frequens ingreditur, feras perſequens, ut mox dicam.*

e Unde & virginem volunt.] *Sic vulgò. & narrant ædem Dianæ fuiſſe Romæ, in quam viros ingredi nefas, quod quidam ibi cum mulieri, quæ deam ſalutatum veniſſet, vim attuliſſet, à canibus ſit continuò diſcerptus. Plato Dianam ἄρτεμιν vocatam docet, διὰ τὸ ἀρτεμὲς, καὶ τὸ κόσμιον, διὰ τὴν τῆς παρθενίας ἐπιθυμίαν: id eſt, propter integritatem & modeſtiam, quam optione virginitatis habet: aut ὡς τὸν ἄροτον μισησάσης τὸν ἀνδρὸς ἐν γυναικὶ, quod viri & fœminæ coitum oderit: tametſi fabulantur concubuiſſe cum Endymione, quod & de Pane Mercurij filio narrant, qui Lunæ concubitus meruit precio pecoris albi. Verg. 3. Georg.*

> *Munere ſic niveo lanæ, ſi credere dignum eſt,*
> *Pan deus Archadiæ: captam te Luna feſellit,*
> *In nemora alta vocans, nec tu aſpernata vocantem es.*

f Et ideo ambos ſagittas habere.] *Arcum tenet in manu Apollo, & ſagittas, quibus draconem Python confecit: inde apud Homerum frequenter ἀπόλλων ἑκηβόλος, id eſt, procul jaculans dicitur: etiam ἑκατηβόλος. q. ſupernè jaculans, & ἀεὶ βάλλων: tum Diana virginitate perpetua animo deſtinata, ſylvas & montes pererat venans, eo cultu, quo Venus Æneæ conſpecta eſt apud Verg. coturnata, & pharetram, præcincta, & in curſum expedita. has ſagittas nihil aliud, quàm eorum radios putandum eſſe omnes docent, quibus ſunt illa ſydera armata: ſicut de Sole Lactantius inquit:*

> *Armatus radiis elementa liquentia luſtrans.*

g Vel etiam Lunam eſſe dixerunt.] *Porphyrius in Naturalibus deorum interpretamentis, quod in ſole, inquit, eſt Apollo, id in Luna eſt Minerva, per quam prudentia ſignificatur.*

h Quamvis ignem mundi leviorem.] *Nempe ad focos, & uſus hominum: tum etiam ad generationem pertinentem, ut dixi alibi: quanquam in his, ut rebus*

commen-

commentitijs: mira eſt ſententiarum varietas. Phurnutus enim ait, Vulcanum eſſe ignem hunc craſſiorem, quo paſſim utimur. Ille enim ſubtilior Iupiter eſt: & idem Prudentius. Ipſe ignis, noſtrum qui ſervit ad uſum, Vulcanus perhibetur, & in virtute ſuperna fingitur, ac delubra deus & nomine acore aſſimulatus habet: nec non regnare caminis fertur, & Aeolia ſummus faber eſſe, vel Aetna.

i Solum cælum Iupiter.] *Unde illud Ennij: Aſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Iovem.*

k Et ſi Venerem vinceret.] *In contentione de nomine luciferi ſtellæ.*

α APollinem quamvis divinatorem.) Hunc præter cæteros (*ait Lactantius l.1.c.7.*) divinum maximeque fatidicum exiſtimant. *Huic etiam Plato in Phædro tribuit, μαντικὴν ἐπίπνοιαν,* vaticinii inſpirationem. *& in convivio, τοξικὴν καὶ ἰατρικὴν καὶ μαντικήν.* Ἀπόλλων εὗρεν ſagittandi & medicandi & vaticinandi peritiam invenit; *ideo habitus vaticiniorum Præſes, unde adagium;* Quid tibi Apollo cecinit? *propterea etiam idem Plato in Cratilo recte docet à Theſſalis convenientiſſime, κατὰ τὴν μαντικὴν, ἁπλοῦν appellatum, quod divinatio debeat eſſe recta & ſimplex.* Τὸ γὰρ ἀληθὲς καὶ ἁπλοῦν εἶναι ταυτέ. *Fulgentius l.1. Mytholog. Apollinem ideo divinationum Deum habitum eſſe ſcribit, ſive quod ſol omnia obſcura manifeſtat in lucem, ſeu quod in ſuo proceſſu & occaſu ejus orbita multis modis ſignificationum monſtret effectus. Deridet oracula Apollinis Euſebius l.4. de præparat. Evange. c.1. & l.6. c.4. arguit Apollinem non eſſe Deum, quod mendaces & rerum futurarum ignari non ſunt dij, Apollo & alij dij gentium mendaces ſunt & inſcij futurorum.*

β Et medicum.) *Græcia Apollini medicinæ inventionem tribuit, quem ob id Athenienſes ἀλεξίκακον, quaſi* malorum depulſorem *vocabant; & Veſtales Romæ in ſacris ita Apollinem ſalutabant,* Apollo medice, Apollo Pæan, *ita à ſedandis morbis nominantes; οὔλιον etiam quaſi* ſalutiferum *vocabant ſeu* ſalubritatis authorem. *Menander ſcribit apud Macrobium l.1. Saturn. c.17. Mileſios Apollini οὐλίῳ pro ſalute ſua immolare, Pherecydes refert, Theſea cum in Cretam ad Minotaurum duceretur, voviſſe pro ſalute ſua & reditu Apollini, οὐλίῳ καὶ Ἀρτέμιδι οὐλίᾳ. Origenes contra Celſum l.3. oſtendit Apollinem ex eo quod divinator, quod Medicus, non ideo Deum.* Iam ut concedamus, *inquit,* medicum aliquem dæmonem curare morbos corporis, qui vocetur Æſculapius, hujus admiratoribus ſimulque fatis Apollinis objiciemus medicinæ peritiam eſſe rem indifferentem, quæ cadat in malos æque ac bonos: nec enim ſtatim qui futura prænoſcit, etiam vir bonus eſt, proinde requiri aliam probationem ſanatores iſtos & fatidicos non malos eſſe; ſed probos eſſe omnibus modis, & qui non immerito haberi poſſint pro dijs.

γ Ipſum etiam Solem eſſe dixerunt.) *Cic. l.2. de nat. Deor.* Apollinis nomen eſt Græcis, quem Solem eſſe volunt. *Macrobius l.1. Saturnal. c.17. Apollinem ex multiplici ejus nominis interpretatione, & aliis ejuſdem nominibus oſtendit ipſum eſſe Solem.*

δ Dianamque germanam ejus ſimiliter Lunam.] *Quod utramque ex Iove*

Oooo *Latona*

Latona pepererit. Homerus in Hymnis Deorum, Χαίρετε τέκνα Διός καὶ Λητοῦς ἠϋκόμοιο. *Cicero l.2. de nat. Deor. Dianam & Lunam eandem eſſe putat. Inde Lucifera nominata, quod ſuum ſplendorem jaculetur, & circumfuſum aerem quodammodo illuminet, idq; in plenilunio. Deinde Dictynnam illam vocant, quod huc ſuos dejiciat radios. Nam* δίκειν *jacere ſignificat, aut quod in omnem terræ angulum vim ſuam exerat. Hæc & alia Phornut. l. de nat. deor.*

ε Viarum præſidem.) *Et Mercurius habitus eſt viarum præſes ſaltem ad eas monſtrandas, unde dictus,* ὅδιος καὶ ἡγεμόνιος Ἑρμῆς, *à viis & ſemitis in quibus erigebantur ſtatuæ Mercurij ad viam monſtrandam peregre proficiſcentibus.*

ζ Unde & virginem volunt.) *Plato in Cratylo* Ἄρτεμιν *Græcis dictam,* διὰ τὸ ἀρτεμὲς, καὶ τὸ κόσμιον, *propter integritatem morum & honeſtatem,* διὰ τὴν τῆς παρθενίας ἐπιθυμίαν, *propter conſervandæ virginitatis cupiditatem.*

η Et ideo ambos ſagittas habere.] *Quia utrumq; ſidus demittit radios in terras. Plato Solem Apollinem cognominatum ſcribit.* ἀπὸ τοῦ βάλλειν τοὺς ἀκτῖνας i.e. à jactu radiorum. *Hinc & ſagittis Apollinis ſimulacra decorabantur, ut per ſagittas intelligatur vis emiſſa radiorum* Apollinis ſimulacra, *ait Macrobius l.1. Saturnal. c.17.* manu dextra Gratias geſtant, arcum cum ſagittis ſiniſtra, quod ad noxam ſit pigrior, & ad ſalutem dextera manus promptior largiatur, ἑκατηβελέτης, καὶ ἑκατηβόλος, i.e. longe jaculans *Homero dicitur.*

θ Vulcanum volunt ignem mundi.) *Phornutus de nat. deor. c. de Vulcano. Ideo fingitur faber, & Jovi adverſus Titanas arma fabricaſſe, & Iliad. 6. Achillis arma, ſicut apud Virgilium Æneæ, Minervæ coronam apud Heſiodum. Homero dicitur* κλυτοτέχνης, *&* πολύφρων. *Heſiodo* περικλυτὸς ἀμφιγυήεις, *id eſt,* ὁ ἀμφοτέρωθεν χωλάζων, *quæ ignis natura eſt, Latinis Mulciber. Plato in politic. ubi de deorum meritis verba fecit,* artes ab eo manaſſe *teſtatur. Phornutus rationem aſſignat* διὰ τὰς πλείστας τῶν τεχνῶν διὰ πυρὸς τὰ ἑαυτῶν ἔργα ἀποδιδόναι. quod ex artib. pleræque ſua opera per ignem exhibeant. *Idem* Ἥφαιστον ἀπὸ τοῦ ἧφθαι *id eſt,* ab accendendo *denominat, ubi vult ætherem & ſplendorem & purum ignem eſſe Iovem; hunc autem, qui in uſu eſt, ac aeri miſcetur, Vulcanum eſſe. Hunc enim Iove & Iunone prognatum dixere, & alioquin Iunone ſola, quia craſſiores ac pinguiores flammæ quodammodo ex ſolo incenſo aere materiam ſumunt. dicitur* Ignipotens Vulcanus *Arnobio l. 2. contra Gentes.*

ι Neptunum aquas mundi.) *Ita Clemens Alexandr. in* προτρεπτικῷ. τί γὰρ ὁ Ποσειδῶν ἢ ὑγρά τις οὐσία, ἐκ τῆς πόσεως ὀνοματοποιουμένη; qui Neptunus niſi humida quædam ſubſtantia à potu ita nominata?

κ Ditem patrem, i.e. Orcum.) *Ita Cotta lib. 3. de natura deorum diſputans.* Age porro, *inquit,* Jovem & Neptunum Deum numeras, ergo etiam Orcus frater deorum deus, & illi, qui fluere apud inferos dicuntur, Acheron, Cocytus, Styx, Phlegeton, tum Caron tum Cerberus dij putandi: At id quidem repudiandum, ne Orcus quidem igitur. *Obſerva obiter cum Coraſio, l.4. Miſcellan. c. 8. nomen* Dis *in Romana lingua pro* divite *accipi, quod probat ex loco Terentij in Adelphis,* Ditem *autem pro* divite *poni, à Plutone deo inferorum tractum*

ctum videtur, quem antiqui ditem vocaverunt, ob id quod divitiæ omnes à terris oriantur, in terrasq; recidant. Plutoni vero terrenam omnem vim atq; naturam dicatam putabant. Cicero 2. de nat. deor. Terrena, *inquit,* omnis vis atque natura Diti patri dicata eſt, qui dives ut apud Græcos Pluton, quia & recidunt omnia in terras & oriuntur è terris.

λ Veſtam quoque ipſam.) *Phornutus lib. de natura deorum.* Ceres nihil aliud eſt quam terra ipſa. ſiquidem hinc illi, quod ſemper ſtet ac fixa ſit, *ἑστίας* nomen indiderunt Veteres, aut quia ſuper ipſam tanquam fundamentum ſtabilitus eſt univerſus mundus, *ubi etiam qua ratione dicitur,* δημητηρ *Ceres, ei tribuitur ignis inextinguibilis.*

CAP. XVII.

Quod etiam ipſe Varro opiniones ſuas de diis pronunciaverit ambiguas.

ET ſicut hæc, quæ exempli gratia commemoravi, ita cætera non explicant, ſed potius implicant: ſicut impetus errabundæ opinionis impulerit, ita huc atque illuc, hinc atque illinc, inſiliunt & reſiliunt: ut ipſe α Varro de omnibus dubitare, quàm aliquid affirmare maluerit: nam & trium extremorum, primum cum de diis certis abſolviſſet librum, in altero α de diis incertis dicere ingreſſus, ait: Cum in hoc libello dubias β de diis opiniones poſuero, reprehendi non debeo. Qui enim putabit judicari oportere, & poſſe, cum audierit, faciet ipſe. Ego citiùs perduci poſſem, ut in primo libro quæ dixi, in dubitationem revocem, quàm in hoc quæ perſcribam, omnia ad aliquam dirigam ſummam. Ita non ſolùm iſtum de diis incertis, ſed etiam illum de certis fecit incertum. In tertio porrò iſto de diis ſelectis, poſteaquam prælocutus eſt, quod ex naturali theologia præloquendum putavit, ingreſſurus huius civilis theologiæ vanitates & inſanias mendaces, ubi eum non ſolum non ducebat rerum veritas; ſed etiam majorum premebat autoritas. De diis, inquit, po. Rom. publicis, quibus ædes dedicaverunt, eoſque pluribus ſignis ornatos, notaverunt, in hoc libro ſcribam, ſed ut γ Xenophanes Colophonius ſcribit, quid putem, non quid contendam ponam. δ Hominis enim eſt hæc opinari, Dei ſcire. Rerum igitur non comprehenſarum, nec firmiſſimè creditarum, ſed opinatarum, & dubitatarum, ſermonem trepidus pollicetur, dicturus ea, quæ ab hominibus inſtituta ſunt. ε Neque enim ſicut ſciebat eſſe mundum, eſſe cœlum, & terram, cœlum ſyderibus fulgidum, terram ſeminibus fertilem: atque huiuſmodi cætera, ſicut hanc totam molem atque naturam vi quadam, inviſibili ac præpotenti regi, atque adminiſtrari, certa animi ſtabilitate credebat: ita poterat affirmare de Jano, quod mundus ipſe eſſet: aut de Saturno invenire, quomodo & Jovis pater eſſet, & Jovi regnanti ſubditus factus eſſet, & cætera talia.

α De diis incertis.] *Dixi alio loco de diis incertis, quorum incerta erat divinitas: nunc dicam pauca de diis ignotis, ne quis eosdem eſſe putet ignotos deos, & incertos. Erant in agro Attico multæ diis ignotis ſacræ aræ, ut Lucas attingit in Actis* L. Vives.

 Apoſtol.

Apoſtol. cap. 17. & apud Pauſaniam in Attica θεῶν ἀγνώστων βωμοὶ*: quæ aræ inventæ Epimenidis Cretenſis ſunt erectæ: nam cum regio peſtilentia laboraret, conſultaque Pythia reſpondiſſet, expiari oportere urbem & agros, nec cui deo ſacrum fieri oporteret dixiſſet, Epimenides, qui tum Athenis erat, juſſit dimitti hoſtias per agros, ſequiq́ eas ſacrificos, & in quo loco quæq́ conſtitiſſet, ibi mactari eam, immolariq́ deo ignoto propicio. Itaq́ ex eo tempore etiam ad ætatem Laertij Diogenis, frequenter viſebantur per pagos Atticæ terræ ſacræ aræ ſine nomine. Hæc libenter enarravi, propter locum ſacrarum literarum.*

b Xenophanes Colophonius.] *Orthomenis filius, ut ait Apollodorus ex Colophone Joniæ civitate, ubi & natus eſt Mimernus poeta elegorum ſcriptor. Sotion ſcribit putaſſe omnia eſſe incomprehenſibilia, quod Laertius improbat. Euſeb. Sotionem ſecutus, ſenſus omnes falſos eſſe, ſcribit Xenophanem ſenſiſſe, rationemq́ ſimul cum ſenſibus infirmaſſe: ſcripſit de diis contra Homerum atq́ Heſiodum. Fuit & alter Xenophanes: ſed Lesbius & poeta.*

F.L. Cap. α VArro de omnibus dubitare quam aliquid affirmare.] *In hoc imitatus Pyrrhonem, qui nihil decernebat, & de retinendo aſſenſu philoſophabatur. Socrates apud Platonem & Xenophontem ita diſputat, ut nihil affirmet ipſe.*

β De dijs incertis.] *Tertullianus l. 1. contra Marcionem c. 9. diſputans contra Deum Marcionis,* Invenio, *inquit,* dijs ignotis aras proſtitutas, ſed Attica idololatria eſt: *Item,* incertis dijs, ſed ſuperſtitio Romana eſt. Porro incerti dij minus noti & minus certi, & proinde ignoti quo minus certi, quem titulum indemus ex duobus Deo Marcionis, utrumque opinor, & nunc incerto, & retro ignoto. Sicut enim ignotum eum fecit Deus notus creator, ita & incertum Deus certus.

γ Xenophanes Colophonius.] *Hujus vitam deſcribit Laertius l. 9. claruit circa 60. Olympiadem, ſcripſit verſus, elegias, & jambos contra Heſiodum atque Homerum, ſubſannans ea, quæ de dijs dixere. Thaletis ac Pythagoræ opinionibus contraria ſenſiſſe fertur, Epimenidemq́ ſugillaſſe.*

δ Hominis eſt opinari.] Opinio *(ait Bernardus l. 5. de conſiderat. cap. 2.)* eſt quaſi pro vero habere aliquid, quod verum eſſe neſcias, *in eo ergo differt à ſcientia, quod* dubitationem habet, *ſcientia* certitudinem & evidentiam. *Varro non comprehendebat divina, id enim Dei, nec firmiſſime credebat, quod faciunt qui à Deo ipſo ſunt edocti, & fidei lumine divino illuſtrati, licet divina procul intueantur. Et ideo de his opinando loquebatur, atq́ ita omnes philoſophi, qui licet rerum naturalium ſcientiam aliquam hauſiſſent, ubi tamen ad divina tractanda accedebant, cæcutiebant omnino, & non niſi opinando de dijs loquebantur, quo factum ut in tot errores lapſi ſint. Certe quod dixit Tertull. l. de anim. c. 1. etiam hoc loco dicere licebit;* Præſtabat eis per Deum neſcire quia non revelaverat, quam per hominem ſcire quod ipſe præſumpſerat. *& c. 2.* Non amplius invenìri licet, quam quod à Deo dicitur, quod autem à Deo diſcitur, totum eſt. *Ideo Deorum filijs adhiberi fidem de Deo vult Plato i. Chriſto, Prophetis & Apoſtolis, ut interpretatur Clemens Alexandrinus l. 5. ſtrom. Sciebat enim Plato Dei & eorum*

qui

qui à Deo edocti ſunt eſſe de Deo ſcire, hominis autem opinari tantum. Ita Cic. l.1. de nat. deor. Facile erat falſa convincere, & non ita vera invenire.

ε Neque enim ſicut ſciebat eſſe mundum.] *Illa enim omnia ſenſu ipſo deprehendebantur vel ratione naturali facile intelligebantur; at Janum eſſe mundum, vel Saturnum patrem Iovis, fabuloſa & conficta magis quamvis veriſimilia.*

CAP. XVIII.

Quæ credibilior cauſa ſit, qua error paganitatis inoleverit.

DE α quibus credibilior redditur ratio, cum perhibentur homines fuiſſe, & α unicuique eorum ab iis, qui eos adulando deos eſſe voluerunt, ex eorum ingenio, moribus, actibus, caſibus, ſacra & ſolennia conſtituta: atque hæc paulatim per animas hominum dæmonibus ſimiles & ludicrarum rerum avidas irrependo, longè lateque vulgarunt,* ornantibus ea mendaciis poetarum, & ad ea fallacibus ſpiritibus ſeducentibus. Facilius enim fieri potuit, ut juvenis impius vel ab impio patre interfici metuens, β & avidus regni patrem pelleret regno, γ quàm id quod iſte interpretatur: ideo Saturnum patrem à Jove filio ſuperatum, quod ante eſt cauſa, quæ pertinet ad Jovem, quàm ſemen quod pertinet ad Saturnum. Si enim hoc ita eſſet, nunquam Saturnus prior fuiſſet, nec pater Jovis eſſet. Semper enim ſemen cauſa præcedit, nec unquam generatur ex ſemine. Sed cum conantur vaniſſimas fabulas ſive hominum res geſtas veſut naturalibus interpretationibus honorare, δ etiam homines acutiſſimi tantas patiuntur anguſtias, ut eorum quoque vanitatem dolere cogamur. *al. ad ſacra.* *Acut. hominum van. dolenda. L. Viv.*

α ET unicuique eorum ab iis actibus.] *In antiquis libris ſic ſcribitur: Et unicuique eorum ab iis, qui eos adulando deos eſſe voluerunt, ex eius ingenio, moribus, actibus, caſibus, ſacra & ſolennia conſtituta, atque hæc paulatim per animas hominum dæmonibus ſimiles, & cætera.*

α QUi eos adulando deos eſſe voluerunt.] *De quo Lactant. l.1. c. 15.* Ornantibus ea mendacijs. *Lactant. loc. cit.* Acceſſerunt, *inquit*, Poetæ, & quæſitis ad voluptatem carminibus in cœlum eos ſuſtulerunt, ſicut faciunt qui apud reges etiam malos panegyricis mendacibus adulantur. *F.L.Coq.*

β Avibus regni patrem pelleret regno.] *Adeo regnandi dira libido. Præter multa exempla notiſſima eſt hiſtoria Abſalonis, qui regnandi cupiditate & patrem deturbavit regno, & privare vita conſtituerat. Hæc ambitio & fratrem in fratrem & patrem in filium, & filium in patrem, & matrem item in filium aliquando impulit.*

γ Quam quod iſte interpretatur.) *Exſtat hujus fabulæ interpretatio apud Ciceronem l.2. de nat. deor. ubi ait,* Phyſica ratio non inelegans incluſa eſt in impias fabulas, *& apud Macrobium l.1. Saturn. c.7.*

δ Etiam homines acutiſſimi tantas patiuntur anguſtias.) *Unde quæ ratione myſticam Theologiam refutet Euſeb. l.3. de præpar. Evang. c.4. ita dato uno in-*

convenienti multa ſequuntur abſurda, & veritas una eſt, à qua qui deflectit neceſſe eſt, ut multis ſe erroribus implicet.

Cap. XIX.

De interpretationibus, quibus colendi Saturni cauſam ratiocinantur.

SAturnum, inquit, dixerunt, quæ nata ex eo eſſent ſolitum devorare, quod eò ſemina unde naſcerentur redirent: & quod illi pro Jove gleba objecta eſt devoranda: ſignificat, inquit, manibus humanis obrui cœptas ſerendo fruges, antequam utilitas arandi eſſet inventa. Saturnus ergo dici debuit ipſa terra, non ſemina. Ipſa enim quodammodo devorat quæ genuerit, cum ex ea ſemina, in eam rurſus recipienda redierint. Et quod pro Iove accepiſſe dicitur glebam, quid hoc ad id valet, quod manibus hominum ſemen gleba coopertum eſt? Nunquid ideo non eſt, ut cætera, devoratum, quod gleba coopertum eſt? Ita enim hoc dictum eſt, quaſi qui glebam oppoſuit, ſemen abſtulerit: ſicut Saturno perhibent oblata gleba ablatum Iovem, ac non potius gleba ſemen operiendo fecerit illud diligentius devorari? Deinde iſto modo ſemen eſt Iupiter, non ſeminis cauſa, quod paulò ante dicebatur. Sed quid faciant homines, qui cùm res ſtultas interpretantur, non inveniunt quid ſapienter dicant? Falcem habet, inquit, propter agriculturam. *β* Certè illo regnante nondum erat agricultura, & ideo priora eius tempora perhibentur, *γ* ſicut idem ipſe fabellas interpretatur, quia primi homines ex his vivebant ſeminibus quæ terra ſponte gignebat. *b* An falcem ſceptro perdito accepit, Ut qui primis temporibus rex fuerat otioſus, filio regnante fieret operarius laborioſus? Deinde *c* ideo dicit à quibusdam pueros ei ſolitos immolari, ſicut à Pœnis, & à quibusdam etiam majores, *d* ſicut à Gallis, quia omnium ſeminum optimum eſt genus humanum. De hac crudeliſſima vanitate quid opus eſt plura dicere? Hoc potius advertamus atque teneamus, has interpretationes non referri ad verum Deum, vivam, incorpoream, incommutabilemque naturam: à quo vita in æternum beata poſcenda eſt, ſed earum eſſe fines in rebus corporalibus, temporalibus, mutabilibus, atque mortalibus. *e* *δ* Quod Cœlum, inquit, patrem Saturnus caſtraſſe in fabulis dicitur, hoc ſignificat penes Saturnum, non penes Cœlum ſemen eſſe divinum: hoc propterea quantum intelligi datur, quia nihil in cœlo de ſeminibus naſcitur. Sed ecce, *ε* Saturnus ſi Cœli eſt filius, Iovis eſt filius. Cœlum enim eſſe Iovem immutabiliter, * & diligenter affirmant. Ita iſta *ζ* quæ à veritate non veniunt, plerunq; & nullo impellente, ſeipſa ſubvertunt. *f* Κρόνον appellatum dicit, quod Græco vocabulo ſignificat temporis ſpatium: ſine quo ſemen, inquit, non poteſt eſſe fœcundum. Hæc & alia de Saturno multa dicuntur. & ad ſemen omnia referuntur. Sed ſaltem Saturnus ſeminibus cum tanta iſta poteſtate ſufficeret. Quid ad hæc dii alii requiruntur, maximè Liber & Libera, quæ eſt Ceres? De quibus rurſus quod ad ſemen attinet, tanta dicit, quaſi de Saturno nihil dixerit.

Humanarum hoſtium ſacrificandi ritus.

al. innumerabiliter.

a CErtè illo regnante, nondum erat agricultura.] *Quis invenerit artem colendi agri, non convenit. Alij Cereri hoc tribuunt, ut vulgaris opinio: alij Triptolemo, ſeu certè hoc eum primum feciſſe, ut Juſtinus, & Ovidius: Alij Dionyſio, ut Tibullus: quam Oſirim nominant, ut Diodorus. Atq; hæc omnia poſt Saturnum. Ideo Vergelius inquit:* L. Virus.

Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni.

Sunt qui Saturnum ipſum agriculturam docuiſſe Janum, & Italos putent: ſed poſtquam fugit è Creta adactus neceſſitate aliquid excogitandi. Ita ſemper poſterior erit inventio agricultura Saturni regno. Poetæ in ætate aurea, quæ ſub Saturno fuit, nullam ponunt culturam agri: ſed ut inquit Verg.

Ipſa tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat. Et Ovid.
Fruges tellus inarata ferebat.

Quæ ſunt de Heſiodo ſumpta: καρπὸν δ᾽ ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον.

b An falcem ſceptro perdito.] *Silius Italicus lib. 14. falcem Saturni Zancli civitate Siciliæ repertam eſſe dicit: ideo ſic eam urbem appellatam. nam* ζάγκλη *Sicula lingua, eſt falx, ſicut Thucydides teſtatur.*

c Ideo dicit à quibusdam pueros.] *Oroſius lib. 4. cap. 6. & Trogus, Lactantius lib. 1. Poſcennius Feſtus in libris Hiſtoriarum per ſatyram refert, Carthaginenſes Saturno humanam hoſtiam ſolitos immolare. Hoc Herculi à Pœnis ſacrificium fieri ſcribit Plinius lib. 36. ſed alij Saturno referunt: ut Plato in Minoe, & Dionyſius Halicarnaſſeus. Itidem Theodoritus Cyrenenſis in Sacrificiis, & Euſebius, & Tertullianus, qui addit principatu Tyberij prohibitos illos id facere, crucifixis etiam ſacerdotibus: nihilominus tamen perſeveraſſe in eo ſacrificio, etiam ſua ætate: ſed occultè. Cauſam huius immanitatis ſunt qui referant ad odium Junonis. Sed Euſebius in Evang. præpar. ex Sanchoniathone theologiam Phœnicum recenſens ſcribit: Saturnum regionis Palæſtinæ regem; cum hominem exuit, aſtrum illud, quod de eius nomine vocatur, induiſſe: paulò poſt Anobreth nympham, quæ unicum habebat ex Saturno filium, ac idcircò Leud. appellatum, nam id eſt illi genti unicus filius, coactam eum immolare quod periculoſo bello patria premeretur, eſſetq; moris pervetuſti, filium principi chariſſimum, per eiusmodi diſcrimina dæmoni ulciſcenti ſacrificare, ad eius iram placandam. Carthaginenſes autem, cum à Phœnicibus ſint oriundi, hominem mactabant Saturno, cuius aliquando filius ſic immolatus eſſet: vel ipſi hoc ſtatuentes in Africa, vel inſtitutum jam ex vetere patria ſecum transferentes in novam. Quemadmodum verò ſacrificarentur hi pueri Saturno, Diodorus tradit in libro Bibliotheces 20. Erat, inquit, apud eos ahenea ſtatua Saturni, magnitudine enormi, cuius manus in terram dependebant ſic contortæ & involutæ, ut qui pueri admovebantur, in foveam inciderent, ignis plenam. Sic ille. Quo tempore hæc edebamus, inſula eſt à noſtris nautis inventa, quam de principis nomine Carolinam vocarunt. In ea frequentes viſuntur ſtatuæ deorum, quos gentes illæ colunt ahenea, intrinſecus cava, manibus junctis, paſſisq;, in quibus infan-*

tes & pueros, quos diis illis immolant, ſtatuunt, ibiq; uruntur crudeliter igne in cavis ſimulachri accenſo, & ære calorem immodicum concipiente.

d Sicut à Gallis.] *Plinius lib. xxx. & Solinus, & Mela, & Cæſar, & Lucanus, & Lactantius non Saturno, ſed Eſo & Theutanti immolare eos humanum victimam ſcribunt: Tertullianus Mercurio: ſed hic eſt, Theutantes. Plinius juſſos eos refert à Tyberio tam immani ſuperſtitioni abſtinere. Suetonius hoc tribuit Claudio, cœptumq; interdici tali genere ſacrificij ab Auguſto, ſed civibus tantum. S. C. factum eſt anno V.C. 657. P. Licinio Craſſo, Gn. Cornelio Lentulo Coſſ. ne in toto imperio Romano hoſtia humana immolaretur, quod genus ſacrificij, toto pene orbe Hadriani principatu ceſſavit: tametſi Latialis Iupiter etiam Tertulliani, ſed & Euſebij, & Lactantij tempore ſanguine humano coleretur. Tum & ante Herculem homo Saturno immolabatur in Latio, quod ſacrum Faunus inſtituit avo ſuo Saturno ex oraculo, cujus erat verſus. ſicut ex Varrone Lactantius & Macrobius tradunt:* καὶ κεφαλὰς ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα *h. e. Diti ferte capita, patri quoq; lumina ferte. Erat autem pater Plutonis Saturnus, apud Lactantium legitur,* καὶ κεφαλὰς κρονίδῃ. Φῶς *vero ambiguum eſt:* φῶς *lux eſt,* φῶς *eſt vir, ut apud Homerum:*

Αὐτίκα δὲ μνηστῆρας ἐπῴχετο ἰσόθεος φώς. *& ſæpe alibi.*

Plutarchus in libello cui titulus λάθε βιώσας, *rationem reddit, cur* Φῶς *ſit & lux & Vir. Verùm Hercules cùm in Italiam veniſſet, videretq; ex Græcis, qui ea in loca demigrarant paſſim ad immolandum ab indigenis Aboriginibus corripi, rogaſſetq; tam immanis ritus cauſam, prolatum eſſe oraculi carmen, quod ipſe interpretatus eſt, docuitq; non viros Saturno, ſed lumina debere eſſe ſacra: ita inſtitutum eſt, ut deinceps ſingulis annis Idibus Maij ex ponte Milvio per ſacerdotes & virgines Veſtales humana ſimulachra. xxx. è ſcirpeis virgultis conſtructa in Tyberim deijcerentur, qui Argei dicerentur in memoriam vetuſti moris. nam veteres illi Latini Græcos omnes Argivos nuncupabant: luce verò Saturnus placaretur: autores Græci, Dionyſius, & Plutarchus. Latini, Varro, Feſtus, Gellius, Macrobius, Propertius, Lactantius, Ovidius. Tametſi hic aliter narrat fabulam 5. Faſt. Manethus hiſtoricus refert ſolitos Ægyptios in Solis civitate tres homines Iunoni mactare: Amaſim verò regem pro hominibus cereos ſacrandos inſtituiſſe.*

e Quod Cælum, inquit, patrem.] *Euſebius De theologia Phœnicum loquens, ſic ait: Poſt triginta duos annos regni Cœli Saturnus eius filius inſidiis prope fontes ac fluvios locatis, patrem captum executit, unde ſacer ſanguis in fontes ac fluvios ſtillavit: qui locus etiam his temporibus viſitur. Cœlum Diodorus lib. 4. ſcribit peritiſſimum fuiſſe curſuum aſtrorum temporumq;, & annum digeſſiſſe, unde illi Cœlo nomen, rudeſq; homines artes docuiſſe, & humanitatem, regnaſſe circa Septentrionem & Occidentem in Africa, genuiſſeq; ex variis uxoribus liberoſq; quinq; & quadraginta.*

f Κρόνον appellatum dicit,] *Quaſi* χρόνον, *id eſt, tempus. Aliam Cœli, & Saturni, & Jovis interpretationem adducit Balbus Stoicus apud Cicer. 2. de nat. deorum. Saturnus verò non Chronos eſt, ſed Cronos, hoc eſt* κρόνος, *tempus eſt* χρόνος.

χρόνος. Romani veritatis patrem Saturnum exiſtimabant, ut ſcribit Plutarchus, quod tempus omnia revelet.

α FAlcem habet propter agriculturam.] *Macrob. l. 1. Saturn. cap. 8.* Falcem quidam putant Saturno attributam, quod tempus omnia metat, exſecet, & incidat, volunt Ianum ipſum ſimulachro Saturni falcem inſigne meſſis addidiſſe, quod ab eo hoſpitio exceptus peritiam ruris illum edocuiſſet, & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet. *De agricultura inductione & authore poetarum Gentilium & hiſtoricorum non una fuit ſententia. Alij Libero Dionyſio, alij Cereri eam tribuunt. Poetæ non niſi poſt regnum Saturni eſſe inventam, cum pulſus regno eam Ianum & Italos docuit; Siquidem in ætate aurea, quæ ſub Saturno floruit, nullam fuiſſe dicunt culturam agri, ut enim canit Virgilius, l. 1. Γεωρ.* F.L.Cap.

---- Ipſaque tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat.

Et alibi etiam idem Virgilius.

Ante Jovem nulli ſubigebant arua coloni.

1. ætate aurea. & Ovidius l. 1. Metamorph.

----- Natos ſine ſemine flores,
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

Verum ex ſacris literis ſatis conſtat, primam humanarum artium fuiſſe agriculturam. Lactantius l. 1. cap. 18. Poſſum divinis literis docere, vinum atque fruges ante progeniem cœli atque Saturni fuiſſe in uſu hominum. *Auguſtinus l. 8. de gen. ad lit. c. 8. Ipſum Adamum primum agricolam facit, eo quod Deus Geneſ. 2. ipſi cultum horti mandavit, non ut operaretur labore ſervili, ſed honeſti animi voluptate.*

β Ideo docuit à quibuſdam pueros ei ſolitos immolari, ſicut à Pœnis.] *Plato in Minoë id teſtatur.* Ἡμῖν μὲν οὐ νόμος ἐστὶν ἀνθρώπους θύειν, ἀλλ' ἀνόσιον· Καρχηδόνιοι δὲ θύουσιν, ὡς ὅσιον ὂν καὶ νόμιμον αὐτοῖς· καὶ ταῦτα ἔνιοι αὐτῶν υἱεῖς τῷ Κρόνῳ *Meminere hujus crudelis ſuperſtitionis Iuſtinus l. 23. Diodorus l. 20. Dionyſius l. 1. Euſebius l. 4. præparat. Evangel. cap. 7. Lactant. l. 1. c. 20. 21. Minutius Fœlix in Octavio. Tertull. in Apologet. c. 9. Ubi dicit duraſſe id ſacrificium uſq; ad principatum Tiberij, qui eoſdem ſacerdotes etiam crucibus expoſuit, tamen uſq; ad ſua tempora perſeveraſſe dicit in occulto hoc ſacrum facinus. Ibidem Tertull.* cum proprijs filijs Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcere perſeverabat, quos quidem parentes ſui offerebant, & libentes exponebant, & infantibus blandiebantur, ne lachrimantes immolarentur. *Id à Tyrijs traditum ad urbis quoq; excidium ſervatum, auctor eſt Q. Curtius l. 4. Diodorus Siculus l. 10. refert fuiſſe apud eos ingentem ſtatuam æneam Saturni magnitudine mirabilem, cujus manus ad terram extenſæ ita erant in gyrum, ut qui pervenire ad eum adoleſcentes cogebantur, in ingentem foveam igne repletam inciderent. Plutar. l. de ſuperſtit.* in hujus hiſtoriæ mentione, qui ſine liberis forent omnino in more item fuiſſe, à pauperibus puerulos in hunc uſum coemere velut agnos, aut

ovium pullos, quin & ſolita mater aſſiſtere ἄτεγκτος, καὶ ἀστένακτος, id eſt, citra lachrimas & gemitus. Quod ſi illacrymari aut ducere ſuſpiria deprehenderetur, honore cenſebatur indigna, puer nihilominus immolabatur. *Ibi præclare Plutarchus.* Conducibilius fuerat, *inquit*, Carthaginenſibus Critiam initio, aut Diagoram ſortiri legum latores, ac deorum nullum arbitrari aut dæmonem, quam ejuſmodi obire ſacra: præſtat enim deos non credere, quam c udeles opinari aut ſanguinarios *Oroſ. l.4. c.4.* de Carthaginenſibus, homines ut victimas immolabant, ætatemque impuberem, quæ & hoſtium miſericordiam provocarent, aris admovebant. *Vide Rhodiginum l.13. cap. 23.*

γ Sicut à Gallis.] *Auguſtinus quidem vult, Gallos Saturno immolaſſe jam adultos, ſeu majores, ut pueros immolabant Carthaginenſes, qua in re non convenit cum cæteris, qui ſacra hæc ſeu ſacrilegia Gallorum tribuunt Mercurio. Ita Tertullianus in Apologet. c.9.* major ætas apud Gallos Mercurio proſecatur. *Non diſſimiliter Minutius.* Mercurio Gallos humanas vel inhumanas hoſtias cædere. *Lactant. l.1. c.21. dicit Gallos Eſum atque Teutatem humano cruore placaſſe: Verum conſtat Teutatem eſſe Mercurium. Cæſar l.6. de bello Gallic. inter Gallorum deos non recenſet Saturnum, ſed præ cæteris deum Mercurium cultum fuiſſe teſtatur, unde cum ibidem dicit ſolitos eſſe* pro victimis homines immolare, aut ſe immolandos vovere, *veriſimile eſt hujuſmodi ſacrificia, aut vota fieri Mercurio. Gallos humanis litaſſe hoſtijs teſtatur Solinus in polyhiſtore c.24.* deteſtabili *(inq.)* ſacrorum ritu non ad honorem, ſed potius ad injuriam religionis. *Idem teſtatur Mela l.3. de ſitu orbis, c.2.* Gentes, *inquit*, ſuperbæ, ſuperſtitioſæ, aliquando etiam immanes, adeo ut hominem optimam & gratiſſimam Dijs victimã crederent. *De dijs Gallorum Vide Petrum Pithœum l.1. adverſa. c.3.*

δ Quod cœlum patrem caſtraſſe.] *Interpretatur etiam Cicero 2. de nat. deor. Verum ut habet Macrob. l.1. in ſomnium Scipionis c.11.* hujuſmodi contextio narrationis, quæ per turpia & indigna numinibus ac monſtro ſimilia componitur, ut dei adulteri, Saturnus patris cœli pudenda abſcindens, & ipſe rurſus à filio regno potito in vincula conjectus minime admittenda eſt.

ε Saturnus ſi cœli eſt filius.] *Simili fere argumento Euſebius oſtendit l.3. de præparat. Evang. c.3. & 4. ex Theologia myſtica, non poſſe Saturni filium eſſe Iovem, ut omnes Theologi prædicant. Saturni filius Iupiter fuit; Saturnum autem cœli filium fuiſſe non negant. Si igitur Deus omnium & intellectus, qui cuncta creavit Iupiter eſt, quemnam dicent eſſe Saturnum patrem Iovis? Et cœlum rurſus Saturni patrem c.4.* Quis mentis compos, *inquit*, non deridebit has Græcorum ſapientum phyſiologias. Si enim Iuppiter idem Deus ſupremus intellectus eſt rerum omnium creator & vita, quomodo Saturnus pater ejus erit, per quem tempus ſignificari volunt?

ζ Quæ à veritate non veniunt plerumque.] Fortiſſima quidem veritas, ſed mendacium ſeipſum facile deſtruit, *Theodoretus l.3. θεραπευτ. de hujuſmodi fabularum interpretationibus loquens;* ταῦτα *inquit*, τῶν ποιητικῶν μύθων ὅσα· ληρωδέ-

ſτερα καὶ

περα καὶ βλαβερώτερα. καὶ τὸν καπνὸν δὴ φυγόντες εἰς τὸ πῦρ ἐμπεπτώκασι. τοιοῦτος γὰρ δὴ ὁ ψεύδους ὁ πλάνος.

CAP. XX.

De ſacris Cereris Eleuſina.

IN Cereris autem ſacris *a* prædicantur illa *β* Eleuſina, quæ apud Athenienſes nobiliſſima fuerunt. De quibus nihil iſte interpretatur, niſi *γ* quod attinet ad frumentum, quod Ceres invenit, & ad Proſerpinam, quam rapiente Orco perdidit. Et hanc ipſam dicit ſignificare fœcunditatem ſeminum. Quæ cum defuiſſet quodam tempore, eademque ſterilitate terra mœreret, exortam eſſe opinionem, quod filiam Cereris, id eſt, ipſam fœcunditatem, quæ à proſerpendo Proſerpina dicta eſſet, Orcus abſtulerat, & apud inferos detinuerat. Quæ res cum fuiſſet luctu publico celebrata, quia rurſus eadem fœcunditas rediit, Proſerpina reddita, exortam eſſe lætitiam, & ex hoc ei ſolennia inſtituta. *Proſerpina.* Dicit deinde multa in myſteriis eius tradi, quæ niſi ad frugum inventionem non pertineant.

IN Cereris autem ſacris.] *De Cereris ſacris non fuerit vel injucundum, vel inutile, ſi paulò plura dixero, quàm ſoleant vulgò, qui de ea re tractant. Ceres ex Jove Proſerpinam genuit, quam Pluto rapuit è Sicilia, materq; eam quærens magnam orbis partem peragravit, cumq; in Eleuſin unum xcxij. oppidis Atticæ terræ veniſſet, hoſpitio à Celeo, qui tum ibi erat princeps, eſt excepta, aluitq; dea Triptolemum recens ex Hyona Celeo natum, ſeu ut Straboni placet, Ictinus. Quiſquis ille fuerit eam Cereris amans, ſacra inſtituit magnis ceremoniis peragenda, quæ dicta ſunt Eleuſina, & dea Eleuſina Ceres, ac Proſerpina. Sunt qui ex Ægypto per Erichtheum adducta putent. Non ſit mihi admodum abſimile veri. Nam illinc maxima pars vanitatis in reliquum ſe orbem ſparſit. Ad iſta ſacra non patebat aditus niſi initiatis, præcoq; abeſſe profanos jubebat: atq; hinc ſumpſiſſe Verg. verſiculum illum, Procul ò procul eſte profani, autor eſt Servius. & Alcibiadi tantum negotium faceſſitum, quod profanus interfuiſſe ſacris Cereris diceretur. Primus qui hæc ſacra evulgavit, fuit Numerius philoſophus, quem ferunt paulò poſt vidiſſe per quietem deas Eleuſinas habitu meretricio, quæ ſe adyto pudicitia ſua per illum extractas quærerentur, vulgoq; proſtitutas. quod profecto indicium eſt meretricia illis contineri. Nam ſi honeſta & ſancta, nunquam eas puduiſſet evulgari. Obliquè hæc perſtringit Socrates, ut alia permulta apud Platonem, cum jubet turpia fœdaq; à diis commiſſa ſacris ſecretiſſimis occultari, & qui minatur ſe Iſidis, quæ eadem eſt Ceres, ſacra recondita editurum. Quo dicto cogit Iſidem ipſam, quæ is jubeat facere, ſatis declarat nefaria illa eſſe & pudenda, Gregorius Nazianzenus in Epiphaniis, οὐδὲ κόρη τις ἡμῖν ἁρπάζεται, καὶ Δημήτηρ πλανᾶται, καὶ Κελεοὺς τινὰς ἐπεισάγει, καὶ Τριπτολέμους, καὶ δράκοντας, καὶ τὰ μὲν ποιεῖ τὰ δὲ πάσχει. αἰσχύνομαι γὰρ ἡμέρᾳ δοῦναι τὴν νυκτὸς τελετήν, καὶ ποιεῖν τὴν ἀσχημοσύνην μυστήριον. οἶδεν Ἐλευσὶς ταῦτα, καὶ οἱ τῶν σιωπωμένων καὶ σιωπῆς ὄντως ἀξίων ἐπόπται. hoc eſt: Neq; nobis virgo aliqua rapitur, nec Ceres errat, nec Celeos adducit, &* *L. Vives.* *Triptolemus.*

Triptolemos, & Dracones, partimq; agit, & partim patitur: nam pudet me diem afferre ſacrificiis nocturnis, & ex myſterio turpitudinem efficere. Scit Eleuſis hæc, & ſpectatores rerum, quæ tacentur, & certè ſilentio digna ſunt. Et Theocritus ἐν ἀμαρυλλίδι ζαλῶ δὲ φιλαγυίας Ἰασίωνα, ὃς τόσσον ἐκύρησεν ὅσ' οὐ πευσεῖσθε βέβαλοι: *Beatum arbitrantur Jaſiona, qui tantum aſſecutus ſit, quantum prophani non facilè crediderint:* in quo occultè perſtringit concubitum Cereris & Jaſonis. Quid illis ſacris contineretur ſic Euſebius docet ex Clemente: *Quidam, inquit ajunt, Melampodem Amythaonis filium ab Ægypto in Græciam luctum Cereris ſolenniter celebratum reportaſſe. Ceres peperit, educatur puella, Perephattem nonnulli appellant, cui Jupiter, qui genuit, draco factus conjungitur: inde in Savatiorum myſteriis draco in ſpiram involutus in ſacrificiis ad factorum memoriam, imò verò in teſtimonium tantæ turpitudinis, ut ego dixerim, adhibetur. Peperit & Perephatte tauriformem filium, unde poetæ quidam taurum laudant Draconis patrem, & Draconem rurſus tauri patrem, & in montem arcana hæc facta ducentes paſtoralem ſtimulum celebrabant: paſtoralem, ut puto ſtimulum, ferulam, quod genus ligni bacchantes ferunt. Nequeo latius huius Periphatzæ ſacra enarrare, quaſillum, rapinam. Idoneræ terræ hiatum, ſues Eubolei, quas eodem hiatu ſimul & duas deas abſorptas ajunt fuiſſe: unde & Megareum in Theſmophoriis ſuis immittunt, quæ ſacra variis modis mulieres, quoniam hæc fabula variè narratur, per civitates Græciæ celebrant, Theſmophoria, Sciropboria, Inephabilipboria vocantes, & multis modis Perephattæ rapinam complorantes.* Tantum Clemens, interprete Georgio Trapezuntio: nam codicem Græcum non habebam. Ferebantur & ciſtæ opertæ à ſacerdotibus puellis, altera florum, quâ ver ſignificatur: altera ſpicarum, quâ æſtas. Virgines iſtas vocabant κανηφόρους, id eſt caniſtriferas: quarum Cicero meminit in Verrem de ſignis: tametſi Porphyrio ſuper illo verſu Horatij: *Velut qui Junonis ſacra ferret*, Canephoros Junonis dicit eſſe Athenis. Orgia quoq; hæc ſacra nominabantur, ſicut idem Clemens ait, ab ira quam adverſus Jovem concepit Ceres. Catullus:

Canephori. Orgia.

> *Pars obſcura cavis celebrabant Orgia ciſtis:*
> *Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire prophani.*

Strabo lib. 10. & Ser. 4. Æneid. omnia ferè ſacra Orgia eſſe à Græcis dicta perhibent. Imagines in illis ſacris deorum hæ fuerunt, Creatoris, quam geſtabat antiſtes hierophantes: Solis, quam facifer: Lunæ, quam miniſter ad aram: Mercurij, quam præco ſacrorum: & quemadmodum in ſacris Dionyſii circunferebatur Priapus, ita in iſtis natura muliebris, ut Theodoritus teſtatur: qui etiam affirmat Jovem cum Cerere matre, & cum Proſerpina filia concubuiſſe. Et hæc erant ſacra ad quæ non patebat aditus, præterquam initiatis, & in quæ nemini licebat penetrare, qui ſibi ſceleris perpetrati conſcius eſſet, id præcone conclamante. Quibus nec auſus eſt intereſſe Nero, quod impius eſſet, & initiari voluit Antoninus princeps, ut probaret ſe innocentem. Tametſi neſcio, an magnis ſacris ille ſit initiatus: nam lex erat apud Athenienſes vetus, ne hoſpes ullus ad ea ſacra admitteretur: ut commentator Ariſtophanis meminit. Cumq; Hercules vellet illis initiari, & lege vetaretur, quodammen

men erat & amicus, & Jovis filius, parva ſacra Eleuſina ſunt inſtituta, quibus hoſpites reciperentur: magnaq; Cereris fuerunt, parva verò Proſerpinæ, quæ ille ὥσπερ προκάθαρσιν καὶ προάγνευσιν ait eſſe τῶν μεγάλων, id eſt, purgationem & velut ſanctificationem ad magna. Et tunicam quidem quam initiationis die induerant novam, & perquam mundam, nunquam exuebant, quoad tandem laceræ geſtari amplius nequiret. Sunt qui exiſtiment ad faſcias filiorum infantum ſervari conſueſſe. Et hæc quidem in Græcia. Romæ verò ſolebat magnum Cereris anniverſarium quotannis celebrari, quod à lugentibus fieri nefas erat, ut ſcribit Liv. & nuptiæ Cereris ſive Orci, quibus vinum inferri piaculum, ſed thus, & tedas, de quibus Plaut. loquitur in Aulularia: Cereri nuptias facturi eſtis, quia nihil timeti allatum video. Macrob. de utroq; ſacro in Sat. & Servi. 1. Geor. illo loco:

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret,
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho.

Celebrabantur quoq; ludi in honorem Cereris, quæ Cerealia ſunt dicta: de quibus extat caput in Miſcell. Politiani hominis excultiſſimi. Cerealia. *Et ne quis authoritate viri fallatur, dicam quid de ea re ſentiam. Primùm non ſunt iidem Circenſes illi veteres, jam inde à Romulo inſtituti, & hi Cereales multo recentiores: nam illi Neptuno equeſtri fuerant ſemper ſacri: deinde Cereales ludos longe ante Memmium* Cereales. *factos fuiſſe teſtis eſt Livius, nempe xvj. anno ſecundi belli Punici ex S. C. à dictatore Gn. Servilio Gemino, & magiſtro equitum, Ælio Pato. Nec Tacitus & Ovidius aliud indicant, quam in Circo celebrari ſolitos ludos Cereris: & Cereales ædiles rei frumentariæ curandæ creati erant, non ludorum ergo, tametſi ludos facerent Cereri. Tum & illud in capite miror putaſſe Politianum C. Memmium, quem Cæſar feciſſet ædilem, eſſe, cui Lucretius dicaſſet opus ſuum: vel etiam ſi dijs placet filium, cum obierit Lucretius Pompejo & Craſſo ſecundùm conſulibus, opusq; conſtet ſcriptum C. Memmio propè adoleſcente adhuc. Profectò verùm eſt illud, erratum unum parentem eſſe multorum. Quæ nolim quisquam putet eſſe à me dicta, ut aliquid detraham memoriæ clariſſimi viri: neq; enim minoris eſt habendus Politianus, quod aliquot locis ſit falſus, nempe homo & ipſe. Ita quæ dixi, non ſugillandi gratia, ſed ut proſim, ſunt dicta. Quod ſi quis exiſtimarit me carpendi ſtudio eſſe ductum, quod non eſt ita, is quoq; velim, ut ne ignoret, non eſſe piaculum, non modò Politianum, ſed ne quenquam ex ſacratiſſimis vetuſtate reprehendere: verùm de Cerealibus ſatis ſuperq;.*

a PRædicantur illa Eleuſinia.] *Hujusmodi ſacrilegæ ſuperſtitionis meminit* F. L. Cuqi. *Tertullianus in Apologet. c. 7. & l. contra Valentinianos c. 1. Lactant. l. 1. c. 21. Athenagoras initio apologiæ pro Chriſtianis. Iulius Firmicus de errore profanæ religionis c. 7. Arnobius lib. 5. Minutius in Octavio. Clemens Alexandrinus in exhort. ad gentes. Euſebius l. 2. de præparat. evangel. c. 5. Gregorius Nazianzenus ſermone in Epiph. Theodoretus ſerm. 1. & 7. θεραπευτ. Hæc ſacra in honorem Eleuſinæ Cereris Eumolpis, à quo myſteriorum illorum ſacerdotes Eumolpidæ dicebantur, primus inſtituit, prohibuitq;, ne advenam quemquam initiarent, unde propter Herculem admitti petentem; cui ut Deo & filio Iovis negare non licebat, Eleuſinij*

novum myſteriorum genus inſtituere; quæ parva vocarunt, quibus Herculem initiarunt, ita rationem inierunt, quia nec legi derogaretur, & nihilominus Herculem voti compotem facerent. Cereri ſacra erant magna, Proſerpinæ parva, vide Rhodiginum l.16. c.9. θεσμοφόρια ſacra illa à Græcis dicebantur, ut author eſt Arnobius l.5. Theodor. ſerm. 1. θεραπ.]. Heſychius θεσμοφόρια ἑορτὴ μυστήρια τῆς Δήμητρος.

β Quæ apud Athenienſes nobiliſſima fuerunt.] *Athenis initiatum fuiſſe Auguſtum ſcribit Suetonius in ejus vita c.93. Scribit Theodoretus Eleuſinia illa ſacra ab Orpheo, Athenas fuiſſe delata, ex Græcia Romam deinde translata, indeq́; Græca ſacra dicta. Cic. lib. 2. de legib.* Ne quem initianto niſi, ut aſſolet, Cereris Græco ſacro. *Idem pro Cornelio Balbo*, Sacra Cereris, Iudices, ſumma majores noſtri religione confici ceremoniaq́ue voluerunt, quæ cum eſſent aſſumpta de Græcia, & per Græcos ſemper ſunt curata ſacerdotes, & Græca omnia appellata. Hæc ſacra (*inquit Feſtus*) Cereris feſta ſunt ex Græcia translata, quæ ob inventionem Proſerpinæ, matronæ colebant.

γ Quod attinet ad frumentum.] *Plato in Cratylo,* Δημήτηρ μὲν φαίνεται κατὰ τὴν δόσιν τῆς ἐδωδῆς διδοῦσα ὡς μήτηρ Δημήτηρ κεκλῆσθαι, *ob* alimentorum donationem *quaſi* διδοῦσα ὡς μήτηρ, *id eſt,* Cibos largiens *ut mater hæc nomen ſortita eſt. Tertullianus in Apolog. c.21.* Imo (*inquit*) dicuntur neceſſaria iſta vitæ non inſtituiſſe, quod autem inventum fuit, & quod fuit non ejus deputabit, qui invenit, ſed eius qui inſtituit. Erat enim antequam inveniretur; *Ut inde oſtendat Liberum, Cererem, Minervam, ſi qua utilia vitæ hominum invenerunt, non ideo habendos eſſe deos.*

Cap. XXI.

De turpitudine ſacrorum, quæ Libero celebrabantur.

JAm *a* α verò Liberi ſacra, quem liquidis ſeminibus, ac per hoc non ſolum liquoribus fructuum, β quorum quodammodo primatum vinum tenet: verùm etiam ſeminibus animalium præfecerunt, ad quantam turpitudinem pervenerint, piget quidem dicere, propter ſermonis longitudinem: ſed propter ſuperbam iſtorum hebetudinem non piget. Inter cætera quæ prætermittere, quoniam multa ſunt, cogor: in Italiæ compitis quædam dicit ſacra γ Liberi celebrata, cum tanta licentia turpitudinis, δ ut in eius honorem pudenda virilia colerentur: non ſaltem aliquantum verecundiore ſecreto, ſed in propatulo exultante nequitia. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies feſtos cum honore magno *b* ε plosteis impoſitum, prius per rura in compitis, * & uſque in urbem poſtea vectabatur. *c* ζ In oppido autem Lavinio unus Libero totus menſis tribuebatur, cuius diebus omnes verbis flagitioſiſſimis utebantur, donec illud membrum per forum tranſvectum eſſet, atque in loco ſuo quieſceret. Cui membro inhoneſto matremfamiliâs honeſtiſſimam, palàm coronam neceſſe erat imponere. Sed videlicet Liber deus placandus fuerat, pro eventibus ſeminum: ſic ab agris faſcinatio repellenda, ut matrona hoc facere

al. contin.

cogere-

cogeretur in publico, quod nec meretrix, ſi matronæ ſpectarent, permitti debuit in theatro. Propter hoc Saturnus ſolus creditus eſt non ſufficere poſſe ſeminibus, ut occaſiones multiplicandorum deorum immunda anima reperiret, & ab uno vero Deo meritò immunditiæ deſtituta, ac per multos falſos aviditate majoris immunditiæ proſtituta, iſta ſacrilegia ſacra nominaret, ſeſeque ſpurcorum dæmonum turbis conviolandam polluendamque præberet.

JAm verò Liberi ſacra.] *A Thebanis tertio quoq; anno ſacra Baccho celebrabantur in Cytherone monte nocturna, quæ de tempore Nyctilena ſunt nominata, ut inquit Servius, & ab annis Trieterica, ceu triennalia. In eis erant phalli, ſicut Herodotus, & Plutarchus libello de cupiditate opum perbibent: hoc eſt, mentulæ prægrandes. Ægyptij ſtatuas puſillas confingebant immani virilis membri mole: alia multæ gentes ſolam mentulam ducebant circum agros ad fertilitatem frugum. Theodoritus lib.3. refert phallogogia dictas ferias, quib. phalli circumferebantur. [illegible] Priapū Bacchi ſacris addi multa ſunt in cauſa. Primū quod Priapus [illegible] ditionū Bacchi: deinde quòd ſine beneficio Bacchi frigeat, ideo filius putatur [illegible] Veneris. Jus & Bacchus ſeminib. præeſſe creditur, quorū membrū inſtrumentum [illegible] omnia primū eſt Priapus, & hac de cauſa hortis præficiebatur, eiusq; ſacra per [illegible] villasque à ruſticis magna lætitia riſuq; celebrata ſunt. Poſtremò Diodorus Oſiridem, quem eundem Bacchum fuiſſe ferunt, diſcerptum à Typhone fratre narrat, datumq; unicuiq; eorum, qui cum Typhone conjuraverant, partem aliquam, quo & fideliores inter ſe forent, & Oſiridis mors melius celaretur: virile membrum, cum nemo vellet recipere, in Nilum eſt abjectum. Poſtea Iſis mariti necem ulta, membra omnia ex conjuratis recuperavit, ac ubi deeſſe mentulam intellexit, imaginem eius ſacravit, & ad ſuam conſolationem majore habuit honore, quàm reliquas partes, ceremoniasque & ſacra illi inſtituit, phallumque dixit, cui primum initiabantur futuri ſacerdotes. Gregorius Nazianzenus phalles & ityphallos ponit dicens:* οἱ δὲ φαλλοί τινες καὶ ἰθύφαλλοι αἰσχροὶ καὶ τοῖς σχήμασι καὶ τοῖς πράγμασι. *Sed inter phallum & ityphallum diſcrimen nullum eſſe arbitror aliud quàm quod ityphallus a rectitudine & arrectione videtur dictus, ex Græca voce.* I. Vitulus Bacchi ſacra. Phallus. Ithyph.

b Ploſtellis.] *A ploſtris ploſtella diminutivè Horatius lib. 2. Sermonum: Ploſtello adjungere mures. Valerius Probus plauſtra dicit ab imperitis dici, ploſtra eſſe dicendum, tametſi uſus plauſtra obtinuit. Suetonius narrat admonitum Veſpaſianum à Floro ut diceret plauſtra, non ploſtra, imperatoremq; poſtridie Flaurum illum ſalutaſſe, non Florum.* Ploſtella.

c In oppido autem Lavinio.] *Quod eſt in Latio, quod Æneas conditum à ſe nomine uxoris appellavit. Hujus colonia fuit Alba longa. Dixi de hoc alibi.* Lavinia.

a JAm vero Liberi ſacra.] *Lactant. l. 1. c. 22.* Sacra Liberi patris primus Orpheus induxit in Græciam, primuſque celebravit in monte Bœotiæ Thebis, ubi Liber natus eſt, qui cum frequenti Cytharæ cantu perſonaret, Cythœron appellatus eſt. F.L.Coq.

β Quorum quodammodo primatum vinum tenet.] *Ei enim acceptum ferunt uſum vini.* Verum *ut docet Lactantius l. 2. c. 14.* arguuntur, qui authorem

vini Liberum putant. Noe enim egreſſus ex arca, ut ſanctæ literæ docent, terram ſtudioſe coluit, atque vineam ſua manu ſevit. Noe vero non modo Liberum, ſed etiam Saturnum multis anteceſſit ætatibus. *Tertullianus in Apologet. c.11. Non tam inventorem novæ frugis, quam demonſtratorem fuiſſe docet.* Cæterum ſi propterea *(inquit)* Liber Deus quod vitem demonſtravit, male cum Lucullo actum eſt, qui primus Ceraſa ex Ponto in Italia promulgavit, quod non eſt propterea conſecratus, ut novæ frugis author, quia inventor & demonſtrator.

γ Celebrata cum tanta licentia turpitudinis.] *Ita de ejusmodi ſacris Euſebius l.2. præparat. Evang. c.5.* Quid aliud quam dedecus & apertiſſima turpitudo ſacra hæc ſunt. *Gregorius Nazianzenus oratio. 2. de Theologia, ita figmenta quædam (ſic enim idola vocat) fœdis admodum actionibus culta fuiſſe ſcribit: in quem locum Elias Cretenſis.* Sunt illi *(inquit)* qui Liberi patris phallum colebant: nam & is fœdo amore phallum pulchrum complexus eſſe dicitur, ejusq; mortui honoris ergo phallum hoc eſt veretrum virile ficulneum finxiſſe, deq; corpore ſuo ſuſpendiſſe, atque etiam initiatis præcepiſſe, ut feſto die quod ipſe inſtituiſſet, obſervarent. Itaque fœda erant & illa, quæ hi perpetrabant, quoties rem ſacram faciebant. Nam phallis effectis, ac de collo ſuſpenſis feſtos dies agebant. nonnulli eoſdem tenſos lumbis alligabant, quos deinde ithyphallos ab erectione nominabant. Et hi quidem hoſce deos illis fœdis actionibus colebant.

δ Ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur.] *Teſtis eſt etiam Euſebius lib. 2. præpar. Evang. cap. 1. membra genitalia & apud Ægyptios & apud alias plerasq; gentes fuiſſe in honore habita, & antiſtites etiam apud eos Priapi Dei myſteriis initiabantur.*

ε Ploſtellis impoſitum.] *Quod narrat Vives & Suetonio admonitum Veſpaſianum à Floro, ut diceret* plauſtra *potius quam* ploſtra, *habetur in Veſpaſiano c.22. in quem locum Caſaubonus multis exemplis oſtendit magnam ſemper fuiſſe affinitatem inter* au *&* o.

ζ In oppido autem Lavinio.] *Author & Dionyſius libr. 1. oppidum illud conditum eſſe à Trojanis duce Ænea, & id nomen illi inditum à Lavinia Latini Regis filia.*

Cap. XXII.

De Neptuno, & Salacia, ac Venilia.

IAm utiq; α habebat Salaciam Neptunus uxorem, quam inferiorem aquam maris eſſe dixerunt, ut quid illi β adjuncta eſt & Venilia, niſi ut ſine ulla cauſa neceſſariorum ſacrorum ſola libidine animæ proſtitutæ multiplicaretur invitatio dæmoniorum? Sed, proferatur interpretatio præclaræ theologiæ, quæ nos ab iſta reprehenſione reddita ratione compeſcat. Venilia, inquit, unda eſt quæ ad litus venit: Salacia quæ in altum repit. Cur ergo deæ fiunt duæ, cùm ſit una unda; quæ venit & redit? Nempe ipſa eſt exæſtuans in multa numina

mina libido veſana. Quamvis enim aqua non geminetur quæ it & redit, huius tamen occaſione vanitatis, duobus dæmoniis invitatis, amplius γ anima commaculatur, *b* quæ it & non redit. Quæſo te Varro, vel vos qui tam doctorum hominum talia ſcripta legiſtis, δ & aliquid magnum vos didiciſſe jactatis, interpretamini hoc: nolo dicere ſecundum illam æternam incommutabilemq; naturam, quæ ſolus eſt deus, ſed ſaltem ſecundum animam mundi & partes eius, quos deos veros eſſe exiſtimatis. Partem animæ mundi, quæ mare permeat, deum vobis feciſſe Neptunum, utcunque tolerabilioris eſt erroris. Itane unda ad litus veniens, & in ſalum rediens, duæ ſunt partes mundi, aut duæ partes animæ mundi? Quis veſtrum ita deſipiat, ut hoc ſapiat? Cur ergo vobis duas deas fecerunt, niſi quia proviſum eſt à ſapientibus majoribus veſtris: non ut dii plures vos regerent, ſed ut ea, quæ iſtis vanitatibus & falſitatibus gaudent, plura vos dæmonia poſſiderent? Cur autem illa Salacia per hanc interpretationem inferiorem maris partem, quæ viro erat ſubdita perdidit? Namque illam modo cum refluentem fluctum eſſe perhibetis, in ſuperficie poſuiſtis. An quia Veniliam pellicem accepit, irata ſuum maritum de ſupernis maris excluſit?

a NEmpe ipſa eſt exæſtuans.] *Alluſit ad æſtum marinum.* L.Viv.

b Quæ it & non redit.] De *his hoc dicitur, quæ ſempiternis addicta ſuppliciis non redeunt, vel ad vitam, vel ad ſpem ullam. Alluſit ad verba Job. 10. Antequam vadam & non revertar ad terram tenebroſam & opertam mentis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum. Quod de terra inferni dici conſtat, & ex verbis, & ex ipſis interpretibus.*

a HAbebat Salaciam Neptunus uxorem,] Salaciæ *ſupra meminit l.4. cap. 10. & 11. quam Poëtæ* Amphitritem *appellant.* Salaciam *eſſe* Amphitritem, *legiſſe ſe in antiquo lexico, monet Turnebus l. 19. Adverſ. c. 11.* F.L.Coq.

β Adjuncta eſt & Venilia.] *Hoc nomine fuit nympha uxor, Fauni & ſoror Amatæ Latini Regis conjugis, mater Turni. Virgil 10. Æneid.*

Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.

Veniliam item antiqui Neptuni conjugem appellarunt à veniendo, *inquit Varro l.4. de L.L.* quam eandem & Salaciam appellaverunt, ad naturam nimirum maris reſpicientes, cujus fluctus modo ad terram veniunt, modo in ſalum abeunt.

γ Anima commaculantium quæ it & redit.] *nempe in æſtu marino. Idolorum enim ſeu variorum figmentorum cultus præcipitem agit animam in barathrum inferni, unde nuſquam liberatur, nec jam illi ulla ſupereſt ſpes ſalutis.*

δ Aliquid magnum vos didiciſſe.] *Ita ſuperſtitioſi homines portentoſas nugas magnum aliquid reputant: Tertullianus de myſterijs Valentinianorum.* Sancta, *inquit,* ſilentio magno, ſola taciturnitate cœleſtia, ſi bona fide quæras concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio, altum eſt ajunt, *cum alloquin liceat dicere cum Gregorio Nazianzeno Oratio. in ſanct. lum.* Sacerdotum Græcorum ceremonias omnes & myſteria meras nugas eſſe cenſeo, tenebroſumque dæmonum

num inventum ac perditæ mentis figmentum temporis ope ac præſidio fultum; fabularum impoſturis obtectum.

Cap. XXIII.

De Terra, quam Varro deam eſſe confirmat, eo quod ille animus mundi, quem opinatur deum, etiam hanc corporis ſui infimam partem permeet, eiq; vim divinam impertiatur.

NEmpe una eſt terra, quam quidem plenam videmus animalibus ſuis: veruntamen *a* ipſam magnum corpus in elementis, mundiq; infimam partem. Cur eam volunt deam? An quia fœcunda eſt? Cur ergo *γ* non magis homines dii ſunt, qui eam fœcundiorem faciunt, excolendo: ſed cum arant, non cum adorant? Sed pars animæ mundi, inquiunt, quæ per illam permeat, deam illam facit: quaſi non evidentior ſit in hominibus anima, quæ utrum ſit, nulla ſit quæſtio, & tamen homines dii non habentur. Et quod eſt graviter dolendum, his qui dii non ſunt, & quibus ipſi meliores ſunt colendis & adorandis mirabili & miſerabili errore ſubduntur. Et certè idem Varro in eodem libro de diis ſelectis, *a ð* tres eſſe affirmat animæ gradus in omni univerſaque natura. Unum, qui omnes partes corporis quæ vivunt, tranſit, & non habet ſenſum, ſed tantum ad vivendum valetudinem. Hanc vim in noſtro corpore permanare dicit in oſſa, ungues, capillos: ſicut in mundo arbores ſine ſenſu aluntur & creſcunt, & modo quodam ſuo vivunt. Secundum gradum animæ dicit, in quo ſenſus eſt. Hanc vim pervenire in oculos, aures, nares, os, tactum. Tertium gradum animæ eſſe ſummum, qui vocatur animus, in quo intelligentia præeminet: hoc præter hominem *b* omnes carere mortales: ϵ in qua, quoniam homines Deo videntur eſſe ſimiles, hanc partem animæ mundi dicit Deum, in nobis autem genium * vocari. Sic ergo & in anima mundi tres gradus inſtituens; unam partem eius lapides eſſe dicit ac ligna: & hanc terram quam videmus, quò non permanat ſenſus. Aliam verò, quam ſenſum vocat eius, ut æthera. Tertiam porrò, quam & animam eius nuncupat, quæ ſcilicet pervenit in aſtra: eam quoque aſſerit facere deos, & per eam quando in terram permanat, deam Tellurem: quod autem inde permanat in mare atque Oceanum, deum eſſe Neptunum. Redeat ergo ab hac quam theologiam naturalem putat, quò velut requieſcendi cauſa, ab his ambagibus atque anfractibus fatigatus egreſſus eſt. Redeat, inquam, redeat ad civilem, hic eum adhuc teneo, tantiſper de hac ago. Nondum dico ſi terra & lapides noſtris ſunt oſſibus & unguibus ſimiles, ſimiliter eos intelligentiam non habere, ſicut ſenſu carent. Aut ſi idcirco habere dicuntur oſſa, & ungues noſtri intelligentiam, quia in homine ſunt, qui habet intelligentiam, tam ſtultus eſt qui hos deos in mundo dicit, quàm ſtultus eſt qui in nobis oſſa & ungues homines dicit: Sed hæc cum philoſophis fortaſſis agenda ſunt, nunc autem iſtum adhuc politicum, id eſt, civilem, volo. Fieri enim poteſt, ut licet in illam naturalis theologiæ veluti libertatem caput erigere paululum voluiſſe videatur,

Animæ gradus juxta Varronem.

al. veravi * *Eſſe autem in mundo lapides ac terrã, quam videmus, quò non permanat ſenſus, ut oſſa, ungues dei. Solem verò, lunam ſtellas, quæ ſentimus quibusq; ipſe ſentit, ſenſus eſſe eius.*

adhuc

adhuc tamen hunc librum verſans, & ſe in illo verſari cogitans: eum etiam inde reſpexerit: & hoc propterea dixerit, ne majores eius, ſive aliæ civitates, Tellurem atque Neptunum coluiſſe inaniter credantur. Sed hoc dico, pars animi mundani, quæ per terram permeat, ſicut una eſt terra: cur etiam non unam fecit deam, quam dicit eſſe Tellurem? Quod ſi ita fecit, ubi erit Orcus frater Jovis atque Neptuni, quem Ditem patrem vocant? Ubi eius conjunx Proſerpina, quæ ſecundum aliam in eiſdem libris poſitam opinionem, non terræ fœcunditas, ſed pars inferior perhibetur? Quod ſi dicunt, animi mundani partem cum permeat terræ partem ſuperiorem, Ditem patrem facere deum: cum verò inferiorem, Proſerpinam deam, Tellus illa quid erit? Ita enim totum, quod ipſa erat, in duas iſtas partes deosque diviſum eſt: ut ipſa tertia quæ ſit, aut ubi ſit, inveniri non poſſit: niſi quis dicat ſimul iſtos deos Orcum atque Proſerpinam, unam deam eſſe Tellurem: & non eſſe jam tres, ſed aut unam, aut duos: & tamen tres dicuntur, tres habentur, tres coluntur aris ſuis, delubris ſuis, ſacris ſuis, ſimulachris ſuis, ſacerdotibus ſuis: & per hæc etiam fallacibus proſtitutam animam conſtuprantibus dæmonibus ſuis. Adhuc reſpondeatur, quam partem terrę permeet pars muudani animi, ut deum faciat Tellumonem? Non, inquit, ſed una eadem terra habet geminam vim, & maſculinam quod ſemina producat, & fœmininam quod recipiat, atque enutriat, unde à vi fœminea dictam eſſe Tellurem, à vi maſculina Tellumonem. Cur ergo pontifices, ut ipſe indicat, additis quoque aliis duobus, quatuor diis faciunt rem divinam, Telluri, Tellumoni, *c* Altori, Ruſori? De Tellure & Tellumone jam dictum ex. Altori quare? Quod ex terra, inquit aluntur omnia, quæ nata ſunt. Ruſori quare? Quod rurſus, inquit, cuncta eodem revolvuntur.

Æ. libera porrò animam eius cuius vim, qua pervenit in aſtra ipſam queq; facere deos, & per eam quod in terra, &c.

a TRes eſſe affirmat animæ gradus.] *Pythágoras & Plato tres animæ ſpecies eſſe dicunt: vegetalem, ſenſibilem, & rationis participem. In homine ipſo animam duas habere partes ajunt: alteram rationis expertem, alteram participem: & illam duplicem eſſe, Iræ & Cupidinis: quas omnes locis faciunt diſtinctas: ut Plato ipſo quarto de republica diſputat. Ariſtoteles tribus illis primis animæ formis quartam addit ad motum ſpectantem, quam dicit progreſſibilem. Sed in anima rationali partes illas ſolis putat eſſe diſtinctas miniſteriis, non re ipſa aut loco: idcirco poteſtates nominat, quæ ut idem in Libris moralibus inquit, ad opera referuntur. Alexander Aphrodiſienſis quo pacto potentiæ ſint in anima, docet: ſed hæc tractare forſan eſt huic loco alienum. Illud conſtet modò, unam eſſe animam, quæ officiis illis fungitur augendi capillos atq; oſſa, afficiendi ſenſu nervos, ratione cor ac cerebrum inſtruendi.* L. Vives.

b Omnes carere mortales.] *Hic locus variè in variis codicibus habetur. Alibi enim hoc totum non ſcribitur. In quo quoniam homines non videntur eſſe ſimiles: & in eo quod ſequitur, pro genio in aliis ingenium habetur, Tum illa ſic ergo. In aliis ita leguntur, ut verba ſint multum diverſa; ſed quoniam ſenſus eſt idem, nihil neceſſe erit annotare.*

 c Alto-

c Altori.] *Dis pater & Proſerpina in antiquis ſacris* [*multinomines erant: ille Dis pater dictus, & Tellumo, & Altor, & Ruſor, & Cocytus. Proſerpina verò Libera, & Orca, & Tellus nutrix. Sic eſt in pontificum libris. Romulus quoq; Altellus eſt dictus ab alendo, quod ipſe ſuos vicinis omnibus inviſos admirabili aleret arte. Mercurius Trimegiſtus in Aſclepio, Terra verò & mari dominatur Jupiter Plutonius: & hic nutritor eſt animantium mortalium & fructiferarum.*

F.L.C.9. α Ipſum magnum corpus in elementis.] *Licet enim ſit centrum mundi, & inſtar obtineat puncti indiviſibilis & imperceptibilis ſi comparetur ad cœlum, ſi tamen per ſe & abſolute conſideretur, magnus eſt ejus ambitus.*

β Cur eam volunt deam.] *Heraclides Ponticus, ut refert Cicero l.1. de nat. deo. cœlum & terram referebat in deos. Clemens Alexandrinus in exhortat.* γῆν δ' ἐγὼ πατεῖν, οὐ προσκυνεῖν μεμελέτηκα: Ego terram calcare, non adorare didici. *Tertullianus l. de ſpectac. c. 9.* cum omnis ſpecies idololatriæ damnata ſit à Deo, utique etiam illa damnatur, quæ elementis mundialibus prophanatur.

γ Cur ergo non magis homines dij ſunt.] *Ita argumentatur Lactantius l. 2. c. 6.* Si Deus eſt mundus, & partes ejus, utique immortales ſunt, ergo & homo Deus eſt, quia pars eſt velut entis mundi, ſi homo, ergo jumentum: & pecudes & cætera genera beſtiarum, & avium & piſcium, quoniam & illa eodem modo ſentiunt, & mundi partes ſunt.

δ Tres eſſe affirmat animæ gradus.] *Fuit quidem communis ſententia Philoſophorum, tres dari ſpecies animæ,* vegetantem, *quæ ſolis plantis,* ſentientem, *quæ mutis animantibus, &* rationalem, *quæ uni homini convenit, quem numerum facile colligunt ex diverſo modo operandi, quo anima ſupra formam rerum vitæ expertium elevatur: Vel enim anima rerum viventium eo tantum præſtat formis non viventium, quia harum functiones & motus à principio externo ut elementorum; illarum ab interno oriantur, vel quia illæ utuntur rerum objectarum ſimulacris, ſeu ſpeciebus, quæ etſi naturales adhuc ſint, nonnihil tamen à materia emergunt; vel poſtremo quod utantur rerum imaginibus non jam corpori inhærentibus, ſed prorſus immaterialibus atq; altioribus ordinis: primus modus competit animæ vegetanti, ſecundus ſentienti, tertius intellectivæ; non mihi itaq; probatur diviſio Platonis in Tymæo, ubi dividit animam in* iraſcibilem, concupiſcibilem, & rationalem: *ſic enim male diſtribuit animam, & deinde tres animas hoc pacto in homine re differentes & ſitu diſtinctas collocat, quod abſurdiſſimum eſt: & recta quidem diviſio animæ (cujus etiam meminit D. Auguſtinus) apud Varronem, quod* alia deſerviat vitæ, alia ſenſui, tertia intelligentiæ, *verùm in hac refellenda quod triplicem illum gradum animæ in eodem homine conſtitueret, cum alioquin una ſit anima, imo hac ſententia, quæ plures ponit animas in homine, videtur condemnata 8. à ſynodo generali, ubi concilium definit, unicam eſſe hominis animam.*

ε In qua quoniam homines Deo videntur ſimiles.] *Eatenus enim homo creatus dicitur ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quod intelligentia ſit præditus, & quemadmodum Deus regit hunc mundum, ita anima regit hoc corpus, & ut Deus*

eſt ubiq;

eſt ubiq; totus, & in ſingulis partibus univerſi, non autem diviſibiliter, partibiliter vel extenſive, ita anima tota eſt in toto, & tota in ſingulis partibus corporis.

ζ Orcus frater Iovis atque Neptuni.] *A veteribus inferorum Deus exiſtimatus, quem Plutonem & Ditem patrem vocabant. Varro terram ipſam videtur Orcum exiſtimare, quod in ea omnia oriuntur & aboriuntur: itaq; dictum eſt Orcum ab ortu, quod omnium rerum finis ſit ortus. Varro. l.4. de L.L. quam tamen lectionem doctiſſimus Turnebus non facile admittit l.20. Adverſar. c.37. nec enim eſſe cur ab ortu potius dicatur Orcus, quam ortus ab Orco: præponit ſcripturam antiquam, quæ etſi non ſatis dilucida illi videatur, quodammodo tamen ad verum propius accedere.*

η Quorum quod finis Orcum, Orcus dicitur.] *Quem dicimus* Orcum *maſculino genere inferorum loca intelligentes, Varro in genere neutro* Orcum *appellat, ab eoq;* Orcum, *id eſt, Plutonem nominatum putat.*

CAP. XXIV.

De Telluris cognominibus, eorumq; ſignificationibus, quæ etiamſi erant multarum rerum indices, non multorum deorum debuerunt firmare opiniones.

DEbuit ergo una terra propter iſtam quadrigeminam vim, quatuor habere cognomina, non quatuor facere deos: ſicut tot cognominibus unus Jupiter, & tot cognominibus una Juno: in quibus omnibus vis multiplex eſſe dicitur, ad unam deum, vel ad unam deam pertinens: non multitudo cognominum deorum etiam multitudinem faciens. Sed profectò ſicut aliquando etiam ipſas viliſſimas fœminas earum, quas libidine quæſierunt, tædet pœnitetque turbarum: α ſic animam vilem factam, & immundis ſpiritibus proſtitutam, deos ſibi multiplicare, quibus contaminanda proſterneretur, ſicut plurimum libuit, ſic aliquando & piguit. Nam & ipſe β Varro quaſi de ipſa turba verecundatus unam deam vult eſſe Tellurem. γ Eandem, inquit, dicunt Matrem magnam, δ quod tympanum habeat, ſignificari eſſe orbem terræ: quod turres in capite, oppida: quod ſedes fingantur circa eam, cum omnia moveantur, ipſam non moveri. Quod Gallos huic deæ ut ſervirent, fecerunt, ſignificat eos qui ſemine indigeant, terram ſequi oportere, in ea quipppe omnia reperiri. ε Quod ſe apud eam jactant: præcipitur, inquit, qui terram colunt, ne ſedeant, ſemper enim eſſe quod agant. ζ Cymbalorum ſonitus, ferramentorum jactandorum ac manuum, & eius rei crepitus in colendo agro quid ſit, ſignificat *b* quod ferramenta illa erant: η ideo ex ære, quod eam antiqui colebant ære, θ antequam ferrum eſſet inventum. Leonem, inquit, adjungunt ſolutum ac manſuetum, ut oſtendant, eſſe nullum genus terræ tam remotum ac vehementer ferum, quod non ſubigi colique conveniat. Deinde adjungit, & dicit, Tellurem matrem & nominibus pluribus, & cognominibus quod nominarunt, deos exiſtimatos eſſe complures. ι Tellurem, inquit, putant eſſe Opem, quod opera fiat melior: matrem, quod plurima pariat: magnam, *Telluris cognomina.*

 quod

quod cibum pariat: Proſerpinam, quod ex ea proſerpant fruges: Veſtam, quod veſtiatur herbis. Sic alias deas, inquit, non abſurdè ad hanc revocant. Si ergo una dea eſt, quæ quidem conſulta veritate nec ipſa eſt, interim quid itur in multas: *x* Unius ſint iſta multa nomina, non tam deæ multæ quàm nomina. Sed errantium majorum autoritas deprimit, & eundem Varronem poſt hanc ſententiam trepidare compellit. Adjungit enim & dicit: Cum quibus opinio majorum de his deabus, quod plures eas putarunt eſſe, non pugnat. Quomodo non pugnat, cum valdè aliud ſit unam deam nomina habere multa, aliud eſſe deas multas? Sed poteſt, inquit, fieri, ut eadem res & una ſit, & in ea quædam res ſint plures. Concedo, ut in uno homine eſſe res plures, nunquid ideo & homines plures? Sic in una dea eſſe res plures, nunquid ideo & deas plures? Verùm ſicut volunt, dividant, conflent, multiplicent, replicent, implicent. Hæc ſunt Telluris, *λ* & Matris magnæ præclara myſteria, unde omnia referuntur ad mortalia ſemina, & exercendam agriculturam. Itane ad hæc relata, & hunc finem habentia tympanum, turres, Galli, jactatio inſana membrorum, crepitus cymbalorum, confictio leonum, vitam cuiquam pollicentur æternam? Itane propterea Galli abſciſſi huic Magnæ deæ ſerviunt, ut ſignificent, qui ſemine indigeant, terram ſequi oportere: quaſi non eos ipſa potius ſervitus ſemine faciat indigere? Utrum enim ſequendo hanc deam, cum indigeant ſemen acquirant: an potius ſequendo hanc deam, cum habeant ſemen amittant? hoc interpretari eſt, an deteſtari? Nec attenditur quantum maligni dæmones prævaluerint, qui nec aliqua magna his ſacris polliceri auſi ſint, & tam crudelia exigere potuerunt. Si dea terra non eſſet, manus ei homines operando inferrent, ut ſemina conſequerentur per illam: non etiam ſibi ſæviendo, ut ſemina perderent propter illam. Si dea non eſſet, ita fœcunda fieret manibus alienis, ut non cogeret hominem ſterilem fieri manibus ſuis. Jam quod in Liberi ſacris honeſta matrona pudenda virilia coronabat, ſpectante multitudine: ubi rubens & ſudans, ſi eſt ulla frons in hominibus, aſtabat forſitan & maritus: & quod in celebratione nuptiarum, *c* ſuper Priapi ſcapum nova nupta ſedere jubebatur: longè contemptibiliora atque *d* leviora ſunt iſta præ turpitudine crudeliſſima, vel crudelitate turpiſſima. Ibi dæmoniacis artibus ſic uterque ſexus illuditur, ut neuter ſuo vulnere perimatur. Ibi faſcinatio timetur agrorum, hic membrorum amputatio non timetur. Ibi ſic dehoneſtatur novæ nuptæ verecundia, ut non ſolùm fœcunditas, ſed nec virginitas adimatur: hic ita amputatur virilitas, ut nec convertatur in fœminam, nec vir relinquatur.

L. Vives. *a* EAndem, inquit, dicunt matrem.] *Ovid 4. Faſt. aliam affert ſacrorum Magnæ matris rationem: nam tympana & cymbala pulſari ait ad imitationem Corybantum, qui ſonitu ſcutorum & galearum ſervarunt Jovem: ideo pro clypeis pulſari tympana ex membranis, pro galeis cymbala ex ære. Turritam geſtat ipſa dea coronam, quod ipſa prima turres in urbibus erexit. Gallos ei placere propter Atym. leonibus vectam: quod ipſa iras illorum mollierit.*

b Quod

b Quod ferramenta illa.] *Alibi hoc deeſt, & ſequens legitur, ideo ære quod, &c.*

c Super Priapi ſcapum.] *Metaphora eſt uſus. nam ſcapus eſt caulis ſive ſtipes herbæ apud Varronem & Plinium. Significat virile membrum, quod eſt in modum ſtipitis erectum. Sunt & ſcapi in ædificiis apud Vitruvium.*

d Confuſibiliora.] *In veteribus, leviora legitur, & ſenſui congruentius:*

e Ut non ſolum fœcunditas.] *Priapus adhibebatur, ut viro adjutor eſſet in adimenda uxoris virginitate, & fœminæ in fœcunditate prolis.*

α SIc animam vilem factam.] *Ut in illam id quadret Threno. 1.* Vide domine & conſidera, quoniam facta ſum vilis, *& recte quidem confert animam idolorum cultui deditam viliſſimis fœminis, quæ ſe proſtituunt* Cum idololatria *in ſcriptum paſſim dicatur* fornicatio, *& quæ recedit anima à Deo, dicatur* fornicari. ‡ L. Cap.

β Varro quaſi de ipſa turba verecundatus.] *Triginta enim millia deorum aliquando enumeravit.*

γ Eandem dicunt matrem magnam.] *Ita Tertullianus l. de Spectaculis cap. 8.* Frigebat, *inquam,* dæmonum concilium ſine ſua matre magna. *l. 1. contra Marcionem, c. 13.* Figuratis magnam matrem in deam.

δ Quod tympanum habeat ſignificatur eſſe orbem terræ.] *Ariſtoteles l. 2. de cœlo c. 13. docet terram eſſe rotundam, eoſq́ reprehendit, quibus videbatur lata quaſi tympanum; in qua ſententia fortaſſe fuerunt, qui magnam matrem deam ita depingebant, ut haberet tympanum.*

ε Quod ſe apud eam jactant.] *Inde* Corybantes *dicti,* quod inter ſaltandum capita jactent, *quod* κορύπτειν *dicitur, authore Strabone l. 10.*

ζ Cymbalorum ſonitus.] *Ita celebrata fuiſſe quotannis ſacra matris magnæ teſtatur Dionyſius l. 6.* Prætores, *inquit,* quotannis Romano ritu victimas ei cædunt, & ludos faciunt: ſacerdotio vero ejus funguntur Phryges vir & mulier eamq́ue vicatim circumferunt more ſuo circulatorio, pectora plangentes ad cantum tibiarum tympanorumq́ue ſonitum; *ingenuum tamen Romanum neminem ejus ſacris initiatum fuiſſe obſervat Homerus in hymnis Deorum.*

Μητέρα μοὶ πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων
Ὕμνει μοῦσα λίγεια Διὸς θυγάτηρ μεγάλοιο
Ἡ κροτάλων τυμπάνων σὺν τ' ἰαχὴ τρόμος αὐλῶν
Εὔαδεν.

η Ideo ærea quod eam antiqui colebant ære.] Διὸ καὶ Χαλκιδέας αὐτοὺς κληθῆναι. *Indeq́ Chalcidenſes ab ære quod eſt* Χαλκὸς *dictos. Strabo lib. 10. multa illius nomina connumerat.* Ῥέαν, *inquit,* οἱ Φρύγες τιμῶσι καὶ ὀργιάζουσι ταύτῃ μητέρα καλοῦντες θεῶν καὶ Ἑστίαν καὶ Φρυγίαν, θεὸν μεγάλην. ἀπὸ δὲ τῶν τόπων Ἰδαίαν καὶ Διδυμήνην καὶ Πυλήνην καὶ Πυασινουντίδα καὶ Κυβέλην.

θ Antequam ferrum eſſet inventum.] *Plinius l. 7. c. 56. ſcribit, Cyniram Agriopæ filium primum in inſula Cypro metalla æris inveniſſe. Pauſanias in Arcadicis Rhœcum Philæi & Theodorum Thelectis filium ambos Samios æs conflare & cudere*

dere primos docuiſſe tradit, à Theodoroq; cælatum Smaragdum, quo Polycrates Samius maxime delectabatur. Ibidem ex Heſiodo docet, ferrum in Creta eos inveniſſe, qui vocati ſunt Dactyli Idæi, *& Straboni l.10.* Idæi dactyli ferrum primi fabricati ſunt, *& l.14.* Telchines primi ex ære ac ferro varia opera fecerunt. *Idem teſtatur & Diodorus Siculus l.17. Theodorum Samium omnium primum ferri fundendi excogitaſſe rationem ac inde ſtatuas conflaſſe memoriæ proditum eſt, ut ſcribit Ammianus Marcellinus l.22. c.7. Per Chalybes, erutum ac domitum primitus ferrum eſt, verùm Pauſanias in Phocaicis tradit, ferri ferruminandi rationem Glaucum Chium primum inveniſſe.*

ι Tellurem putant eſſe Opem.] *Macrobius l.1. Saturnalium c.10.* Terram Opem, *inquit,* dici voluit, cujus ope humanæ vitæ alimenta quæruntur; vel ab opere, per quod fructus frugeſque naſcuntur. Huic deæ inſidentes vota concipiunt, terramque de induſtria tangunt demonſtrantes, ipſam terram matrem eſſe mortalibus appetendam. *Matrem quod plura pariat* παμμητέρα, omnium matrem, *vocat Homerus. Plinius l. 2. natur. hiſtor. c. 66.* Terræ uni rerum naturæ eximiæ partim propter merita cognomen indidimus æternæ venerationis.

κ Unius ſunt iſta multa nomina.] *Strabo l.10. multa illius nomina connumerat.* Ῥέαν, *inquit,* οἱ Φρύγες τιμῶσι καὶ ὀργιάζουσι ταύτῃ μητέρα καλοῦντες θεῶν καὶ Ἑστίαν καὶ Φρυγίαν, θεὸν μεγάλην. ἀπὸ δὲ τῶν τόπων Ἰδαίων καὶ Διδυμήνην καὶ πολήνην καὶ Πυσσινουντίδα, καὶ Κυβέλην.

λ Matris magnæ præclara myſteria.] *Licet ea appellare cum Tertull. in Apol. c.12. Fabulas & ſacra de fabulis.*

CAP. XXV.

Quam interpretationem de abſciſſione Atys Græcorum ſapientium doctrina repererit.

ET Atys ille non eſt commemoratus, nec eius ab iſto interpretatio requiſita eſt, *a* in cuius dilectionis memoriam *a* Gallus abſcinditur. Sed docti Græci atque ſapientes, nequaquam rationem tam ſanctam atque præclaram tacuerunt. Propter vernalem quippe faciem terræ, quæ cæteris temporibus eſt pulchrior, *b* Porphyrius philoſophus nobilis Atym flores ſignificare perhibuit: & ideo abſciſſum, quia flos decidit ante fructum. Non ergo *c* ipſum hominem, vel quaſi hominem Atym, ſed virilia eius flori comparaverunt. Ipſa quippe illo vivente deciderunt: imò verò non deciderunt, neque decerpta ſunt. Nec illo flore amiſſo, quiſquam poſtea fructus, ſed potius ſterilitas conſeqvuta eſt. Quid ergo ipſe reliqvus, & quicquid remanſit abſciſſo, quid eo ſignificari dicitur? Quò refertur? Quæ interpretatio inde profertur: An hæc fruſtra moliendo nihilq; inveniendo perſuadent illud potius eſſe credendum, quod de homine caſtrato fama jactavit, literiſque mandatum eſt? Meritò huic adverſatus eſt Varro noſter, neque hoc dicere voluit: non enim hominem doctiſſimum latuit.

a Gallus

a GAllus abſcinditur.] *Sacerdos Gallus Diximus alibi de his omnibus. Feſtus* *L.Viv.* *tamen inquit Gallos idcirco etiam ſe excidere, quod violarint parentis nomen, ne & ipſi poſſint unquam parentes fieri. Apud Bardeſanem Syrum legitur in Oſroene juſſiſſe Abgarum regem abſcindi manus eorum omnium qui ſe excidiſſent: ita ibi ritum illum ceſſaſſe. Macrobius eadem interpretatur in Magna matre, & Atyde, quæ in Venere & Adonide, quæ in Iſide, & Oſiride: fœminas eſſe terram, viros ſolem.*

b Porphyrius philoſophus.] *De Porphyrio alibi. Hæc ipſe dicit in libro de ratione naturali deorum: Atys, inquit, & Adonis ad fruges fructusq́ue ſpectant: ſed per Atym maximè flores ſignificantur, qui prius decidunt, quàm ad fructum perveniant: idcirco exciſſum eum fabulantur: quoniam flores defluxi fructus non tulere.*

c Ipſum hominem, vel quaſi hominem.] *Alludit ad Platonis ænigma, quinto de rep. Homo non homo, videns non videns, percuſſit non percuſſit, lapide non lapide, avem non avem, ſuper arbore non arbore: id eſt, eunuchus luſcus percuſſit pumice veſpertilionem ſuper ſambuco.*

α IN cujus dilectionis memoriam.] *Ita Lactant. l.1. c.17.* Deum mater & amavit formoſum adoleſcentem, & eundem cum pellice deprehenſum exſectis virilibus ſemivirum reddidit, & ideo nunc ſacra ei à Gallis ſacerdotibus celebrantur. *& Arnob. l.1.* Monne illum Athym Phrygem abſciſſum & ſpoliarum viro, magnæ matris in adutis Deum proprium, Deum ſanctum Gallorum conclamatione deteſtamini? *Dicebantur vero illius ſacerdotes Galli à Gallo, Strabo l.12. apud quem ſacra illa primum fiebant, & ita dicti ſunt etiam poſtea Romanis. Originem fabulæ matris Deam & Athys dilecti ſui ex quodam Timotheo refert Arnobius l.5. eamq́ue exagitat.* *L.c.4.*

CAP. XXVI.

De turpitudine ſacrorum matris magnæ.

ITemq́ue de mollibus eidem Matri magnæ contra omnem virorum mulierumq́ue verecundiam conſecratis, qui uſque in heſternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, inceſſu fœmineo per plateas vicosq́ue Carthaginis, *a α* etiam à populis unde turpiter viverent, exigebant: nihil Varro dicere voluit, *b* nec uſpiam me legiſſe commemini. *β* Defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio. Vicit Matris magnæ omnes deos filios non numinis magnitudo, ſed criminis, *c* Huic monſtro, nec jam monſtroſitas comparatur. Ille in ſimulachris habebat ſolam deformitatem, iſta in ſacris deformem crudelitatem. Ille membra in lapidibus addita, hæc in nominibus perdita. Hoc dedecus tot Jovis ipſius vitia, & tanta ſtupra non vincunt. Ille inter fœmineas corruptelas *d γ* uno Ganymede cœlum infamavit, *δ* iſta tot *e* mollibus profeſſis & publicis & inquinavit terram, & cœlo fecit injuriam. Saturnum fortaſſe poſſemus huic in iſto genere turpiſſimæ crudelitatis ſive conferre, ſive præferre, qui patrem *ε* caſtraſſe perhibetur: ſed in Saturni ſacris ho-

mines alienis manibus potius occidi, quàm ſuis abſcidi potuerunt. Devoravit ille filios ſuos, ut poetæ ferunt: & phyſici ex hoc interpretantur quod volunt: ut autem hiſtoria prodit, necavit. Sed quod ei Pœni ſuos filios ſacrificaverunt, *e* non recepere Romani. At verò iſta magna deorum mater etiam in Romanis templis caſtratos intulit, atque iſtam ſævitiam moremque ſervavit: credita vires adjuvare Romanorum, exſecando virilia virorum. Quid ſunt ad hoc malum Mercurii furta, Veneris laſcivia, ſtupra, & turpitudines cæterorum, quæ proferremus de libris, niſi quotidie cantarentur, & ſaltarentur in theatris? Sed hæc quid ſunt ad tantum malum, cuius magnitudo magnæ matri tantummodo competebat, præſertim quod illa dicuntur à poëtis eſſe conficta: quaſi poetæ id etiam finxerint, quod ea ſint diis grata & accepta? Ut ergo canerentur vel ſcriberentur, audacia fuit, vel petulantia poetarum. Ut verò divinis rebus & honoribus eisdem imperantibus & extorquentibus numinibus adderentur, quid eſt niſi crimen deorum, imò verò confeſſio dæmoniorum, & deceptio miſerorum? Verum illud quod de abſciſſorum conſecratione mater deorum coli meruit, non poetæ confinxerunt, ſed horrere magis quàm canere maluerunt. His ne diis ſelectis quiſquam conſecrandus eſt, ut poſt mortem vivat beatè, quibus conſecratus ante mortem honeſtè non potuit vivere, tàm fœdis ſuperſtitionibus ſubditus, & immundis dæmonibus obligatus? Sed hæc omnia, inquit, referuntur ad mundum: videat ne potius ad immundum. *f* Quid autem non poteſt referri ad mundum, quod eſſe demonſtratur in mundo? Nos autem animum quærimus, qui vera religione confiſus, non tanquam deum ſuum adoret mundum, ſed tanquam opus Dei propter Deum laudet mundum, & mundanis ſordibus expiatus, mundus perveniat ad Deum, qui condidit mundum. Iſtos verò ſelectos deos videmus quidem clarius innotuiſſe quàm cæteros: non tamen ut eorum illuſtrarentur merita, ſed ne occultarentur opprobria: unde magis eos homines fuiſſe credibile eſt: ſicut non ſolùm poeticæ literæ, verum etiam hiſtoricæ tradiderunt. Nam quod Vergilius ait:

Abſciſſorum conſecratio. *Mundus immundus.*

Virgi. 8. Æn.

g *Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,*
Arma Jovis fugiens. & regnis exul ademptis.

Et quæ ad hanc rem pertinentia ſubſeqvuntur, *h* totam de hoc Euhemerus pandit hiſtoriam quam Ennius in Latinum vertit eloquium. Unde quia plurima poſuerunt, qui contra huiusmodi errores ante nos vel Græco ſermone, vel Latino ſcripſerunt, non in eo placuit mihi immorari.

L. Vives.

a ETiam à populis unde turpiter viverent.] *Gallis matris deûm licebat ſtipem à populo poſcere lege à Metello lata Cauſam Ovid. ſcribit his verbis:*

Dic, inquam, parva cur ſtipe quærat opes?
Contulit æs populus, de quo de lubra Metellus
Fecit, ait, dandæ mos ſtipis inde manet.

Cicero in ſeveriſſimis illis ſuis & ſanctiſſ. ut illis temporibus, legibus, ſic jubet: Præter Idææ matris famulos, eosq; juſtis diebus, ne quis ſtipem cogito. Rationem addens inquit:

quit: Stipem ſuſtulimus, niſi eam quam ad paucos dies propriam Ideæ matris excepimus. Implet enim ſuperſtitione animos, & exhaurit domos. (Quid ſi nunc viderent Auguſtinus & Cicero ditiſſima & ampliſſima ſodalitia ab iis poſcere ſtipem, quibus deceret potius ſua impartiri, quibus redundant & affluunt? Cum interea qui dedit arrodat ficum & cibarium panem, oleribus menſam inſtruens. & fictilibus vaſis aqua duntaxat plenis, liberis circumſeptus, pro quibus noctes & dies ſollicitus operi intentus agit: qui accepit opulens mendicus, candido & ſiligineo pane perdicibus capiſq; generoſo vino ac leni ſe obruat.)**

b Nec uſpiam me legiſſe.] *Interpretationem eorum.*

c Nec monſtroſitas comparatur.] *De Priapo videtur intelligendum.*

d Uno Gan.] *Ganymedes Trois Phrygij regis filius, adoleſcens fuit ſpecioſiſſima forma, quem Tantalus venantem maxima celeritate rapuit, & in Cretam perlatum Jovi dono dedit: hunc Jupiter habuit in delitiis concubinum. Fabulantur poetæ Jovem in aquilam verſum eum rapuiſſe, præfeciſſeq; poculis loco Hebes, & Vulcani Junonis liberorum: vertiſſeq; in ſignum cœleſte, quem nunc Aquarium dicimus.*

e Mollibus profeſſis.] *Id eſt, qui mollitiem profitebantur, & flagitia obſcœniſſima.*

f Cui enim hic mundus.] *Mirum quàm aliter alibi ſcribatur ſic. Quid autem non poteſt referri ad mundum quod eſſe demonſtratur in mundo?*

g Primus ab æthereo.] *Verg. 8. Æn. verbis Evandri ad Æneam.*

h Totam de hoc Homerus pandit hiſtoriam.] *Euhemerus habent veteres libri, & certum eſt ſic eſſe legendum. nam hic, ut dixi, ſcripſit ſacram hiſtoriam.*

α ETiam à populis unde turpiter viverent exigebant.) *Metellus legem tulerat, qua licebat Gallis matris Deum ſtipem à populo colligere. Hujus ſtipis meminit Cicero 2. de ll.* Præter Ideæ matris famulos eoſque juſtis diebus, ne quis ſtipem cogito: *& eodem l.* Stipem ſuſtulimus, niſi eam quam ad paucos dies propriam Ideæ matris excepimus, implet enim ſuperſtitione animos, & exhaurit domos. *Megalenſibus ejus famuli ſtipem cogebant. Edicto cavebatur, ut author eſt Alex. ab Alex.* Præter Ideæ matris familias easque juſtis diebus ne quis ſtipem cogito. *Alludit ad hanc ſtipem Tertullianus in Apolog. c. 15.* Circuit cauponam religio mendicans, exigit mercedem pro ſolo templi, pro aditu ſacri, non licet deos gratis noſſe, venales ſunt. *Clemens Alex.* Οὐδεὶς μ' ἀρέσκει φησὶ περιπατῶν ἔξω θεὸς, μετὰ γραὸς, οὐδ' εἰς οἰκίας παρεισιὼν, ἐπὶ τῆς σανίδος μητραγύρτης. F. L. Coq.

β Defecit interpretatio, erubuit ratio.] *Idem fere habet Arnobius in fine l. 5.* Quanquam de dijs multa fabuloſa poſſent detorqueri ad rationes quaſdam phyſicas, hæc tamen, *inquit*, quæ turpiſſima ſunt nullam ejuſmodi patiuntur interpretationem, *& ibidem*, Si fabulas has more allegoriæ vultus eſſe ſcriptas, quid cæteris fiet, quas non videmus poſſe verſuras in hujuſmodi cogi.

γ Uno Ganymede cœlum infamavit.) *Phryx erat Ganymedes, idcirco ut fabulan-*

bulantur Poetæ à Iove raptus, ut pocillatoris munere fungeretur cum Iupiter deos prandio excepturus eſſet. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, Iuppiter propter mulierum amorem in quamvis formam ſeſe immutans, & Phrygibus adoleſcentibus amatrix Aquila factus eſt, ut dij Jovis cinædis pocillatoribus quam ſuaviſſime compotarent. *Arnobius l.5. ſub finem*, Quid ſubjiciemus, *inquit*, pro illis Ganymedibus raptis, in libidinum magiſteria ſubſtitutis. *De Ganymedis raptu Homerus Iliad. 5. Virgilius Æneid. 5. Lucianus in dialogis, Plato 1. de ll. hujus fabulæ fictores reprehendit, qui auſi ſunt tantum facinus illi, unde omnes leges manare debent, tribuere. Xenophon in Sympoſio dicit Ganymedem non propter corpus, ſed propter animum in cœlum translatum: Fabulam interpretatur Fulgentius in mytholog.*

δ Non recepere Romani.) *Scribit Dionyſius lib. Herculem in Italia ut aboleret hunc morem ſacrorum ei aram fundaſſe in colle Saturni, & authorem fuiſſe, ut ſanctæ hoſtiæ puris adolerentur ignibus: Etſi valde ſuperſtitioni & idololatriæ addicti Romani, non tamen eo dementiæ venerunt, ut ſacra tam crudelia admitterent.*

ε Iſte tot mollibus profeſſis & publicis.) *Fuſe Arnobius de turpitudine hujusmodi ſacrorũ l.5. ubi inter cætera*, Quis eſt qui credat aliquid honeſtatis in ea re eſſe, quam inchoant viles Galli, effœminati conficiunt exoleti? *& eviratos molleſq; appellat.*

ζ Qui patrem caſtraſſe perhibetur) *Hanc fabulam & myſterij illius rationem redarguit & ſugillat Lactantius l.1. c.12.*

η Romanis templis caſtratos intulit.) *Sacra tamen illa per exteros celebrabantur, nec fas erat quemquam Romanum ingenuum, his ſacris initirri, ut ſup. ex Dionyſio obſervatum.*

ι Sed ne occultarentur opprobria.) *Nonnulli enim ita ſunt infamiæ vitio, & opprobrijs noti, ut alij virtute & rerum geſtarum gloria.*

Cap. XXVII.

De phyſiologorum figmentis, qui nec veram divinitatem colunt, nec eo cultu quo colenda eſt vera divinitas.

Ipſas α phyſiologias cum conſidero, quibus docti & acuti homines has res humanas conantur vertere in res divinas: β nihil video niſi ad temporalia terrenaque opera, naturamque corpoream: vel etiam ſi inviſibilem, tamen mutabilem potuiſſe revocari, quod nullo modo eſt verus deus. Hoc autem ſi ſaltem religioſitati congruis ſignificationibus ageretur, eſſet quidem dolendum, non his verum Deum annunciari atque prædicari: tamen aliquo modo ferendum tam fœda & turpia non fieri, nec juberi. At nunc cum pro Deo vero, quo ſolo anima ſe inhabitante ſit fœlix, nefas ſit colere aut corpus aut animam: quanto magis nefarium eſt iſta ſic colere, ut nec ſalutem, nec decus humanum corpus aut anima colentis obtineat? Quamobrem ſi templo, ſi ſacerdote, ſi ſacrificio, quod Deo vero debetur, colatur aliquod elementum mundi,

mundi, vel creatus aliquis ſpiritus, etiam ſi non immundus & malus, γ non ideo eſt malum, quia illa mala ſunt quibus colitur, ſed quia illa ſunt talia, quibus ſolus ille colendus ſit, cui talis cultus ſervituſque debetur. Si autem ſtoliditate vel monſtroſitate ſimulachrorum, ſacrificiis homicidiorum, coronatione virilium pudendorum, mercede ſtuprorum, ſectione membrorum, abſciſſione genitalium, conſecratione mollium, feſtis improborum obſcœnorumque ludorum, unum verum Deum, id eſt, omnis animæ corporiſque creatorem colere ſe quiſque contendat: non ideo peccat, quia non eſt colendus quem colit, ſed quia colendum, non ut colendus eſt, colit. Qui verò & rebus talibus, id eſt, turpibus & ſceleſtis & non Deum verum, id eſt animæ corporiſque factorem, ſed creaturam quanvis non vitioſam colit, ſive illa ſit anima ſive corpus, ſive anima ſimul & corpus, bis peccat in Deum, quod & pro ipſo colit, quod non eſt ipſe: & talibus rebus colit, δ qualibus nec ipſe colendus eſt, α nec non ipſe. Sed hi quonam modo, id eſt quam turpiter nefarieque coluerint, in promptu eſt. Quid autem, vel quos coluerint eſſet obſcurum, niſi eorum teſtaretur hiſtoria, ea ipſa quæ fœda & turpia confitentur numinibus terribiliter exigentibus reddita. Unde remotis conſtat ambagibus, nefarios dæmones atque immundiſſimos ſpiritus, ab omni civili theologia in viſendis ſtolidis imaginibus, & per eas poſſidendis etiam ſtultis cordibus invitatos.

α NEc ipſe colendus eſt, nec non ipſe.] *Nulla res eo genere cultus eſt colenda, neq; Deus, neq; aliud quicquam, quod non ſit Deus: nam cultus ille ex ſe eſt nefarius & impius.* L.Vivet.

α IPſas phyſiologias cum conſidero.] *Quam Græci* phyſiologiam *appellant,* naturæ rationem *interpretatatur Cicero l.2.de divin. & l.1.de nat. deor.* Diogenes Babylonius, *inquit,* partum Jovis ortumque virginis ad phyſiologiam traducens disjungit à fabula. F.L.Coq.

β Nihil video niſi ad temporalia terrenaque opera.) *Idem epiſt. 49. ad Deogratias quæſt.3.* Nec illinc excuſant impij ſua ſacrilega ſacra & ſimulachra, quod eleganter interpretentur quid quæque ſignificent. Omnis quippe illa interpretatio ad creaturam refertur, non ad creatorem, cui uni debetur ſervitus illa quæ uno nomine λατρεία Græce appellatur. *Duplici hic ratione hujuſmodi myſticas ſignificationes fabularum de dijs, quas delirantium ſomnia vocat Cicero, reijciendas docet, quod & turpitudinem & irreligioſitatem in ſe contineant, & præterea nonniſi ad terrena ſignificanda, non vero divina nobis exhibenda poſſint referri.*

γ Non ideo malum eſt quia illa mala ſunt.] *Bonum eſt ex integra cauſa, ut malum ex ſingulis defectibus. Ut ergo cultus ſit religioſus, videndum eſt non modo qua ratione aut quibus ceremonijs cultus exhibeatur, verum etiam quid colatur: nam cultus religionis ſoli Deo debetur, nec ceremonijs pro arbitrio ab hominibus inſtitutis, ſed à ſemetipſo ordinatis vel hominibus divinitus inſpiratis coli debet.*

δ Quia illa mala ſunt quibus colitur.] *Neq; enim id in gentibus reprehenſibile erat, quod templa conſtruerent, vel ſacrificia offerrent, cum id ſit juri naturæ*

conforme, & religio videatur innata mentibus hominum, ſed quod falſis Dijs & non vero Deo ſacrificarent, quod docet author l.20. contra Fauſtum c.18. Dicit, *inquit*, Apoſtolus *(1. Cor. 10.)* quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo, non quod offerebatur culpans, ſed quia illis offerebatur, *& epiſt. 49. ad Deogratias quæ.3.* Qui, *inquit*, Chriſtianas literas ſciunt, non hoc culpant in ritibus paganorum quod conſtruant templa & inſtituant ſacerdotia, & faciant ſacrificia, ſed quod hæc idolis & dæmonijs exhibeant,

ε Qualibus nec ipſe colendus eſt, nec non ipſe.] *Id eſt nec Deus ipſe nec aliud quicquam hoc cultus genere debet coli cum hæc ſint perverſa & ſacrilega. Id ergo ad veram religionem requiritur, ut & verus Deus colatur & propterea cultus ille ceremoniis conſtet, non pro arbitrio ab hominibus inſtitutis, verum à Deo vel ordinatis, vel certe divinitus hominibus inſpiratis. Illud itaq; à Lactantio parum conſiderate ſcriptum l.4. c.28.* Quinimo quid colas intereſt, non quemadmodum colas, aut quid precere. *Religioni enim tunc locus, ſi qui uni vero Deo ſupplicant vel ſacrificant, quemadmodum oportet, id faciant, & religio virtus eſt, qua uni ac vero Deo decens ac debitus cultus exhibetur.*

CAP. XXVIII.

Quod doctrina Varronis de Theologia in nulla ſibi parte concordet.

QUid igitur valet quod vir doctisſimus & acutiſſimus Varro velut ſubtili diſputatione hos omnes deos in cælum & terram redigere ac referre conatur, & non poteſt? Fluunt de manibus, reſiliunt, labuntur, & decidunt. Dicturus enim de fœminis, hoc eſt, de deabus: quoniam, inquit, ut in primo libro dixi de locis, duo ſunt principia deorum animadverſa de cœlo & terra, à quo dij partim dicuntur cæleſtes, partim terreſtres, ut in ſuperioribus initium fecimus à cælo cùm diximus de Jano: quem alij cælum, alij dixerunt eſſe mundum: ſic de fœminis initium ſcribendi fecimus à Tellure. α Sentio quantam moleſtiam tale ac tantum patiatur ingenium. Ducitur enim quadam ratione veriſimili, cælum eſſe quod faciat, terram quæ patiatur: & ideo illi β maſculinam vim tribuit, huic fœmininam: & non atttendit eum potius eſſe qui hæc facit, γ qui utrumq; fecit. δ Hinc etiam Samothracum nobilia myſteria in ſuperiore libro ſic interpretatur, eaque ſe quæ nec ſuis nota ſunt ſcribendo expoſiturum, eiſque miſſurum quaſi religioſiſſimè pollicetur. Dicit enim ſe ibi multis indicijs collegiſſe in ſimulachris, aliud ſignificare cælum, aliud terram, aliud exempla rerum, ε quas Plato appellat ideas: cælum Jovem, terram Iunonem, ideas Minervam vult intelligi. ζ Cælum à quo fiat aliquid, terram de qua fiat: exemplum, ſecundum quod fiat. Qua in re omitto dicere, quod η Plato illas ideas tantam vim habere dicit, θ ut ſecundum eas non cælum aliquid fecerit, ι ſed etiam cælum factum ſit. Hoc dico iſtum in libro ſelectorum deorum rationem illam trium deorum, quibus quaſi cuncta complexus eſt perdidiſſe. Cælo enim tribuit maſculos deos, fœminas terræ. Inter quas poſuit Minervam, quam ſupra ipſum cælum antè poſuerat. Deinde ma-

de maſculus deus Neptunus in mari eſt, quod ad terram potius quàm ad cælum pertinet. Dis pater poſtremo, *c* qui Græcè πλούτων dicitur, etiam ipſe maſculus frater amborum terrenus deus eſſe perhibetur, ſuperiorem terram tenens, in inferiore habens Proſerpinam conjugem. Quomodo ergo deos in cælo, deas in terra eſſe perhibent, qui rurſus deas in terram, deos ad cælum referre conantur? *x* Quid ſolidũ, quid conſtans, quid ſobriũ, quid definitũ habet hæc diſputatio? Illa autẽ eſt tellus initiũ dearum, mater ſcilicet magna, apud quam mollium & abſciſorum ſeſeque ſecantium atque jactantium inſana perſtrepit turpido. Quid eſt ergo quod dicitur, caput deorum Ianus, caput dearum Tellus: *d* nec ibi facit unum caput error, nec hic ſanum furor? Cur hæc fruſtra referre nituntur * ad mundum, *e* quaſi poſſit pro vero Deo mundus, vel opus pro factore coli? Et tamen eos, nec hoc poſſe veritas aperta convincit. Referant hæc potius ad homines mortuos, & ad dæmones peſſimos, & nulla quæſtio remanebit. *al. quod eſſe poſſint pro vero Deo mundum nemo pius colit.*

L. Vives.

a HInc etiam Samothracũm nobilia.] *Dixi alibi de his dijs. Varro l. 4. De ling. Lat. magnos deos, qui & Samothraces ſunt, cælum & terram eſſe dicit, Iovem & Iunonem. Additur Minerva, quibus tribus Capitolium eſt ſacratum, excellentiſſimum in urbe templum. Inter Græcos ipſos non ſatis conſtat, qui dicantur dij Samothraces. Adſcribam quæ memini me ſuper his apud interpretem Apollonij legiſſe:* Καβείρους τοὺς ἐν τῇ σαμοθρᾴκῃ καλοῦσι θεοὺς, ὧν καὶ μνασέας φησὶ τὰ ὀνόματα. Τέσσαρες εἰσὶ τὸν ἀριθμὸν, ἀξίερος ἀξιόκερσα, ἀξιόκερσος. ἀξίερος μὲν οὖν ἐστὶν ἡ δημήτηρ. ἀξιόκερσα ἡ περσεφόνη. ἀξιόκερσος. δὲ ὁ ᾅδης ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος κάσμιλος ὁ ἑρμῆς ἐστὶν, ὡς ἱστορεῖ διονυσόδωρος. Ἀθηνίων δέ φησι ὅτι διὸς καὶ ἠλέκτρας ἐγένετο Ἰασίων καὶ δάρδανος. Κάβειροι δὲ δοκοῦσι προσαγορεύεσθαι ἀπὸ καβείρων τῶν κατὰ Φρυγίαν ὀρῶν, ὅτι ἐντεῦθεν μετηνέχθησαν. οἱ δὲ δύο εἶναι τοὺς καβείρους φασὶ. πρότερον πρεσβύτερον μὲν δία, νεώτερον δὲ διόνυσον. *Hoc eſt, Caberos vocant deos Samathraces, quorum etiam nomina Mnaſeas prodidit: quatuor ſunt, Axierus, Axiocerſa, Axiocerſus. Axierus eſt Ceres ipſa, Axiocerſa Proſerpina, Axiocerſus Dis pater: quartus his additus eſt adminiſter Mercurius, ut Dionyſodorus narrat. Athenion verò inquit hos eſſe Iove & Electra genitos, Iaſiona & Dardanum: videntur Caberi nominati à Caberis Phrygiæ montibus, quòd illinc ſunt tranſlati. Nec deſunt qui duos tantum eſſe dicant, priorem ſeniorem Iovem, alterum Iuniorem Dionyſium. Porrò Iaſionem Cereris filium fuiſſe dicit, Caberum nominatum Dardani fratrem. Alij Iaſiona & amaſſe & concubuiſſe cum Cerere narrant, idcirco fulmine interemptum. De Caberis ſiquis deſiderat plura cognoſcere, habet apud Strab. l. 10.* Dii Samothraces.

b Quas Plato appellat Ideas.] *Ideæ Platonicæ ab ſpectando ſunt dictæ: quoniam qui aliquid eſt acturus, ideam inſpicit, ad quam ſuam actionem aptet, ut pictori, qui de exemplari aliquid pingit, hoc exemplar eſt idea. Idcirco ſic finitur exemplar rei agendæ. Sunt omnium rerum apud deum ideæ: quas ſpectans ille fabricator mundi ſingula in lucem mundumq; edidit. Itaq; Platoni tria ſunt univerſorum principia: mens, quæ opus conficit Deus ipſe: materia, ex qua fabricatur: & exemplar*

exemplar, quod cum aliquid agit, ſpectat. Cùm opus hoc naturæ Deus editurus eſſet, exemplar ei adfuit, quod ſequeretur, ut in Timæo ſcribit. Non ergo ſolum ſingulæ rerum ſpecies, ſed cælum, elementa, ipſumq́ue univerſum, quod τὸ πᾶν *dicunt, principium ſui habuit ideam. Apuleius in dogmatis Platonis: Ideas verò, id eſt formas omnium ſimplices & æternas eſſe, nec corporales tamen. Eſſe autem ex his quæ Deus ſumpſerit exempla rerum, quæ ſunt eruntve: nec poſſe amplius quàm ſingularum ſpecierum ſingulas imagines in exemplaribus inveniri. gignentiumq́ue omnium ad inſtar ceræ formas & ſignificationes ex illa exemplorum figuratione ſignari. Vbi verò hæ ſint ideæ; altior quæſtio, & variis ſententiis à Platonicis tractata, alibi de ea diſſeremus.*

c Qui Græcè πλούτων.) *A divitiis ſic nominatus, qui apud illos eſt* πλοῦτος*: ideo Latini Ditem vocarunt, & divites dites. Ex abditis enim terræ velut ex ejus regno metalla & gemmæ opes hominum eruuntur: idcirco is Deus ſubterranea Hiſpaniæ incolere veteribus dictus eſt, ut Strabo refert: quòd ibi eſſet magna metallorum omnis generis copia. tum etiam è terra emergunt fruges, & paſcua pecorum, unde pecunia & peculium ut dixi.*

d Nec ibi facit unum caput error.) *Quia Ianus biceps, & ſacerdotes magnæ matris inſani.*

e Quaſi poſ.) *Alibi ſic: quod etſi poſſint, mundum nemo pius colit.*

F, L, Coq. SEntio quam moleſtiam.] *Adeo qui cæcutiunt, & in tenebris verſantur, magnis ſe difficultatibus involvunt, à quibus ſe explicare nequeunt. Idem de philoſophis in exponendis allegoriis & fabulis poetarum multum laborantibus, & à ſe diſſentientibus ſcribit Theodor. ſerm. 3.* περὶ π.].

β Illi maſculinam vim tribuunt, huic fœmininam.] *Quod ſcribit Ariſtoteles l. 1. de generat. animal. c. 2. cum enim diſtinxiſſet marem à fœmina, quod mas ſit animal in alio gignens, fœmina in ſeipſa, ſubjungit,* διὸ καὶ ἐν τῷ ὅλῳ τὴν γῆς φύσιν, ὡς θῆλυ, καὶ μητέρα νομίζουσιν, οὐρανὸν δὲ, καὶ ἥλιον, καὶ εἴ τι τῶν ἄλλων, τῶν τοιούτων ὡς γεννῶντας, καὶ πατέρας προσαγορεύουσιν. *Plinius l. 18. c. 20. ſcribit intellexiſſe oſtendiſſeq́ue cum terris cæli ſocietatem. Nòn eſt omittendum Platonis illud* κυήσει, καὶ γεννήσει ἡ γυνὴ γῆν μεμίμηται.

γ Qui utrumque fecit.) *Hoc elogio inprimis celebratur Deus in ſcriptura ſacra, quod ſit cæli & terræ creator, ut intelligatur cum hæc ſint duo extrema totius univerſi, & reliqua etiam quæ interjacent, quæque illis continentur condidiſſe.*

δ Hinc etiam Samothracum nobiliora myſteria.) Samothraciam *inde dictam auctor eſt Pauſanias in Achaicis, quod cum* Samii *aliquando victi & expulſi eſſent ab Epheſis, profugorum pars in* Thraciæ *inſulam è regione Dardaniæ coloniam deduxerunt, quæ duplicato nomine poſtea* Samothrace *nuncupata eſt. Ammianus Marcellinus l. 21. c. 48. ſcribit quandoq́ue dictam* Leucaniam, διὰ τὸ λευκὴν εἶναι i. quod albicet, *mox à Thracibus habitatam cœpiſſe dici Thraciam, quibus item deficientibus Samii ſupervenientem Samothraciam fecere. Stephanus de ur-*

de urbibus. Σαμοθράκη νῆσος πρὸς τῇ Θράκῃ πόλιν ὁμώνυμον ἔχουσα, ἐκλήθη δὲ ἀπὸ τῶν Σαμίων, καὶ Θρακῶν, ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Δαρδανία. *De eadem Strabo l. 7.* in Samothracia inſula initiationes quædam fuiſſe dicuntur ad remedia nonnullarum periclitationum, urbi & Corybantum myſteria & Hecates ſacra celebrabantur cui canes ad antrum Zerinthium immolabant. *Hunc morem recenſet Ariſtophanis interpres in pace,* ἐν Σαμοθράκῃ οἱ ἐν κινδύνοις γενόμενοι ἐπικαλοῦνται τούτους τοὺς δαίμονας. τοὺς ἐν Σαμοθράκῃ τούς τε κορύβαντας, καὶ τὴν Ἑκάτην, ἐξ ἧς καὶ διαβόητον ἦν τὸ ζήρινθον ἄντρον. ἔνθα ταύτῃ ἡγίαζον, καὶ ἠλευθέρουν. *Hujuſmodi myſteriorum meminit Tertullianus, Philoſtratus in vita Apollonii, lib. 6. c. 10.* καὶ τῆς Ἐλευσῖνι τελετῆς *(inquit)* ἀπολαβοίμεθα, διόσι τὸ ἀλλὰ καὶ μὴ τὸ, καὶ ὧν Σαμόθρακες τελοῦσιν. ἐπὶ μὴ τὸ δεῖνα, τὸ δεῖνα δὲ αὐτοῖς δρᾶται. Scrutemur Eleuſinæ myſteria, cum hoc non vero hoc admittant; & Samothracum ibidem initiationes, cur in eis hoc quidem ſit, illud vero non permittitur. *Meminit & tacite Tertullianus in Apolog. cap. 7. & lib. de ſpect.* Trinis deis paratur magnis, potentibus, valentibus: eoſdem Samothracas exiſtimant: *in quem locum Pammelius.* Imitatur *(inquit) auctor Varronem lib. 4. de L. L.* Terra, *inquit,* & cœlum ut Samothracum initia docent, ſunt dii magni & hi, quos dixi multis nominibus. Nam neque quas Samothracia duas viriles ſpecies aſſeverat, Dei magni, neque ut vulgus jactat hi Samothraces dicti dii Caſtor & Pollux, ſed hi mas & fœmina, & hi quos augurum libri ſcriptos habent, ſic dii potes; & ſunt pro illis, qui in Samothrace θεοὶ δυνατοί. *Scribit Dionyſius lib. 2. hujuſmodi ſacra Dardanum primum è Samothracia in urbem à ſe conditam deportaſſe, eaque capta Æneam Troja profugum ſecum attuliſſe in Italiam, & Strabo l. 7. ſcribit, Dardanum Trojanos docuiſſe,* τὰ ἐν Σαμοθράκῃ μυστήρια.

s Quas Plato appellat Ideas.] *De Ideis agit Plato in Timæo & Parmenide, quas lib. 6. de repub. ſcribit* νοεῖσθαι μὲν, ὁρᾶσθαι δ' οὔ, intelligentia percipi, non ſenſibus corporeis comprehendi. *D. Auguſtinus lib. 43. quæ. q. 46. ſcribit, Platonem omnium primum nomen ideæ inveniſſe, non quia res eo nomine ſemper ſignificatæ fuerint, & ab aliquibus intellectæ, ſed alio fortaſſe, atque alio nomine ab aliis, atque aliis nuncupatæ ſint. Licet enim cuique rei incognitæ, quæ nullum habeat uſitatum nomen; quodlibet nomen imponere. Nec enim veriſimile eſt ſapientes, aut nullos fuiſſe ante Platonem, aut iſtas, quas Plato ideas vocat, quæcumque res ſint, non intellexiſſe: ſiquidem tanta in eis vis conſtituitur, ut niſi his intellectis nemo ſapiens eſſe poſſit, ab aliis itaque vocantur* formæ ſpecies, vel rationes rerum. *Cicero etiam lib. 1. Tuſcul. quæſt. affirmat eam vocem fuiſſe à Platone inventam Seneca epiſt. 68.* Ideas propriam Platonis ſupellectilem. *Tradit Juſtinus Martyr in exhortatione ad Gentes, Platonem ex illo loco Exod. 23. ubi dixit Dominus ad Moyſen.* fac omnia ſecundum exemplar quod tibi demonſtratum eſt in monte, *cognitionem Idearum hauſiſſe, inde enim exiſtimavit exemplaria rerum, quæ à Deo fieri debent, in eo procedere.* παραδείγματα *vocat Dionyſius lib. de div. nomin. cap. 5. quæ definit* τοὺς ἐν θεῷ τῶν ὄντων οὐσιοποιοὺς, καὶ ἑνιαίως προϋφεστῶτας λόγους, οὓς ἡ θεολογία προορισμοὺς καλεῖ, καὶ θεῖα, καὶ ἀγαθὰ θελή-

ματα τῶν ὄντων ἀφοριστικὰ καὶ ποιητικά. καθ' οὓς ἡ θεολογία προορισμοὺς καλεῖ ὁ ὑπερούσιος τὰ ὄντα πάντα, καὶ προώρισε, καὶ παρήγαγε, *id eſt*, eſſentiæ rerum effectrices rationes, quæ in Deo præextiterunt, quas Theologia prædeſtinationes appellat, divinasque ac bonas voluntates rerum effectrices, ſecundum quas ſupereſſentialis Deus omnia prædefinivit & produxit. *D. Aug. loco citato, eas definit*, quod ſint principales formæ quædã vel rationes rerũ ſtabiles atque immutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſint, ac per hoc æternæ ac ſemper eodem modo ſe habentes, quæ in divina intelligentia continentur: & cum ipſæ neq; oriantur, neque intereant, ſecundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri & intrrire poteſt, & omne, quod oritur & interit. *Seneca epiſt. 58. ex Platonis ſententia* ideas *vocat*, ex quibus omnia quæcumque videmus, fiunt, & ad quas cuncta formantur, quæ immortales, immutabiles, inviolabiles ſunt, & *ideam definit*, earum quæ natura fiunt, exemplar æternum. *Et epiſt. 65. definit, exemplar, quod Ideam Plato vocat*, ad quod reſpiciens artifex id quod deſtinabat, efficit. Hæc exemplaria rerum omnium (*inquit*) Deus intra ſe hebet, numerosque univerſorum, quæ agenda ſunt, & modos mente complexus eſt. plenis his figuris eſt, quas Plato Ideas appellat immortales, immutabiles, infatigabiles. *Perperam illas Ideas Platonis contendit Ariſtoteles: nec enim earum nomine Plato intellexit univerſalia quædam à ſingularibus rebus ſejuncta, verum rationes in mente divina rerum ipſarum creandarum, ut olim D. Auguſtinus, Seneca, & reliqui intellexerunt.*

ζ Cœlum à quo fiat aliquid, terram de qua fiat exemplum ſecundum quod fiat.] *Varro ut rem magnam ac myſticam aperit, ſe tria principia apud Samothracas reperiiſſe, idque ſignificari eorum ſimulachris, nimirum per Jovem, Junonem, & Minervam, ut Jovis nomine cœlum intelligatur principium rerum efficiens, per Junonem terra, quæ ſit materia, per Minervam idea, ſecundum quam aliquid producitur. Verùm ut recte ait D. Auguſtinus, non cœlum aliquid fecit, ſed factum eſt: nam Deus comparatur tanquam artifex ad omnia, quæ fecit; quemadmodum ergo artifex habet rationem ſui operis apud ſe, ita in Deo rerum omnium adeoque cœli ipſius præexiſtunt rationes: non enim eſt agens naturale, ſed per intellectum,* & fecit cœlos in intellectu.

η Plato illas ideas tantam vim habere dicit.] *Sunt enim factrices omnium rerum, & quemadmodum nihil fortuito ſit reſpectu primæ cauſæ, ita in productione rerum ſemper neceſſe eſt ideas concurrere.* Videmus, *inquit Apoſtolus*, aptata eſſe ſæcula verbo, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent, *ſicut nimirum inviſibiles rationes, ad quarum imitationem omnia fiunt. Plato in ideis, ut refert Cicero lib. 1. Academ. quæſt.* divinum quoddam eſſe *dixit*.

θ Ut ſecundum eas non cœlum aliquid fecerit.] *Licet enim cœlum habeat magnam vim activam, & in hæc inferiora influat, cum tamen ſit agens naturale, & non à propoſito neque per intellectum operetur, minime intelligi poteſt aliquid in his inferioribus per ideas producere.*

ι Sed etiam cœlum factum ſit.] *Locus, quo Plato docet cœlum factum eſſe ſecundum*

mundum exemplar, ſeu ideam, eſt in Timæo. Theodoretus ſerm. 4. θεραπευτ. καὶ τοί φησιν αὐτὸν θεὸν οὐρανὸν πρὸς τὸ νοητὸν δημιουργῆσαι παράδειγμα, Deum ipſum dicit Plato cœlum conſtruxiſſe ad intellectibile quoddam exemplar. *& citat locum Platonis,* λέγει δὲ οὕτως ἐν τῷ Τιμαίῳ, πότερον οὖν ὀρθῶς ἕνα οὐρανὸν εἰρήκαμεν, ἢ πολλοὺς, καὶ ἀπείρους ἦν λέγειν ὀρθότερον, ἕνα εἴπερ κατὰ τὸ παράδειγμα δεδημιουργημένος ἐστί· παράδειγμα δὲ οἶμαι λέγειν αὐτὸν ἢ τὸν θεὸν, ὡς ἕνα ἢ τὴν ἰδέαν, ἣν εἶναι ἔννοιαν τοῦ θεοῦ λέγει.

x Quod ſolidum quod conſtans.] *Quomodo Varro à ſe diſſentiat in interpretandis fabulis de diis pluribus oſtendit Theodoretus ſerm. 3.* θεραπευ. τὸν καπνὸν δὴ φυγόντες, *inquit,* εἰς τὸ πῦρ ἐμπεπτώκασιν. τοιοῦτος γὰρ δὴ τοῦ ψεύδους ὁ πλάνος, καὶ ἄν τις ταύτην διαφύγῃ τὴν ἀτραπὸν, εἰς ἑτέραν ἐμπεσεῖται χαλεπωτέραν.

CAP. XXIX.

Quod omnia quæ phyſiologi ad mundum parteſque eius retulerunt, ad unum verum Deum referre debuerunt.

NAnque omnia quæ ab eis ex iſtorum deorum theologia velut phyſicis rationibus referuntur ad mundum, quàm ſine ullo ſcrupulo ſacrilegæ opinionis Deo potius vero qui fecit mundum, omnis animæ & omnis corporis conditori tribuantur, advertamus hoc modo: Nos Deum colimus, non cœlum & terram, a α quibus duabus partibus mundus hic conſtat: nec animam vel animas per viventia * quæcunque diffuſas, ſed Deum qui fecit cœlum & al. quæq; terram, & omnia quæ in eis ſunt. β Qui fecit omnem animam, ſive quocunque modo viventem, & ſenſus & rationis expertem: ſive etiam ſentientem, ſive etiam intelligentem. b γ Et ut jam incipiam illa unius & veri Dei opera percurrere, propter quæ iſti ſibi dum quaſi honeſte conantur ſacramenta turpiſſima & ſceleſtiſſima interpretari, deos multos falſosque fecerunt. Illum Deum colimus qui naturis à ſe creatis & ſubſiſtendi, & movendi initia fineſque conſtituit, qui rerum cauſas habet, novit atque diſponit: qui vim ſeminum condidit: qui rationalem animam, quod dicitur animus, quibus voluit viventibus indidit: qui ſermonis facultatem uſumque donavit: qui munus futura dicendi, quibus placuit ſpiritibus impartivit: & per quos placet, futura prædicit. & per quos placet, malas valetudines pellit: qui bellorum quoque ipſorum, cum ſic emendandum & caſtigandum eſt genus humanum, exordiis, progreſſibus, finibuſque moderatur. Qui huius mundi ignem vehementiſſimum & violentiſſimum pro immenſæ naturæ temperamento, & creavit, & regit, qui univerſarum aquarum creator, & gubernator eſt: e qui ſolem fecit corporalium clariſſimum luminum, eique vim congruam & motum dedit. ς Qui ipſis etiam inferis dominationem ſuam, poteſtatemque non ſubtrahit: qui ſemina & alimenta mortalium, ſive arida ſive liquida naturis competentibus attributa ſubſtituit. ζ Qui terram fundavit atque fœcundat: qui fructus eius animalibus hominibuſque largitur: qui cauſas non ſolùm principales, ſed etiam ſubſequentes

quentes novit, atque ordinat: qui lunæ ſtatuit motum ſuum: qui vias cœleſtes atque terreſtres locorum mutationibus præbet. Qui humanis ingeniis, quæ creavit, etiam *γ* ſcientias artium variarum, ad adjuvandam vitam naturamque conceſſit. *δ* Qui conjunctionem maris & fœminæ ad adjutorium propagandæ prolis inſtituit: qui hominum cœtibus, quem focis & luminibus adhiberent, ad facillimos uſus, munus terreni ignis indulſit. Iſta ſunt certè quæ diis ſelectis, neſcio per quas phyſicas interpretationes, vir acutiſſimus atque doctiſſimus Varro, ſive quæ aliunde accepit, ſive quæ ipſe conjecit, diſtribuere laboravit.

L. Vivi. *a* QUibus duabus partibus.] *Sicut in exordio Geneſeos: In principio creavit Deus cælum & terram, quibus duobus mundus hic continetur, ut per cælum cæleſtia, per terram mortalia omnia intelligantur.*

b Et ut jam incipiam.] *Epilogo colligit vires deorum omnium, de quibus egit.*

c Qui ipſis etiam inferis.] *Job. 40. & 41. capit. de potentia dæmoniorum à Deo ipſis permiſſa.*

T. L. Coq. *α* QUibus duabus partibus hic mundus conſtat.] *Hæc quidem Varro non complete & integre univerſum conſtituit, quia tamen Moyſes in principio geneſis hæc duo tantum expreſſit ut principales partes mundi viſibilis & magis cognitas reliquis prætermiſſis, propterea hic dicit etiam mundum ex his duabus partibus conſtare.*

β Qui fecit omnem animam.] *Tres ſpecies animæ refert,* vegetantem, ſentientem & intelligentem: *quarum auctor Deus: ſed vegetantis & ſentientis ut cauſa prima, & univerſalis concurrens ad productionem plantarum vel animantium, quæ hujusmodi conſtant animabus, intelligentis vero ſeu rationalis immediate illam per ſe ipſum producendo & ex nihilo creando.*

γ Et ut jam incipiam.] *Colligit breviter vires & officia deorum, de quibus egit, ut oſtendat non ideo eſſe introducendam* πολυθεότητα: *his enim omnibus Deum unum ſufficere, cujus ſit infinita potentia nec in plures diviſa.*

δ Qui rationalem animam, quæ dicitur animus.] *Differunt alioqui quod animus ſit, quo agimus, anima, qua vivimus. Unde exſtat elegans verſus Synodii de Francis Carm. 5.*

—— Animoque ſuperſunt
Jam prope poſt animam.

Quo differant anima & animus, vide etiam Lactantium lib. de opif. Dei cap. 18.

ε Solem corporalium clariſſimum Lumen.] *Plato in Theæteto ſolem appellat* τὸ λαμπρότατον τῶν καθ' οὐρανὸν ἰόντων περὶ γῆν. Clariſſimum eorum aſtrorum, quæ in cœlo poſita circa terram volvuntur. *Hic ſuum lumen quoque ſyderibus fœnerat. Plinius lib. 2. nat. hiſt. cap. 5. Greg. Nazian. orat. 2. de Theologia, ſolem in ſenſilibus confert cum Deo in intellectualibus ex ipſo Platone; quod quemadmodum omnia intellectualia Deus illuſtrat, ita ſol omnia ſenſibilia. & orat. xx. in dominic.* Dei oculum, *ſolem appellat, ut qui omnia ſuo lumine illuſtret: & D. Ambroſio libro quarto. Hexamer. capite primo.* Sol mundi oculus, jucunditas

ditas diei, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præſtantia creaturæ dicitur. *Cur Deus Lunam ac reliqua aſtra à Sole lucem mutuari voluerit, rationem reddit D. Damaſcenus lib. 2. fidei orthod. ca.* Non quod Deus, *inquit*, ea in inopia verſaretur, ut proprium ipſis lumen dare non poſſet, verum ut concinnitas atque ordo rebus ipſis imponeretur, aliis videlicet imperantibus, aliis parentibus, ac nos quoque hinc mutuis connubiis jungi, noſtraque inter nos communicare diſceremus, ac primum quidem Deo conditori ac domino, deinde principibus ab eo conſtitutis obſequi, nec ſciſcitari quidnam cauſæ ſit, cur hic præſit, ego vero non, verum omnia, quæ divinitus contingunt, grato & æquo animo excipere.

ζ Qui terram fundavit atque fœcundat.] *Nam ab initio terræ ipſi vim producendi plantas, fructus, cæteraque ad vitam animantibus, hominique potiſſimum neceſſaria impertivit. Quam ſit benefica terra in omnia animantia, ac potiſſimum in hominem ipſum, docet Plinius lib. 2. cap. 63.* Terra, (*inquit*) cui uni rerum naturæ partum eximia propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis, ſic hominum illa, ut cœlum Dei, quæ nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper. *& Hippocrates*, Ἱερώτατον τὸν γῆς ἵδρυμα ἐξ ἧς ζῶα καὶ φυτὰ καὶ τροφαὶ καὶ φάρμακα καὶ τύχη καὶ ὁ πλοῦτος αὐτοῖς ἀναφαίρεται. i. Sacratiſſima terræ ſedes, è qua animalia & plantæ & alimenta & medicamenta, & fortuna atque opes ipſæ gignuntur.

η Etiam ſcientias artium variarum ad adjuvendum.] *Sunt enim artes ingenio humano excogitatæ, uſui ac victui humano neceſſariæ, merito autem creatori ipſi, à quo mens ipſa & ingenium humanum, artium inventio & munus tribuitur. Minervam autem inventricem Poetæ finxerunt: & artium inventores Deos habitos tradit Plinius lib. 17. cap. 9. & D. Chryſoſtom. Homil. 29. in Geneſim.* Vide (*inquit*) quomodo paulatim mundi ſtatus diſpenſatur, & quilibet juxta ſapientiam à Deo naturæ inditam initio artis alicujus inventor ſit, ſic in hanc vitam ſtudia artium inducta ſunt.

θ Qui conjunctionem maris & fœminæ ad adjutorium propagandæ prolis inſtituit.] *Ita idem lib. 9. de gen. ad lit. cap. 3. & cap. 4. 9.* Si quæritur, ad quam rem oportuerit fieri hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, ſicut adjutorium ſemini terra eſt, ut ex utroque virgultum naſcatur. *Hinc patet hæreticos eſſe, qui nuptias damnarunt, qui fuit error Encratitarum, quorum princeps fuit Tatianus diſcipulus Juſtini martyris, in quo errore etiam fuiſſe Marcionem teſtatur D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum.* Neque vero nos (*inquit*) Marcionis & Manichæi dogma ſectantes nuptiis detrahimus.

ι Munus terreni ignis indulſit.] *Multiplex hujus elementi uſus, ut non immerito dictus ſit* artium magiſter; *& naturæ adeo inſervit, ut Zeno teſte Cicero lib. 2. de nat. deor. crediderit naturam nihil aliud eſſe, quam ignem artificioſum.*

CAP. XXX.

Qua pietate diſcernatur à creaturis creator, ne pro uno tot dii colantur, quot ſunt opera unius autoris.

HÆc autem facit, atque agit unus verus Deus. Sed α ſicut idem Deus ubiq; totus, β nullis incluſis locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes ſectilis, γ ex nulla parte mutabilis, implens δ cœlum & terram ε præſente potentia, ζ non * abſente natura. Sic itaque adminiſtrat omnia quæ creavit, ξ ut etiam ipſa proprios exercere, & agere motus ſinat. η Quamvis enim nihil eſſe poſſit ſine ipſo, non tamen ſunt ulla, quod ipſe. θ Agit autem multa etiam per angelos, ſed nonniſi ex ſeipſo beatificat angelos. Ita quanvis propter aliquas cauſas hominibus angelos mittat: non tamen ex angelis homines, ſed ex ſeipſo, ſicut angelos beatificat. Ab hoc uno & vero Deo vitam ſperamus æternam.

al. indigente

L.Viv. ζ NOn abſente natura.] *In antiquis eſt: Non indigente natura, qualis eſt caterorum deorum, qui adjutoribus indigent.*

F.L.Coq. α SIcut Deus ubique idem totus.] *Ex ſcripturis id conſtat, D. Cyprianus, lib. de idololat. vanit.* Dei templum eſt totus mundus *id eſt*, Deus eſt totus ubique diffuſus. *D. Hilarius li. 1. de Trinit.* nullus ſine Deo locus eſt. *Hieronymus in c. 66 Eſai.* quomodo parvo concluderetur loco, qui omnia implet, & in quo ſunt omnia. *D. Auguſt. epiſt. 57. ad Dardanum.* Deus ubique præſens eſt ubique totus: *ſed in re manifeſta non opus eſt tot teſtimoniis.*

β Nullis incluſus locis.] *Quo ſenſu dictum à D. Paulo:* non in manufactis templis Deum habitare. *Hieronymus interpretans illa verba Eſaie,* cœlum mihi ſedes eſt, *&c.* Hoc, *inquit*, dicit, ut Judæorum convincat errorem, qui putant inviſibilem, & incorporalem & incomprehenſibilem Deum templo Hieruſalem poſſe concludi. *Bernardus lib. 5. de conſid. c. 6.* Incomprehenſibilis eſt Deus: ſed non parum apprehendiſti, ſi hoc tibi de Deo compertum eſt, quod nuſquam ſit, qui non clauditur loco, & tamen nuſquam non ſit, qui non excluditur loco.

γ Ex nulla parte mutabilis.] *Malach. 3.* Ego Deus & non mutor. *Jacob. 1.* apud quem non eſt transmutatio. *Numer. 27.* Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. *Pſal. 101.* Tu idem ipſe es & anni tui non deficient. *cap. firmiter de ſum. Trinit. 7. ex Concil. Lateranenſi idem explicatur. D. Auguſtin. libr. 5. de Trinit. cap. 2. egregie id docet ex illo. Exod. 3.* Ego ſum qui ſum. Quod mutatur, *inquit*, non ſervat ipſum eſſe, & qui mutari poteſt, & ſi non mutetur, poteſt quod fuerat non eſſe. Ac per hoc illud ſolum, quod non tantum non mutatur, verumetiam mutari non poteſt: ſine ſcrupulo occurrit quod dicatur eſſe.

δ Implens cœlum & terram.] *Hieremiæ 23.* Nunquit non impleo cœlum & terram dicit Dominus? *Ut intelligamus Deum nihil omnino latere, aut illius ſcientiam ſubterfugere.*

ε Præſente potentia non abſente natura.] *Qua lectio mihi placet, licet alii legant,* non indigente natura. *ut intelligamus, Deum non eſſe inſtar cujusdam magni principis, cujus cum potentia imperiumque longe pateat, ſit tamen ipſe certo ac definito loco circumſcriptus, quemadmodum cum magno Rege Perſarum Ariſtoteles l. de mundo Deum videtur conferre, qui liber fortaſſe non eſt Ariſtotelis, nec valet ex omni modo comparatio.*

ζ Ut etiam ipſa proprios exercere.] *Idem docet lib. 5. contra Julianum.* Neque Deus ita naturas creat, ut leges auferat, quas dedit natalibus cujusque naturæ. *Ex hoc loco facile arguitur error quorundam, qui voluerunt omnia immediate à Deo produci, licet ad præſentiam cauſarum ſecundarum, quam ſententiam confutat D. Thomas 1. p. qu. 105. artic. 5. In hac ſententia fuit Gabriel 4. ſentent. diſtinct. 1. artic. 1. Ubi putat effectum particularem non produci propriè à cauſa particulari, ſed à ſola Dei voluntate ad præſentiam cauſæ particularis.*

η Quamvis nihil eſſe poſſit ſine ipſo.] *Egregie D. Bernardus lib. 5. de conſiderat. c. 6.* Quid eſt Deus, *inquit*, ſine quo nihil eſt, tam nihil eſſe ſine ipſo, quam nec ipſa ſine ſe poteſt ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt; ac per hoc quod ipſe ſolus eſt, qui ſui ipſius eſt, & omnium eſt.

θ Agit multa etiam per Angelos.] *Id conſtat ex ſcriptura. Daniel. 7.* millia millium miniſtrabant ei. *Heb. 1.* Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi, *&c. Sodomitas, Ægyptios, Hebræos ſub Davide, Aſſyrios per Angelos percuſſit. Gen. 11. Exod. 2. 4. Reg. 19. videri poteſt D. Dionyſius lib. de cœleſti hierarch. c. 13. D. Gregorius li. 2. Moral. cap. 3. & Homil. 34. in Evangelia.*

CAP. XXXI.

Quibus propriè beneficiis Dei, excepta generali largitate, ſectatores veritatis utantur.

HAbemus α enim ab illo præter huiuscemodi beneficia, quæ ex hac, de qua nonnulla diximus, adminiſtratione naturæ bonis, malisque largitur, magnum, & bonorum proprium magnæ dilectionis indicium. Quanquàm enim, quod ſumus, quod vivimus, quod cœlum terramque conſpicimus, quod habemus mentem atque rationem, quæ eum ipſum, qui hæc omnia condidit, inquiramus, nequaquàm valeamus actioni ſufficere gratiarum: tamen quod nos oneratos obrutoſque peccatis, & à contemplatione ſuæ lucis averſos, ac tenebrarum id eſt iniquitatis dilectione cæcatos, non omnino deſeruit. β Miſitque nobis verbum ſuum, qui eſt eius unicus filius, quo pro nobis in aſſumpta carne nato, atque paſſo, γ quanti Deus hominem penderet, noſceremus, atque δ illo ſacrificio ſingulari à peccatis omnibus mundaremur, ε eiusque ſpiritu in cordibus noſtris dilectione diffuſa, omnibus difficultatibus ſuperatis in æternam requiem, & contemplationis eius ineffabilem dulcedinem veniremus. Quæ corda, quæ linguæ ad agendas ei gratias ſatis eſſe contenderint?

α Quantii

L.Theol. *a* QUanti Deus hominem penderet.] *Paulus ad Romanos 8. Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.*

F.L.Coq. *α* HAberemus ab illo præter ejusmodi beneficia.] *Quemadmodum Deus eſt cauſa naturalis & ſupernaturalis, author naturæ & gratiæ, ita beneficia, quæ in creaturas confert, alia quidem ſunt naturalia, alia vero gratuita: quod enim pluat ſuper bonos & malos, & Solem ſuum faciat oriri, quod de cælo Dei pluvia, & tempora fructifera, quod homo ſit, quod ſpiret, quod ratione ac mente utatur, beneficia ſunt naturæ homini jure creationis debita, alia vero ſunt beneficia gratiæ ex mera Dei liberalitate in homines collocata, ut* quod quis regnum cœlorum ſperet, *ait D. Gregorius orat. 27.* paremque cum Angelis honorem, gloriæ ſpeculationem nunc quidem in ſpeculis & ænigmatibus, tunc autem pleniorem & puriorem, quod filius Dei effectus ſit Chriſti coheres, & ſi ita loqui fas eſt, Deus ipſe factus, *& quanquam magna ſunt illa beneficia, hæc tamen longe excedunt. De utroque genere, Vide Gregorium Nazianzenum loco citato, Chryſoſtomum hom. 27. in Geneſ.*

β Miſitque nobis Verbum ſuum.] *Inter cætera beneficia gratiæ maximum fuit incarnatio Verbi, ut fuerit ſummum exemplum gratiæ, quemadmodum loquitur infra l. 10. c. 19.*

γ Quanti Deus hominem penderet.] *Joann. 3.* Sic Deus diligit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret. *Rom. 1.* Commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quia cum inimici eſſemus, *&c. Heb. 1.* nusquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.

δ Illo ſacrificio ſingulari à peccatis noſtris.] *Fuit enim paſſio Chriſti ſacrificium Deo acceptiſſimum in remiſſionem peccatorum generis humani. Apocalypſ. 1.* dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. *alibi,* ſanguis Jeſu Chriſti filii ejus emundat nos ab omni peccato. *1. Joan. 2.* Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam totius mundi.

ε Ejusque ſpiritu in cordibus noſtris.] *Dilectione diffuſa. Alludit ad illud Apoſtoli Roman. 4.* Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

ζ Quæ corda, quot linguæ.] *Eadem Chryſoſtomus loco citato.*

Cap. XXXII.

Quod ſacramentum redemptionis Chriſti nullis retro temporibus defuerit, ſemperq; ſit diverſis ſignificationibus prædicatum.

HOc myſterium vitæ æternæ jam inde ab exordio generis humani *α* per quædam ſigna & ſacramenta temporibus congrua, quibus oportuit *β* per angelos prædicatum eſt. Deinde *γ* populus Hebræus in unam quandam rempublicam, quæ hoc ſacramentum ageret, congregatus eſt, *a δ* ubi per quosdam neſcientes, id quod ex adventu Chriſti, *b ε* uſque nunc & deinceps agitur, prænunciaretur eſſe venturum. *ζ* Sparſa etiam poſt eadem gente per gentes *c η* propter teſtimonium ſcripturarum, *θ* quibus æterna ſalus in Chriſto futura prædicta

De Chriſto omnia compilata,

prædicta eſt. Omnes enim non ſolùm prophetiæ, quæ in verbis ſunt: nec tantum præcepta, vitæ quæ mores pietatemque conformant, atque illis literis continentur, verum etiam ſacra, ſacerdotia, tabernaculum, ſive templum, altaria, ſacrificia, ceremoniæ, dies feſti, & quicquid aliud ad eam ſervitutem pertinet, quæ Deo debetur, & Græcè proprie latria dicitur, ea ſignificata & prænunciata ſunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Chriſto & impleta credimus, & impleri cernimus, & implenda confidimus.

a UBi per quoſdam ſcientes, per quoſdam neſcientes.] *Propheta nec omnes ſua vaticinia intelligebant: nec qui intelligebant, omnia intelligebant. Non enim ex ſe loquebantur, ſed ex ſuperiore Dei afflatu, cuius conſilia non omnia erant eis manifeſta. utebaturq́; Deus illis non velut conſultis futurorum, ſed inſtrumentis, quibus homines alloqueretur. Et ſi negandum non eſt ſummam viſionum, hoc eſt, id quod prophetia omnes referebantur, eſſe illis à Deo patefactum, puta de Meſſia venturo. Gentiles quoque non omnia qua Sibylla & reliqui divino furore conciati prædicebant, exiſtimabant ab eis intelligi: ſine ratione enim & mente ea fundebant, nec ſui erant compotes: quippe qui exuti actione propria anima, pro anima Deum haberent. Idcirco Jamblichus ſacerdotes, Sibyllas & prophetas ait, quo prudentiores ſunt, magisq́; & ſobrij, & ſui compotes, eo minus obſcuriusq́; vaticinari. Tunc demum apertiſſimè & optimè prædicere futura, cum toti à Deo corripiuntur. Hac & alia ipſe in myſteriis.* L. Vives.

b Uſque nunc & deinceps agitur.] *Nondum enim finis eſt prophetiarum: & quanquam ſumma earum abſolvebatur in Chriſto, nihilominus tamen ex eo quadam naſcuntur, ad qua prophetarum oracula quadam peculiaria ſpectant, quale eſt illud non apud unum prophetam de reliquiis Iſrael, qua omnes in fine ſeculi ſervabuntur.*

c Propter teſtimonium ſcripturarum.] *Ut ſcripturas ſuas per orbem totum cunctasq́; gentes ſpargerent, quibus tam apertè, qua in Chriſto ſecuta ſunt, erunt prædicta, ut nemo eas legat, qui ſi Chriſti acta totamq́; vitam cognoſcat, dubitare non poſſit, quin ille ipſe ſit, de quo illa pracinuntur.*

α PEr quædam ſigna & ſacramenta.] *Id docet lib. 9. de Geneſ. ad Liter. cap. 18.* Sicut illud ſemen (*inquit*) cui promiſſum eſt, diſpoſitum eſt per Angelos in manu mediatoris, ſic omnia quæ ad ipſius ſeminis adventum vel prænuntiandum, vel annuntiandum in rerum natura præter uſitatum naturæ curſum mirabiliter facta ſunt, miniſtrantibus Angelis eſſe facta. *Ita formatam Evam ab initio ex latere Adami, quo præſignificarentur incarnationis myſteria, probabile eſt.* RL. Coq.

β Per Angelos prædicatum eſt.] *Myſterium itaque incarnationis ſtatim ab initio Angelis revelatum fuit, licet non omnes hujus myſterii particulares circumſtantias cognitas haberent. Conſtat id ex eodem, lib. 5. de Geneſ. ad Liter. cap. 19.* nec Angelos, *inquit*, latuit myſterium regni cœlorum: quod opportuno tempore revelatum eſt pro ſalute noſtra: qui ex hac peregrinatione liberati, eorum cœtui conjungimur: *Imo Adamum ipſum in ſtatu innocentia habuiſſe aliquam*

quam cognitionem per fidem, de hoc myſterio futuro docet D. Thomas 2. 2. quaeſt. 1. artic. 7. & colligitur etiam ex Apoſtolo ad Epheſ. 5. qui inſinuat Adamum, cum hæc verba proferret. Hoc nunc os ex oſſibus meis, *&c. intuentem in myſterium futuræ conjunctionis Chriſti cum Eccleſia hæc verba protuliſſe. Idem Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad Liter. cap. 19.* Illa extaſis, quam Deus immiſit in Adam, ut ſoporatus obdormiret, recte intelligitur ad hoc immiſſa, ut & ipſius mens per extaſim particeps fieret Angelicæ curiæ, & intrans in ſanctuarium Dei intelligeret myſteria noviſſima. *D. Hieronymus in epiſt. ad Epheſios, cap. 5. dicit, Adamum fuiſſe primum vatem, & his verbis,* propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, *hoc de Eccleſia prophetaſſe, quod reliquerit Dominus noſter atque ſalvator patrem ſuum Deum & matrem ſuam cœleſtem Hieruſalem, & venerit ad terras propter ſuum corpus Eccleſiam, & de ſuo eam latere fabricatus ſit & propter illam verbum caro factum ſit.*

γ Populus Hebraicus in unam quidem rempublicam quæ hoc.] *Ille populus, ex quo Chriſtus carnem ſumpturus erat, erat peculiariter cultui Dei conſecratus & à reliquis diſtinctus, & religione ac ceremoniis, adeoq; quicquid accidebat in illo populo umbram quandam præ ſe ferebat rerum futurarum. 1. Corinth. 10.* Omnia in figura contingebant illis. *Hinc fit, ut omnia fere quæ de illo populo in ſacris literis habentur, ut bella etiam, quæ geſſerunt, myſticè interpretentur, eo enim ordinabantur, ut futura, quæ pertinebant tum ad Chriſtum, tum ad Eccleſiam, nobis adumbrarent.*

δ Ubi per quoſdam ſcientes.] *Certum eſt nonnullos in eo populo, fidem habuiſſe novi teſtamenti & intellexiſſe ea, quæ fiebant, altiora myſteria ſignificaſſe. Ita Auguſtinus lib. 4. contra Fauſtum cap. 2. dicit illius temporis ſanctos & ſpirituales viros, Patriarchas, & Prophetas intellexiſſe revelante ſibi ſpiritu Dei quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas omnes res geſtas & dictas futura figuranda & prænuntianda decerneret, magisq; deſiderium eorum de novo teſtamento fuiſſe. Alij tamen (ut idem author eſt libr. 2. contra adverſ. Leg. & Prophet. cap. 7.) Chriſtum in his, quæ faciebant, non intelligebant. Prænunciabant etiam ventura Prophetæ ſcientes: nec enim tanquam arreptitij loquebantur, quæ fuit hæreſis Montani. Ideo Prophetæ dicebantur* videntes, *& prophetia dicitur* viſio. *Intelligentia opus eſt in viſione Daniel. 2. qui enim ſolam habet viſionem ſine intelligentia, ut Pharao & Nabuchodonozor, propheta minimè dicitur, Job. 32.* Inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam, *cum ſpiritu ſancto inſpirati loquantur prophetæ, certe intelligunt, quæ loquuntur.*

ε Uſque nunc & deinceps agitur.] *Non modo enim de Chriſto, verum & de corpore myſtico Eccleſiæ, & de illius ſtatu uſq; in finem ſæculi multa prædicta fuere à Prophetis.*

ζ Sparſa poſt eadem gente.] *Prout prædictum erat Pſal. 58.* Diſperge illos in virtute tua: *de quo plura infra lib. 18. c. 46.*

η Propter teſtimonium ſcripturarum.] *Ex ſcripturis enim veteris teſtamenti confirmatur maxime fides & religio Chriſtiana.* Habetis (*inquit Petrus*) firmiorem

rem propheticum ſermonem, cui benefacitis, attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. *Verum Gentiles poterunt objicere à Chriſtianis confictas eiuſmodi ſcripturas, propterea neceſſe erat diſpergi per omnes nationes quaquaverſum ſe Eccleſia protenderet, Judaicam gentem, quæ ſatis teſtaretur à nobis minimè confutatas eſſe. Inimici enim noſtri ſunt judices, ſed de hoc alias plura.*

h Quibus æterna ſalus in Chriſto.] *Ita 1. Petri 1.* De qua ſalute exquiſiverunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, quid de futura in vobis gratia prophetarunt.

i Nec tantum præcepta vitæ quæ mores.] *Veteris ſiquidem teſtamenti alia erant moralia, alia ceremonialia, & alia judicialia præcepta. Hæc ſunt præcepta, ceremoniæ atque judicia, quæ ab Hebræis diverſis nominibus ſignificantur* מצותחוקים ומשפטים *D. Auguſtinus lib. 6, contra Fauſtum cap. 2. hæc præcepta, quæ mores pietatemq; informant, vocat præcepta vitæ agendæ, quæ in novo ac in veteri teſtamento vim habent obligandi, cum ſint præcepta legis naturæ, reliqua duo præcepta vitæ ſignificandæ. Ad hoc enim præcipiebantur tot ceremoniæ, ut his ſignificarentur, quæ in Chriſto & in Eccleſia erant adimplenda. Præcepta vitæ agendæ etiam fuiſſe ſigna futurorum docet lib. 4. contra Fauſtum cap. 2.* Illorum hominum lingua, *inquit*, non tantum, ſed & vita prophetia fuit. *Lib. 22. contra eundem cap. 24.* Hoc dico, *inquit*, illorum hominum non tantum liguam, verum etiam vitam fuiſſe prophetiam, totumque illud regnum gentis Hebræorum magnum quendam quia & magni cuiusdam fuiſſe prophetam. Quocirca quod ad eos quidem attinet, qui illic erant eruditi corde in ſapientia Dei, non ſolum in iis, quæ dicebant, ſed etiam in iis quæ faciebant; quod autem ad cæteros ſimul omnes illius gentis homines, in iis, quæ in illis, vel de illis divinitus fiebant, prophetia venturi Chriſti & Eccleſiæ perſcrutanda eſt. *Et Tertullianus*, Prophetatum eſt *(inquit)* non tantum verbis, ſed & operibus.

k Verum etiam ſacra ſacerdotia.] *Quomodo ceremoniæ veteris legis dividerentur in ſacrificia, ſacramenta, ſacra & obſervantias, vide D. Thomam 1. 2. q. 101. art. 4. & de eorum omnium ſignificatione, qua ratione ea ſignificarent, quæ ad Chriſtum & Eccleſiam pertinent, vide per totam quæſtionem 102.*

Cap. XXXIII.

Quod per ſolam Chriſtianam religionem manifeſtari potuerit fallacia ſpirituum malignorum de hominum errore gaudentium.

PEr hanc *α* verò religionem unam & veram, *β* potuit aperiri deos gentium eſſe immundiſſimos dæmones, ſub defunctarum occaſionibus animarum, vel creaturarum ſpecie mundanarum deos ſe putari cupientes, & quaſi divinis honoribus eiſdemque ſceleſtis ac turpibus rebus ſuperba impuritate lætantes, atque ad verum Deum converſionem humanis animis invidentes. Ex quorum immaniſſimo & impiiſſimo dominatu homo liberatur, cum credit in eum qui præbuit ad exurgendum *γ* tantæ humilitatis exemplum, quanta illi ſuperbia ceciderunt. Hinc ſunt non ſolùm illi, de quibus multa jam diximus: & alii

atque alii ſimiles cæterarum gentium atque terrarum, ſed etiam hi, de quibus nunc agimus tanquam in ſenatu deornm ſelecti: ſed planè ſelecti nobilitate criminum, non dignitate virtutum. Quorum ſacra Varro, dum quaſi ad naturales rationes referre conatur, δ quærens honeſtare res turpes, quomodo his quadret, & conſonet, non poteſt invenire: quoniam non ſunt ipſæ illorũ ſacrorum cauſæ, quas putat, vel potius vult putari. Nam ſi non ſolùm ipſæ, verum etiam quælibet aliæ huius generis eſſent, quanvis nihil ad Deum verum vitamq; æternam, quæ in religione quærenda eſt, pertinerent: tamen qualicunque de rerum reddita ratione, aliquantulum mitigarent offenſionem, quam non intellecta in ſacris aliqua velut turpitudo aut abſurditas fecerat: ſicut in quibuſdam theatrorum fabulis vel delubrorum myſteriis facere idem Varro conatus eſt. Ubi non theatra delubrorum ſimilitudine abſolvit, ſed theatrorum potius ſimilitudine delubra damnavit: tamen utcunque conatus eſt, ut ſenſum horribilibus rebus offenſum, velut naturalium cauſarum ratione reddita, deliniret.

F.L.Cap. α PEr hanc religionem unam & veram.] *Quia unus & verus Deus colitur. Neque enim ut docet lib. 1. de vera relig. cap. 15. in confuſione Paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore ſchiſmaticorum, neque in cæcitate Judæorum quærenda eſt religio, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici nominantur, hoc eſt, integritatis cuſtodes & recta ſervantes.*

β Potuit aperiri Deos Gentium.] *Ita Euſebius lib. 6. cap. 3.* Simul atque piiſſima, atque pacificentiſſima Salvatoris noſtri doctrina apparuit, multorum cultus deorum labebantur.

γ Tantæ humilitatis exemplum.] *Matth. 1.* diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.

δ Quærens honeſtare res turpes.] *Atqui ut oſtendit Athanaſius orat. contra Gentes, Gregorius Nazianzenus orat. in Julianum, Theodoretus ſermone 7. Θεραπευτικῶν mythologia ipſa & allegoria ipſis fabulis ſunt obſcuriores & ſtultiores; quin eas delirantium ſomnia appellavit Cicero.*

CAP. XXIV.

De libris Numæ Pompilii, quos ſenatus ne ſacrorum cauſæ, quales in eis habebantur innoteſcerent, juſſit incendi.

SEd contra invenimus, ſicut ipſe vir doctiſſimus prodidit de Numæ Pompilii libris, redditas ſacrorum cauſas, nullo modo potuiſſe tolerari: nec dignas habitas quæ non ſolùm lectæ innoteſcerent religioſis, ſed ſaltem ſcriptæ reconderentur in tenebris.. Jam enim dicam, quod in tertio huius operis libro, me ſuo loco dicturum eſſe promiſeram. α Nam α ſicut apud eundem Varronem legitur in libro de cultu deorum: β Terentius quidam, cum * haberet ad Janiculum fundum, & γ bubulcus eius juxta ſepulchrum Numæ Pompilii trajiciens aratrum, eruiſſet ex terra libros eius, ubi ſacrorum inſtitutorum ſcriptæ erant cauſæ, *b* in urbem pertulit ad prætorem. At ille cum inſpexiſ-

al. ara ver.

ſet

ſet principia, rem tantam detulit ad ſenatum. Ubi cum primores quaſdam cauſas legiſſent, cur quidque in ſacris fuerit inſtitutum, Numæ mortuo, ſenatus aſſenſus eſt, eosq; libros tanquam *c* * religioſi patres conſcripti, *d* prætor ut combureret, cenſuerunt. Credat quisque quod putat, imò verò dicat, quod dicendum ſuggeſſerit veſana contentio, quilibet tantæ impietatis defenſor egregius. Me admonere ſufficiat, ſacrorum cauſas à rege Pompilio Romanorum ſacrorum inſtitutore conſcriptas, nec populo, nec ſenatui, nec ſaltem ipſis ſacerdotibus innoteſcere debuiſſe, ipſumque Numam Pompilium curioſitate illicita, ad ea dæmonum perveniſſe ſecreta, quæ ipſe quidem ſcriberet, ut haberet, unde legendo commoneretur. Sed ea tamen cum rex eſſet, qui minimè quenquam metueret, nec docere aliquem, nec delendo nec quoquo modo conſumendo perdere auderet: ita quod ſcire neminem voluit, ne homines nefaria doceret: violare autem timuit, ne dæmones iratos haberet: obruit, ubi tutum putavit, *d* *e* ſepulchro ſuo propinquare aratrum poſſe non credens. Senatus autem cum religiones formidaret damnare majorum, & ideo Numæ aſſentire cogeretur, illos tamen libros tam pernicioſos eſſe judicavit: ut nec obrui rurſus juberet, ne humana curioſitas multò vehementius rem jam proditam quæreret, ζ ſed flammis aboleri nefanda monimenta, ut quia jam neceſſe exiſtimabant ſacra illa facere, tolerabilius erraretur, cauſis eorum ignoratis quàm cognitis civitas turbaretur.

a NAm ſicut apud eundem Varronem.] *Hiſtoria eſt apud Livium. & Valerium, & Plinium, & Lactantium Livius & hunc, ut aſſolet, ſecutus Valerius, L. Patilium dicunt inveniſſe libros Plin. Caſſi Heminæ autoritate Gn. Terentium, & unam arcam, non duas. Livius conſules eo anno ſcribit C. Bebium Pamphilum, & M. Æmilium Lepidum. Hemina pro hoc P. Cornelium Cethegum habet, & hos anno poſt Numæ regnum 535. De libris opiniones multorum ſcire qui cupit, Plinium adeat lib. 13. cap. 13.* L. Vives

b In urbem pertulit ad prætorem.] *Q. Patilium convenit ſic vocatum, ſed alij petiiſſe prætorem legendos ajunt, alij ſcribam ſuapte ſponte tuliſſe. Hiſtoria eſt lib. 40. Livij. & apud Plinium & Valerium lib. 1. Satis eſt locos indicaſſe. In urbem pertuliſſe ait, tametſi Numæ ſepulchrum in urbe erat, nempe regione 14. in Janiculo: ſed quod ea Tranſtyberina erat, qui ad forum & curiam veniebant in urbem, rure videbantur venire.*

c Tanquam religioſi patres.] *Quaſi metu aliquo tangerentur religionis, ne illa evulgarentur, quæ ibi erant ſcripta. Quod periculum eſſet religionibus ab illis ſi notiora fierent. Alibi legitur, libros religioſos. q. religionem incutientes animis: id eſt, ſcrupulos in religione, quod vulgo dicimus perturbari conſcientias. Hoc eſt enim Latinè religionem injicere: niſi quis malit legere irreligoſis.*

d Sepulchro ſuo.] *Sepulchrorum vetuſtiſſima fuit religio, ne quis violaret, dejiceret, frangeret, quæ lex non modo in xij. fuit, & in Solonianis, ſed etiam in antiquiſſimis Numæ, ac Latinorum Græcorumq; : quæ non tam ad jus civile profanum, quàm ad ſacra, religionesq; pertinere videbatur, quod ſepulchra velut templa*

* al. religioſos libros.

quadam eſſe deorum manium exiſtimarentur. Ideoq́ inſcribebatur in eis D.M.S. id eſt, diis manibus ſacrum, & quæ illis celebrarentur ſacra Necya ſunt dicta Cicero 2. de legibus.

F.L.Co.9 α Sicut apud Varronem legitur.] *Exſtat & hæc hiſtoria apud T. Livium libro 40. A. V. C. 572. Plutarchum in Numa, Valerium libro 1. capit. 1. Plinium lib. 13. capit. 13. Meminit & Lactantius lib. 1. cap. 22.*

β Terentius quidem.] *Ita habet Plinius, alii habent L. Petilium ſcribam inveniſſe libros.*

γ Bubulcus ejus juxta ſepulchrum Numæ.] *Referunt hiſtoria Romana extra urbem trans Tiberim ſub Janiculo Numam fuiſſe ſepultum duabus arcis lapideis factis, quarum in altera corpus ejus conditum: in altera ſacrorum legumque politici ac rituales libri ab ipſo conſcripti claudebantur, ex antiquorum legislatorum more, qui tabulas ſuas monumento ſuo inferre conſueverant ut Plutarchus auctor eſt.*

δ Prætor ut combureret cenſuerunt.] *Lactantius loco citato.* Qua re ad ſenatum delata decretum eſt, ut hi libri comburerentur, ita eos Q. Pætilius Prætor urbis in concione populi concremavit, inſipienter id quidem: Quid enim profuit libros eſſe combuſtos? cum hoc ipſum, quod ſint ideo combuſti, quod religionibus derogabant: memoriæ ſit traditum.

ε Sepulchro ſuo propinquare aratrum non credent.] *Non factum id imprudentia bubulci aratoris, quia terra proſciſſa duas arcas & non ſolam unam eruit, ſed alluvie vehementiſſimorum imbrium qui tumulum perrupere, idque quadringentis fere annis poſt obitum Numæ, Plurtarchus in Numa. Platonis lex erat lib. 12. de ll.* ut ſepulchra fierent in locis nullo modo excultis neque ad agriculturam aptis, ſed is locus defunctorum corpora maxime reciperet; qui ad cætera inutilis, nullo ſuperſtitum incommodo aut dolore mortuorum corpora exciperet, neque enim à vivis neque à mortuis telluris fœcunditatem impediendam eſſe: & tam Romana lege quam Solonis, ne quis alienum buſtum violaret, gravisſima pœna fuit interdictum. *Merito igitur exiſtimare debuit Numa ſepulchro ſuo aratrum appropinquare non poſſe. Tertullian. in Apolog. cap. 37. requiem ſepulturæ tanquam aſylum quoddam mortis appellat, & in C. Theodoſ. lib. 9. Tit. 17. de ſepulchris violatis, & in C. Juſtiniani lib. item 9. Tit. 19. de ſepulc. viol. & D. lib. 42. Tit. 12. D. de ſepulc. viol. Multæ leges exſtant, quibus ſepulchrorum violatoribus pœna cum civilis, tum criminalis infligitur, & maleficis affines erant ſepulcrorum violatores, læſarum religionum rei. Et Tacitus lib. 3.* grave crimen læſarum religionum *appellat. Eſt etiam de ſepulcro violato actio popularis in 100. vel 200. aureos ceſſantibus his, quorum intererat. Eſt & publicum judicium, l. 8. D. de ſepulc. viol. videri poteſt Alex. ab Alex. lib. 6. c. 14.*

ζ Sed flammis aboleri nefanda monimenta.] *Impiorum libros, & eos omnes qui legentium animis nocere poſſunt, nedum Christiana religio, ſed Gentilium quoque cenſura damnandos, corrumpendos, ignique tradendos jure meritoque judicati. Sicut Plato Poetarum libros, qui de diis minus religioſe loqui videbantur,*

exſtir-

exſtirpandos rejiciendosque lib. 7. de ll. cenſuit. Eadem ratione religionis Numæ Pompilii Prætor ad Senatum Romanum detulit, ubi juſſi ſunt comburi, ne religioni officerent. Noluerunt priſci viri, *ait Valerius lib. 1. c. 1.* quicquam in hac civitate aſſeverari, quo hominum animi a deorum cultu avocarentur. *Ulpianus in l. cateræ D. famil. erciſ. ait libros improbatæ lectionis protinus corrumpendos eſſe. Protagoræ libros, in quibus dicebat ſe dubitare, an eſſet ulla divinitas, Athenienſes in concione exuſſerunt, ut Cic. lib. 1. de nat. deor. Lactantius lib. 1. de ira Dei, cap. 9. teſtantur. Auguſtus duo millia fatidicorum librorum concremavit, ut Suetonius in eodem Auguſto cap. 31. & Dio. l. 54. author eſt. Eodem conſilio Christiani principes libros noxios perſæpe damnarunt. Exſtat lex Conſtantini Imp.* ſi qua conſcriptio ab Arrio facta reperiatur, igni tradatur, ut non ſolum prava ejus doctrina depereat, ſed neque ulla poſſint ej[illegible] remanere commenta. Hoc etiam præcipio, *inquit*, ſi quis ſcriptionem Arr[illegible] celaſſe reperietur, & non repente proferens igni conſumpſerit, mortis ſupp[illegible]cio ſubjacebit. *hiſt. tripartit. lib. 2. c. 15. l. quicunque C. de hæret. & Manich. Imp. hæreticorum libros incendio abſumi jubent, ut facinoroſæ perverſitatis veſtigia flammis combuſta depereant. C. eod. Tit. Theod. l. damn.* [illegible] Impios libros Neſtorii ſcriptos habere, aut legere, aut deſcrib[illegible] [illegible]nos diligenti requiri ſtudio & publice comburi decernimus. *J[illegible] [illegible] conſtitutione quadam ſic ſtatuit.* Hæreticorum libri comburantur à poſſidentibus, niſi qui illos habent, velint periculum pati, *& paulo poſt:* amputatio manus his, qui illos ſcribunt, pœna erit. *refertur in Synodo Conſtantinopol.*

CAP. XXXV.

De hydromantia, per quam Numa, viſis quibusdam dæmonum imaginibus, ludificabatur.

NAm & ipſe Numa, *a* ad quem nullus Dei propheta, nullus ſanctus Angelus mittebatur, *a β* hydromantiam facere compulſus eſt: ut in aqua videret imagines deorum, vel potius ludificationes dæmonum, à quibus audiret, quid in ſacris conſtituere atque obſervare deberet. *γ* Quod genus divinationis idem Varro à Perſis dicit allatum, *δ* quo & ipſum Numam, *b* & poſtea Pythagoram philoſophum uſum fuiſſe commemorat: ubi adhibito ſanguine etiam inferos perhibet ſciſcitare: * & νεκυομαντείαν Græcè dicit vocari, quæ ſive hydromantia, *ε* ſive necromantia dicatur, idipſum eſt, ubi videntur mortui divinare. Quibus hæc artibus fiant, ipſi viderint. Nolo enim dicere has artes etiam ante noſtri ſalvatoris adventum in ipſis civitatibus *ζ* gentium legibus ſolere prohiberi, & pœna ſeveriſſima vindicari. Nolo inquam hoc dicere: fortaſſis enim talia tunc licebant. *η* His tamen artibus didicit ſacra illa Pompilius, quorum ſacrorum facta prodidit, cauſas obruit: ita timuit, & ipſe quod didicit, quarum cauſarum proditos libros ſenatus incendit. Quid mihi ergo Varro illorum ſacrorum alias neſcio quas cauſas velut phyſicas interpretatur: quales, ſi libri illi habuiſſent, non utique arſiſſent; aut & iſtos *c* Varronis

* *al. ſuſcitari.*

tonis *b* ad Cæſarem pontificem ſcriptos, atque editos, patres conſcripti ſimiliter incendiſſent? Quod ergo *c* aquam egeſſerit, id eſt, exportaverit Numa Pompilius. Unde hydromantiam faceret, ideo *d* nympham Ægeriam conjugem dicitur habuiſſe, quemadmodum in ſupradicto libro Varronis exponitur. Ita enim ſolent res geſtæ aſperſione mendaciorum in fabulas verti. In illa igitur hydromantia curioſiſſimus ille rex Ro. & ſacra didicit, quæ in libris ſuis pontifices haberent:& eorum cauſas,quas præter ſe neminem ſcire voluit. Itaque eas ſeorſum ſcriptas ſecum quodammodo mori fecit, quando ita ſubtrahendas hominum notitiæ, ſepeliendaque curavit. Aut ergo dæmonum illic tam ſordidæ & noxiæ cupiditates erant conſcriptæ, ut ex his tota illa theologia civilis etiam apud tales homines execrabilis appareret, qui tam multa in ipſis ſacris erubeſcenda ſuſceperant: aut illi omnes nihil aliud quàm homines mortui prodebantur, quos tam prolixa temporis vetuſtate ferè omnes populi gentium deos immortales eſſe crediderant, cum & talibus ſacris iidem illi dæmones oblectarentur, qui ſe colendos pro ipſis mortuis, quos deos putari fecerant, quibusdam fallacium miraculorum atteſtationibus ſupponebant. Sed occulta Dei veri providentia factum eſt, ut & Pompilio amico ſuo illis conciliati artibus, quibus hydromantia fieri potuit, cuncta illa confiteri permitterentur: & tamen ut moriturus incenderet ea potius quàm obrueret, admonere non permitterentur: qui ne innoteſcerent, nec aratro, quo ſunt eruta obſiſtere potuerunt, nec ſtylo Varronis, quo ea,quæ de hac re geſta ſunt, in noſtram memoriam pervenerunt. Non enim poſſunt quod non ſinuntur efficere. Sinuntur autem alto Dei ſummi juſtoque judicio pro meritis eorum, quos ab eis vel affligi tantum, vel etiam ſubjici, ac decipi juſtum eſt. Quàm verò pernicioſæ vel à cultu veræ divinitatis alienæ illæ literæ judicatæ ſint, hinc intelligi poteſt, quod eas maluit ſenatus incendere, quas Pompilius occultavit, *e* quàm timere quod timuit, qui hoc timere non potuit. Qui ergo nec fœlicem in futuro vitam, nec modo habere vult piam, talibus ſacris mortem quærat æternam. Qui autem cum malignis dæmonibus non vult habere ſocietatem,non ſuperſtitionem,qua coluntur noxiam: pertimeſcat,ſed veram religionem, qua produntur & vincuntur, agnoſcat.

L. Vives. Divinationum genera

a HYdromantiam facere.] Τὸ ὑδρομαντία *ad verbum eſt aqua divinatio. Multis enim modis fiebat olim divinatio. Nam vel ex terra petebatur & erat geomantia; vel ex igne, & pyromantia, quæ eadem igniſpicina: cuius autor, ut inquit Plinius, Amphiaraus. Vel ex fumo, quæ capnomantia: vel ex avibus, quæ auguria: vel ex extis, quæ aruſpicina, in qua multum Ethruſci valuerunt, & Janus apud Heleos Apollinis filius: & poſt eum Thraſybulus. qui canem inſpiciebant ſectum jecur oſtendentem. Vel ex cribro, quæ coſcinomantia: vel ex ſecuribus, quæ axinomantia: ex herbis, botanomantia ſagarum ars: vel ex mortuis, quæ necromantia ſeu necyomantia: vel ex aſtris, quæ aſtronomia, in qua qui peritiſſimi dicuntur Chaldæi, etiam ſi in Chaldæa non ſint nati. Ex ſortibus, cleronomantia: ex manuum lineamentis, chiromantia: ex facie ipſa & ſilo totius corporis, phyſiognomia:*

nomia: vel ex piſcibus, quæ ichthyomantia, quæ objecta eſt Apuleio: vel ex palpitatione oculorum, quæ ſaliatio, & palmicum augurium. Tum ſomniorum conjecturæ, & omnia quæ latiſſimè patebant, ad viſa, & audita, in quis erant fulgura, & fulgetræ, monſtra, voces, ſternutamenta. Jam dæmonum evocandorum mille artes, quas ſatius eſt ne nominari quidem. Hydromantiam ad ultimum reſervavi, quoniam agimus de ipſa, ea non fit ſimpliciter, nam & in ampulla vitrea impoſita aqua, quæ à puero inſpicitur, quam gaſtromantiam dicunt, à tumore & ventricoſitate ampullæ. Tum & in pelvim aqua infuſa, quæ lecanomantia. Huius peritiſſimos tradit Strabo eſſe in Aſia illa, & plurimos. Michael Pſellus de dæmonibus idem affirmat, ac quomodo fiat, docet: dæmonibus in fundo repentibus, ſonitumq; levem exilemq; emittentibus, ac obſcurum, ne plenè poſſit percipi, nec mendacia deprehendi, ſed quicquid eveniat, hoc putentur dixiſſe. Inſpectabant & in fontibus pleriq;, indeq; imaginibus oblatis videre ſibi futura videbantur. Sic Pauſanias apud Æginenſes Achaiæ ſcribit, templum eſſe Cereris, at fontem proximum, in quem ægri poſt peracta ſacra deſpectantes morbi valetudiniſq; exitum vident. Jamblichus Colophoni ſubterraneum fuiſſe locum narrat, in quo fons erat, de quo ſacerdos ſtatis noctibus ſacris operatus guſtabat, reddebaturq; inviſibilis, & conſulentibus reſponſa dabat. Idem ſcribit in Branchide, fatidicam mulierem ſolitam in axe ſedere, aut manu virgulam tenere ab aliquo deorum datam, aut pedem limbumve in aquam tingere, vel ex aqua hauſtulum ſorbere, hiſq; modis divino afflatu impleri. Apuleius in Apologia de magia, Varronem ſcribit narrare, Trallibus de eventu Mithridatici belli magica percontatione conſulentibus, puerum in aqua ſimulachrum Mercurij contemplantem, quæ futura erant, clx. verſibus ceciniſſe. Sed credo quatenus pueri meminit, de gaſtromantia intelligi. Hoc ultimo divinandi genere fonte inſpecto uſus eſt Numa. Plutarch. in Cæſare mulieres fuiſſe tradit in Germania, quæ ex fluminum curſu vorticibus, & ſtrepitu futura conjicerent.

b Et poſtea Pythagoram.] *Optimè obſervata ratione temporum. Nam multis annis obiit Numa ante Pythagoram natum. Contra quoſdam, qui Pythagoram ab illo auditum ferunt: quos ſecutus eſt Ovidius. Sed poetæ hoc dicere non erat tam turpe, quàm hiſtorico.*

c Varronis ad Cæſarem pontificem.] *C. Cæſar dictator pont. maximus fuit, ad quem Varro de antiquitatibus ſcripſit.*

d Nympham Ægeriam.] *Hanc ſunt qui putent ex Muſis unam fuiſſe, unde lucus ille in quo erat dea, Camœnarum dicebatur. Alij nympham fontium fuiſſe, verſamq; à Diana in fontem poſt Numæ mortem. Ovidius 15. Metamorph. ab egerendo eſſe dictam illud quoq; eſt argumento, quod ei prægnantes ſacrificabant, quod facilè conceptum alvum egerere exiſtimaretur, ut ſcribit Feſtus.*

e Quam timere quod tim.] *Timere quod extimuit Numa, qui auſus non eſt ea volumina comburere, ne dæmonum iram in ſe concitaret.*

a AD quem nullus Dei propheta.] *In eum enim quadrat optime quod de Socrate, & Platone & aliis philoſophis habet author lib. 2. de vera religio. c. 2.* Non ſic iſti nati erant, ut populorum ſuorum opinionem ad verum cultum

veri Dei à ſimulachrorum ſuperſtitione, atque ab hujus mundi vanitate converterent.

β Hydromantiam facere compulſus eſt.] Hydromantia *eſt* divinatio per aquam, *qua uſum ait fuiſſe Numam Pompilium in conſtituendis ſacris Romanorum, quod illi oracula prophetarum deeſſent. Pſellus lib. ſuo de dæmon. cap. ult. ſcribit, Dæmones in aqua apparere ſolere, & uti voce quadam tenui & humili, ut ea ratione minus intelligantur. Pauſanias in Achaicis nonnihil de hoc divinationis genere, ubi etiam refert, in Achaia propter templum Cereris fuiſſe fontem, in quo per hanc divinationem ſinguli videbant exitus morborum, quibus laborabant.*

γ Quod genus divinationis idem Varro dicit à Perſis allatum.] *Apuleius libro primo Apolog. magiam illam ſuperſtitioſam, quæ tota cultum falſorum deorum tradebat, Perſis adſcribit. Magos Perſarum futura prædixiſſe ac deorum voluntatem prodidiſſe. Cicer. libro primo, de divin. teſtis eſt locuples.* In Perſis *(inquit ille)* augurantur & divinant Magi, qui congregantur in fana commentandi cauſa atque inter ſe colloquendi. *Strabo lib. 16. Priſcis temporibus* μάντεις *ſeu vates in pretio fuiſſe ſcribit, cujusmodi erant Magi apud Perſas,* Παρὰ δὲ τοῖς Πέρσαις *(ait)* οἱ μάγοι οἱ νεκρομάντεις καὶ ἔτι οἱ λεγόμενοι λεκανομάντεις καὶ ὑδρομάντεις. *Lucianus in Macrobicis magis vocat* γένος μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον. *Nam veriſimile eſt, hujusmodi divinationis genus à Perſis emanaſſe.*

δ Quod ipſum Numam & poſtea philoſophum Pythagoram.] *Pythagoram adiiſſe Magos Perſarum, à quibus fortaſſè hoc divinationis genus & has ſuperſtitiones didicerit, auctor eſt Cicero lib. 5. de fin. & Plinius lib. 30. cap. 1. Ex hoc loco facile colligitur, Pythagoram poſteriorem Numa rege fuiſſe, fallique eos, qui Numam volunt à Pythagora fuiſſe edoctum. Unde vero nata ſit illa opinio, docet Cicer. 4. Tuſcul. Arbitror propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque Regem à poſterioribus Pythagoreum exiſtimari: nam cum Pythagoræ diſciplinam & inſtitutæ cognoſcerent, Regisque ejus æquitatem & ſapientiam à majoribus ſuis accepiſſent, ætates autem & tempora ignorarent propter vetuſtatem, eum qui ſapientia excelleret, Pythagoræ auditorem fuiſſe cenſuerunt; ubi etiam docet, Pythagoram fuiſſe in Italia temporibus iiſdem, quibus L. Brutus patriam liberavit. Eodem accedit quod habet Dionyſ. lib. 2.* Videntur mihi qui hoc ſcripſerunt *(inquit)* occaſionem ſumpſiſſe duabus ex rebus confeſſis, Pythagoræ habitatione in terra Italia, & ſapientia Numæ uno omnium ore celebrata: atque ita contexuiſſe hæc, & feciſſe eum Pythagoræ diſcipulum, non conſiderantes, an eodem vixerint tempore. *Ubi docet, non paucis annis, ſed totis quatuor ætatibus Pythagoram Numa fuiſſe poſteriorem. Hic enim circa medium 16. Olympiadis regno potitus eſt, Pythagoras verò poſt quinquageſimam demum Olympiadem docuit in Italia. Tit. Livius etiam lib. 1. hanc opinionem refutat. Quod ergo D. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum extremis verbis ſcribit, Numam imitatum eſſe Pythagoræ continentiam, vel certè lapſus eſt, vel de Pythagora quodam Spartiata, non Samio intelligendus eſt, ut vult M. Victorinus.*

ε Sive Necromantia dicatur.] *Necromantia, quæ fiebat evocatis ad ſua cada-*

vera ſpiritibus, cujus duas faciunt partes, Necyomantiam & Sciomantiam : necyomantiam *vocabant*, cum ad recens cadaver calido ſanguine oppletum umbræ vel dæmon aliquis magicis carminibus evocatus, per os ipſius cadaveris futura prædicebat. *Hujusmodi Necyomantiam depingit Lucanus lib. 6. ubi miles quidam recenter occiſus fingitur à Theſſalica quadam malefica revocatus ad vitam, & Sexto Pompejo Pharſalici belli eventum prædicens.* Sciomantiam *autem vocabant*, cum evocata tantum umbra futura dicebat. *Fieri ergo ſolebat per umbras, aut cadavera mortuorum, & ſciomantia quidem ſola perficiebatur invocatione, necyomantia vero ordinarie non niſi cum ſanguinis effuſione. Ideoque Appollonius Thyanæus ut ſe peritiorem aliis oſtenderet, referente Philoſtrato lib. 4. negabat, ſe ſanguinem libaſſe. Recte monet Tertullianus lib. de anima, cap. 57. non umbras defunctorum, ſed earum loco dæmones apparere, dæmones operari ſub obtentu animarum. Item omnem incorporalem corporum exhibitionem præſtigias eſſe. De ea fortaſſe etiam locutus eſt in Apologet. cap. 13.* Magi phantaſmata edunt, & jam defunctorum conclamant animas. *Illa utebantur Chaldæi. ita Theodor. lib. 10.* θεραπευ. σηγᾶ. καὶ ἡ τῶν Χαλδαίων, καὶ Τυῤῥηνῶν νεκυία.

ζ Gentium legibus ſolere prohiberi.] *Cicero 1. Tuſcul. has artes improbat.*

η His tamen didicit ſacra illa.] *Ipſi dæmones has artes docuerunt eos, à quibus evocarentur. Euſ. lib. 5. præp. Evang. c. 7.*

θ Ad Cæſarem Pontificem ſcriptos.] *A. V. C. 691.* Pontifex Maximus Cæſar renunciatus eſt. *Suetonius c. 13. Lactant. lib. 1. c. 6.* in libris, *inquit*, rerum divinarum, quos ad C. Cæſarem Pontificem ſcripſit.

ι Quod aquam egeſſerit.] *i. exportaverit. Feſtus Pompejus* Egeriam *ab* egerendo partis *dictam vult, ob id quod à mulieribus colebatur.*

κ Nympham Egeriam conjugem.] *Numa Pompilius ut pop. Romanum ſacris, quæ inſtituerat, obligaret, volebat ſibi videri cum dea Egeria congreſſus eſſe nocturnos, ejusque monitu accepta à diis immortalibus ſacra inſtituere. Liv. li. 1. Plutarch. Dionyſ. Valer. l. 5. cap. 3. Cicer. 1. de ll. Ovid. 3. Faſto.*

Ægeria eſt, quæ præbet aquas dea grata camœnis :
Illa Numæ conjux conſiliumque fuit.

Lactantius lib. 1. cap. 22. dicit, Numam ea in re voluiſſe aſtutiam Minois imitari, qui in antrum Jovis deſcendebat, & ibi diu moratus leges tanquam ſibi à Jove traditas afferebat, ut homines non modò imperio, ſed etiam religione conſtringeret.

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI

AD MARCELLINUM

DE CIVITATE DEI

LIBER VIII.

Cap. I.

De quæſtione naturalis theologiæ cum philoſophis excellentioris ſcientiæ diſcutienda.

NUnc intentiore nobis opus eſt animo multò, quàm erat in ſuperiorum ſolutione quæſtionum & explicatione librorum. De theologia quippe, quam naturalem vocant, non cum quibuslibet hominibus: non enim fabuloſa eſt, vel civilis, hoc eſt, vel theatrica, vel urbana, quarum altera jactitat deorum crimina, altera indicat eorum deſideria criminoſiora, ac per hoc malignorum potius dæmonum, quàm deorum, ſed cum philoſophis eſt habenda collatio: *a* quorum *α* ipſum nomen ſi Latinè interpretemur, amorem ſapientiæ profitetur. *b* β Porrò ſi ſapientia Deus eſt, per quem facta ſunt omnia, ſicut divina autoritas veritasque monſtravit, verus philoſophus eſt amator Dei. *c* γ Sed quia res ipſa, cuius hoc nomen eſt, non eſt in omnibus, qui hoc nomine gloriantur: *d* neque enim continuò veræ ſapientiæ ſunt amatores, quicunque appellantur philoſophi, profectò ex omnibus, quorum ſententias ex literis noſſe potuimus, eligendi ſunt, cum quibus non indignè quæſtio iſta tractetur. Neque enim hoc opere omnes omnium philoſophorum vanas opiniones refutare ſuſcepi, ſed eas tantum, quæ ad δ theologiam pertinent, *e* quo verbo Græco ſignificari intelligimus de divinitate rationem ſive ſermonem: nec eas omnium, ſed eorum tantum, qui cum & eſſe divinitatem & humana curare conſentiant, non tamen ſufficere unius incommutabilis Dei cultum ad vitam adipiſcendam etiam poſt mortem beatam, ſed ab illo ſanè multos uno conditos atque inſtitutos, ob eam cauſam colendos putant. Hi etiam jam Varronis opinionem veritatis propinquitate tranſcendunt. Siquidem ille totam theologiam naturalem uſque ad mundum iſtum vel eius animam extendere potuit, iſti verò ſuprà omnem animæ naturam confitentur Deum, qui non ſolùm mundum iſtum viſibilem, qui ſæpe cœli & terræ nomine nuncupatur: ſed omnem etiam omnino animam fecerit. Et qui rationalem & intellectualem, cuius generis anima humana eſt, participatione ſui luminis incommutabilis & incorporei beatam facit. Hos philoſophos Platonicos appellatos à Platone doctore vocabulo derivato, nullus qui hæc vel tenuiter audivit, ignorat.

Sap. 7.
Ebr. 1.

* (Tribus

(TRibus in ſequentibus libris diſputatur cum viris acutiſſimis ſummaq; præditis eloquentia, qui ex Platonis ſchola cæteris bonis artibus inſtructi religione ſola caruerunt, quorum ſententias ac inprimis ſectæ principis Platonis fuſius forſan explicuimus, quàm inſtituti noſtri ratio videbatur poſtulare: verùm hoc conſilio, quoniam à noſtris hominibus qui in philoſophorum ſcholis theologorumq; verſantur prorſus ſunt ignorata, cum ſint tamen cognoſci digniſſima, tum propter ſubtilitatem rerum magno ingenio curaq; excuſarum, tum vel maximè quod vicina ſunt noſtræ pietati. Et ut ſciretur quale philoſophorum genus Auguſtinus potiſſimum elegerit, cum quô de negotio religionis diſputaret; oſtenderetq; bene dicta eorum cum noſtris congruere, maledicta verò à nobis corrigi & emendari. Hæc me paulò longius, quàm oportebat, evexerunt, & profectò in dulcedine rerum, de quibus commentabar, difficile fuit propoſitam ſervare brevitatem, aliàs hoc temporis jacturæ lectori reſarciemus: & ſi ſpero ipſum nihil ſenſurum ſe legendis iſtis tam eruditis ſanctisq; feciſſe jacturæ, niſi fortè aut indoctior ſit, quàm ut intelligat, aut doctior quàm ut egeat, aut negligentior quàm ut curet; aut moroſior quàm ut perferat, quibus hominum generibus hæc non elaborantur. Neq; verò ita vel obliti ſumus brevitatis, vel eam contempſimus; ut quantum potuimus, ſit à nobis de unaquaq; re diſſertum: multa ſunt prætermiſſa, plerumq; Platonis contenti dictis, Platonicorum afferre ſententias ſuperſedimus, ne tanta prolixitas vel patientibus ſtomachis faſtidium pareret. Sunt tamen aliqua à nobis interdum repetita, tum ut melius quid ſentiret Auguſtinus, declararetur: tum ut admoneretur lector, ne dicta exciderent, cuius cauſa fuit Auguſtinus ipſe, qui quo manifeſtius adverſarios confutaret, eadem dogmata, placitaq; illorum ſubinde retractavit.)

QUorum ipſum nomen, ſi Latinè interpretemur.] Φιλία σοφίας, *amor ſapientiæ, &* φιλοσοφίας, *amicus ſapientiæ: cuius contrarium eſt* ἄφιλος σοφίας, *quaſi ſapientiam quis & rationes averſatur, ut Speuſipppus ait.* L. Vives

b Porrò ſi ſapientia Deus eſt.] *Sapientiæ 7. & Paulus ad Hebr. 1. Dei filium ſapientiam patris nominant, per quam fecit mundum univerſum.*

c Sed quia res ipſa.] *Lactantius lib. 3. de hoc multis rationibus contra philoſophos agit, verſus eſt Pacuvij: non minus lepidus, quàm gravis:*

Ego odi homines ignava opera, & philoſopha ſententia.

Se de hoc argumento à variis ſunt multa conſcripta.

d Neque enim continuè.] *Legendum continuò, quæ eſt cauſalis conjunctio, ſicut protinus, & ſtatim cum negatione.*

e Quo verbo Græco.] θεοῦ λόγος, *de Deo ſermo, ſeu diſſertio, ſive ratio. Hæc enim omnia eſt* λόγος.

a QUorum ipſum nomen ſi Latine interpretemur.] *Ita Cic. 2. officior.* Quid eſt per Deos immortales optabilius ſapientia? quid præſtantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc qui expetunt, igitur philoſophi nominantur, nec quicquam aliud eſt philoſophia, ſi interpretari velis, quàm ſtudium ſapientiæ. F.L.Coqu.

β Porro ſi ſapientia Deus eſt.] *Ita Apoſtolus vocat Chriſtum virtutem & ſapi-*

entiam patris: & ſpeciatim ſapientia *tribuitur Filio, ut* potentia *Patri, & Spiritui ſancto* bonitas. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam, & loquimur ſapientiam in myſterio abſconditam.

γ Sed quia res ipſa cujus hoc nomen eſt.] *Ita Lactantius lib. 3. oſtendit egregie, philoſophorum nomen minus in antiquos illos quadrare, qui cum erraverint à religioſo & pio cultu, ſapientes utique non fuerunt.* Quæſierunt illi quidem, *ait*, ſapientiam, ſed quia non rite quærebant, prolapſi ſunt longius, & in tantos errores inciderunt, ut etiam communem ſapientiam non tenerent.

δ Theologiam quæ verbo Græco.] *Non modo à Chriſtianis, verùm etiam ab Ethnicis uſurpatum nomen Theologi & Theologiæ, licet in Chriſtianos rerum divinarum & ſacrorum myſteriorum conſultos proprie quadret utrumque. Plutarch. de defect. orat.* Πλεῖστον δὲ τῆς ἀληθείας διαμαρτάνουσι οἱ Δελφῶν, Θεολόγοι. *Utitur etiam hoc vocabulo Cicero libro 3. de nat. deor.* Joves tres numerant, qui Theologi nominantur. *Ita Theologiæ nomen, quo ſignificatur ſermo & diſſertatio de rebus divinis. Plato libro ſecundo, de Repub.* Οἱ τύποι περὶ Θεολογίας τίνες ἂν εἶεν. *Duplicem Theologiam facit Dionyſius ſive de rebus divinis loquendi rationem.* Τὴν μὲν ἀπόρρητον καὶ μυστικὴν, τὴν δὲ ἐμφανῆ καὶ γνωριμωτέραν καὶ τὴν μὲν συμβολικὴν καὶ τελεστικὴν, τὴν δὲ φιλόσοφον καὶ ἀποδεικτικήν.

ε Cum eſſe divinitatem & humana curare.] *Sublata enim cura & providentia rerum humanarum divinitatem ipſam è medio tolli neceſſe eſt; unde recte dicebat Cicero lib. 1. de nat. deor. Epicurum re ſuſtuliſſe, oratione reliquiſſe deos, ut qui doceret, deos rerum humanarum curam non gerere. Et ut loquitur Tertullianus in Apologetico c. 46.* Otioſum & inexercitum neminem humanis rebus. *Item Cicer. lib. de divin.* Video nonnullis videri Epicurum ne in offenſionem Athenienſium caderet, verbis reliquiſſe deos, re ſuſtuliſſe. *Id ſcripſerat Epicurus,* Τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτ' ἄλλῳ παρέχει. *Lactantius lib. de ira Dei cap. 9. contra Epicurum differit, nihil repugnantius dici poſſe, quàm Deum eſſe, providentiam tamen nullam.* Etenim ſi eſt Deus, ubique eſt providens ut Deus, nec aliter ei poteſt divinitas attribui, niſi & præterita teneat, & præſentia ſciat, & futura proſpiciat. Cum igitur providentiam ſuſtulit, etiam Deum negavit eſſe, cum autem Deum eſſe profeſſus eſt, & providentiam ſimul eſſe conceſſit. *& cap. 14.* Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam providentia? Sed ſi nihil curat. *i. e.* nihil providet, omnem amiſit dignitatem. *Plato 10. de ll. dicit, eos in Deos ſcelerate facere & loqui, qui eos eſſe arbitrantur, minime tamen curam gerere rerum humanarum.*

CAP. II.

De duobus philoſophorum generibus, id eſt, Italico, & Jonico, eorumque autoribus.

DE hoc igitur Platone, quæ neceſſaria præſenti quæſtioni exiſtimo, breviter attingam, prius illos commemorans, qui eum in eodem genere litera-

ſum tempore præceſſerunt. Quantum enim attinet ad literas Græcas, *a* quæ lingua inter cæteras gentium clarior habetur, *a* duo β philoſophorum genera traduntur: γ unum Italicum, *b* δ ex ea parte Italiæ, quæ quondam magna Græcia nuncupata eſt: *c* alterum Jonicum, in eis terris, ubi & nunc Græcia nuncupatur. Italicum genus autorem habuit *d* ε Pythagoram Samium, *e* ζ à quo etiam ferunt ipſum philoſophiæ nomen exortum. Nam cum antea ſapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præſtare videbantur, iſte interrogatus, quid profiteretur, philoſophum ſe eſſe reſpondit, id eſt, ſtudioſum, vel amatorem ſapientiæ, quoniam ſapientem profiteri, arrogantiſſimum videbatur. Jonici verò generis princeps fuit *f* η Thales Mileſius. *g* θ unus illorum ſeptem, qui appellati ſunt ſapientes. *h* Sed illi ſex vitæ genere diſtinguebantur, & quibusdam præceptis, ad bene vivendum accommodatis. Iſte autem Thales, ut ſucceſſores etiam propagaret, rerum naturam ſcrutatus, *i* ι ſuasque diſputationes literis mandans, eminuit; maximèque admirabilis extitit, κ quod *k* aſtrologiæ numeris comprehenſis, defectus ſolis & lunæ etiam prædicere potuit. *l* Aquam λ tamen putavit rerum eſſe principium: & hinc omnia elementa mundi, ipſumque mundum, & quæ in eo gignuntur, exiſtere. *m* Nihil autem huic operi, quod mundo conſiderato, tam admirabile aſpicimus, ex divina mente præpoſuit. Huic ſucceſſit *n* μ Anaximander, eius auditor: mutavitque de rerum natura opinionem. Non enim ex una re, ſicut Thales ex humore, ſed ex ſuis propriis principiis, quasq; res naſci putavit. Quæ rerum principia ſingularum eſſe credidit infinita: & innumerabiles mundos gignere, & quæcunque in eis oriuntur, eosque mundos, modò diſſolvi, modò iterum gigni, exiſtimavit: quanta quisque ætate ſua manere potuerit: *o* nec ipſe aliquid divinæ menti, in his rerum operibus tribuens. *p* Iſte ν Anaximenem diſcipulum, & ſucceſſorem reliquit: qui omnes rerum cauſas *q* infinito aëri dedit: nec deos negavit, aut tacuit: non tamen ab ipſis ξ aerem factum, ſed ipſos ex aere ortos credidit. *r* ο Anaxagoras verò eius auditor, harum rerum omnium, quas videmus, effectorem, divinum animum ſenſit: & dixit, ex infinita materia, *ſ* quæ conſtaret, diſſimilibus inter ſe particulis, rerum omnium genera pro modulis & ſpeciebus propriis ſingula fieri, ſed animo faciente divino. *t* π Diogenes quoque, Anaximenis alter auditor, *u* aerem quidem dixit, rerum eſſe materiam, de qua omnia fierent: ſed eum eſſe compotem divinæ rationis, ſine qua nihil ex eo fieri poſſet. Anaxagoræ ſucceſſit *x* auditor ρ eius Archelaus: *y* etiam ipſe de particulis inter ſe diſſimilibus, quibus ſingula quæque fierent: ita omnia conſtare putavit, ut ineſſe etiam mentem diceret, *z* quæ corpora diſſimilia, id eſt, illas particulas conjungendo & diſſipando ageret omnia. *a* σ Socrates huius diſcipulus fuiſſe perhibetur, magiſter Platonis, propter quem breviter cuncta iſta recolui.

a DUo philoſophorum genera traduntur.] *Sic olim primæ philoſophantium in Græcia hæreſes ſunt ſeparatæ, ut de terris principum nomen acciperent: alteri ab ea regione in qua philoſophatus eſt magiſter Pythagoras Italiæ: alteri à patria*

tria Thaletis Jonia, in qua eſt Miletos, quæ etiam urbs Joniæ eſt dicta, ut tradit Mela, quòd præcipua eſſet in ea regione. Sic Plato, ſic Ariſtoteles etiam his vetuſtiores diſtinxerunt.

Magna Græcia b Ex ea parte Italiæ.] *A Locris, inquit Plinius, incipit Italiæ frons, quam magnam Græciam dicunt, in tres ſinus diviſa, quæ Græciam ſpectat ad mare ſuperum: in quam regionem frequentes trajecere Græci. Miror eſſe, qui putent, totam Italiam magnam Græciam olim nominatam, & quidem permoti dicto Plinii lib. 3. ſic ſcribentis: Quid ipſi de ea judicavêre Græci, genus in gloriam ſuam effuſiſſimum, quotam partem ex ea appellando Græciam magnam? Quibus verbis apertè oſtendit, non magnam Italiæ portionem vocatam olim magnam Græciam. In primo ex illis ſinibus, quos dixi, ſunt Tarentus, Metapontus, Heraclea, Croto, Turii. Patet inter promontoria Salem & Lacinium, ut ſcribit Mela, Tarentinus vocatur. Hic docuiſſe Pythagoras fertur.*

Ionia c Alterum Jonicum.] *Jonia eſt regio in minore Aſia inter Lycaones Lydóſque & mare noſtrum lateribus cincta Æolibus & Caribus: his à Meridie, illis à Septentrione. In ea eſt Miletos urbs, ſicut Mela narrat, Joniæ totius belli paciſque artibus princeps, patria Thaletis aſtrologi, & Timothei muſici, & Anaximandri phyſici, aliorumq; civium inclytis ingeniis merito inclyta. Thales Anaximandrum civem ſuum docuit: hic Anaximenem itidem civem Mileſium. Ab hoc edoctus Anaxagoras Clazomenius, Periclem, Archelaum, Socratemq; Athenienſes inſtituit: à Socrate philoſophia ferè tota Athenis.*

Pythagoras d Pythagoram Samium.] *Ariſtoxenus Tyrrhenum prodidit, quæ eſt una ex illis inſulis, quas Athenienſes expulſis Thyrrenis occuparunt. Cùm ex Ægypto rediiſſet, quo profectus eſt Amaſide rege, offenſus tyrannide Polycratis Samii in Italiam transmiſit.*

e A quo etiam ferunt ipſum philoſophiæ nomen exortum.] *Cicero 5. Tuſc. quæſt. ex Heraclide Pontico Platonis auditore narrat, Pythagoram à Leonte Phliaſiorum tyranno rogatum, quid artis profiteretur; cumque ſuperiores, qui eidem ſtudio eſſent dediti, ſapientes ſe cognominaſſent, ipſum ſe philoſophum, id eſt, ſapientiæ ſtudioſum modeſtiore nomine appellaſſe. Hinc ſophi nomen tanquam ſuperbum nimis & invidioſum relictum, cæterosque philoſophos eſſe nuncupatos. Neque enim ſapiens eſt mortalium quiſquam, ſoli Deo id nominis congruit.*

Thales Mileſius f Thales Mileſius.] *Hic fuit primus qui in Græcia de rebus naturalibus cœpit philoſophari, natus Olympiadis XXXV. anno primo, ut Apollodorus numerat apud Laertium.*

g Unus illorum ſeptem.] *Cùm à piſcatoribus Mileſiis juvenes quidam jactum eſſent mercati, hique menſam auream traxiſſent, contendentibus utriſque de menſa ac ſibi vendicantibus, Apollo conſultus juſſit ſapienti dari. Data eſt ergo primum Thaleti, qui à multitudine Joniæ ſapiens exiſtimabatur. Hic eam miſit alii ex illis ſeptem, qui alii remiſit, quoad ventum eſt ad Solonem, qui menſam juſſit Apollini, nempe verè ſapienti dari. Atque hi ſeptem magna fama fuerunt ad poſteros ſapientiæ nomine, ſeptemque Græciæ ſapientes celebrantur.*

h Sed

h Sed illi ſex vitæ genere diſtinguebantur.] *Chilo Lacedæmonius, Pithacus Mitilenaus, Bias Prienaus, Cleobulus Lindius, Periander Corinthius, & Solon Athenienſis, de quibus lib. 18. fusè diſſerum.*

i Suasque diſputationes literis mandans.] *Nauticam aſtrologiam opus eſſe illius ferunt, alij ad Phocum Samium referunt. Lobon verò Argivus ad ducentos verſus ipſum de aſtrologia ſcripſiſſe eſt autor.*

k Aſtrologiæ numeris comprehenſis.] *Eudemus in hiſtoria aſtrologica ſolis defectus converſionesq; prædixiſſe illum tradit. Plin. lib. 2. de obſervatione cœleſti loquens: Apud Græcos, inquit, inveſtigavit primus omnium Thales Mileſius, Olympiadis xlviij. anno iiij. prædicto ſolis defectu, qui ſub Halyatte rege factus eſt, Urbis conditæ anno clxx. Idem Euſebius, & Cicero libro 1. De divinat. ubi non ſub Halyatte legitur, ſed ſub Aſtyage. Sed ambo eodem fuere tempore, & geſſerunt bellum inter ſe.*

l Aquam tamen putavit.] *Secutus Homeri opinionem, qui Oceanum omnium patrem vocat. Plutarch. in Placitis, & alij complures conjecturam Thaletis adducunt, quòd ſemen animantium omnium humidum ſit, nec alimentum ſine humido conſtet: quin & aſtra ipſa putant Oceani humoribus vegetari & ali.*

m Nihil autem huic operi.] *Tametſi Valerius apud Ciceronem Thaletem refert omnia putaſſe ex aqua fieri, mentemq; quæ cuncta ſit ex humore fabricata, deum eſſe: & Laertius illum ait, plena omnia putaſſe dæmonibus: rogatumq;, lateret ne deos homo malè faciens: ne cogitans quidem reſpondiſſe. Hæc tamen ſcientiam Dei arguunt, non adminiſtrationem rerum.*

n Anaximander.] *Et hic Mileſius, ſed alius ab illo Anaximandro cive ſuo, qui* Anaximander.
hiſtorias ſcripſit. Hic elementum infinitum poſuit pro rerum principio, ſed non definiens, cujus eſſet naturæ, an aqueæ, an igneæ: partes verò illius infiniti mutari ſubinde, ipſum verò totum immutabile eſſe, Ariſt. Plutarch. Laert. Euſebius.

o Nec ipſe aliquid divinæ menti.] *In hoc reprehenditur à Plutarcho, quòd cùm materiam ſubſtituat, efficientem cauſam tollat. Infinitas enim illa materia eſt, quæ ex ſe gignere nihil valet ſine efficiente aliquo. Cic. tamen 1. De nat. deor. Anaximandri, inquit, opinio eſt, nativos eſſe deos longis intervallis Orientes, Occidentesq;, eosq; innumerabiles eſſe mundos: ita eundem eſſe qui faceret, & ex quo faceret, & quæ fieret contrarietates quæ in ipſo ſunt, hoc eſt per calidum & frigidum ſempiternum, ut inquit in Præpar. Evang. Euſeb. quod & Ariſtoteles ſubindicat 1. l. De phyſica auſcultatione.*

p Iſte Anaximenem] *Euriſtrati filium itidem Mileſium, qui natus Olymp. lxiij.* Anaximenes.
mortuus eſt eo anno, quo Cræſi opes ſunt everſæ: ut Apollodorus computat.

q Infinito aeri.] *Genere inquit Euſeb. infinito, qualitatibus finito: cujus condenſatione & rarefactione omnia gignantur. Cicero: Anaximenes aera deum ſtatuit, eumq; gigni, eſſe immenſum, & infinitum, & ſemper in motu. Sydera autem ſolemq;, & lunam de terra natam eſſe opinatur.* Anaxagoras.

r Anaxagoras.] *Clazomenis genitus, quæ ſunt etiam in Ionia. Obijt lxxviij. Olymp. lxij. ætatis anno: opus ſuum ſit tradunt Plutarchus, & Laertius Diogenes*

 incæpiſſe:

incœpiſſe: Una res erat univerſa: deinde acceſſit mens, eaq́; disjunxit atq́; compoſuit: materiam enim finxit, in qua infinitæ ineſſent, tum earundem rerum, tum diverſarum particulæ commiſtæ, quæ ſeparantur mente divina fiuntq́; res ſingulæ, velut caro, ſi plures ſunt carnis particulæ: os ſi oſſis, nervus ſi nervi, pluresq́; cujusquã alterius rei: non quin inſint in oſſe, & carnis, & nervi, & ignis, & chartæ, & ligni particulæ: quî enim fieri poſſet, ut ex pane fieret vel os, vel ſanguis, vel ſeminæ, & minutulæ oſſis, ſanguinisve portiunculæ in pane ineſſent, propter exiguitatem tamen ſui, nobis imperceptæ. Ariſt. Plutarch. Laertius.

s Quæ conſtaret diſſimilibus inter ſe.] *In veteribus libris, ſimilibus inter ſe legitur, utrunq́; rectè. nam ut Ariſtot. inquit, Anaxagoras infinitas partes in unoquoq́; ponebat corpore, & ſimilia, & contraria, & ſimilium partium, quæ vocabat* ὁμογενεῖς *id eſt, cognatas: &* ὁμοιομερεῖς*: quod verbũ ſimilaritates vertit Gaza. Sunt enim ex corporibus alia ſimilium partium, quæ inter ſe, non nomine, ſed numero diſtant, velut aqua, ignis, caro, os, medulla, ſanguis. Vnaquæq́; enim pars iſtorum, quæ modo materiam in ſe & formam capiat, cognominis eſt toti: & ipſæ inter ſe partes aquæ, ſunt aqua: & ſanguinis guttæ, ſanguis. Sunt alia corpora, quæ partes diverſarum rationum & nominum capiunt: ut homo, equus, ſtirps, & omnia quæ vivunt: in quibus alia ſunt oſſa, alia medulla, alia ſanguis, alia radix, alia caulis: tum & in artificialibus, ut in ſtatua, & menſa, & ſcamno, & libro: neq́; enim unaquævis charta eſt liber: nec qualibet menſæ pars eſt menſa. Hæ partes* ἑτερογενεῖς*, id eſt, variorum generum, ſeu, ut vertit Rodolphus Agricola, multigenæ nominantur. Anaxagoras illorum corporum ſimilarium in unoquoq́; infinitas particulas eſſe ajebat: alias diſſimiles, & diverſas, ut ligni, ſanguinis, æri, terræ, oſſis: alias inter ſe ſimiles, ut infinitas ignis, quæ ſunt inter ſe cognatæ: & infinitas aquæ, &c. nam etſi ſegregatione generentur corpora, partes tamen diverſæ non ita poſſunt à ſe mutuo ſeparari, quin infinitæ etiamnum relinquantur: ut ſit unde aliud ex alio gigni queat, & nutriri animantes, ſtirpesq́;, & inter ſe commutari, aliæq́; in aliarum locum & vicem ſuccedere: corporum vero diſſimilarium partium non ponebat infinitam multitudinem in unaquaq́; re: neq́; enim infinitas domos, aut innumeros homines in ligno, vel igne eſſe exiſtimabat.*

Diogenes t Diogenes quoque Anaximenis.] *Diogenes multi fuerunt: Sinopæus, qui Cynicus eſt dictus: & Sicyonius hiſtoricus, & Stoicus, qui legatus ivit Romam cum Carneade, & Critolao, Seleuciæ natus, ſed Babylonius dictus, & Tarſenſis. Diogenes qui de quæſtionibus poeticis ſcripſit: & is ipſe Diogenes Laertius, ex quo hæc deſumimus, & qui ætate hos omnes anteceſſit, Diogenes Apolloniata, cujus meminit hic Auguſt. commentator noſter optimus plaſtes, ex duobus Diogenibus, Apolloniata, & Cynico formula nominis eadem comprehenſis unum effinxit, non minore arte quàm qui ex ipſo eodem Thoma Valois, & Thoma Aquinate unum confecit Thomam in commentariis ad Boetium.*

u Aerem quidem dixit.] *Cic. 1. de nat. deor. Quid aer? quo Diogenes Apolloniata utitur deo: mundos & hic aſſeruit innumeros in ſpatio infinito, ibiq́; creatum mundum, ubi ſeſe denſior aer in globi formam compreſſerit, ac conſtiparit.*

x Auditor

x Auditor ejus Archelaus.] *Hic, ut alij putant, Mileſius: ut alij, Athenienſis primus ex Ionia naturalem philoſophiam Athenas invexit: idcirco & Phyſicus eſt cognominatus: tum etiam quòd moralem diſcipulus ejus Socrates induxit.* Archelaus.

y Etiam ipſe de particulis.] *Plutarchus aerem immenſum ait eum pro principio poſuiſſe, & quæ circa eum eſſent rarum ac denſum, hanc aquam, illum ignem eſſe.*

z Quæ cor. d.] *In veteribus libris eſt, non diſſimilia, ſed æterna.*

a Socrates hujus diſcipulus.] *Hic eſt Socrates ille, de quo nihil ſatis poſſet pro dignitate dici, quem fuiſſe gentilium omnium ſapientiſſimum conſtat, proximeq; ad Chriſtianam ſapientiam ex illis omnibus acceſſiſſe. Natus eſt Athenis Sophroniſco marmorario patre, & Phanareta obſtetrice matre: vir temperans, caſtus, juſtus, modeſtus, injuriarum patiens: neq; opum, neq; voluptatis, ac ne gloriæ quidem appetens: nihil enim eum ſcripſiſſe certum eſt. Hic primus, cùm cæteri nihil ſe neſcire profiterentur, nihil ſe ſcire profeſſus eſt.* Socrates.

QUæ lingua inter cæteras gentium.] *Linguam Græcam ſupra cæteras mirificè extollit Cicer. orat. pro Arch. poet.* Græca (*inquit*) lingua loquitur in omnibus ferè gentibus, Latina ſuis finibus exiguis ſanè continetur. *Juſtinianus inſtit. de ſucceſſ. libert. ſcribit, Græca lingua ſe pro omnium notione conſtitutionem edidiſſe, quæ in omnibus fere gentibus erat in uſu.* F. L. Cap.

β Duo philoſophorum genera traduntur.] *Quomodo Italica philoſophia à Pythagora, & Jonica à Thalete initium habuerit author eſt Euſebius lib. 10. præparat. Evang. cap. 2. Diogenes Laertius in proœmio*, φιλοσοφίας δὲ δύο γεγόνασιν ἀρχαὶ, ἥ τε ἀπὸ Ἀναξιμάνδρου, καὶ ἡ ἀπὸ Πυθαγόρα, τοῦ μὲν Θάλου διακηκοότος, Πυθαγόρου δὲ Φερεκύδης καθηγήσατο καὶ ἐκαλεῖτο ἡ μὲν ἰωνικὴ, ὅτι Θαλῆς Ἴων ὢν καθηγήσατο Ἀναξιμάνδρου, ἡ δὲ Ἰταλικὴ ἀπὸ Πυθαγόρου, ὅτι τὰ πλεῖστα κατὰ τὴν Ἰταλίαν διέτριψε.

γ Unum Italicum.] *Pythagoram Pythagoreosq; quondam Italicos philoſophos nominatos teſtatur Cicero in Catone.*

δ Ex ea parte Italiæ quæ quondam magna Græcia.] *Quæ pars Italiæ nomine magna Græciæ ſignificaretur, non conveniunt authores. Strabo initio libr. 6. ſcribit, non modo magnam Italiæ partem, de qua eo loci tractat, ſed & Siciliam eo nomine comprehendi. Plinius Italiæ tantum partem eamq; milleſimam. Nam libr. 3. cap. 5. de Italia loquens.* Ipſi (*inquit*) de ea judicavere Græci, genus in ſuam gloriam effuſiſſimum, quotam ex ea partem appellando magnam Græciam. Italia (*inquit Servius*) magna Græcia eſt appellata; quia à Tarente uſque ad Cumas omnes civitates, Græci condiderunt. *Seneca de conſolat. ad Albinum*, Totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, major Græcia fuit. *Juſtinus lib. 20. ſcribit, Græcos non partem, ſed univerſam fere Italiam aliquando occupaviſſe, & magnam Italiæ urbium partem ab eis conditas fuiſſe. & Athenæus lib. 12.* Μεγάλη Ἑλλὰς ἐκλήθη πᾶσα σφεδὸν ἡ κατὰ τὴν Ἰταλίαν κατοίκησις. *Feſtus*, Major Græcia dicta eſt Italia, quod eam Siculi quondam obtinuerint, vel quod in ea multæ

magnæque civitates fuerint ex Græcia profectæ. *Leander in deſcriptione Italiæ magna Græciæ nomine Calabriam intelligit.*

ε Pythagoram Samium.] *Author eſt Livius lib. 1. Pythagoram Servio Tullio regnante in ultima Italiæ ora circa Metapontum Heracleamq; & Crotonem juvenum æmulantium ſtudia, cœtus habuiſſe. Is Italicæ philoſophiæ princeps, de quo exſtat celebre illud elogium Ovidij Metam. 5.*

Mente deos adiit, & quę natura negavit
Viribus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

ζ A quo ferunt ipſum philoſophiæ nomen exortum.] *Idem docet & lib. 14. de Trinit. cap. 1.* Pythagoras (*inquit*) cùm auſus non fuiſſet ſapientiam profiteri, philoſophum potius, *i.* amatorem ſapientiæ ſe eſſe dixit, à quo nomen exortum, ita deinde poſteris placuit, ut quantalibet de rebus ad ſapientiam pertinentibus doctrina quiſque vel ſibi, vel aliis videretur excellere, nonniſi philoſophus vocaretur. *Idem tradunt & Lactantius lib. 3. c. 2. & Euſebius l. 10. de præparat. Evang. c. 2. Cicero 5. Tuſc. cum Leon Phliaſiorum princeps ingenium & eloquentiam admiratus eſſet Pythagoræ, quæſiiſſe ex eo, qua maximè arte confideret, illum reſpondiſſe, ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum. Idem refert Laertius in proœmio,* Φιλοσοφίαν δὲ πρῶτος ὠνόμασι Πυθαγόρας, καὶ ἑαυτὸν φιλόσοφον.

η Thales Mileſius.] *Lactantius lib. 3. c. 2. Hic unus è ſeptem ſapientum numero fuit, quiq; primus omnium de cauſis naturalibus quæſiſſe dicitur. Laertius l. ſcribit illius vitam,* Πρῶτος μὲν περὶ φύσεως διελέχθη.

θ Unus illorum ſeptem qui appellati ſunt ſapientes.] *Septem ſapientes Joannes Tretzes numerat his jambis Chili. 2.*

Σόλων, Θαλῆς, Περίανδρος καὶ Πιττακὸς καὶ Χίλων,
καὶ Βίας, καὶ Κλεόβουλος, ἑπτὰς ἦν ἡ σοφωτάτη.

Quam temere ſibi ſapientum nomen tribuerent, vide Lactantium lib. 4. cap. 1. Narrat Diogenes Laertius, Jonicos quoſdam adoleſcentes à piſcatoribus Mileſiis jactum retis emiſſe, capto deinde & educto tripode ortam contentionem non antea ſedatam, quam Delphis à Mileſiis miſſum, reſponſumq; à Deo eſt.

Ἔκγονε Μιλήτου τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς,
Τίς σοφίῃς πάντων πρῶτος, τοῦτο τρίποδ' αὐδῶ.

Datur Thaleti, Thales alteri defert primas ſapientiæ, & ita deinceps, quouſq; ad Solonem perventum eſt, qui Deum primam eſſe ſapientiam aſſerens, illum Delphos miſit.

ι Suaſque diſputationes literis mandavit.] *Ita tamen in illius vita Laertius ſcribit,* Μετὰ τὰ πολιτικὰ τῆς φυσικῆς ἐγένετο θεωρίας· καὶ κατά τινας μὲν σύγγραμμα κατέλιπεν οὐδέν· ἡ γὰρ εἰς αὐτὸν ἀναφερομένη ναυτικὴ ἀστρολογία Φώκου λέγεται εἶναι. *poſt.* τὰ κατὰ τινας δὲ δύω μόνα συνέγραψε περὶ τροπῆς καὶ ἰσημερίας, ἄλλα εἶναι ἀκατάληπτα δοκιμάσας.

κ Quod aſtrologiæ numeris comprehenſis.] *Laertius ibidem,* Δοκεῖ δὲ κατὰ τινας πρῶτος ἀστρολογῆσαι, καὶ ἡλιακὰς ἐκλείψεις καὶ τροπὰς προειπεῖν ὥς φησιν Εὔδημος ἐν τῇ περὶ τῶν ἀστρολογουμένων ἱστορίᾳ. *Paulo poſt,* πρῶτος δὲ καὶ τὴν

ἀπὸ

ἀπὸ τροπῆς ἐπὶ τροπὴν πάροδον εὗρε, καὶ πρῶτος τὸ τοῦ ἡλίου μέγεθος τοῦ σεληναίου ἑπτακοσιοστὸν, καὶ εἰκοστὸν μέρος ἀπεφήνατο. *Cicero l. 1. de divinat, author eſt, illum primum defectionem Solis, quæ Aſtyage regnante facta eſt, prædixiſſe.*

λ Aquam tamen putavit eſſe rerum principium.] *Cic. lib. de nat. deor.* Thales Mileſius, qui primus de talibus rebus quæſivit, aquam dixit eſſe initium rerum: Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta gigneret. *Laertius,* ἀρχὴν δὲ πάντων ὕδωρ ὑπεστήσατο. *Plutarch. l. 1. de Placit. Philoſoph. c. 3. qui & hoc dogma cenſet Thaletem ex Homero ſumſiſſe, apud quem* ὠκεανὸς γένεσις πάντεσσι τέτυκται. *De hac Thaletis ſententia Lactantius l. 1. c. 5, & li. 2. c. 10. Euſebius lib. 1. de præparat. Evang. c. 5. & lib. 14. c. 5. Clemens Alex. l. 1. & 2.* στρωμ. *Ambroſius lib. 1. Hexam. c. 2.*

μ Anaximander eius auditor.] *De eius dogmatibus conſuli poteſt Laertius in eius vita. Plutarch. l. 1. de placitis. & Euſebius. l. 1. de præparat. Evang. c. 5.*

ν Anaximenem diſcipulum & ſucceſſorem reliquit.] *Laertius* Ἀναξιμένης Εὐρυστράτου Μιλήσιος ἤκουσεν Ἀναξιμάνδρου, ἔνιοι δὲ καὶ Παρμενίδου φασὶν ἀκοῦσαι αὐτόν. *Ubi tradit etiam ex Apollodoro, ſexageſima tertia Olympiade natum eſſe, atq; eo anno, quo Sardis capta ſit, diem obiiſſe.*

ξ Infinito aeri dedit.] *Author eſt Ariſtoteles lib. 1. metaphyſ. cap. 3. Laertius, &* οὗτος ἀρχὴν ἀέρα εἶπε, καὶ τὸ ἄπειρον. *Eiusdem dogmatis meminit Cicero lib. 2. Acad. quæſt. & Euſebius lib. 1. de præparat. Evang. c. 6.*

ο Anaxagoras verò eius auditor.] *De eo ita Laert.* Ἀναξαγόρας Ἡγησιβούλου ἢ Εὐβούλου Κλαζομένιος. οὗτος ἤκουσεν Ἀναξιμένους καὶ πρῶτος τῇ ὕλῃ τὸν νοῦν ἐπέστησεν ἀρξάμενος, οὕτω τοῦ συγγράμματος, ὅ ἐστιν ἡδέως καὶ μεγαλοφρόνως ἡρμηνευμένον· πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησεν. *Plut. l. 1. de plac. c. 3. Euſebius lib. 14. cap. 5. Reprehenditur apud Platonem opinio eius de anima à Socrate, ut ibidem teſtatur Euſebius.*

π Diogenes quoque Anaximenis.] *Non Cynicus ille, ſed Apolloniates vir phyſicus & eloquentia & ſapientia inprimis clarus, de quo Laertius lib. 9. Euſeb. l. 1. de præp. Evang. c. 5.*

ρ Auditor eius Archelaus.] *Hic Athenienſis ſive Mileſius patrem habuit Apollodorum, ſive ut alij ſcripſere Medonem: Anaxagoræ diſcipulus, & Socratis magiſter. Quod verò ſcribit de eo Laertius, quòd ſcilicet* πρῶτος ἐκ τῆς Ἰωνίας τὴν φυσικὴν φιλοσοφίαν μετήγαγεν Ἀθήναζε: *non ſatis intelligo, cum Anaxagoras illius præceptor docuerit Athenis. Clemens Alex. l. 5.* στρωμ. *Anaximeni ſucceſſit Anaxagoras,* οὗτος μετήγαγεν ἀπὸ τῆς Ἰωνίας Ἀθήναζε τὴν διατριβὴν, τοῦτον διαδέχεται Ἀρχέλαος. *In eum deſiit Jonia philoſophia, cuius princeps & author Thales Mileſius Socrate Ethicem introducente.*

σ Socrates huius diſcipulus fuiſſe perhibetur.] *Hic oraculo Apollinis omnium ſapientiſſimus fuit judicatus, ut de ſe dicit apud Platonem in Apologia, & ut eſt apud Cic. lib. 1. Academic. quæſt. & in Catone:* fons omnium ferè philoſophorum, cùm ab eo plures emanarint ſectæ, & omnes ab eo Socraticos ſe haberi vellent. *Is nihil quidem ſcripſit: ſed eius diſſertationes à Platone connumerantur. De*

eo Plato & Xenophon illius diſcipuli. Julianus, ut meliores noſtris oſtenderet antiquos illos Græcorum philoſophos, præ cæteris Socratem proponebat, ut eſt apud Cyrillum lib. 6. contra eundem, quidq; reſpondeat, & in quibus haud fuiſſe Socratem ſapientem oſtendat, vide, & rectè Socrates & Plato velut reges philoſophorum habentur. ut loquitur Lactantius lib. 3. c. 13.

Cap. III.

De Socratica diſciplina.

Socrates *a α* ergo primus univerſam philoſophiam ad corrigendos, componendoſque mores flexiſſe memoratur: cùm ante illum omnes magis phyſicis, id eſt naturalibus rebus perſcrutandis operam maximam impenderint. Non mihi autem videtur poſſe ad liquidum colligi, utrum Socrates, ut hoc faceret, *b β* tædio rerum obſcurarum, & incertarum ad aliquid apertum & certum reperiendum animum intenderit: quod eſſet beatæ vitæ neceſſarium, *al. una.* propter quam * unam omnium philoſophorum invigilaſſe ac laboraſſe videtur induſtria. An verò, ſicut de illo quidam benevolentius ſuſpicantur, *c γ* nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos ſe extendere in divina conari: quandoquidem ab eis cauſas rerum videbat inquiri, quas primas atque ſummas, non niſi in unius veri ac ſummi Dei voluntate eſſe credebat. *d* Unde *δ* non eas putabat niſi mundata mente poſſe comprehendi: & ideo purgandæ bonis moribus vitæ cenſebat inſtandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna ſe attolleret: naturamque *ε* incorporei & incommutabilis luminis, *e ζ* ubi cauſæ omnium factarum naturarum ſtabiliter vivunt, intelligentiæ puritate conſpiceret, *f* Conſtat eum tamen *η* imperitorum ſtultitiam ſcire ſe aliquid opinantium, etiam in ipſis moralibus quæſtionibus, quò totum animum intendiſſe videbatur, vel confeſſa ignorantia ſua vel diſſimulata ſcientia, *θ* lepôre mirabili diſſerendi & acutiſſima urbanitate agitaſſe, atque verſaſſe. *g ι* Unde & concitatis inimicitijs *h κ* calumnioſa criminatione damnatus, morte multatus eſt. *λ* Sed eum poſtea illa ipſa, quæ publicè damnaverat Athenien. civitas, publicè luxit, in duos accuſatores ejus uſque adeò populi indignatione converſa, ut unus eorum oppreſſus vi multitudinis interiret, exilio autem voluntario atque perpetuo pœnam ſimilem alter evaderet. Tam præclara igitur vitæ mortiſque fama Socrates *k* reliquit plurimos ſuæ philoſophiæ ſectatores, *l μ* quorum certatim ſtudium fuit in quæſtionum moralium diſceptatione verſari, ubi agitur de ſummo bono, ſine quo fieri homo beatus non poteſt. *m* Quod in Socratis diſputationibus dum omnia movet, aſſerit, deſtruit, quoniam non evidenter apparuit, *ν* quod cuique placuit, inde ſumpſerunt, & ubi cuique viſum eſt, conſtituerunt finem boni. *n* Finis autem boni appellatur quò quiſque cùm pervenerit, beatus eſt. Sic autem *ξ* diverſas inter ſe Socratici de iſto fine ſententias habuerunt, ut (quod vix credibile eſt unius magiſtri potuiſſe facere ſectato-

ſectatores) quidam ſummum bonum eſſe dicerent voluptatem, *o* ſicut *o* Ariſtippus: *π* quidam virtutem, *p* ſicut Antiſthenes. *q* Sic alij atque alij aliud atque aliud opinati ſunt, quos commemorare longum eſt.

a Socrates ergo pri.] *Cic. 1. Acad. quæſt. Socrates mihi videtur, id quod conſtat inter omnes, primus à rebus occultis & ac ipſa natura involutus, in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerant avocaviſſe philoſophiam, & ad vitam communem adduxiſſe, ut de virtutibus & vitiis, omninoq; de bonis rebus & malis quæreretur: cæleſtia autem vel procul eſſe à natura cognitione cenſeret, vel ſi maxime cognita eſſent, nihil tamen ad bene vivendum conferre.* L. Vives Socrates

b Tædio rerum obſcu. & in. ad aliquid ap.] *Melius legitur in antiquis l. apertum. Xenoph. in Comment. 1. Rerum Socraticarum, Socratem ſcribit mirari ſolitum non deprehendiſſe iſtos, qui res naturales noctes & dies inquirunt & tractant, nihil poſſe in eis inveniri certi atq; perſpecti: quam ſententiam fuſe multis exemplis proſequitur.*

c Nolebat immund. ter.] *Lact. l. 3. Non inficior, Socratem fuiſſe paulò cordatiorem, quàm cæteros, qui naturam rerum putaverunt ingenio poſſe comprehendi, in quo illos non tantum excordes fuiſſe arbitror, ſed etiam impios, quòd in ſecreta illius cæleſtis providentiæ curioſos oculos voluerunt immittere. & poſt: Nimirum multò ſceleratiores, qui arcana mundi, & hoc cæleſte templum prophanari impiis diſputationibus quærunt, quàm qui ædem Veſtæ, aut Bonæ deæ, aut Cereris intrarit.*

d Unde non eas putabat niſi mundum.] *Socrates de hoc copioſè diſputat moriturus apud Plat. in Phædone, ubi oſtendit, philoſophari neminem rectè poſſe, niſi ſe quam maximè fieri poſſit à conſortio corporis, id eſt, ab omnibus affectibus ſejungat: quod tum optimè fiet, cum animus liber erit, corporisq; carcere ſolutus, & in hac vita ut quiſq; ſe maximè perturbationibus exoluit, ita liberrimè veriſſimeque id quod eſt, verumq; ipſum, hoc eſt, Deum & divina contemplatur: id circo philoſophia definitur mortis meditatio, id eſt corporis animæq; ſeparatio, & ceu divortium quoddam, ut animus purus ſit, corporis fece non contaminatus: nam puriſſimum illud divinum verum ab impuro animo contingi nefas: ideo amicis deorum plura eſſe cognita exiſtimabat, quàm impuris hominibus, & qui Deum non ſequuntur. In Cratylo ſolos bonos viros ſapientes eſſe dicit: & in Epimenide peritiam rerum cæleſtium docturum aliquem, niſi opem Deus tulerit, negat. Apul. ex Plat. & alia initia rerum inveniri forſitan poſſe, aut quæ Deo nota ſint, vel ei qui ſit diis amicus.*

e Ubi cauſæ omn. fa. na.] *Hæc ſunt ex doctrina Plat. & Auguſt. non quid ipſe, ſed quid Socrat. (ſentiat refert.* Iſtud adjeci, quoniam Philalethes noſter ſententiam putat eſſe Aug. cui ſtatim veritatem ſuam addit cum realitatibus & formalitatibus, quales nunquam ne per ſomnium quidem Auguſt. cogitavit.*) Plato enim in 6. de rep. deum ait lumen eſſe mentis, non ſecus quàm ſit ſol hic, quem videmus, lumen oculorū corporis, & ut beneficio hujus habemus, quod cernimus, ita beneficio Dei, quod intelligimus, lumenq; illud ſacrum & divinum rebus ipſis veritatem:*

nobis

nobis verò vim ejus percipiendæ tenendæq́; largiri, ac eſſe ut ex Plat. inquit Greg. Naz. ſolem hunc mundi viſibilis lumen, Deum verò mundi inviſibilis.

f Conſtat eum tamen.] *Ejus ſermones retulerunt in Dialog. Socratici Plat. Xenoph. Aeſchin. Xenocrat. & alij, quib. ipſe mira dexteritate inſcitiam eorum, qui nihil ignorare ſibi ac multitudini perſuaſerant, detegit: velut Prothagoræ, Gorgiæ, Eutydemi, Dionyſodori, & aliorum.*

g Unde & concitatis inimicitiis.] *Plat. in Apol. ex diſp. Socrat. natas eſſe illi inimicitias narrat. idem Laert. tres Socratem accuſarunt, Anytus, Melitus, & Lycon orator, qui fuit actor, cum Anytus opificum turbam tueretur, & reliquorum urbanorum, quos ſæpe Socr. deriſiſſet. Melitus verò poetarum, quos Socr. damnaſſet, & expellendos è civitate cenſeret: de his reb. Plato, & Xenoph. in Socr. Apologijs. Sed explicatius rem omnem perſecutus eſt Laert. in Socrat. damnatus eſt 281. ſententijs.*

h Calumnioſa crim.] *Non me, inquit Socrates, vel accuſatores periment, vel crimina, ſed invidia ſola, qua una præclari viri quamplurimi interierunt & interibunt.*

i Sed eum poſtea.] *Tanta cepit Athenienſes omnes ob damnatum Socr. pœnitentia, ut paulò pòſt gymnaſia omnia clauderent; facieſq́; juſtitij eſſet in civitate: Melitum morte mulctarint, Anytum exilio, Socrati ſtatua ahenea erecta ſit, Lyſippi opus.*

k Reliquit plurimos.] *Omnes ferè philoſophantium ſectæ in Socratem initium ſuæ diſciplinæ referebant. Platonici, Academici, Cyrenaici, Cynici, Peripatetici, Megarenſes, Stoici.*

l Quorum cer. ſtu. fuit.] *Hac una q. de ſummo bono ſummoq́; malo diſtinguebantur ſectæ.*

m Quod in Soc. diſput.] *Ita enim diſputabat ille, ut magis eliceret refutaretq́; ſententiam ejus, qui cum diſputabat, quàm ſuam ipſe proderet aut affirmaret. Neq́; enim pútabat eſſe ejus, qui nihil ſe ſcire diceret, aliquid aſſerere, ut ipſe dicit in Theæteto Platonis.*

n Finis autem boni.] *Is eſt, in quem, ut Cic. 1. de fin. inquit, omnia bene vivendi, recteq́; faciendi conſilia ſunt referenda, & in 3. Cùm enim hoc ſit extremum, ſentis enim credo me jam diu, quod Græcus τέλ@ dicat, id dicere tum extremum, tum ultimum; tum ſummum, licebit etiam finem pro extremo, aut ultimo dicere, hic propter ſeipſum quæritur, & alia omnia propter hunc. Sicut Plato, Ariſt. & reliqui philoſophi dixerunt.*

o Sicut Ariſtippus.] *Hic Cyrenus natus eſt, primusq́; ex Socraticis mercede docuit, ut etiam doceri voluit. Tametſi pretium Socr. nunquam accepit, dicens prohiberi ſe à dæmone, tum etiam inferiori Dionyſ. Syracuſano aſſentari & perferre ab eo contumelias ſuſtinuit quæſtus gratia. Corporis voluptatem ſummum bonum poſuit. Diogenes Laert. ab hoc philoſopho Cyrenaici ſunt conſtituti. Obiter dictum Hier. annotabo, qui in comment. in Eccleſiaſten, cùm de voluptate loquitur. Et hæc inquit, aliquis loquatur Epicur. & Ariſtippus, & Cynici, & cæteri pecudes philoſophorum. legendum & Cyrenaici. Quid enim voluptati cum inſtitutis Cynicorum.*

p Sicut

p Sicut Antiſthenes.] *Hic eſt autor Cynicæ ſectæ, id eſt, caninæ, Diogenem Sinopenſem Cynicum docuit, virtutem voluit ſummum eſſe bonum.*

q Sicque alij atque alij.] *Cicero opiniones multorum recenſet De finibus bonorum in 2. l. ejus argumenti. Illinc petat, qui deſiderat, & nos obiter attigimus in præfatione legum Cic.*

a SOcrates ergo primus.] *Ariſtoteles lib. 1. de partibus animal. cap. 5. & Cicero lib. 1. Academic. quæſt.* Socrates mihi videtur, idque conſtat inter omnes, primus à rebus occultis, & ab ipſa natura involutis, in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerunt, avocaviſſe philoſophiam, & ad vitam communem adduxiſſe, ut de virtutibus & vitiis omninoque de bonis rebus & malis quæreret, cœleſtia autem vel procul eſſe à noſtra cognitione cenſeret, vel ſi maxime cognitæ eſſent, nihil tamen ad bene vivendum conferre. *Idem lib. 5. Tuſcul.* Socrates philoſophiam primus devocavit è cœlo, & in urbibus collocavit, & in domos etium introduxit, cœpit de vita & moribus, rebusque bonis & malis quærere. *Laertius in eius vita.* γνόντα δὲ τὴν φυσικὴν θεωρίαν μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς, τὰ ἠθικὰ φιλοσοφεῖν ἐπί τε τῶν ἐργαστηρίων, καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ. *Ariſtoteles libro primo, de partibus animal. ca. 1.* ἐπὶ Σωκράτους τὸ ζητεῖν περὶ φύσεως ἔληξε. πρὸς δὲ τὴν χρήσιμον ἀρετὴν, καὶ τὴν πολιτικὴν ἀπέκλιναν οἱ φιλόσοφοι *immo adeo diſſentientes tot ſententias & diſputationes de rebus naturalibus valde ſupervacaneas judicabat: ut eſt apud Euſebium ex Platone lib. 1. cap. 5. & lib. 14. c. 5. de præparat. Evang. Senecam epiſt. 71. & Sidonium Apollinarem, Agellium libr. 14. cap. 4.* F. L. Coq.

β Tædio rerum obſcurarum atque incertarum.] *Reipſa Socrates abhorrebat à ſublimiori philoſophia propter incertitudinem tantum, ut non modo dicit hic probabiliter D. Auguſtinus, verum id etiam conſtat ex priore libro* ἀπομνημονευμάτων. *Xenophontis, conſtat item ex Lactantio lib. 3. cap. 28. nec quod impuris animis eam committere nollet. Si enim ea fuiſſet ei cauſa, certe non omnino ut fecit, ab illa ſublimi philoſophia abſtinuiſſet, ſed eam utique conſummatam de purgatiore mentis parte excoluiſſet.*

γ Nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos.] *Ita præclare Hierocles in princip. comment. in carm. Pythagoræ.* πρῶτον δεῖ τάξαι τὴν ἡμῖν ἀλογίαν τε καὶ ῥᾳθυμίαν, ἔπειτα οὕτως ἐπιβάλλειν τῇ τῶν θειοτέρων γνώσει· ὥσπερ γὰρ ὀφθαλμῷ λημῶντι, καὶ οὐ κεκαθαρμένῳ τὰ σφόδρα φωτεινὰ ἰδεῖν οὐχ οἷόν τε· οὕτως, καὶ ψυχῇ τὴν ἀρετὴν μὴ κεκτημένῃ, οὐ μηδαμῶς τὸ τῆς ἀληθείας ἐνοπτρίσασθαι κάλλος. μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ᾖ.

δ Non eas putabat niſi mundata mente poſſe comprehendi.] *Quod de ideis dicebat etiam Plato. Diogene enim Cynico dicente,* quod humana ſtudia videret, Ideas vero nequaquam. Quid mirum, *inquit,* Oculos enim quibus iſta videntur habes, & uteris, mente verò non uteris, qua ſola illæ cernuntur. *Eadem ratione Plato lib. 6. de Republic. dicit,* vulgus non eſſe capax philoſophiæ. φιλόσοφον μὲν πλῆθος ἀδύνατον εἶναι.

ε Incorporei & immutabilis luminis.] *DEum eſſe incorporeum & incommutabile*

mutabile lumen non modo ſcriptura ſacra, & Auguſtinus ipſe verum & ipſe Plato docet lib. 6. de Repub.

ζ Ubi cauſæ omnium factarum naturarum.] *Id fortaſſe innuit Plato epi. 2.* περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ᾽ ἐστι. καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν. *cum vero dicit hujusmodi cauſas factarum naturarum ſtabiliter in Deo vivere, ſine dubio ideas & exemplaria rerum, quæ ab æterno in Deo exiſtunt, intelligit, & recte illud Joann. 1.* quod factum eſt in ipſo, vita erat, *ad ideas refert lib. 5. de Geneſ. ad lit. cap. 13. & 14. & lib. 3. quæſtion. qu. 26. Incommutabiles vero illæ rationes, quæ ſunt in verbo Dei, quam ſint remotæ à ſenſibus noſtris, & ab uſu cogitationis humanæ docet idem Auguſtin. lib. cit. cap. 12. & prius dicit ex divina authoritate credendas, deinde per hæc quæ nota ſunt, utcunque noſcendas*, quanto quisque magis minusve potuerit pro ſuæ capacitatis modo divinitus adjutus internis æternisque rationibus ut poſſit.

η Imperitorum ſtultitiam ſcire ſe aliquid opinantium.] *Cicero Academic. quæſt. lib. 1.* Socrates in omnibus fere ſermonibus ita diſputat, ut nihil affirmet ipſe, refellat alios, nihil ſe ſcire dicat, niſi id ipſum, eoque præſtare cæteris, quod illi quæ neſciant, ſcire ſe putent, ipſe ſe nihil ſcire unum ſciat, ob eamque rem ſe arbitrari ab Apolline omnium ſapientiſſimum eſſe dictum, quod hæc eſſet una omnis ſapientia non arbitrari ſe ſcire, quod neſciat. *Ita in Euthydemo & alibi eludit Sophiſtas, qui ſibi omnium rerum cognitionem & ſcientiam arrogabant & vindicabant.*

θ Lepore diſſerendi mirabili & acutiſſima urbanitate.] *Cic. 1. de offic.* de Græcis dulcem & facetum, feſtivique ſermonis atque in omni re ſimulatorem, quem εἴρωνα vocant Græci, Socratem accepimus. *Ariſtoteles in Nicomach. li. 4. c. 7. tractans de εἰρωνείᾳ urbana, Socratis adducit exemplum, quamvis ipſe Socrates quoad id attinet, aſſerit, in Apologia apud Platonem nullam habuiſſe aliam cauſam Apollinem eum ſapientiſſimum judicandi, quam quod ſe nihil ſcire noſſet.*

ι Unde & concitatis inimicitiis.] *De hoc Plato in Apol. Socratis, & Laertius in eius vita.* Tanta in Socratem invidia conflata eſt, & quia oraculo Apollinis eſſet omnium ſapientiſſimus judicatus, & quia ipſos, qui ſe ipſos magni facerent, & æſtimarent, ut ſtolidos & inſenſatos arguiſſet.

κ Calumnioſa criminatione.] *Hæc objiciebantur Socrati crimina, ut eſt apud Platonem in Apologia, & Xenophontem libr. 1. memorab. Socratis & Laertium in Socrate,* ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος, ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων. *Seneca epiſt. 104.* objecta eſt religionum violatio, & juventutis corruptela, quam committere in deos, in patriam, in Rempublicam dictus eſt. *Quod damnatus ſit Socrates, quod deos deſtruebat, objiciunt & Gentibus Juſtinus Martyr. Apolog. 1. & 2. Lactantius lib. 5. cap. 14. Euſebius lib. 5. de præpar. Evang. cap. 14. Tertullianus in Apolog. capit. 14.* Calumnia autem, *ut Nonius explicat*, eſt malitioſa & mendax informatio, & calumnia crimina falſa intendere. *Hinc* calumnioſæ actiones, *l. 6. C. de adminiſt. tutorum. l. 12. de inoffic. teſtam. &* calumnioſa accuſatio l. 14.

§. ſi

§. *ſi patris, D. de bonis libert.* & calumnioſis criminibus inſectari innocentes *l. 6. §. ne potentiores. D. de offic.*

λ Sed cum poſtea illa ipſa.] *Tertull. in Apolog. cap. 14.* Cum pœnitentiam ſentientes Athenienſes criminatores Socratis poſtea afflixerint, & imaginem eius æream in templo collocarint reſciſſa damnatio teſtimonium Socrati reddidit. *Laertius,* Ἀθηναῖοι δ᾽ εὐθὺς μετήγνωσαν, ὥστε κλεῖσαι, καὶ παλαιστὰς, καὶ γυμνάσια, καὶ τοὺς μὲν ἐφυγάδευσαν Μελίτου δὲ θάνατον κατέγνωσαν. Σωκράτην δὲ χαλκῆς εἰκόνος ἐτίμησαν, ἣν ἔθεσαν ἐν τῷ Πομπείῳ, Λυσίππου ταύτην ἐργασαμένου Ἄνυτον δὲ ἐπιδημήσαντα αὐθήμερον ἐξεκήρυξαν Ἡρακλεῶται.

μ Quod certatim ſtudium fuit.] *In eo erant toti philoſophi, ut ſummum bonum in quo poſitum eſſet, inveſtigarent, cum tamen nullus eorum ad veram notitiam pervenerit, altius enim collocatum eſt & ſitum, quam ut eo quis ſolo ingenij acumine ſine ſuperiori lumine poſſit venire.*

ν Quod cuique placuit.] *Ita Cicer. lib. 5. Tuſcul.* Socratis multiplex ratio diſſerendi, rerumque varietas & ingenii magnitudo Platonis memoria & literis conſervata lucra effecit genera philoſophorum diſſentientium. Ea autem erat ratio diſputandi Socratis, ut nihil ipſe aſſereret, ſed percontando atque interrogando eliceret eorum opiniones quibuscum diſſerebat, ut ad ea, quæ ii reſpondiſſent, ſi quid videretur, diceret, & obſtetricis officio fungebantur, quia non pareret ipſe opiniones, ſed alios parere, doceret.

ξ Diverſas inter ſe Socratici de iſto fine ſententias.] *Cic. libr. 1. de ll. finem bonorum quo referantur, & cuius aſciſcendi cauſa ſunt facienda omnia, dicit eſſe rem controverſam, & plenam contentionis inter doctiſſimos. Imo iſta diſſenſio ſectas potiſſimum philoſophorum diſtinxit.*

ο Sicut Ariſtippus.] *Genere Cyrenaicus fuit, profectumq́; Athenas Socratis fama percitum ex Æſchine tradit Laertius. Xenophon lib. contra voluptatem in Ariſtippum ſcripſit aſſertorem voluptatis, eamq́; Socrati diſputationem aſſignavit. Author Laertius; Ita de eo Lactantius lib. 3. cap. 3.* Ariſtippo ne quidem reſpondendum duco, quem in corporis voluptatem ſemper ruentem, nihilque aliud quã ventri & veneri ſervientem, nemini dubium eſt hominem non fuiſſe. Si enim vix, ut inter eum pecudemque nihil diſtaret, niſi quod loquebatur. *Multa de eius aſotia Atheneus lib. 12.* δειπνοσοφ. *Huius dogma notat etiam Epiphanius lib. 3.* Ἀρίστιππος ὁ Κυρηναῖος γαστρὶ μὲν ἐργὸς ὢν καὶ φιλήδονος τέλος ἔφη τῆς ψυχῆς τὴν ἡδονὴν καὶ ὅστις ἥδεται, εὐδαίμων οὗτος, ὁ δὲ μὴ ὅλως ἡδόμενος, τρισάθλιος, καὶ κακοδαίμων, ὥς φασι.

π Quidam virtutem ut Antiſthenes.] *Huius vitam deſcribit Laertius lib. 6. Fuit etiam hæc ſententia Stoicorum. Quare autem virtutem aliqui ſtatuerint ſummum bonum, docet Lactantius lib. 3. c. 8.* Cum illi, *inquit,* ignorarent, quid efficeret virtus, aut quo tenderet, honeſtius autem nihil reperirent, ſubſtituerunt in ipſius virtutis nomine, quam nullo propoſito emolumento appetendam eſſe dixerunt, & bonum ſibi conſtituerunt, quod bono indigeret.

Cap. IV.

De præcipuo inter diſcipulos Socratis Platone, qui omnem philoſophiam triplici partitione diſtinxit.

SEd inter diſcipulos Socratis non quidem immerito excellentiſſima gloria claruit, qui omnino *a* cæteros obſcuraret, Plato. *a* β Qui cùm eſſet Atherienſis, honeſto apud ſuos loco natus: & ingenio mirabili, longe ſuos condiſcipulos anteiret, parum tamen putans perficiendæ philoſophiæ ſufficere ſeipſum, *b* ac Socraticam diſciplinam, quam longè lateque potuit peregrinatus eſt, quaquaverſum eum alicujus nobilitatæ ſcientiæ percipiendæ fama rapiebat. *c* γ Itaque & in Ægypto didicit, quæcunque illic magna habebantur, atque docebantur, & δ inde *d* in eas Italiæ partes veniens, ubi Pythagoreorum fama celebrabatur, quicquid Italicæ philoſophiæ tunc florebat: auditis eminentioribus in ea doctoribus, facillimè comprehendit. Et quia ε magiſtrum Socratem ſingulariter diligebat, eum loquentem ferè in omnibus ſermonibus ſuis faciens, *e* etiam illa, quæ vel ab alijs didicerat, vel ipſe quanta potuerat intelligentia viderat, cum illius lepôre & moralibus diſputationibus temperavit. *f* Itaque cùm ſtudium ſapientiæ in actione & contemplatione verſetur, ζ unde una pars ejus activa, altera contemplativa dici poteſt. Quarum activa ad agendam vitam, id eſt, ad mores inſtituendos pertinet, contemplativa autem ad conſpiciendas naturæ cauſas, & ſynceriſſimam veritatem. *g* Socrates in activa excelluiſſe memoratur: η Pythagoras verò magis contemplativæ quibus potuit intelligentiæ viribus inſtitiſſe. Proinde θ Plato utrunque jungendo philoſophiam perfeciſſe laudatur; ι quam in tres partes diſtribuit. Unam moralem, quæ maximè in actione verſatur. Alteram, naturalem, quæ contemplationi deputata. Tertiam rationalem, *i* qua verum diſterminatur à falſo. *k* Quæ licet utrique, id eſt, actioni & contemplationi ſit neceſſaria, maximè tamen contemplatio perſpectionem ſibi vendicat veritatis. Ideo hæc tripertitio non eſt contraria illi diſtinctioni, qua intelligitur omne ſtudium ſapientiæ in actione & contemplatione conſiſtere. Quid autem in his vel de his ſingulis partibus Plato ſenſerit, id eſt, ubi finem omnium actionum, ubi cauſam omnium naturarum, ubi lumen omnium rationum eſſe cognoverit vel crediderit, diſſerendo explicare & longum eſſe arbitror, & temere eſſe affirmandum non arbitror. *l* Cùm enim magiſtri ſui Socratis, quem facit in ſuis voluminibus diſputantem, notiſſimum morem diſſimulandæ ſcientiæ vel opinionis ſuæ ſervare affectat, quia & illi ipſe mos placuit, factum eſt ut etiam ipſius Platonis de rebus magnis ſententiæ non facilè perſpici poſſint. Et his tamen quæ apud eum leguntur, *m* ſive quæ dixit, ſive quæ ab alijs dicta eſſe narravit, atque conſcripſit, quæ ſibi placita viderentur, quædam commemorari, & huic operi inſeri oportet à nobis: κ vel ubi ſuffragatur religioni veræ, quam fides noſtra ſuſcipit, ac defendit, vel ubi ei videtur eſſe contrarius: quantum ad iſtam de uno Deo & pluribus pertinet,

net, quæſtionem, quem propter vitam, quæ poſt mortem futura eſt veraciter beatam, colendum eſſe catholicæ religionis aſſerit diſciplina. Fortaſſis enim qui Platonem cæteris Philoſophis gentium longè lateque prælatum, acutius atq; veracius intellexiſſe, atque ſecuti eſſe fama celebriore laudantur: aliquid tale de Deo ſentiunt, ut in illo inveniatur, & cauſa ſubſiſtendi, & ratio intelligendi, & ordo vivendi. Quorum trium, λ unum ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem partem intelligitur pertinere. *n* *μ* Si enim homo ita creatus eſt, ut per id quod in eo præcellit, attingat illud quod cuncta præcellit, id eſt, unum verum optimum Deum, ſine quo nulla natura ſubſiſtit, nulla doctrina inſtruit, nullus uſus expedit: *o* ipſe quæratur, ubi nobis omnia ſunt ſecura: ipſe cernatur, ubi nobis certa ſunt omnia: ipſe diligatur, ubi nobis recta ſunt omnia.

a QUi cùm eſſet Athenienſis.] *Platonis parentes fuere Ariſto. & Perictione. paternum genus in Codrum referebatur, qui ultimus regnum Athenis tenuit: maternum in Solonem, unum ex ſeptem ſapientibus, inclytum legibus Athenien. latis. utraq; gens pro autorem ſuæ nobilitatis Neptunum nominat. Natus eſt Plato Athenis Olympiade lxxxviij. Hujus viri vitam, actusq; præclaros multi literis mandarunt, multi illum ſupra humanum omne faſtigium de moribus & ſapientia collocant. ſed revera tantum abeſt, ut amore longius juſto evectos credam, ut niſi ſcirem addictiſſimos illi eſſe, qui hæc faciunt, ſubinvidiſſe laudibus illius ſuſpicarer. Fallitur mea ſententia, quisquis Platonem non aliquanto plus quàm hominem, aut certè non ex optima illa & rariſſima hominum nota fuiſſe putat.* L. Vives.

b Ac Socraticam diſciplinam.] *Alibi, à Socratica diſciplina. q. poſt perceptam à Socrate diſciplinam Athenis.*

c Itaq; & in Ægypto.] *Laertius poſtquam ex Italia rediit, ad Ægyptum eum profectum ſcribit cum Euripide.*

d In eas Italiæ p.v.] *In magnam Græciam, ubi Pythagoras philoſophatus, multos diſciplinæ ſuæ admiratores, ac ſectatores reliquerat. Ex eis Plato Tarenti audivit Archytam ſeniorem, & Euritum, Locris Timæum, Crotoni Philolaum. Cicero in Catone, Platonem ſcribit Tarentum veniſſe L. Æmilio, Ap. Claudio Coſſ. tametſi Livius eo tempore, id eſt, ante Caudinam ſubjugationem annis 4. & 20. non ponit Appium cum Æmilio conſulem, ſed L. Furium Camillum. Profectus eſt etiam Plato Megaram ad Euclidem mathematicum, & Cyrenas ad Theodorum iei dem Mathematicum, profecturus à Perſarum magos, niſi bella obſtitiſſent.*

e Etiam illa quæ vel.] *Plato quæcunq; ſcripſerat, Socratis dicebat eſſe, ut in Epiſtolis a t ad Dionyſium, & non ſolùm moralia, quibus Socrates plurimum valebat, ſed naturalia quædam in Dialogis ei attribuit.*

f Itaque cum.] *Plato & Ariſtot. diſciplinas quasdam ponunt, quas neq; activas dicant, nec contemplativas; ſed effectrices, velut architecturam, & totam artem fabrilem. Itaq; alias artes ad ſpeculationem pertinere ajunt, ut theologiam: alias ad agendum, in quibus poſt actum opus nullum reſtat, ut rhetoricen, & muſicen: alias ad fabrefaciendum, unde ſunt tam multa opera vitæ utilia, ædes, naves,*

urbes, menſæ, veſtes. Sed hæc diviſio artium non ſpectat ad ſtudium ſapientiæ, de quo hic loquimur.

g Socrates in activa.] Activam dicit, quæ ad virtutem, mores, vitamq; agendam ſpectat, in qua totus fuit Socrates, cum alioqui multum in ea contemplaretur. Adimantus enim ſic Socrati loquitur in 2. l. De rep. Platonis: Omnem vitam nulla in re alia, quàm ſpeculatione conſumpſiſti. Idem Socrates quantum inquirendis perſpiciendisq. rebus ad vitam pertinentibus poſuerit operæ, declarat apud Platonem in Apologia: ſed eæ res ad agendum dirigebantur: quas verò Pythagoras ſcrutabatur, cum aperta erant, & ad cognitionem pervenerant ſui ulterius non progrediebantur.

h Quam in t.p.d.] Euſeb. l. Præpar. Evang. hanc Platonis philoſophiæ ſectionem ab Hebræis derivatam eſſe dicit, affertq; ſententiam Attici philoſophi, qua diviſio illa declaratur apertius, docetq; Platonem conjunxiſſe partes omnes philoſophiæ in unum velut corpus, diſperſas prius ceu membra Penthei: nam Thales & ejus diſcipuli phyſicæ totos ſe tradiderunt: ſex alij ſapientes, Ethicæ: Zeno & omnes Eleatici, dialecticæ. Plato hæc omnia coagmentavit, & oſtendit hominibus, non laceram philoſophiam, ſed integram atq; abſolutam: cui ſuffragatur Ariſt. ipſe l. 7. Philoſ. Laertius in Plat. Philoſophiæ ratio olim circa unam tantum phyſicæ ſpeciem verſabatur: acceſſit Socrates, & addidit ethicen tertiam Plato philoſophiæ dialecticen adjecit, & conſummato philoſophiæ operi extremam manum impoſuit. Apulejus in Dogmate Platonis, de ipſo loquens. Quapropter inventa Parmenidis, ac Zenonis ſtudioſius executus, ita omnibus quæ admirationi ſunt ſingula, ſuos libros explevit, ut primus tripartitam philoſophiam copularet, ſibiq; invicem neceſſarias partes, neq; pugnare inter ſe tantummodo, ſed etiam mutuis adjuvari auxilijs oſtenderit. Hæc ille. Ex Dialogis Platonis, alij ad rationem diſſerendi pertinent, ut Gorgias, & Eutydemus: alij ad mores privatos, ut Memnon, Eutyphro, Philebus, Crito: alij ad mores publicos, ut leges, & reſpublica, alij ad res naturæ, ut Timæus: alij ad τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ ut Parmenides, & Sophiſta. tametſi cum ratione dialectica ſunt hi dialogi conjuncti.

i Qua verum determinat à falſo] Antiqui codices. Quæ verum diſterminat à falſo, h.e. ſeparat, ut Lucanus: qui Gallica certus Limes ab Auſonijs diſterminat arva colonis. Et Mela: Europam ab Aſia ſtadijs v. diſterminat Thracius, ut dictum eſt, Boſphorus.

k Quæ licet utrique. id eſt, actioni, & contemplationi.] Magnis & odioſis contentionibus noſtri philoſophi quærunt, ſit ne dialectica ſcientia practica an ſpeculativa: quæ diſputatio inutilis mea ſententia, quales ſunt penè omnes, quæ hac tempeſtate in philoſophia docentur, diſcunturq;, diſtinet ſtudia juvenum, confictis miris ſomnijs de ſpeculatione & praxi. Tandem ſententia litis vulgo nunc pro praxi datur, quod dialectica doceat argumentari: quaſi verò non magis in inſpectione naturæ argumentemur, quam in actione vitæ. Sed iſti nec quid ſit inſpicere res naturæ ſciunt, nec quid agere vitam, aut quo modo ſit agenda: Non quod putem eam in ſola ſpeculatione ſitam eſſe, ſed optimè hic Augu. definiſſe utriq; philoſophiæ eſſe

illam

illam neceſſariam, magis tamen ad inveſtigandum, quid ubiq; verum, quid falſum, quid probabile, quid ſecus ſit, accommodari.

l Cùm enim magiſtri ſui Soc.] *Ipſe Plato, ut dixi, libros ferè ſuos Socratis eſſe ſatebatur, & in omnibus dialogis ejus quæ Socrati dantur, ea ſunt ex ſententia Plat. credenda, ſed ex verbis quoq; Timæi, & hoſpitis Athenienſis, & Eleatis Plato ſententiam ſuam profert.*

m Sive quæ ab alijs.] *Alibi, ab illo, ſcilicet Socrate: ea enim ſentit Plato, quæ Socrates quanquam & quæ alij nonnulli, vi modò dixi.*

n Si enim homo ita cr. e. v. per id. q. in eo. pr.] *Quid opus eſt tam multis clamoribus diſputare, ſitne hoc intellectus, an voluntas, cum ſatis, ut alios præteream ab Ariſt. in lib. Momlib. dictum ſit, mentem eſſe in homine omnium optimum, & præſtantiſſimum. In ea eſt, & quem vocant intellectum, & voluntas, & memoria: verum illa quia ſic dicuntur, ut nec unquam fuerint, nec intelligantur, admirationi ſunt. Hæc quia intelliguntur, & propemodum prehenduntur manibus ſordent.*

o Ipſe quæratur.] *Subinde alludit ad illam tricipitem philoſophiæ diſtributionem: & in veterib. l. ſic legitur: ipſe quæratur, ubi nobis certa ſunt omnia: ipſe cernatur, ubi nobis vera ſunt omnia, &c.*

α CÆteros obſcuraret Plato.] *Laertius ex Socraticis tres nobiliſſimos fuiſſe teſtatur Platonem & Xenophontem & Antiſtenem,* τῶν διαδεξαμένων αὐτὸν τῶν λεγομένων Σωκρατικῶν. οἱ κορυφαιότατοι μὲν Πλάτων, Ξενοφῶν, Ἀντισθένης. *De excellentia Platonis ſupra cæteros philoſophos plura adducit ex Cicerone, Auguſtino, & aliis authoribus Beſſarion lib. 1. contr. calumn. cap. 3. Juſtinus in exhortat. præcipuum Græcorum philoſophorum eum vocat. Euſebius lib. 10. de præpar. Evang. c. 3.* Plato cum Socratem primum, deinde Pythagoreos audiverit, omnes tum eloquentia, tum prudentia ſuperavit. *Ambr. l. 2. de Abraham c. 7. Platonem,* Philoſophiæ patrem, *nominat. & lib. 1. c. 5.* Principem philoſophorum, *& præfatione in enarrationem Pſal. 35. dicit, eum* tenere in omnes ſæcularis ſapientiæ principatum. F.L.Conſ.

β Qui cum eſſet Athenienſis.] *Agebat gratias naturæ, quod Athenienſis natus eſſet, & quod temporibus Socratis.* Quanto ſanius faceret (*ait Lactantius lib. 3. c. 19.*) ſi gratias agere ſe diceret, quod ingenioſus, quod docilis natus eſſet, quod in iis opibus, ut liberaliter erudiretur. Nam quod Athenis natus eſt, quid in eo beneficii fuit?

γ Itaque & in Ægypto didicit.] *Laertius ita de peregrinatione Platonis.* Γενόμενος ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἐτῶν καθά φησιν Ἑρμόδωρος, εἰς Μέγαρα πρὸς Εὐκλείδην σὺν ἄλλοις τισὶ Σωκρατικοῖς ὑπεχώρησεν. ἔπειτα εἰς Κυρήνην ἀπῆλθε πρὸς Θεόδωρον τὸν μαθηματικόν, κἀκεῖθεν εἰς Ἰταλίαν πρὸς τοὺς Πυθαγορικούς, Φιλόλαον καὶ Εὔρυτον· ἐνθέντε εἰς Αἴγυπτον παρὰ τοὺς Προφήτας. *Vult itaq; prius ad Pythagoricos in Italiam veniſſe, deinde ſe in Ægyptum ad Prophetas ſacerdotesq; recepiſſe, ubi diſſentit à D. Auguſtino. Ambroſ. ſerm. 18. in Pſal. 118.* Eruditionis gratia Plato in Ægyptum profectus, ut Moſis geſta, legis oracula & Prophetarum dicta

dicta cognoſceret. *Genebrardus in Chronologia ann. mundi 3730.* Plato opes Atticæ, Moſis æmulus, ſive Moſis Atticus ex Numenio Pythagorico, qui tertius Philoſophorum poſt Anaxagoram & Pythagoram in Ægyptum deſcendit, ut philoſophiam ex qua Divini cognomentum eſt conſecutus diſceret, tredecim annis fuit Heliopoli cum ſacerdotibus. *Diodorus lib. 1. cap. 6. multos excellentes viros ex Græcia in Ægyptum eruditionis gratia profectos commemorat & inter cæteros Platonem. Juſtinus Martyr in exhort. vult Platonem Moyſis doctrinam, cæterorumq́; prophetarum de uno ſolo Deo in Ægypto didiciſſe. Clemens Alexel. 1. ςρωμα]. Platonis præceptorem in Ægypto nominat Sechimpſidem Heliopolitanum, & Pythagoræ Souchedem Archiprophetam Ægyptium, & Eudoxii Cintii Conuphidem.*

δ Inde in eas Italiæ partes.] *Cicero in Catone vult Platonem Tarentum veniſſe L. Æmylio, & Appio Claudio Coſſ. & Tuſcul. quæ l. 1.* Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognoſceret, in Italiam veniſſe, & in ea cum alios multos tum Archytam Timæumque cognoviſſe, & didiciſſe Pythagorea omnia: *De hac peregrinatione D. Hieronymus epiſt. ad Paulinum presbyterum.* Sic Plato Ægyptum, & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſime peragravit, qui Athenis magiſter erat & potens, cujusque doctrinam Academiæ Gymnaſia perſonabant, fieret peregrinus atque diſcipulus, malens aliena verecunde diſcere, quam ſua imprudenter ingerere.

ε Magiſtrum Socratem ſingulariter diligebat.] *Epiſt. 7. quæ eſt ad Dionis propinquos & familiares, Socratem vocat amicum ſuum.*

ζ Una pars ejus activa, altera contemplativa.] *Ita aptiſſime diviſit Ariſtoteles philoſophiam 2. Metaph. cap. 1. & lib. 11. c. 6. Speculativam & activam, quam diviſionem referunt ex ſententia Ariſtotelis, Plutarchus lib. 1. de Placitis, Themiſtius, Simplicius ac Philoponus initio Phyſic. Ammonius præfat. in Porphyriũ, Alexander initio Priorum. Huius vero diviſionis rationes aliquæ adferri poſſunt, prima ſumi poteſt ex fine philoſophiæ; cum enim inventa ſit, ut Deo nos quam ſimillimos efficiat, in Deo vero duplex ſit actio, una, quæ omnia uno intuitu cognoſcit, altera quæ omnia regit & gubernat, jure diviſa eſt philoſophia in ſpeculativam & activam: beneficio enim ſpeculativæ rerum naturas cognoſcimus, activæ ope rectæ rationi conſentaneam & cum virtute conjunctam vitam agimus, & nos quodammodo regimus. Altera ratio ſumitur à duplici animæ noſtræ facultate. Duplex eſt enim animæ noſtræ vis, una appetendi, altera cognoſcendi; cum itaq́; philoſophia ſit perfectio animi, in duas partes optime diviſa eſt, ab ea enim, quæ in contemplatione verſatur, perficitur vis cognoſcendi ſeu intellectus; ab ea quæ poſita in actione facultas appetendi perficitur ſeu voluntas: non quidem quod in voluntate ſit ulla ſcientia, ſed quia per ſcientiam ſeu philoſophiam practicam voluntas ſciat quid appetendum, quidve fugiendum.*

η Pythagoras verò magis contemplativa.] *D. Auguſtinus lib. 1. de conſenſ. Evang. c. 6.* Pythagoræ, quo in illa contemplativa virtute nihil habuit tunc Græcia clarius, *&c.*

θ Plato

θ Plato utramq; jungendo philoſophiam perfeciſſe laudatur.] *Laertius in ejus vita*, Μίξιν τε ἐποιήσατο τῶν τε Ἡρακλειτείων λόγων καὶ Πυθαγορικῶν καὶ Σωκρατικῶν, τὰ μὲν γὰρ αἰσθητὰ καθ' Ἡράκλειτον. τὰ δὲ νοητὰ κατὰ Πυθαγόραν, τὰ δὲ πολιτικὰ κατὰ Σωκράτην ἐφιλοσόφει. *Hoc idem docet Proclus in Timæum, Platonem*, Συγκεράσασθαι τήν τε Πυθαγόρειον καὶ Σωκρατικὴν ἰδιότητα. παρεῖναι μὲν γὰρ ἐν αὐτῷ παρὰ μὲν Πυθαγορικῆς συνηθείας τὸ ὑψηλόνουν, τὸ νοερὸν, τὸ ἔνθεον, τὸ ἀπὸ τῶν νοητῶν πάντα ἐξάπτειν, τὸ ἐν ἀριθμοῖς τὰ ὅλα ἀφοριζόμενον, τὸ μυστικῶς τὰ πράγματα καὶ συμβολικῶς ἐνδεικνύμενον, καὶ τὸ ἀνάγωγον καὶ ὑπεραῖρον τὰς μερικὰς ἐπιβολὰς, τὸ ἀποφαντικὸν, παρὰ δὲ τῆς Σωκρατικῆς φιλανθρωπίας τὸ συνουσιαστὸν, τὸ ἥμερον, τὸ ἀποδεικτικὸν, τὸ δι' εἰκότων τὰ ὄντα θεωρεῖν, τὸ ἠθικὸν πάντα τὰ τοιαῦτα. *Apuleius*, Quamvis de diverſis officinis hæc ei eſſent Philoſophiæ membra ſuſcepta, naturalis ab Heraclitis, intellectualis à Pythagoreis, rationalis atque moralis ab ipſo Socratis fonte, unum tamen ex omnibus, & quaſi proprii partus corpus efficit. *Euſebius l. 19. c. 2. de præpar. Evang. Platonem Pythagoricum fuiſſe aſſerit & medium trahi inter Pythagoram & Socratem. Sublimitatem namq; illam Pythagoræ ad humilitatem deduxit, humile verò atq; dejectum Socratis ad gravitatem reduxit, ac ita Pythagora popularior ac communior, Socrate vero gravior viſus eſt.*

ι Quam in tres partes diſtribuit.] *Hanc diviſionem à Platone traditam docet Cic. l. 1. Academ. quæ. Plut. l. 1. de placitis Philoſoph. c. 10. Alcinous lib. de doctrina Platonis c. 3. Laertius in vita Platonis. D. Auguſtinus, & hoc loco, & infr. lib. 15. c. 25. & l. 3. contra Academicos cap. 17. Euſeb. l. 1. præparat. Evang. cap. 1. ubi docet hanc philoſophiæ diviſionem Platonem ab Hebræis accepiſſe.*

κ Vel ubi ſuffragatur religioni veræ.] *De quo videre licet Beſſarionem l. 1. c. 2. contra calumniatorem Platonis. c. 6.*

λ Quarum unum ad naturalem, alterum ad rationalem.] *Simile quid habet epiſt. 3. ad Voluſium in commendationem ſacræ ſcripturæ.* Hic Phyſica, quod omnes omnium naturarum cauſæ in Deo creatore ſint, hic Ethica, quoniam vita bona & honeſta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda ſunt, diliguntur, hoc eſt Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis nonniſi Deus eſt.

μ Si enim homo ita creatus eſt.] *Nempe ad Dei imaginem capax beatitudinis, in quo qui excellit eſt ipſe intellectus ſeu mens. Ariſtot. l. 10. Ethic. cap. 8. Dei operationem, cum beatitudine excellat, docet eſſe contemplationem*, Et ex humanis (*inquit*) ea erit fœliciſſima, quæ maximè huic cognata eſt. *Unde cætera animalia, quæ hac operatione penitus carent, etiam expertia ſunt fœlicitatis.*

CAP. V.

Quod de theologia cum Platonicis potiſſimum diſceptandum ſit, quorum opinioni omnium philoſophorum poſtponenda ſunt dogmata.

SI ergo *a* Plato Dei hujus imitatorem, cognitorem, amatorem dixit eſſe ſapientem, cujus participatione ſit beatus, quid opus eſt excutere cæteros, quorum *β* nulli nobis, quàm iſti propius acceſſerunt? Cedat eis igitur non ſolum theologia illa fabuloſa, deorum criminibus oblectans animos impiorum, nec ſolum etiam illa civilis, ubi impuri dæmones terreſtribus gaudijs deditos populos deorum nomine ſeducentes, humanos errores tanquam ſuos divinos honores habere voluerunt: ubi ad ſpectandos ſuorum criminum ludos, *a* cultores ſuos tanquam ſuæ vanitatis adminiſtratores habuerunt: ubi per eos ad ſuum cultum ſtudijs immundiſſimis alios excitantes, & ſibi delectabiliores ludos de ipſis ſpectatoribus exhibentes. Ubi ſi qua velut honeſta geruntur in templis, conjuncta ſibi theatrorum obſcœnitate turpantur, & quæcunque turpia geruntur in theatris, comparata ſibi templorum fœditate laudantur. Et ea quæ Varro ex his ſacris, quaſi ad cœlum & terram rerumque mortalium ſemina & actus interpretatus eſt, quia nec ipſa illis ritibus ſignificantur, quæ ipſe inſinuare conatur, & ideò veritas conantem non ſequitur. Et ſi ipſa eſſent, tamen animæ rationali ea, quæ infra illam naturæ ordine conſtituta ſunt, pro Deo ſuo colenda non eſſent: *γ* nec ſibi præferre debuit tanquam deos eas res, quibus ipſam prætulit verus Deus, & ea quæ Numa Pompilius revera ad ſacra ejuſmodi pertinentia ſecum ſepeliendo curavit abſcondi, & *δ* aratro eruta ſenatus juſſit incendi. In eo genere ſunt etiam illa, ut aliquid de Numa mitius ſuſpicemur, *b ε* quæ Alexander Macedo ſcribit ad matrem ſibi à *ζ* magno antiſtite ſacrorum Ægyptiorum quodam Leone patefacta. Ubi non Picus, & Faunus, & Æneas, & Romulus, vel etiam Hercules & Æſculapius, & Liber Semele natus, & Tindaridæ fratres, & ſi quos alios ex mortalibus pro dijs habent, *c* ſed ipſi etiam majorum gentium dij, quos Cic. in Tuſc. tacitis nominibus videtur attingere: Iupiter, Iuno, Saturnus, Vulcanus, Veſta, & alij plurimi, quos Varro conatur ad mundi partes ſive elementa transferre, *η* homines fuiſſe produntur. Timens enim & ille quaſi revelata myſteria, petens admonet Alexandrum, ut cum ea matri conſcripta inſinuaverit, flammis jubeat concremari. Non ſolùm ergo iſta quæ duæ theologiæ continent, fabuloſa ſcilicet & civilis, Platonicis philoſophis cedant, qui verum Deum, & rerum autorem, & veritatis illuſtratorem, & beatitudinis largitorem eſſe dixerunt. Sed alij quoque philoſophi, qui corporalia naturæ principia corpori deditis mentibus opinati ſunt, cedant his tantis & tanti Dei cognitoribus viris, ut Thales in humore, Anaximenes in aere, *ϑ* *d* Stoici in igne, *θ* Epicurus in atomis, hoc eſt, minutiſſimis corpuſculis, quæ nec dividi nec ſentiri queunt, & quicunque alij quorum enumerationi immorari non eſt neceſſe: ſive ſimplicia, ſive conjuncta corpora: ſive vita carentia: ſive viventia, ſed tamen corpora, cauſam principiumque rerum eſſe dixerunt. *e* Nam quidā eorum à rebus non vivis res vivas fieri poſſe crediderunt, ſicut Epicurei. *f* Quidam verò à *ι* vivente quædam viventia, quædam non viventia, ſed tamen à corpore corpora. *g κ* Nam Stoici ignem: id eſt, corpus

Platonicis omnium philoſophorum dogmata poſtponenda.

unum

unum ex his quatuor elementis, quibus viſibilis mundus hic conſtat, & viventem, & ſapientem, & ipſius mundi fabricatorem atque omnium quæ ſunt in eo, eumque omnino ignem Deum eſſe putaverunt. Hi & cæteri ſimiles eorum, λ id ſolum cogitare potuerunt, quod cum eis corda eorum obſtricta carnis ſenſibus fabulata ſunt. *b* In ſe *u* quippe habebant, quod non videbant, & apud ſe imaginabantur, quod foris viderant, etiam quando non videbant, ſed tantummodo cogitabant. Hoc autem in conſpectu talis cogitationis jam non eſt corpus, ſed ſimilitudo corporis. Illud autem unde videtur in animo hæc ſimilitudo corporis, nec corpus eſt, nec ſimilitudo corporis: & unde videtur, atque utrum pulchra an deformis ſit judicatur: profectò eſt melius quàm ipſa quæ judicatur. Hæc mens hominis & ipſa rationalis animæ natura eſt, quæ utique corpus non eſt, ſi jam illa corporis ſimilitudo cùm in animo cogitantis aſpicitur atque judicatur, nec ipſa corpus eſt. Non eſt ergo, nec terra, nec aqua, nec aer, nec ignis: quibus quatuor corporibus quæ dicuntur quatuor elementa, mundum corporeum videmus eſſe compactum. *v* Porrò ſi noſter animus corpus non eſt: quomodo Deus creator animi corpus eſt? Cedant ergo & iſti ut dictum eſt, ξ Platonicis, *i* cedant & illi, *o* quos quidem puduit dicere Deum corpus eſſe, veruntamen ejuſdem naturæ cujus ille eſt, animos noſtros eſſe putaverunt. Ita non eos movit tanta mutabilitas animæ, quam Dei naturæ tribuere nefas eſt. *k* Sed dicunt: corpore mutatur animæ natura: nam per ſeipſam incommutabilis eſt. Poterant iſti dicere, corpore aliquo vulneratur caro, nam per ſeipſam invulnerabilis eſt. Prorſus quod mutari non poteſt, nulla re poteſt ac per hoc quod corpore mutari poteſt, aliqua re poteſt, & ideo incommutabile rectè dici non poteſt.

a CUltores ſuos tanquam ſuæ.] *Alibi ſic legitur, Cultores ſuos tanquam ad ſuum cultum ſtudiis im. excitatos.* L.Viv.

b Quæ Alexander Macedo ſcribit ad matrem.] *Cyprianus de idolorum vanitate, ubi dicit deos omnes gentium homines fuiſſe: Hoc, inquit, ita eſſe Alexander magnus inſigni volumine ad matrem ſuam ſcribit: metu ſuæ poteſtatis proditum ſibi de diis hominibus à ſacerdote ſecretum, quod majorum regum memoria ſervata ſit, inde colendi & ſacrificandi ritus inoleverit.*

c Sed ipſi etiam majores gentium dij, quos Cicero in Tuſcul. tacitis nom.] *Legendũ majorum gentium dÿ. Tarq. Priſcus 5. Ro. rex, veteri ſenatui centum ſenatores adjecit, ut in eo ordine majores vires obtineret. Hi ſunt minorum gentium patres dicti, priores illi, majorum: ita ut τὰ Φορικῶς Cicero præcipuos illos & vetuſtate confirmatos deos majorum gentium vocat. Hoc dicto primo Tuſcul. quæſt. Si verò ſcrutari vetera, & ex iis, ea quæ ſcriptores Græciæ prodiderunt eruere coner, illi ipſi majorum gentium dij qui habentur, hinc à nobis profecti in cælum reperiantur. Hæc Cicero docens animos hominum eſſe immortales, eosq́; eſſe, quos pro diis colamus, cum corpore ſoluti in cælum evolarunt. Tales eſſe Romulum, Herculem, Liberum Semele natum, Tindaridas, hoc eſt, Caſtorem & Pollucem, matrem Matutam ac totum propè cælum, hominibus eſſe completum. In Leg. idem* Majorũ gentium dii.

Cicero deos majorum gentium vocat eos, qui cœleſtes ſemper ſunt habiti. Adſcriptitios dicit, quos in cœlum merita vocarunt.

d Stoici in igne.] *Cic. in l. De nat. deorum: Stoici, inquit, omnem vim dicunt eſſe ignem, Heraclitum, ut veriſimile eſt ſecuti, & Zeno princeps illorum naturam, quàm eandem deum putavit, ſic finit: ignem artificioſum ad gignendum progredientem via.*

e Nam quidam eorum à rebus non vivis.] *Epicurei ex atomis temerè volitantibus, & fortuitu coeuntibus homines & reliqua conflari animantia dicebant.*

f Quidam verò à vivente, quædam viventia.] *Sic eſt legendum ex Scriptura antiquorum codicum: Quidam verò à vivente quidem, & viventia & non viventia, ſed tamen à corpore corpora.*

g Nam Stoici ignem.] *De hoc plurima Cic. 2. De nat. deor.*

h In ſe quippe habebant.] *Animum ſuum incorporalem imaginari non poterant, ſed tantum corporalia, nec ea quævis, ſed quæ aliquando ſub ſenſus noſtros venerunt. Decantatum illud in ſcholis etiam pueris: Nihil eſſe in mente, quod prius non fuerit in ſenſu: hoc eſt, mentem noſtram nihil cogitare poſſe, quod circum veſtitum non ſit aliqua ex his rebus, quas aliquando ſenſu percepit: ita res ex ſe incorporeas corporaliter cognoſcimus, & res corporales quas nunquam vidimus, cum animo & cogitatione intuemur, ea forma facieque inſpicimus quæ erant aliæ res, quas vidimus, ut ſi quis cum Romam nunquam viderit, de ea cogitet, muros, templa, ædificia illi affinget, quæ vel Pariſiis, vel Lovanii, vel Valentiæ inſpexit. Docet dehinc Auguſtinus cogitationes hominum eſſe incorporeas, ſenſuſque internos animi à quibus cogitationes fiunt, & cogitationibus & corporibus univerſis anteſtare: cuius animi mentiſque cum ſit parens ipſe Deus, colligitur non corpus eſſe Deum, ſed rem aliquam & cunctis corporibus, & animis quoque præſtantiorem.*

i Cedant & illi quos puduit dicere Deum corpus eſſe.] *Cic. 1. De nat. deor. Nam Pythagoras, qui cenſuit Deum eſſe animum per naturam rerum intentum & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur, non vidit diſtractione humanorum animorum diſcerpi & lacerari Deum, & cum miſeri animi eſſent, quod plerique contingeret, tum Dei partem eſſe miſeram, quod fieri non poteſt. Plato verò animos noſtros de ſubſtantia aſtrorum deciſos putat, & eòdem redituros, ſi puri ex hac vita diſceſſerint, unumquenque ad aſtrum, è quo eſt deſumptus: cumque ſydera ex elementis quatuor ſint coagmentata, & animas ipſas ejuſdem eſſe conſtitutionis ac naturæ, tametſi longe diverſæ rationis, quàm ſit iſta corporum ex elementis compoſitio.*

k Sed dicunt corpore.] *Verg. 4. Georg. & 6. Æneid. opinionem Pythagoricam adducit, ex deo, id eſt, animo mundi canens:*

Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas,

Et ad eam poſt mortem redire. Sed quoniam dubitari poſſet, qui ſit, ut cùm omnes animæ de eodem principio ſint derivatæ, non omnes eodem intelligant modo, & ſapiant

piant, & ratione utantur: idcirco à corporibus hæc manare diſcrimina oſtendit, non ab animis ipſis. ſic enim inquit:

Principio cœlum & terras, campoſq́ liquentes,
Lucentemq́ globum lunæ, Titaniaq́ aſtra
Spiritus intus alit, totamq́ infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumq́ genus, vitæq́ volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq́ hebetant artus, moribundaq́ membra.
Hinc metuunt, cupiuntq́, dolent, gaudentq́, nec auras
Reſpiciunt: clauſæ tenebris & carcere cæco.

Quæ omnia declarat fuſe Servius grammaticus Porphyrius 4. de ſacrificiis compati animam cum corpore ex Pythagorica diſciplina concedit, & è corpore bene aut ſecus affecto aliquid in animum redundare, permutari tamen ex hoc animæ naturam negat.

α PLato Dei huius imitatorem, cognitorem, amatorem dixit eſſe ſapientem.] F. L. Cap. *Sic in Theæteto,* ἡ μὲν γὰρ τούτου γνῶσις (θεοῦ) σοφία καὶ ἀρετὴ ἀληθινή. i. Dei cognitio, ſapientia, & vera virtus eſt, *ubi & nos aſſimilare Deo docet per juſtitiam & ſanctitatem cum ſapientia conjunctam.*

β Nulli nobis quam iſti propiùs acceſſerunt.] *Idem lib. de vera religione, cap. 9.* Platonici (*inquit*) paucis mutatis verbis atque ſententiis Chriſtiani fuere.

γ Nec ſibi tanquam deos debuit eos res præferre.] *Mirum eſt, qui factum ſit, ut anima rationalis ad imaginem factoris ſui creata eò ſe demiſerit, ut veneraretur non modò immundiſſimos ſpiritus, verum etiam & bruta animantia & inanimata, dicens ligno,* pater meus es tu, *& lapidi,* tu me feciſti, *Hierem. 2. Oſeæ 9. Ita Gregor. Nazianzenus orat. in ſancta lumina de Idololat.* ἐν οἷς σέβονται οὐ μᾶλλον τιμῶνται ἢ δι' ἐκείνων ἀτιμαζόμενοι βδελυκτοὶ τῆς πλάνης βδελυκτότεροι τῆς ἀπωλείας τῶν προσκυνουμένων καὶ σεβομένων, ἵνα καὶ αὐτῶν τῶν τιμωμένων ὦσιν ἀναισθητότεροι, τοσοῦτον ὑπερβάλλοντες ἀνοίᾳ, ὅσον ἀπωλείᾳ τὰ προσκυνούμενα.

δ Aratro ducta Senatus juſſit incendi.] *Hanc hiſtoriam de juventis libris Numæ in agro L. Petilij ſcribæ ſub Janiculo dum cultores agri altius moliuntur terram, & judicio Senatus concrematis, quorum ſeptem Latini erant de jure Pontificio, & ſeptem Græci de diſciplina ſapientiæ, quæ illius ætatis eſſe potuit, refert Livius lib. xl. A. v. c. DLXXIII.*

ε Quæ Alexander Macedo ſcribit ad matrem.] *Eiusdem epiſtolæ infra meminit lib. 12. cap. 10. & Cyprianus lib. de Idolor. vanit. Minutius Fœlix in Octavio. Athenagoras in Apologia pro Chriſtian.*

ζ A magno antiſtite ſacrorum Ægyptiorum quodam Leone.] *Genebrardus putat ſacerdotem illum fuiſſe Jaddum magnum ſacerdotem templi Hieroſolymitani*

qui cum contulit Alexander, quod mihi non probatur: nam in ea Epiſtola multa ſunt nugæ, quæ ab homine Dei in libris Moyſis apprimè erudito minimè prodire potuerunt; neq; ſacrorum Ægyptiorum, quæ nefanda erant, ſed ſacræ religionis antiſtes erat apud Iudæos unius veri Dei cultores.

η Homines fuiſſe produntur.] *Verum enim illud Lactantij lib. 1.* Nimirum ii omnes, qui coluntur ut Dii, homines fuiſſe produntur, & iidem primi & maximi Reges. *Idem de Ira Dei.* ſuſcepit vita hominum, conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros, in cœlum fama ac voluntate tolleret.

θ Epicurus in atomis.] *Non hæc fuit unius Epicuri ſententia, verum etiam Democriti qui ipſam molitionem compoſitionemq; univerſitatis attribuebat fortuito concurſui atomorum in infinito ſpatio temerè diſcurrentium, ita teſtatur Ariſtoteles.*

ι A vivente quædam viventia, quædam non viventia.] *Id intelligi non poteſt de viventibus perfectis, verum imperfecta quædam & per generationem à viventibus ſuæ ſpeciei, & præterea ex putri materia generari poſſunt, an eiusdem ſint vel diverſæ ſpeciei quæ ita duplici modo producuntur, diſputant philoſophi.*

κ Nam Stoici ignem.] *Fortaſſe quod non apprehenderent niſi corpora, interea verò ignem præſtantiſſimum cenſebant Stultam de Deo opinionem Stoicorum perſtringit Clemens Alexandr. lib. 1. & 5. ςρωμ. Theodoret. ſermon. 2. θεραπευτ.* φλέζεται καὶ τὴν τῶν ςωικῶν ἀπρεπῆ περὶ τοῦ θεοῦ δόξαν. σωματοειδῆ γὰρ οὗτοι τὸν θεὸν ἔφησαν εἶναι. Stoicorum fugiet de Deo opinionem omnino Deo indignam, nam Deum affirmarunt eſſe corporeum.

λ Id ſolum cogitare poterit quòd cum &c.] *Quò accedit quod ſcribit lib. 1. de doctrin. Chriſt. cap. 7.* Ita cogitatur Deus, ut aliquid, quo nihil melius ſit atque ſublimius illa cogitatio conetur attingere. Sane quoniam diverſis moventur bonis, partim eis, quæ ad corporis ſenſum, partim eis quæ ad animi intelligentiam pertinent, illi qui ſunt corporibus dediti, aut ipſum cœlum, aut quod in cœlo fulgentiſſimum vident, aut ipſum mundum Deum deorum eſſe arbitrantur. Cum ergo nihil ſupra corpora comperirent Stoici & alii philoſophi facile lapſi ſunt in eum errorem, ut Deum corporeæ alicuius formæ eſſe exiſtimarent.

μ In ſe quippe habebant quod non videbant.] *Adeo difficilis eſt huiusmodi cognitio ſui ipſius, ut cum conſtet ex anima tanquam ex nobiliori parte, de ea tamen variæ & diſcrepantes fuerunt ſententiæ.*

ν Si noſter animus corpus non eſt.] *Oſtendit D. Auguſtinus animum noſtrum eſſe aliquid ſupra corpora, & eos, qui aliud exiſtimarent inde erraſſe, quod non niſi corpora quæ viderant, poſſent apprehendere. Si verò animus noſter corpus non eſt, ſed aliquid præſtantius, ergò nec Deus ipſe corpus erit, atque animum noſtrum non eſſe corpus conſtat inde, quod etiam res non viſas cogitat, atq; tunc non corpus, ſed ſimilitudo, ſeu ſpecies corporis eſt, in mente noſtra; & cogitatio eſt incorporea.*

ξ Cedant ergo iſti Platonicis.] *Mens ergò D. Auguſtini hæc eſt, præferre ſententiam*

tentiam Platonis, qui Deum ἀσώματον existimavit, cæteris philoſophorum, qui Deum corporeum falsò docuerunt. Multi enim philoſophi, ut conſtat ex Ciceron. in libr. de nat. Deor. & ex Plutarch. lib. 1. de plac. cap. 7. putarunt Deum eſſe corporeum. Platonem cæteris philoſophis melius de Deo ſenſiſſe ferè conſentiunt Patres, quæ tamen bene docuit è divinis ſumpſiſſe libris tradunt Clem. Alexand. lib. 5. ςρωμα]. & Theodoretus ſermo 2. θεραπ.

o Quos quidem puduit dicere Deum corpus eſſe, verùm tamen.] *Ita libr. 1. de Trinit. cap. 1. Eorum, qui de Deo perverſè ſentiunt, morbum trium eſſe generum ſcribit, eorum ſcilicet, qui ſecundùm corpus de Deo ſapiunt, & eorum, qui ſecundùm ſpiritualem creaturam, ſicuti eſt animus, & eorum, qui neq; ſecundùm corpus neq; ſecundum ſpiritualem creaturam; & tamen de Deo falſa exiſtimant.* Eò remotiores à vero (*inquit*) quò id quod ſapiunt nec in corpore reperitur, nec in facto & condito ſpiritu, nec in ipſo creatore.

π Ita non eos movit tanta mobilitas animæ.] *Solus enim Deus omnino immutabilis eſt, atq; id ita illi proprium, ut creaturæ ſit incommunicabile, cùm ſolus Deus ſit ens neceſſarium, creaturæ, quæ ex nihilo producta eſt, non repugnat deſinere eſſe, quo ſenſu D. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 1. exponit illud 1. Timothei 6.* Qui ſolus habet immortalitatem. *i.* incommutabilitatem, quæ vera immortalitas incommutabilitas eſt, quam nulla poteſt habere creatura ab ipſo Deo, *ut aſſerit optimè Lactantius libr. 2. cap. 8. & Iſidor. lib. 1. de ſummo bono c. 1.*

CAP. VI.

De Platonicorum ſenſu in ea parte philoſophiæ, quæ phyſica nominatur.

VIderunt ergo iſti philoſophi, quos cæteris non immerito fama atque gloria prælatos videmus, *a* nullum *α* corpus eſſe Deum, & ideo cuncta corpora tranſcenderunt, quærentes Deum. *b β* Viderunt, quicquid mutabile eſt, non eſſe ſummum Deum: & ideo omnem animam mutabilesque ſpiritus tranſcenderunt, quærentes ſummum Deum. *c γ* Deinde viderunt omnem ſpeciem in re quacunque mutabili, qua eſt quicquid illud eſt, quoquo modo & qualiſcunque natura eſt, non eſſe poſſe niſi ab illo, qui vere eſt, quia & incommutabiliter eſt. Ac per hoc ſive univerſi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumque motum, & elementa diſpoſita à cælo uſque ad terram, & quæcunque corpora in eis ſunt, ſive omnem vitam, vel quæ nutrit, & continet, qualis eſt in arboribus: vel quæ & hæc habet, & ſentit, qualis eſt in pecoribus, vel quæ & hæc habet, & intelligit, qualis eſt in hominibus: vel δ quæ nutritorio ſubſidio non indiget, ſed tantum continet, ſentit, intelligit, qualis eſt in angelis, niſi ab illo eſſe non poſſe, qui ſimpliciter eſt. *d* ε Quia non aliud illi eſt eſſe, aliud vivere, quaſi poſſit eſſe non vivens: nec aliud illi eſt vivere, aliud intelligere, quaſi poſſit vivere non intelligens, nec aliud illi eſt intelligere, aliud beatum eſſe, quaſi poſſit intelligere & non beatus eſſe: ſed quod eſt illi vivere, intelligere, beatum eſſe, hoc

eſt illi eſſe. Propter hanc incommutabilitatem & ſimplicitatem intellexerunt eum, & omnia iſta feciſſe, & ipſum à nullo fieri potuiſſe. Conſideraverunt enim quicquid eſt, ζ vel corpus eſſe vel vitam, *e* meliusque aliquid vitam eſſe, quàm corpus, ſpeciemque corporis eſſe ſenſibilem, intelligibilem vitæ. Proinde intelligibilem ſpeciem ſenſibili prætulerunt. *η* Senſibilia dicimus, quæ viſu tactuque corporis ſentiri queunt; intelligibilia, quæ conſpectu mentis intelligi poſſunt. *θ* Nulla eſt enim pulchritudo corporalis, ſive in ſtatu corporis, ſicut eſt figura, ſive in motu, ſicut eſt cantilena, de qua non animus judicet, quod profectò non poſſet niſi melior in illo eſſet hæc ſpecies, ſine tumore molis, ſine ſtrepitu vocis, ſine ſpacio vel loci vel temporis. Sed ibi quoque niſi immutabilis eſſet, non alius alio melius de ſpecie ſenſibili judicaret: melius ingenioſior quàm tardior, melius peritior quàm imperitior, melius exercitatior quàm minus exercitatus, & idem ipſe unus cum proficit melius utique poſtea quàm prius. Quod autem recipit majus & minus ſine dubitatione mutabile eſt. Unde ingenioſi & docti & in his exercitati homines facilè collegerunt, non eſſe in eis rebus primam ſpeciem, ubi mutabilitas eſſe convincitur. Cùm igitur in eorum conſpectu & corpus & animus magis minusque ſpecioſa eſſent, & ſi omni ſpecie carere poſſent, omnino nulla eſſent, viderunt eſſe aliquid ubi prima eſſet incommutabilis ſpecies, & ideo nec comparabilis: atq; ibi eſſe rerũ principium rectiſſimè crediderunt, quod factum non eſſet, & ex quo facta cuncta eſſent. Ita quod notum eſt Dei ipſe manifeſtavit eis, cùm ab eis *ι inviſibilia ejus, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpecta ſunt:* ſempiterna quoque virtus ejus & divinitas, à quo etiam * viſibilia & temporalia cuncta creata ſunt. Hæc de illa parte, quam phyſicam, id eſt naturalem nuncupant, dicta ſint.

Rom. 1. *al. inviſibilia.*

I. Vives Deus non eſt corpus.

a NUllum corpus eſſe Deum.] *Hoc Alcinous in doctrina Platonis ſic arguit: Si corpus Deus eſſet, ex materia & forma componeretur. Nam omne corpus ex his duobus conſtatum eſt: ita ſimile ideis ſit, quarum particeps eſt latenti quadam ratione & modo. Abſurdum verò eſt ex materia & ſpecie componi, quandoquidem neq; ſimplex tunc eſſet, neq; principium, idcirco omni corpore vacat. Accedit huc, quod ſi corpus eſt, ex materia conſtet neceſſe eſt: quid ergo? ignis erit Deus? an aer? terra, an potius aqua? quodcunq; horum ſit, principium certè non erit: quin potius minus ac poſterius quiddam materia ipſa, ex qua conſtabit: nefanda hæc ſunt, Deum ergo incorporeum eſſe dicendum eſt. Profectò ſi eſt corpus, genitus erit & corruptioni obnoxius ac morti. Sed hæc omnia quàm longiſſimè à Deo abſunt. Hæc Alcinous.*

b Viderunt quicquid mutabile.] *Platoni in Timæo Deus dicitur* ἓν ὂν κ(αὶ) τ(ὸ) κα) ὡς ὄντως ἔχον, *id eſt, unum idem, & ſemper ſui ſimile, ut vertit Cicero. Alcinous ex intelligibilibus ſubſtantiis unam, Deus ut ſit neceſſe eſſe ait. Ex iſtis mentem eſſe ei, quæ mens non eſt, potiorem: at ex his mentem, quæ eſt in perpetuò actu præſtare illi, quæ in potentia: mentem igitur neceſſe eſt Deum eſſe.*

c Vide-

c Viderunt omnem ſpeciem.] *Speciem hic vocat Latino more formam, Græcè εἶδος: ſic Cicero, & alij.*

d Quia non aliud illi eſt eſſe.] *Alcinous idem Deus ipſe ſupremus, æternus, ineffabilis, ſeipſo perfectus, nullius rei indigus, ſemperq́ue & undiq́ue abſolutè perfectus, divinitas, eſſentiæ ratio, veritas, harmonia, bonum exiſtit. Neq́ue verò hæc ita dinumero, ut inter ſe ipſa disjungam, imò ut unum potius cuncta conſidero. Hæc ibi. Tametſi poſt paulum indicibilem Deum eſſe ait, & qui ſola capi mente queat. Neq́ue enim genere tenetur, nec ſpecie, nec differentia, nec inhæret ei quippiam: malum nefas eſt dicere, atqui ne bonum quidem, quandoquidem bonus eſſet participatione bonitatis, nec in eum cadit differentia, nec inhærens ullum. Similem opinionem ſecutus Dionyſius theologus, negat in Deo ſapientiam, vitam, & intellectum eſſe: Sunt enim hæc nomina privatarum & particularium perfectionum, cujusmodi in Deo nullam eſt reperire. Videntur hæc eſſe ex ſententia Platonis, qui in Phædone pulchrum omne participatione pulchri tale eſſe docet: verùm ibi excipit pulchrum ipſum, per quod Deum & ideam pulchritudinis haud dubiè ſignificat, ubi pulchritudinis omnis eſt fons.*

e Meliusque aliquid vitam eſſe.] *Animam appellat vitam, ſicut Ariſtoteles ἐντελεχίαν, quaſi perfectionem, aut ἐνδελεχίαν, id eſt, perennem quendam actum. Nam utrunq́ue dici poſſe video. Plato autem animas cùm dicit, ſolas videtur rationales velle intelligi.*

NUllum corpus eſſe Deum.] *Author noſter lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 7. & 8. probat Deum non eſſe corpus, quia corpore poteſt aliquid majus contingere. Corpore enim non vivente præſtantius eſt corpus vivens, & corpore vivente eſt præſtantior ipſa vita, qua vivit, quo eodem argumento utitur D. Thomas, 1. p. q. 3. articul. 1. & lib. 1. contra Gentes cap. 20. ubi etiam aliis multis rationibus idem probat. Videtur Lactantius lib. de ira Dei cap. 8. ſenſiſſe Deum eſſe corporeum.* Omitto, *inquit*, de figura Dei dicere, quia Stoici negant Deum habere ullam formam. *Tertullianus etiam lib. 1 contra Praxeam.* Quis, *inquit*, negabit Deum eſſe corpus? *Verùm D. Auguſtinus lib. de hæreſ. hæreſ. 86. ab eo errore liberat Tertullianum, quòd nomine corporis nihil aliud quàm ſubſtantiam intellexerit, quod certè videtur veriſſimum, quia ibidem ait Deum eſſe Spiritum, & Spiritum eſſe corpus: non potuit igitur nomine corporis, aliud intelligere, quàm ſubſtantiam, quod ex conſequentibus etiam confirmatur. Diſputabat enim eo loco contra eos, qui filium Dei, eò quod in ſcripturis vocaretur verbum, contendebant eſſe aliquid vacuum & inane inſtar verborum, quæ ab hominibus ſolent proferri: ait enim Tertullianus, Verbum Dei non eſſe aliquid inane, ſed eſſe ſubſtantiam.* Quia fieri non poteſt, ut quod ex tanta ſubſtantia prodierit, non ſit ſubſtantia. *Hæreſis fuit Manichæorum, ut conſtat ex argumento lib. contra epiſtol. fundam. cap. 23.* Deum eſſe quoddam corpus quadrum & immenſum, quod totum hunc mundum repleret, ex una tamen parte eſſe apertum, *Quos Divus Auguſtinus meritò ait multò ſtultiores eſſe his, qui Deo humanam formam tribuebant. Epiphanius ha. eſ. 70. refert, hæreticos quosdam exiſtimaſſe Deum eſſe corpus, quorum meminit* F.L.c.9

Divus Auguſtinus hæreſi 50. Succeſſit hæreſis Anthropomorphitarum, qui decepti quibuſdam locis ſcripturarum, docebant Deum præditum eſſe forma corporis humani. Legi poteſt hiſtoria tripart. lib. 10. cap. ſeptimo, Monachi quidam Ægyptij imperante Theodoſio iuniore hanc hæreſim excitarunt, qui Catholicos appellabant Origeniſtas, eo quod Origenes ſæpius in ſuis libris diſputet contra eos, qui Deum eſſe corpus exiſtimabant. Illis omnibus præferenda ſecta Platonicorum conſentanea maximè & ſcripturæ ſacræ & doctrinæ patrum & Theologorum, Deum eſſe omnino incorporeum.

β Viderunt quicquid mutabile eſt.] *Quod Deo nihil cogitari poſſit melius, aut perfectius, immutabile autem eſſe ſit omni mutabili eſſe perfectius, quo eodem argumento probat lib. 7. confeſ. cap. 4. Deum eſſe incorruptibilem, quia melius Deo aliquid cogitari poſſet niſi eſſet incorruptibilis. Non modo ſacra ſcriptura docet Deum eſſe immutabilem Numer. 23.* Non eſt Deus ut homo ut mutetur. *Pſal. 110.* Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. *Malach. 3.* Ego Deus & non mutor. *Iacob. 1.* apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio: *Sed etiam philoſophi qui τὸ ὂν τὸ ἓν, τὸ ἀκίνητον, Deum eſſe dixerunt, unitatem, ipſum eſſe, ipſam immutabilitatem; & Plato ipſe in Timæo Deum τὸ ὂν, creaturam τὸ γινόμενον appellat; quòd Deus ſit omninò immutabilis, creatura mutabilis, de quo videri poteſt Eugubinus lib. 3. de perenni philoſophia.*

γ Deinde viderunt omnem ſpeciem.] *Quæ Græcis εἶδος dicitur, ut rectè Vives interpretatur: qua unumquodque in certa ſpecie conſtituitur, & quæ ipſi rei dat eſſe, qua ratione dictum eſt ab Ariſtotele 2. phyſicor. text. 28. formam eſſe rationem quidditatis, fortaſſe etiam ſpeciem. Hoc modo hic intelligit D. Auguſtinus, qui alias dixit in omnibus rebus reperiri ſpeciem, modum & ordinem.*

δ Vel quæ nutritorio ſubſidio non indiget.] *Licet de ſententia authoris dubitetur, an exiſtimaverit Angelos eſſe corporeos vel incorporeos, de quo aliàs fuſius: mihi tamen probabilius videtur eum exiſtimaſſe eſſe puros ſpiritus, cùm hic dicat nutrimento non indigere, & quod dicit naturam eſſe ſentientem & intelligentem, ſentire non propriè intelligendum eſt, ſed ea ratione qua ſcriptura metaphoricè de Deo & de Angelis loquitur, vel etiam quia ſuperius & perfectius quod eſt, intelligere, eminenter in ſe continet ignobilius, quod eſt ſentire.*

ε Quia non eſt aliud illi eſſe, aliud vivere.] Deus enim ſimpliciſſimus eſt, & quicquid eſt in Deo, Deus eſt, eſt ipſum ſuum eſſe. *D. Thom. 1. p. q. 3. art. 4.* eſt ipſum ſuum vivere, ſuum intelligere, ſua beatitudo. *D. Bernhardus lib. 5. de conſider. cap. 7.* multa dicuntur eſſe in Deo, & quidem ſanè & Catholicè, ſed multa unum.

ζ Vel corpus eſſe vel vitam.] *Vives hoc loco vult intelligi animam ipſam, ego tamen puto intelligi ipſum gradum vivendi, quòd complectatur non modo corpora viventia, verùm quamlibet ſubſtantiam ſive corpoream, ſive incorpoream, quæ præter eſſe habeat vitam, nam ſentire, & intelligere ſunt etiam actiones vitæ, & ipſæ intelligentiæ ſunt ſubſtantiæ viventes, adeoque Deus ipſe dicitur vivere, & vita ipſa, & ipſum intelligere ſuum eſt vivere & intellectio vita.*

η Sen-

η Senſibilia enim dicimus.] *Senſibilia definiebat Plato, ut author eſt Laertius in eius vita, ὧν αἰεὶ ἡ γένεσις, οὐσία δὲ μηδέποτε τί Φυκε: intelligibile verò ἐξ οὗ μηδὲν ἀπογίνεται, μηδὲν προσγίνεται. τοῦτο δὲ ἐστὶν ἡ τῶν αἰδίων Φύσις, ἣν ὁμοίαν τε καὶ τὴν αὐτὴν αἰεὶ συμβέβηκεν εἶναι. D. Auguſtinus ex comparatione ad facultatem, qua percipiuntur, hic ea definit.*

θ Nulla enim eſt pulchritudo corporis.] *Hoc eſt argumentum D. Auguſtini petitum ex Phædone Platonis, mens humana dijudicat inter pulchritudinem diverſarum rerum, utpote majorem eſſe pulchritudinem animi quam corporis. Igitur in ea eſt aliqua pulchritudo, & inter ipſos etiam homines videmus alios aliis melius judicare de ipſamet pulchritudine. Igitur pulchritudo, quæ eſt in mente humana, mutabilis eſt, igitur neceſſe eſt, ut perveniamus ad aliquid, quod per ſe pulchrum ſit, nullaq́ ratione mutabile, hunc Deum dicimus.*

ι Inviſibilia ipſius per ea, quæ facta ſunt.] *Hinc conſtat ex rebus effectis poſſe evidenter demonſtrari Deum eſſe, nec id ſola fidei revelatione conſtare, ut quoſdam exiſtimaſſe ſcribit D. Thomas 1. contra Gentes cap. 12. imò veteres Patres, quibus diſputandum fuit contra philoſophos non ex ſcripturis, ſed ex ratione naturali probarunt Deum eſſe.*

Cap. VII.

Quanto excellentiores cæteris in logica, id eſt, rationali philoſophia, Platonici ſint habendi.

Quod *a* autem attinet ad doctrinam, ubi altera pars verſatur, quæ ab eis logica, id eſt, rationalis vocatur, abſit ut his comparandi videantur, α qui poſuerunt judicium veritatis in ſenſibus corporis, eorumque infidis & fallacibus regulis omnia quæ dicuntur metienda eſſe cenſuerunt, *b* ut Epicuræi, & quicunque alij tales, ut etiam ipſi Stoici. *c* β Qui cùm vehementer amaverint ſolertiam diſputandi, quam dialecticam nominant, γ à corporis ſenſibus eam ducendam putarunt. Hic aſſeverantes animum concipere δ notiones, *d* quas appellant ἐννοίας earum rerum ſcilicet, quas definiendo explicant, hinc propagari atque connecti totam diſcendi docendique rationem. *e* Ubi ego multum mirari ſoleo, *f* ε cùm pulchros dicant non eſſe, niſi ſapientes, quibus ſenſibus corporis iſtam pulchritudinem viderint, qualibus oculis carnis formam ſapientiæ decusque conſpexerint. *g* ζ Hi verò quos meritò cæteris anteponimus, diſcreverunt ea quæ mente conſpiciuntur ab ijs, quæ ſenſibus attinguntur, nec ſenſibus adimentes, quod poſſunt. nec eis dantes ultra quod poſſunt *h* η Lumen autem mentium eſſe dixerunt ad diſcenda omnia, eundem ipſum Deum à quo facta ſunt omnia.

a Quod autem attinet ad doctrinam.] *Plato orationem in quinq́ partes diſtribuit: in civilem, quo utuntur in concionibus ij qui in repub. verſantur: oratoriam, in quo ſunt demonſtrativa ratio, & judicialis, continetq́ laudem, vituperium, accuſationem, & defenſionem. Tertia ſpecies dicitur ſermo, quo privati con-* L. Vitæ.

 fabulan-

fabulantur. Quarta eſt artificum, cùm de ſuis rebus illi diſſerunt. Quinta eſt dialectica, in qua ſunt altercationes & dialogiſmi reliqui, qui ex interrogatione & reſponſione conſtant. Sunt qui hoc genus orationis ad Platonem inventorem referrant, ut Favorinus: alij, ut Ariſtoteles, ad Alexamenum Teium. Non deſunt qui ad Zenonem Eleatem. Platonem certè excoluiſſe & ornaſſe dialogos conſtat, refeciſſeq́ omni genere leporum, argutiarum, & eruditionis, in quibus & ſi formulæ dialecticæ artis non traduntur, ſunt tamen omnia præcepta illius artis re ipſa expreſſa, & quomodo utendum ſit eis, oſtenſum. Demonſtrat enim in Timæo cavillandi ſpecimina, in Eutydemo ſunt tradita, unde Ariſtoteles non pauca in ſuos Elenchos tranſtulit. Inductio verò Socratica omnium eſt potentiſſima, à quo videtur manaſſe: nullus enim uſus eſt unquam ea dexterius. Unde illam Quintil. oratori ſuo uti petat, præcipit.

b Ut Epicurei.] *Epicurus ſolem non majorem quàm videatur dixit, & ſi unus ſenſus ſemel fallat, ei non amplius aſſentiendum. Cic. & Plutarch. l. 4. Placitorum. Stoici ſenſus qui veros, viſorum autem quædam vera, quædam vana. Epicurus omnem ſenſum omne viſum verum, opinionum autem partim veras, partim falſas, & de Zenone Cic. in Acad. quæſt. inquit: Sed ad hæc quæ viſa ſunt, & quæ ſic accepta ſenſibus aſſenſionem adjungit animorum, quam eſſe vult in nobis poſitam, & voluntariam. Viſis non omnibus adjungebat fidem, ſed iis ſolum, quæ propriam quandam haberent declarationem earum rerum quæ viderentur.*

c Qui cùm vehementer amaverunt ſolertiam diſputandi.] *De Stoicis loquitur: nam Epicurei totam dialecticam tanquam inutilem & vanam repudiaverunt. Stoici ſe in dialectica acerrimè exercuere. De qua multa ſunt à Zenone, Cleanthe, & Chryſippo principibus diſciplinæ conſcripta: cæterùm non in omni dialectica, ſed ea quæ eſt de judicio: inventionem enim magna ex parte reliquerunt, ut Cicero in Topicis inquit.*

d Concipere notiones quas appellant ἐννοίας.] *Hæ ſunt primæ rerum intelligentiæ, quas etiam καταλήψεις nominant, id eſt comprehenſiones. Hæ namq́ primæ donantur homini à natura, unde rerum multarum magnarumq́ oritur cognitio, & peritia, & has notiones fieri ex viſis, quæ comprehenſa & comprobata eſſent, tenerenturq́ tanquam manu, unde non ſcientia modo manaret, ſed inſcitia quoq́, & media inter ambas opinio. Inchoatas intelligentias idem dicit Cicero & προλήψεις ait primum ab Epicuro vocatas, ceu quis dicat anteceptam animo rei quandam informationem, ſine qua nec intelligi quicquam nec quæri, nec diſputari poſſit. Sed eo vocabulo video & Stoicos uſos, quod Cicero vertit anticipationem, quam Chriſippus, ut Laertius refert, definivit naturalem intelligentiam earum rerum, quæ univerſaliter ſunt.*

e Ubi ego multum mirari ſoleo.] *Arguit Auguſtinus eos, qui iſta pepererunt, plus aſſenſos ſenſibus mentis quàm corporis.*

f Cum pulchros dicant.] *Unum ex paradoxis Stoicis.*

g Hi verò quos merito cæteris antep.] *Cic. 1. Acad. Platonem ita res naturæ tractaſſe ſcribit, ut ſenſibus adimeret judicium veritatis, ſoli menti tribueret, ideamq́*

neamq́, faceret cui crederetur, quia ſola cerneret id quod ſemper eſſet ſimplex, & unius modi, & tale quale eſſet.

b Lumen autem mentium eſſe dixerunt.] *Solem hunc viſibilem eſſe viſus lumen ad videndum, principem verò mundi lumen animorum mentiumq́, ad intelligendum, ſciendum, ſapiendum, judicandum: idcirco luminis univerſi pater eſt: nam & illius interioris intelligibilis, & hujus exterioris viſibilis, ſicut antea ex Platone oſtendi. Idem Alcinous in doctrina Platonis docet.*

α QUi poſuerunt judicium veritatis in ſenſibus corporis.] *Teſtis eſt Laertius lib. 10. ex Epicuri ſententia ſenſus eſſe judicia veritatis & anticipationis, & affectionis: præfert itaq́, ſententiam Platonis, qui volebat judicium veritatis pertinere ad mentem non ad ſenſum, quod docet ipſe Plato in Phædone. Cicero libr. 1. Academic. quæſtio.* Mentem volebant eſſe rerum judicem, ſolam cenſebant eſſe idoneam, cui crederetur. *Ubi Turnebus:* Ad veri nomen duo comparata ſunt, quæ κριτήρια dicuntur, ſenſus & mens. Plato tamen ſenſui quam minimum tribuit, ac prope nihil, plurimum menti. *Et certe intellectus eſt corrigere ipſum ſenſum, non enim ſenſus judicat ſolem eſſe majorem tota terra, quod tamen verè judicat intellectus. Judicat ſenſus baculum eſſe fractum, qui partim eſt in aere, partim in aqua, quod tamen intellectui falſum eſt.* E L. c. q.

β Qui cum vehementer amaverint ſolertiam diſputandi.] *Zeno ipſe Stoicorum Princeps, ut author eſt Laertius, cæteris philoſophiæ partibus logicem præferebat, item dicebat abſq́, Dialectica ſpeculatione ſapientem in ratione ſine lapſu non futurum. Dialecticæ inventor fuit.*

γ A corporis ſenſibus eam dividendam.] *Cicero 1. Academic.* Ita tractari ab eis philoſophiæ partem, quæ erat in ratione & diſcurrendo, ut à ſenſibus oriretur: inde enim omnis cogitatio noſtra incipit, ac nihil in intellectu, quod in ſenſu non præextiterit.

δ Notiones, quas appellabant ἐννοίας.] Communes intelligentias *vocat Cicero 1. de LL. κοιναὶ ἔννοιαι Stoici, de quibus commentarius Plutarchi extat in Stoicos. Cicero in Topicis.* Notionem appello, quam Græci tum ἐννοίας, tum πρόληψιν appellant, ea eſt inſita, & ante percepta cuiusque formæ cognitio enodationis indigens.

ε Cum pulchros dicunt non eſſe niſi ſapientes.] *Paradoxon Stoicorum, in quo tamen adhibent judicium mentis & non ſenſus: nec enim ſapientia, aut pulchritudo animi, quæ in ſapiente eſt, ſenſu apprehenditur, ſed mente. De ſapientia dicebat Plato in Phædone,* δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. Quod ſi oculis cerneretur, mirabiles ſui amores excitaret. *Cicero lib. 2. Acad. quæſtio. dicit hæc eſſe παράδοξα Stoica, ſapientes ſolos eſſe Reges, ſolos divites, ſolos formoſos, omnia, quæ ubiq́, eſſent, ſapientis eſſe: Refert etiam in Orat. pro Murena hoc παράδοξον Stoicum,* Solos ſapientes eſſe ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos, ſi mendiciſſimi, divites, ſi ſervitutem ſerviant, Reges.

ζ Lumen autem mentium eſſe dixerunt.] *Quemadmodum enim Solem ad*

 aſpectum

aſpectum corporeum, ſine quo nihil videre poteſt, ita Deum Solem intelligibilem ad mentem ſe habere voluit Plato. Quod idem ſcribit Gregorius Nazianz. orat. in laudem Athanaſij, ὅπερ ἐστὶ τοῖς αἰσθητοῖς ἥλιος, τοῦτο τοῖς νοητοῖς θεός, ὁ μὲν γὰρ τὸν ὁρώμενον φωτίζει κόσμον, ὁ δὲ τὸν ἀόρατον, καὶ ὁ μὲν τὰς σωματικὰς ὄψεις ἡλιοειδεῖς, ὁ δὲ τὰς νοερὰς φύσεις θεοειδεῖς ἀπεργάζεται. καὶ ὥσπερ οὗτος τοῖς ὁρῶσι καὶ τοῖς ὁρωμένοις. τοῖς μὲν τοῦ ὁρᾶν, τοῖς δὲ τοῦ ὁρᾶσθαι παρέχων δύναμιν, αὐτὸς τῶν ὁρωμένων ἐστὶ κάλλιστον: οὕτω θεὸς τοῖς νοοῦσι καὶ τοῖς νοουμένοις, τοῖς μὲν τὸ νοεῖν, τοῖς δὲ τὸ νοεῖσθαι δημιουργῶν, αὐτὸς τῶν νοουμένων ἐστὶ τὸ ἀκρότατον, *ut lumen ipſum creatarum mentium non alium eſſe, quàm Deum intelligamus.*

Cap. IIX.

Quod etiam in morali philoſophia Platonici obtineant principatum.

Reliqua *α* eſt pars moralis, quam Græco vocabulo dicunt ἠθικὴν, ubi quæritur de ſummo bono: quò referentes omnia quæ agimus, & quod non propter aliud, ſed propter ſeipſum appetentes, *β* idque adipiſcentes, nihil quo beati ſimus ulterius requiramus. *γ* Ideo quippe & finis eſt dictus, quia propter hunc cætera volumus: ipſum autem non niſi propter ipſum. Hoc ergo beatificum bonum, *a δ* alij à corpore, *b* alij ab animo, *c* alij ab utroque in homine eſſe dixerunt. Videbant quippe ipſum hominem conſtare ex animo & corpore, & ideo ab alterutro iſtorum duum, aut ab utroque bene ſibi poſſe eſſe credebant: finali quodam bono quo beati eſſent, quò cuncta quæ agebant referrent, atque id cum forent adepti, quò referendum eſſet ultra non quærerent. *d* Unde illi qui dicuntur *ε* addidiſſe tertium genus bonorum, quod appellatur extrinſecus: *ζ* ſicuti eſt honor, gloria, pecunia, & ſi quid hujuſmodi, non ſic addiderunt, ut finale eſſet, id eſt, propter ſeipſum appetendum, ſed propter aliud bonum, quo eſſet hoc genus bonum bonis, malum autem malis. Ita bonum hominis, qui vel ab animo, vel à corpore, vel ab utroque expetiverunt, nihil aliud quàm ab homine expetendum eſſe putaverunt. Sed qui id appetiverunt à corpore, à parte hominis deteriore: qui verò ab animo, à parte meliore: qui autem ab utroque, à toto homine. Sive ergo à parte qualibet, ſive à toto homine, non niſi ab homine. Nec iſtæ differentiæ, quoniam tres ſunt: ideo tres, ſed *η* multas diſſenſiones philoſophorum ſectaſque fecerunt: quia & de bono corporis & de bono animi, & de bono utriuſque diverſi diverſa opinati ſunt. *θ* Cedant igitur hi omnes illis philoſophis, *ι* qui non dixerunt beatum eſſe hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, ſed fruentem Deo. *ι* Non ſicut corpore, vel ſeipſo animus, aut ſicut amico amicus, *e* ſed ſicut luce oculus. Si aliquid ab his * ad illas ſimilitudines afferendum eſt, quod vel quale ſit, ſi Deus ipſe adjuverit, alio loco quantum per nos fieri poterit, apparebit.

al. illas ſimilitudinem.

L. Vives. *a* Alij à corpore.] *Ut Epicurus, & Ariſtippus, & nationes philoſophorum, quæ ab his manarunt,*

b Alij ab animo.] *Ut Stoici.*

c Alij ab utroque.] *Ut Calipho, Polemon, & Diodorus.*

d Unde illi qui dicuntur addidiſſe tertium genus.] *Sæpenumero locutus eſt Auguſt. de tricipiti bonorum genere, animi, corporis, & externorum: quam diviſionem Ariſtoteles in libris Moralibus poſuit, & Peripatetici multum habent in ore. Sumpta eſt ex Platone pleriſq; in locis, ut proximo libro explicabo.*

e Sed ſicut luce ocu.] *Plato in l. De repub. & Leg. & Phædone, cognitionem veritatis ſummum hominibus bonum eſſe affirmat: quæ cùm perfectè contingere in hac vita nequeat, fit ut difficilè putet viventium aliquem verè poſſe beatum dici, magnam tamen eſſe ſpem, ut eam cognitionem aſſequamur vita functi: liberi jam corporis vinculis & impedimento ad res mente comprehendendas maximo. Cùm ergò vita deceſſerimus, ſi modo purgati exeamus, tunc verum ipſum, & id quod* ὄντως, *id eſt verè eſt, Deum videlicet intuentes, fruemur re nobis tantoperè concupita, h.e. veritate & ſcientia rerum omnium. Itaq; ſicut oculis virtus muneruſq; nullum ſit, ſi lux abſit, ipſeq; in tenebris agens ſempiterno mœrore maloq; affectus deſideat: ſin verò accedat rebus ſol ipſe, fungatur vi & vita ſua magnoq; cum gaudio ſpectet, & agat: Sic intellectus noſter corpore ſolutus, ſi deſit ei lux veritatis Dei, torpeat mœreatq; neceſſe eſt: ſi adſit, lætetur, & fruatur ea luce, in qua inſunt vivæ expreſſæq; rerum omnium ſpecies: quo fit ut nec in voluptate tantum ſit menti noſtræ gaudij ac fælicitatis, nec cum nobis ipſi placemus, ac veluti nobis ipſi fruimur, quantum in contemplatione illius verè exiſtentis & ſummi boni, perfectaque, ut inquit Plato, pura ſapientiæ divini luminis aſſecutione. Ideò cùm abſolutè beata eſt anima, non primum ut pulchro & charo fruitur Deo, in quo eſt voluptas, qui actus eſt voluntatis; ſed ut vero, qui eſt intellectus. Tametſi mox pulchritudo conſequitur, & ſtatim voluptas, ut in Philebo diſtinguit, nec ſejuncta hæc poſſunt eſſe. Nemo enim Deum novit, quin admiretur, & cognita pulchritudine, bonoq; amet magna cum oblectatione. Hæc ex placitis Platonis, qui rerum inſpectioni ſemper primas attribuit partes, illudq; facturas dicit beatorum animas, cùm è corporibus evolaverint. Hæc eſt beatitudo, quam ijs qui ſanctè vixerint promiſit: ad hanc vocat, ad hanc cohortatur, & excitat. In quam ſententiam Academici & Peripatetici pedibus & verbis iverunt. ut Ariſt. x. Eth. & Cic. de finibus docent.*

a UBi quæritur de ſummo bono.] *Immò ſummum bonum ſcopus eſt moralis ſcientiæ, adeoq; finis virtutum & actionum humanarum, circa quas ipſa philoſophia verſatur, atq; de eo initio ſtatim moralium egit Ariſtoteles.* F.L.Co.

β Idque adipiſcentes nihil quo beati ſimus ulterius requirimus.] *Id quidem abſolutè ſummum bonum eſt* τὸ ἀγαθὸν *Deus eſt noſtræ beatitudinis unicum objectum, ſeu ipſa beatitudo ut vocant,* objectiva, *verùm actio ipſa intellectus & voluntatis, qua Deo conjungimur, bonum noſtrum eſt, ut in nobis exiſtens & beatitudo ipſa ut vocant* formalis. *Verùm hoc ſummum bonum non intellexere Philoſophi, nec illius tractatio Philoſophiæ eſt moralis, verùm eſt Theologiæ, quæ revelata à Deo in ſcripturis ſacris conſiderat.*

γ Ideo

γ Ideo quippe & finis eſt dictus.] *Finis eſt*, cuius gratia cætera fiunt vel appetuntur. *Ariſtotel. 2 phyſic. text. 29. text. 29. Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moſis*, id finem dico cuius gratia cætera fiunt. *Colligit Ariſtoteles lib. 1. Ethicorum cap. 2. debere aliquem eſſe huiuſmodi finem, cuius cauſa cætera expetantur, ipſe verò propter ſe tantùm & non propter alia, de quo D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 6.*

δ Alii à corpore, alii ab animo.] *Variæ illæ opiniones inde natæ ſunt, quod homines vel ſenſum, vel rationem ſequerentur, & prout erant varij affectus ad virtutes, vel vitia, variè judicabant*, ita egeſtate preſſi (*ait Ariſtoteles*) in divitiis, morbo gravati in ſanitate ſummum bonum collocarunt.

ε Addidiſſe tertium genus bonorum.] *Ita Plato tria genera bonorum conſtituebat, teſte Laertio:* τῶν ἀγαθῶν ἐστὶ τὰ μὲν ἐν ψυχῇ, τὰ δὲ ἐν σώματι, τὰ δὲ ἐκτός, *quæ fuit diviſio communis omnium philoſophorum.*

ζ Sicuti eſt honor, gloria, pecunia.] *Ariſtoteles honorem nuncupavit maximum externorum bonorum. Achilles ab Alexandro dictus fuit fortunatus ob gloriam ei ab Homero tributam. An hæc externa cenſeri debeant bona, diſputat fuſe Picolomineus in ſua philoſophia morali gradu 8. cap. 5. & deinceps. Certè Stoici & cum eis Seneca ac plurimi viri ſapientes ea non bona, ſed neceſſaria, indifferentia, communia, utilia, & commoda nuncuparunt.*

η Sed multas diſſenſiones philoſophorum ſectaſque.] *Philoſophorum ſententiæ de ſummo bono ex dinumeratione ſui Varronis in 288. multiplicatæ ſunt. Cum enim nihil firmi in hoc mundo invenirent, in quo ſummum bonum collocarent, & tamen interna quadam mentis divinatione ad illud aſpirarent, varij varia ſenſerunt. De variis philoſophorum opinionibus circa ſummum bonum vide etiam Lactantium lib. 3. cap. 8. D. Auguſt. lib. 13. de trinit. cap. 4. hujuſmodi diverſitates opinionum de beatitudine vult ab ignorantia profectas.* Si enim omnes eam noſſent, *inquit*, aliis non putaretur eſſe in virtute animi, aliis in corporis voluptate, aliis in utraque: ut enim eos quæque res maximè delectavit, ita in ea conſtituerunt vitam beatam.

θ Cedant igitur homines illis philoſophis.] *Beſſarion libro primo contra calumniat. Platonis cap. 7. quam rectè Plato tractavit Philoſophiam activam, ſive de moribus præ cæteris philoſophis abundè docet.*

ι Qui non dixerunt beatum eſſe hominem.] *Plato ſummum bonum animo potius quam compoſito tribuebat, quia conſiderabat illud in connexione animi per mentem & ideas cum ipſo vivo bonorum fonte. Ariſtoteles verò inquiens ſummum bonum eſſe actionem, cum actionem tribuat animæ, non ut adæquato agenti, ſed compoſito, ideo hominem beari affirmabat.*

Cap. IX.

De ea philoſophia, quæ ad veritatem fidei Chriſtianæ propius acceſſit.

NUnc α ſatis ſit commemorare Platonem determinaſſe finem boni eſſe ſecundum virtutem vivere, & ei ſoli evenire poſſe, qui notitiam Dei habeat, & imitationem, nec eſſe aliam ob cauſam beatum. Ideoque non dubitat hoc

ſtat hoc eſſe philoſophari, amare Deum: cujus natura ſit incorporalis: Unde utique colligitur tunc fore beatum ſtudioſum ſapientiæ, id enim eſt philoſophus, cùm Deo frui cœperit. β Quamvis enim non continuò beatus ſit, γ qui eo fruitur, quod amat: multi enim amando ea quæ amanda non ſunt, miſeri ſunt, & miſeriores cùm fruuntur: nemo tamen beatus eſt qui eo quod amat non fruitur. *b* Nam & ipſi qui res non amandas amant, non ſe beatos eſſe amando putant, ſed fruendo. Quiſquis ergo fruitur eo quod amat, verumq; & ſummum bonum amat, quis eum beatum niſi miſerrimus negat? Ipſum autem verum ac ſummum bonum Plato dicit Deum, unde vult eſſe philoſophum amatorem Dei, ut quoniam philoſophia ad beatam vitam tendit, fruens Deo ſit beatus, qui Deum amaverit. Quicunque igitur philoſophi de Deo ſummo & vero iſta ſenſerunt, quod & rerum creatarum ſit effector, & lumen cognoſcendarum, & bonum agendarum: quòd ab illo nobis ſit & principium naturæ, & veritas doctrinæ, & fœlicitas vitæ: δ ſive Platonici accommodatius nuncupentur, ſive quodlibet aliud ſectæ ſuæ nomen imponant: ε ſive tantummodo Jonici generis, qui in eis præcipui fuerunt, iſta ſenſerint: ſicut idem Plato, & qui eum bene intellexerunt: ſive etiam Italici ζ propter Pythagoram, & Pythagoreos, & ſi qui fortè alij ejuſdem ſententiæ in id idem fuerunt: ſive aliarum quoque gentium, qui ſapientes vel philoſophi habiti ſunt, *d* η Atlantici, Lybici, *e* θ Ægyptij, *f* ι Indi, *g* κ Perſæ, *h* λ Chaldæi, *i* μ Scythæ, *k* ν Galli, *l* Hiſpani, alijque reperiuntur, qui hoc viderint, ac docuerint, eos omnes cæteris anteponimus, eoſque nobis propinquiores fatemur. Quamvis enim homo ξ Chriſtianus literis tantum eccleſiaſticis eruditus, Platonicorum forte nomen ignoret, nec utrum duo genera philoſophorum extiterint in Græca lingua Jonicorum, & Italicorum ſciat, non tamen ita ſurdus eſt in rebus humanis, ut neſciat philoſophos, vel ſtudium ſapientiæ, vel ipſam ſapientiam profiteri. Cavet eos tamen, *m* ο qui ſecundũ elementa hujus mundi philoſophantur, non ſecundum Deum, à quo ipſe factus eſt mundus. Admonetur enim præcepto apoſtolico, fideliterque audit quod dictum eſt: *Cavete ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem ſeductionem, ſecundum elementa mundi.* Col. 2 Deinde ne omnes tales eſſe arbitretur, audit ab eodem Apoſtolo dici de quibuſdam. *n* π *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illi manifeſtavit.* ο ρ *Inviſibilia enim ejus* σ *à conſtitutione mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur,* *p* *ſempiterna quoq; virtus ejus & divinitas.* Rom. 1 Et ubi Athenienſibus loquens, cùm rem magnam de Deo dixiſſet, & quæ à paucis poſſet intelligi, *q* *quod* τ *in illo vivimus movemur & ſumus,* adjecit & ait: *ſicut & veſtri quidam dixerunt:* Act. 17 Novit ſanè etiam ipſos in quibus errant cavere. Ubi enim dictum eſt, quòd per ea quæ facta ſunt, Deus illis manifeſtavit, intellectu conſpicienda inviſibilia ſua, ibi etiã dictũ eſt, non illos ipſum Deũ rectè coluiſſe, quia & alijs rebus, quibus non oportebat, divinos honores, illi uni tantum debitos detulerunt. Quoniam cognoſcentes Deum non ſicut Deũ glorificaverunt, aut

gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt, & immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. *r*Ubi & Romanos, & Græcos, & Ægyptios, qui de ſapientiæ nomine gloriati ſunt, fecit intelligi. Sed de hoc cum iſtis poſtmodum diſputabimus. In quo autem nobis conſentiunt, de uno Deo hujus univerſitatis autore, qui non ſolum ſuper omnia corpora eſt incorporeus, verum etiam ſuper omnes animas incorruptibilis, principium noſtrum, lumen noſtrum, bonum noſtrum, in hoc eos cæteris anteponimus.

L. Vives. Platonis ſentent. de ſummo bono.

a NUnc ſatis ſit commemorare Platonem determinaſſe.] *Homo venerbili & ſancta doctrina Plato, cum in aliis penè rebus cæteros omnes philoſophos vicit, tum verò in definiendo ſummo hominis bono ſeipſum quoque ſuperavit. Dividit in primo De legibus bona in humana & divina. Illa expertia dicit virtutis eſſe, hæc virtute commiſta & temperata. In Gorgia ſententia Socratis eſt, in doctrina & virtute ſitam eſſe beatam vitam, pronunciatque bonos beatos, improbos miſeros. Idem in Menexeno, idem ſexcentis locis, cum illud tam perpetuum conſtansque ſit apud Platonem ſolum honeſtum pulchrumque bonum eſſe. Cætera quæ appellantur bona, virtute ſi careant, ingentem eſſe poſſeſſori perniciem. Sed hæc Platoni communia cum quibuſdam, & hactenus æquari diſſimilibus videri poſſet; efferat ſe ipſe altius, & relinquat humi cæteras ſapientium ſcholas. Philebus eſt, de ſummo bono dialogus, vel ut alii ſcribunt* περὶ τῆς ἡδονῆς, *hoc eſt, de voluptate. In eo ſex ſtatuuntur bonorum velut ordines gradusque. In ſecundo ſunt,* σύμμετρον, καὶ καλὸν, καὶ τὸ τέλεον, καὶ ἱκανὸν, καὶ πάντα ὁπόσα τῆς γενεᾶς ταύτης αὖ ἐστιν, *id eſt, commenſuratum, & pulchrum, & perfectum, & ſufficiens & quæcunque ſunt ejuſdem velut ſtirpis. In tertio ordine,* νοῦν καὶ φρόνησιν τιθεὶς, οὐκ ἂν μέγα τι τῆς ἀληθείας παρεξέλθοις, *id eſt, ſi mentem poſueris & ſapientiam, non procul à veritate aberrabis. In quarto,* ἃ τῆς ψυχῆς ἔθεμεν αὐτῆς. ἐπιστήμας τε, καὶ τέχνας, καὶ δόξας ὀρθὰς λεχθείσας. *Quæ animæ ſunt ipſius ponimus, ſcientias, artes, & rectas opiniones. Porrò in primo ordine locat* μέτρον καὶ μέτριον καὶ καίριον, *id eſt, menſuram, & moderatum, & oportunum. quæ omnia Deum eſſe putandum commenſurationem univerſorum, cujus cauſa eſſe omnia, atque eum eſſe bonorum omnium cauſam, & autorem, ad Dionyſium ſcribit & in Epinomide, & l. 2. De rep. l. verò 6. ſummum bonum & boni ideam vocat. Propterea in philoſophia Platonis Apuleius Deum beatum & beatificum nominat. Et Speuſippus in definitionibus Platonis Deum ait* ζῶον ἀθάνατον, αὐταρκὲς πρὸς εὐδαιμονίαν, οὐσίαν ἀΐδιον, τῆς τ' ἀγαθοῦ φύσεως αἰτίαν. *Vivens immortale, ad beatitudinem ſufficiens, eſſentiam ſempiternam, naturæ ipſius boni cauſam hujus boni contemplatione Plato beatum fieri hominem ait. In Convivio enim Diotima ſapientiſſima fœmina jubet Socratem totam animi intentionem ad orationem ſuam convertere. Cumque circa pulchrum verſari amorem docuiſſet, extrema oratione altiorem ſermonem ingreſſa, pulchrum quoddam ſtatuit, quod ſemper eſt, nec mutatione afficitur, vel decrementis minu-*

minuitur, vel acceſſionibus ſit majus, nec aliqua ex parte pulchrum eſt, cùm aliunde ſecus habeat: aut alternãte viciſſitudine pulchritudinẽ alias amittit alias admittit: nec reſpectu aliquo pulchrũ, cũ alia ratione turpe ſit, cujus pulchritudo nec locis movetur, nec ingeniis variè judicantium, nec ut pars pulchrum eſt, nec ut id quod alteri adhæret. Sed ipſum per ſe cùm ſemet ejuſdem formæ ſemper ens, unde manat cæterarum rerum, quæ pulchræ nominantur, pulchritudo, ea lege, ne vel ortum aliarum rerum, vel caſu accreſcat illi aliquid, vel decedat, neu affectum aliquem recipiat, & mutationem. Hoc igitur ſanctum, pulchrum, & venerabile, cùm quis per cæterorum pulchrorum amorem ſublatus ſpectare cœperit, parum abeſt, quo minus faſtigium conſecutus ſit. Sic ad amatoria recta tenditur, hoc eſt, illuc verè duci: cùm quis ab iſtis pulchris ceu per gradus ad pulchrum illud aſcendit, ab uno pulchro corpore in duo tranſiliens. Hinc in cætera pulchritudine prædita: jam ad pulchra omnia ſtudia, quibus pulchris ſuccedere diſciplinas oportet, ex quarum numero una illa ſit princeps unicè complectenda, quæ ſolius eſt pulchri illius, ut ejus contemplationem doceamur, hoc vivendum modo eſt homini pulchro. Hoc ſi videris, ſordebunt tibi aurum, veſtes, & formoſa hominum corpora. Age verò quanta fœlicitatis, putas eſſe plenum, dari alicui: ut pulchrum ipſum cernat ſyncerum, & purum putum, non corpore humano contectum & commiſtum, non colore nec mortalibus ejuſmodi nugis, ſed divinum ipſum, ſui ſemper ſimile ac conforme? Quæſo te, an non admirandam eſſe vitam ejuſce hominis cenſes, qui illud ſpectet, qui, quod optat, intueatur, & cum eo habitet? O ſolidæ & germanæ compotem virtutis, hancq; ob cauſam præpotenti Deo amicum, & ſi quis eſt alius immortalem? Hæc ſunt Diotimæ ſapientiſſimæ ad Socratem verba, quibus Socrates ſe fidem habere profitetur, & laborare, ut hominum generi perſuaſum ſit, non eſſe humanæ naturæ quicquam ad poſſeſſionem pulchri hujus amore conducibilius: ac ne quis ſatis ſibi putaret eſſe, ſi verbis philoſopharetur, aut ſi contemplaretur impura mente: Quanquam hoc non facile eſt factu, ac neſcio etiam an poſſibile apud Platonem, ſed tamen imitatorem Dei beatum eſſe oportere volumine De legibus quarto docet, quò loco cùm de amicis deq; inviſis Deo diſputat, ſapientem virum dies ac noctes cogitare illud debere cenſet, quemadmodum Deum ſequatur, illumq; ſibi potius quam mortalium quemvis menſuram rerum & canonem præſtituat, præſtetq; ſe quàm maximè poterit illius ſimilem. Neq; enim aliter amicus unquam erit Dei. Porrò quid ſit eſſe Dei ſimilem, in Theæteto expreſſius, prudentem, juſtum, ac ſanctum eſſe dicit. In Epiſtola verò ad Hermiam & ſocios, ſi quis verè philoſophetur, eum affirmat cognitum ire Deum, & ejus patrem, quantum à fœlicibus hominibus id fieri poteſt. & in Epinomide περὶ τ̃ θεοῦ λόγȣ loquens: Hunc, inquit, in primis unuſquiſq; fœlix admiratur, hinc amore incenditur, ut intelligat, quantum facultas ſinit ingenii humani, perſuaſus hoc modo ſe optimam & fœliciſſimam vitam acturum, defunctum verò vita in ea venturum loca, quæ virtuti paratæ ſunt. Hæc Plato qui maximam illam & conſummatam beatitudinem poſt vitam ſtatuit. In eodem namq; opere ait, fieri non poſſe ut homines in hac vita præter admodum paucos, beati efficiantur: ſpem verò eſſe bonam, ut poſt vitam conſequatur quis ea o-

mnia, quorum gratia vitam optimè atq; honeſtiſſimè, quantum præſtari ab eo poterat, & traduxit, & depoſuit. & in fine voluminis: Nefas, inquit, eſt deos negligere aperta jam & patefacta illorum omnium ratione. Hæc vero qui univerſa receperit, eum aſſero verè ſapientiſſimum, quem equidem & joco & ſerio affirmo, cùm deceſſerit de hac vita, non vulgari & communi conditione, quemadmodum cùm viveret, ſed ſingulari quadam futurum, beatiſſimum & ſapientiſſimum ſimul, & fortunatum redditum: & ſi quis ſive in inſula, ſive in continente quapiam fortunatus ſic vixerit, eum quoq; ajo participem ejuſmodi ſempiternæ fœlicitatis fore, tum etiam ſeu quis hæc diximus exercuerit in vita publica, ſeu in vita privata, eademq; ſimiliter in deos egerit. Cæterum quod initio dicebamus, idem nobis nunc rurſum occurrit, dictum ſine ulla dubitatione veriſſimum, pauciſſimos ad perfectam illam beatitudinem in vita pertingere, quod à nobis non temere aſſertum eſt. Hæc in Epinomide. In extremo verò de repub. Ecce itaq; tibi præmia & mercedes, quæ viro juſto præterea bona, quæ juſtitia ſecum affert, à dijs & hominibus tribuuntur, præclara ſanè & ſtabilia. Atqui ea omnia nihil neque numero ſunt, neque magnitudine cenſenda, ſi cum ijs conferantur, quæ mortuum manent. In Phædone verò: Quocirca, inquit Socrates, interea dum in vita ſumus, ita nos ipſi parare debemus, ut quàm minimum fieri poterit, cum corpore ſit nobis commercij: ita fiet ut quadamtenus ad ſcientiam accedamus, cavebimuſq; ab ejus contagio, quouſq; nos Deus ſolvat, ut puri & à corporis vitijs liberati cum ſimilibus, ut par eſt, verſemur: cognoſcamuſq; per nos ipſos ea quæ integra & ſyncera ſunt, quod eſt verum ipſum: quæ ſi ad hunc ſe modum habent, magna ſpes eſt proficiſcentem quo nunc ego, ſi alibi uſquam, & ibi futurum compotem rei, quam ut conſequemur, tot perpeſſi ſumus in vita labores. Et pòſt, Si verè philoſophus eſt, illa apud Deum opinio valere multum debet, ut non alibi puram ſapientiam conſequi ſe ſperet, quàm poſt vitam. Hæc nobis pauca de multis ſunt collecta ad ſententiam Platonis oſtendendam in quîs plura ad verbum converti, alia ſervata ſententia poſui, quæ cum ſint ex eodem ipſo Platone decerpta, occiſum & ſupervacaneum foret ex Platonicis adferre teſtimonia.

b Nam & ipſi qui res non amandas.] *Laurentium Vallam miror in Dialectica negare eſſe aliud amorem, quàm delectationem, cùm res ipſa in vita communi contrarium apertè teſtetur: nam abſente amico, amor nobiſcum remanet, delectatio cum illo abit. Sed non eſt hoc unicum in illo opere abſurdum. Porrò frui eſt oblectationem ex re aliqua percipere: ſeu, ut Auguſt. l. lxxx. Quæſtionum ſcribit, fruimur illa re de qua capimus voluptatem. De fructu & uſu dicemus l. 11.*

c Sive tantummodo Jonici.] *Tametſi Plato multa à Pythagoreis accepit, tamen ex philoſophis Ionicis fuit. Propterea quod Socratem magis quàm Archytam vel Timæum ſecutus eſt.*

d Atlantici.] *Hi loca incolunt in Africa ad Oceanum ſita, quorum antiquiſſimus rex fuit Atlas Saturni frater, Cœli filius, qui cum ipſe conſultiſſimus eſſet aſtrorum, & filium Heſperum inſigni humanitate & prudentia virum eam artem edocuit, & pleroſq; ex generis. Nam ſeptem filiarum fuit pater, qui diis heroibuſq; nupſe-*

runt, filioſq; pepererunt, & virtute & gloria non inferiores parentibus. Docuit quoq; nonnullos ex populo, à quibus ea ſcientia in interiorem Lybiam manavit, ibique philoſophatus eſt Hercules.

e Ægyptii.] *Horum philoſophia eſt pervetus: ſed à Chaldæis magna ex parte tradita, in primiſq; ab Abraham, quamuis ipſi, ut Diodorus ſcribit, ad Iſim, Oſirimque, Vulcanum, Mercurium, & Herculem referant: Utcunq; ſit, conſtat Ægyptios multa divinitus de philoſophia præcepiſſe, multa quoq; portentosè ac mendaciter.* Ægypti

f Indi.] *Hi habuerunt ſuos philoſophos, quos Brachmanas appellabant: de quorum vita & inſtitutis Philoſtratus in Vita Apollonij permulta, & Strabo, & qui res geſtas Alexandri Macedonis memoriæ prodiderunt.* Brachmani.

g Perſæ.] *Apud hoc fuerunt magi à Zoroaſtre inſtituti.*

h Chaldæi.] *Peritiſſimi aſtrorum divinationiſq;, etiam ſacris operabantur, de quibus Diodorus lib. 3.* Perſæ. Chaldæi.

i Scythæ.] *Hi quoq; philoſophati ſunt olim, & de generis antiquitate cum Ægyptiis certarunt: genus hominum forte, ſimplex, juſtum, vitiorum & malitiæ ignarum, natum ingenio naturali, quod Græci magnificis illuſtribuſq; diſciplinis nequiverunt. De his Juſtinus libro ſecundo.* Scythæ.

k Galli.] *Fuerunt & apud Gallos Druydæ ſacerdotes, ut tradit Cæſar. libr. 6. Com. Gal. belli, tum etiam poetæ, philoſophi & theologi, quos Saronnidas dicebant, ſicut Diodorus lib. 6. docet. Habuerunt & divinaculos, ad quos populus de ſuis negotiis referebat: nec ullum ſacrificium ſiebat ſine philoſopho, hoc eſt, conſcio divinæ naturæ: quorum conſiliis omnia domi foriſq; adminiſtrabantur. Philoſophi erant Druydæ, qui ut Strabo lib. 4. narrat, præter cauſarum naturalium ſcientiam philoſophiam quoq; moralem exercebant.* Druydæ.

l Hiſpani.] *In ea terra antequam auri argentiq; venæ reperirentur, & bella ſunt perpauca geſta, & multi philoſophati, & populi ſanctiſſimis moribus vixère ſecuri quietiq;. Singuli populi à magiſtratu annuo regebantur viris præſtantiſſimis eruditione & probitate: æquo & bono tranſigebantur res, non legum numero: & ſi ſcriptæ aliquot dicuntur, præcipuè apud Turdetanos magna vetuſtate temporis: lites controverſiæq; inter cives propè nullæ. Et omnes, ſi quæ erant, de æmulatione virtutis, de natura deorum, de ratione naturæ, de moribus probis, eruditi homines ſtatis diebus publicè diſſerebant, ut fœminæ quoq; intereſſent. Arſerunt verò quidam montes metallis gravidi, & auro argentoq; eliquatis, cœperunt homines novam atq; inuſitatam admirari materiam. Hinc Phœnicibus, qui quæſtus gratia totum orbem navigiis peragrabant, oſtenſis opibus cum exigui pretij rebus permutabant. Phœnices quæſtu facili magnoq; domi oſtenſo, & ex ea regione, & ex reliqua Aſia Græciaq; ingentem vim hominum ad cupiditatem promptam divitiarum exciverunt: ita modo numeroſis claſſibus, modo ſingulis, binis, ternisve onerariis navibus Hiſpaniam ſubinde repetebant. Plures vel ſoli vel cœli bonitate capti, alij metalla patriæ penatibuſq; præferentes in Hiſpania remanſere, qui ad ſe cognatos affineſq; alios alijs illectamentis pertraxerunt. Tum frequentes ex tota Aſia viciniſq; inſulis in Hiſpaniam coloniæ miſſæ. Hi rudes malitiæ ac vitiorum populos Aſi-* Hiſpani.

ana Græcaq; docuêre ſcelera. Hinc ſubitò exorta Hiſpanis ſuorum metallorum admiratio, & cuſtodia hinc lites, hinc rapinæ cædes primum privatæ, & latrocinium paucorum, demum apertum publicumq; gentium inter ſeſe concurrentium, quod vocant bellum ducibus alienigenis, & in primis Phœnicibus, tantorum non modo in præſens, ſed in poſterum quoq; malorum autoribus & magiſtris: tum occurſum pravis moribus, tum deſitum æquo ac bono ſidi, & leges ferri cœptæ, converſiſq; animis ad metallorum curam & negociationem variis gentibus belliſq; in Hiſpaniam ingruentibus, omiſſum eſt ſtudium philoſophiæ, arteſq; illæ, ut coli deſitæ, ita & ferè extinctæ ſunt, nam literis continebantur perpaucis: auditione magna ex parte tradebantur, percipiebanturq;, quarum reliquiæ pace à Romanis parta, per aliqua meliora ingenia renovatæ, adventu Gotthorum, deinde Agarenorum ad vulgus perierunt. Reſtat adhuc tenuis quædam priſcorum temporum notitia Græcis literis ac Latinis conſignata, unde ſpero me aliquando origines gentis meæ illuſtraturum.

m Qui ſecundum elementa, &c.] *Id eſt, qui aliud nihil ſapiunt, quàm elementa mundi: qui ex ipſis, & ab ipſis omnia gigni, interimiq;, agi & gubernari arbitrantur, nihil aut perparum Deo relinquentes, cuius arbitrij juriſq; ſunt omnia.*

n Quia quod notum eſt Dei,&c.] διότι τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, *Cognobile Dei manifeſtum eſt illis. q. quod de Deo cognoſci poteſt ab homine.*

o Inviſibilia e.eius.] *Græcè ſic* τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, καὶ θειότης. κτίσις *eſt creatio ipſa & res creata. Laurentius putat intelligendum inviſibilia Dei cognoſci de factura.q. de forma, & facie univerſi, quale illud eſt in Pſalmo: Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum: & Ariſtotelem multoſq; alios philoſophos Deum & eſſe & proſpicere mundo legimus reprehendiſſe ex cœli pulchritudine & conſtantia motus, vicibuſq; temporum ac rerum, totaq; ratione vitæ noſtræ, & ipſius univerſi, quæ omnia fieri non poſſe videbant, niſi ab aliquo principe ſapientiſſimo, & optimo, qui huic univerſitati præſideret. Auguſtinus hic* κτίσεως *vertit conſtitutionis, ut ſit intelligi ab hominibus illa recondita ex operibus Dei, quæ cernimus, idq; jam inde, ex quo mundus eſt conditus, ut ſciamus, non iſtud uſu venire de cognoſcendo Deo per opera, ex quo Chriſtus homines docuit, aut ex quo lex eſt Moyſi data, ſed ex quo mundus eſt à Deo genitus. Atq; hic ſenſus videtur mihi cum Pauli dictis magis congruere, qui contra philoſophos hoc loco diſputat, quos ſignificat quocunq; tempore, quacunq; regione mundi vixerint, potuiſſe deprehendere Deum eſſe rectorem univerſorum & parentem: ita id quod ſequitur per ea quæ facta ſunt ſic conjungitur, inviſibilia Dei conſpiciuntur, intellecta per ea quæ facta ſunt.*

p Sempiterna quoque virtus & eius divinitas.] *Non modo abſtruſiora illa de ſapientia & probitate, ſed hæc quæ magis elucent divinitas & potentia: niſi ſi quis malit auferre quoq;, quemadmodum ſic Græcè, ut ſit ſenſus: Hæc eſſe quæ conſpiciuntur, divinitas & potentia: nam irrepſiſſe in Latinam interpretationem quoq; in cauſa fuit particula illa* τε, *quæ ſolet conjunctionem ſignificare.*

q Quod

q Quod in illo vivimus, movemur, & ſumus.] *Veteres enim & animam mundi per univerſum fuſam dixere ζῆν α, & aerem ipſum: idcircò utrumcunq́ ſit, in eo nos & eſſe & moveri & vivere. Aratus quoque & vias, & fora, & portus, omnia denique Jovis eſſe plena dixit, quod interpres ad illam aeris facultatem refert.*

r Ubi & Roma.] *Romani & Græci hominum ſimulachra pro diis colebant, Ægyptij beſtias.*

α PLatonem determinaſſe finem boni.] *Plato in Philebo de ſummo bono agit, ubi duplex omnino ſtatuit ſummum bonum, alterum quod vocat* ſimpliciter bonum, *quod habet in ſe omnem rationem boni, qualis eſt Deus, quem ipſe in ſympoſio vocat* pulchritudinis pelagus per ſe pulcrum divinumque. *Alterum* non ſimpliciter bonum *appellat, ſed ſummum hominis bonum, quod quidem definit* ſummi ſimpliciter boni poſſeſſionem divinam ex ſapientia & pura voluptate conſtantem. *Unde conſtat, Platonem in divina Dei contemplatione, & in ea quæ inde proficiſcitur oblectatione ſummam hominis beatitudinem collocaſſe, & hanc quidem poſt hanc vitam homini concedit, ut conſtat ex Phædone, ubi de animorum immortalitate & beatitudine diſſerit, ac neminem, quamdiu hic vivit poſſe eſſe beatum diſertiſſimis verbis adſtruit. In Epinomide tamen videtur dicere beatitudinem & in hac vita & in futura poſſe contingere, licet cum hoc diſcrimine, quòd paucis in hac vita eaq́ imperfecta, & umbra potius quædam felicitatis contingat, in futura vita plures beati ſint, & perfecta beatitudine perfruantur, quam illos vult conſecuturos, qui optimè hanc vitam inſtituerunt, & in Phædro & Phædone illos videtur intelligere beatos in hac vita, qui extra corpus potius, quam in corpore vivunt, adeoq́ omnino vivunt ſecundum virtutem, ac ſanctiſſimis Dei præceptionibus magis, quam pravis affectib. obſequuntur. Ex quibus conſtat quam proximè accedat Platonis ſententia de ſummo bono ad Chriſtianam philoſophiam, quamq́ meritò illũ hoc nomine cæteris philoſophis præferat D. Auguſt. qui tamẽ veritatẽ ipsã non attigit, neq́ novit quod ſcriptura docet,* hanc eſſe vitã æternã ut cognoſcamus Deum verum, & quem miſit Jeſum Chriſtum, *& nos revelata facie Deum contemplaturos. Ad id enim cognoſcendum altero opus erat lumine. Platonici ait Tertullianus lib. de reſurrect. carn. cap. 1.* pulſabant ſalutem, ſed non adibant veritatem, *metaphora pulſantis oſtium, qui tamen nolit, aut non poſſit ingredi. Rectè Socrates apud Platonem in Alcibiade 2. fatebatur ſe in caligine verſari, proindeq́ ardentiſſimis votis præceptorem expectat, qui hæc doceat, fœlicemq́ illius diei lucem ſibi optat contingere, ut divino quodam afflatu videatur inſinuare obſcurè Chriſtum cœlitùs ad homines demittendum, qui eos docturus ſit. De Platonis & Ariſtotelis ſententia circa fœlicitatem vide Euſebium lib. 15. de præparat. Evang. cap. 2.*

β Non continuò beatus ſit, qui eo fruitur quod amat.] *Eadem ſcribit & lib. 1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 3.* Beatus, *inquit*, quantum exiſtimo, neque ille dici poteſt, qui non habet, quod amet, qualecunque ſit, neque qui habet quod amat ſi noxium ſit, neque qui non amat quod habet, etiamſi optimum ſit. Nam & qui appetit, quod adipiſci non poteſt, cruciatur, & qui adeptus eſt,

quod

quod appetendum non eſt, fallitur, & qui non appetit, quod adipiſcendum eſſet, ægrotat. Nihil autem iſtorum animo contingit ſine miſeria, nec beatitudo & miſeria in homine ullo ſimul habitare conſueverunt. Nullus igitur illorum beatus eſt.

γ Fruitur eo quod amat, verumque & ſummum bonum amat.] *Eadem ſcribit & lib. 1. de morib. Eccleſ. Cathol. cap 4.* Quantum reſtat, ſit video, ubi beata vita inveniri queat, cum id quod eſt hominis optimum & amatur & habetur. Quid enim eſt aliud quod dicimus frui niſi præſto habere quod diligis? Neque quiſquam beatus eſt, qui non fruitur eo, quod hominis eſt optimum, nec quiſquam, qui eo fruitur, non eſt beatus. *Idem lib. 1. de doctr. Chriſt. cap. 3. Vult nos frui illis rebus, quæ nos beatos faciant. & cap. 5. Res quibus fruendum eſt, eſſe Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum:* frui enim (*ut ibidem definit*) eſt amore alicui rei inhærere propter ſe. *Solus autem Deus propter ſe amandus propriè, cætera ad eum referenda.*

δ Sive Platonici accommodatius nuncupentur.] *A præceptore, cum Academici etiam dicerentur, quod Plato primus in Academia docuerit. Philoſophorum enim, alij ab eventu, alij à civitatibus, alij à præceptoribus ſunt cognominati. Laertius in proœmio.*

ε Sive tantummodo Jonici generis.] *Licet enim Plato multa à Pythagoricis acceperit, quia tamen magis Socratem, quàm Archytam vel Timæum Pythagoricos ſecutus eſt, dici poteſt magis fuiſſe Jonicus, quam Italicus philoſophus, cum magis fuerit addictus Socrati, quam Præceptoribus Pythagoricis.*

ζ Propter Pythagoram & Pythagoreos.] *Horum nomen per multa ſæcula ſic viguit, ut nulli alij docti viderentur. Tantum verò deferebant præceptori, ut ſi quid affirmarent in diſputando cùm ex ijs quæreretur, quare ita eſſet, ſoliti eſſent reſpondere.* Ipſe dixit. *Ipſe autem erat Pythagoras,* tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret authoritas. *Cicer. lib. 1. de nat. deor. D. Nazianz. Orat. 1. Julianum.*

η Atlantici Lybici.] *Atlas Rex Mauritaniæ primus curſum Solis & Lunæ ac ſiderũ omnium verſationũ rationes vigore ſui animi, ſolertiaq́; deprehendit. De eo ita Diodorus lib. 4. biblioth.* ferunt Atlantem Aſtrologiæ fuiſſe peritiſſimum, deq; ſphæra primum inter homines diſputaſſe, qua ex re *viſus eſt* ſuis humeris cœlum ſuſtinere, locum præbente fabulis ſphæræ inventione. *Inde ab eo, qui in Aſtronomia poſtea verſati ſunt, & in inſpiciendis ſyderibus, Atlantici Lybici dicti, quod Atlas eſſet Lybicus, ut tradit Laertius ſtatim initio. Clemens Alexandrinus lib. 1. ςρωμ. ex Herodoto refert, Herculem ab Atlante mundi ſuſcepiſſe columnas αἰνι-ξάμενος τοῦ μύθου τὴν τῶν οὐρανίων ἐπιςήμην μαθητοῦ διαδέξασθαι.*

θ Ægyptii.] *Ægyptiorum ſapientiam perveruſtam fuiſſe docet ſcriptura, quæ tradit Moyſen fuiſſe eruditum in omni ſapientia Ægyptiorum. Refert etiam Plato in Timæo, Soloni in Ægypto quendam ex ſenioribus ſacerdotibus dixiſſe: Græcos ſemper eſſe pueros, & ſenem Græcorum eſſe nullum, quod nullam diſciplinam vetuſtate*

ſtate canam haberent, & conſtat, ab Ægyptiis Philoſophiam ad Græcos manaſſe. De Ægyptiorum Theologia vide Euſebium lib. 2. de præparat. Evang. cap. 1.

ι Indi.] *Gymnoſophiſtas ſapientes Indorum intelligit, de quibus Plutarchus in Alexan. Q. Curtius lib. 8. Arrianus lib. rerum Indicarum. Laertius in proœmio. eorumdem meminit infra lib. 14. cap. 17. & lib. 15. cap. 20.*

κ Perſæ.] *Magos Perſarum ſapientes ſeu Philoſophos intelligit. Suidas.* Μάγοι παρὰ πέρσαις οἱ Φιλόθεοι. *Heſychius,* τὸν θεοσεβῆ, καὶ θεολόγον καὶ ἱερέα Magum à Perſis vocatum. *Hi erant in tanto pretio apud Perſas, ut eorum ſententiis omnia publica ac privata ſacra ſubjicerentur, ipſi etiam Reges Majorum ſacris initiarentur, ut author eſt Cicero lib. 1. de divin. Magos etiam Regibus à conſiliis fuiſſe, author eſt Dio. Chryſoſtomus orat. 49.* ὅτι τὸ φύσεως ἦσαν ἔμπειροι καὶ τοὺς θεοὺς εἴδεισαν ὡς δεῖ θεραπεύειν. *Suidas Zoroaſtrem ipſius Magorum appellationis authorem facit. De tota eorum doctrina conſule Laertium in proœmio.*

λ Chaldæi.] *Dubitatum eſt à quibusdam, an eſſet nomen gentis vel artis. Suidas* Ὄνομα ἔθνους περὶ τὴν ἀστρονομίαν ἠκριβωμένοι. *Cicer. lib. 1. de divinat.* Chaldæi non ex artis, ſed gentis vocabulo nominati, doctrina, obſervatione ſiderũ, ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet quid cuique eventurum, & quo quisque fato natus eſſet. *Nonnulli tamen contendunt, fuiſſe nomen artis, & Laertius ſcribit, eos fuiſſe Chaldæos Babyloniis & Aſſyriis, qui Magi erant Perſis, & Gymnoſophiſtæ Indis, & Druidæ Gallis. quia tamen ferè Babylonii à Græcis Chaldæi dicuntur, hinc Cicero dixit eſſe nomen gentis, in aliis tamen partibus ea ſtudia vigere. Non prætereundem ſilentio quod de Chaldæorum doctrina, decretis & obſervationibus Diodorus Siculus tradit lib. 3.* Chaldæi Babyloniorum antiquiſſimi eo loco ſunt apud Babylonios, quo in Ægypto ſacerdotes, cultui deorum deputati, per omnem vitam philoſophantes auguriis, ſacris & quibusdam incantationibus mala avertere ab hominibus & bona afferre exiſtimabantur, auguria inſuper, ſomnia & prodigia interpretari ſoliti, nec non quæ ad ſacra ſpeculanda pertinent, peritiſſimè tenentes: quorum decreta erant, mundum eſſe ſempiternum, principio, fineque carentem, Dei poteſtate ac ſapientia factum, eiusdemque ſumma ratione ac conſilio gubernari. deditiſſimi erant ſiderali ſapientiæ, ex aſtrorum animadverſione quæcumque hominum in vita aliquando eſſent eventura divinantes. Nam Alexandro Magno & victoriam Darii, & quæ ipſum manebat Babylone mortem prænuntiarunt. Similiaque Nicanori, Antigono & Seleuco prædixerunt. Quin etiam idiotis futura ita evidenter vaticinabantur, ut mirum & ſupra ingenia hominum eſſe videretur. Omnes certè concedunt Chaldæis ſupra cæteros mortalium ſcientiam Aſtrologiæ, in qua illi ſe per quadringenta tria annorum millia uſque ad Alexandrum Magnum obſervationes aſtrorum collegiſſe prodiderunt. *Chaldæos profitentes Aſtronomiam in plures ſectas diviſos fuiſſe, author eſt Strabo lib. 15.*

μ Scytæ.] *Ut author eſt Arrianus initio lib. 4.* περὶ ἀναβάσεως Ἀλεξάνδρου. *Homerus ſapientiſſimos mortalium Scythas appellans in ſuo opere laudat,* Si juſtitiam adeò coluerunt, ergò & ſtudia literarum viguiſſe apud eos veriſimile eſt.

De Scytharum antiquitate & contentione cum Ægyptiis de generis vetuſtate, item de eorum moribus Juſtinus lib. 2. ubi quod dicit, Juſtitiam gentis ingeniis cultam, non legib. arguit nullas fuiſſe apud eos editas leges, & quod conſequens eſt, nulla viguiſſe literarum ſtudia: & Anacharſis unus Scytharum nomine ſapientiæ apud veteres in magna fuit exiſtimatione, qui tamen in Græciam venit, Græcorum ſtudia, mores, & inſtituta percepturus. Unde qui fuerint illi philoſophi apud Scythas, vel quæ apud eos ſapientia viguerit, mihi non ſatis conſtat.

ν Galli.] *Druidas intelligit Gallorum ſapientes, de quibus Laertius in proœmio, Cæſar lib. 6. Mela lib. 3. cap. 2. Strabo lib. 4. his ferè verbis.* Druidæ præter cognitionem rerum naturalium moralem exercebant diſciplinam, animarum immortalitatem docebant, juſtiſſimi erant omnium opinione, ſine his nihil ſive in bello, ſive in pace gerebatur. Ideo & publica & privata judicia erant penes eos.

ξ Chriſtianus literis tantùm Eccleſiaſticis eruditus Platonicorum.] *Quid enim intereſt Chriſtiani ſcire Platonicorum nomen, vel duo fuiſſe genera philoſophiæ Jonicum & Italicum? Literæ Eccleſiaſticæ quas novit, illæ ſunt, quæ de cælo nobis venerunt: quæ nos hortantur, ut benè beateq; vivamus. Auguſtinus in Pſal.* Quicquid homo extra didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur, ſi utile eſt, ibi invenitur, & cum quiſque invenerit omnia, quæ alibi utiliter didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quæ nuſquam omnino alibi, ſed in illarum tantummodo ſcripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur.

ο Qui ſecundum elementa huius mundi philoſophantur.] *Alludit ad locum Apoſtol. Coloſſ. 2.* videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecumdùm traditionem hominum: ſecundùm elementa mundi, non ſecundùm Chriſtum. *quem locum Tertullianus lib. 5. contra Marcio. cap. 9. ſic explicat, cum monet cavendum à ſubtiloquentia & philoſophia ut inani ſeductione quæ ſit ſecundum elementa mundi, non ſecundùm cælum, aut terrena dicit, ſed ſecundum literas ſæculares, & ſecundum traditionem, ſcilicet hominum ſubtiloquorum & philoſophorum, ubi non omnino reprobat Apoſtolus philoſophiam; neq; hic Auguſtinus, ſed philoſophiam ſecundum elementa huius mundi, & non ſecundùm Deum, & cum eſſet honorificum nomen philoſophiæ, rectè adjunxit inanem ſeductionem. De his qui philoſophantur ſecundum elementa huius mundi, intellexit Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 2. Patriarchas hæreticorum eſſe philoſophos: quod idem copioſius oſtendit lib. de præſcript. cap. 2.*

π Quia quod notum eſt Dei.] τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in ipſis. *Sunt verò eiuſmodi cognoſcibilia de Deo non unius & eiuſdem rationis. Nam ut docet D. Thomas 1. contra Gentes cap. 3. quædam intelligibilium divinorum ſunt, quæ humanæ rationi ſunt pervia, ut Deum eſſe unum, habere providentiam rerum, quæ etiam philoſophi ipſi ſuo lumine naturali intellexerunt. Alia verò ſunt, quæ vim humanæ rationis excedunt, ut Trinitas perſonarum, Incarnatio verbi, quod Deus juſtificet homines per*

gratiam,

gratiam, & præmiet per viſionem ſui beatificam, & cætera quæ per ſe ad fidem ſpectant, & non niſi revelatione innoteſcunt. D. Paulus cum loquitur de his, quæ à philoſophis cognoſci potuerunt, certè cognoſcibilia primi generis intelligit.

e Deus in illis manifeſtavit.] *Cum enim* Deum nemo viderit unquam *Job. 1.* & lucem habeat inaceſſibilem. *1. Timoth. 6.* & poſuerit tenebras latibulum ſuum. *Pſalm. 17.* & nubes & caligo ſint in circuitu eius, *certè nullus hominum, immò nec Angelorum potuiſſet unquam Deum cognoſcere, niſi ipſe pro bonitate ſua ſe illis manifeſtaſſet. Ita docet Damaſcenus lib. 1. Orthod. fidei cap. 1.* οὐδεὶς ἔγνω ποτὲ θεὸν, εἰ μὴ ᾧ αὐτὸς ἀπεκάλυψεν, ἀνθρώπων μόνον, ἀλλ' τῶν ὑπερκοσμίων δυνάμεων, καὶ αὐτῶν φημὶ τῶν Χερουβὶμ καὶ Σεραφίμ, οὐκ ἀφῆκε μέντοι ἡμᾶς ὁ θεὸς ἐν παντελεῖ ἀγνωσίᾳ. πᾶσι γὰρ ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι θεὸν, ὑπ' αὐτοῦ φυσικῶς ἐγκατέσπαρται. καὶ αὐτὴ δὲ ἡ κτίσις καὶ ἡ ταύτης συνοχή τε καὶ κυβέρνησις τὸ μεγαλεῖον τῆς θείας ἀνακηρύττει φύσεως. *Si quæras autem, qua ratione Deus creaturæ ſe manifeſtet, certè ut egregie docet D. Thomas 4. contra Gentes cap. 1. manifeſtat ſeu revelat ſe primò naturaliter, ſecundò divinitus, ſed obſcure ac per modum cujusdam teſtificationis, quem duplicem modum inſinuat Damaſcenus loco citato. Tertio item divinitus, ſed claro ac per modum viſionis hoc eſt quod ſolent dicere Theologi, mundum & Chriſtum, creaturam & ſcripturam nos ducere in cognitionem Dei. D. Paulus ergo in locis ab authore citatis loquitur de manifeſtatione naturali, nec enim aliter ſe manifeſtavit ſapientibus huius mundi, qui quemadmodum loquitur Tertullianus lib. de Spectac. cap. 2.* non penitus Deum norunt, niſi naturali jure, non familiari, de longinquo, non de proximo.

f Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi.] *Qua ratione Deus ſe Philoſophis manifeſtavit, nempe per res à ſe effectas, quaſi per voces quaſdam nobis ſuam potentiam, ſapientiam, bonitatem patefecit, non ſecus ac homines externo ſermone interna animi ſenſa ſolent patefacere. quò referri poſſunt multa ſcripturæ loca Pſal. 18.* Cœli enarrant gloriam Dei, *ubi David ſeptem primis verſibus docet, cælos, & alia corpora cæleſtia ſua magnitudine, pulchritudine, ordine & varietate creatoris omnipotentiam, ſapientiam, bonitatem & providentiam omnibus enarrare. quem locum citans Chryſoſtomus Homil. 9. ad popul. Antioch.* Quomodo narrant, dic mihi? Vocem non habent, os non poſſident, ipſis non eſt lingua, quomodò igitur narrant? per ipſum aſpectum. Cum enim vides pulchritudinem, magnitudinem, celſitudinem, ſitum, formam per tantum temporis permanere, tanquam vocem audiens, & ad aſpectum diſcens adoras eum, qui tam pulchrum & admirabile corpus creavit; Tacet cœlum, ſed ipſius aſpectus vocem tuba clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens. hic enim ſenſus eſt à natura illo certior & manifeſtior, & *paulo pòſt.* Scytha, barbarus ac Indus, & Ægyptius & omnis homo ſuper terram incedens hanc vocem audiet, non enim per aures, ſed per oculos in mentem incidit noſtram. Viſibilium autem participatio eadem, neque differens ſicut linguarum. In hunc pariter librum & idiota & ſapiens intueri poterit, & pauper & dives, & quicunque viderit in cœlum reſpiciens ſufficientem capiet doctrinam ex aſpectu. quod

quidem & ipſe Propheta innuens & demonſtrans quod vocem creatura barbaris emittit & Græcis & omnibus hominibus ſic intelligi facilem, dicebat. non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. *i.* non eſt gens, neque lingua, quæ hanc vocem intelligere non poſſit, ſed talis vox ut ab omnibus audiri poſſit. *Eccleſiaſt. 1. Deus dicitur effudiſſe ſapientiam ſuper omnia opera ſua, quòd in illis omnibus eius mirabilis ſapientia eluceat. Sapient. 1.* hoc quod continet omnia, *id eſt, univerſum*, habet ſcientiam vocis. *i. ſcit quodammodo loqui, eſt velut externa quadam Dei vox, qua ſe manifeſtat. Sapient. 13. reprehenduntur, qui ſtellas Deos eſſe exiſtimabant, cùm ex illis eorum artificem cognoſcere potuiſſent ac debuiſſent.* A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ poterat creator horum videri. *Nec modò naturaliter exterius per effecta Deus hominem docet, verùm etiam interius tribuendo homini intellectum & lumen, quo poſſit ipſum cognoſcere, quomodo illud Pſalmi intelligendum, cum ait, Deum docere hominem ſcientiam, quo ſenſu multi exponunt illud Pſalm. 4.* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, *quo ſenſu etiam Job. 35. ait, Deum nos docere ſupra jumenta terræ.*

τ A conſtitutione mundi.] ἀπὸ κτίσεως, *quod creaturam & creationem ſignificat. Vulgata editio habet* à creatura mundi, *quo nomine homo ipſe* μικρόκοσμος *intelligitur, vel etiam intelligi poteſt ex creatione mundi, vel ſtatim à creatione mundi Deum ſe manifeſtaſſe per effecta ſua.*

υ Sicut & in illo vivimus.] *Paulus enuncians Verbum Dei Athenienſibus hæc citavit ex Arato. D. Hieronymus Epiſt. ad Magnum oratorem.* Apud Athenienſes, *inquit*, Paulus in Martis curia diſputans, Aratum teſtem vocat, ipſius enim & genus ſumus, quod Græce dicitur, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *Clemens Alexandr. lib. 1.* Στρωμ. *hoc loco utitur, ut oſtendat, Græcos & Philoſophos vera quædam dogmata habuiſſe. D. Auguſtinus lib. 14. de Trinit. cap. 12. citans illum locum,* non ſecundùm corpus, *inquit*, intelligendum, nam ſic de iſto corporeo mundo poſſet intelligi, in quo ſecundùm corpus vivimus movemur, & ſumus, unde ſecundùm mentem, quæ facta eſt ad eius imaginem, debet accipi excellentiore quodam, eodemque non viſibili, ſed intelligibili modo. Nam quid non eſt in ipſo, de quo divinitus ſcriptum eſt, quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Proinde ſi in ipſo ſint omnia, in quo tandem poſſint vivere quæ vivunt, & moveri quæ moventur, niſi in quo ſunt?

Cap. X.

Quæ ſit inter philoſophicas artes religioſi excellentia Chriſtiani.

NEc ſi literas eorum Chriſtianus ignorans, verbis quæ non didicit in diſputatione, non utitur, ut vel naturalem Latinè, vel phyſicam Græcè appellet eam partem, in qua de inquiſitione naturæ tractatur, & rationalem ſive logicam in qua quæritur, quonam modo veritas percipi poſſit? & moralem vel ethicam, in qua de moribus agitur bonorumque finibus appetendis, malorumque vitandis, *a* ideo neſcit ab uno vero Deo atque optimo, & naturam

turam nobis eſſe, qua facti ad ejus imaginem ſumus: & doctrinam, qua eum noſque noverimus: & gratiam, qua illi cohærendo beati ſumus. Hæc itaque cauſa eſt, cur iſtos cæteris præferamus, quia cum alij philoſophi ingenia ſua ſtudiaque contriuerint in requirendis rerum cauſis, & quinam eſſet modus diſcendi atque vivendi, iſti Deo cognito repererunt, ubi eſſet cauſa conſtitutæ univerſitatis, & lux percipiendæ veritatis, & fons bibendæ fœlicitatis. Sive ergo iſti Platonici, ſive quicunque alij β quarumlibet gentium philoſophi de Deo iſta ſentiunt, nobiſcum ſentiunt. *a* Sed ideo cum Platonicis magis placuit hanc cauſam agere, quia eorum ſunt literæ notiores. Nam & Græci, quorum lingua in gentibus præeminet, eas magna prædicatione celebrarunt: & Latini permoti earum vel excellentia, vel gloria, ipſas libentius didicerunt, atque in noſtrum eloquium transferendo nobiliores clarioreſque fecerunt.

a SEd ideo cum Platonicis.] *A temporibus Platonis & Ariſtotelis uſq; ad Alexandrum Aphrodiſeum, qui vixit Severo & ejus filio principibus, Ariſtoteles nominabatur magis, quàm vel legebatur à doctis, vel intelligebatur. Primus ille aggreſſus eum enarrare, & adjuvit ſtudia multorum, & ad alia in eo philoſpho quærenda excitavit. manſit tamen crebrior in manibus hominum & notior Plato uſq; ad ſcholas in Gallia & Italia publicè conſtitutas, id eſt quamdiu Græca & Latina lingua viguerunt. * (poſtea verò quàm theatricæ cœperunt eſſe diſciplinæ, omniſq; earum fructus exiſtimatus eſt poſſe diſputando fucum facere, & os obturare, & pulverem ob oculas jacere, idq; imperitiſſima peritia, & nominibus ad libitum confictis, accommodatiores ad rem viſi ſunt libri logici Ariſtotelis & phyſici, relictis permultis ejus præclaris operibus: Platone verò, & quod ab eis non intelligeretur, quanvis multo minus Ariſtoteles, & quod artificium non videtur docere, ne nominato quidem, non quod minorem aut ineruditiorem putem Platone Ariſtotelem, ſed quod ferendum non eſt, Platonem ſanctiſſimum philoſophum præteriri, & Ariſtotelem ita legi, ut meliore rejecta parte quæ retinetur, id cogatur loqui, quod ipſi jubent, ſtultitias meras, quales non dico Ariſtoteles, ſed nec quiſquam illius temporis per furorem cogitarit.)** L.Viva.

a IDeo neſcit ab uno vero Deo.] *Neq; ſatis intellexerunt illi Philoſophi, quatione creati ſimus ad imaginem Dei, quo etiam ſenſu Deus nos doceat, multo minus gratiam ipſam participationem quandam divinæ naturæ, qua illi cohæremus, & ab eo in filios adoptamur. Hæc enim intelligere Chriſtianorum eſt ſcientia, qui ſunt θεοδίδακτοι, hæc Deus nobis revelavit per Spiritum ſanctum.* F.L.Cop.

β Quarumlibet gentiũ philoſophi de Deo iſta ſentirent.] *Sicut enim Ægyptii non ſolum idola habebant, & onera gravia, quæ populus Iſrael deteſtaretur & fugeret, ſed etiam vaſa atq; ornamenta ex auro & argento, & veſtem, quæ ille populus exiens de Ægypto ſibi potius tanquam ad uſum meliorem clanculum vindicavit, non authoritate propria, ſed præcepto Dei, ipſis Ægyptiis neſcienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur, ſic doctrinæ omnes gentilium non ſolum ſimulata & ſuperſtitioſa figmenta graveſq; ſarcinas ſupervacanei laboris habent,*

quæ unusquiſq; noſtrum duce Chriſto de ſocietate Gentilium exiens, debet abominari atq; devitare, ſed etiam liberales diſciplinas uſui univerſitatis aptiores, & quædam morum præcepta utiliſſima continent, deq; ipſo uno Deo colendo nonnulla apud eos inveniuntur, quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis divinæ providentiæ, quæ ubiq; diffuſa eſt, eruerunt. D. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 40. Hinc primi illi patres Eccleſiæ, quos commemorat Hieronymus epiſt. ad Magnum Oratorem. ferè ex authoritate philoſophorum ad confirmanda dogmata religionis noſtræ contra Gentiles diſputant.

Cap. XI.

Unde Plato illam intelligentiam potuerit acquirere, qua Chriſtianæ ſcientiæ propinquavit.

MIrantur autem quidam nobis in Chriſti gratia ſociati, cùm audiunt, vel legunt *a* Platonem de Deo iſta ſenſiſſe, quæ multum congruere veritati noſtræ religionis agnoſcunt. β Unde nonnulli putaverunt eum, quando perrexit in Ægyptum, *a* Hieremiam audiſſe prophetam, vel ſcripturas propheticas in eadem peregrinatione legiſſe: *b* γ quorum quidem opinionem in quibuſdam libris meis poſui. δ Sed diligenter ſupputata temporum ratio, quæ chronica hiſtoria continetur, Platonem indicat à tempore quo prophetavit Hieremias, centum fermè annos poſtea natum fuiſſe. Qui cùm octoginta & unum vixiſſet, ab anno mortis ejus uſque ad tempus quo Ptolemæus rex in Ægypti ſcripturas propheticas gentis Hebræorum de Iudæa popoſcit, & per ſeptuaginta viros Hebræos, qui etiam Græcam linguam noverant, interpretandas habendasque curavit, ε anni fermè reperiuntur LX. Quapropter in illa peregrinatione ſua Plato, nec Hieremiam videre potuit tanto ante defunctum, ζ nec eaſdem ſcripturas legere, quæ nondum fuerant in Græcam linguam tranſlatæ, qua ille pollebat: *c* niſi fortè quia fuit acerrimi ſtudij, ſicut Ægyptias, ita & iſtas per interpretem didicit, non ut ſcribendo transferret, quod Ptolemæus pro ingenti beneficio, qui regia poteſtate etiam timeri poterat, meruiſſe perhibetur, ſed ut colloquendo quid continerent, quantum capere potuiſſet, addiſceret. Hoc ut exiſtimetur, illa ſuadere videntur indicia, quòd liber Geneſeos ſic incipit: *In principio fecit Deus cælum & terram. terra autem erat inviſibilis & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* η *d* In Timæo autem Plato, quem librum de mundi conſtitutione conſcripſit, Deum dicit in illo opere *e* terram primo ignemque junxiſſe. *f* Manifeſtum eſt autem quod igni tribuit cæli locum. θ Habet ergo hæc ſententia quandam illius ſimilitudinem, qua dictum eſt: *In principio fecit Deus cælum & terram.* *g* Deinde illa duo media, quibus interpoſitis ſibimet hæc extrema copularentur, aquam dicit & aerem, unde putatur ſic intellexiſſe, quod ſcriptum eſt, *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Parum quippe attendens ι quo more ſoleat illa ſcriptura appellare ſpiritum Dei, *h* quoniam

Gen. 1

quoniam & aer ſpiritus dicitur, quatuor opinatus elementa loco illo commemorata videri poteſt. Deinde quod Plato dicit, amatorem Dei eſſe philoſophum, nihil ſic in illis ſacris literis flagrat: & maximè illud, quod & me plurimum adducit, ut penè aſſentiar, Platonem illorum librorum expertem non fuiſſe, quod *k* cùm ad ſanctum Moyſen ita verba Dei per angelum perferantur, ut quærenti quod ſit nomen ejus, qui eum pergere præcipiebat ad populum Hebræum ex Ægypto liberandum, reſpondeatur: *i* Ego ſum qui ſum: & dices Exod. 3.
filijs Iſrael. Qui eſt, miſit me ad vos: tanquam in ejus comparatione, qui verè eſt, quia incommutabilis eſt, ea quæ mutabilia facta ſunt, non ſint. Vehementer hoc Plato tenuit, & diligentiſſimè commendavit. Et neſcio, utrum hoc uſpiam reperiatur in libris eorum, qui ante Platonem fuerunt, niſi ubi dictum eſt: Ego ſum qui ſum, & dices eis. Qui eſt, miſit me ad vos. Sed undecunque ille iſta didicerit, ſive præcedentium eum veterum libris, ſive potius quomodo dicit Apoſtolus, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit. *Inviſibilia enim ejus à conſtitutione mundi per ea* Rom. 1.
quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; ejus virtus & divinitas: nunc non immerito me Platonicos philoſophos elegiſſe cum quibus agam, quòd in iſta quæſtione, quam modo ſuſcepimus, agitur de naturali theologia, utrum propter fœlicitatem, quæ poſt mortem futura eſt, uni Deo, an pluribus ſacra facere oporteat. Nam utrum unus Deus, an plures, propter hujus vitæ ſint bona colendi, ſatis ut exiſtimo expoſui.

a Hieremiam audiſſe.] *Hic cum tribu Iuda & Benjamin in Ægyptum abijt,* L. Vives
obijtq; in Tanis Ægypti, obrutus lapidibus: ubi ab indigenis colitur, ob vim præſentaneam contra ſerpentum ictus.

b Quorum quidem opin. in quibus libris meis p.] *Lib. 2. De doct. Chriſtiana Euſeb. initium vaticinij Hieremiæ refert in primum annum xxxvj. Olympiadis: ortum verò Platonis in quartum lxxxviij. Olymp. De ſeptuaginta duobus interpretibus alio loco.*

c Niſi fortè quia fuit acerrimi ſtudij.] *Iuſtinus Martyr in Paracleſi ad gentes, & Euſeb. in Præpar. Evang. & Theocritus de Græcorum affectionibus, Platonem ex Hebræorum libris multa in ſuos tranſtuliſſe ſcribunt. Hinc Numenius philoſophus dicebat, τί ἐστι πλάτων ἢ μωϋσῆς ἀττικίζων, quid eſt Plato, niſi Moyſes Atticiſſans? Et Ariſtobulus Iudæus ad Philometora l. 1. ſicut Euſebius citat: Legem, inquit, noſtram in multis Plato ſequutus eſt: apertè namq; in multis diligenter examinaſſe ſingula videtur. Moſaica enim volumina ante Alexandrum, & ante Perſarum imperium traducta fuerant: unde plurima, ſicut & Pythagoras philoſophus ille accepit.*

d In Timæo autem Plato.] *Hunc librum ſic appellavit, quod inducitur Timæus Locrus, diſputans de mundo, quem Plato in Italia audierat, quiq; Dorica lingua de mundo ſcripſit, ex quo l. multa ſunt à Platone mutuata.*

e Terram primo ignemque junxiſſe.] *Hæc ſunt Platonis verba, interprete Cicerone, corporeum & aſpectabilem, itemq; tractabilem eſſe, neceſſarium eſt: nihil*

porrò

porrò igni vacuum videri poteſt, nec verò tangi quod careat ſolido. Solidum autem nihil, quod terra ſit expers: quamobrem mundum efficere moliens Deus, terram primam ignemq; jungebat. Eadem eſt ipſius Timæi Locri ſententia in opere ſuo, De mundo & anima.

f Manifeſtum autem quòd igni tribuit cæli locum] Plato cælum igneum eſſe putat, ſtellas verò ex quatuor elementis conflatas, quòd ſolidiores videantur. Neq; verò cælum ejuſdem, cujus hic noſter eſt ignis natura credit eſſe: neq; enim ſimplicem ponit ignem, ſed varij generis naturæq;.

g Deinde illa duo media.] Ad cohærendum, aqua & ignis neceſſe habebant vinculum. Porrò ſolida uno vinculo, parum aptè conjungi cohærereq; poſſunt: duobus ergo indigebant, quæ ex ſe, & ijs quæ conjungunt, quàm commodiſſimè fieri poſſet, unum quid redderent. Tales ſunt aër & aqua, inter ignem & terram. Qua enim ratione, proportioneq; ſe habet aqua ad terram, eadem aer ad ignem, eadem aqua & aer inter ſe: quæ vincula ita copulant extrema elementa, ut ſenſim vel aſcendentibus, vel deſcendentibus, prope imperceptibilibus naturæ variationibus, unum putetur eſſe corpus, quod vel dureſcit in terram, vel rareſcit in ignem.

h Quoniam aer ſpiritus dicitur.] Sed non Dei. De hoc alibi.

i Ego ſum qui ſum.] ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Participium eſt ὤν, quaſi ego ſum, ille qui eſt. Hoc enim verbum Græcum uno Latino verti non poteſt, ut inquit Seneca libro Epiſtolarum octavo: ſed dici poteſt ens, quod à ſum protulit Cæſar, ſicut à poſſum potens. Idem Servius Flavius fecit, ut Quintilianus inquit. Significat verò Deus ſe eſſe illum, qui ſit, quoniam cætera res verè & propriè non ſunt: nam ſicut Eſaias dicit, ex nihilo ſunt: & apud Job non ſemel legitur, Deum ſolum eſſe, reliqua enim omnia manent, ut inquit Seneca, non quia æterna ſunt, ſed quia defenduntur cura regentis, futura protinus nihil, ſi manum ille tolleret. Plato in Timæo, & Sophiſta, res corporales nunquam verè eſſe, res autem ſpiritales ſolas verè eſſe affirmat. In eodem Sophiſta & in Parmenide, Deum unum & ens appellat, à quo ſint reliqua univerſa, nec inveniri naturæ illi inæſtimabili nomen, quo appoſitè nominetur, nec definitione claudi, nec cogitatione teneri, nec notitia, nec verbis capi: ab hoc deos alios minores generatos eſſe, quos in Timæo fore immortales ait, non ſua ipſorum vi ac natura, ſed voluntate parentis Dei, quem τὸ ὂν nominat plerunq;, id eſt, quod eſt, ut dixi, ſicut in Phædone de vero philoſopho loquens, ὀρέγεται τοῦ ὄντος, id eſt, cupit id quod eſt: & poſt, ἆρ' οὐχ οὕτως ἐστὶν, ὦ Σιμμία, εἴπερ τις ἄλλος ὁ τευξόμενος τοῦ ὄντος, Nonne ita eſt, ô Simmia, ſi quiſquam alius, & ipſe, ipſius quod eſt, compos? & in Timæo, τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, id eſt, ſemper ens ingenitum. Platonicorum omnium concors eſt ſententia. Titulum Platonici, Parmenides de ente & uno rerum omnium principio, & Sophiſtæ περὶ τοῦ ὄντος, de Deo intelligi, qui unus ſit ens verè: & univerſorum principium. Et quoniam ὤν participium eſt, præſens tempus ſignificat, ut videatur Deus, nec futurum habere, nec præteritum, ſed ſemper eſſe. Plato in Timæo ſic inquit: ταῦτα δὲ πάντα μέρη χρόνου, καὶ τό τ' ἦν, καὶ τό τ' ἔσται χρόνου γεγονότα εἴδη φέροντες λανθάνομεν ἐπὶ τὴν ἀΐδιον οὐσίαν, οὐκ ὀρθῶς. λέγομεν γὰρ δὴ ὡς ἦν, ἔστι τε, καὶ ἔσται. τῇ δὲ

τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον προσήκει. τὸ δὲ ἦν, τό τ' ἔσται περὶ τὴν ἐν χρόνῳ γένεσιν ἰοῦσαν πρέπει λέγεσθαι. κινήσεις γάρ ἐστον. τὸ δὲ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον ἀκινήτως, οὔτε πρεσβύτερον, οὔτε νεώτερον προσήκει γίγνεσθαι ποτὶ, οὔτε γεγονέναι νῦν, οὐδ' εἰς αὖθις ἔσεσθαι τὸ παράπαν. οὐδὲν ὅσα γένεσις τοῖς ἐν αἰσθήσει φερομένοις προσῆψεν, ἀλλὰ χρόνου ταῦτα, αἰῶνά τε μιμουμένου, καὶ κατ' ἀριθμὸν κυκλουμένου γέγονεν εἴδη. *Porrò, inquit, hæc omnia temporis ſunt partes, & fuit, & erit: quæ ſunt temporis facti à nobis falſis ſempiternæ attribuuntur eſſentiæ, quod non decet. Ita enim ſolemus de illa loqui, erit, fuit, eſt: atqui ſolummodo eſt, ei congruit: fuiſſe verò, aut fore convenit dicere, quæ in tempore genita, cum tempore procedunt. Motus ſiquidem hæc duo ſunt: quod autem idem tota eſt æternitate, nullo movetur motu, nec docet ſeniorem unquam fieri, aut juniorem, nec fuiſſe hactenus, nec fore deinceps, nec incurrit in id quicquam, quæ res corporales, & quas ſenſibus uſurpamus, patiuntur, ſed iſtæ ſunt temporis æmuli æternitatis, & ad numerum ſe convolventis ſpecies. hæc Plato. quæ Gregorius theologus tranſtulit in ſuam orationem De natali Chriſti, & fuſius perſecutus eſt in illo loco,* θεὸς ἦν μὲν ἀεὶ, καὶ ἔστι καὶ ἔσται. μᾶλλον δὲ ἔστιν ἀεί. τὸ γὰρ ἦν, καὶ ἔσται τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τμήματα, καὶ τῆς ῥευστῆς φύσεως. ὁ δὲ ὢν ἀεὶ, καὶ τοῦτο αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνόματι τῷ Μωυσεῖ χρηματίζων ἐπὶ τοῦ ὄρους. *Deus, inquit, fuit ſemper, & eſt, & erit ſeu potius eſt ſemper. nam fuit, & erit, partes ſunt noſtri temporis, & fluxæ naturæ. Ille verò ens ſemper, & ſic ſe ipſe nominat, Moyſi interroganti. Hinc aſcendit altius, & ingenti facundia, paribusq́; ſententiis, de duratione, deq́; æternitate principis rerum philoſophatur. Sed ſuccumbit ingenioſiſſimus alioqui vir oneri, & magnitudine vincitur, & tam in modico ſplendori connivet. Refert Plutarchus fuiſſe poſti Apollinis Delphici aſcriptum à ſapientiſſimis viris ex una parte* γνῶθι σεαυτόν, *ex altera parte* εἶ. *q. juberet Deus, & ita ſalutantes reſalutare, noſce teipſe, nos illum ſic aggrederemur, es, quod ſoli Deo aptiſſimè congruit. nam hominibus non convenit, eſt enim natura noſtra inſtabilis & fluxa, Dei verò fixa, & æterna. Itaq́; ſemper ei liceret dicere tanquam eſſentiæ immutabili, quæ futuri temporis tranſactiq́; mutationes non ſentiat, tu es. Quid quod illud es referendum non videtur ad tempus aliquod, ſed ad immobilem æternitatem, in quo ſenſu Plato in Parmenide, nec præſens quidem tempus dici poſſe de Deo vult, quoniam ſit tempus, nec ens illum eſſe, ſed ſupra omnia potius entia inexplicabile quiddam, quod ſcire quid non ſit facilè eſt: quid autem ſit, impoſſibile. Non deſunt, qui Parmenidem ipſum in ſuis poematis quibus philoſophiam complexus eſt, de Deo ſenſiſſe putent, cùm omnia eſſe unum diceret, de quorum numero eſt Simplicius. Neq́; enim veriſimile eſt Parmenidem hominem acutum & ſapientem, diviſionem & multitudinem in rebus non deprehendiſſe, quam diſertis verbis in ſuis carminibus poſuit. Nam ubi de ente illo unico ſatis multa ceciniſſet, Hactenus, inquit, de veris illis & ſupremis, nunc de mortalibus confuſis, & in quibus multum eſt falſi erroriſq́; admiſtum. Ariſtotelem cupiditate reprehendendi evectum mala fide, ut in aliis multis fecit, ſententiam ejus in phyſicis auditionibus retuliſſe. Quod Themiſtius etiam attingit his verbis, dicam ut eſt apud interpretem Hermolaum Barbarum: Non enim putaſſe Parmenidem*

menidem

menidem unum illud ens, quod invexiſſet accidens eſſe, aut ex eorum numero, quæ ea re ſunt, quod aliis hærent, ſed de eo ente locutum fuiſſe, quod eſſet propriè, & maximè, & verè ens. Hoc enim apud nos ſignificat verè & maximè ens, quod apud Platonem dicitur ens, ut ita loquar, ipſiſſimum. Quid quod Ariſtoteles ipſe quodam loco cùm de naturalibus diſſereret rebus, veniſſetq; ad Parmenidis opinionem: ſed Parmenides, inquit, aliò videtur ſpectaſſe de uno ente rerum omnium principio: dixi quid Platonici aliquot ſentirent. Porrò ſententiam illam, quæ plerunq; eſt apud Platonem, & Platonicos, quæ ſenſibus uſurpamus, non eſſe, ſola intelligibilia eſſe: Alcimus in libris quos ad Amyntham ſcripſit, & eam ipſam & de ideis opinionem ex Epicarmi libris Platonem mutuatum eſſe docet, allatis etiam verbis ipſis Epicarmi, qui Cous fuit philoſophus ex Pythagorica gente, quem olim velut ſolem inter ſydera, & mare inter amnes, ita excellere inter homines eruditione fama tenuit, ſcripſitq; de natura rerum. Certè ipſe Plato in Sophiſta antiquiorem fuiſſe illam ſententiam judicat, qua ſola intelligibilia eſſentiæ veræ exiſtimantur, & ortas inde maximas contentiones, cum iis, qui ſola eſſe in mundo corpora putabant. De ideis quoq; Timeus Locrus in libro de mundo ſcripſit. Sed hæc omnia Plato cum ingenio excultiore, & diſertiore facundia, tum verò altiore & diviniore adjutus doctrina auguſtiora omnia & explicatiora tradidit. Quanquam myſteria hæc Pythagoram ipſum in Ægypto ex ſacris voluminibus edoctum eſſe haud ambigam: & in eum magis congrueret congreſſus cum Hieremia quàm in Platonem.

8.L.Cap. α PLatonem iſta ſenſiſſe, quæ multum congruere.] *D. Auguſt. lib. 7. confeſſio. cap. 20. gratias agit Deo, quod prius incidiſſet in libros Platonicorum, quàm in ſacras literas, in quibus quamvis eadem fere reperiſſet, quæ poſtea in ſacris literis, nihil tamen aliud ſenſit præter ſummam obſcuritatem & tenebras, donec Deus mentem aperuit dum in ſacris literis verſaretur. Si enim inter legendum libros Platonicorum ita intellexiſſet, potuiſſet fortaſſe exiſtimare, non eſſe Dei donum, ſed ex voluntate illius profectum quod his rebus aſſentiretur. Beſſarion lib. 2. cap. 4. contra calumniat. Platonis: ſpeciem quandam noſtræ religionis in Platone fuiſſe non diffitetur lumine naturæ illuſtratam, quam eius creator & princeps divina filij ſui doctrina poſtea plenius aperuit, & ſuo beneficio manifeſtius revelavit: qua ſpecie non mediocriter hominem juvari poſſe arbitratur, qui ex Platonis doctrina ad perfectionem noſtræ religionis ſtatim ſe contulerit. Ita principia quædam è Platonis ſcriptis ſurgere, & quaſi ſcaturire videntur.*

β Unde nonnulli putaverunt eum Hieremiam.] *Hieremias ſe contulit in Ægyptum, cùm captivus ductus eſſet populus in Babylonem, & ibi apud Taphnas à plebe lapidibus obrutus occubuit, ut referunt Tertullianus in Scorpiaco, cap. 8. Epiphanius, Dorotheus in Synopſi, Hieronymus in proœmio in Hieremiam, Iſidor. lib. de vita & morte ſanctorum.*

γ Quorum quidem opinionem in quibusdam libris meis.] *lib. 2. de doctrina Chriſtian. cap. 28. ubi ſcribit, eam fuiſſe D. Ambroſii ſententiam, Platonem ſacris literis per Hieremiam fuiſſe imbutum, imo ibi Auguſtinus videtur accedere ad ſententiam Ambroſii, quod patet ex lib. 2. retract. cap. 4.* In eo, *inquit*, quod dixi

de

de temporum hiſtoria ſolviſſe quæſtionem, tanquam fuerint coætanei Plato & Hieremias, me fefellit memoria, & ſic maturius conſiderata chronologia aliud ſentit.

δ Sed diligenter ſupputata temporum ratio.] *Quod aſſerit, centum ferme annos interceſſiſſe inter Prophetiam Hieremiæ & ortum Platonis, ſi rectè ſupputemus tempora, deprehendemus longe plures annis centum effluxiſſe inter utrumq́. Euſebius in Chronico vult, Platonem natum Olympiadis 88. anno 4. Olympiade autem 37. & 38. prophetaſſe Hieremiam, & Cyrill. l. 1. contra Jul. 37. Olympiade prophetaſſe in Judæa D. Hieremiam & Sophoniam ſcribit. Unde colligitur, centum ſeptuaginta, & eo amplius annos inter prophetiam huius & ortum illius fluxiſſe.*

ε Anni ferè reperiuntur ſexaginta.] *Obiit Plato anno 1. Olympiadis 109. annos natus 91. Ptolemæus autem Philadelphus ſacras literas curavit ex Hebraica in Græcam linguam transferri, Olymp. 124.*

ζ Nec eaſdem ſcripturas legere.] *An Plato ſacros libros legerit, non ſatis conſtare video inter Patres. Certè libros Moſis & Prophetarum legiſſe Platonem, ſcribit apertè Juſtin. Martyr in oratio. paranet. ad Gentes.* Unde, *inquit*, Plato currum volantem Jovem agere in cœlo didicit, *& ait*, niſi ex Prophetarum hiſtoriis, quas evoluerit? intellexit enim ex Prophetæ verbis, quæ de Cherubim ita ſcripta ſunt, & gloria Domini ex domo exivit venitque in Cherubim, ſumpſeruntque Cherubim pennas ſuas, & rotæ eorum cohærebant, dominiq; Dei Iſrael eis in cœlo cohærebat gloria. Hinc profectus Plato clamat his verbis: Magnus in cœlo Juppiter currum volantem incitans, alioquin à quo alio niſi à Moſe & Prophetis hæc cum didiciſſet, literis mandavit. *Ibidem putat, Platonem multa è ſacris literis didiciſſe. conſule eundem Apolog. 2. pro Chriſtian. Clem. Alex. lib. 1. ςρωμ. vocat Platonem ex Hebræis philoſophum, & in orat. exhortat. ad Gentes.* Leges, *inquit*, quæcumque veræ ſint, & de Deo opinio, ſuppeditata ſunt tibi, ô Plato, ab Hebræis. *Theodor. lib. 2. Græcar. affect.* Anaxagoras, *inquit*, Pythagoras, Plato, ænigmata quædam de Deo ab Ægyptiis, Hebræisque collegerunt. *& eod. lib.* cur non iis omnibus relictis ad Moſem, Oceanum Theologiæ tranſimus, à quo fluvii omnes & maria derivantur. illinc enim & Anaxagoras & Pythagoras, & Plato poſt eos, parva quædam veritatis lumina, quædamque initia deſumpſerunt. *Apud Euſebium. lib. 9. de præparat. Evang. cap. 2. Ariſtobulus Judæus in eadem eſt ſententia lib. item 13. cap. 7. refertur illud Numenij Pythagorici.* τὶ γὰρ ἐστὶ Πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων. *Hi patres in eam ſententiam ſunt inducti, quod multa legerent apud Platonem ſcripturæ ſacræ, & divinæ doctrinæ Moſis & Prophetarum valde conſentanea. Mihi tamen magis probatur opinio D. Auguſtini hoc loco, Platonem non potuiſſe legere ſacros libros, quod ætate Platonis nondum Græca lingua donati eſſent: itaque ſentit potius, eam non ex ſacris literis, ſed ex creaturis, id quod de Deo, diviniſq; rebus, & mundi creatione rectè ſcripſit, didiciſſe. Sentit eadem ac Auguſtinus, Lactantius lib. 4. cap. 2.* Soleo, *inquit*, mirari, quòd cùm Pythagoras & poſtea Plato amore indagandæ veritatis accenſi, ad Ægyptios & Magos, & Perſas uſque penetraſſent, ut earum gentium ritus & ſacra cognoſcerent. Suſpicabantur enim ſapientiam, in religione verſari,

ad Judæos tamen non acceſſerunt, penes quos tunc ſolos erat, & quò facilius ire potuiſſent. Sed averſos arbitror eſſe divina providentia, ne ſcire poſſent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionē Dei, juſtitiamque cognoſcere. Statuerat enim Deus appropinquante ultimo tempore Ducem magnum cœlitus mittere, qui eam perfido, ingratoque populo ablatam cæteris gentibus revelaret. Nec ea quæ Plato ſcripſit, ſatis demonſtrant ſacrarum literarum cognitionem illum hauſiſſe. Si enim aliqua de Deo rectè locutus eſt, & de mundo, illa certè naturali perſpicacia intellectus, ope Dei aliquantum adjutus ex creaturis inveſtigare potuit: & quemadmodum Magi Ægyptiorum aliqua faciebant ſigna, ſimilitudinem quandam præ ſe ferentia cum miraculis Moſis, quibus tamen longe erant inferiora, ita non mirum, ſi Plato aliqua ſimilia dicat doctrinæ Moſis. Sparſa enim fere etiam apud Gentes ſemina quædam veritatis, ſed doctrina Moſis divina prorſus, non humano ingenio excogitata, ne minimum quidem mendacium continens. *At Plato quidem de divinis multa, ſed non citra errorem ſcripſit, ut docet Cyrillus lib. 2. contra Julianum. Quod verò arguit non potuiſſe Platonem ſacros libros legere, quod nondum illius ætate in Græcam linguam eſſent converſi, certe ex dicto Ariſtobuli apud Euſebium lib. 13. cap. 7. refellitur, ubi aſſerit ante Demetrij Phaleræi tempora, immò verò ante Alexandrum & Perſarum imperium quinq; Moſis libros in Græcam linguam quamvis non commodè traductos. Clemens Alexandr. eiusdem tranſlationis meminit lib. 1.* ϛρωμ. *Utcumq; ſit, non ſatis ex his, quæ ſcribit Plato, colligitur eum legiſſe ſacras literas, ut ſupra.*

η In Timæo autem Plato.] *Timæum Platonis vocat Juſtinus in exhortat. eruditum ac elaboratum. Quemadmodum in Parmenide cuncta divinorum genera pro viribus comprehendit Plato, ſic omnia in Timæo complectitur naturalia, & ubique plurimum Pythagoricus eſt, & in Parmenide quidem Parmenidem & Zenonem Pythagoricos qui de divinis ſcripſerunt, imitatus eſt; in Timæo autem Timæum Locrum Pythagoricum, qui librum de univerſi natura compoſuit ſequitur. Cicero hunc dialogum Platonis Latinum fecit, atq; de univerſitate inſcripſit.*

θ Habet ergo hæc ſententia quandam illius.] *Plato exponens in Timæo quemadmodum Deus ſit aggreſſus fabricam mundi,* quicquid erat, *inquit,* non tranquillum & quietum, ſed immoderate agitatum & quaſi fluctuans id aſſumpſit, & ex inordinato ad ordinem adduxit, *quam ſententiam ex Moſe hoc loco Platonem accepiſſe author eſt Juſtinus Martyr Apolog. 2. pro Chriſtianis. Productum eſſe mundum Platonem ab Hebræis accepiſſe docet Euſebius lib. 11. de præparat. Evang. cap. 15. Sed multa ſunt in Timæo Platonis dialogo alioquin graviſſimo Ægyptiorum figmenta, & pulcherrimam de mundo diſputationem anilibus fabulis & mendacijs contaminavit: habent quidem quæ tradidit Plato aliquam ſimilitudinem cum doctrina Moſis, ſed qualem ſigna à magis in Ægypto edita cum veris Moſis miraculis editis authoritate divina, ut antea dictum eſt.*

ι Quo more ſoleant illa ſcriptura appellare ſpiritum Dei.] *Nam hæc vox* ſpiritus *licet habeat plura ſignificata in ſcriptura, ubi tamen dicitur* Spiritus ſan-

ctus,

ctus, *vel* Spiritus Domini, *vel* Spiritus Dei, *intelligitur haud dubiè* Spiritus ſanctus *tertia ſanctæ Trinitatis perſona.*

x Cum ad ſanctum Moſen ita verba Dei perferantur per Angelum.] *Nec enim Dominus niſi per interpoſitam perſonam miniſterio ſc. Angeli locutus eſt, & Angelus in perſona Dei loquebatur. Hinc dicitur lex accepta* in diſpoſitione Angelorum. Act. 7. & Hebr. 2. *Sed qui per Angelos dictus eſt ſermo.*

CAP. XII.

Quod etiam Platonici, licet de uno vero Deo bene ſenſerint, multis tamen diis ſacra facienda cenſuerunt.

IDeo quippe hos potiſſimum elegi, quoniam de uno Deo, qui fecit cælum & terram, quanto melius ſenſerunt, tanto cæteris glorioſiores illuſtrioresq; habentur. In tantum alijs prælati judicio poſterorum, *a* α ut cum Ariſtoteles Platonis diſcipulus, β vir excellentis ingenij, *b* & γ eloquio Platoni quidem impar, ſed multos facilè ſuperans, cùm δ ſectam Peripateticam condidiſſet, quod deambulans diſputare conſueverat, plurimosque diſcipulos præclara fama excellens, *c* vivo ε adhuc præceptore *d* ζ in ſuam hæreſim congregaſſet, poſt mortem verò Platonis *e* η Speuſippus ſororis ejus filius, & θ Xenocrates dilectus ejus diſcipulus, ι in ſcholam ejus, *f* quæ Academia vocabatur, eidem ſucceſſiſſent, *g* atque ob hoc & ipſi & eorum ſucceſſores Academici appellarentur, recentiores tamen philoſophi nobiliſſimi, quibus Plato ſectandus placuit, noluerunt ſe dici Peripateticos, aut Academicos, ſed Platonicos. Ex quibus ſunt valde nobilitati Græci, *h* κ Plotinus, *i* λ Jamblichus, *k* μ Porphyrius, in utraque autem lingua, id eſt & Græca & Latina, ν Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis. Sed hi omnes, & cæteri ejuſmodi, *l* & ξ ipſe Plato diis plurimis eſſe ſacra facienda putaverunt.

a UT cùm Ariſtoteles Platonis diſcipulus.] *Hic Stagyræ natus eſt ex Nicomacho & Phæſtide, quorum uterq; in ſtemmate Æſculapium habebat. Ejus natalis in annum primum xcix. Olympiad. refertur. ad Platonem acceſſit annos natus xv. manſitq; in ejus ſchola xx. annos. Hoc eſt uſq; ad Platonis mortem. Hinc enim ipſe diſcipulos cœpit inſtituere, in Lycio deambulans, idcirco qui eam audiverunt Peripatetici à περιπατεῖν nominati. magnus & admirabilis vir, quiq; ingenio diligentiaq; vinceret plurimos, nemini eſſet ſecundus: variarum rerum cognitione Platone magiſtro ſuperior, artificio verò omnes, qui ex omni memoria humanas tractaverunt artes, longo intervallo poſt ſe reliquit. Non ſunt præclaræ dotes malignè vel obſervandæ vel interpretandæ. Fuiſſe avidiorem gloriæ, avidiorem carpendi alios, adde etiam non omnino pecuniæ contemptorem, fatendum eſt: at dexteritatem in tradendis artibus nondum eſt aliquis ab ævo condito conſecutus. Utinam in refutandis alienis opinionibus induxiſſet in animum paulò candidius agere.* L. Vives. Ariſtoteles.

b Et eloquio Platoni quidem impar.] *Odioſum eſt de Platonis & Ariſtotelis comparatione diſſerere, quoniam ſtudiis variorum res in magnam invidiam ad-*

ducta. Haud dubiè fuit præſtantiſſimus uterq; eorum, & dignus quem tota poſteritas admiretur. Græci Platonem θεῖον. id eſt divinum, Ariſtotelem δαιμόνα nominant. Eloquentia Plato fuit tanta, ut vulgatum fuerit apud veteres illud, Iovem Græce loqui ſi vellet, non aliter locuturum, quàm Platonem. Ab Ariſtotele ſcientià artis rhetoricæ propemodum dixerim Platonem vinci: tametſi uſu atq; exercitatione Ariſtoteles ſit haud dubiè inferior: amavit enim ſemper Ariſtoteles brevitatem rerum ac ſententiarum, ne ſi extenderet ſingula fuſeq; perſequeretur, & copioſè, res in infinitum traherentur, & artis præcepta teneri difficile poſſent. Itaq; illud inprimis laboravit, ne ſibi dictum ullum, ac ne verbum quidem eſſet ſupervacaneum, quod dum conſectatur, aſſequutus eſt, ut nullus verbis figurisq; Græci ſermonis aptius, magisq; propriè ſit uſus.

c Vivo adhuc præceptore.] Sic Laertius, qui Platonis dictum affert: Ariſtoteles in nos recalcitravit, inquit Plato, ut in matrem pulli. Sunt tamen qui negent ipſum, vivo Platone, ſcholam inſtituiſſe.

Hæreſis. d In ſuam hæreſim.] Hæreſis Græca vox, Latinè ſectam ſonat: ambiguum nomen, odioſum eſt uſu noſtro factum, quoniam iis accommodatur, qui non unam eccleſiam catholicam ſequuntur, ſed ſua judicia, ſuasq; privatas ſectas.

Speuſippus. e Speuſippus ſororis ejus filius.] Filius fuit Eurimedontis, ſcholæ Platonicæ ſucceſſit, quam octo annos tenuit, mercede docuit, quod ei Dionyſius exprobravit: & Macedoniam usq; cucurrit, ut in Caſſandri nuptiis, ſpe mercedis, epithalamium recitaret, quod confecerat verſibus, quemadmodum Philoſtratus in Apollonio inquit, ineptis, & frigidis. Huic adhuc viventi, ſed ſolutis morbo membris, ſucceſſit rogatu ejus Xenocrates Chalcedonius, chariſſimus Platoni magiſtro diſcipulus, cui

Xenocrates. & fuit comes in Siciliam tranſmittenti, habeti ingenio, ſed ſevero, ſanctisq; moribus. Plato hunc calcaribus, Ariſtotelem condiſcipulum fræno dicebat indigere. eum Plato ſic dilexit, ut jurantibus illum de ipſo maledixiſſe, non crediderit, fieri non poſſe reputans, quin redamaretur ab eo quem ipſe tantum amaret. Hunc judices pro teſtimonio jurare non ſunt paſſi, rati nefas eſſe tam probo viro fidem non habere, etiam injurato.

Academia. f Quæ Academia vocabatur.] Academia villa erat prope Athenas, loco nemoroſo & ſubpaluſtri, ac ideo inſalubri, poſſeſſa olim ab Academo heroe, ut ait Laertius. nam Eupolis comicus Deum vocat: ſed Plutarchus in Theſeo, quis hic fuerit Academus narrat. Vir, qui Tyndaridis indicavit Helenam à Theſeo raptam in Aphidnis occultari: quocirca honos illi, & vivo à Caſtore & Polluce habitus eſt, & mortuo à poſteris Lacedæmoniis: nam quoties populabundi in Atticum agrum ſunt ingreſſi, ſemper ab Academia abſtinuerunt. Verùm Dicæarchus memoriæ prodidit, ab Ecedemo, qui ſub eisdem militavit Tyndaridis, Ecedemiam primùm dictam, deinde Academiam. Hoc etiam Laertius attingit. Apuleius in Platonis vita, patrimonium qui in hortulo, qui Academiæ junctus fuit, & in duobus miniſtris, & in patera, qua diis ſuppplicabat, reliquit auri tantum, quantum puerna bilitatis inſigne in auricula geſtavit. Laertius Platonem ſcribit in Academia ſepultum eſſe honorificè, regemq; Ponti Mithridatem, cùm in ejus poteſtate eſſent

Athenæ

Athenæ, Muſis in Academia Platonis imaginem dicaſſe, Silanionis opus. Porrò Athenis (nam hoc prætereundum non eſt) gymnaſia fuere hæc ferè: Academia, Lyceum, Prytaneum, Canopum, Stoa, Tempe, Cynoſarges.

g Atque ob hoc & ipſi, & eorum ſucceſſores.] *Hæc eſt vetus Academia, quæ per Polemonem Xenocratis diſcipulum perducta eſt ad Archeſilam, qui rationem diſputandi ad Socratis modum moremq́ reducere tentavit, nihil ut affirmaret ipſe, vel ſe ſcire diceret, quæ verò ab aliis dicerentur, eas confutaret: quæ dicta eſt nova Academia: quam Cicero perſona Varronis veterem ſibi videri ait: hinc qui lucem rebus tribuerent, certaq́ afferrent ac tenerent dogmata: quæ ex Platonis ſententia putarent eſſe, ij Platonici, non Academici nuncupati ſunt, credo quòd Academicum nomen nimis in ſchola Archeſilæ hæſerat.* Gymnaſia Athenis.

h Plotinus.] *Hunc Suidas Lycopolitanum fuiſſe perhibet, quæ eſt in Ægypto civitas: quinquaginta quatuor libros ſcripſit, obſcuros ſanè, ne degeneraret à more ſectæ. vixit temporibus Galieni principis, & uſq́ ad Probum pervenit: de cuius fato multa mentitur Julius Firmicus. Plotini vitam juſto volumine ſcripſit Porphyrius eius diſcipulus.* Plotinus.

i Jamblichus.] *Chalcidienſis Porphyrij auditor, non tam Platonicus fuit, quàm Pythagoricus, ut Hieronymus eſt autor: tametſi quantum ad res divinas attinet, Platonici omnes Pythagoriſſant. Moribus atq́ ingenio magiſtro fuit melior.* Iamblichus.

k Porphyrius.] *Hic prius vocatus eſt Malcus, ſed à purpuræ uſu nomen Porphyrij accepit. Tyri natus eſt, haud obſcuro loco: vir nec corpore ſatis ſanus, nec mente, judicij inconſtantis, & odio uſq́ in rabiem aſpero, crudeliq́. Plotini diſcipulum ipſe ſe profitetur. Suidas, Amelij quoq́ dicit, cuius hæc ſunt verba:* Πορφύριος κυρίως ἐκαλεῖτο Βασιλεύς, Τύριος φιλόσοφος, μαθητὴς Ἀμελίου τοῦ Πλωτίνου μαθητοῦ διδάσκαλος δὲ Ἰαμβλίχου, γεγονὼς ἐπὶ τῶν χρόνων Αὐρελιανοῦ, καὶ παρατείνας ἕως Διοκλητιανοῦ τοῦ βασιλέως. *Porphyrius, inquit, proprio nomine Baſileus vocabatur. Tyrius philoſophus, diſcipulus Amelij edocti à Plotino, præceptor verò Jamblichi: vixit temporibus Aureliani, & pervenit uſq́ ad tempora Diocletiani regis. Cur verò rex appellaretur, declarat idem* Porphyrius in vita Plotini magiſtri. *Amelius, inquit, librum hunc dicavit mihi, meq́ in ipſa inſcriptione baſilea, id eſt, regem, nominavit: id enim mihi nomen erat: & patria quidem lingua nominabar Malcus. quo nomine vocabatur & pater. Malcus autem in Græcam tranſlatus linguam, rex appellatur. Hæc ille de ſe.* Porphyrius. 13. Voſſ. H. Græc. 2, 16. p. 144.

l Et ipſe Plato diis plurimis.] *In Timæo deos numerat Saturnum, Opem, Iunonem, reliquosq́ inter ſe fratres, agnatosq́: in libris de repub. & de legibus, diis dæmonibusq́ & heroibus ſacra & ceremonias fieri jubet: in octavo verò de legibus & duodecimo illos nominat, quibus civitatis ſtatus & fælicitas votis comprecationibusq́ commendanda eſt.*

α UT cum Ariſtoteles Platonis diſcipulus:] *Refert Laertius in eius vita ex Apollodoro, natum Ariſtotelem anno primo nonageſimæ nonæ Olympiadis, perrexiſſeq́ ad Platonem decimo ſeptimo ætatis anno, annosq́ viginti apud eum fuiſſe commemoratum, & inter omnes Platonis diſcipulos maximè excelluiſſe.*

β Eloquio Platoni quidem impar.] *Fulgentius in præfat. Mytholog.* Plato-

nis

quæ unusquiſq; noſtrum duce Chriſto de ſocietate Gentilium exiens, debet abominari atq; devitare, ſed etiam liberales diſciplinas uſui univerſitatis aptiores, & quædam morum præcepta utiliſſima continent, deq; ipſo uno Deo colendo nonnulla apud eos inveniuntur, quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis divinæ providentiæ, quæ ubiq; diffuſa eſt, eruerunt. D. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 40. Hinc primi illi patres Eccleſiæ, quos commemorat Hieronymus epiſt. ad Magnum Oratorem. ferè ex authoritate philoſophorum ad confirmanda dogmata religionis noſtræ contra Gentiles diſputant.

Cap. XI.

Unde Plato illam intelligentiam potuerit acquirere, qua Chriſtianæ ſcientiæ propinquavit.

Mirantur autem quidam nobis in Chriſti gratia ſociati, cùm audiunt, vel legunt *a* Platonem de Deo iſta ſenſiſſe, quæ multum congruere veritati noſtræ religionis agnoſcunt. β Unde nonnulli putaverunt eum, quando perrexit in Ægyptum, *a* Hieremiam audiſſe prophetam, vel ſcripturas propheticas in eadem peregrinatione legiſſe: *b* γ quorum quidem opinionem in quibuſdam libris meis poſui. δ Sed diligenter ſupputata temporum ratio, quæ chronica hiſtoria continetur, Platonem indicat à tempore quo prophetavit Hieremias, centum fermè annos poſtea natum fuiſſe. Qui cùm octoginta & unum vixiſſet, ab anno mortis ejus uſque ad tempus quo Ptolemæus rex in Ægypti ſcripturas propheticas gentis Hebræorum de Iudæa popoſcit, & per ſeptuaginta viros Hebræos, qui etiam Græcam linguam noverant, interpretandas habendasque curavit, ε anni fermè reperiuntur LX. Quapropter in illa peregrinatione ſua Plato, nec Hieremiam videre potuit tanto ante defunctum, ζ nec eaſdem ſcripturas legere, quæ nondum fuerant in Græcam linguam tranſlatæ, qua ille pollebat: *c* niſi fortè quia fuit acerrimi ſtudij, ſicut Ægyptias, ita & iſtas per interpretem didicit, non ut ſcribendo transferret, quod Ptolemæus pro ingenti beneficio, qui regia poteſtate etiam timeri poterat, meruiſſe perhibetur, ſed ut colloquendo quid continerent, quantum capere potuiſſet, addiſceret. Hoc ut exiſtimetur, illa ſuadere videntur
Gen. 1. indicia, quòd liber Geneſeos ſic incipit: *In principio fecit Deus cælum & terram. terra autem erat inviſibilis & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* η *d* In Timæo autem Plato, quem librum de mundi conſtitutione conſcripſit, Deum dicit in illo opere *e* terram primo ignemque junxiſſe. *f* Manifeſtum eſt autem quod igni tribuit cæli locum. θ Habet ergo hæc ſententia quandam illius ſimilitudinem, qua dictum eſt: *In principio fecit Deus cælum & terram. g* Deinde illa duo media, quibus interpoſitis ſibimet hæc extrema copularentur, aquam dicit & aerem, unde putatur ſic intellexiſſe, quod ſcriptum eſt, *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Parum quippe attendens ι quo more ſoleat illa ſcriptura appellare ſpiritum Dei, *h* quoniam

quoniam & aer ſpiritus dicitur, quatuor opinatus elementa loco illo commemorata videri poteſt. Deinde quod Plato dicit, amatorem Dei eſſe philoſophum, nihil ſic in illis ſacris literis flagrat: & maximè illud, quod & me plurimum adducit, ut penè aſſentiar, Platonem illorum librorum expertem non fuiſſe, quod x cùm ad ſanctum Moyſen ita verba Dei per angelum perferantur, ut quærenti quod ſit nomen ejus, qui eum pergere præcipiebat ad populum Hebræum ex Ægypto liberandum, reſpondeatur: i Ego ſum qui ſum: & dices filijs Iſrael. Qui eſt, miſit me ad vos: tanquam in ejus comparatione, qui vere eſt, quia incommutabilis eſt, ea quæ mutabilia facta ſunt, non ſint. Vehementer hoc Plato tenuit, & diligentiſſimè commendavit. Et neſcio, utrum hoc uſpiam reperiatur in libris eorum, qui ante Platonem fuerunt, niſi ubi dictum eſt: Ego ſum qui ſum, & dices eis. Qui eſt, miſit me ad vos. Sed undecunque ille iſta didicerit, ſive præcedentium eum veterum libris, ſive potius quomodo dicit Apoſtolus, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit. *Inviſibilia enim ejus à conſtitutione mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; ejus virtus & divinitas:* nunc non immerito me Platonicos philoſophos elegiſſe cum quibus agam, quòd in iſta quæſtione, quam modo ſuſcepimus, agitur de naturali theologia, utrum propter fœlicitatem, quæ poſt mortem futura eſt, uni Deo, an pluribus ſacra facere oporteat. Nam utrum unus Deus, an plures, propter hujus vitæ ſint bona colendi, ſatis ut exiſtimo expoſui. Exod. 3. Rom. 1.

a Hieremiam audiſſe.] *Hic cum tribu Iuda & Benjamin in Ægyptum abijt, obijtq; in Tanis Ægypti, obrutus lapidibus: ubi ab indigenis colitur, ob vim præſentaneam contra ſerpentum ictus.* L. Vives.

b Quorum quidem opin. in quibus libris meis p.] *Lib. 2. De doct. Chriſtiana Euſeb. initium vaticinij Hieremiæ refert in primum annum xxxvj. Olympiadis. ortum verò Platonis in quartum lxxxviij. Olymp. De ſeptuaginta duobus interpretibus alio loco.*

c Niſi fortè quia fuit acerrimi ſtudij.] *Iuſtinus Martyr in Paracleſi ad gentes, & Euſeb. in Præpar. Evang. & Theocritus de Græcorum affectionibus, Platonem ex Hebræorum libris multa in ſuos tranſtuliſſe ſcribunt. Hinc Numenius philoſophus dicebat, τί ἐστι πλάτων ἢ μωϋσῆς ἀττικίζων, quid eſt Plato, niſi Moyſes Atticiſſans? Et Ariſtobulus Iudæus ad Philometore l. 1. ſicut Euſebius citat: Legem, inquit, noſtram in multis Plato ſequutus eſt: apertè namq; in multis diligenter examinaſſe ſingula videtur. Moſaica enim volumina ante Alexandrum, & ante Perſarum imperium traducta fuerant: unde plurima, ſicut & Pythagoras philoſophus ille accepit.*

d In Timæo autem Plato.] *Hunc librum ſic appellavit, quod inducitur Timæus Locrus, diſputans de mundo, quem Plato in Italia audierat, quiq; Dorica lingua de mundo ſcripſit, ex quo l. multa ſunt à Platone mutuata.*

e Terram primo ignemque junxiſſe.] *Hæc ſunt Platonis verba, interprete Cicerone, corporeum & aſpectabilem, itemq; tractabilem eſſe, neceſſarium eſt: nihil porrò*

porrò igni vacuum videri poteſt, nec verò tangi quod careat ſolido. Solidum autem nihil, quod terra ſit expers: quamobrem mundum efficere moliens Deus, terram primam ignemq́; jungebat. Eadem eſt ipſius Timæi Locri ſententia in opere ſuo, De mundo & anima.

f Manifeſtum autem quòd igni tribuit cæli locum] *Plato cælum igneum eſſe putat, ſtellas verò ex quatuor elementis conflatas, quòd ſolidiores videantur. Neq; verò cælum ejuſdem, cujus hic noſter eſt ignis natura credit eſſe: neq; enim ſimplicem ponit ignem, ſed varij generis naturæq;.*

g Deinde illa duo media.] *Ad cohærendum, aqua & ignis neceſſe habebant vinculum. Porrò ſolida uno vinculo, parum aptè conjungi cohærereq; poſſunt: duobus ergo indigebant, quæ ex ſe, & iis quæ conjungunt, quàm commodiſſimè fieri poſſet, unum quid redderent. Tales ſunt aër & aqua, inter ignem & terram. Qua enim ratione, proportioneq́; ſe habet aqua ad terram, eadem aer ad ignem, eadem aqua & aer inter ſe: quæ vincula ita copulant extrema elementa, ut ſenſim vel aſcendentibus, vel deſcendentibus, prope imperceptibilibus naturæ variationibus, unum putetur eſſe corpus, quod vel dureſcit in terram, vel rareſcit in ignem.*

h Quoniam aer ſpiritus dicitur.] *Sed non Dei. De hoc alibi.*

i Ego ſum qui ſum.] ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. *Participium eſt* ὤν, *quaſi ego ſum, ille qui eſt. Hoc enim verbum Græcum uno Latino verti non poteſt, ut inquit Seneca libro Epiſtolarum octavo: ſed dici poteſt ens, quod à ſum protulit Cæſar, ſicut à poſſum potens. Idem Servius Flavius fecit, ut Quintilianus inquit. Significat verò Deus ſe eſſe illum, qui ſit, quoniam cæteræ res verè & propriè non ſunt: nam ſicut Eſaias dicit, ex nihilo ſunt: & apud Job non ſemel legitur, Deum ſolum eſſe, reliqua enim omnia manent, ut inquit Seneca, non quia æterna ſunt, ſed quia defenduntur cura regentis, futura protinus nihil, ſi manum ille tolleret. Plato in Timæo, & Sophiſta, res corporales nunquam verè eſſe, res autem ſpiritales ſolas verè eſſe affirmat. In eodem Sophiſta & in Parmenide, Deum unum & ens appellat, à quo ſint reliqua univerſa, nec inveniri naturæ illi inæſtimabili nomen, quo appoſitè nominetur, nec definitione claudi, nec cogitatione teneri, nec notitia, nec verbis capi: ab hoc deos alios minores generatos eſſe, quos in Timæo fore immortales ait, non ſua ipſorum vi ac natura, ſed voluntate parentis Dei, quem* τὸ ὂν *nominat plerunq;, id eſt, quod eſt, ut dixi, ſicut in Phædone de vero philoſopho loquens,* ὀρέγεται τοῦ ὄντος, *id eſt, cupit id quod eſt: & poſt,* ἆρ' οὖν οὐχ οὕτως ἐστὶν, ὦ Σιμμία, εἴπερ τις ἄλλος ὁ τυγχάνων τοῦ ὄντος, *Nonne ita eſt, ô Simmia, ſi quiſquam alius, & ipſe, ipſius quod eſt, compos? & in Timæo,* τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, *id eſt, ſemper ens ingenitum. Platonicorum omnium concors eſt ſententia. Titulum Platonici, Parmenides de ente & uno rerum omnium principio, & Sophiſta* περὶ τοῦ ὄντος, *de Deo intelligi, qui unus ſit ens verè: & univerſorum principium. Et quoniam* ὢν *participium eſt, præſens tempus ſignificat, ut videatur Deus, nec futurum habere, nec præteritum, ſed ſemper eſſe. Plato in Timæo ſic inquit:* ταῦτα δὲ πάντα μέρη χρόνου, καὶ τό τ' ἦν, καὶ τό τ' ἔσται χρόνου γεγονότα εἴδη φέροντες λανθάνομεν ἐπὶ τὴν ἀΐδιον οὐσίαν, οὐκ ὀρθῶς. λέγομεν γὰρ δὴ ὡς ἦν, ἐστί τε, καὶ ἔσται. τῇ δὲ

τὸ

τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον προσήκει. τὸ δὲ ἦν, τό τ' ἔσται περὶ τὴν ἐν χρόνῳ γένεσιν ἰοῦσαν πρέπει λέγεσθαι. κινήσεις γάρ ἐστον. τὸ δὲ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον ἀκινήτως, οὔτε πρεσβύτερον, οὔτε νεώτερον προσήκει γίγνεσθαι ποτὲ, οὔτε γεγονέναι νῦν, οὐδ' εἰς αὖθις ἔσεσθαι τὸ παράπαν τε. οὐδὲν ὅσα γένεσις τοῖς ἐν αἰσθήσει φερομένοις προσῆψεν, ἀλλὰ χρόνου ταῦτα, αἰῶνά τε μιμουμένου. καὶ κατ' ἀριθμὸν κυκλουμένου γέγονεν εἴδη. *Porrò, inquit, hæc omnia temporis ſunt partes, & fuit, & erit: quæ ſunt temporis facti à nobis falſis ſempiternæ attribuuntur eſſentiæ, quod non decet. Ita enim ſolemus de illa loqui, erit, fuit, eſt: atqui ſolummodo eſt, ei congruit: fuiſſe verò, aut fore convenit dicere, quæ in tempore genita, cum tempore procedunt. Motus ſiquidem hæc duo ſunt: quod autem idem tota eſt æternitate, nullo movetur motu, nec docet ſeniorem unquam fieri, aut juniorem, nec fuiſſe hactenus, nec fore deinceps, nec incurrit in id quicquam, quæ res corporales, & quas ſenſibus uſurpamus, patiuntur, ſed iſtæ ſunt temporis æmuli æternitatis, & ad numerum ſe convolventis ſpecies. hæc Plato. quæ Gregorius theologus tranſtulit in ſuam orationem De natali Chriſti, & fuſius perſecutus eſt in illo loco,* θεὸς ἦν μὲν ἀεὶ, καὶ ἔστι καὶ ἔσται. μᾶλλον δὲ ἔστιν ἀεί. τὸ γὰρ ἦν, καὶ ἔσται τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τμήματα, καὶ τῆς ῥευστῆς φύσεως. ὁ δὲ ὢν ἀεὶ, καὶ τοῦτο αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνόματι τῷ μωυσεῖ χρηματίζων ἐπὶ τοῦ ὄρους. *Deus, inquit, fuit ſemper, & eſt, & erit ſeu potius eſt ſemper, nam fuit, & erit, partes ſunt noſtri temporis, & fluxæ naturæ. Ille verò ens ſemper, & ſic ſe ipſe nominat, Moyſi interroganti. Hinc aſcendit altius, & ingenti facundia, paribusq; ſententiis, de duratione, deq; æternitate principis rerum philoſophatur. Sed ſuccumbit ingenioſiſſimus alioqui vir oneri, & magnitudine vincitur, & tam in modico ſplendori connivet. Refert Plutarchus fuiſſe poſti Apollinis Delphici aſſcriptum à ſapientiſſimis viris ex una parte* γνῶθι σεαυτὸν, *ex altera parte* εἶ. *q. juberet Deus, & ita ſalutantes reſalutare, noſce teipſe, nos illum ſic aggrederemur, es, quod ſoli Deo aptiſſimè congruit. nam hominibus non convenit, eſt enim natura noſtra inſtabilis & fluxa, Dei verò fixa, & æterna. Itaq; ſemper ei liceret dicere tanquam eſſentiæ immutabili, quæ futuri temporis tranſactiq; mutationes non ſentiat, tu es. Quid quod illud es referendum non videtur ad tempus aliquod, ſed ad immobilem æternitatem, in quo ſenſu Plato in Parmenide, nec præſens quidem tempus dici poſſe de Deo vult, quoniam ſit tempus, nec ens illum eſſe, ſed ſupra omnia potius entia inexplicabile quiddam, quod ſcire quid non ſit facilè eſt: quid autem ſit, impoſſibile. Non deſunt, qui Parmenidem ipſum in ſuis poematis quibus philoſophiam complexus eſt, de Deo ſenſiſſe putent, cùm omnia eſſe unum diceret, de quorum numero eſt Simplicius. Neq; enim veriſimile eſt Parmenidem hominem acutum & ſapientem, diviſionem & multitudinem in rebus non deprehendiſſe, quam diſertis verbis in ſuis carminibus poſuit. Nam ubi de ente illo unico ſatis multa ceciniſſet, Hactenus, inquit, de veris illis & ſupremis, nunc de mortalibus confuſis, & in quibus multum eſt falſi erroriſq; admiſtum. Ariſtotelem cupiditate reprehendendi evectum mala fide, ut in aliis multis fecit, ſententiam ejus in phyſicis auditionibus retuliſſe. Quod Themiſtius etiam attingit his verbis, dicam ut eſt apud interpretem Hermolaum Barbarum: Non enim putaſſe Par-*

menidem unum illud ens, quod invexiſſet accidens eſſe, aut ex eorum numero, quæ ea re ſunt, quod aliis hærent, ſed de eo ente locutum fuiſſe, quod eſſet propriè, & maximè, & verè ens. Hoc enim apud nos ſignificat verè & maximè ens, quod apud Platonem dicitur ens, ut ita loquar, ipſiſſimum. Quid quod Ariſtoteles ipſe quodam loco cùm de naturalibus diſſereret rebus, veniſſetq; ad Parmenidis opinionem: ſed Parmenides, inquit, aliò videtur ſpectaſſe de uno ente rerum omnium principio: dixi quid Platonici aliquot ſentirent. Porrò ſententiam illam, quæ plerunq; eſt apud Platonem, & Platonicos, quæ ſenſibus uſurpamus, non eſſe, ſola intelligibilia eſſe: Alcimus in libris quos ad Amyntham ſcripſit, & eam ipſam & de ideis opinionem ex Epicarmi libris Platonem mutuatum eſſe docet, allatis etiam verbis ipſis Epicarmi, qui Cous fuit philoſophus ex Pythagorica gente, quem olim velut ſolem inter ſydera, & mare inter amnes, ita excellere inter homines eruditione fama tenuit, ſcripſitq; de natura rerum. Certè ipſe Plato in Sophiſta antiquiorem fuiſſe illam ſententiam judicat, quæ ſola intelligibilia eſſentia vera exiſtimantur, & ortas inde maximas contentiones, cum iis, qui ſola eſſe in mundo corpora putabant. De ideis quoq; Timæus Locrus in libro de mundo ſcripſit. Sed hæc omnia Plato cum ingenio excultiore, & diſertiore facundia, tum verò altiore & diviniore adjutus doctrina auguſtiora omnia & explicatiora tradidit. Quanquam myſteria hæc Pythagoram ipſum in Ægypto ex ſacris voluminibus edoctum eſſe haud ambigam: & in eum magis congrueret congreſſus cum Hieremia quàm in Platonem.

8. L. Cop. α Platonem iſta ſenſiſſe, quæ multum congruere.] *D. Auguſt. lib. 7. confeſſio. cap. 20. gratias agit Deo, quod prius incidiſſet in libros Platonicorum, quàm in ſacras literas, in quibus quamvis eadem fere reperiſſet, quæ poſtea in ſacris literis, nihil tamen aliud ſenſit præter ſummam obſcuritatem & tenebras, donec Deus mentem aperuit dum in ſacris literis verſaretur. Si enim inter legendum libros Platonicorum ita intellexiſſet, potuiſſet forſaſſe exiſtimare, non eſſe Dei donum, ſed ex voluntate illius profectum quod his rebus aſſentiretur. Beſſarion lib. 2. cap. 4. contra calumnias. Platonis: ſpeciem quandam noſtræ religionis in Platone fuiſſe non diffitetur lumine naturæ illuſtratam, quam eius creator & princeps divina filij ſui doctrina poſtea plenius aperuit, & ſuo beneficio manifeſtius revelavit: qua ſpecie non mediocriter hominem juvari poſſe arbitratur, qui ex Platonis doctrina ad perfectionem noſtræ religionis ſtatim ſe contulerit. Ita principia quædam è Platonis ſcriptis ſurgere, & quaſi ſcaturire videntur.*

β Unde nonnulli putaverunt eum Hieremiam.] *Hieremias ſe contulit in Ægyptum, cùm captivus ductus eſſet populus in Babylonem, & ibi apud Taphnas à plebe lapidibus obrutus occubuit, ut referunt Tertullianus in Scorpiaco, cap. 8. Epiphanius, Dorotheus in Synopſi, Hieronymus in proœmio in Hieremiam, Iſidor. lib. de vita & morte ſanctorum.*

γ Quorum quidem opinionem in quibuſdam libris meis.] *lib. 2. de doctrina Chriſtian. cap. 28. ubi ſcribit, eam fuiſſe D. Ambroſii ſententiam, Platonem ſacris literis per Hieremiam fuiſſe imbutum, imo ibi Auguſtinus videtur accedere ad ſententiam Ambroſii, quod patet ex lib. 2. retract. cap. 4.* In eo, *inquit*, quod dixi

de

de temporum hiſtoria ſolviſſe quæſtionem, tanquam fuerint coætanei Plato & Hieremias, me fefellit memoria, & ſic maturius conſiderata chronologia aliud ſentit.

δ Sed diligenter ſupputata temporum ratio.] *Quod aſſerit, centum ferme annos interceſſiſſe inter Prophetiam Hieremiæ & ortum Platonis, ſi rectè ſupputemus tempora, deprehendemus longe plures annis centum effluxiſſe inter utrumq;. Euſebius in Chronico vult, Platonem natum Olympiadis 88. anno 4. Olympiade autem 37. & 38. prophetaſſe Hieremiam, & Cyrill. l.1. contra Jul. 37. Olympiade prophetaſſe in Judæa D. Hieremiam & Sophoniam ſcribit. Unde colligitur, centum ſeptuaginta, & eo amplius annos inter prophetiam huius & ortum illius fluxiſſe.*

ε Anni ferè reperiuntur ſexaginta.] *Obiit Plato anno 1. Olympiadis 109. annos natus 91. Ptolemæus autem Philadelphus ſacras literas curavit ex Hebraica in Græcam linguam transferri, Olymp. 124.*

ζ Nec eaſdem ſcripturas legere.] *An Plato ſacros libros legerit, non ſatis conſtare video inter Patres. Certè libros Moſis & Prophetarum legiſſe Platonem, ſcribit apertè Juſtin. Martyr in oratio. parænet. ad Gentes.* Unde, *inquit*, Plato currum volantem Jovem agere in cœlo didicit, *& ait*, niſi ex Prophetarum hiſtoriis, quas evoluerit? intellexit enim ex Prophetæ verbis, quæ de Cherubim ita ſcripta ſunt, & gloria Domini ex domo exivit venitque in Cherubim, ſumpſeruntque Cherubim pennas ſuas, & rotæ eorum cohærebant, dominiq; Dei Iſrael eis in cœlo cohærebat gloria. Hinc profectus Plato clamat his verbis: Magnus in cœlo Juppiter currum volantem incitans, alioquin à quo alio niſi à Moſe & Prophetis hæc cum didiciſſet, literis mandavit. *Ibidem putat, Platonem multa è ſacris literis didiciſſe. conſule eundem Apolog. 2. pro Chriſtian. Clem. Alex. lib. 1. ςρωμ. vocat Platonem ex Hebræis philoſophum, & in orat. exhortat. ad Gentes.* Leges, *inquit*, quæcumque veræ ſint, & de Deo opinio, ſuppeditata ſunt tibi, ô Plato, ab Hebræis. *Theodor. lib. 2. Græcar. affect.* Anaxagoras, *inquit*, Pythagoras, Plato, ænigmata quædam de Deo ab Ægyptiis, Hebræisque collegerunt. *& eod. lib.* cur non iis omnibus relictis ad Moſem, Oceanum Theologiæ tranſimus, à quo fluvii omnes & maria derivantur. illinc enim & Anaxagoras & Pythagoras, & Plato poſt eos, parva quædam veritatis lumina, quædamque initia deſumpſerunt. *Apud Euſebium. lib. 9. de præparat. Evang. cap. 2. Ariſtobulus Judæus in eadem eſt ſententia lib. item 13. cap. 7. refertur illud Numenij Pythagorici.* τί γὰρ ἐστὶ πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων. *Hi patres in eam ſententiam ſunt inducti, quod multa legerent apud Platonem ſcripturæ ſacræ, & divinæ doctrinæ Moſis & Prophetarum valde conſentanea. Mihi tamen magis probatur opinio D. Auguſtini hoc loco, Platonem non potuiſſe legere ſacros libros, quod ætate Platonis nondum Græca lingua donati eſſent: itaque ſentit potius, eam non ex ſacris literis, ſed ex creaturis, id quod de Deo, divinisq; rebus, & mundi creatione rectè ſcripſit, didiciſſe. Sentit eadem ac Auguſtinus, Lactantius lib. 4. cap. 2.* Soleo, *inquit*, mirari, quòd cùm Pythagoras & poſtea Plato amore indagandæ veritatis accenſi, ad Ægyptios & Magos, & Perſas uſque penetraſſent, ut earum gentium ritus & ſacra cognoſcerent. Suſpicabantur enim ſapientiam, in religione verſari,

 ad

porrò igni vacuum videri poteſt, nec verò tangi quod careat ſolido. Solidum autem nihil, quod terra ſit expers: quamobrem mundum efficere moliens Deus, terram primam ignemq; jungebat. Eadem eſt ipſius Timæi Locri ſententia in opere ſuo, De mundo & anima.

f Manifeſtum autem quòd igni tribuit cæli locum] *Plato cælum igneum eſſe putat, ſtellas verò ex quatuor elementis conflatas, quòd ſolidiores videantur. Neq; verò cælum ejuſdem, cujus hic noſter eſt ignis naturæ credit eſſe: neq; enim ſimplicem ponit ignem, ſed varij generis naturæq;.*

g Deinde illa duo media.] *Ad cohærendum, aqua & ignis neceſſe habebant vinculum. Porrò ſolida uno vinculo, parum aptè conjungi cohærereq; poſſunt: duobus ergo indigebant, quæ ex ſe, & iis quæ conjungunt, quàm commodiſſimè fieri poſſet, unum quid redderent. Tales ſunt aër & aqua, inter ignem & terram. Qua enim ratione, proportioneq; ſe habet aqua ad terram, eadem aer ad ignem, eadem aqua & aer inter ſe: quæ vincula ita copulant extrema elementa, ut ſenſim vel aſcendentibus, vel deſcendentibus, propè imperceptibilibus naturæ variationibus, unum putetur eſſe corpus, quod vel dureſcit in terram, vel rareſcit in ignem.*

h Quoniam aer ſpiritus dicitur.] *Sed non Dei. De hoc alibi.*

i Ego ſum qui ſum.] ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. *Participium eſt ὤν, quaſi ego ſum, ille qui eſt. Hoc enim verbum Græcum uno Latino verti non poteſt, ut inquit Seneca libro Epiſtolarum octavo: ſed dici poteſt ens, quod à ſum protulit Cæſar, ſicut à poſſum potens. Idem Servius Flavius fecit, ut Quintilianus inquit. Significat verò Deus ſe eſſe illum, qui ſit, quoniam cæteræ res verè & propriè non ſunt: nam ſicut Eſaias dicit, ex nihilo ſunt: & apud Job non ſemel legitur, Deum ſolum eſſe, reliqua enim omnia manent, ut inquit Seneca, non quia æterna ſunt, ſed quia defenduntur cura regentis, futura protinus nihil, ſi manum ille tolleret. Plato in Timæo, & Sophiſta, res corporales nunquam verè eſſe, res autem ſpiritales ſolas verè eſſe affirmat. In eodem Sophiſta & in Parmenide, Deum unum & ens appellat, à quo ſint reliqua univerſa, nec inveniri naturæ illi inæſtimabili nomen, quo appoſitè nominetur, nec definitione claudi, nec cogitatione teneri, nec notitia, nec verbis capi: ab hoc deos alios minores generatos eſſe, quos in Timæo fore immortales ait, non ſua ipſorum vi ac natura, ſed voluntate parentis Dei, quem τὸ ὂν nominat plerunq;, id eſt, quod eſt, ut dixi, ſicut in Phædone de vero philoſopho loquens,* ὀρέγηται τοῦ ὄντος, *id eſt, cupit id quod eſt: & poſt,* ἆρ' οὐχ οὕτως ἐστὶν, ὦ Σιμμία, εἴπερ τις ἄλλος ὁ τυγχάνων τοῦ ὄντος, *Nonne ita eſt, ò Simmia, ſi quiſquam alius, & ipſe, ipſius quod eſt, compos? & in Timæo,* τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, *id eſt, ſemper ens ingenitum. Platonicorum omnium concors eſt ſententia. Titulum Platonici, Parmenides de ente & uno rerum omnium principio, & Sophiſtæ* περὶ τοῦ ὄντος, *de Deo intelligi, qui unus ſit ens verè: & univerſorum principium. Et quoniam ὢν participium eſt, præſens tempus ſignificat, ut videatur Deus, nec futurum habere, nec præteritum, ſed ſemper eſſe. Plato in Timæo ſic inquit:* ταῦτα δὲ πάντα μέρη χρόνου, καὶ τό τ' ἦν, καὶ τό τ' ἔσται χρόνου γεγονότα εἴδη φέροντες λανθάνομεν ἐπὶ τὴν αἴδιον οὐσίαν, οὐκ ὀρθῶς. λέγομεν γὰρ δὴ ὡς ἦν, ἐστί τε, καὶ ἔσται· τῇ δὲ

τὸ

τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον προσήκει. τὸ δὲ ἦν, τότ' ἔσται περὶ τὴν ἐν χρόνῳ γένεσιν ἰοῦσαν πρέπει λέγεσθαι. κινήσεις γάρ ἐστον. τὸ δὲ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον ἀκινήτως. οὔτε πρεσβύτερον, οὔτε νεώτερον προσήκει γίγνεσθαι ποτὲ, οὔτε γεγονέναι νῦν, οὔδ' εἰς αὖθις ἔσεσθαι τὸ παράπαντε. οὐδὲν ὅσα γένεσις τοῖς ἐν αἰσθήσει φερομένοις προσῆψεν, ἀλλὰ χρόνου ταῦτα, αἰῶνά τε μιμουμένου. καὶ κατ' ἀριθμὸν κυκλουμένου γέγονεν εἴδη. *Porrò, inquit, hæc omnia temporis ſunt partes, & fuit, & erit: quæ ſunt temporis facti à nobis falſis ſempiternæ attribuuntur eſſentiæ, quod non decet. Ita enim ſolemus de illa loqui, erit, fuit, eſt: atqui ſolummodo eſt, ei congruit: fuiſſe verò, aut fore convenit dicere, quæ in tempore genita, cum tempore procedunt. Motus ſiquidem hæc duo ſunt: quod autem idem tota eſt æternitate, nullo movetur motu, nec docet ſeniorem unquam fieri, aut juniorem, nec fuiſſe hactenus, nec fore deinceps, nec incurrit in id quicquam, quæ res corporales, & quas ſenſibus uſurpamus, patiuntur, ſed iſtæ ſunt temporis æmuli æternitatis, & ad numerum ſe convolventis ſpecies. hæc Plato. quæ Gregorius theologus tranſtulit in ſuam orationem De natali Chriſti, & fuſius perſecutus eſt in illo loco,* θεὸς ἦν μὲν ἀεὶ, καὶ ἔστι καὶ ἔσται. μᾶλλον δὲ ἔστιν ἀεί. τὸ γὰρ ἦν, καὶ ἔσται τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τμήματα. καὶ τῆς ῥεύσης φύσεως. ὁ δὲ ὢν ἀεί, καὶ τοῦτο αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνόματι τῷ Μωυσεῖ χρηματίζων ἐπὶ τοῦ ὄρους. *Deus, inquit, fuit ſemper, & eſt, & erit ſeu potius eſt ſemper, nam fuit, & erit, partes ſunt noſtri temporis, & fluxæ naturæ. Ille verò ens ſemper, & ſic ſe ipſe nominat, Moyſi interroganti. Hinc aſcendit altius, & ingenti facundia, paribusq; ſententiis, de duratione, deq; æternitate principis rerum philoſophatur. Sed ſuccumbit ingenioſiſſimus alioqui vir oneri, & magnitudine vincitur, & tam in modico ſplendori connivet. Refert Plutarchus fuiſſe poſti Apollinis Delphici aſſcriptum à ſapientiſſimis viris ex una parte* γνῶθι σεαυτὸν, *ex altera parte* εἶ*. q. juberet Deus, & ita ſalutantes reſalutare, noſce teipſe, nos illum ſic aggrederemur, es, quod ſoli Deo aptiſſimè congruit. nam hominibus non convenit, eſt enim natura noſtra inſtabilis & fluxa, Dei verò fixa, & æterna. Itaq; ſemper ei liceret dicere tanquam eſſentiæ immutabili, quæ futuri temporis tranſactiq; mutationes non ſentiat, tu es. Quid quod illud es referendum non videtur ad tempus aliquod, ſed ad immobilem æternitatem, in quo ſenſu Plato in Parmenide, nec præſens quidem tempus dici poſſe de Deo vult, quoniam ſit tempus, nec ens illum eſſe, ſed ſupra omnia potius entia inexplicabile quiddam, quod ſcire quid non ſit facilè eſt: quid autem ſit, impoſſibile. Non deſunt, qui Parmenidem ipſum in ſuis poematis quibus philoſophiam complexus eſt, de Deo ſenſiſſe putent, cùm omnia eſſe unum diceret, de quorum numero eſt Simplicius. Neq; enim veriſimile eſt Parmenidem hominem acutum & ſapientem, diviſionem & multitudinem in rebus non deprehendiſſe, quam diſertis verbis in ſuis carminibus poſuit. Nam ubi de ente illo unico ſatis multa ceciniſſet, Hactenus, inquit, de veris illis & ſupremis, nunc de mortalibus confuſis, & in quibus multum eſt falſi erroriſq; admiſtum. Ariſtotelem cupiditate reprehendendi evectum mala fide, ut in aliis multis fecit, ſententiam ejus in phyſicis auditionibus retuliſſe. Quod Themiſtius etiam attingit his verbis, dicam ut eſt apud interpretem Hermolaum Barbarum: Non enim putaſſe Par-*

de temporum hiſtoria ſolviſſe quæſtionem, tanquam fuerint coætanei Plato & Hieremias, me fefellit memoria, & ſic maturius conſiderata chronologia aliud ſentit.

δ Sed diligenter ſupputata temporum ratio.] *Quod aſſerit, centum ferme annos interceſſiſſe inter Prophetiam Hieremiæ & ortum Platonis, ſi rectè ſupputemus tempora, deprehendemus longe plures annis centum effluxiſſe inter utrumq́;. Euſebius in Chronico vult, Platonem natum Olympiadis 88. anno 4. Olympiade autem 37. & 38. propheta ſſe Hieremiam, & Cyrill. l. 1. contra Jul. 37. Olympiade propheta ſſe in Judæa D. Hieremiam & Sophoniam ſcribit. Unde colligitur, centum ſeptuaginta, & eo amplius annos inter prophetiam huius & ortum illius fluxiſſe.*

ε Anni ferè reperiuntur ſexaginta.] *Obiit Plato anno 1. Olympiadis 109. annos natus 91. Ptolemæus autem Philadelphus ſacras literas curavit ex Hebraica in Græcam linguam transferri, Olymp. 124.*

ζ Nec eaſdem ſcripturas legere.] *An Plato ſacros libros legerit, non ſatis conſtare video inter Patres. Certè libros Moſis & Prophetarum legiſſe Platonem, ſcribit apertè Juſtin. Martyr in oratio. parænet. ad Gentes.* Unde, *inquit*, Plato currum volantem Jovem agere in cœlo didicit, *& ait*, niſi ex Prophetarum hiſtoriis, quas evoluerit? intellexit enim ex Prophetæ verbis, quæ de Cherubim ita ſcripta ſunt, & gloria Domini ex domo exivit venitque in Cherubim, ſumpſeruntque Cherubim pennas ſuas, & rotæ eorum cohærebant, dominiq́; Dei Iſrael eis in cœlo cohærebat gloria. Hinc profectus Plato clamat his verbis: Magnus in cœlo Juppiter currum volantem incitans, alioquin à quo alio niſi à Moſe & Prophetis hæc cum didiciſſet, literis mandavit. *Ibidem putat, Platonem multa è ſacris literis didiciſſe. conſule eundem Apoleg. 2. pro Chriſtian. Clem. Alex. lib. 1. ςρωμ. vocat Platonem ex Hebræis philoſophum, & in orat. exhortat. ad Gentes.* Leges, *inquit*, quæcumque veræ ſint, & de Deo opinio, ſuppeditata ſunt tibi, ô Plato, ab Hebræis. *Theodor. lib. 2. Græcar. affect.* Anaxagoras, *inquit*, Pythagoras, Plato, ænigmata quædam de Deo ab Ægyptiis, Hebræiſque collegerunt. *& eod. lib.* cur non iis omnibus relictis ad Moſem, Oceanum Theologiæ tranſimus, à quo fluvii omnes & maria derivantur. illinc enim & Anaxagoras & Pythagoras, & Plato poſt eos, parva quædam veritatis lumina, quædamque initia deſumpſerunt. *Apud Euſebium. lib. 9. de præparat. Evang. cap. 2. Ariſtobulus Judæus in eadem eſt ſententia lib. item 13. cap. 7. refertur illud Numenij Pythagorici.* τί γὰρ ἐστι πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων. *Hi patres in eam ſententiam ſunt inducti, quod multa legerent apud Platonem ſcriptura ſacra, & divina doctrina Moſis & Prophetarum valde conſentanea. Mihi tamen magis probatur opinio D. Auguſtini hoc loco, Platonem non potuiſſe legere ſacros libros, quod ætate Platonis nondum Græca lingua donati eſſent: itaque ſentit potius, eam non ex ſacris literis, ſed ex creaturis, id quod de Deo, diviniſq́; rebus, & mundi creatione rectè ſcripſit, didiciſſe. Sentit eadem ac Auguſtinus, Lactantius lib. 4. cap. 2.* Soleo, *inquit*, mirari, quòd cùm Pythagoras & poſtea Plato amore indagandæ veritatis accenſi, ad Ægyptios & Magos, & Perſas uſque penetraſſent, ut earum gentium ritus & ſacra cognoſcerent. Suſpicabantur enim ſapientiam, in religione verſari, ad

ad Judæos tamen non acceſſerunt, penes quos tunc ſolos erat, & quò facilius ire potuiſſent. Sed averſos arbitror eſſe divina providentia, ne ſcire poſſent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionē Dei, juſtitiamque cognoſcere. Statuerat enim Deus appropinquante ultimo tempore Ducem magnum cœlitus mittere, qui eam perfido, ingratoque populo ablatam cæteris gentibus revelaret. Nec ea quæ Plato ſcripſit, ſatis demonſtrant ſacrarum literarum cognitionem illum hauſiſſe. Si enim aliqua de Deo rectè locutus eſt, & de mundo, illa certè naturali perſpicacia intellectus, ope Dei aliquantum adjutus ex creaturis inveſtigare potuit: & quemadmodum Magi Ægyptiorum aliqua faciebant ſigna, ſimilitudinem quandam præ ſe ferentia cum miraculis Moſis, quibus tamen longe erant inferiora, ita non mirum, ſi Plato aliqua ſimilia dicat doctrinæ Moſis. Sparſa enim fere etiam apud Gentes ſemina quædam veritatis, ſed doctrina Moſis divina prorſus, non humano ingenio excogitata, ne minimum quidem mendacium continens. *At Plato quidem de divinis multa, ſed non citra errorem ſcripſit, ut docet Cyrillus lib. 2. contra Julianum. Quod verò arguit non potuiſſe Platonem ſacros libros legere, quod nondum illius ætate in Græcam linguam eſſent converſi, certe ex dicto Ariſtobuli apud Euſebium lib. 13. cap. 7. refellitur, ubi aſſerit ante Demetrij Phalerei tempora, immò verò ante Alexandrum & Perſarum imperium quinq; Moſis libros in Græcam linguam quamvis non commodè traductos. Clemens Alexandr. eiusdem translationis meminit lib. 1. ςρωμ. Utcumq; ſit, non ſatis ex his, quæ ſcribit Plato, colligitur eum legiſſe ſacras literas, ut ſupra.*

η In Timæo autem Plato.] *Timæum Platonis vocat Juſtinus in exhortat. eruditum ac elaboratum. Quemadmodum in Parmenide cuncta divinorum genera pro viribus comprehendit Plato, ſic omnia in Timæo complectitur naturalia, & utique plurimum Pythagoricus eſt, & in Parmenide quidem Parmenidem & Zenonem Pythagoricos qui de divinis ſcripſerunt, imitatus eſt; in Timæo autem Timæum Locrum Pythagoricum, qui librum de univerſi natura compoſuit ſequitur. Cicero hunc dialogum Platonis Latinum fecit, atq; de univerſitate inſcripſit.*

θ Habet ergo hæc ſententia quandam illius.] *Plato exponens in Timæo quemadmodum Deus ſit aggreſſus fabricam mundi,* quicquid erat, *inquit,* non tranquillum & quietum, ſed immoderate agitatum & quaſi fluctuans id aſſumpſit, & ex inordinato ad ordinem adduxit, *quam ſententiam ex Moſe hoc loco Platonem accepiſſe author eſt Juſtinus Martyr Apolog. 2. pro Chriſtianis. Productum eſſe mundum Platonem ab Hebræis accepiſſe docet Euſebius lib. 11. de præparat. Evang. cap. 15. Sed multa ſunt in Timæo Platonis dialogo alioquin graviſſimo Ægyptiorum figmenta, & pulcherrimam de mundo diſputationem anilibus fabulis & mendacijs contaminavit: habent quidem quæ tradidit Plato aliquam ſimilitudinem cum doctrina Moſis, ſed qualem ſigna à magis in Ægypto edita cum veris Moſis miraculis editis authoritate divina, ut antea dictum eſt.*

ι Quo more ſoleant illa ſcriptura appellare ſpiritum Dei.] *Nam hæc vox* ſpiritus *licet habeat plura ſignificata in ſcriptura, ubi tamen dicitur* Spiritus ſan-

ctus,

ctus, *vel* Spiritus Domini, *vel* Spiritus Dei, *intelligitur haud dubiè* Spiritus ſanctus *tertia ſanctæ Trinitatis perſona.*

x Cum ad ſanctum Moſen ita verba Dei perferantur per Angelum.] *Nec enim Dominus niſi per interpoſitam perſonam miniſterio ſc. Angeli locutus eſt, & Angelus in perſona Dei loquebatur. Hinc dicitur lex accepta* in diſpoſitione Angelorum. Act. 7. & Hebr. 2. *Sed qui per Angelos dictus eſt ſermo.*

CAP. XII.

Quod etiam Platonici, licet de uno vero Deo bene ſenſerint, multis tamen diis ſacra facienda cenſuerunt.

IDeo quippe hos potiſſimum elegi, quoniam de uno Deo, qui fecit cælum & terram, quanto melius ſenſerunt, tanto cæteris glorioſiores illuſtrioresq; habentur. In tantum alijs prælati judicio poſterorum, *a* α ut cum Ariſtoteles Platonis diſcipulus, β vir excellentis ingenij, *b* & γ eloquio Platoni quidem impar, ſed multos facilè ſuperans, cùm δ ſectam Peripateticam condidiſſet, quod deambulans diſputare conſueverat, plurimoſque diſcipulos præclara fama excellens, *c* vivo ε adhuc præceptore *d* ζ in ſuam hæreſim congregaſſet, poſt mortem verò Platonis *e* η Speuſippus ſororis ejus filius, & θ Xenocrates dilectus ejus diſcipulus, ι in ſcholam ejus, *f* quæ Academia vocabatur, eidem ſucceſſiſſent, *g* atque ob hoc & ipſi & eorum ſucceſſores Academici appellarentur, recentiores tamen philoſophi nobiliſſimi, quibus Plato ſectandus placuit, noluerunt ſe dici Peripateticos, aut Academicos, ſed Platonicos. Ex quibus ſunt valde nobilitati Græci, *h* κ Plotinus, *i* λ Jamblichus, *k* μ Porphyrius, in utraque autem lingua, id eſt & Græca & Latina, ν Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis. Sed hi omnes, & cæteri ejuſmodi, *l* & ξ ipſe Plato diis plurimis eſſe ſacra facienda putaverunt.

a UT cùm Ariſtoteles Platonis diſcipulus.] *Hic Stagyræ natus eſt ex Nicomacho & Phæſtide, quorum uterq; in ſtemmate Æſculapium habebat. Ejus natalis in annum primum xcix. Olympiad. refertur. ad Platonem acceſſit annos natus xv. manſitq; in ejus ſchola xx. annos. Hoc eſt uſq; ad Platonis mortem. Hinc enim ipſe diſcipulos cœpit inſtituere, in Lycio deambulans, idcirco qui eam audiverunt Peripatetici à* περιπατεῖν *nominati. magnus & admirabilis vir, quiq; ingenio diligentiaq; vinceret plurimos, nemini eſſet ſecundus: variarum rerum cognitione Platone magiſtro ſuperior, artificio verò omnes, qui ex omni memoria humanas tractaverunt artes, longo intervallo poſt ſe reliquit. Non ſunt præclaræ dotes malignè vel obſervandæ vel interpretandæ. Fuiſſe avidiorem gloriæ, avidiorem cæpendi alios, adde etiam non omnino pecuniæ contemptorem, fatendum eſt: at dexteritatem in tradendis artibus nondum eſt aliquis ab ævo condito conſecutus. Utinam in refutandis alienis opinionibus induxiſſet in animum paulò candidius agere.* L. Vives Ariſtoteles.

b Et eloquio Platoni quidem impar.] *Odioſum eſt de Platonis & Ariſtotelis comparatione diſſerere, quoniam ſtudiis variorum res in magnam invidiam adducta*

Athenæ, Muſis in Academia Platonis imaginem dicaſſe, Silanionis opus. Porrò Athenis (nam hoc prætereundum non eſt) gymnaſia fuere hæc ferè: Academia, Lyceum, Prytaneum, Canopum, Stoa, Tempe, Cynoſarges.

g Atque ob hoc & ipſi, & eorum ſucceſſores.] *Hæc eſt vetus Academia, quæ* Gymnaſia Athenæ. *per Polemonem Xenocratis diſcipulum perducta eſt ad Archeſilam, qui rationem diſputandi ad Socratis modum moremq; reducere tentavit, nihil ut affirmaret ipſe, vel ſe ſcire diceret, quæ verò ab aliis dicerentur, eas confutaret: quæ dicta eſt nova Academia: quam Cicero perſona Varronis veterem ſibi videri ait: hinc qui lucem rebus tribuerent, certaq; afferrent ac tenerent dogmata: quæ ex Platonis ſententia putarent eſſe, ij Platonici, non Academici nuncupati ſunt, credo quòd Academicum nomen nimis in ſchola Archeſilæ hæſerat.*

h Plotinus.] *Hunc Suidas Lycopolitanum fuiſſe perhibet, quæ eſt in Ægypto civitas: quinquaginta quatuor libros ſcripſit, obſcuros ſanè, ne degeneraret à more ſectæ. vixit temporibus Galieni principis, & uſq; ad Probum pervenit: de cuius fato multa mentitur Julius Firmicus. Plotini vitam juſto volumine ſcripſit Porphyrius eius diſcipulus.* Plotinus

i Jamblichus.] *Chalcidienſis Porphyrij auditor, non tam Platonicus fuit, quàm Pythagoricus, ut Hieronymus eſt autor: tametſi quantum ad res divinas attinet, Platonici omnes Pythagoriſſant. Moribus atq; ingenio magiſtro fuit melior.* Iamblichus.

k Porphyrius.] *Hic prius vocatus eſt Malcus, ſed à purpuræ uſu nomen Porphyrij accepit. Tyri natus eſt, haud obſcuro loco: vir nec corpore ſatis ſanus, nec mente, judicij inconſtantis, & odio uſq; in rabiem aſpero, crudeliq;. Plotini diſcipulum ipſe ſe profitetur. Suidas, Amelij quoq; dicit, cuius hæc ſunt verba:* Πορφύριος κυρίως ἐκαλεῖτο Βασιλεὺς, τύριος φιλόσοφος, μαθητὴς ἀμελίου τοῦ Πλοτίνου μαθητοῦ διδάσκαλος δὲ ἰαμβλίχου, γεγονὼς ἐπὶ τῶν χρόνων Αὐρελιανοῦ, καὶ παρατείνας ἕως Διοκλετιανοῦ τοῦ βασιλέως. *Porphyrius, inquit, proprio nomine Baſileus vocabatur. Tyrius philoſophus, diſcipulus Amelij edocti à Plotino, præceptor verò Jamblichi: vixit temporibus Aureliani, & pervenit uſq; ad tempora Diocletiani regis. Cur verò rex appellaretur, declarat idem* Porphyrius in vita Plotini magiſtri. *Amelius, inquit, librum hunc dicavit mihi, meq; in ipſa inſcriptione baſilea, id eſt, regem, nominavit: id enim mihi nomen erat: & patria quidem lingua nominabar Malcus. quo nomine vocabatur & pater. Malcus autem in Græcam tranſlatus linguam, rex appellatur. Hæc ille de ſe.* Porphyrius. 12. Voſſ. H. Græc. 2, 16. p. 244.

l Et ipſe Plato diis plurimis.] *In Timæo deos numerat Saturnum, Opem, Iunonem, reliquosq; inter ſe fratres, agnatosq;: in libris de repub. & de legibus, diis dæmonibusq; & heroibus ſacra & ceremonias fieri jubet: in octavo verò de legibus & duodecimo illos nominat, quibus civitatis ſtatus & fœlicitas votis comprecationibusq; commendanda eſt.*

α UT cum Ariſtoteles Platonis diſcipulus:] *Refert Laertius in eius vita ex Apollodoro, natum Ariſtotelem anno primo nonageſimæ nonæ Olympiadis, perrexiſſeq; ad Platonem decimo ſeptimo ætatis anno, annosq; viginti apud eum fuiſſe commemoratum, & inter omnes Platonis diſcipulos maximè excelluiſſe.*

β Eloquio Platoni quidem impar.] *Fulgentius in præfat. Mytholog.* Plato-

nis auratum eloquium, & Ariſtotelis ſyllogiſmativum verbiloquium, *vide pulchram comparationem inter Platonem & Ariſtotelem apud Franciſcum Picolomin. in ſua morali philoſophia gradu 5. c. 13.* Certe Cicero ipſe, non modo Auguſtinus Platonem ubique Ariſtoteli, alibi Philoſophorum Deum, alibi illorum Homerum appellans. *alibi:* Omnes (*inquit*) qui unquam fuerunt, magno intervallo excelluit Plato. *Item* harum definitionum inventori & principi longe omnium in dicendo graviſſimo & eloquentiſſimo Platoni, *alias.* Si Juppiter, *inquit*, lingua humana uti voluiſſet, non aliter quam Plato ipſe loqueretur. *Hæc omnia habes apud Beſſarionem lib. 1. contra calumniat. Platonis cap. 3.*

γ Vir excellentis ingenii.] *Ita Cicer. lib. 1. Academic. quæſt.* abundantia quadam ingenii præſtabat (ut mihi videtur quidem) Ariſtoteles, *& lib. de divinat. 1.* Quid ſingulari vir ingenio Ariſtoteles & pene divino. *Tuſculan. 1. vocat eum virum ſummo ingenio & ſcientia copia.*

δ Sectam Peripateticam condidiſſet.] *Cicero lib. 1. Academic. quæſtion. Peripateticos inde dictos teſtatur, quod diſputarent inambulantes in Lycio. Refert Laertius ex Hermippo cum Academica ſchola præfectus fuiſſet Xenocrates, Ariſtotelem elegiſſe in Lycio περίπατον, illicque uſque ad unctionem deambulando cum diſcipulis philoſophari ſolitum, ac inde peripateticum appellatum. Alij idcirco ſic vocatum aſſerunt, quòd ex ægritudine convaleſcenti ac deambulanti Alexandro aſſiſtens quadam diſſerere ſoleret. Nonnulli duas Peripateticorum ſcholas à morte Platonis fuiſſe tradunt Xenocratis & Ariſtotelis. Hujus ſectatores appellatos fuiſſe, τοὺς ἐκ Λυκείου περιπατητικοὺς, illos ἐξ ἀκαδημίας περιπατητικούς. Poſtea factum eſt, ut Ariſtotelis ſectatores, τὴν ἀπὸ τῆς ἐνεργείας appellationem propriam ſibi ſumerent, τὴν ἐκ τοῦ τόπου amitterent, diſcipuli contra Xenocratis, τὴν ἐκ τοῦ τόπου retinerent; τὴν ἐκ τῆς ἐνεργείας admitterent, & Academici dicerentur.*

ε Vivo adhuc præceptore.] *Unde dixiſſe Platonem tradunt.* Ἀριστοτέλης ἡμᾶς ἀπελάκτισε, καθάπερ εἰς τὰ πωλάρια γεννηθέντα τὴν μητέρα. Ariſtoteles in nos recalcitravit, non ſecus ac in matrem pulli geniti.

ζ In ſuam hæreſim congregaſſet.] *Hæreſis nomen ante legis Evangelicæ promulgationem, & apud eos, qui Chriſtianam religionem nondum acceperant, infame non erat, ſed ſignificabat quandam doctrinæ electionem, quam quiſque profitebatur ab αἱρoῦμαι eligo. eo ſenſu utitur Cicero ad Caſſium ſcribens, & in paradoxis.* Cato eſt in ea hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis. *Ubi ſtoicorum ſectam vocat hæreſim. Chriſtianis nomen eſt odioſum, cùm ſignificet errorem fidei Catholicæ manifeſte contrarium. Ita Iuſtinianus in Novellis Conſt. 118. hæreticos illis opponit, qui ſunt καθολικῆς πίστεως.*

η Speuſippus ſororis ejus filius.] *Octo annos ſcholæ Platonicæ præfuit à centeſima octava Olympiade initium ſumens: De ſucceſſione Platonica vide Euſebium l. 14. de præpar. Evang. c. 2.*

θ Et Xenocrates dilectus eius diſcipulus.] *Hic erat hebeti ac tardo ingenio,* [illegible] *ut cum*

ut cum Plato alioquin eum cum Ariſtotele conferret, hunc fræno, illum calcaribus diceret indigere.

ι In ſcholam eius quæ Academia,] *Academia authore Laertio in Platone, erat locus in ſuburbano nemoroſus, à quodam Heroe Academo nomine appellatus, & quia plurimum temporis ibi philoſophatus fuerat, teſte eodem, propterea quæ ab eo fluxit ſecta Academia eſt appellata. Suidas* Ἀκαδημία, γυμνάσιον ἐν Ἀθήναις προάστειον ἀλσῶδες, ἐν ᾧ διέτριβε Πλάτων, ἀπό τινος Ἀκαδήμου ἥρωος ὀνομασθέντος. *D. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum.* Plato cum eſſet dives, & thoros eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut poſſet vacare philoſophiæ, elegit Academiam, villam ab urbe procul non ſolùm deſertam, ſed & peſtilentem, ut cura & aſſiduitate morborum libidinis impetus frangeretur, diſcipulique ſui nullam aliam ſentirent voluptatem, niſi earum rerum, quas diſcerent. *Idem ſcribit Porphyrius lib. de abſtinentia animalium, & Beſſarion lib. 4. contra calumniato. cap. 1.*

κ Plotinus.] *Vitam illius Porphyrius ita explicavit (authore Eunapio) ut nemo copioſius dicere, aut plura adferre poſſit. Diſcipulus Ammonij fuit, & præceptor Porphyrij.*

λ Jamblycus.] *Pythagoricus philoſophus è Chalcide Syriæ, Porphyrij diſcipulus, ſub Conſtantino Magno floruit, appellatus à ſuis* Divus, *ab aliis* diviſſimus. *Eugubinus lib. 10. de peren. philoſoph. cap. 2.*

μ Porphyrius] *Huius vitam deſcripſit Eunapius; fuit hoſtis infeſtiſſimus religionis Chriſtianæ, cui patria Tyrus. Suidas* οὗτος ἐστιν ὁ Πορφύριος, ὁ τὴν κατὰ χριστιανῶν ἐξύβριστον γλῶσσαν κινήσας. Πορφύριος ὁ τῶν χριστιανῶν πολέμιος ἀπὸ Φοινίκης πόλεως Τύρου. *Scribit idem, eum vixiſſe temporibus Aureliani, & perveniſſe uſq; ad tempora Diocletiani, in quo à Baronio arguitur tom. 3. Ann. domin. 325. qui certa annorum Porphyrij deducta ratione affirmat, eum anno imperij Conſtantini 20. perveniſſe ad annum ætatis nonageſimum primum. Eum Libanius Sophiſta Tyrium ſenem appellat, cum de Juliano Apoſtata ſcribente adverſus Chriſtianos illum commendans ſic dicit,* qua in re ſapientiorem ſe Tyrio ſene præſtitit. *Nicephorus lib. 10. cap. 36. Socrates lib. 3. cap. 19.*

ν Apuleius Afer.] *Scribit Anaſtaſius Nicæus quæſtion. 23. in ſcripturam, vixiſſe eum ſub imperio Domitiani, fuiſſeque contemporaneum Apollonij Thyanæi. Alij illum natum ſcribunt ſub D. Hadriani imperio, & ſub Antonio Pio diviſque fratribus, i. M. Antonino Philoſopho, & L. Aurelio Vero præcipuè floruiſſe: inde colligunt, quod Lolliani Aviti c. v. meminerit in Apologia, quem divorum fratrum imperio Bythiniæ præſidem fuiſſe & Helvij Pertinacis ætate vixiſſe tunc virum conſularem, ex Ulpiano L. 3. D. de decurio, & Capitolino in Pertinacio conſtat.*

ξ Et ipſe Plato diis.] *Vide Beſſarionem lib. 2. cont. calumniat. cap. 4. & 5. lib. 3. cap. 7.*

Cap. XIII.

De ſententia Platonis, qua definivit, deos non eſſe, niſi bonos amicosq́; virtutum.

QUanquam ergo à nobis & in alijs multis rebus magnisq́; diſſentiant, in hoc tamen quod modo poſui, quia neque parva res eſt, & inde nunc quæſtio eſt, primum ab eis quæro, quibus dijs iſtum cultum exhibendum arbitrentur, utrum bonis, an malis; an & bonis & malis. *a* α Sed de hoc habemus ſententiam Platonis dicentis, omnes deos bonos eſſe, nec eſſe omnino ullum deorum malum. Conſequens eſt igitur, ut bonis hæc exhibenda intelligantur. Tunc enim dijs exhibentur, quoniam β nec dij erunt, ſi boni non erunt. Hoc ſi ita eſt, nam de dijs quid aliud decet credere? *b* illa profectò vacuatur opinio, qua nonnulli putant, deos γ malos ſacris placandos eſſe, ne lædant: bonos autem ut adjuvent, invocandos. Mali enim nulli ſunt dij, bonis porrò debitus, ut dicunt, honor ſacrorum eſt deferendus. Qui ſunt ergo illi qui ludos ſcenicos amant, eosque divinis rebus adjungi, & ſuis honoribus flagitant exhiberi, quorum vis non eos indicat nullos, ſed iſte affectus nimirum indicat malos? Quid enim de ludis ſcenicis Plato ſenſerit, notum eſt, cùm poetas ipſos, quòd tam indigna deorum majeſtate atque bonitate carmina compoſuerant, cenſet civitate pellendos? Qui ſunt igitur iſti dij, qui de ſcenicis ludis cum ipſo Platone contendunt? Ille quippe non patitur deos falſis criminibus infamari, iſti eiſdem criminibus ſuos honores celebrari jubent. Denique iſti cùm eoſdem ludos inſtaurari præciperent, poſcentes turpia, maligna geſſerunt, à Tito Latino auferentes filium, & immittentes morbum, quòd eorum abnuiſſet imperium, eumque morbum retrahentes, cùm juſſa compleſſet. Iſte autem illos nec tam malos timendos putat, ſed ſuæ ſententiæ robur conſtantiſſimè retinens, omnes poetarum ſacrilegas nugas, quibus illi per immunditiæ ſocietatem oblectantur, à populo bene inſtituto removere non dubitat. Hunc autem Platonem, quod jam in ſecundo libro commemoravi, inter ſemideos Labeo ponit. *c* Qui Labeo δ numina mala victimis cruentis atque hujuſmodi ſupplicationibus placari exiſtimat, bona verò ludis, & talibus, quaſi ad lætitiam pertinentibus rebus. Quid eſt ergo, quòd ſemideus Plato non ſemideis ſed dijs, & hoc bonis, illa oblectamenta, quia judicat turpia tam conſtanter, audet auferre? qui ſanè dij refellunt ſententiã Labeonis, nam ſe in Latino non laſcivos tantum, atque ludibundos, ſed etiam ſævos terribileſque monſtrarunt. Exponant ergo iſta nobis Platonici, qui omnes deos ſecundùm autoris ſui ſententiam bonos & honeſtos, & virtutibus ſapientium eſſe ſocios arbitrantur, aliterque de ullo deorum ſentiri nefas habent. Exponimus inquiunt. Attente igitur audiamus.

L.V. *a* SEd de hoc habemus ſententiam Platonis.] *In decimo De leg. deos bonos eſſe ait, & refertos omni virtute, providentiſſimosq́; atque optimos: tametſi* prin-

principem illum naturæ, quem verè eſſe dicit, ferè quoque ac propriè bonum cenſet, reliquos inde velut ex fonte bonitatem haurire, quam habent. In Convivio verò Socrates eo probat argumento, amorem deum non eſſe, quod omnes dij boni beatique ſint, amor verò non ſit ejuſmodi. Porphyrius quoq; libro De ſacrificiis tertio, Deum ait nullius eſſe rei indignum, nocere nulli. Idem Stoici ſentiebant, ex quorum dogmatis Cicero ſecundo De officiis inquit. deos nocere non putant. Sed nos ſententiam tantum Platonis tractamus, de qua loquitur Auguſtinus. nam ſi ad alia egredimur, quis erit modus aut finis?

b Illa profectò vacuatur opinio.] *Apuleius in Deo Socratis, ex dæmonibus alios diurnis ſacrificiis gaudere ſcribit, alios nocturnis: eſſe qui lætioribus, eſſe qui triſtioribus hoſtiis, ritibus, & ceremoniis. Porphyrio in Carmen ſeculare Horatij vulgarem fuiſſe opinionem ſignificat, alios deos placandos ne lædant, alios ut proſint. Plutarchus ſcribit, magnos & malos dæmonas olim ſacrificiis à regibus & principibus honeſtatos, ad eorum iram avertendam, quæ maxima damna afferebant. Porphyrius philoſophus in ſecundo libro De abſtinentia animatorum, civitatibus interdum eſſe opus ſubindicat malis dæmonibus ſacra facere, ne frugibus, ne divitiis, ne urbi ipſi noceant. nam rata eſt, inquit, apud omnes fides, eos læſuros genus humanum, ſi iraſcantur, propterea quòd negligantur, neq; cultum legitimum nanciſcantur, nec id ſolùm docet ex vulgari eſſe opinione, ſed theologorum quoq;, qui malis dæmonibus mactari permittunt victimam, guſtari ex ea vetant.*

c Qui Labeo numina mala.] *Porphyrius eodem, quod modo citabam, opere, diis ſuperis nullum animal ſacrificari fas putat, ſed terræ fructus tantum, & flores, & mel, usq; ad farinam, ſic veteres illi, ſic primi conſueverunt ſacrificatores: ſic agendum eſſe docet Theophraſtus: ſic Pythagoras, qui nunquam hoſtiam immolare ſuſtinuit. dæmonibus verò cædibus litatur & ſanguine. In opere verò De philoſophia reſponſorum, ex oraculis Apollinis, docet, quò inferiores ſunt dij, eò triſtioribus & atrioribus gaudere hoſtijs, ita ut dijs terreſtribus & infernis furvæ quadrupedes mactentur, & terreſtribus ſuper aras, infernis autem in foveis.*

α DE hoc habemus ſententiam Platonis.] *Ut lib. 2. de Repub. & lib. 10. de LL.* F.L.Coq.

β Nec dii erant ſi boni non erant.] Dei enim natura bonitas eſt: *αὐτ' ἀγαθὸν, οὐσιῶδες ἀγαθὸν vocat D. Dionyſius cap. 4. de divinis nominibus, & rectè definitam à Theologis τὴν θείαν ὕπαρξιν ἀγαθότητος docet, divinam eſſentiam bonitatem, & οὐκ ἐν τῷ θεῷ τὸ κακὸν, καὶ τὸ κακὸν οὐκ ἔνθεον, id eſt.* Non in Deo malum, nec cum divinitate ullum habet commercium, *& Philo in Allegor. ὁ θεὸς ἀγαθότητος ἐστὶν τοῦ αἴτιον ὄνομα & Syneſius Epi. 57.*

γ Deos malos ſacrificiis placandos eſſe.] *Qui haberentur Romæ dij mali, & quomodo eis litarent. vide Alexan. ab Alexandro lib. 1. cap. 26.*

δ Tito Latino auferentes filium.] *De hoc ſupra libro quarto cap. 26.*

ε Numina mala victimis cruentatis.] Numina læva *appellat Virgilius 4. γεωργ. κακοὺς καὶ σκαιοὺς θεοὺς, Græci appellant ut ἀγαθοὺς, mala certè numina, quæ victimas*

ctimas cruentas expeterent. Ita Tireſias vates Thebanus ſuis promittit victoriam adverſus exercitum Argivorum, ſed ita, ſi Creon mactaret filium ſuum. & Calcas apud Homerum jubet mactari filiam Agamemnonis. Ariſtander vates Alexandri Magni in aditu Syriæ jubet humanas hoſtias mactare, & Carthaginenſes cum aliquando peſte laborarent, cruenta ſacrorum religione, & ſcelere pro remedio uſi ſunt. *Juſtinus lib. 18. Hæc nimirum non Dij, ſed infeſtiſſimi humano generi hoſtes expetebant. Vide Euſebium lib. 4. de præpar. Evang. cap. 4.*

Cap. XIV.

De opinione eorum, qui rationales animas trium generum eſſe dixerunt, id eſt, in diis cœleſtibus, in dæmonibus aereis, & in hominibus terrenis.

a Omnium, *α* inquiunt, animalium, in quibus eſt anima rationalis, tripertita diviſio eſt: in deos, homines, dæmones. Dij excelſiſſimum locum tenent, homines infimum, dæmones medium. Nam *β* deorum ſedes in cœlo eſt, hominum in terra, in aere dæmonum. Sicut eis diverſa dignitas eſt locorum, ita etiam naturarum. Proinde dij *γ* ſunt hominibus dæmonibuſque potiores: homines verò infra deos & dæmones conſtituti ſunt, ut elementorum ordine, ſic differentia meritorum. *b δ* Dæmones igitur medij, quemadmodum dijs quibus inferius habitant poſtponendi, ita hominibus ſuperius, quibus præferendi ſunt. Habent enim cum dijs communem immortalitatem corporum, *ε* animorum autem cum hominibus paſſiones. Quapropter non eſt mirum, inquiunt, ſi etiam ludorum obſcœnitatibus, & poetarum figmentis delectantur. Quandoquidem & humanis capiuntur affectibus, à quibus dij longè abſunt, & modis omnibus alieni ſunt. Ex quo colligitur, Platonem, poetica deteſtando & prohibendo figmenta, non deos, qui omnes boni & excelſi ſunt, privaſſe ludorum ſcenicorum voluptate, ſed dæmones. Hæc ſi ita ſunt, quæ licet apud alios quoque reperiantur, Apulejus tamen Platonicus Madaurenſis, de hac re ſola unum ſcripſit librum, cujus titulum eſſe voluit, De Deo Socratis: ubi diſſerit, & exponit, *ζ* ex quo genere numinum *c* numen ſibi Socrates habebat adjunctum, & amicitia quadam conciliatum, à quo perhibetur *η* ſolitus admoneri, ut deſiſteret ab agendo, quando id quod agere volebat, proſperè non fuerat eventurũ. Dicit enim apertiſſimè, & copioſiſſimè aſſerit, non illum Deum fuiſſe, ſed dæmonẽ, diligenti diſputatione pertractans iſtã Platonis, de deorũ ſublimitate, & hominũ humilitate & dæmonũ medietate ſententiam. Hæc ergo ſi ita ſunt, quonam modo auſus eſt Plato, etiam ſi non dijs, quos ab omni humana contagione ſemovit, certè ipſis dæmonibus poetas urbe pellendo, auferre theatricas voluptates, niſi quia hoc pacto admonuit animum humanum, quanvis adhuc in his moribundis membris poſitum, pro ſplendore honeſtatis, impura juſſa dæmonum contemnere, eorumque immunditiam deteſtari? Nam ſi Plato hæc honeſtiſſimè arguit & prohibuit, profectò dæmones turpiſſimè popoſcerunt, atque juſſerunt. Aut ergo

fallitur

fallitur Apuleius, & non ex iſto genere numinum habuit amicum Socrates: aut contraria inter ſe ſentit Plato, *d* modo dæmones honorando, modo eorum delicias à civitate bene morata removendo: aut non eſt Socrati amicitia dæmonis gratulanda, de qua usque adeò & ipſe Apuleius non erubuit, *e* ut de Deo Socratis prænotaret librum, quem ſecundùm ſuam diſputationem, qua deos à dæmonibus tam diligenter copioſeque diſcernit, *i* non appellare de Deo, ſed de dæmone Socratis debuit. Maluit autem hoc in ipſa diſputatione, quàm in titulo libri ponere. Ita enim per ſanam doctrinam, quæ humanis rebus illuxit, omnes vel penè omnes, *k* dæmonum nomen exhorrent. *f* ut quiſquis ante diſputationem Apuleij, qua dæmonum dignitas commendatur, titulum libri De dæmone Socratis legeret, *g* nequaquam illum hominem ſanum fuiſſe ſentiret. Quid autem etiam ipſe Apuleius, quod in dæmonibus laudaret invenit, præter ſubtilitatem & firmitatem corporum, & habitationis altiorem locum? Nam de moribus eorum, cùm de omnibus generaliter loqueretur, non ſolùm nihil boni dixit, ſed etiam plurimum mali. Denique lecto illo libro prorſus nemo miratur, eos etiam ſcenicam turpitudinem in rebus divinis habere voluiſſe, & cùm deos ſe putari velint, deorum criminibus oblectari potuiſſe, & quicquid in eorum ſacris obſcœna ſolennitate ſeu turpi crudelitate, vel ridetur, vel horretur, eorum affectibus convenire.

a OMnium, inquiunt animalium.] *Plato in 4. De leg. & Epinon. tres ordines deorum ponit: deos, dæmones, & heroas: ſed hi poſtremi ad homines videntur pertinere, ex quibus fiunt. Plutarchus in opere, quod oracula defecerunt, laudat eos impensè, qui genus dæmonum inter deos & homines conſtituerunt: ſive Orpheus is fuit, ſive Phryx aliquis, ſive Ægyptius: ut ab utrorumq́; ceremonijs conjici poteſt. Modum enim excogitarunt, quo humanum genus divino conjugatur. Ex Græcis, inquit, Homerus promiſcuè nomina hæc uſurpat: nam eoſdem modò Deos appellat, modò dæmonas. Heſiodus primus omnium quatuor rationalis naturæ ordines diſtinctos poſuit, primos deos, hinc dæmones, tum heroas, infimos homines, è quibus dæmones & heroes fiant ſi benè vixerint.* L. Vives.

b Dæmones igitur medij.] *In Convivio Platonis meminit Socrates diſputationis cujuſdam cum Diotima habita, ubi dæmonis naturam ait mediam inter homines deosq́;.*

c Numen ſibi Socrates habebat] *Socrates dæmonem dicitur habuiſſe, à quo prohiberetur facere, quæ proſperè ſucceſſura non erant, incitaretur verò nunquam.*

d Modò dæmones honorando.] *Nam dæmones adorandos præcepit in Epinomide.*

e Ut de Deo Socratis.] *Quotquot antea illa de re diſputarunt, dæmonem potius, quàm deum Socratis dixerunt, ut ipſe apud Platonem ſexcentis locis Socrates, & Xenophon, & Cicero, & Plutarchus, & Maximus Tyrius, qui geminam edidit de Socratis dæmone apodixin, alijq́; innumeri, tum Platonici, tum aliarum quoq́;*

 nationum

nationum philoſophi: quocirca ſupervacaneum fuerit multis de eo differere.

f Ut quiſquis ante diſputationem.] *Quiſquis titulum antequam librum, ne quis putet ad ſuperiora tempora referri.*

g Nequaquam illum hominem ſanum.] *Nam dæmoniaci etiam à gentib. jam tum mente capti, & furentes vocabantur.*

P.L.cap. *a* OMnium animalium in quibus.] *Apuleius lib. de deo Socratis Platonis ſententiam referens innuit, ſummos deos eum animalium nomine deſignaſſe.* Plato, *inquit*, omnem naturam rerum, quæ ad animalia jure pertineat, trifariam diviſit, certum tamen eſt, eum ſub hac diviſione minime complexum eſſe ſummum Deum, quem incorporeum eſſe, apertè docuit. *In 4. de LL. poſt deos cæleſtes etiam dæmonibus vult ſapientem virum ſacrificare, & poſt hos heroibus, ut ſcribit Euſebius lib. 5. de præpar. Evang. cap. 4.* Heſiodus quatuor genera rationalis naturæ ordine poſuit, deos primum, deinde dæmonas, poſtea Heroas, poſtremò homines.

β Deorum ſedes in cœlo.] *Plato in Epinomide cùm de naturali rerum ordine mundanisq; regionibus & incolis loquitur, tribuit ſupremam æthereamq; diis cæleſtibus, aeriam dæmonibus. Ariſtoteles libr. de mundo* οὐρανὸν οἰκητήριον τῶν θεῶν *vocat.*

γ Dii ſunt hominibus potiores.] *Euſebius libro quarto de præpar. Evang. capit. 3. ſcribit, antiquos Theologos Deum patrem omnium atq; Regem primo loco locare, deinde aliorum deorum multitudinem ſequi, tertio loco dæmonas, quarto Heroas ponere.*

δ Dæmones igitur medii.] *Ita Platonis verba in convivio refert Eugubinus lib. 8. de perenn. philoſoph. cap. 22.* Etenim omne dæmoniorum genus interjacet inter Deum & mortales, referens diis res humanas, hominibus divinas. Hominum quidem preces & ſacrificia; deorum imperia & præmia ſacrificiorum. *Ubi reprehendit illud Platonis, quod dicat:* Dæmonas intercedere inter deos & homines. *Nam qui inter Deum, hominesq; intercedunt, quaſiq; mediatores & πρόξενοι exiſtunt, non ſunt dæmones, ſed ipſimet dij. Verum ignoſcendum Platoni, qui cùm ſacras literas non noſſet, nec etiam novit differentiam dæmonum, quod alij boni, qui ſunt Angeli beati, nuntij Dei ad homines, interpretes illius voluntatis, qui eos illuminant, alios vero malos, qui ſunt ij, qui aerem hunc inhabitant, inventores omnium ſcelerum, qui dicuntur* aeriæ poteſtates, *D. Paulo* mundi rectores tenebrarum harum, *conditione & ſtatu longe hominibus inferiores. Plutarchus perhibet, à Chaldæis Ægyptiisq; manaſſe, quæ de mediis inter deos & homines dæmonibus ſcripſit Plato.*

ε Animorum autem cum hominibus paſſiones.] *Plotinus Ennead. 3. lib. 5. de diſtinctione deorum & dæmonum ita philoſophatur.* Conſideremus, quomodo deos à dæmonibus diſtinguamus: quamvis enim deos eſſe dæmones plerumque dicamus, in præſentia tamen ſic accipimus, ſicut quando dæmonum genus, genusque deorum tanquam aliud, aliudque inter ſe diſcernimus. Dæmonibus autem paſſiones adjungimus, dicentes etiam, ſempiternos eſſe,

ſequen-

ſequenti poſt deos gradu, jamque generi humano propinquos, medios inter deorum hominumque genus.

ζ Ex quo genere numinũ numẽ ſibi Socrates.] *Eo libro primum materiam Geniorum exponit, & duas ſpecies Geniora conſtituit, unam animarum exutarum corpore, qui* Lares, Lemures aut Inanes *dicuntur: Alterum dæmonum, qui nunquam corpore nexi ſunt, ſed vitam cuiusq; gubernant, omnium non modo actionum, verum etiam cogitatorum teſtes. Ex iſtis concludit, Deum fuiſſe Socratis.*

η Solitus admoneri ut deſiſteret ab agendo.] *Id Teſtatur Socrates in Theag. Platonis,* ἔστι γάρ τι θείᾳ μοίρᾳ παρεπόμενον ἐμοὶ ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον δαιμόνιον, ἔστι δὲ τοῦτο φωνὴ ἣ ὅταν γένηται, ἀεί μοι σημαίνει ὃ ἂν μέλλω πράττειν, τούτου ἀποτροπὴν, προτρέπει δὲ οὐδέποτε. *quæ eadem repetit ex Platone Clemens Alexand. lib. 1.* στρωμ. *Idem habet Socrates, & in Apologia, ubi dicit, ſe à dæmonio dehortatum, ne res civiles capeſſeret. Cicer. lib. 1. de divinat. idem ſcribit, dæmonium illud nunquam impuliſſe Socratem ad agendum, ſæpe revocaſſe ab agendo. Quærit autem Apuleius quare dæmon nunquam Socratem impelleret ad agendum, ſed revocaret, ita reſpondet.* Enimvero Socrates, utpote vir apprime perfectus, ex ſeſe ad omnia congruentia ſibi officia promptus nullo adhortatore unquam indigebat. At verò prohibitore nonnunquam, ſi fortè conatibus eius periculum ſuberat, ut monitus præcaveret ac omitteret cœpta impræſentiarum, quo tutius vel poſtea capeſſeret, vel alia via adoriretur. *Quò referri poteſt, quod ſcribit Cicer. 1. de divinat.* quod cum apud Delum male pugnatum eſſet Lachete prætore, fugeretque cum ipſo Lachete, ut ventum eſt in trivium, eadem quæ cæteri, fugere noluit, quibus quærentibus, cur non eadem via pergeret, deterreri ſe à Deo dixit, tùm ii qui alia via fugerant, in hoſtium equitatum inciderunt.

θ Modo dæmones honorando.] *Quibus poſt deos ſacrificandum 4. de Leg. & in Epinomide docuit. Beſſarion. lib. 3. contra calum. Platonis cap. 7. vindicare conatur Platonem, & alios philoſophos, quod non dæmones malos, ſed naturas quaſdam aerias, dijs quidem ignobiliores, ſed homine nobiliores in religionem receperunt, quarum opera genus humanum ad Deum reduceretur, communiq; illi & ſummo Principi conciliaretur, quiq; interceſſores atq; interpretes quidem inter Deum & homines haberentur.*

ι Non appellare de Deo, ſed de dæmone Socratis debuit.] *Præter unum Apuleium reliqui omnes potius* dæmonem, *quam* Deum *Socratis appellarunt. Apud Platonem in Euthyphrone, in Apologia, in Theæteto, in Phædro, in Theage, in Euthydemo, apud Xenophontem in Apologia* dæmon *dicitur, non* Deus *Socratis. Plutarch. etiam ſcripſit librum* περὶ δαιμονίου Σωκράτους, *non de* Deo *Socratis. Dæmonij Socratis meminit Cicero 1. de nat. deor. & lib. 1. de divinat. Lactantius lib. 2. cap. 15. Minutius in Octavio, Cyprianus lib. de idolor. vanit. Maximus Tyrius ſerm. 26. & 27. tractat. de dæmonio Socratis Tertullianus in Apologet. cap. 26. & lib. de anima, cap. 1. his verbis.* Ajunt (*inquit*) dæmonem illi à puero adhæſiſſe, peſſimum revera pædagogum, & ſi poſt deos & cum eis dæmonia deputantur penes Poetas & Philoſophos. Nondum enim Chriſtianæ poteſtatis documenta

cumenta proceſſerant, quæ vim iſtam pernicioſiſſimam, nec unquam bonam, antiqui erroris artificem, non veritatis amatricem ſola traducit. *Eugubinus lib. 8. de perenni philoſophia, cap. 25. non improbabile exiſtimat, fuiſſe bonum Angelum.* Dæmon (*inquit*) Socratis, cuius meminit tot locis Plato, cum Socrates eſſet vir bonus, hortareturque ad virtutem omnes homines, & ab ipſo dæmonio ſemper ad bonum vocaretur, fortaſſe non male eſſet ſentire fuiſſe Angelum ipſius, qui & Balaan ariolo & mago apparuit, à ſcelereque avertit.

2 Omnes dæmonum nomen exhorrent.] *Licet apud prophanos authores nomen* dæmonis *pro excellenti quadam natura ſumatur, & Ariſtoteles τὸ δαιμόνιον pro divino & admirando uſurpet, ut cum libro de mundo de Alexandr. dicit, philoſophiam ſemper ſibi viſum θεῖον τι καὶ δαιμόνιον χρῆμα, ſicq; apud Plutonem δαίμων pro ſapiente univerſi moderatore, perpetuò tamen apud ſacros ſcriptores in malam partem ſumitur pro malignis & apoſtaticis ſpiritibus.* Apud nos (*inquit*) *Euſebius lib. 4. de præpar. Evang. cap. 5* nomina iſta ſemper malè ſonant, neque ullum bonum dæmonem noſtræ dicunt ſcripturæ. *Eugubinus lib. 9. de perenn philoſ. 20.* Semper, *inquit*, dæmones ſunt pro malis in noſtra philoſophia, *ubi & refert verba Pſelli de Chaldæis.* καὶ ὁ μὲν Χαλδαῖος τινὰς μὲν τῶν δαιμόνων ἀγαθούς, τινὰς δὲ κακοὺς τίθεται· ὁ δὲ ἡμέτερος ὁ σεβὰς λόγος πάντας κακοὺς ὁρίζεται, ἐκ προαιρετικῶν ἀποπτώσεων τὴν αἰτίαν αὐτοὺς τῆς ἀγαθότητος.

CAP. XV.

Quod neq; propter aerea corpora, neq; propter ſuperiora habitacula dæmones hominibus antecellunt.

QUamobrem abſit, ut iſta conſiderans animus veraciter religioſus, & vero Deo ſubditus ideo arbitretur dæmones ſeipſo eſſe meliores, *a* quod habeant corpora meliora. Alioquin multas ſibi & β beſtias prælaturus eſt, quæ nos & acrimonia ſenſuum, & motu faciliimo atq; celerrimo, & valentia virium, & annoſiſſima firmitate corporum vincunt. Quis hominum videndo æquabitur aquilis, & vulturibus? Quis odorando canibus? Quis velocitate leporibus, cervis, avibus omnibus? Quis multum valendo leonibus & elephantis? quis diu vivendo ſerpentibus, *b* γ qui etiam depoſita tunica ſenectutem deponere, atque in juventam redire perhibentur? Sed ſicut his omnibus ratiocinando & intelligendo meliores ſumus, ita etiam dæmonibus bene atque honeſtè vivendo meliores eſſe debemus. Ob hoc enim & providentia divina eis, quibus nos conſtat eſſe potiores, data ſunt quædam potiora corporum munera, ut illud quo eis præminemus, * etiam iſto modo nobis commendaretur multò majore cura excolendum eſſe, quàm corpus: ipſamque excellentiam corporalem, quam dæmones habere noſſemus, præ bonitate vitæ, qua illis anteponimur, contemnere diſceremus, habituri & nos immortalitatem corporum, non quam ſuppliciorum æternitas torqueat, ſed quam puritas præcedat animorum. *c* Jam verò de loci altitudine, quòd dæmones in aere, nos autem habitamus in terra, ita permoveri, ut hinc eos nobis eſſe prapo- [illegible] nendos

* al. pro. [illegible]

nendos exiſtimemus, omnino ridiculum eſt. Hoc enim pacto nobis & omnia volatilia præponemus. *d* At enim volatilia cum volando fatigantur, vel reficiendum alimentis corpus habent, terram repetunt vel ad requiem, vel ad paſtum, quod dæmones, inquiunt, non faciunt. Nunquid ergo placet eis, ut volatilia nobis, dæmones autem volatilibus antecellant? Quod ſi dementiſſimum eſt opinari, nihil eſt, quod de habitatione ſuperioris elementi dignos eſſe dæmones exiſtimemus, quibus nos religionis affectu ſubdere debeamus. Sicut enim fieri potuit, ut aereæ volucres, terreſtribus nobis non ſolum non præferantur, verùm etiam ſubjiciantur, propter rationalis animæ quæ in nobis eſt, dignitatem: Ita fieri potuit, ut dæmones, quanvis magis aerei ſint, terreſtribus nobis, non ideo meliores ſint, quia eſt aer, quàm terra ſuperior: ſed ideo eis homines præferendi ſint, quoniam ſpei piorum hominum nequaquaquam illorum deſperatio comparanda eſt. Nam & illa ratio Platonis, qua elementa quatuor, proportione contexit, atque ordinat: ita duobus extremis igni mobiliſſimo, & terræ immobili media duo aerem & aquam interſerens, ut quanto aer eſt aquis, & aere ignis, tanto & aquæ ſuperiores ſint terris: ſatis nos admonet animalium merita, non pro gradibus elementorum æſtimare. Et ipſe quippe Apuleius cum cæteris terreſtre animal hominem dicit, qui tamen longè præponitur animalibus aquatilibus, cùm ipſas aquas terris præponat Plato: ut intelligamus, non eundem ordinem tenendum, cùm agitur de meritis animalium: qui videtur ordo eſſe in gradibus corporum: ſed fieri poſſe, ut inferius corpus anima melior inhabitet, deteriorque ſuperius.

a QUod habeant corpora meliora.] *Dæmonum corpora Apuleius media dicit inter terrenam, & ætheream naturam, multoque minus concreta, quàm nubes, & longè ſubtiliora ex puriſſimo aeris liquido & ſereno alimento coalita, nihil terrenæ ſodalitatis habentia, idcirco nec oculis humanis conſpicua, niſi illa divinitus ſui ſpeciem offerant.* L. Vives.

b Qui etiam depoſita tunica.] *Serpens exuere ſenectutem incipit ab oculis, ſic ut ignari rei, cæcari putent. tum nudatur caput: atque una ferè nocte & die tota illa tunica ponitur. vide Ariſtot. l. 8. de generatione animalium.*

c Jam verò de loci altitudine.] *Apuleius in Apodixi de Socratis Deo ſic colligit, in aere dæmones agere: nam cùm elementum nullum ſit in mundo, quod naturæ vacuum animantibus crearit, in terra ſunt homines, ac quadrupedes: in mari piſces: in igne vivunt quædam animalia, ut Ariſtoteles docet, neceſſe eſt in aere aliquod animalium eſſe genus, quale id ſit niſi dæmonicum, nemo dixerit. Itaque dæmones & inferiorem aëris locum ſortiti ſunt, & ſuperiorem nobis: quòd illis minores ſint, nobis vero majores melioresque.*

d At enim volatilia cum volando.] *Hæc eſt Apuleij reſponſio: cujus ad hunc modum ſunt verba: Nam quòd quidam aves aeri attribuant, falſum ſentire merito iſtiuſmodi dixeris: quippe quæ aves, nulla earum ultra Olympi verticem ſublimatur: qui cum excelſiſſimus omnium perhibeatur, tamen altitudinem perpendi-*

diculo ſi metiare, ut geometræ autumant, ſtadia altitudo faſtigij non æquiparat, cùm ſit aeris augmentum immenſum uſq; ad extima lunæ, caliq; porrò atheris ſurſum verſus exordium eſt. Quid igitur tanta vis aeris, quæ ab humilibus lunæ anfractibus uſq; ad ſummum Olympi verticem interiacet? vacabitne animalibus ſuis? atq; erit iſta natura pars mortua, ac debilis? Imò enim ſi ſedulò advertas, ipſæ aves per terreſtre animal non aerium rectè perhibeantur: ſemper enim illis victus omnis in terra, ibidem pabulum, ibidem cubile, tantumq; aera proximum terræ volando tranſverberant. Cæterùm cum illis feſſa ſunt remigia pennarum, terra ceu portus eſt. Hæc ex l. Apuleij parum caſtigato, ſed nihilominus ratio Auguſtini procedet de loco. Nam etſi aves inferiores ſunt dæmonibus, certè ſuperiores ſunt hominibus, & in cacuminibus ædium & montium & arborum plerunq; morantur: ſed hic non diſputo cum adverſariis.

F.L.Coq. QUod habeant corpora meliora.] *Certum eſt ex communi ferè ſententia Patrum & Theologorum ſcholaſticorum, dæmones eſſe incorporeos, corporeos tamen eſſe docuit & Plato ipſe, & ex patribus nonnulli, ut Origenes lib. 2.* περὶ ἀρχῶν, *cap. 2. & 3. ubi ſentit nihil præter patrem & filium, & ſpiritum ſanctum vivere ſine corpore, & cap. 8. ſcribit, Angelos eſſe corporeos, & habere quaſdam animas. Tertullian. lib. de carne Chriſti, ait, Angelos eſſe corporis alicujus, licet non carne præditos. Lactant. lib. 2. Inſtit. c. 15. vocat Angelos ſpiritus tenues. Ab hac ſententia non videtur abhorrere D. Auguſtinus hoc loco. Certum eſt autem Angelos & Dæmones eſſe ejuſdem naturæ, & ſtatu tantummodo beatitudinis ac miſeriæ differentes, quemadmodum & qui ex hominibus ſalvantur & damnantur, eiuſdem omnino ſunt naturæ. Ex eadem enim maſſa aliud vas facit in honorem, aliud in contumeliam. Immò ipſe Philo. lib. de Gigantibus,* Οὓς ἄλλοι φιλόσοφοι δαίμονας ἀγγέλους Μωσῆς εἴωθεν ὀνομάζειν.

β Beſtias prælaturus eſt, quæ nos & acrimonia ſenſuum.] *Senſus quidem externi hominis & brutorum, licet nonnulli contrarium ſentiunt, ſunt eiuſdem ſpeciei. Cum enim hi ſenſus in eadem objecta feruntur, & ab eis immutentur eodem modo, non eſt cur diſtinguantur ſpecie. perfectione tamen accidentaria differre, certum eſt: homo enim reliquis animantibus guſtu & tactu præſtat. Ita Ariſtoteles libr. 1. de hiſtor. animal. cap. 15. & libr. 2. de anima text. 94. viſu tamen & auditu & olfactu à multis ſuperatur. Aquilæ enim perſpicaciùs vident, talpæ acutius audiunt, vultures & canes ſagacius odorantur: Quod tamen ut intelligatur obſervandum eſt, ex eodem Ariſtotele libr. 5. de generat. animal. cap. 2. duobus modis poſſe aliquem ſenſum dari meliorem & perfectiorem in uno animali, quàm in alio, uno quod acutius ſentiat. i. à loco diſtantiori & remotiori, & in eadem diſtantia remiſſiora ſenſibilia, quàm alia; alio modo, quod plures percipiat differentias eiuſdem objecti, & quidem priori ratione homo habet pejorem odoratum, quia animalia percipiunt odores ex remotiori loco, quàm homo, ut in canibus patet, qui percipiunt odores etiam remotiſſimos, quos homo minus olfacit, ſicq; intelligendus eſt Ariſtoteles lib. de ſenſ. & ſenſibili, cum ait, hominem minime valere odoratu; poſteriori ratione ſuperat homo reliqua animalia odoratu: cùm enim odorum hæ ſint differentiæ, quod*

aliJ

alij per ſe tantùm expetantur, nihil ad alimentũ conferentes, alij verò qui per ſe non expetuntur, ſed cauſa alimenti, hi quidẽ percipiuntur à brutis, priores verò vel non percipiunt, aut nullã ex iis capiunt voluptatẽ. Addo quod ſenſus in homine ea ratione ſunt perfectiores, quàm in reliquis animantibus, quod non modo, ut vita homini neceſſarij ſunt à natura dati, verũ etiam gratia diſciplina, per eos enim diverſa ſimulachra rerum ad intellectum perferuntur.

γ Qui etiam tunica depoſita ſenectutem deponere.] *Ariſtoteles lib. 8. de hiſtor animal. cap. 17. qua ratione ſerpentes exuant ſenectutem, docet his verbis:* Cùm ſerpens exuere incipit, ab oculis primùm detrahi ajunt, ita ut obcæcari videantur iis, qui rem non intelligunt, tùm caput exuitur, glabrum enim hoc omnium antequam reliquum corpus apparet; atque una ferè nocte & die tota ſenectus exuitur à capite orſa ad caudam, & cute altera intus ſubnaſcente ipſa renovatur. Ut enim fœtus involucro ſecundarum, quo continetur, exuitur; ſic iſta ſenectute detracta renovantur. *De hac re Plin. item lib. 8. cap. 27. & lib. 20. cap. 23.*

Cap. XVI.

Quid de moribus dæmonum Apuleius Platonicus ſenſerit.

De α moribus ergo dæmonum, cùm idem Platonicus loqueretur, dixit eos, eiſdem quibus homines animi turbationibus agitari, irritari injuriis, obſequiis donisque placari, gaudere honoribus, diverſis ſacrorum ritibus oblectari, & in eis, ſi quid neglectum fuerit, commoveri. Inter cætera etiam dicit ad eos pertinere divinationes augurum, aruſpicum, vatum, atque ſomniorum: ab his quoque eſſe miracula magorum. Breviter autem eos definiens, ait: β Dæmones eſſe genere animalia, animo paſſiva, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna. Horum verò quinque, tria priora illis eſſe nobiſcum communia, quartum proprium, quintum eos cum diis habere commune. Sed video trium ſuperiorum quæ nobiſcum habent: duo etiam cum diis habere. α Animalia quippe eſſe dicit, & deos, qui ſua cuique elementa diſtribuens, in terreſtribus animalibus homines poſuit cum cæteris, quæ in terra vivunt, & ſentiunt: in aquatilibus piſces, & alia natatilia: in aeriis dæmones: in ætheriis deos. Ac per hoc quod dæmones genere ſunt animalia, non ſolum eis cum hominibus, verum etiam cum diis pecoribusque commune eſt, quod mente rationalia, cum diis & hominibus: quod tempore æterna, cum diis ſolis: quod animo paſſiva, cum hominibus ſolis: quod corpore aerea, ipſi ſint ſoli. Proinde quod genere ſunt animalia, non eſt magnum: quia hoc ſunt & pecora: quod mente rationalia, non eſt ſupra nos, quia ſumus & nos. Quod γ tempore æterna, quid boni eſt ſi non beata? δ Melior enim temporalis fœlicitas, quàm miſera æternitas. Quod animo paſſiva, quomodo ſupra nos eſt? quando & nos hoc ſumus, nec ita eſſet niſi miſeri eſſemus. Quod corpore aerea, quanti æſtimandum eſt, cùm omni

corpori præferatur animæ qualiſcunque naturæ? Et ideo religionis cultus, qui debetur ex animo, nequaquam debetur ei rei, quæ inferior eſt animo. Porrò ſi inter illa quæ dæmonum eſſe dicit, annumeraret virtutem, ſapientiam, fœlicitatem, & hæc eos diceret habere cum diis æterna atque communia, profecto aliquid diceret exoptandum, magnique pendendum: nec ſic eos tamen propter hæc tanquam Deum colere deberemus, ſed potius ipſum, à quo hæc illos accepiſſe noſſemus. Quanto minus nunc honore divino aerea digna ſunt animalia: ad hoc rationalia, ut miſera eſſe poſſint: ad hoc paſſiva, ut miſera ſint: ad hoc æterna, ut miſeriam ſuam finire non poſſint. Quapropter ut omittam cætera, & hoc ſolum pertractem, quod nobiſcum dæmones dixit habere commune, id eſt, animi paſſiones: ſi omnia quatuor elementa ſuis animalibus plena ſunt, immortalibus ignis & aer, mortalibus aqua & terra: quæro cur animi dæmonum paſſionum turbellis, & tempeſtatibus agitentur? *c* Perturbatio enim eſt, quæ Græcè πάθος dicitur: unde illa voluit vocare animo paſſiva: *d e* quia verbum de verbo pathos, paſſio diceretur, *e* motus animi contra rationem. Cur ergo ſunt iſta in animis dæmonum, quæ in pecoribus non ſunt? Quoniam ſi quid in pecore ſimile apparet, *f* non eſt perturbatio, *ζ* quia non eſt contra rationem, qua pecora carent. In hominibus autem, ut ſint iſtæ perturbationes, *g* facit hoc ſtultitia, *h* vel miſeria. *n* Nondum enim ſumus in illa perfectione * ſapientiæ beati, quæ nobis ab hac mortalitate libertatis in fine promittitur. Deos verò ideo dicunt iſtas perturbationes non perpeti, quia non ſolùm æterni, verùmetiam beati ſunt. Eaſdem quippe animas rationales etiam ipſos habere perhibent, ſed ab omni labe ac peſte puriſſimas. Quamobrem ſi propterea dij non perturbantur, *i* quod animalia ſunt beata, non miſera: & propterea pecora non perturbantur, quòd animalia ſunt, quæ nec beata poſſunt eſſe nec miſera: reſtat ut dæmones ſicut homines ideo perturbentur, quod animalia ſunt non beata, ſed miſera.

** al. felicitate.*

L. Vives. *a* ANimalia quippe eſſe dicit & deos.] *Idem Plato in Timæo, qui deos viſibiles animalia eſſe vult. Apuleius in eodem libello De Socratis deo, genus quoddam dæmonum ponit, ſine corpore, ut Somnum & Amorem.*

b Melior eſt enim temporalis fœlicitas.] *Chironem Saturni filium ſcribunt repudiaſſe immortalitatem, & Ulyſſem maluiſſe in patria inter conjugem, & filium, & patrem ætatem finire, quàm apud deas eſſe immortalem. Plato in libris De legibus, ſatius eſſe ſentit, quàm minimum tempus vivere, quàm totum immortalitatem maxima bonorum externorum & corporis ubertate atq; affluentia, ſine juſtitia tamen & cæteris virtutibus. neſcio quid philoſophi nugantur, melius eſt eſſe quàm non eſſe: de quo alibi.*

Perturbatio. *c* Perturbatio enim eſt quæ Græcè πάθος.] *Cicero in Tuſcul. quæſt. perturbationes πάθη vertit. Quintilianus in 6. affectus, idq; rectè & propriè verti dicit. Apud Plinium ſolum ex veteribus legitur paſſiones, dubitaturq; num ſatis caſtigatè l. 20. illitum quoq; paſſionibus ventri earum prodeſt.*

d Quia

d Quia verbum de verbo.] *Ut à πάσχω πάθος, ſic à patior paſſio.*

e Motus animi contra rat.] *Definitio πάθους apud Ciceronem ex Zenone aꝟerſa à recta ratione contra naturam animi commotio.*

f Non eſt perturbatio.] *Ex eodem Cicerone in Tuſc. quæſt. Sed corporum affectiones ſine culpa accidere poſſunt, animorum non item, quorum omnes morbi & perturbationes ex aſpernatione rationis eveniunt, itaq; in hominibus ſolùm exiſtunt. Nam beſtiæ ſimile quiddam faciunt, ſed in perturbationes non incidunt.*

g Facit hoc ſtultitia.] *Opinionibus enim falſis vaniſq; premimur, & nos ipſi facimus nobis affectus potius quàm ex rebus accipimus. Et, uti Seneca inquit, plura ſunt, quæ nos terrent, quàm quæ premunt. Stoici perturbationes omnes ex depravatis hominum judiciis opinionibuſq; oriri putant. nam opinio magni futuri boni eſt libido, magni futuri mali eſt metus, magni præſentis mali dolor, magni præſentis boni lætitia: quæ omnia quoniam ſtultitiis noſtrarum cogitationum metimur, citius quàm naturis rerum, idcirco tot perturbationibus, tamq; immoderatis rapimur.*

h Vel miſeria.] *Hoc eſt in homine miſerrimum, quod etiam ſapientiſſimus dolet tamen, & gaudet, & cæteris affectibus agitur, quamlibet providerit ne fiat.*

i Quod animalia ſint non beata, ſed miſera.] *Miſeros eſſe dæmones, aut malos, non audet fateri Socrates: non eſſe autem beatos bonoſq;, apertè profitetur in Convivio Platonis.*

Eos eiſdem quibus homines perturbationibus agitari.] *Verba ſunt Apuleij,* F.L.Coq. Proinde ut nos, pati poſſunt omnia animorum placamenta vel incitamenta, ut ira incitentur, & miſericordia flectantur, & donis invitentur, & precibus leniantur, & contumeliis exaſperentur, & honoribus mulceantur, aliiſq; omnibus ad ſimilem nobis modum varientur.

β Dæmones eſſe genere animalia.] *Citantur ad verbum ex Apuleio, in hanc ſententiam, quod ſcil. dæmones ſunt aëria animalia, citat Eugubinus lib. 8. de perenn. philoſoph. cap. 27. etiam Ariſtotelem, apud quem ita legitur.* Subſtantia, *inquit,* dicuntur tum corpora ſimplicia, ut terra, ignis, aqua, cæteræque id genus, omniaque corpora, tum ea, quæ ex his conſtant animalia & dæmonia. Credendum *(inquit)* Ariſtotelem ſpectaſſe publicam quandam, communemque inter omnes gentes de dæmoniis ſententiam, ea eſſe ex elementis compoſita, ſicut animalia. *poſt,* Conveniunt Plato & Ariſtoteles in definitione dæmonum, eos genere aerios eſſe, genere autem dico corpore, ſede & habitatione, Plato ſedem expreſſit, Ariſtoteles κρᾶσιν, compoſitionem. *Heſiodus enim κρᾶσιν.*

Ἠέρα δ' ἑσσάμενοι πάντῃ φοιτῶσιν ἐπ' αἶαν.
Aeraq; induti tota tellure vagantur.

Auguſtinus item ſuper Geneſin dæmones dicit, aeria animalia: *vocantur quidem dæmones* aeriæ poteſtates *in ſcriptura, non tamen eo ſenſu, quod aeriis ſunt corporibus: ſed quod in aere morentur, neq; qui ſtatuit alterum, alterutrum ſtatuat neceſſe eſt, quicquid contendat Eugubinus, neq; enim propter corpus volucre conve-*

 nit

nit illis talis locus, ſed propter reconditum magis rationem, nec ipſis philoſophis ſatis perſpicuam, neq; ob dignitatem naturæ is illis locus eſt conceſſus. Ita D. Auguſtinus lib. 3. de Geneſ. ad Lit. cap. 10. ſcribit, aerem hunc caliginoſum eſſe quaſi carcerem dæmonibus uſq; ad tempus Judicij, & D. Thom. 1. p. q. 64. art. 4. Dæmonibus (*inquit*) duplex locus pœnalis debetur, unus ratione ſuæ culpæ, & hic eſt infernus; alius ratione exercitationis humanæ, & ſic eis debetur caliginoſus aer.

γ Quod tempore æterna, quid bonis.] *Plutarchus lib. de defect. oracul. ſolvens ea quæ Empedocli objicerentur, de dæmonibus malis non poſſe ſempiternos & immortales eſſe malos, affert exemplum in contrarium, multos malos diutius vixiſſe, quàm bonos, ne putemus ideo bonos dæmones, quia incorruptibiles. De quo Eugubinus lib. 8. de perenn philoſ. c. 26.*

δ Perturbatio enim eſt, quæ Græcè πάθος dicitur.] *Cicero 3. de fin.* Perturbationes, quas Græci πάθη appellant.

ε Motus animi contra rationem.] *Cic. 3. Tuſcul.* Perturbationes animi, formidines, libidines, iracundiæ. Hæc ferè ſunt eiuſmodi, quæ Græci πάθη appellant, ergo poteram morbos, & id verbum eſſe è verbo, ſed in conſuetudinem noſtram non caderet, nam miſereri, invidere, & cætera hæc omnia morbos Græci appellant motus animi rationi non obtemperantes, nos autem eoſdem motus concitati animi rectè, ut opinor, perturbationes dixerimus, morbos autem non ſatis uſitatè. & 4. *Tuſc.* Eſt Zenonis hæc definitio, ut perturbatio ſit, quod πάθος ille dicit, averſa à recta ratione contra naturam animi commotio. *Seneca epiſt. 75.* Affectus ſunt motus animi improbabiles ſubiti & concitati, qui frequentes, neglectique fecêre malum.

ζ Non eſt perturbatio, quia non eſt contra rationem.] *Seneca lib 1. de ira cap. 3.* Dicendum eſt, feras ira carere, & omnia præter hominem: nam cùm ſit inimica rationi, nuſquam naſcitur, niſi ubi rationi locus eſt. Impetus habent feræ, rabiem, feritatem, incurſum, iram quidem non magis quàm luxuriam. *Pòſt,* Muta animalia humanis affectibus carent, habent autem ſimiles illis quoſdam impulſus. Alioquin ſi amor in illis eſſet, & odium eſſet, ſi amicitia, & ſimultas, ſi diſſenſio, & concordia, quorum aliqua in illis quoque exſtant veſtigia. Cæterùm humanorum pectorum propria bona, malaque ſunt: nulli niſi homini conceſſa prudentia eſt, providentia, diligentia, cogitatio; nec tantum virtutibus humanis animalia, ſed etiam vitiis prohibita ſunt. Tota illorum ut extra, ita intra, forma humanæ diſſimilis eſt.

η Nondum enim ſumus in illa perfectione.] *In beata vita nullas fore perturbationes, egregiè docet Proſper. lib 3. de vita contemplat. cap. 32.* In illa vita beata (*inquit*) ad quam conſumpta omni corruptibilitate ac mortalitate perveniunt, quicunque ibi futuri ſunt, ubi nec fletus ullus poteſt eſſe, nec gemitus, habebunt omnes ſancti perfectum amorem, timorem nullum, & gaudium ſempiternum. Ibi eis erit voluntas recta, cupiditas nulla, quoniam fruendo cœleſtibus bonis, ad quæ pervenire cupiebant, nihil eis deerit, quod ulteriùs concupiſcant, & in illa regione perpetuæ ſecuritatis ac pacis perfectè beati, nec timoris

moris ſtimulos paſſuri ſunt, nec doloris. *Quod ſi quis objiciat, fore ibi virtutes, quæ verſantur circa paſſiones animi, cap. 33 reſpondet.* etſi ibi erunt, longè tamen alio modo quàm in hac vita ſint, ubi contra vitia ſine intermiſſione confligunt. Nam ibi erit temperantia, non ut deſideria mala, vel vitia refrænet aut vincat, ſed ut eos, quos hic ab intemperantiæ impugnatione defendit ibi& ibi perficiat: animi fortitudo nō ut aliqua mala propulſet, aut æquanimiter ferat, ſed ut ſine ullis malis beatos fortiter in æterno bono contineat: Ibi erit perfecta juſtitia, non ut inter virtutes diſcernat & vitia, & ubi nec ipſa jam erunt corpora vitioſa, ſed ut perfectiùs præmia tribuat ſempiterna: Jam etiam prudentia, ut prudentiæ ac ſapientiæ plenaria perceptione divinitus illuſtrati, omnia illa, quæ hic perfectè cupiebant noſſe, nec poterant, ſine ullo impedimento corruptionis ac mortalitatis agnoſcant, & non ſolum omnium creaturarum rationem, ſed etiam ipſam ſui creatoris eminentiam facie revelata conſpiciant. *Idem egregiè docet D. Auguſtinus 13. de Trinitate, cap. 8. & 9. & D. Thomas 1. 2. quæſt. 67. articul. primo, & in quæſt. diſputat. 4.5. de virtut. cardinal. artic. 4.*

CAP. XVII.

An dignum ſit, eos ſpiritus ab homine coli, à quorum vitiis etiam oporteat liberari.

QUa igitur inſipientia, vel potius amentia per aliquam religionem dæmonibus ſubdimur, cum per veram religionem ab ea vitioſitate, qua illis ſumus ſimiles liberemur? Cùm enim dæmones, quod & iſte Apuleius, quanvis eis plurimum parcat, & divinis honoribus dignos cenſeat, tamen cogitur confiteri ut ira inſtigentur, *a* nobis vera religio præcipit, ne ira inſtigemur, *a* ſed ei potius reſiſtamus. *b* Cùm dæmones donis invitentur, nobis vera religio præcipit, ne cuiquam donorum acceptione faveamus. Cùm dæmones honoribus mulceantur, nobis vera religio præcipit, *c* ut talibus nullo modo moveamur. *β* Cùm dæmones quorundam hominum oſores, quorundam amatores ſint, non prudenti tranquilloque judicio, ſed ut ipſe animo appellat paſſivo, *γ* nobis vera religio præcipit, *d* ut inimicos noſtros etiam diligamus. Poſtremò omnem motum cordis & ſalum mentis, omneſque turbellas & tempeſtates animi, *δ* quibus dæmones æſtuare atque fluctuare aſſerit, nos vera religio deponere jubet. Quæ igitur cauſa eſt, niſi ſtultitia errorque miſerabilis, ut ei te facias venerando humilem, cui te cupias eſſe vivendo diſſimilem: & religione colas, quem imitari nolis, cùm religionis ſumma ſit imitari quem colis?

a SEd ei potius reſiſtamus.] *Chriſtus in Evangelio Matthæi jubet nullo prorſus modo iraſci. Agatho abbas iracundum hominem, etiamſi mortuos excitaret, negabat Deo gratum fore.* L. Vivis.

b Cùm dæmones donis invitentur.] *Non ſolùm ultro ſibi dari dona gaudent, ſed etiam petunt. Sunt enim petaciſſimi. Quoties ferè oraculum Delphis Apollo*

reddebat

reddebat, admonebat conſulentes, ut ſui meminiſſent, donumq; ad ſe afferrent aliquod, ubi fortunatiores eſſent facti; tametſi non tam aſtutus dæmon aurum vel argentum captabat, quo non eget, quàm mentes eorum qui dabant.

c Ut talibus nullo modo moveamur.] *Chriſtus ſuis præcepit, ne magiſtri vocari velint, neu primos accubitus affectent, neu ſalutari in plateis. Deniq; ut princeps ad famulantis ſe humilitatem dejiciat. Honores enim cum gentilitate ortos eſſe, ibi ſepeliri debere: in Eccleſia vivere nefas eſt: nec magnanimitas eſt, magnos petere honores, ſed contemnere.*

d Ut inimicos noſtros.] *Diligite, inquit Chriſtus, etiam inimicos veſtros, & orate pro iis, qui vobis ſunt infeſti, Matth. 5. Nec ſatis eſt inimicos non odiſſe, diligere præcipimur. & factu impoſſibile non eſt, quod ipſe Chriſtus primum, deinde Stephanus fecerunt, ut Hieron. inquit.*

e Omneſque turbellas & tempeſtates animi.] *Alibi, omneſq; turbidas tempeſtates animi.*

F.L. Cog. *α* NObis vera religio præcipit, ne ira inſtigemur.] *Matth. 5.* Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. *Epheſ. 4.* Omnis ira, indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. *Eſt enim ira, ut definit Philoſophus 2. Rhetor. cap. 2.* appetitus ultionis cum dolore propter apparentem immeritò vel in ſe, vel in ſuos contemptum, *& Seneca lib. 2. de ira cap. 3.* eſt concitatio animi ad ultionem pergentis. *Caſſianus lib. 8. de inſtitut. cœnob. cap. ult. docet, nequaquam licere nobis iratis orare, nec irritatos fundere preces ad Deum. & Tertullianus lib. de orat. cap. 10.* Ne prius aſcendamus ad Dei altare, quàm ſi quid diſcordiæ vel offenſæ cum fratribus contraxerimus, reſolvamus. Quid enim eſt ad pacem Dei accedere ſine pace; ad remiſſionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem, cùm omnis ira ab initio interdicta ſit nobis? *& paulò poſt*: nec ab ira ſolummodò, ſed omni omninò confuſione animi libera debet eſſe orationis intentio de tali ſpiritu demiſſa, qualis eſt ſpiritus ad quem mittitur. Neque enim agnoſci poterit à Spiritu ſancto ſpiritus inquinatus, aut triſtis à læto, aut impeditus à libero; nemo adverſarium recipit, nemo niſi comparem ſuum admittit. *Verùm dividi poteſt ira in rationalem, & irrationalem, ut non ſemper peccatum ſit iraſci. Pſal. 4.* Iraſcimini & nolite peccare, *&*: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. *Qua ratione prohibeat Deus iraſci, vide Lactantium lib. de ira Dei cap. 21. Legi poteſt Baſilius Homil. de ira Dei. Chryſoſtomus ad eum locum Matthæi.* Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, *&c.* Quare, *inquit*, qui iraſcitur cum cauſa, non erit reus, alioquin inutiliter adderetur ea conditio, ſine cauſa, ſi enim ira non fuerit, nec doctrina prodeſt, nec judicia fiunt, nec crimina compeſcuntur. *Legi poteſt D. Thomas 2. 2. quæſt. 157. art. 1. ad 3. & 3. ad 2. & 3. ad p. 1. quæſt. 15. artic. 9. in corp. artic. & ad 27.*

β Cùm dæmones quorundam hominum oſores.] *Hinc patet, ex ſententia Platonis dæmones non eſſe deos: ſi quidem ex Platone οὐδεὶς θεὸς δύσνους ἀνθρώποις, nullus deorum hoſtis hominum.*

γ Nobis

y Nobis vera religio præcipit ut inimicos noſtros diligamus.] *non quidem quatenus inimici ſunt; ita enim diligeretur peccatum, ſed ratione naturæ, ne illos à generali illa dilectione, qua omnes diligimus, excludamus. Quæret aliquis, an hoc ſit Dei præceptum, ut inimicos diligamus, an verò ſit ut multa alia, tantùm in conſilio? Alphonſus à Caſtro verb. inimicus, refert ex Guidone, Græcos fuiſſe in eo errore, ut dicerent poſſe aliquem nocere inimico, & etiam uti poſſe mendacio, vel perjurio, ut illi facilius nocerent. Non puto tamen eos in eo fuiſſe errore, nec illius meminit D. Thomas opuſcul. de error. Græcorum. Interpretes quidam juris civilis Tit. D. pactis dixerunt, licere nobis odio habere inimicum, donec à nobis veniam petat; ubi petit veniam tùm deponendum odium, ea tamen doctrina erronea, & certiſſima fide contrarium tenendum, præceptum eſſe Dei, ut diligamus inimicos Matth. 5.* Diligite inimicos veſtros, ut ſitis filii patris veſtri, *quod dicitur, nos alioqui filios Dei eſſe non poſſe, & ibidem*, Niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum, *quòd de dilectione inimicorum interpretantur. Matth. 22.* Diliges proximum tuum, *&c. Imò mentitus eſt impius ille Calvinus ſcribens lib. 2. Inſtit. cap. 8. ſect. 56. ex ſententia Doctorum Scholaſticorum non eſſe in præcepto, ſed tantùm conſilium, ut inimici diligantur, vel non habeantur odio, ubi imponit Scholaſticis, cùm ne unus quidem id docuerit. Cùm verò hoc præceptum duo contineat, alterum ne odio habeamus inimicum, alterum ut amemus eum, ſive bonum aliquod illi velimus, ratione primi obligat ad omne tempus, ut ne minimo quidem tempore liceat inimicum odio habere, ſed ſtatim pravus ille animi affectus ſit deponendus, ratione verò ſecundi obligat pro natura & ratione præceptorum affirmativorum, quando ſcil. ſeſe offert extrema aliqua neceſſitas, ut ſi quis videret inimicum fame morientem, deberet illi ſubvenire, ſi etiam videret illius famam & honorem periclitari, illi procul dubio ſubveniendum eſſet, nam citra gravem vel extremam neceſſitatem in his ſubvenire inimico conſilij eſt, non præcepti. De hoc præcepto fuſius ſcripſit author lib. 1. de doctr. Chriſt. & epiſt. 5. ad Marcellum. Quod verò dicit, hoc loco nobis veram religionem præcipere, ut inimicos noſtros diligamus, propterea meritò aliquis dubitabit; an hoc ſit tantum præceptum Legis Evangelicæ, an verò Legis naturæ. Licet enim utraq; lex omnes obliget, ignorantia tamen invincibilis legis Evangelicæ, ut in his, qui nihil audierunt de Evangelio, à peccato excuſat. At verò ignorantia legis naturæ neminem prorſus excuſat. Reſpondetur breviter, hoc præceptum de dilectione inimicorum non tantùm eſſe legis Evangelicæ, ſed etiam legis naturæ, Primò quia omnia præcepta decalogi ſunt legis naturæ, inter alia hoc unum præceptum eſt,* ut proximum diligamus, *& proximus eſt, cuicumq; poſſumus benefacere, & egregiè dixit D. Auguſtinus non minus prohiberi, ne uxorem vel alia bona inimici concupiſcamus, quàm amici. Secundo præceptum notiſſimum eſt, ex quo cætera deducuntur;* quòd tibi fieri non vis, alteri ne feceris. *At nemo vellet odio ſe haberi, alioqui n ſtultus judicaretur, nec etiam quiſquam eſt, qui ſi extrema neceſſitate laboraret, nollet ſibi ſubveniri. Jure ergo naturæ hæc eadem erga alios præſtare debemus. Poſtremò ſi eſſet aliqua Reſpublica, quæ permitteret cuiquam*

vindicare inimicum, certè omnes eam legem tanquam injuſtam damnarent, imò talis Reſpublica diu conſervari non poſſet, conſervaretur autem, ſi cum lege naturæ non pugnaret exercere vindictam in inimicum. Legis itaq; naturæ præceptum eſt, & non tantùm Evangelicæ. Addo, inter philoſophos qui rectius ſenſerunt, non defuiſſe qui eandem omnino ſequerentur ſententiam, ut Plato in Critone ex inſtituto, ubi propoſita quæſtione, an illi nocere liceat, à quo quis injuriam paſſus eſſet, reſpondet, nullo modo licere. Epictetus in Enchiridio cap. 27. idem ex inſtituto demonſtrat. Plutarch. lib. de capien. utilitate ex inimicis, vehementer laudat dictum illud Diogenis, nulla commodiori via nos poſſe nocere inimicis, quàm ut ipſi ſimus boni viri, & eos qui vellent damnare beneficentiam, quæ erga jus commune exercetur, ait pœna graviſſima dignos eſſe. D. Auguſtinus epiſt. 5. refert dictum illud Ciceronis de Cæſare, quod nihil obliviſcebatur præter injurias: quæ in re non eſt dubium id voluiſſe Cæſari tribuere, quod judicavit eſſe optimum. Dicebat (*inquit*) hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator? ſi laudator, talem Cæſarem noverat: ſi adulator, talem eſſe debere oſtendebat principem civitatis, qualem illam fallaciter prædicabat. *Unde meritò idem Cicero à Lactantio reprehenditur lib. 6. cap. 8. dum dicit virum bonum nemini nocere debere, niſi fuerit laceſſitus injuria, dicit eleganter Lactantius, hoc eſſe viro bono turpiſſimam caudam apponere, & patientia, quæ virtutem omnium maxima eſt, facere expertem. In lege veteri etiam exſtant loca & exempla dilectionis inimicorum, Levit. 19.* Diliges proximum tuum ſicut teipſum, ריעך ואהבת לריעך כמוך *non tantùm amicum, ſed & proximum ſignificat, & ita verterunt Levit. 23.* Si occurreris bovi, aut aſino inimici tui erranti, reduc illum. *Proverb. 25.* Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, & ſi ſitierit, potum da illi.. *David dilexit Saulem inimicum ſuum, Jacob dilexit Eſau, & Joſeph fratres ſuos. Cum ergo dicit Auguſtinus, nobis verum religionem præcipere, ut inimicos noſtros diligamus, equidem vult illud præceptum contineri lege Evangelica, non ut ullius proprium, ſed ut legis naturæ; deinde quod obſcurata lege naturæ in mentibus hominum Chriſtus illud docuit & repetivit in Evangelio. Deniq; quòd qui veram religionem ſectantur, arctius eo præcepto obligentur, quàm qui notitiam tantùm habent legis naturæ: quo ſenſu intelligendum illud Tertulliani lib. ad Scapulam cap. 1. ita enim diſciplina jubemur diligere inimicos, & orare pro eis, qui nos perſequuntur, ut hæc ſit perfecta & propria bonitas noſtra non communis omnium. Diligere enim inimicos ſolorum eſt Chriſtianorum.*

d Quibus dæmones æſtuare.] *Plutarchus lib. de ceſſat. oracul. dicit eos magnis difficultatibus Philoſophos liberaſſe, qui dæmonum genus in medio deorum atq; hominum ſtatuiſſent, qui quidem dæmones,* πάθη θνητὰ, καὶ μεταβολὰς ἀναγκαίας, affectus mortales, neceſſariasque mutationes reciperent. *Ex his enim efficitur, ut affectus mortales excipientes indigni ſint, qui vel dij, vel boni habeantur. Nam illi homines etiam conſenſu philoſophorum, meliores diviniores q; habentur, qui affectus hos naturales ſopiverunt.*

CAP. XIIX.

Qualis ſit religio, in qua docetur, quod homines, ut commendentur diis bonis, dæmonibus uti debeant advocatis.

FRuſtra igitur eis Apuleius & quicunque ita ſentiunt, hunc detulit honorem: ſic eos in aere medios inter æthereum cælum terramque conſtituens, ut *a* quoniam nullus Deus miſcetur homini, *a* quod Platonem dixiſſe perhibent, iſti ad deos perferant preces hominum, & inde ad homines impetrata quæ poſcunt. Indignum enim putaverunt, qui iſta crediderunt, miſceri homines diis, & deos hominibus: *β* dignum autem miſceri dæmones, & diis & hominibus: hinc petita *b* qui allegent, inde conceſſa qui apportent: ut videlicet homo caſtus, & ab artium magicarum ſceleribus alienus, eos patronos adhibeat, per quos illum dij exaudiant, qui hæc amant: quæ ille non amando ſit dignior, quem facilius & libentius exaudire debeant Amant quippe illi ſcenicas turpitudines, quas non amat pudicitia, Amant in maleficiis magorum mille nocendi artes, quas non amat innocentia. Ergo & pudicitia & innocentia, ſi quid à diis impetrare voluerit, non poterit ſuis meritis, niſi ſuis intervenientibus inimicis. non eſt quod iſte poetica figmenta, & theatrica ludibria juſtificare conetur. Habemus contra iſta magiſtrum eorum & tantæ apud eos autoritatis Platonem: ſi pudor humanus ita de ſe malè meretur, ut non ſolùm diligat turpia, verumetiam divinitati exiſtimet grata.

a QUod Platonem dixiſſe perhibent.] *Platonis hæc eſt in Convivio ſententia, & quidem Socrati attributa. Diotima cùm Socrati amorem eſſe medium quiddam diceret inter mortale & immortale: Socratesq́; quid hoc eſſet rogaret: illa, δαίμων μέγας, ὦ Σώκρατες, καὶ γὰρ πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ. Dæmon magnus, ó Socrates. etenim dæmonium omne inter deos & mortales ſitum eſt. Socrates nondum id intelligens quærit, quænam ſit ejus vis & natura. Tum diotima reſpondit, interpretari vel vectare humana ad deos, divina ad nos: ab hominibus quidem preces & ſacrificia, à diis verò præcepta & mercedem pro ſacrificiis. In medio igitur ſiti dæmones, eum locum explent, ut aptum ſecum ſit univerſum ipſum atq́; conjunctum, hac commeant vaticinia, & omnis ſacerdotum ars, quæ ad ſacrificia, teletas, & incantationes, tum & ad divinationem & magiam ſpectat. His addit quod Aug. citat: θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία, καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσι. Deus, inquit, homini non miſcetur, ſed per dæmones omne eſt commercium, omnis collocutio deis cum hominibus, & vigilantibus, & dormientibus.* L. Vives.

b Qui aſſignent.] *In antiquis eſt, quæ allegent, quaſi qui velut legatione ferant. Idcirco Apuleius adminiſtros eos & ſalutigerulos vocat, quorum illud pertinet ad eos, quibus dæmones miniſtrant, alterum ad nos, quibus ſalutem à diis gerunt. Angeli etiam nominantur à Capella, quaſi nuncij, quod ſuperis noſtra nunciant acta: & præſtites, quod gerundis rebus præſint.*

a QUoniam nullus Deus miſcetur homini, quod Platonem dixiſſe perhibent.] *Apuleius libro citato ſcribit ex Platone nullum eſſe dijs illis omnibus, de quibus locutus fuerat, cum hominibus commercium.* Nam (*ut Plato inquit*) nullus deorum miſcetur hominibus, ſed hoc præcipuum eorum ſublimitatis ſpecimen eſt, quod nulla contrectatione contaminantur.

β Dignum autem miſceri dæmones.] *Quia poterat aliquis quærere qua ratione homini dij provideant, ex Platone exponit deinde his verbis*, Reſpondit enim Plato pro ſententia ſua mea voce, non uſque adeo ſejunctos & alienos à nobis deos prædico, ut ne vota quidem noſtra arbitrer ad illos pervenire, neque enim illos ſacris rerum humanarum, ſed contrectatione ſola removeri. Cæterum ſunt quædam divinæ mediæ poteſtates inter ſummum æthera & infimas terras in iſto interſiti aeris ſpatio, per quas & deſideria noſtra & merita ad deos commeant: hos Græco nomine dæmonas nuncupant, inter terricolas, cœlicolasque vectores, hinc precum, inde donorum, qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde ſuppetias, ſeu quidam utriusque interpretes & ſalutigeri. *Per hos eoſdem, ut Plato in Sympoſio autumat, cuncta denunciata & Magorum varia miracula, omnesq; præſagiorum ſpecies reguntur. Hinc nimirum Plato in Sympoſio,* Πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων. καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ τῶν θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν ἐν μέσῳ δὲ ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδεδέσθαι, διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ, καὶ ἡ τῶν ἱερέων τέχνη τῶν τε περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰς τελετὰς καὶ τὰς ἐπῳδὰς καὶ τὴν μαντείαν πᾶσαν καὶ γοητείαν. *Eadem ſcribit & in Epinomide, quæ maximè faciunt ad hunc D. Auguſtini locum. Legi poteſt Eugubinus lib. 8. de perenn philoſop. cap. 22. ubi hanc propoſitionem Platonis,* Nullus deorum miſcetur hominibus, *emendat ex eodem Platone in Gorgia.* Φασὶ δ' οἱ φιλόσοφοι, καὶ οὐρανὸν καὶ γῆν καὶ θεοὺς καὶ ἀνθρώπους τὴν κοινωνίαν συνέχειν καὶ τὴν φιλίαν καὶ κοσμιότητα. *In hoc quod dicit Plato dæmones eſſe medios inter Deum & homines, & perferre preces hominum ad Deum, & inde impetrata à dijs quæ poſcunt: ait Platonem, & nonnullos philoſophos deceptos eſſe ſimilitudine Angelorum & dæmonum, quod utriq; ſeparati ſint à corpore, & dæmones facilè ſe transforment in Angelos lucis: ut eadem eisdem tribuerent; cùm tamen hoc officium, quod eſt mediatores &* προξένους *eſſe inter Deum & homines, & perferre orationes hominum ad Deum, & inde mitti ad homines, ſit Angelorum bonorum & non dæmonum, qui aerem incolunt; nec ſpiritus illi beati medij ſunt inter deos & homines, verùm ſunt ij ipſi dij medij inter Deum ſupremum & homines;* Sunt illi adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. *Hebr. 1.* Preces & ſacrificia noſtra Deo offerunt. *Apocal. 8.* Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Dei de manu Angeli. *Ex Lactantio tamen lib. 2. cap. 17.* Cùm Angeli ſint immortales, dici ſe deos nec patiuntur, nec volunt, quorum unum ſolumque officium eſt ſervire nutibus Dei, nec omnino quicquam, niſi juſſu eius facere. Sic enim mundum regi à Deo dicimus, ut à rectore provinciam: cuius apparitores nemo ſocios eſſe in regenda

provincia

provincia diverit, quamvis illorum miniſterio res geratur, & ſi tamen poſſint aliquid præter juſſa rectoris per ipſius ignorantiam, quæ eſt conditionis humanæ, ille autem Præſes mundi & rector univerſi, qui ſcit omnia, cujus divinis oculis nihil ſeptum eſt, ſolus habet rerum omnium cum filio ſuo poteſtatem. Nec eſt in Angelis quicquam, niſi parendi neceſſitas. Itaque nullum ſibi honorem tribui volunt, quorum honor in Deo eſt. Illi autem qui defecêre à Dei miniſterio, quia ſunt veritatis inimici & prævaricatores Dei nomen ſibi & cultum Deorum vindicare conantur.

γ Habemus contra iſta magiſtrum eorum.] *Nam Plato (ut alias dictum eſt) fabuloſa de diis è ſua Republica ejiciebat, ut moribus hominum pernicioſa. Dionyſius l.2. Antiq. Rom. de hujusmodi fabulis loquens*, Vulgaris turba *(inquit)* & rudis philoſophia tales ſermones in deteriorem partem accipit, & duplex hinc capit incommodum, aut deos contemnens tanquam multis involutos infortunijs, aut à nulla iniquitate & turpitudine abſtinens, cùm videat Deos quoque his obnoxios.

CAP. XIX.

De impietate artis magicæ, quæ patrocinio nititur ſpirituum malignorum.

PORrò α adverſus magicas artes, de quibus quoſdam nimis infœlices, & nimis impios etiam gloriari libet *a* in nomine dæmonum, ipſam publicam lucem teſtem citabo. Cur enim tam graviter β iſta plectuntur ſeveritate legum, γ ſi opera ſunt numinum colendorum? An fortè iſtas leges Chriſtiani inſtituerunt, quibus artes magicæ puniuntur, ſecundum quem alium ſenſum, niſi quòd hæc maleficia generi humano pernicioſa eſſe non dubium eſt? Ait Poeta clariſſimus:

b δ *Teſtor chara deos, & te germana, tuumq́,*
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.

Illud etiam quod alio loco de his artibus dicit:

ε *Atq́ſatas aliò vidi traducere meſſes.*

Eo quòd hac peſtifera ſceleratàque doctrina, ε fructus alieni in alias terras transferri perhibentur, nonne ζ in Duodecim tabulis, id eſt, Romanorum antiquiſſimis legibus Cicero commemorat eſſe conſcriptum, & ei qui hoc fecerit ſupplicium conſtitutum? *d* Poſtremò η ipſe Apuleius nunquid apud judices Chriſtianos de magicis artibus accuſatus eſt? Quas utique ſibi objectas, ſi divinas & pias eſſe noverat, & divinarum poteſtatum operibus congruas: non ſolùm eas confiteri debuit, ſed etiam profiteri, leges culpans potius, quibus hæc prohiberentur, & damnanda putarentur, quæ haberi miranda & veneranda oporteret. Ita enim vel ſententiam ſuam perſuaderet judicibus, vel ſi illi ſecundum iniquas leges ſaperent, eumque talia prædicantem atque laudantem morte mulctarent digna animæ illius dæmones dona rependerent: pro quorum divinis operibus prædicandis, humanam vitam ſibi adimi non time-

timeret. Sicut martyres noſtri *b* cum eis pro crimine objiceretur Chriſtiana religio, qua noverant ſe fieri ſalvos & glorioſiſſimos in æternum, non eam negando temporales pœnas evadere delegerunt, ſed potius confitendo, profitendo, prædicando, & pro hac omnia fideliter fortiterque tolerando, & cum pia ſecuritate moriendo, leges quibus prohibebantur, erubeſcere compulerunt, mutarique fecerunt. Hujus autem philoſophi Platonici *e* copioſiſſima & diſertiſſima extat oratio, qua crimen artium magicarum à ſe alienum eſſe defendit, ſeque aliter non vult innocentem videri, niſi ea negando quæ non poſſunt ab innocente committi. *f* At omnia miracula magorum, quos rectè ſentit eſſe damnandos, doctrinis fiunt & operibus dæmonum, quos viderit cur cenſeat honorandos eſſe, neceſſarios eos aſſerens perferendis ad deos noſtris precibus: quorum debemus opera devitare, ſi ad Deum verum preces noſtras volumꝰ pervenire. Deinde quæro, quales preces hominũ diis bonis per dæmones allegari putat, magicas, an licitas? Si magicas, an licitas? Si magicas, nolunt tales: ſi licitas, nolunt per tales. Si autem peccator pœnitens preces fundit, maximè ſi aliquid magicum admiſit: itane tandẽ illis intercedentibus accipit veniã, quibus impellentibus aut faventibus ſe cecidiſſe plangit in culpam? An & ipſi dæmones ut poſſint pœnitentibus mereri indulgentiam, priores agunt quod eos deceperint pœnitentiam: ut & ipſi poſtea accipiant indulgentiam? Hoc nemo unquam de dæmonibus dixit: quia ſi ita eſſet, nequaquam ſibi auderent divinos honores expetere, qui pœnitendo deſiderarent ad gratiam veniæ pervenire. Ibi enim eſt deteſtanda ſuperbia, hic humilitas miſeranda.

L. Vives. *a* IN nomine dæmonum.] *Alibi gloriari libet, nonne ipſam publicam lucem, & fortaſſe legem.*

b Teſtor chara deos.] *Verba ſunt Didonis poſt Æneæ fugam. diciturq; hæc ex inſtitutis Romanis, qui cum multa ſuſceperint ſacra, ut inquit Servius, magicam ſemper damnarunt.*

c Atque ſatas alio.] *In Pharmaceutria Vergilius. Plinius libro 28. quinetiam & legum ipſarum in duodecim tabulis verba ſunt: Qui fruges excantaſſet. Et alibi: Qui malum carmen incantaſſet. Idem autor eſt in agro Marucino Vectij Marcelli equitis Romani, Neronis Cæſaris procuratoris, univerſum olivetum viam publicam eſſe tranſgreſſum: atq; ipſa prædia ex loco in contrarias ſedes profecta. Eandem ipſe Apuleius in Apologia: Magia iſta, quantum ego audio, res eſt legibus delegata, jam inde antiquitus duodecim tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta.*

d Poſtremò ipſe Apuleius.] *Romanis legibus multi ſunt de magia poſtulati, velut Apollonius Tyaneus apud Domitianum Cæſarem, & Apuleius apud Claudium Maximum Africæ præfectum non Chriſtianum.*

e Copioſiſſima & diſertiſſima.] *Extant apologiæ duæ Apuleij De magia, in quibus exuit nimiam illam ſermonis laſciviam, & aut quærit, & audacter innovata verba accommodavit, ſed forte ſi dicendi generis ſed tamen, ut neſcio quo*

pacto

quo pacto Apuleium internoſcas temporari perſona contectum.

f At omnia miracula magorum.] *Unde nam, inquit Euſebius, homines ſcire potuiſſent, quibus dæmones coguntur, niſi ab ipſis dæmonibus? Quod Porphyrius fatetur in oraculis, afferens Hecates reſponſa, quibus ipſa docet homines, qua ratione advocari & teneri poſſit.*

α ADverſus magicas artes.) *De inventione Magiæ, & de ſpeciebus magicæ artis vide Plinium l.30. c.1. & 2.* a L coq.

β Iſta plectuntur ſeveritate legum.] *Lib. 9. C. Tit. 18. exſtant ſeveriſſimæ leges multorum Imperatorum contra magicas artes, & multo ante Leg. 12. tabul. prohibita erat Magia. Tiberium ſeveriſſimas leges ſanxiſſe contra Magicas artes teſtatur Dio. l.57. Plin. lib.20. natur. hiſt. cap.1. & Tacitus l.2. Annal. facta de Mathematicis Magisq. Italia pellendis Senatus conſulta. Ubi Lipſius,* imo repetita potius, nam veteri Lege edictoque pridem amota è republica illa peſtis, *& ibi plura adfert ejuſmodi vetera edicta.*

γ Si opera ſint numinum colendorum.] *Scribit Lactantius l.2. cap.17. Aſtrologiam & Aruſpicinam, & Augurationem, & ipſa, quæ dicuntur oracula, & necromantiam & artem magicam, & quicquid præterea malorum homines exercent, vel palàm, vel occultè, inventa eſſe dæmonum. Hinc Euſebius l. 5. de præpar. Evang. c.7. ex Porphyrio docet deos gentium, id eſt, dæmones impios artes magicas docuiſſe. Tertullian. l. de idololat. c.9. eos vocat,* proditores hujus curioſitatis. *& lib. de habit. mulieb. cap. 2. ſcribit illos Angelos, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt (quod ad errorem Tertulliani pertinet) artes pleraſq; non bene revelatas, id eſt, quas expediebat non eſſe revelatas, mundo imperito prodidiſſe.*

δ Teſtor chara deos.] *Verba ſunt Didonis 4. Æneid. poſt Æneæ fugam, ſimilis locus exſtat apud Sophoclem, ubi Deianira Herculi philtrum præparans proteſtatur,* Κακὰς δὲ τόλμας μήτ᾽ ἐπιςαίμην ἐγὼ, μήτ᾽ ἐκμάθοιμι, τὰς δὲ τολμώσας ςυγῶ.

ε Fructus alieni in alias terras transferri.] *Non eſt dubium poſſe Magos meſſes & fructus alienos pellicere, & aliò traducere, cum id ſolo motu locali perficiatur à Dæmone. Hujuſmodi autem annonæ flagellatores, eoq; magicis artibus credebantur vel alienas meſſes in ſuos agros, vel alienos acervos in ſua horrea traducere,* Dardanarios *vocabant (ut teſtis eſt Turnebius l.9. Adverſar. c.17. cum eſſet odioſiſſimum Magiæ & infame vocabulum. Certè* Dardanarii *à Dardano habere nomen videntur, quem conſtat fuiſſe magum ex Tertulliano, & ab Apuleio inter inſignes magos numeratur, quod id non aliter, quam magicis artibus fieri ſibi perſuaderent. Ejuſdem generis erant* ſacculari, *Iuriſconſultoſures, qui maleficia & magica arte credebantur Sacculos, in quibus homines pecuniam gerunt, incantare, & nummos ſubducere. L.* Saccularii *D. de extraord. cognit.*

ζ In duodecim tabulis, *id eſt,* Romanorum antiquiſſimis Legibus.] *Ius antiquum Romanorum Legibus 12. tabularum continebatur Ita ſcriptum erat,* Qui fruges excantaſſit qui malum carmen incantaſſit, pœnas dato, neve alienam ſegetem.

tem pellexerit incantando, ne incantanto, ne agrum defruganto. *Harum Legum meminit Plinius lib. 28. natur. histor. cap. 2. & Seneca lib. 3. nat. quæſt. cap. 7. Apuleius in Apologia.* Magia iſta quantum audio, res eſt legibus delegata jam inde antiquitus duodecim tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta. *Videri poteſt Crinitus lib. 5. de honeſ. discipl. cap. 7. & Martinus Delrio lib. 2. diſquiſit. Magic. quæſt. 11.*

η Ipſe Apuleius numquid apud Judices Chriſtianos.] *Fuit Magiæ poſtulatus apud Claudium Africæ præfectum Chriſtianum, quemadmodum antea Apollonius Tyanæus apud Domitianum Imperatorem Philoſtratus lib. 7. & 8. quem tamen Juſtinus Martyr q. 24. ad Orthod. Phyſicis magis connumerat. Verum eum opera dæmonis uſum ſatis ea teſtantur, quæ contra Hieroclem Euſebius ſcripſit. Unde conſtat artes Magicas etiam Ethnicis legib. prohibitas fuiſſe. Unde miracula Chriſti & Martyrum magicis artibus tanquam damnatis ab omni republica adſcribebant.*

θ Cum eis pro crimine objiceretur Chriſti religio.] *Ita Suetonius in Nerone impiè vocat Chriſtianos*, Genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ, *Tacitus lib. 15. Annal. vocat* exitialem ſuperſtitionem. *Teſtatur Juſtinus Martyr. Apolog. 1. quandam fœminam, & duos viros ab Urbico Senatore Romano morti addictos, quòd Chriſtianos ſeſe profeſſi eſſent, qui & Apologia 2. ſcribit*, nomen quidem nec ullam laudem, nec pœnam meretur, niſi accedant honeſta vel improba facinora, nec enim accuſatos priusquam convincantur, damnatis, in nobis verò nomen accipitis pro crimine, quia Chriſtiani ſumus, reos agitis. *Ibidem*, Soli ſumus exoſi propter Chriſti nomen, & innocentes tanquam ſcelerati è medio tolluntur. *Quibus ſubſcribit Tertullian. in Apologet. capit. 2.* Ideò torquemur confitentes, & punimur perſeverantes, & abſolvimur negantes, quia nominis prælium eſt. *Non itaq; aliud crimen, quàm Chriſtiana religio, vel Chriſti nomen objiciebatur. Verum tum ad illud Petri 1. 4. animum intendebant;* Si exprobramini in nomine Chriſti beati eritis; & nemo veſtrum patiatur, ut homicida vel fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine.

ι Non eam negando temporales pœnas.] *Tertullianus in Apologetico cap. 27. dicit id habitum eſſe dementiæ loco ab Ethnicis, quod cùm poſſent ſacrificare Chriſtiani & illæſi abire, manente apud animum propoſito, obſtinationem ſaluti præferrent. Verum rectè reſpondet technas eſſe omnia hæc maligni ſpiritus, qui Chriſtianorum conſtantiam conaretur quacunq; ratione infringere.*

κ Quia crimen artium magicarum.] *Idem teſtatur epiſt. 5. ad Marcellinum.* Apuleius (*inquit*) qui nobis Afris Afer eſt notior, adverſus quoſdam, qui ei magicarum artium crimen intenderant, eloquentiſſimè ſe defendit. Unde miror laudatores ejus, qui eum neſcio quæ feciſſe miracula illis artibus prædicant, contra ejus defenſionem teſtes eſſe conari, ſed viderint utrum ipſi verum perhibeant teſtimonium, & ille falſam defenſionem.

λ At omnia miracula magorum doctrinis fiunt & operibus dæmonum.] *Unde conſtat aliquam eſſe magiam dæmoniacam, quod negarunt Democritus,*

Ariſtote-

Ariſtoteles, Simplicius, & Averroes, quæ nec naturalibus cauſis, nec induſtria & artificio hominum, ſed immateriali quadam, & ſeparata virtute nititur. Hinc quæri poteſt, Primò an Magici edere poſſint miracula. Secundò an mira, quæ edere videntur, fiant poteſtate dæmonum ex pacto cum illis inito. Quæ miracula Magi vel Dæmones edere poſſint; eadem enim eſt quæſtio, cùm Magi non niſi virtute dæmonum ex pacto cum eis inito operentur. Certè Porphyrius lib. de ſacrificiis cap. de ſpeciebus dæmonum ait, quoties ſuorum prodigiorum machinas dæmones adhibent, multa eos à natura conſueto ordine aliena efficere. Iamblychus lib. de myſt. Ægypt. cap. 1. vocat eos Deorum pediſſequos, qui admirandis operibus Deorum veſtigia proximè ſubſequi videntur. Videndum primo loco quid hæc vox (miraculum) *ſignificet. Prophani ſcriptores accipere ſolent pro quovis admirando effectu; quo ſenſu ſeptem miracula mundi antiquitus celebrata. Verum hoc loco ſtrictius accipimus more Theologorum pro* effectu tantum producto præter & ſupra naturæ creatæ vires. *Dico, Primò,* Miracula propriè dicta Magi aut dæmones non poſſunt edere, *ita communiter ſentiunt Theologi, quia facere miraculum eſt virtutis infinitæ. Idem docuit Origenes lib 2. contra Celſum. Ipſe D. Auguſtinus l. 3. de Trinit. c. 8. Iſidorus in cap. non mirum 26. q. 2. Secundò,* Nec poſſunt Magi operari, quæ ſunt abſolutè mira, & ex ſui natura, *quia eadem ſunt & miracula; qua ratione dicitur Pſalm. 7. & Pſal. 135. Deus facere mirabilia magna ſolus. Quicquid enim facit Dæmon, mirabile non eſſet, ſi cauſa etiam illius ſciretur, cùm fiat per cauſam naturalem. Itaq; hujuſmodi actio ex ſui natura non eſt digna admiratione, ut nec Eclipſis Solis ijs, qui perſpectam illius habent cauſam. Tertiò,* Magi poſſunt operari multa mirabilia ſecundum quid, *ſeu reſpectu noſtri, quorum cauſæ nobis ſunt occultæ. Eſt enim poteſtas Dæmonum naturalis valdè ampla. Job. 41.* Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. *& D. Auguſtinus l. 3. de Trinit. c. 9. dicit homini difficillimum eſſe intelligere, quanta ſit naturalis poteſtas Diaboli. Cùm ergo hoc loco nominat* miracula *Magorum, latius accipit nomen* miraculi, *ut complectatur etiam quodvis mirabile, vel ex ſui natura, & ſecundum ſe, vel etiam ſecundum quid, & reſpectu noſtri. Quoad ſecundam, An mira, quæ edunt Magi, fiant operibus Dæmonum. Tertullianus in Apologet. cap. 23. ſcribit Magos habere ſimul invitatorum Angelorum & dæmonum aſſiſtentem ſibi poteſtatem. & Minutius Felix in Octavio,* Magi quoque non tantùm ſciunt Dæmones, ſed etiam quicquid miraculi ludunt, per Dæmones faciunt, illis inſpirantibus & infundentibus præſtigias edunt. *Origenes Homil. 13. in Num.* Rectè ſcriptura Magia uti prohibet, quia Magorum miniſtri Angeli ſunt refugæ, & ſpiritus maligni, & dæmonia immunda. Nullus enim ſanctorum ſpirituum obtemperat Mago, non poteſt invocare magus Michaelem; non poteſt invocare Raphaelem, neque Gabrielem, multo magis non poteſt invocare omnipotentem Deum, ac filium ejus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, nec Spiritum ſanctum. *D. Cyprianus l. de duplici marty. dicit eos habere fœdus cum dæmone. & D. Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 23.* Omnes hujuſmodi artes, vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis ex quadam peſtifera ſocietate ho-

te hominum & Dæmonum quaſi pacto infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta.

CAP. XX.

An credendum ſit, quòd dii boni libentius dæmonibus quàm hominibus miſceantur.

AT α enim urgens cauſa & arctiſſima cogit dæmones medios inter deos & homines agere, ut ab hominibus afferant deſiderata, & ad eos referant impetrata. Quænam tandem cauſa eſt iſta, & quanta neceſſitas? quia nullus, inquiunt, Deus miſcetur homini? a Præclara igitur ſanctitas Dei, qui non miſcetur homini pœnitenti, ſupplicanti, & miſcetur dæmoni arroganti? Non miſcetur homini confugienti ad divinitatem, & miſcetur dæmoni fingenti divinitatem. Non miſcetur homini petenti indulgentiam, & miſcetur dæmoni ſuadenti nequitiam. Non miſcetur homini β per philoſophicos libros poetas de bene inſtituta civitate pellenti, & miſcetur dæmoni à principibus & pontificibus civitatis per ſcenicos ludos poetarum ludibria requirenti. Non miſcetur homini deorū crimina fingere prohibenti, & miſcetur dæmoni ſe falſis deorum criminibus oblectanti. Non miſcetur homini magorum ſcelera juſtis legibus punienti, & miſcetur dæmoni magicas artes docenti & implenti. Non miſcetur homini imitationem dæmonum fugienti, & miſcetur dæmoni deceptionem hominis aucupanti.

L.Viv. a PRæclara igitur ſanctitas.] *In exemplari Brugenſi ſic legitur: Præclara igitur ſanctitas Dei, qui non miſcetur homini ſupplicanti, & miſcetur dæmoni arroganti. Non miſcetur homini pœnitenti. & miſcetur dæmoni decipienti, Non miſcetur homini confugienti ad divinitatem, &c.*

F.L.Coq. α AT enim urgens & arctiſſima cauſa.] *Volebat Plato & Apuleius ipſe, dæmones eſſe medios inter deos & homines, ut deſideria & voca hominum diis exponerent, & inde impetrata ad homines referrent, idq; illud pro certo conſtitutum haberent, nullum Deum homini miſceri, quod impugnat eleganter hoc capite, tum ex bonitate & ſanctitate Dei, quem docet magis hominibus miſceri, quam dæmonibus, tum ex conditione & ſtatu hominis & dæmonis, qui ita obſtinatus in malo, ut nunquam reſipiſcere poſſit, affectat honores divinos, falſas de divinitate opiniones hominum animis inſerit.*

β Per philoſophicos libros & poetas.] *Platonem intelligit, qui Homerum crimina deorum fingentem è ſua civitate expellit.*

CAP. XXI.

An dæmonibus nunciis & interpretibus dii utantur, fallique ſe ab eis aut ignorent, aut velint.

SEd nimirum tantæ hujus abſurditatis & indignitatis eſt magna neceſſitas, quòd ſcilicet deos æthereos humana curantes, α quid terreſtres homines agerent utique lateret, β niſi dæmones aerei nunciarent: quoniam æther longè à terra

à terra eſt, alteque ſuſpenſus: aer verò ætheri terræque contiguus. O mirabilem ſapientiam. Quid aliud de dijs iſti ſentiunt, quos omnes optimos volunt, niſi eos & humana curare, ne cultu videantur indigni: & γ propter elementorum diſtantiam humana neſcire, ut credantur dæmones neceſſarij, & ob hoc etiam ipſi putentur colendi, per quos dii poſſint, & quid in rebus humanis agatur addiſcere, & ubi oportet hominibus ſubvenire? Hoc ſi ita eſt, dijs iſtis bonis magis notus eſt dæmon per corpus vicinum, quàm homo per animum bonum. O multum dolenda neceſſitas, an potius irridenda vel deteſtanda vanitas, ne ſit vana divinitas. Si enim animo ab obſtaculo corporis libero animum noſtrum dii videre poſſunt, non ab hoc dæmonibus indigent nuntijs. Si autem animorum indicia corporalia, qualia ſunt vultus, locutio, motus per corpus ſuum ætherei dii ſentiunt, & inde colligunt, quid etiam dæmones nuntient, poſſunt & mendacijs dæmonum decipi. Porrò ſi deorum divinitas à dæmonibus falli non poteſt, ab eadem divinitate quod agimus non poteſt ignorari. Vellem autem mihi iſti dicerent, utrum diis dæmones nunciarint de criminibus deorum poetica Platoni diſplicere figmenta, & ſibi ea placere figmenta, & ſibi ea placere celaverint, an utrunque occultaverint, deoſque eſſe maluerint totius rei hujus ignaros. An utrunque indicaverint, & religioſam erga deos Platonis prudentiam, & in deos injurioſam libidinem ſuam. An ſententiam quidem Platonis, qua noluit deos per impiam licentiã poetarũ falſis criminibus infamari, ignotã diis eſſe voluerint, ſuam verò nequitiam, qua ludos ſcenicos amant, quibus illa deorum dedecora celebrantur, prodere non erubuerint, vel timuerint. Horum quatuor, quæ interrogandò propoſui, quodlibet eligant, & in quolibet eorum, quantum mali de dijs bonis opinentur, attendant. Si enim primum elegerint, conceſſuri ſunt non licuiſſe dijs bonis habitare cum bono Platone, quando eorum injurias prohibebat, & habitaſſe cum dæmonibus malis, quando eorum injuriis exultabant, cùm dii boni hominem bonum longè à ſe poſitum non niſi per malos dæmones noſſent, quos ſibi vicinos noſſe non poſſent. Si autem ſecundum elegerint, & utrunque occultatum à dæmonibus dixerint, ut dii omnino neſcirent, & Platonis religioſiſſimam legem, & dæmonum ſacrilegam delectationem, quid in rebus humanis per internuncios dæmones dii noſſe utiliter poſſunt, quando illa neſciunt, quæ in honorem deorum bonorum per religionem bonorum hominum contra libidinem malorum dæmonum decernuntur? Si verò tertium elegerint, & non ſolum ſententiam Platonis deorum injurias prohibentem, ſed etiam dæmonum nequitiam deorum injuriis exultantem, per eoſdem dæmones nuncios dijs innotuiſſe reſponderint, hoc nunciare eſt, an inſultare? Et dii utrunque ſic audiunt, ſic utrunque cognoſcunt, ut non ſolùm malignos dæmones deorum dignitati & Platonis religioni contraria cupientes atque facientes à ſuo acceſſu non arceant, ſed etiam per illos malos propinquos Platonis bono longinquo dona tranſmittant. Sic enim eos ad elementorum quaſi catenata ſeries colligavit, ut illis à quibus criminantur,

conjungi poſſint, huic à quo defenduntur, non poſſint, utrunque ſcientes, *b* ſed aeris & terræ pondera tranſmutare non valentes. Jam quod reliquum eſt, ſi quartum elegerint, pejus eſt cæteris. Quis enim ferat, ſi poetarum de diis immortalibus criminoſa figmenta, & theatrorum indigna, ludibria, ſuamq; in his omnibus ardentiſſimam cupiditatem, & ſuaviſſimam voluptatem dijs dæmones nunciaverunt: & quòd Plato philoſophica gravitate de optima reip. hæc omnia cenſuit removenda, tacuerunt: ut jam dii boni per tales nuncios noſſe cogantur mala peſſimorum: nec aliena, ſed eorundem nunciorum: atque his contraria non ſinantur noſſe bona philoſophorum, cum illa ſint in injuriam, iſta in honorem ipſorum deorum.

L.Vin. *a* Elementorum quaſi catenata ſeries colligavit.] *Conjunguntur enim inter ſe elementa, velut annuli in catena: inferius enim ſuperiori nectitur. & tam barit, ut partes quæ ſe contingunt, non diverſarum, ſed ejuſdem videantur eſſe naturæ, in quo elementa rationem cælorum ſequuntur, quæ apta inter ſe ſunt & complexa.*

b Sed aeris & terræ.] *Ut nec nobis aſcendere liceat ſaltem cogitatione ad illos, nec illis ad nos deſcendere, ut cognoſcant, & per ſe benefaciant ſine interpretibus.*

F.L.Coq. *α* Quid terreſtres homines agerent, utique laterent.] *Qui providentiam ſuſtulère Philoſophi, etiam deos res mortalium ignorare dixerunt.*

β Niſi dæmones aerii nunciarent.] *Exiſtimarunt Plato & Apuleius ſitum aerium dæmonib. naturaliter & quaſi ſuccedentibus ſibi mundanis regionibus, quæ fuerunt in creatione repleta, datum eſſe, in qua ſententia videtur eſſe Philo Iudæus lib. de confeſſione linguarum, ἔστι κατὰ τὸν ἀέρα ψυχῶν ἀσωμάτων, ὁ πᾶς δὲ τῶν οὐρανίων. & quæ ſunt eiuſmodi animæ corporis expertes explicat: ἀγγέλους γὰρ τὰς ψυχὰς ταύτας εἴωθε καλεῖν ὁ θεσπιῳδὸς λόγος, & libro, quod in ſomnia mittantur à Deo, ἀὴρ ψυχῶν ἀσωμάτων οἶκος. ἐπειδὴ πάντα τῷ ποιητῇ τὰ τοῦ κόσμου μέρη καλῶς ἔδοξεν εἶναι ζώων ἀναπλῆσαι. Verum hoc dogma nec Moſaicum eſt, nec literis ſacris conveniens; quæ cum Dæmones aerias poteſtates vocant, non eo ſenſu intelligunt, quod conſilio creatoris & naturæ ſitum hunc ſortiti ſunt, ſed caſu & vitio ſuo, quibus tandem & ignis inferni tanquam perpetuus carcer paratus eſt. De hoc Platonis, Apuleij, & Philonis dogmate legendus Eugubinus lib. 8. de perenni philoſop. cap. 21.*

γ Propter elementorum diſtantiam humana neſcire.] *Ariſtoteles lib. de mundo confert Deum cum magno Rege Perſarum, qui cum Suſis habitet, gubernat tamen tot provincias, & miniſtros ubiq; habet; qui illi renuntient quæ agantur, & quæ ratione debeat ſubditis ſuis curam impendere. Certè ſi ea fuerit mens Ariſtotelis, ut non niſi per internuntios inſtar Regis Perſarum Deus res mortalium norit, longè aberrat à vero. Primum enim Deus ubiq; eſt, cum nihil latet, omnia nuda ſunt, & aperta oculis eius. Verùm ut falſam divinitatem illi antiqui pro arbitrio confingebant, ita nihil mirum ſi remotiſſimos, & quaſi æthere circumſcriptos Deos, non aliter conſcios eſſe rerum noſtrarum dixerunt, quàm ſi eas per dæmones qui per terram vagantur, & aerem inhabitant, reſciverint; quod egregiè confutat D. Auguſt.*

guſt. multa hinc abſurda ſecutura proponens ; [Et ſancti quidem ipſi licet à nobis remoti & cœlum incolant, tamen non obſtante locorum diſtantia preces noſtras intelligunt, nec illis opus eſt auribus aſininis, ut impiè Calvinus impius cavillatur.]

δ Elementorum quaſi concatenata ſeries.] *Elementa ipſa concatenata ſunt ad invicem ; quò pertinet illud Boetij lib. 5. de conſolat. Philoſoph. metro. 9.*

> Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
> Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
> Evolet, aut merſas deducant pondera terras.

Atq; in hoc conſiſtit harmonia univerſi, quod elementa ita ſint concatenata & colligata ad invicem. Philo lib. de plantat. Noe. Clemens Alexandr. in exhortat. ad Gentes. D. Ambroſ. lib. 4. in Hexam. cap. 3. Damaſc. lib. 2. fidei orthod. cap. 6.

ε Aeris & terræ pondera tranſmutare non valentes.] *Angeli vel dæmones non poſſunt terram loco movere, nec immutare ordinem elementorum, nec invertere ordinem univerſi. Sunt enim partes univerſi, pars verò non poteſt totius ordinem pervertere : ad ordinem autem univerſi ſpectat, ut elementa permaneant in ſuis locis naturalibus. Hanc rationem adducit D. Thomas quæſt. 16. de malo art. 10. & 3. contra Gentes, cap. 104. Heb. 2. non ſubjecit Deus Angelis orbem terrarum.*

CAP. XXII.

De abjiciendo cultu dæmonum, contra Apuleium.

QUia α igitur nihil iſtorum quatuor eligendum eſt, ne in quolibet eorum de dijs tam malè ſentiatur: reſtat, ut nullo modo credendum ſit, quod Apuleius perſuadere nititur. Et quicunque alij philoſophi ſunt ejuſdem ſententiæ, ita eſſe medios dæmones inter deos & homines tanquam internuncios & interpretes, qui hinc ferant petitiones noſtras, inde referant deorum ſuppetias. Sed eſſe ſpiritus nocendi cupidiſſimos à juſtitia penitus alienos, β ſuperbia tumidos, γ invidentia lividos, fallacia callidos, α δ qui in hoc quidem aere habitant: quia ε de cæli ſuperioris ſublimitate dejecti, ζ merito irregreſſibilis tranſgreſſionis in hoc ſibi congruo velut carcere prædamnati ſunt. Nec tamen quia ſupra terram & aquas aereus locus eſt, ideo & ipſi ſunt meritis ſuperiores hominibus, qui eos non terreno corpore, ſed electo in auxilium Deo vero, pia mente facillimè ſuperant. Sed multis planè participatione veræ religionis indignis, tanquam captis ſubditisque dominantur, quorum maximè parti mirabilibus, & fallacibus ſignis, ſive factorum, ſive prædictorum deos ſe eſſe perſuaſerunt. Quibuſdam verò vitia eorum attentius & diligentius intuentibus, non potuerunt perſuadere quòd dii ſint : atque ideo inter deos ac homines internuncios ac beneficiorum impetratores ſe eſſe finxerunt: tamen non iſtum ſaltem honorem homines eis deferendum putarunt, qui illos deos eſſe non credebant, quia malos videbant. Deos autem omnes bonos volebant, nec audebant tamen omnino indignos dicere honore divino: maximè ne offenderent populos à quibus eis, cernebant inveterata ſuperſtitione per tot ſacra & templa ſerviri.

L. Vives a QUi in hoc quidem aere habitant.] *Veteres pleriq; in hoc aere tomnì illam inferorum fabulam conſtituerunt, Proſerpinam, & Summanum Ditem, & manes, & furias, ut Martianus Capella oſtendit. Chalcidius ἀδὴν merito hanc aerem vocatum eſſe ait, quaſi ἀειδῆν, hoc eſt, obſcurum. Petrus quoq; & Iudas Apoſtoli in ſuis Epiſtolis tradunt, dæmones in hac aeris caligine teneri, & torqueri, & ſi alij ſunt in infimis terræ, Empedocles apud Plutarchum: Æther, inquit, dæmones à ſe rejicit, terra expellit, mare non fert: ſic ab alio in aliud elementum jactati pœnas dant.*

F.L. Coq. α Spiritus nocendi cupidiſſimos.] *Tertullianus in Apolog. cap. 22.* Operatio eorum eſt hominis everſio, hic malitia ſpiritualis à primordio auſpicata eſt in hominis exitium.

β Superbia tumidos.] *Primum dæmonum peccatum fuit ſuperbia.* Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper, *nolunt ſubeſſe creatori, appetierunt quodam modo Dei æqualitatem, honores ſibi deferri volunt divinos.*

γ Invidentia lividos. [*Sap. 2.* Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum. *Nonnulli volunt primum Angelorum peccatum fuiſſe invidiam, de hoc aliis D. Auguſtinus epiſt. 45. & lib. 6 Contra Julianum capit. 1. vocat invidiam peccatum Diabolicum & libr. de diſcipl. Chriſtianorum cap. 7. de invidia ita loquitur.* Avertat Deus hanc peſtem ab animis omnium hominum, nedum Chriſtianorum; vitium diabolicum, quo ſolus Diabolus reus eſt, & inexpiabiliter reus, & beatas ſcilicet illas ſedes, unde ceciderat, hominibus invidens. *D. Gregorius lib 2. moral. cap. 26.* Scimus quod immundi ſpiritus, qui de cœlo æthereo lapſi ſunt, in huius cœli terræque medio vagantur, qui tanto magis corda hominum aſcendere ad cœleſtia invident, quanto ſe à cœleſtibus per elationis ſuæ immunditiam projectos vident. *Baſilius Homil. de Invidia, ut bonum ſequitur innocentia, animiq; candor, ſic Diabolum invidentia.* Caveamus (*inquit*) invidiæ vitium, ne ſocii geſtorum Diaboli reddamur, & eodem cum ipſo damnati judicio reperiamur.

δ Qui in hoc quidem aere habitant.] *Licet aliqui jam ſint in inferno, & poſt judicij diem omnes illic ſint includendi, nihilominus uſq; ad diem judicij ad hominum exercitium aliqui in hoc aere verſabuntur. Idem docet & lib. de nat. boni contra Manichæos cap. 33. & de Agone Chriſti cap. 4. & 5.*

ε De cœli ſuperioris ſublimitate dejecti.] *id eſt, de cœlo Empyreo, in quo ab initio Angeli omnes creati fuère. De hoc lapſu Angeli. Eſa. 14.* Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer. *Apocal. 12.* Non eſt amplius locus eorum inventus in cœlo.

ζ Merito irregreſſibilis tranſgreſſionis.] *Poſt primum peccatum dæmones nec ad pœnitentiam redire nec reconciliari Deo poſſunt, nec ſalutis obtinendæ ſupereſt ſpes ulla, quod à Damaſceno lib. 2. fid. orthod. cap. 4. dictum eſt,* Ὅπερ ἐστὶ τοῖς ἀνθρώποις ὁ θάνατος, τοῦτο τοῖς ἀγγέλοις ἡ ἔκπτωσις. μετὰ γὰρ τὴν ἔκπτωσιν οὐκ ἔστιν αὐτοῖς μετάνοια, ὥσπερ οὐδὲ τοῖς ἀνθρώποις μετὰ τὸν θάνατον. *Merito ergo D. Auguſtin. peccatum Diaboli vocat,* irregreſſibilem tranſgreſſionem.

η Tanquam captis ſubditiſque dominantur.] *Ideo Diabolus dicitur* Rex ſuper o-

per omnes filios ſuperbiæ, & princeps huius mundi. *Rectè verò dicuntur dominari his, qui indigni ſunt veræ religionis participatione, vel aliàs Dei gratiæ expertibus. Nam ut egregiè ſcribit Lactant. lib. 2. cap. 16.* Nocent quidem, ſed iis, à quibus timentur, quos manus Dei potens & excelſa protegit, qui profani ſunt à ſacramento veritatis, juſtos autem, *id eſt*, cultores Dei metuunt. *Ibidem.* Cui ergo nocere poſſunt, niſi iis, quos habent in ſua poteſtate. *Deniq; aſſumat Hermes, eos, qui cognoverunt Deum, non ſolùm ab incurſionibus dæmonum tutos eſſe, verùm ne fato quidem teneri.* Μία (*inquit*) φυλακὴ εὐσέβεια. εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου οὔτε δαίμων κακὸς, οὔτ' εἱμαρμένη κρατεῖ. θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ, τὸ γὰρ ἓν καὶ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἐστὶν ἀγαθὸν εὐσέβεια.

β Illos nec Deos eſſe credebant] *Lactantius ubi ſupra, docuit nonnullis ex Gentilibus ut Mercurio Triſmegiſto, & eius auditore Aſclepio cognitum fuiſſe, dæmones eſſe inimicos & vexatores hominum, quos ideo Trimegiſtus* ἀγγέλους πονηροὺς *vocat.*

CAP. XXIII.

Quid Hermes Trimegiſtus de idololatria ſenſerit, & unde ſcire potuerit ſuperſtitiones Ægyptiacas auferendas.

NAm diverſa de illis *a α* Hermes Ægyptius, quem Trimegiſtum vocant, ſenſit & ſcripſit. Apuleius quidem deos illos negat, ſed cùm dicit ita inter homines deoſque quadam medietate verſari, ut hominibus apud ipſos deos neceſſarii videantur, cultum eorum à ſupernorum deorum religione non ſeparat. *β* Ille autem Ægyptius alios deos dicit eſſe à ſummo Deo factos, alios ab hominibus. Hoc qui audit, ſicut à me poſitum eſt, putat dici de ſimulachris: quia opera ſunt manuum hominum. At ille viſibilia & contrectabilia ſimulachra velut corpora deorum eſſe aſſerit. *γ* Ineſſe autem his quoſdam ſpiritus invitatos, qui valeant aliquid, ſive ad nocendum, ſive ad deſideria eorum nonnulla complenda, à quibus eis divini honores, & cultus obſequia deferuntur. Hos ergo ſpiritus inviſibiles per artem quandam viſibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut ſint quaſi animata corpora illis ſpiritibus dicata & ſubdita ſimulachra: hoc eſſe dicit deos facere, eamque magnam & mirabilem deos faciendi accepiſſe homines poteſtatem. Hujus Ægyptii verba *b δ* ſicut in noſtram linguam interpretata ſunt ponam. Et quoniam de cognatione, inquit, & conſortio hominum deorumque nobis indicitur ſermo, poteſtatem hominis, ô Aſclepi, vimque cognoſce Dominus, inquit, & pater, vel quod eſt ſummum, Deus, ut effector eſt deorum cæleſtium, ita homo fictor eſt deorum, qui in templis ſunt humana proximitate contenti. Et paulò poſt: *ε* Ita humanitas, inquit, ſemper memor naturæ & originis, ſuæ in illa divinitatis imitatione perſeverat: ut ſicuti pater ac dominus, ut ſui ſimiles eſſent, deos fecit æternos, ita humanitas deos ſuos ex ſui vultus ſimilitudine figuraret. Hic cum Aſclepius, ad quem maximè loquebatur, ei reſpondiſſet atque dixiſſet: Statuas, dicis, ô Trimegiſte? Tum verò ille; Statuas, inquit, ô Aſclepi,

d videſne

d videſne quatenus tu ipſe diffidas, ſtatuas animatas ſenſu & ſpiritu plenas, tantaque facientes & talia: ſtatuas futurorum præſcias, *e* ea quæ fortè vates omnis ignoret in multis & variis rebus prædicentes, imbecillitates hominibus facientes, easque curantes, triſtitiam lætitiamque pro meritis? An ignoras, ô Aſclepi, quòd Ægyptus imago ſit cœli: aut, quod eſt verius, translatio aut deſcenſio omnium quæ gubernantur atque exercentur in cœlo: ac ſi dicendum eſt verius, terra noſtra mundi totius eſt templum? Et tamen quoniam præſcire cuncta prudentem decet, iſtud vos ignorare fas non eſt. Futurum tempus eſt, cùm appareat Ægyptios incaſſum pia mente divinitati ſedulam religionem ſervaſſe, & omnis eorum ſancta veneratio in irritum caſura fruſtrabitur. Deinde multis verbis Hermes hunc locum exequitur, in quo videtur hoc tempus prædicere, quo Chriſtiana religio, quantò eſt veracior atque ſanctior, tantò vehementius & liberius cuncta fallacia figmenta ſubvertit, ut gratia veriſſimi ſalvatoris liberet hominem ab his diis, quos fecit homo: & ei Deo ſubdat, à quo factus eſt homo. Sed cùm Hermes iſta prædicit, velut amicus eisdem ludificationibus dæmonum loquitur, nec Chriſtianum nomen evidenter exprimit, ſed tanquam ea tollerentur atque delerentur, quorum obſervatione cœleſtis ſimilitudo cuſtodiretur in Ægypto, ita hæc futura deplorans, luctuoſa quodammodo prædicatione teſtatur. Erat enim de his, de quibus dicit Apo-

Rom. 1. ſtolus, quòd *cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis:* & cætera, quæ commemorare longum eſt. *f* Multa quippe talia dicit de uno vero Deo fabricatore mundi, qualia veritas habet. Et neſcio, quomodo illa obſcuratione cordis ad iſta delabitur, ut diis, quos confitetur ab hominibus fieri, ſemper velit homines ſubdi, & hæc futuro tempore plangat auferri, quaſi quicquam ſit infœlicius homine, cui ſua figmenta dominantur: *g* cùm ſit facilius, fieri deos colendo quos fecit, ne ipſe ſit homo, quàm ut per eius cultum dij eſſe poſſint, quos fecit homo. Citius enim fit, ut homo in honore poſitus, pecoribus non intelligens comparetur, quàm ut operi Dei ad eius imaginem facto, id eſt, ipſi homini, opus hominis præferatur. Quapropter merito homo deficit ab illo, qui eum fecit, cùm ſibi præficit ipſe, quod fecit. Hæc vana, deceptoria, per-

Pſ. 48. nicioſa, ſacrilega, Hermes Ægyptius, quia tempus quo auferrentur venturum ſciebat, dolebat: ſed tam impudenter dolebat, quàm imprudenter ſciebat. Non enim hoc ei revelaverat ſpiritus ſanctus, ſicut prophetis ſanctis, qui hæc prævidentes cum exultatione dicebant: *ζ Si faciet homo deos, & ecce ipſi non ſunt dij.* Et in alio loco: *Erit in die illo, dicit dominus, η Exterminabo nomina ſimulachrorum à terra, & non erit eorum memoria.* Propriè verò de Ægypto,

Eſ. 17. quod ad hanc rem attinet, ita θ ſanctus Eſaias prophetat: *Et movebuntur manufacta Ægypti à facie Dei, & cor eorum vincietur* in eis:* & cætera huiusmodi.

al. vincentur. Luc. 2. Ex quo genere & illi erant, *h* ι qui venturum, quod ſciebant veniſſe, gaudebant:

bant: qualis Simeon, qualis Anna, qui mox natum Jeſum, qualis Elizabeth, quæ etiam conceptum in ſpiritu agnovit: *i κ* qualis Petrus, revelante patre dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Huic autem Ægyptio illi ſpiritus indicaverant futura tempora perditionis ſuæ: qui etiam præſenti in carne trementes domino, dixerunt: *Quid veniſti ante tempus perdere nos? k* Sive quia ſubitum illis fuit, quòd futurum quidem, ſed tardius opinabantur: ſive quòd perditionem ſuam hanc ipſam dicebant, qua fiebat, ut cogniti ſpernerentur. Et hoc erat ante tempus, id eſt, ante tempus judicii, quo æterna damnatione puniendi ſunt cum omnibus etiam hominibus, qui eorum ſocietate detinentur: *l λ* ſicut religio loquitur, quæ nec fallit, nec fallitur, non ſicuti iſte, qui omni vento doctrinæ hinc atque inde perflatus, & *μ* falſis vera permiſcens, dolet quaſi perituram religionem, quem poſtea confitetur errorem.

Luc. 1. Matt. 16 Matt. 8.

a Hermes Ægyptius.] *De hoc paulo pòſt.*

b Sicut in noſtram linguam interpretata.] *Hermæ aliquot circumferuntur libri, & Græci Latinitate donati. Quæ huc adfert Auguſtinus, ſunt ex Aſclepio Mercurij, quem Apuleius Latinis vertit.* L. Vives

c Ita humanitas ſemper memor naturæ.] *In exemplari Mercurij Latino ſic legitur: Ita humanitas ſemper vicina naturæ & origini ſuæ.*

d Videsne.] *Sic etiam apud Mercurium: ſed in libro Brugenſi. Vides quatenus ipſe non diffidas.*

e Ea quæ fortè vates omnis ignoret.] *Sic habetur apud Æſculapium: Easq; fortè vates omnes ſomniis multisq; aliis rebus prædicentes, imbecillitatesq; hominibus facientes, easq; curantes, triſtitiamq; pro meritis. Et ſic ſcribebatur in exemplari Colonienſi, ſed lætitiam eſt ſuperſcriptum.*

f Multa quippe talia.] *Adducerem ex eis aliqua, ſi libri non eſſent vulgares: nunc cùm ſint in manibus omnium, ocioſum videatur citare huc illius dicta.*

g Cùm ſit facilius.] *In antiquis libris ad hunc modum ſcribitur: Cùm ſit facilius, ut tanquam deos colendo, quos fecit, nec ipſe ſit homo, quàm ut, &c.*

h Qui venturum quod ſciebant veniſſe.] *Qui gaudebant Chriſtum, qui erat venturus, jam veniſſe: is enim erat patribus in lege ac Prophetis promiſſus. Sic Joannes juſſit rogari: Es tu ille, qui venturus eſt, an alium ſumus adhuc expectaturi?*

i Qualis Petrus revelante patre.] *Hæc eſt præcipua profeſſio, hic primus & firmiſſimus eccleſiæ nunquam ruitura lapis, credere ac profiteri Jeſum eſſe Chriſtum filium Dei vivi. Hoc non revelavit philoſophia humana, non aſtus, non ſagacitas, & ſapientia mundi, ſed DEus univerſorum parens, iis tantum quos chariſſimos habet.*

k Sive quia ſubitum.] *Declarat, cur dæmones ante tempus putent ſe à Chriſto perdi.*

l Sicut religio loquitur.] *Matthæi 25. In malos enim hæc pronunciatur ſententia: Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.*

F.L.Cap. α HErmes Ægyptius, quem Triſmegiſtum vocant.] *Fuit hic Ægyptiorum ſacerdos ſuperioris Mercurij, quem Jovis & Mariæ filium Deum finxerunt, nepos, & quem perperàm aliqui Jethro fuiſſe putarunt Moſis ſocerum. Huius meminit Lactant. l. 1. cap. 6. Nonnulli Triſmegiſtum vocatum volunt, quod eſſet* ſummus Sacerdos, ſapientiſſimus Philoſophus, & Rex potentiſſimus. *Lactantius vult id nomen ei impoſitum ex multarum rerum & artium ſcientia, conſtat tamen non adeo antiquum eſſe hunc Mercurium, aut certè librum ſubdititium eſſe, nam Sibyllarum meminit, quas multis poſt Pharaonem ſæculis exſtitiſſe certum eſt. Item Æſculapius, ad quem ſcribit iſte Mercurius, Phidiæ meminit, qui Periclis ætate vixit. Suidas verò vult eum floruiſſe ante Pharaonem & Triſmegiſtum appellatum, quod de Trinitate quadam divino afflatu locutus ſit.* Ἑρμῆς ὁ τρισμέγιστος· οὗτος ἦν Αἰγύπτιος σοφὸς, ἤκμασε δὲ πρὸ Φαραώ. ἐκέκλητο δὲ τρισμέγιστος, διότι περὶ τριάδος ἐφθέγξατο, εἰπὼν ἐν τριάδι εἶναι μίαν θεότητα. *Eugubin. lib. 1. de perenn. philoſop. cap. 25. propter mirabilem eius multiplicemq; omnium rerum ſcientiam Græcorum more ter maximum vocatum aſſerit. Summum enim quid ac perfectum dicturi ter iſtud ipſum eſſe dicunt. Ita Homerus τρισμάκαρας appellat ter beatos, undequaq; beatiſſimos. Hunc enim, quem undequaq; maximum ac mirabiliſſimum perſpicerent, ter maximum appellarunt, antiquorumq; Græcorum fuit appellatio, qui in Ægyptum profecti, diuq; cum ſacerdotibus verſati copiam, magnitudinemq; ingenij tanti viri cognoſcerent. Quocirca qui putant eum ter maximum vocari propter tria munera, quòd* ſacerdos, *quod* Rex, *quod* Propheta *eſſet, eaq; omnia maximè non rectè (mea quidem ſententia) ſuſpicantur, nec norunt, aut non animadverterunt vim ſermonis Græci. Quicquid divinius ac cœleſtius in Platone admiramur, non à Moyſe, vel Prophetis, ſed ab hoc Mercurio potius eſſe profectum ibidem ſentit Eugubinus.*

β Ille autem Ægyptius alios deos dicit.] *In Aſclepio cap. 9. quod ita interpretatur D. Auguſtinus, & ex verbis ſequentibus Mercurij loco citato conſtat, non quod Deorum nomine ſtatuas inanimatas intelligeret; verum quod ſtatuis illis ab hominibus fabrefactis arte quadam in eas evocarent ſpiritus, ita ut viderentur animatæ & ſtatuæ illæ ad ſimilitudinem hominum effectæ eſſent veluti corpora ſpirituum illorum, qui in ſtatuis illis reſponſa dabant, ac ita hominibus illudebant, cùm ad eas ultrò homines decepturi accederent, & fingebant ſe arte quadam ad eas evocari.*

γ Ineſſe autem his quosdam ſpiritus invitatos.] *Nicephorus lib. 12. cap. 25. Sozomenus lib. 7. cap. 15. de quodam Olympio Gentili philoſopho referunt, quod cùm ob everſa ſimulacra idolorum conſpiceret ſuos eſſe conſternatos, hortabatur ne à religione ſua deficerent, aſſerens imagines ac ſtatuas nihil aliud eſſe quàm materiam corruptibilem, ac proinde ad nihilum potuiſſe redigi, inhabitaſſe autem virtutes quaſdam, & eas jam in cœlum avolaſſe.*

δ Sicut in noſtram linguam interpretata.] *Dialogum eius Aſclepium Latinum fecit Apuleius, verſi fuère eius libri quidam in linguam Græcam ab his, qui ſtudio philoſophandi in Græciam proficiſcebantur. Athenienſem quendam eius libros*

bros refert Cyrillus lib. 1. contra Julianum tranſtuliſſe inſcriptos Hermaicos. Unde conſtat eum non Græca lingua, quæ tunc temporis non adeo erat in uſu, verùm antiqua Ægyptiorum ſcripſiſſe.

ſ Multa quidem talia dicit de uno vero Deo] *Lactant. loco citat.* Hic ſcripſit libros, & quidem multos ad cognitionem divinarum rerum pertinentes, in quibus majeſtatem ſummi ac ſingularis Dei aſſerit; iiſdemque nominibus appellat; quibus nos Deum & patrem. *Multa ex eo citat paſſim Eugubinus libris de perenni philoſophia, Cyrillus item lib. 1. contra Julianum.*

ζ Si faceret homo deos.] *Hierem. 16. Hunc prophetam refert Epiphan de vita & interitu Prophetar. Sacerdotibus Ægypti ſignum exhibuiſſe dicendo,* oportere tùm cuncta deorum ſimulacra concedere, ſimulque manufacta omnia præcipitari, ubi Ægyptum aſcenderet cum ſuo infante enixa virgo.

η Exterminata nomina ſimulachrorum à terra.] *Zach. 13. Ubi vaticinatur Propheta Chriſto fonte omnium gratiarum ac donorum Spiritus ſancti omnibus revelato, è mundo eliminandam idololatriam. Hunc locum adducit Galatinus lib. 4. cap 29. ut probet jam primi adventus Meſſiæ tempora præteriiſſe, ex idololatriæ ceſſatione.*

θ Sanctus Eſaias prophetat & movebuntur manufacta Ægypti.] *Eſaiæ 19. Signum adventus Chriſti idolorum caſus erit & ruina, ut docet Euſeb. lib. 1. de præparat. Evangel. cap. 1. quod his verbis prædicit Eſaias. Athanaſ. lib. 1. de Incarnat. verb. hoc vaticinio vehementer premit Judæos interrogans,* quis ſit ille, cuius deſcenſu corruerunt omnia idola, & fracta ſunt: cur impudenter negent Deum fuiſſe Chriſtum, cùm ſigna adventus Chriſti videant eſſe completa, recepta enim fide Chriſti confracta fuêre omnia idola Ægypti. *Euſeb. lib. 6. de demonſt. Evang. cap. 20. & lib. 8. cap. 5. & lib. 9. cap. 2. hoc etiam loco Propheta Judæos urget,* cùm certiſſimum ſignum & inſolubile *(inquiens)* adventus Chriſti, cùm corruerunt Idola Ægypti, & cùm videatis jam corruiſſe, ceſſaſſe dæmonum cultum, & idololatriam omnem Ægypti, perſtatis in perfidia tamen? *Eodem argumento utitur D. Auguſt. lib. 1. de Evang. conſenſ. cap. 16. 17. 19. cùm ex hoc oraculo prædictum docet à Prophetis pro ſigno certiſſimo adventus Chriſti conſtructionem idolorum, & ſimulacrorum, & completum oſtendit.*

ι Qui venturum quod ſciebant.] *Nempe Meſſiam jam antiquitus à patribus promiſſum,* in quo benedicentur omnes gentes, cui omnes Prophetæ teſtimonium perhibebant, *de quo Moſes ſcripſit.*

κ Qualis Petrus revelante Patre.] *Petrus velut os Apoſtolorum nomine & voce omnium ita confitetur. Sic enim Chryſoſtomus & D. Auguſtinus eum appellant; idq; non niſi cœlitùs didicit. Nam Chriſtus* ſapientia in myſterio abſcondita; quam nemo principum huius ſæculi cognovit, nobis autem revelavit Deus, *ait Apoſtolus.* Nemo novit filium niſi pater, neque quis patrem novit niſi filius, & cui voluerit filius revelare. *Matth. 11.*

λ Sicut religio loquitur.] *Vel ſcriptura ſacra vel doctrina Chriſtiana Matth. 25. hac in reprobos pronuntiatur ſententia.* Ite maledicti in ignem æter-

æternum. *Apocal. cap. 20,* Qui non eſt inventus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.

μ Falſis vera permiſcetis.] *Confirmat dictum D. Auguſtini Cyrillus lib. 1. contra Julianum.* Ille Ægyptius Hermes, *inquit*, quamvis ſacerdos eſſet, & ad idolorum templa conſideret, ſemper ea, quæ docuit Moyſes, ſenſiſſe comperitur; tametſi non omnino rectè neque irreprehenſibiliter, *ita ſuprà dixit author multa ab eo verè dicta de uno Deo vero creatore mundi. Nunc autem dicit ea falſis permiſcuiſſe. Vide D. Hieronymum in caput Eſaiæ 41. Huc reſpexit D. Gregorius ad Nemeſ. ſcribens,* ter maximus ille Mercurius orationi meæ opem ferat.

CAP. XXIV.

Quomodo Hermes patenter parentum ſuorum ſit confeſſus errorem, quem tamen doluerit deſtruendum.

POſt multa enim ad hoc ipſum redit, ut iterum dicat de diis, quos homines fecerunt, ita loquens: Sed jam de talibus ſint ſatis dicta talia. Iterum, inquit, ad hominem rationemque redeamus, *a* ex quo divino dono homo animal dictum eſt rationale. Minus enim miranda, & ſi miranda ſunt quæ de homine dicta ſunt: *a* omnium enim mirabilium vicit admirationem, quòd homo divinam potuit invenire naturam, eamque efficere. Quoniam ergo proavi noſtri multum errabant *b* circa deorum rationem increduli, & non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, invenerunt artem, qua efficerent deos. Cui inventæ adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem, eamque miſcentes: quoniam animas facere non poterant, β evocantes animas dæmonum, vel angelorum eas indiderunt imaginibus ſanctis divinisque myſterijs, per quas idola & benefaciendi & male, vires habere potuiſſent. Neſcio utrum ſic confiterentur ipſi dæmones adjurari, quomodo iſte confeſſus eſt. Quoniam, inquit, proavi noſtri multum errabant circa deorum rationem increduli, & non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, invenerunt artem, qua efficerent deos. Nunquid nam ſaltem mediocriter eos dixit erraſſe, ut hanc artem invenirent faciendi deos: aut contentus fuit dicere errabant, niſi adderet & diceret, multum errabant? Iſte ergo multus error & incredulitas non animadvertentium ad cultum religionemque divinam, invenit artem qua efficeret deos. Et tamen quòd multus error & incredulitas, & à cultu ac religione divina inverſio animi invenit, ut homo arte faceret deos: hoc dolet vir ſapiens tanquam religionem divinam venturo certo tempore auferri. Vide ſi non & vi divina majorum ſuorum errorem præteritum prodere, & etiam vi diabolica pœnam dæmonum futuram dolere compellitur. Si enim proavi eorum multum errando circa deorum rationem incredulitate & averſione animi à cultu ac religione divina invenerunt artem, qua deos efficerent: quid mirum ſi hæc ars deteſtanda, quicquid fecit averſa à religione divina, auferetur à religione divina, cum veritas emendet errorem, fides redarguat incredulitatem, converſio corrigat averſionem? ■

enim tacitis cauſis dixiſſet proavos ſuos inveniſſe artem, qua deos facerent: noſtrum fuit utique ſi quid rectum piumque ſaperemus: attendere & videre nequaquam illos ad hanc artem perventuros fuiſſe, qua homo deos facit, ſi à veritate non aberrarent. Si ea quæ Deo digna ſunt, crederent: ſi animum adverterent ad cultum religionemque divinam. Et tamen ſi cauſas artis hujus nos diceremus multum errorem hominum, & incredulitatem, & animi errantis atque infidelis à divina religione averſionem, utcunque ferenda eſſet impudentia reſiſtentium veritati. Cùm verò idem ipſe qui poteſtatem hujus artis ſuper omnia cætera miratur in homine, qua illi deos facere conceſſum eſt: & dolet venturum eſſe tempus, quo hæc omnia deorũm figmenta ab hominibus inſtituta, etiam legibus jubeantur auferri, confitetur tamen atque exprimit cauſas, quare ad iſta perventum ſit, dicens proavos ſuos multo errore & incredulitate, & animum non advertendo ad cultum religionemque divinam inveniſſe hanc artem, qua facerent deos. Nos quid oportet dicere, vel potius quid agere, niſi quantas poſſumus gratias domino Deo noſtro, qui hæc contrariis cauſis, quàm inſtituta ſunt, abſtulit? Nam quod inſtituit multitudo erroris, abſtulit via veritatis: quod inſtituit incredulitas, abſtulit fides: quod inſtituit à cultu divino religionis averſio, abſtulit ad unum verum Deum ſanctumq; converſio. Nec in ſola Ægypto, quam ſolam in iſto plangit dæmonum ſpiritus, ſed in omni terra qua cantatur Domino canticum novum: ſicut verè ſacræ & verè propheticæ literæ prænunciaverunt, γ ubi ſcriptum eſt: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.* c δ Titulus quippe Pſalmi hujus eſt, *quando domus ædificabatur poſt captivitatem.* ε ædificatur enim domus Domino civitas Dei, quæ eſt ſancta Eccleſia in omni terra: poſt eam captivitatem, qua illos homines, ζ de quibus credentibus in Deum tanquam lapidibus vivis domus ædificatur captos dæmonia poſſidebant. Neque enim quia homo deos faciebat, ideo non ab eis poſſidebatur ipſe fecerat, quando in eorum ſocietatem colendo traducebatur. Societatem dico, non idolorum ſtolidorum, ſed verſutorum dæmoniorum. Nam quid ſunt idola, niſi quòd eadem ſcriptura dicit. η *Oculos habent, & non vident:* & quicquid tale de materijs licet affabrè effigiatis, tamen vita ſenſuque carentibus, dicendum fuit? Sed immundi ſpiritus eiſdem ſimulachris arte illa nefarias arte illa nefaria colligati θ cultorum ſuorum animas in ſuam ſocietatem redigendo, miſerabiliter captivaverant. Unde dicit Apoſtolus: *Scimus, quia nihil eſt idolum: ſed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo vos ſocios fieri dæmoniorum.* Poſt hanc ergo captivitatem, quâ homines à malignis dæmonibus tenebantur, Dei domus ædificatur in omni terra: unde titulum ille Pſalmus accepit, ubi dicitur: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomini ejus,* d *bene nunciate* c *diem ex die ſalutare ejus,* ι *Annunciate in gentibus gloriam ejus,* κ *in omnib. populis mirabilia ejus. Quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis, terribilis eſt ſuper omnes deos. Quoniam omnes dij gentium dæmonia, dominus autem*

Pſ. 95. Pſ. 113. 1. Cor. 8. Pſ. 95.

cælos fecit. Qui ergo doluit venturum fuiſſe tempus, quo auferretur cultus idolorum: & in eos qui colerent, dominatio dæmoniorum, malo ſpiritu inſtigatus ſemper volebat iſtam captivitatem manere, qua tranſacta Pſalmus canit, ædificari domum in omni terra. Prænunciabat illa Hermes dolendo: & prænunciabat hæc Propheta gaudendo. Et quia Spiritus victor eſt, qui hæc per ſanctos Prophetas canebat: etiam Hermes ipſe ea quæ nolebat, & dolebat auferri: non à prudentibus, & fidelibus, & religioſis, ſed ab errantibus & incredulis, & à cultu divinæ religionis averſis eſſe inſtituta, miris modis coactus eſt confiteri. Qui quanvis eos appellet deos, tamen cùm dicit à talibus hominibus factos, quales eſſe utique non debemus, velit, nolit, oſtendit colendos non eſſe ab eis, qui tales non ſunt, quales fuerunt, à quibus facti ſunt: hoc eſt, à prudentibus fidelibus religioſiſque: ſimul etiam demonſtrans, ipſos homines, qui eos fecerunt, ſibimet importaſſe, ut eos haberent deos, qui dij non erant. Verum eſt quippe illud propheticum: *Si faciet homo deos, & ecce ipſi non ſunt dij.* Deos ergo tales talium deos arte factos à talibus cùm appellaſſet Hermes, id eſt, idolis dæmones, *f* per artem neſcio quam, cupiditatum ſuarum vinculis illigatos: cum appellaret factos ab hominibus deos, non tamen eis dedit, quod Platonicus Apuleius, unde ſatis jam diximus. & quam ſit inconveniens abſurdumque monſtravimus, ut ipſi eſſent interpretes, & interceſſores inter deos, quos fecit Deus, & homines, quos idem ipſe fecit Deus: hinc afferentes vota, inde munera referentes. Nimis enim ſtultum eſt credere deos, quos fecerunt homines, plus valere apud deos quos fecit Deus, quàm valent ipſi homines, quos idem ipſe fecit Deus. Dæmon quippe ſimulachro arte impia colligatus ab homine, factus eſt Deus: ſed tali homini, non omni homini. Qualis eſt ergo iſte Deus, quem non faceret homo niſi errans & incredulus, & averſus à vero Deo? Porrò ſi dæmones qui coluntur in templis, per artem, neſcio quam, imaginibus inditi, hoc eſt, viſibilibus ſimulachris, ab eis hominibus, qui hac arte fecerunt deos, cum aberrarent, averſique eſſent à cultu & religione divina, non ſunt internuncij, nec interpretes inter homines & deos. & propter ſuos peſſimos ac turpiſſimos mores, ipſi etiam homines quanvis errantes, & increduli, & averſi à cultu ac religione divina, tamen eis ſine dubio meliores ſunt, qui deos ipſi arte fecerunt: reſtat, ut quando poſſunt, tanquam dæmones poſſint: vel *a* quaſi beneficia præſtando magis nocentes, quia magis decipientes, vel apertè malefaciendo. Nec tamen quodlibet horum, niſi quando & quantum permittuntur alta & ſecreta Dei providentia: non autem tanquam medii inter homines & deos, per amicitiam deorum multum apud homines valent. His enim dii boni, quos ſanctos angelos non vocamus, rationaleſque creaturas ſanctæ cæleſtis habitationis, ſive ſedes, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates, amici eſſe omnino non poſſunt, à quibus tam longe abſunt animi affectione, quàm longè abſunt à virtutibus vitia, *b* & à bonitate malitia.

a Omal-

a OMnium enim mirabilium.] *Ipſe Mercurius identidem magnum miraculum hominem vocat, animal venerandum & adorandum.*

b Circa rationem deorum increduli.] *In Mercurio habetur: contra rationem deorum, & alibi contra rationem.*

c Titulus quippe Pſalmi hujus eſt.] *Græcè ſic eſt:* αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαβίδ, ὅτε ὁ οἶκος ᾠκοδομεῖτο μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν. *Hebraicè nullum præfert titulum translatio Hieronym. & Græcè ſic dicitur:* ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις.

d Bene nunciate.] *Vulgo habetur, annunciate. Græcè* εὐαγγελίσασθε. *Et pòſt eſt,* εὐαγγείλατε, *quod ipſe vertit annunciate.*

e Diem ex die.] *Græca phraſi,* ἡμέραν ἐξ ἡμέρας.

f Per artem, neſcio quam, cupiditatum ſuarum.] *Porphyrius in libro De philoſophia oraculorum ſcribit deos hominibus indicare non modo fœlicem conſuetudinem, & familiaritatem ſuam, ſed etiam quibus capiantur, gaudeantq́; rebus quibus devinciantur, quibus cogantur, quos dies vitare oporteat, quos ſervari, figuras ipſas ſimulachrorum cujuſmodi eſſe deceat: ut ex oraculis Hecates oſtendit, quæ negat ſe poſſe contemnere ſignum ære, vel argento, vel auro factum. Et quo pacto ſit aliter ex abſynthio, & muris ſanguine, & myrrha, & thure, & ſtyrace conſlandum docet.*

g Sed tali homine.] *Puta malo, & qualem Mercurius ipſe deſcribit.*

h Et à bonitate malitia.] *Malitiam pro omni vitio maloq́; poſuit, ut Græci κακίαν. quod verbum Cicero volumine tertio De finibus, vitium ſe malle interpretari dicit, quàm malitiam. Nam eſt hæc certa vitij ſpecies contraria rectæ & honeſtæ ſimplicitati, aſtutiæ fraudumq́; mater.*

α EX quo divino dono homo animal.] *Divinum donum latiùs accipit, pro eo etiam quod natura nobis collatum eſt; cùm alioqui* divina dona *ea propriè vocemus, quæ nobis per meritum Chriſti ſupernaturale conferuntur; ſic nomen gratiæ cum ſignificet donum gratuitum ſupernaturale: & diſtinguatur à natura, nihilominus in hoc ſenſu uſurpatur à D. Hieronymo in epiſt. ad Cyprianum presbyt. ubi ſcribit gratiæ Dei eſſe, quod homo ſit creatura, cùm tamen Auguſt. epiſt. 105. dicat, Chriſtum meruiſſe, non ut homines eſſemus, ſed ut juſti. Verùm Triſmegiſtus non potuit quicquam altius vel divinius in homine concipere, quàm* quòd creatus eſſet rationis particeps, ac divinorum utcumque cognoſcendorum capax. RL. Coq.

β Evocantes animas dæmonum vel Angelorum.] *Hic ergo fuit error Mercurij, ut exiſtimaret ſimulachra ab hominibus confecta eſſe divinis honoribus afficienda, ut quæ crederet animata eſſe divinis ſpiritibus, qui per ſe valerent, & ad nocendum & conſulendum hominibus multiplici ratione. Cumq́; eiuſmodi Idola per ſe conficerent, adeò ab errore non dimovebantur, ut etiam hominis poteſtatem admirarentur, ſtolideq́; prædicarent, quod divinos ſpiritus cum corporibus colligare, proindeq́; deos ſibi fabricare valeret. Ita dæmones, qui ſeſe in illis imaginibus colendos exhibebant, miſeros nefariis artibus ludificabantur. Neq́; enim dæmones homini obtemperant, nec ulla arte poſſunt colligari cum ſtatuis, verùm ipſi ſponte accedunt ac recedunt. Minutius Felix in Octav.* Iſti impuri ſpiritus dæmones

ſub

ſub ſtatutis & imaginibus deliteſcunt, & afflatu ſuo authoritatem quaſi præſentis numinis conſequuntur.

γ Ubi ſcriptum eſt, cantate Domino canticum novum.] *Pſal. 95. Apoſtrophe eſt ad totius orbis incolas, qua tacita eorum ad Deum & Chriſtum eius repudiatis idolis, converſio ſignificatur; quod alibi dicit*, Convertamur ad Dominum univerſi fines terræ. *Hierem. 16. ita Gentes confeſſuras errorem ſuum, & convertendas ad Deum prædicat.* Ad te venient Gentes ab extremis terræ & dicent, verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem, quæ eis non profuit. *Vocat verò* canticum novum, *ob novum Dei beneficium de ſpirituali liberatione à poteſtate malignorum ſpirituum ab idololatria. Canticum quidem cantavit Moyſes, ſed vetus ob liberationem populi Hebraici ab Ægyptiis ſubmerſis in mari; at hoc canticum erit novum, non enim amplius dicetur*, Vivit Deus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti. *Sed vivit Dominus, qui filios Dei, qui erant diſperſi in varias ſuperſtitiones, ac prophanas religiones, congregavit in unam Eccleſiam ac religionem.*

δ Titulus quippe pſalmi eſt.] *Hebrais eſt ἀνεπίγραφος & Septuag. Theod. nec hanc inſcriptionem Beatus David inſcripſit, neq; qui à principio vaticinationem expoſuerunt, ſed alius quiſpiam, ut veriſimile eſt, ſummatim ſenſum Pſalmi attendens, hunc poſuit titulum. Rectè tamen additus, agitur enim de Eccleſia per Chriſtum ædificatione.*

ε Ædificatur enim domus Domino civitas Dei, quæ eſt ſancta Eccleſia.] *De Chriſto enim verè intelligitur promiſſio illa Dei ad Davidem 2. Regum. 7.* Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius in ſempiternum. Ego ero ei in patrem. *Paulus ad Hebræ. 1. de Chriſto intellexit. De hac civitate ædificanda à Chriſto, Pſal. 45.* Ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus. *Ita interpretatur Euſeb. lib. 1. de demonſtra. Evang. cap. 4. his verbis:* De quo Rege aut Senatore hæc dicit Propheta? niſi de eo qui verè ædificaturus eſt veræ religionis rempublicam, redempturus nos à dæmonum captivitate. *Procopius*, Ædificaturus eſt hic Rex urbem (*inquit*) quod ipſe Dominus de ſe prædicat. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, quæ vivis lapidibus conſtans expugnari non poteſt. *Sic etiam Hilarius interpretatur lib. 4. de Trinit.*

ζ De quibus credentibus in Deum tanquam de lapidibus vivis.] Hæc civitas (*inquit*) non ex calce & lapidibus, ſed ex hominibus divino lavacro ablutis extructa eſt, *ad quod Paulus 1. Corinth. 6.* Vos eſtis templum Dei vivi. *& 1. Cor. 3.* Dei ædificatio eſtis. *Petrus 1. epiſt. cap. 2.* Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis. *Rectè verò dicit ædificatam de his credentibus, quos poſſidebant dæmonia. Pſal. enim 86.* Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic, *id eſt, in Eccleſia.*

η Scimus quia nihil eſt idolum.] *1. Cor. 8. & 10.* Nullius omninò poteſtatis, idola ſunt inania, nullo ſenſu prædita.

θ Oculos habent & non vident.] *Idem epiſt. 49. ad Deo gratias, quæſt. 3.* Idola

quidem

quidem omni ſenſu carere quis dubitet? verumtamen cum his locantur ſedibus honorabili ſublimitate, ut à precantibus atq; immolantibus attendantur ipſa ſimilitudine animatorum membrorum atq; ſenſuum, quamvis inſenſata & ex anima efficiunt infirmos animos, ut vivere ac ſpirare videantur, accedente præſertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus impenditur; quibus morbidis & peſtilentioſis affectibus medetur ſcriptum divina, quæ rem quidem notam, ſed tamen ſalubri remedio admonitionis inculcat dicens, Oculos habent, & non vident. *Hæc enim verba quò magis aperta ſunt, & populariter vera, eò magis ſalubrem pudorem incutiunt iis, qui cum talibus ſimulachris divinum cum timore cultum exhibent, eoq; viventibus ſimilia venerantes, adorantesq; continentur, eiq; velut præſentibus preces allegant, victimas immolant, vota perſolvunt; ſic afficiunt omnino, ut ea ſenſu carentia putare non audeant.*

ι Annuntiate inter gentes gloriam eius.] *Vocationem gentium prædicit eo loco per Apoſtolos & primos diſcipulos.*

κ In omnibus populis mirabilia eius.] Non eſt enim jam diſtinctio Judæi & Græci; ſed Deus dives in omnes, qui invocant illum. *Non jam videat ſolus populus Hebræus mirabilia Dei, ut quondam in terra Ægypti, & in monte Sinai, verùm omnes jam intelligant Evangelica prædicatione mirabilia Dei, conſilium Dei æternum ſuper humana ſalute, Incarnationem verbi, redemptionem hominum, & congregationem in unam Eccleſiam, omnes jam fide percipiant ſacramentum abſconditum à ſæculis, quod nunc revelatum eſt toti Eccleſiæ,* Omnes norint ſapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo principum huius ſæculi cognovit.

λ Prænuntiabat illa Hermes.] *Video quo differant oracula dæmonum ab oraculis Prophetarum.*

μ Beneficia præſtando magis nocentes.] *Beneficia dæmonum certè nocentiora ſunt omnibus vulneribus.*

CAP. XXV.

De his, quæ ſanctis Angelis & hominibus poſſunt eſſe communia.

NUllo modo igitur quaſi per dæmonum medietatem, ambiendum eſt α ad benevolentiam, ſeu beneficentiam deorum, vel potius bonorum angelorum, ſed per bonæ voluntatis ſimilitudinem, qua cum illis ſumus, & cum illis vivimus, & β cum illis Deum, quem colunt, colimus: & ſi eos carnalibus oculis videre non poſſumus, in quantum autem diſſimilitudine voluntatis, & fragilitate infirmitatis miſeri ſumus, in tantum ab eis longe ſumus vitæ merito, non corporis loco. Non enim quia in terra conditione carnis habitamus, ſed ſi per immunditiam cordis terrena ſapimus, non eis jungimur. Cùm verò ſanamur, ut quales ipſi ſunt, ſimus: fide interim illis propinquamus, ſi ab illo nos fieri beatos, à quo & ipſi facti ſunt etiam ipſis faventibus credimus.

α AD benevolentiam ſeu beneficentiam Deorum.] *Benevolentia dicitur actus voluntatis, quo alteri volumus bonum, qui quomodo ab amore differat, vide* P.L.C.9

Ariſtotelem lib. 9. Ethic. cap. 5. D. Thomam 2. 2. q. 27. art. 2. Beneficentia autem nihil aliud eſt, quam facere bonum alicui, hoc verò bonum vel conſideratur ſecundum communem rationem boni, & id pertinet ad communem rationem beneficentiæ, ſicq; eſt actus amicitiæ ſeu charitatis. In actu enim dilectionis includitur benevolentia, per quam vult aliquis bonum amico. Voluntas autem eſt effectiva eorum, quæ vult, ſi adſit facultas, ſicq; benefacere animo ex actu dilectionis conſequitur. Ergo beneficentia ſecundùm communem rationem eſt amicitiæ vel charitatis actus. Si verò bonum, quod quis in alterum confert, ſub aliqua ſpeciali ratione ſumatur, ſic beneficentia ſpecialem rationem accipiet, & erit ſpecialis alicuius virtutis. D. Thomas 2. 2. q. 31. Benevolentia autem & beneficentia non differunt, niſi ut actus interior & exterior voluntatis, quia beneficentia executio eſt benevolentiæ. Ut autem noſtrum eſt honorare Angelos bonos, ut ſuperiores, & in ſuperiori ſtatu, utpote beatitudinis conſtitutos, ita eorum eſt nobis benefacere ex dilectione, qua nos proſequuntur. Et quidem innumera beneficia conſequimur à Deo per Angelos præfecti ſunt cuſtodiæ hominum, Adminiſtratorii ſpiritus ſunt miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, *& teſtatur D. Dionyſius multos reductos eſſe ad Deum per Angelos.*

β Cum illis Deum quem colunt, colimus.] *Ideo nos conſervos ſuos reputat Angelus Joanni loquens,* Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum.

CAP. XXVI.

Quòd omnis religio paganorum circa homines mortuos fuerit impleta.

SAnè advertendum eſt, quomodo iſte Ægyptius cum doleret tempus eſſe venturum, quo illa auferrentur ex Ægypto, quæ fatetur à multum errantibus & incredulis, & à cultu divinæ religionis averſis eſſe inſtituta. Ait inter cætera: Tunc *a* terra iſta ſanctiſſima ſedes delubrorum atque templorum, ſepulchrorum erit mortuorumque pleniſſima. Quaſi verò ſi illa non auferrentur, non eſſent homines morituri, aut alibi eſſent mortui ponendi quàm in terra. Et utique quantò plus volveretur temporis & dierum longitudo, tantò major eſſet numerus ſepulchrorum, propter majorem numerum mortuorum. Sed hoc videtur dolere, quòd memoriæ martyrum noſtrorum templis eorum delubriſque ſuccederent: ut videlicet qui hæc legunt animo à nobis averſo atque perverſo, putent à paganis deos cultos fuiſſe in templis, à nobis autem coli mortuos in ſepulchris. Tanta enim homines impij cæcitate *a* in montes quodammodo offendunt, reſque oculos ſuos ferientes nolunt videre, ut non attendant. β in omnibus literis paganorum, aut non inveniri, aut vix inveniri deos qui non homines fuerint, *b* omnibus tamen honores ſtudeant exhibere divinos, quaſi nihil γ unquam humanitatis habuerint. Omitto quòd Varro dicit, omnes ab his mortuos exiſtimari manes deos, *c* & probat per ea ſacra, quæ omnibus ferè exhibentur mortuis, *d* δ ubi & ludos commemorat funebres, tanquàm hoc ſit maximum divinitatis indicium, *ε* quod non ſolent ludi niſi numinibus celebrari. Hermes ipſe de quo nunc agitur, in ipſo

eodem

eodem libro, ubi quaſi futura prænunciando deplorans ait: Tunc terra iſta ſanctiſſima ſedes delubrorum atque templorum, ſepulchrorum erit mortuorumque pleniſſima: deos Ægypti homines mortuos eſſe teſtatur. Cùm enim dixiſſet, proavos ſuos multum errantes circa deorum rationem incredulos, & non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, inveniſſe artem, qua efficerent deos: cui inventæ, inquit, adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem. eamque miſcentes, quoniam animas facere non poterant, evocantes animas dæmonum vel angelorum, eas indiderunt imaginibus ſanctis divinisque myſterijs, per quas idola & benefaciendi & malè vires habere potuiſſent. Deinde ſequitur tanquam hoc exemplis probaturus, & dicit: *e* Avus enim tuus, ô Aſclepi, medicinæ primus inventor, cui templum conſecratum eſt *f* in monte Libyæ circa littus *g* Crocodilorum, in quo ejus jacet mundanus homo, id eſt, corpus: reliqvus enim, vel potius totus, ſi eſt homo totus in ſenſu vitæ, melior remeavit in cælum, omnia *h* etiam nunc hominibus adjumenta præſtans infirmis numine nunc ſuo, quæ ante ſolebat medicinæ arte præbere. Ecce dixit mortuum coli pro Deo in eo loco ubi habebat ſepulchrum: falſus ac fallens, dicendo quod remeavit in cælum, omnia etiam nunc hominibus adjumenta præſtans infirmis. Adjungens deinde aliud: *h* Hermes, inquit, cujus avitum mihi nomen eſt, nonne *i* in cognominis ſuipatria conſiſtens, omnes mortales undique venientes adjuvat atque conſervat? Hic enim Hermes major, id eſt, Mercurius, quem dicit avum ſuum fuiſſe, *θ* in Hermopoli, hoc eſt, in ſui nominis civitate perhibetur eſſe ſepultus. Ecce duos deos dicit hominos fuiſſe, Æſculapium & Mercurium. *k* Sed de *ı* Æſculapio & Græci & Latini hoc idem ſentiunt. *l* Mercurium autem multi non putant fuiſſe mortalem, quem tamen iſte avum ſuum fuiſſe teſtatur. *m* Etenim * alius *x* eſt ille, alius iſte; quanvis eodem nomine nuncupentur. Non multum pugno, alius ille ſit, alius iſte: verùm iſte ſicut Æſculapius ex homine deus, ſecundùm teſtimonium tanti apud ſuos viri *n* hujus Triſmegiſti nepotis ſui. Adhuc addit, & dicit: *o* Iſin verò uxorem Oſiris, quàm multa bona præſtare propitiam, quantis ſcimus obeſſe iratam. Deinde ut oſtenderet, ex hoc genere eſſe deos, quos illa arte homines faciunt: unde dat intelligi, dæmones ſe opinari ex hominum mortuorum animis extitiſſe, quos per artem quam invenerunt homines multum errantes, increduli & irreligioſi, ait inditos ſimulachris: quia hi qui tales deos faciebant, animas non utique facere poterant. Cùm de his idem dixiſſet, quod commemoravi, quantis obeſſe ſcimus iratam: ſecutus adjunxit, Terrenis enim dijs atque mundanis facile eſt iraſci: *p* utpote qui ſunt ab hominibus ex utraque natura facti atque compoſiti. Ex utraque natura dicit, ex anima & corpore: ut pro anima ſit dæmon, pro corpore ſimulachrum. Unde contigit, inquit, ab Ægyptijs hæc ſancta animalia nuncupari, *q* colique per ſingulas civitates eorum animas, qui eas conſecravere viventes, ita ut eorum legibus incolantur, & eorum nominibus nuncupentur. Ubi eſt illa velut querela luctuoſa, quòd terra Ægypti ſanctiſſimas ſedes de-

al. At enim

q Coliqúe per ſingulas civitates eorum animas.] *Innumeras res Aegyptiſ pro dis colebant, velut allia & capas, per quæ jurabant Plinio: & animalia complura, de quorum nominibus urbes aliquot nominarunt, ut à crocodilo Crocodilopolim, ut diximus, à lupo Lycopolim, à leone Leontopolim, à lato piſce Latopolim, ut quoniam bovem primus inſtituit coli Apis, idcirco & ipſe bovis imagine colitur, Mercurius cane, Iſis vacca. Diodorus ſcribit in galeis & inſignibus principes viros alios aliorum animalium formis uti ſolitos, velut Anubim cane, & Macedonem lupo: unde veneratio illis animalibus nata. hinc principes vita functos eorundem animalium, quæ ipſis placuerant nominibus nuncupare, & imaginibus venerari inſtituerunt. Hoc eſt quod Mercurius dicit coli eorum animas, qui illa animalia viventes conſecraverunt, auguſta & plena venerationis illa efficerunt principes, cum ſuis galeis, clypeis, inſignibusq́; addi voluerunt: unde viſum eſt rudi populo non parvam victoriæ partem, iis ipſis acceptam eſſe referendam, ita in deorum numerum ſunt relati.*

F.L. cap. *α* Terra iſta ſanctiſſima ſedes.] *Ita loquitur prophanus iſte. Aegyptus inter cæteras gentes fuit maximè ſuperſtitioni atq́; Idololatriæ addicta. Eadem Proſper lib. 3. de prædict. cap. 38.*

β In omnibus libris paganorum.] *Tertullianus in Apologetico cap. 10. idoſtendit ex antiquitatibus gentilium. Arnobius lib. 1. contra Gentes, ad objectionem Paganorum, quod Chriſtiani hominem natum colerent;* Vos, *inquit*, nullum colitis hominem natum? non unum & alium? non innumeros? quin immò non omnes, quos jam in templis habetis veſtris, mortalium ſuſtuliſtis è numero, & cœlo ſideribusque donaſtis? Si enim vos fugit ſortis eos humanæ & naturæ fuiſſe communis, replicate antiquiſſimas literas, & eorum ſcripta percurrite, qui vetuſtati vicini ſine ullis aſſentationibus cuncta veritate in liquida prodiderunt, jam profecto diſcetis, quibus ſinguli patribus, quibus matribus fuerint procreati, qua nati in regione, qua gente. *Minutius in Octavio.* Manifeſtum homines illos fuiſſe, quos & natos legimus, & mortuos ſcimus.

γ Nihil unquam humanitatis habuerunt.] *Ubi humanitas ἀνθρωπότης, natura ipſa hominis, non φιλανθρωπία vel παιδεία: vel benevolentia, vel eruditio intelligitur.*

δ Ubi & ludos commemorat funebres.] *Ludorum funebrium mentio eſt apud Livium lib. 41 ab V.C. 555.* Ludi funebres eo anno quatriduum in funere M. Valeri à P. & M. filiis eius facti. *& lib. 49. ab V. C. 571.* Ludi funebres per triduum facti. *Meminit & Tertullianus lib. de Spectaculis cap. 6.* à primordio, *inquit*, bifariàm ludi cenſebantur, ſacri & funebres, *id eſt*, Diis nationum & mortuis. *De ludorum funebrium apparatu legi poteſt Alexander ab Alexandr. libr. 2. cap. 7.*

ε Non ſoleant ludi niſi numinibus celebrari.] *Ita Tertull. loco citato originem ludorum ſacrorum & funebrium idololatriam eſſe docet.*

ζ Avus enim ejus & Aſclepi.] *Avum intelligit Aeſculapium filium Apollinis, quem finxerunt inventorem medicinæ, ideoq; quod tantum juviſſet mortales, in*

Deorum

Deorum numerum receptum. Tres commemorat Aeſculapios Cicero 3. de nat. deor. Primus fuit Apollinis, quem Arcades colunt, qui ſpecillum inveniſſe, primusq́ue vulnus obligaviſſe dicitur. Secundus Secundi Mercurij frater; is fulmine percuſſus dicitur humatus eſſe Cynoſuris. Tertius Arſippi & Arſinoe, qui primus purgationem alui, dentisq́ue evulſionem, ut ferunt, invenit: cuius in Arcadia non longè à Luſio flumine ſepulcrum & locus oſtenditur. Aeſculapium avum non fuiſſe aliquem horum facile conjicio. Veriſimilius putat Vives fuiſſe Oſiridem, quem etiam Aeſculapium dictum tradunt, licet de hac re nihil certi ſtatui poſſit.

η Etiam nunc hominibus adjumenta præſtans infirmis.] *Fidelior hic mihi videtur Eccleſia nunc adverſarijs. ſi tamen licet miſcere ſacra prophanis. Eos enim, qui hic juverunt mortales, arte ſua vel quavis ratione multo magis etiam adjumenta præſtare numine ſuo, poſtquam in cœlum recepti ſunt, tradit. at verò hæreſiet eos etiam, qui nobis hic charitate conjuncti fuère, beatos verò in cœlum receptos, fruentes divino conſpectu longè perfectiori charitati ardentes nihil jam volunt curare noſtra, nullas nobis ſuppetias ferre, ad eos in adverſis non eſſe confugiendum. Longè conſultius Hieronymus contra Vigilantium.* Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti, potuerunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debebant eſſe ſolliciti, quantò magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam; & Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto pro perſecutoribus veniam deprecatur, & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in mari animas condonatas, & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro iis, qui in orbe ad ſuum Evangelium redierunt, mutire non poterit? *Falſus quidem ille Mercurius ac fallens, ut rectè Auguſtinus ait, qui exiſtimavit, Aeſculapium in cœlum remeaſſe, & nunc juvare mortales infirmos: ſi quem tamen falſa perſuaſione putavit eſſe in cœlum receptum, exiſtimavit etiam numine ſuo mortales juvare, ut antea arte ſua in terris fecerat, certè quos ſcimus in cœlum receptos ibi ſempiternam vitam cum Deo agere, noſtri memores eſſe, noſtra curare, nos juvare, meritò nobis perſuadebimus.*

θ In Hermopoli.] Ἑρμοῦ πόλις, *Mercurij civitas. Strabo lib. 17. Hermopoleos meminit,* urbs eſt Ægypti in præfectura Sebenitica. *At ſeptem huius nominis refert Stephanus lib. de urbibus.*

ι De Æſculapio Græci & Latini.] *De Aeſculapij natalibus Pauſanias in Corinthiacis lib. 2. ubi tradit, & eum ab initio ſtatim Deum habitum, neq́ue eius religionem ſolo temporis progreſſu & fama hominum profeciſſe, idq́ue tum ex aliis argumentis, tum ex Homeri verſibus colligit, apud quem ita Agamemnon:*

> Ταλθύβι᾽, ὅττι τάχιστα Μαχάονα δεῦρ᾽ ἐγκάλεσσον
> Φῶτ᾽ Ἀσκληπιοῦ υἱόν.

ὡς αὖ εἴτις λέγοι θεοῦ παῖδ᾽ ἄνθρωπον.

κ Alius eſt ille, alius iſte.] *Quinq́ue Mercurios refert Cicero libr. 3. de nat. deor.*

ſub ſtatutis & imaginibus deliteſcunt, & afflatu ſuo authoritatem quaſi præſentis numinis conſequuntur.

γ Ubi ſcriptum eſt, cantate Domino canticum novum.] *Pſal. 95. Apoſtrophe eſt ad totius orbis incolas, qua tacita eorum ad Deum & Chriſtum eius repudiatis idolis, converſio ſignificatur; quod alibi dicit*, Convertamur ad Dominum univerſi fines terræ. *Hierem. 16. ita Gentes confeſſuras errorem ſuum, & convertendas ad Deum prædicat.* Ad te venient Gentes ab extremis terræ & dicent, verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem, quæ eis non profuit. *Vocat verò* canticum novum, *ob novum Dei beneficium de ſpirituali liberatione à poteſtate malignorum ſpirituum ab idololatria. Canticum quidem cantavit Moyſes, ſed vetus ob liberationem populi Hebraici ab Ægyptiis ſubmerſis in mari; ac hoc canticum erit novum, non enim amplius dicetur*, Vivit Deus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti. *Sed vivit Dominus, qui filios Dei, qui erant diſperſi in varias ſuperſtitiones, ac prophanas religiones, congregavit in unam Eccleſiam ac religionem.*

δ Titulus quippe pſalmi eſt.] *Hebrais eſt ἀνεπίγραφος & Septuag. Theod. nec hanc inſcriptionem Beatus David inſcripſit, neq; qui à principio vaticinationem expoſuerunt, ſed alius quiſpiam, ut veriſimile eſt, ſummatim ſenſum Pſalmi attendens, hunc poſuit titulum. Rectè tamen additus, agitur enim de Eccleſia per Chriſtum ædificatione.*

ε Ædificatur enim domus Domino civitas Dei, quæ eſt ſancta Eccleſia.] *De Chriſto enim verè intelligitur promiſſio illa Dei ad Davidem 2. Regum. 7.* Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius in ſempiternum. Ego ero ei in patrem. *Paulus ad Hebræ. 1. de Chriſto intellexit. De hac civitate ædificanda à Chriſto, Pſal. 45.* Ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus. *Ita interpretatur Euſeb. lib. 1. de demonſtra. Evang. cap. 4. his verbis:* De quo Rege aut Senatore hæc dicit Propheta? niſi de eo qui verè ædificaturus eſt veræ religionis rempublicam, redempturus nos à dæmonum captivitate. *Procopius*, Ædificaturus eſt hic Rex urbem (*inquit*) quod ipſe Dominus de ſe prædicat. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, quæ vivis lapidibus conſtans expugnari non poteſt. *Sic etiam Hilarius interpretatur lib. 4. de Trinit.*

ζ De quibus credentibus in Deum tanquam de lapidibus vivis.] Hæc civitas (*inquit*) non ex calce & lapidibus, ſed ex hominibus divino lavacro ablutis extructa eſt, *ad quod Paulus 1. Corinth. 6.* Vos eſtis templum Dei vivi. *& 1. Cor. 3.* Dei ædificatio eſtis: *Petrus 1. epiſt. cap. 2.* Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis. *Rectè verò dicit ædificatam de his credentibus, quos poſſidebant dæmonia. Pſal. enim 86.* Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic, *id eſt, in Eccleſia.*

η Scimus quia nihil eſt idolum.] *1. Cor. 8. & 10.* Nullius omninò poteſtatis, idola ſunt inania, nullo ſenſu prædita.

θ Oculos habent & non vident.] *Idem epiſt. 49. ad Deo gratias, quæſt. 3. Idola*

quidem

quidem omni ſenſu carere quis dubitet? verumtamen cum his locantur ſedibus honorabili ſublimitate, ut à precantibus atq; immolantibus attendantur ipſa ſimilitudine animatorum membrorum atq; ſenſuum, quamvis inſenſata & ex anima efficiunt infirmos animos, ut vivere ac ſpirare videantur, accedente præſertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus impenditur; quibus morbidis & peſtilentioſis affectibus medetur ſcriptura divina, quæ rem quidem notam, ſed tamen ſalubri remedio admonitionis inculcat dicens, Oculos habent, & non vident. *Hæc enim verba quò magis aperta ſunt, & populariter vera, eò magis ſalubrem pudorem incutiunt iis, qui cum talibus ſimulachris divinum cum timore cultum exhibent, eoq; viventibus ſimilia venerantes, adorantesq; continentur, eisq; velut præſentibus preces allegant, victimas immolant, vota perſolvunt; ſic afficiunt omnino, ut ea ſenſu carentia putare non audeant.*

ι Annuntiare inter gentes gloriam eius.] *Vocationem gentium prædicit eo loco per Apoſtolos & primos diſcipulos.*

κ In omnibus populis mirabilia eius.] Non eſt enim jam diſtinctio Judæi & Græci; ſed Deus dives in omnes, qui invocant illum. *Non jam videat ſolus populus Hebræus mirabilia Dei, ut quondam in terra Ægypti, & in monte Sinai, verùm omnes jam intelligant Evangelica prædicatione mirabilia Dei, conſilium Dei æternum ſuper humana ſalute, Incarnationem verbi, redemptionem hominum, & congregationem in unam Eccleſiam, omnes jam fide percipiant ſacramentum abſconditum à ſæculis, quod nunc revelatum eſt toti Eccleſiæ,* Omnes norint ſapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo principum huius ſæculi cognovit.

λ Prænuntiabat illa Hermes.] *Video quo differant oracula dæmonum ab oraculis Prophetarum.*

μ Beneficia præſtando magis nocentes.] *Beneficia dæmonum certè nocentiora ſunt omnibus vulneribus.*

CAP. XXV.

De his, quæ ſanctis Angelis & hominibus poſſunt eſſe communia.

NUllo modo igitur quaſi per dæmonum medietatem, ambiendum eſt α ad benevolentiam, ſeu beneficentiam deorum, vel potius bonorum angelorum, ſed per bonæ voluntatis ſimilitudinem, qua cum illis ſumus, & cum illis vivimus, & β cum illis Deum, quem colunt, colimus: & ſi eos carnalibus oculis videre non poſſumus, in quantum autem diſſimilitudine voluntatis, & fragilitate infirmitatis miſeri ſumus, in tantum ab eis longe ſumus vitæ merito, non corporis loco. Non enim quia in terra conditione carnis habitamus, ſed ſi per immunditiam cordis terrena ſapimus, non eis jungimur. Cùm verò ſanamur, ut quales ipſi ſunt, ſimus: fide interim illis propinquamus, ſi ab illo nos fieri beatos, à quo & ipſi facti ſunt etiam ipſis faventibus credimus.

α AD benevolentiam ſeu beneficentiam Deorum.] *Benevolentia dicitur actus voluntatis, quo alteri volumus bonum, qui quomodo ab amore differat, vide* P.L.Cog.

Ariſtotelem lib. 9. Ethic. cap. 5. D. Thomam 2. 2. q. 27. Art. 2. Beneficentia autem nihil aliud eſt, quam facere bonum alicui, hoc verò bonum vel conſideratur ſecundum communem rationem boni, & id pertinet ad communem rationem beneficentiæ, ſicq; eſt actus amicitiæ ſeu charitatis. In actu enim dilectionis includitur benevolentia, per quam vult aliquis bonum amico. Voluntas autem eſt effectiva eorum, quæ vult, ſi adſit facultas, ſicq; benefacere animo ex actu dilectionis conſequitur. Ergo beneficentia ſecundum communem rationem eſt amicitiæ vel charitatis actus. Si verò bonum, quod quis in alterum confert, ſub aliqua ſpeciali ratione ſumatur, ſic beneficentia ſpecialem rationem accipiet, & erit ſpecialis alicuius virtutis. D. Thomas 2. 2. q. 31. Benevolentia autem & beneficentia non differunt, niſi ut actus interior & exterior voluntatis, quia beneficentia executio eſt benevolentiæ. Ut autem noſtrum eſt honorare Angelos bonos, ut ſuperiores, & in ſuperiori ſtatu, utpote beatitudinis conſtitutos, ita eorum eſt nobis benefacere ex dilectione, qua nos proſequuntur. Et quidem innumera beneficia conſequimur à Deo per Angelos præfecti ſunt cuſtodiæ hominum, Adminiſtratorii ſpiritus ſunt miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, *& teſtatur D. Dionyſius multos reductos eſſe ad Deum per Angelos.*

β Cum illis Deum quem colunt, colimus.] *Ideo nos conſervos ſuos reputat Angelus Joanni loquens,* Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum.

CAP. XXVI.

Quòd omnis religio paganorum circa homines mortuos fuerit impleta.

SAnè advertendum eſt, quomodo iſte Ægyptius cum doleret tempus eſſe venturum, quo illa auferrentur ex Ægypto, quæ fatetur à multum errantibus & incredulis, & à cultu divinæ religionis averſis eſſe inſtituta. Ait inter cætera: Tunc *a* terra iſta ſanctiſſima ſedes delubrorum atque templorum ſepulchrorum erit mortuorumque pleniſſima. Quaſi verò ſi illa non auferrentur, non eſſent homines morituri, aut alibi eſſent mortui ponendi quàm in terra. Et utique quantò plus volveretur temporis & dierum longitudo, tantò major eſſet numerus ſepulchrorum, propter majorem numerum mortuorum. Sed hoc videtur dolere, quòd memoriæ martyrum noſtrorum templis eorum delubriſque ſuccederent: ut videlicet qui hæc legunt animo à nobis averſo atque perverſo, putent à paganis deos cultos fuiſſe in templis, à nobis autem coli mortuos in ſepulchris. Tanta enim homines impii cæcitate *a* in montes quodammodo offendunt, reſque oculos ſuos ferientes nolunt videre, ut non attendant, β in omnibus literis paganorum, aut non inveniri, aut vix inveniri deos qui non homines fuerint. *b* omnibus tamen honores ſtudeant exhibere divinos, quaſi nihil γ unquam humanitatis habuerint. Omitto quòd Varro dicit, omnes ab his mortuos exiſtimari manes deos, *e* & probat per ea ſacra, quæ omnibus ferè exhibentur mortuis, *d* ubi & ludos commemorat funebres, tanquàm hoc ſit maximum divinitatis indicium, *ε* quod non ſolent ludi niſi numinibus celebrari. Hermes ipſe de quo nunc agitur, in ipſo

eodem

eodem libro, ubi quaſi futura prænunciando deplorans ait: Tunc terra iſta ſanctiſſima ſedes delubrorum atque templorum, ſepulchrorum erit mortuorumque pleniſſima: deos Ægypti homines mortuos eſſe teſtatur. Cùm enim dixiſſet, proavos ſuos multum errantes circa deorum rationem incredulos, & non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, inveniſſe artem, qua efficerent deos: cui inventæ, inquit, adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem, eamque miſcentes, quoniam animas facere non poterant, evocantes animas dæmonum vel angelorum, eas indiderunt imaginibus ſanctis divinisque myſterijs, per quas idola & benefaciendi & malè vires habere potuiſſent. Deinde ſequitur tanquam hoc exemplis probaturus, & dicit: e Avus enim tuus, ô Aſclepi, medicinæ primus inventor, cui templum conſecratum eſt f in monte Libyæ circa littus g Crocodilorum, in quo ejus jacet mundanus homo, id eſt, corpus: reliquus enim, vel potius totus, ſi eſt homo totus in ſenſu vitæ, melior remeavit in cælum, omnia η etiam nunc hominibus adjumenta præſtans infirmis numine nunc ſuo, quæ ante ſolebat medicinæ arte præbere. Ecce dixit mortuum coli pro Deo in eo loco ubi habebat ſepulchrum: falſus ac fallens, dicendo quod remeavit in cælum, omnia etiam nunc hominibus adjumenta præſtans infirmis. Adjungens deinde aliud: h Hermes, inquit, cujus avitum mihi nomen eſt, nonne i in cognominis ſui patria conſiſtens, omnes mortales undique venientes adjuvat atque conſervat? Hic enim Hermes major, id eſt, Mercurius, quem dicit avum ſuum fuiſſe, θ in Hermopoli, hoc eſt, in ſui nominis civitate perhibetur eſſe ſepultus. Ecce duos deos dicit homines fuiſſe, Æſculapium & Mercurium. k Sed de ι Æſculapio & Græci & Latini hoc idem ſentiunt. l Mercurium autem multi non putant fuiſſe mortalem, quem tamen iſte avum ſuum fuiſſe teſtatur. m Etenim* alius eſt ille, alius iſte, quanvis eodem nomine nuncupentur. Non multum pugno, alius ille ſit, alius iſte: verùm iſte ſicut Æſculapius ex homine deus, ſecundùm teſtimonium tanti apud ſuos viri n hujus Triſmegiſti nepotis ſui. Adhuc addit, & dicit: o Iſin verò uxorem Oſiris, quàm multa bona præſtare propitiam, quantis ſcimus obeſſe iratam. Deinde ut oſtenderet, ex hoc genere eſſe deos, quos illa arte homines faciunt: unde dat intelligi, dæmones ſe opinari ex hominum mortuorum animis extitiſſe, quos per artem quam invenerunt homines multum errantes, increduli & irreligioſi, ait inditos ſimulachris: quia hi qui tales deos faciebant, animas non utique facere poterant. Cùm de his idem dixiſſet, quod commemoravi, quantis obeſſe ſcimus iratam: ſecutus adjunxit, Terrenis enim dijs atque mundanis facile eſt iraſci: p utpote qui ſunt ab hominibus ex utraque natura facti atque compoſiti. Ex utraque natura dicit, ex anima & corpore: ut pro anima ſit dæmon, pro corpore ſimulachrum. Unde contigit, inquit, ab Ægyptijs hæc ſancta animalia nuncupari, q colique per ſingulas civitates eorum animas, qui eas conſecravere viventes, ita ut eorum legibus incolantur & eorum nominibus nuncupentur. Ubi eſt illa velut querela luctuoſa, quòd terra Ægypti ſanctiſſimas ſedes de-

al. at enim

lubrorum atque templorum, ſepulchrorum futura eſſet mortuorumque pleniſſima? Nempe ſpiritus fallax, à cujus inſtinctu Hermes iſta dicebat, per eum ipſum coactus eſt confiteri, jam tunc illam terram ſepulchrorum & mortuorum, quos pro dijs colebant, fuiſſe pleniſſimam. Sed dolor dæmonum per eum loquebatur, qui ſuas futuras pœnas apud ſanctorum martyrum memorias imminere mœrebant. In multis enim talibus locis torquentur & confitentur, & de poſſeſſis corporibus hominum ejiciuntur.

L.Vives. *a* IN montes quodammodo offendunt.] *In res magnas & quas nemo non videt, ipſi impingunt.*

b Omnibus t.h.] *In veteribus libris ſic legitur: Aut vix inveniri deos, qui non homines fuerint, mortuiſq; divini honores delati ſunt. Omitto quod Varro dicit, omnes ab his mortuos exiſtimari manes deos,*

Necia. *c* Et probat per ea ſacra quæ omnibus ferè exhibentur mortuis.] *Cicero lib. De leg. 2. Nec verò tam Neciæ, quæ à nece appellatæ ſunt, quæ reſident mortui, quàm cæterorum cæleſtium quieti dies feriæ nominarentur, niſi majores, eos qui ex hac vita migraſſent, in deorum numero eſſe voluiſſent.*

d Ubi & ludos commemorat funeb.] *In his ludis exhibebantur fabulæ. Nam ex Terentianis Adelphi, Actæ eſt ludis funebribus Aemilij Pauli Macedonici, ducibus ejus filijs P. Cornelio Scipione, & Q. Fabio Aedil. cur. gladiatores quoque depugnabant, quem morem induxerunt M. & D. Iunij Bruti ludis funebribus patris primo anno belli Punici primi, App. Clau. Caudace, & M. Fulvio Coſſ. depugnarunt in Boario foro. Livius lib. 16. & Valerius lib. 2. & Auſonius in Gryphis:*

Tres primas Thracum pugnas, tribus ordine bellis
Iuniadæ patri inferias miſere ſepulchro.
Dabatur & epulum, & viſceratio.

e Avus enim tuus, ô Aſclepi.] *Aſclepius Græcè eſt Aeſculapius. Hujus Aeſculapij, quem ſecum loquentem facit Mercurius avum, Auguſtinus Aeſculapium medicinæ repertorem putat. Quis hic Aeſculapius ex tribus, quos Cicero numerat, non convenit. Nam unus ex his ſepultus eſſe dicitur Cynoſuris Achaiæ fulmine ictus. Alter prope Luſium fluvium in Arcadia. Tertius fuit ſecundi Mercurij frater, qui filius fuit Valentis & Phoronidis, hunc etiam Aeſculapium magno in honore habent Arcades. Aeſculapium quoq; Oſiridem vocari ſolitum Tacitus ſcribit: neſcio an de hoc intelligat. Veriſimilius eſt de hoc Mercurium loqui, quàm de quovis alio.*

f In monte Libyæ.] *Hic mons prælongus eſt, ab ima Aegypto ſupra Cynopolim ſe extendens. Non unus putatur mons à Ptolemæo, qui λιβύων ὄρη vocat.*

Crocodilus. *g* Crocodilorum.] *Crocodilus ex genere ſerpentium eſt, ſed quadrupes: oviparus, creſcit ſeptemdecim cubitos & eo amplius. Mandibulam ſuperiorem contra omnium animantium naturam movit: homines & omnia terreſtria vorat, vivitq; interim in ſicco, interim in aqua. De hoc Herodotus, Ariſtoteles, Plinius, & alij. Seneca crocodilum ait fugax eſſe animal audaci, audaciſſimum timido. Crocodili urbs prope montem Lybicum erat ſita in mediterraneis Aegypti, non longe à Ptolemaide in fine ſexti paralleli climatis tertij. Crocodilum venerationi habitum ab*

Aegyptiis ſcribit Porphyrius, ideo quòd Soli eſſet ſacer: ſicut etiam aries, & Cantharus & Aſtur.

b Hermes, inquit, cujus avitum mihi eſt nomen.] *Cicero Mercurios numerat quinq́ꝫ, quorum duo ab Aegyptiis colantur. Priorem Nilo patre genitum, quem illi nefas habent nominare: alterum qui Argum interemit, Agyptoq́ꝫ præfuit, quibus leges & literas dedit, illumq́ꝫ vocat Theut, quo nomine primus anni menſis apud illos dicitur. Euſeb. lib. 1. Phœnices ait in Theologia ſua putaſſe Mercurium Trimegiſtum ſcribam fuiſſe Saturni Cœli filij, cujus opera uſus ſit Saturnus intuenda matre: cumq́ꝫ hic auſtrales mundi partes peteret, univerſum Aegyptum Mercurio reliquiſſe. Diodorus Mercurium ſcribit fuiſſe Iſidi & Oſiridi in conſilio. Cumq́ꝫ in expeditionem Oſiris iret, Mercurium ceu conſiliarium Iſidis conjugis domi reliquiſſe, hominemq́ꝫ fuiſſe inſigni prudentia, multaſq́ꝫ tradidiſſe mortalibus artes ac ſcientias. Hunc exiſtimo fuiſſe avum hujus Hermæ, qui ſcripſit, illumq́ꝫ vocatum eſſe Theut, dæmonem, ut ait Plato in Phædro, qui artes mathematicas & literas, & aleam invenit, detulitq́ꝫ ad Thamum Aegypti regem, qui rex poſtea dictus eſt Ammon.*

i In cognominis ſui patria.] *Alibi, in ſibi cognomine patria. In Mercurio verò Apuleij corruptiſſimè, ſibi cognomen patrium. Hermopolis eſt magna in Aegypto urbs, & nomus Hermopolitana, ab occaſu fluvij, inquit Ptolemæus, mediterranea, euntibus ad mare noſtrum: ſuperior eſt Crocodilopoli, in ſeptimo parallelo climatis tertij.* Hermopolis.

k Sed de Æſculapio.] *Hunc enim inter ſemideos collocant, & eos qui meritis nacti ſunt cœlum, quales ſunt Hercules, Bacchus, & Romulus. Theodoritus de martyribus ſcribit, Homeri tempore Æſculapium nondum pro deo eſſe habitum. Nam ille curatorem vulnerum Martis non Æſculapium facit, ſed Pæonem. Et cùm de Machaone Æſculapio filio loquitur, virum eum vocat Æſculapij abſoluti medici filium.*

l Mercurium autem multi.] *Nam hic ex diis eſt cæleſtibus perpetuus, unusq́ꝫ ex conſentibus.*

m Etenim alius eſt ille.] *Mercurius ille celebris fuit Maia & Jovis Saturni filius, nepos Atlantis. Nam alij duo fuerunt Aegyptij, ut dixi, alij etiam duo, quorum prior Cælo & Die eſt genitus, is quem arrecta natura fingunt propter aſpectum Proſerpinæ: poſterior Valentis & Pheronidis filius, quem Trophonij nomine colunt in antro Lebadienſes.*

n Huius Triſmegeſti.] *Quaſi ter maximi. Non fuit is qui ſcripſit Trimegiſtus, ſed eius avus: utrunq́ꝫ tamen nomen & Hermæ & Trimegiſti nepos accepit. Fuit autem ille Theut & rex maximus, & ſacerdos maximus, & ſapiens maximus, ut quibusdam lego placuiſſe.* Triſmegiſtus.

o Iſin verò uxorem.] *Alibi, Iſin verò Oſiris apud Mercurium, Iſin verò & Oſirin, quàm multa bona præſtare propitia, tantum obeſſe ſcimus irata.*

p Utpote qui ſunt.] *Apud Mercurium ſic: Utpote qui ſunt ab hominibus facti atq́ꝫ compoſiti, extraq́ꝫ naturam, ſed ex utraq́ꝫ natura legit Auguſtinus.*

q Coliq́ue per ſingulas civitates eorum animas.] *Innumeras res Aegyptij pro diis colebant, velut allia & cepas, per quæ jurabant Plinio: & animalia complura, de quorum nominibus urbes aliquot nominarunt, ut à crocodilo Crocodilopolim, ut diximus, à lupo Lycopolim, à leone Leontopolim, à lato piſce Latopolim, ut quoniam bovem primus inſtituit coli Apis, idcirco & ipſe bovis imagine colitur, Mercurius canis, Iſis vacca. Diodorus ſcribit in galeis & inſignibus principes viros alios aliorum animalium formis uti ſolitos, velut Anubim cane, & Macedonem lupo: unde veneratio illis animalibus nata. hinc principes vita functos eorundem animalium, quæ ipſis placuerant nominibus nuncupare, & imaginibus venerari inſtituerunt. Hoc eſt quod Mercurius dicit coli eorum animas, qui illa animalia viventes conſecraverunt, auguſta & plena venerationis illa efficerunt principes, cum ſuis galeis, clypeis, inſignibusq́ addi voluerunt: unde viſum eſt rudi populo non parvam victoriæ partem, iis ipſis acceptam eſſe referendam, ita in deorum numerum ſunt relata.*

F.L. Cap. *a* TErra iſta ſanctiſſima ſedes.] *Ita loquitur prophanus iſte. Aegyptus inter cæteras gentes fuit maximè ſuperſtitioni atq́ Idololatriæ addicta. Eadem Proſper lib. 3. de prædict. cap. 38.*

β In omnibus libris paganorum.] *Tertullianus in Apologetico cap. 10. id oſtendit ex antiquitatibus gentilium. Arnobius lib. 1. contra Gentes, ad objectionem Paganorum, quod Chriſtiani hominem natum colerent;* Vos, *inquit*, nullum colitis hominem natum? non unum & alium? non innumeros? quin immò non omnes, quos jam in templis habetis veſtris, mortalium ſuſtuliſtis è numero, & cœlo ſideribusq́ue donaſtis? Si enim vos fugit ſortis eos humanæ & naturæ fuiſſe communis, replicate antiquiſſimas literas, & eorum ſcripta percurrite, qui vetuſtati vicini ſine ullis aſſentationibus cuncta veritate in liquida prodiderunt, jam profecto diſcetis, quibus ſinguli patribus, quibus matribus fuerint procreati, qua nati in regione, qua gente. *Minutius in Octavio.* Manifeſtum homines illos fuiſſe, quos & natos legimus, & mortuos ſcimus.

γ Nihil unquam humanitatis habuerunt.] *Ubi humanitas ἀνθρωπότης, natura ipſa hominis, non φιλανθρωπία vel παιδεία: vel benevolentia, vel eruditio intelligitur.*

δ Ubi & ludos commemorat funebres.] *Ludorum funebrium mentio eſt apud Livium lib. 41 ab V.C. 555.* Ludi funebres eo anno quatriduum in funere M. Valeri à P. & M. filiis eius facti. *& lib. 49. ab V. C. 571.* Ludi funebres per triduum facti. *Meminit & Tertullianus lib. de Spectaculis cap. 6.* à primordio, *inquit*, bifariàm ludi cenſebantur, ſacri & funebres, *id eſt*, Diis nationum & mortuis. *De ludorum funebrium apparatu legi poteſt Alexander ab Alexandr. libr. 2. cap. 7.*

ε Non ſoleant ludi niſi numinibus celebrari.] *Ita Tertull. loco citato originem ludorum ſacrorum & funebrium idololatriam eſſe docet.*

ζ A[illegible] enim [illegible] Aſclepi.] *Azum intelligit Aeſculapium filium Apollinis, [illegible] medicinæ, ideoq́ quod tantum juviſſet mortales, in*

Deorum

Deorum numerum receptum. Tres commemorat Aeſculapios Cicero 3. de nat. deor. Primus fuit Apollinis, quem Arcades colunt, qui ſpecillum inveniſſe, primusq; vulnus obligaviſſe dicitur. Secundus Secundi Mercurij frater; is fulmine percuſſus dicitur humatus eſſe Cynoſiris. Tertius Arſippi & Arſinoe, qui primus purgationem alui, dentisq; evulſionem, ut ferunt, invenit: cuius in Arcadia non longè à Luſio flumine ſepulcrum & locus oſtenditur. Aeſculapium avum non fuiſſe aliquem horum facile conjicio. Veriſimilius putat Vives fuiſſe Oſiridem, quem etiam Aeſculapium dictum tradunt, licet de hac re nihil certi ſtatui poſſit.

η Etiam nunc hominibus adjumenta præſtans infirmis.] *Fidelior hic mihi videtur Eccleſia nunc adverſarijs. ſi tamen licet miscere ſacra prophanis. Eos enim, qui hic juverunt mortales, arte ſua vel quavis ratione multo magis etiam adjumenta præſtare numine ſuo, poſtquam in cœlum recepti ſunt, tradit. at verò hæretici eos etiam, qui nobis hic charitate conjuncti fuere, beatos verò in cœlum receptos, fruentes divino conſpectu longè perfectiori charitati ardentes nihil jam volunt curare noſtra, nullas nobis ſuppetias ferre, ad eos in adverſis non eſſe confugiendum. Longè conſultius Hieronymus contra Vigilantium.* Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti, potuerunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debebant eſſe ſolliciti, quantò magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam; & Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto pro perſecutoribus veniam deprecatur, & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in mari animas condonatas, & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro iis, qui in orbe ad ſuum Evangelium redierint, mutire non poterit? *Falſus quidem ille Mercurius ac fallens, ut rectè Auguſtinus ait, qui exiſtimavit, Aeſculapium in cœlum remeaſſe, & nunc juvare mortales infirmos: ſi quem tamen falſa perſuaſione putavit eſſe in cœlum receptum, exiſtimavit etiam numine ſuo mortales juvare, ut antea arte ſua in terris fecerat, certè quos ſcimus in cœlum receptos ibi ſempiternam vitam cum Deo agere, noſtri memores eſſe, noſtra curare, nos juvare, meritò nobis perſuadebimus.*

θ In Hermopoli.] Ἑρμοῦ πόλις, *Mercurij civitas. Strabo lib. 17. Hermopoleos meminit,* urbs eſt Ægypti in præfectura Sebenitica. *At ſeptem huius nominis refert Stephanus lib. de urbibus.*

ι De Æſculapio Græci & Latini.] *De Aeſculapij natalibus Pauſanias in Corinthiacis lib. 2. ubi tradit, & eum ab initio ſtatim Deum habitum, neq; eius religionem ſolo temporis progreſſu & fama hominum profeciſſe, idq; tum ex aliis argumentis, tum ex Homeri verſibus colligit; apud quem ita Agamemnon:*

Ταλθύβι᾽ ὅττι τάχιστα Μαχάονα δεῦρο κάλεσσον
Φῶτ᾽ Ἀσκληπιοῦ υἱόν.

ὅς αὖ εἴτις λέγοι θεοῦ παῖδ᾽ ἀνθρώπων.

κ Alius eſt ille, alius iſte.] *Quinq; Mercurios refert Cicero libr. 3. de nat. deor.*

λ Cujus

λ Cuius inſtinctu Hermes iſta dicebat.] *Non dubium enim eſt, quin dæmones præſcierint futuram hominum ſalutem per Chriſtum & caſum idololatriæ. De quo D. Thom. 1. p. q. 64. art. 1. & in 2. diſt. 11. q. 1. art. 4.*

μ Suas futuras pœnas apud ſanctorum Martyrum memorias.] *Vult Auguſtinus prædicere Mercurium, idololatriæ ac ſuperſtitioni Aegyptiorum ſucceſſurum religionem Chriſtianam, in qua colitur memoria Martyrum, eosq; vult in verbis Mercurij mortuorum nomine intelligi, qui tamen (ut ſcriptura docet) minime mortui dicendi ſunt, quia in Domino mortui ſunt, & cum Chriſto vivunt.*

ν In multis enim talibus locis torquentur.] *(Certè inter remedia, quæ conferunt contra dæmones, ſunt ſanctorum Martyrum reliquiæ.) Legi poteſt Theodoretus lib. 3. cap. 16. de Babyla martyre. Dum enim conſuleretur Apollo in fano prope Antiochiam, non potuit prius dare reſponſa, quàm corpus Babylæ inde eſſet ſublatum. Hieronymus libro contra Vigilantium ſcribit, dæmones rugire ſolitos apud reliquias D. Andreæ, Lucæ & Timothei, quas Imperator Conſtantinus Conſtantinopolim tranſtulerat, & illorum præſentiam ſe ſentire confiteri. In eodem libro.* Spiritus ille immundus, qui te hæc ſcribere cogit, ſæpè hoc viliſſimo tortus eſt pulvere. *(ita reliquias martyrum appellabat impius Vigilantius.)* imò hodieque torquetur, & qui in te plagas diſſimulat, in cæteris confitetur: niſi fortè in morem Gentilium, impiorumque Porphyrii & Eunomii has præſtigias dæmonum eſſe confingas, & non verè clamare dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta. *Idem in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium, quæ in epiſt. 27.* Cernebat, *inquit,* variis dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulchra ſanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum, *&c. D. Chryſoſtomus homil. 4. de laudibus Pauli:* non ſolùm crucifixum, ſed etiam pro ipſo crucifixorum favillas dæmones contremiſcunt. *lib. contra Gentes de Babyla loquens.* Ea, *inquit,* eſt ſanctorum poteſtas, ut illorum ſuperſtitum dæmones ne umbras quidem, aut veſtes ferre poſſint, vita autem functorum & loculos quoque reformident. *Idem ſerm. de virt. & vitiis.* Sanctorum martyrum cinis improbos dæmones expulit. *Ambroſius ſermon. 91. de invent. corpor. ſanctorum Gervaſii & Prothaſij:* nunc audiſtis clamantes dæmones & confitentes martyribus, quod pœnas ferre non poſſint: & dicentes. Quid veniſtis, ut ante tempus nos tam graviter torqueatis? *& Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum.* A quibus *(ſanctis martyribus)* dæmones propelluntur, & morbi curantur, quorum vel ſola corpora idem poſſunt quod animæ ſanctæ, ſive manibus contrectentur, ſive honorentur: quorum apparitiones & prædictiones, quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ atque exigua paſſionis ſigna idem poſſunt, quod corpora.

CAP. XXVII.

De modo honoris, quem Chriſtiani martyribus impendunt.

NEc *a* tamen nos eiſdem martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. β Honoramus ſanè memorias eorum tanquam ſanctorum hominum Dei, qui uſque ad mortem ſuorum corporum pro veritate certarunt, ut innoteſceret vera religio, falſis religionibus fictiſque convictis: quod etiam ſi qui antea ſentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audivit aliquando fidelium ſtantem ſacerdotem ad altare etiam ſuper ſanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, *a* vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos γ & homines & martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cæleſti honore ſociavit: ut ea celebritate, & Deo vero de illorum victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoriæ renovatione adhortemur? Quæcunque igitur adhibentur religioſorum obſequia in martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra vel ſacrificia mortuorum tanquam deorum. *b* δ Quicunque etiam epulas ſuas eò deferunt, quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſque terrarum nulla talis eſt conſuetudo: tamen quicunque id faciunt, quas cùm appoſuerint, orant, & auferunt, ut veſcantur: vel ex eis etiam indigentibus largiantur, ſanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum. *c* Non autem iſta eſſe ſacrificia martyrum novit, ε qui novit unum, quod Deo illic offertur ſacrificium Chriſtianorum. Nos itaque martyres noſtros nec divinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, ſicut colunt illi deos ſuos, nec ſacrificia illis offerimus, *d* nec deorum probra in eorum ſacra convertimus. Nam de Iſide uxore Oſiris Ægyptia dea, & de parentibus eorum, qui omnes reges fuiſſe ſcribuntur: quibus parentibus ſuis illa cùm ſacrificaret, *e* invenit hordei ſegetem, atque inde ſpicas marito regi & ejus conſiliario Mercurio demonſtravit: unde eandem & Cererem volunt, quæ & quanta mala non à poetis, ſed à myſticis eorum literis memoriæ mandata ſint: ſicut Leone ſacerdote prodente ad Olympiadem matrem ſcribit Alexander: legant qui volunt, vel poſſunt: & recolant qui legerunt: & videant quibus hominibus mortuis, vel de quibus eorum factis tanquam diis ſacra fuerint inſtituta. Abſit, ut eos, quanvis deos habeant, ζ ſanctis martyribus noſtris, quos tamen deos non habemus, ulla ex parte audeant comparare. Sic enim non conſtituimus ſacerdotes, nec offerimus ſacrificia martyribus noſtris: quia incongruum, indebitum, illicitum eſt, atque uni Deo tantummodo debitum: ut nec criminibus ſuis, nec ludis eos turpiſſimis oblectemus, ubi vel flagitia iſti celebrant deorum ſuorum, ſi cùm homines eſſent, talia commiſerunt, vel convicta delectamenta dæmonum noxiorum, ſi homines non fuerunt. η Ex iſto genere

cælos fecit. Qui ergo doluit venturum fuiſſe tempus, quo auferretur cultus idolorum: & in eos qui colerent, dominatio dæmoniorum, malo ſpiritu inſtigatus ſemper volebat iſtam captivitatem manere, qua tranſacta Pſalmus canit, ædificari domum in omni terra. Prænunciabat illa Hermes dolendo: λ prænunciabat hæc Propheta gaudendo. Et quia Spiritus victor eſt, qui hæc per ſanctos Prophetas canebat: etiam Hermes ipſe ea quæ nolebat, & dolebat auferri: non à prudentibus, & fidelibus, & religioſis, ſed ab errantibus & incredulis, & à cultu divinæ religionis averſis eſſe inſtituta, miris modis coactus eſt confiteri. Qui quanvis eos appellet deos, tamen cùm dicit à talibus hominibus factos, quales eſſe utique non debemus, velit, nolit, oſtendit colendos non eſſe ab eis, qui tales non ſunt, quales fuerunt, à quibus facti ſunt: hoc eſt, à prudentibus fidelibus religioſiſque: ſimul etiam demonſtrans, ipſos homines, qui eos fecerunt, ſibimet importaſſe, ut eos haberent deos, qui dij non erant. Verum eſt quippe illud propheticum: *Si faciet homo deos, & ecce ipſi non ſunt dij.* Deos erga tales talium deos arte factos à talibus cùm appellaſſet Hermes, id eſt, idolis dæmones, *f* per artem neſcio quam, cupiditatum ſuarum vinculis illigatos: cum appellaret factos ab hominibus deos, non tamen eis dedit, quod Platonicus Apuleius, unde ſatis jam diximus. & quam ſit inconveniens abſurdumque monſtravimus, ut ipſi eſſent interpretes, & interceſſores inter deos, quos fecit Deus, & homines, quos idem ipſe fecit Deus: hinc afferentes vota, inde munera referentes. Nimis enim ſtultum eſt credere deos, quos fecerunt homines, plus valere apud deos quos fecit Deus, quàm valent ipſi homines, quos idem ipſe fecit Deus. Dæmon quippe ſimulachro arte impia colligatus ab homine, factus eſt Deus: ſed tali homini, non omni homini. Qualis eſt ergo iſte Deus, quem non faceret homo niſi errans & incredulus, & averſus à vero Deo? Porrò ſi dæmones qui coluntur in templis, per artem, neſcio quam, imaginibus inditi, hoc eſt, viſibilibus ſimulachris, ab eis hominibus, qui hac arte fecerunt deos, cum aberrarent, averſique eſſent à cultu & religione divina, non ſunt internuncij, nec interpretes inter homines & deos, & propter ſuos peſſimos ac turpiſſimos mores, ipſi etiam homines quanvis errantes, & increduli, & averſi à cultu ac religione divina, tamen eis ſine dubio meliores ſunt, qui deos ipſi arte fecerunt: reſtat, ut quando poſſunt, tanquam dæmones poſſint: vel *a* quaſi beneficia præſtando magis nocentes, quia magis decipientes, vel apertè maleſaciendo. Nec tamen quodlibet horum, niſi quando & quantum permittuntur alta & ſecreta Dei providentia: non autem tanquam medii inter homines & deos, per amicitiam deorum multum apud homines valent. His enim dii boni, quos ſanctos angelos non vocamus, rationaleſque creaturas ſanctæ cæleſtis habitationis, ſive ſedes, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates, amici eſſe omnino non poſſunt, à quibus tam longe abſunt animi affectione, quàm longè abſunt à virtutibus vitia, *b* & à bonitate malitia.

a Omal-

a OMnium enim mirabilium.] *Ipſe Mercurius identidem magnum miraculum hominem vocat, animal venerandum & adorandum.* L. Viu.

b Circa rationem deorum increduli.] *In Mercurio habetur: contra rationem deorum, & alibi contra rationem.*

c Titulus quippe Pſalmi hujus eſt.] *Græcè ſic eſt:* αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαβὶδ, ὅτε ὁ οἶκος ᾠκοδομεῖτο μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν. *Hebraicè nullum præfert titulum translatio Hieronym. & Græcè ſic dicitur:* ἀνεπίγραφος παρ᾽ ἑβραίοις.

d Bene nunciate.] *Vulgo habetur, annunciate. Græcè* εὐαγγελίσασθε. *Et pòſt eſt,* εὐαγγείλατε, *quod ipſe vertit annunciate.*

e Diem ex die.] *Græca phraſi,* ἡμέραν ἐξ ἡμέρας.

f Per artem, neſcio quam, cupiditatum ſuarum.] *Porphyrius in libro De philoſophia oraculorum ſcribit deos hominibus indicare non modo fœlicem conſuetudinem, & familiaritatem ſuam, ſed etiam quibus capiantur, gaudeantq; rebus quibus devinciantur, quibus cogantur, quos dies vitare oporteat, quos ſervari, figuras ipſas ſimulachrorum cujuſmodi eſſe deceat: ut ex oraculis Hecates oſtendit, quæ negat ſe poſſe contemnere ſignum ære, vel argento, vel auro factum. Et quo pacto ſit aliter ex abſynthio, & muris ſanguine, & myrrha, & thure, & ſtyrace conſtandum docet.*

g Sed tali homine.] *Puta malo, & qualem Mercurius ipſe deſcribit.*

h Et à bonitate malitia.] *Malitiam pro omni vitio maloq; poſuit, ut Græci κακίας. quod verbum Cicero volumine tertio De finibus, vitium ſe malle interpretari dicit, quàm malitiam. Nam eſt hæc certa vitij ſpecies contraria rectæ & honeſtæ ſimplicitati, aſtutiæ fraudumq; mater.*

α EX quo divino dono homo animal.] *Divinum donum latiùs accipit, pro eo etiam quod natura nobis collatum eſt; cùm alioqui* divina dona *ea propriè vocemus, quæ nobis per meritum Chriſti ſupernaturale conferuntur; ſic nomen gratiæ cum ſignificet donum gratuitum ſupernaturale: & diſtinguatur à natura, nihilominus in hoc ſenſu uſurpatur à D. Hieronymo in epiſt. ad Cyprianum presbyt. ubi ſcribit gratia Dei eſſe, quod homo ſit creatura, cùm tamen Auguſt. epiſt. 105. dicat, Chriſtum meruiſſe, non ut homines eſſemus, ſed ut juſti. Verùm Triſmegiſtus non potuit quicquam altius vel divinius in homine concipere, quàm* quòd creatus eſſet rationis particeps, ac divinorum utcumque cognoſcendorum capax. RL. Coq.

β Evocantes animas dæmonum vel Angelorum.] *Hic ergo fuit error Mercurij, ut exiſtimaret ſimulachra ab hominibus confecta eſſe divinis honoribus afficienda, ut quæ crederet animata eſſe divinis ſpiritibus, qui per ſe valerent, & ad nocendum & conſulendum hominibus multiplici ratione. Cumq; eiuſmodi Idola per ſe conficerent, adeò ab errore non dimovebantur, ut etiam hominis poteſtatem admirarentur, ſtolideq; prædicarent, quod divinos ſpiritus cum corporibus colligare, proindeq; deos ſibi fabricare valeret. Ita dæmones, qui ſeſe in illis imaginibus colendos exhibebant, miſeros nefariis artibus ludificabantur. Neq; enim dæmones homini obtemperant, nec ulla arte poſſunt colligari cum ſtatuis, verùm ipſi ſponte accedunt ac recedunt. Minutius Felix in Octav.* Iſti impuri ſpiritus dæmones

ſub

ſub ſtatutis & imaginibus deliteſcunt, & afflatu ſuo authoritatem quaſi præſentis numinis conſequuntur.

γ Ubi ſcriptum eſt, cantate Domino canticum novum.] *Pſal. 95. Apoſtrophe eſt ad totius orbis incolas, qua tacita eorum ad Deum & Chriſtum eius repudiatis idolis, converſio ſignificatur; quod alibi dicit*, Convertamur ad Dominum univerſi fines terræ. *Hierem. 16. ita Gentes confeſſuras errorem ſuum, & convertendas ad Deum prædicat.* Ad te venient Gentes ab extremis terræ & dicent, verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem, quæ eis non profuit. *Vocat vero* canticum novum, *ob novum Dei beneficium de ſpirituali liberatione à poteſtate malignorum ſpirituum ab idololatria. Canticum quidem cantavit Moyſes, ſed vetus ob liberationem populi Hebraici ab Ægyptiis ſubmerſis in mari; ac hoc canticum erit novum, non enim amplius dicetur*, Vivit Deus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti. *Sed vivit Dominus, qui filios Dei, qui erant diſperſi in varias ſuperſtitiones, ac prophanas religiones, congregavit in unam Eccleſiam ac religionem.*

δ Titulus quippe pſalmi eſt.] *Hebrais eſt ἀνεπίγραφος & Septuag. Theod. nec hanc inſcriptionem Beatus David inſcripſit, neq; qui à principio vaticinationem expoſuerunt, ſed alius quiſpiam, ut veriſimile eſt, ſummatim ſenſum Pſalmi attendens, hunc poſuit titulum. Rectè tamen additus, agitur enim de Eccleſia per Chriſtum ædificatione.*

ε Ædificatur enim domus Domino civitas Dei, quæ eſt ſancta Eccleſia.] *De Chriſto enim verè intelligitur promiſſio illa Dei ad Davidem 2. Regum. 7.* Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius in ſempiternum. Ego ero ei in patrem. *Paulus ad Hebræ. 1. de Chriſto intellexit. De hac civitate ædificanda à Chriſto, Pſal. 45.* Ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus. *Ita interpretatur Euſeb. lib. 1. de demonſtra. Evang. cap. 4. his verbis:* De quo Rege aut Senatore hæc dicit Propheta? niſi de eo qui verè ædificaturus eſt veræ religionis rempublicam, redempturus nos à dæmonum captivitate. *Procopius*, Ædificaturus eſt hic Rex urbem (*inquit*) quod ipſe Dominus de ſe prædicat. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, quæ vivis lapidibus conſtans expugnari non poteſt. *Sic etiam Hilarius interpretatur lib. 4. de Trinit.*

ζ De quibus credentibus in Deum tanquam de lapidibus vivis.] Hæc civitas (*inquit*) non ex calce & lapidibus, ſed ex hominibus divino lavacro ablutis exſtructa eſt, *ad quod Paulus 1. Corinth. 6.* Vos eſtis templum Dei vivi. *& 1. Cor. 3.* Dei ædificatio eſtis. *Petrus 1. epiſt. cap. 2.* Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis. *Rectè verò dicit ædificatam de his credentibus, quos poſſidebant dæmonia. Pſal. enim 86.* Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic, *id eſt, in Eccleſia.*

η Scimus quia nihil eſt idolum.] *1. Cor. 8. & 10.* Nullius omninò poteſtatis, idola ſunt inania, nullo ſenſu prædita.

θ Oculos habent & non vident.] *Idem epiſt. 49. ad Deo gratias, quæſt. 3.* Idola quidem

quidem omni ſenſu carere quis dubitet? verumtamen cum his locantur ſedibus honorabili ſublimitate, ut à precantibus atq; immolantibus attendantur ipſa ſimilitudine animatorum membrorum atq; ſenſuum, quamvis inſenſata & ex anima efficiunt infirmos animos, ut vivere ac ſpirare videantur, accedente præſertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus impenditur; quibus morbidis & peſtilentioſis affectibus medetur ſcriptura divina, quæ rem quidem notam, ſed tamen ſalubri remedio admonitionis inculcat dicens, Oculos habent, & non vident. *Hæc enim verba quò magis aperta ſunt, & populariter vera, eò magis ſalubrem pudorem incutiunt ijs, qui cum talibus ſimulachris divinum cum timore cultum exhibent, eoq; viventibus ſimilia venerantes, adorantesq; continentur, eisq; velut præſentibus preces allegant, victimas immolant, vota perſolvunt; ſic afficiunt omnino, ut ea ſenſu carentia putare non audeant.*

ι Annuntiate inter gentes gloriam eius.] *Vocationem gentium prædicit eo loco per Apoſtolos & primos diſcipulos.*

κ In omnibus populis mirabilia eius.] Non eſt enim jam diſtinctio Judæi & Græci; ſed Deus dives in omnes, qui invocant illum. *Non jam videat ſolus populus Hebræus mirabilia Dei, ut quondam in terra Ægypti, & in monte Sinai, verùm omnes jam intelligant Evangelica prædicatione mirabilia Dei, conſilium Dei æternum ſuper humana ſalute, Incarnationem verbi, redemptionem hominum, & congregationem in unam Eccleſiam, omnes jam fide percipiant ſacramentum abſconditum à ſæculis, quod nunc revelatum eſt toti Eccleſiæ,* Omnes norint ſapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo principum huius ſæculi cognovit.

λ Prænuntiabat illa Hermes.] *Video quo differant oracula dæmonum ab oraculis Prophetarum.*

μ Beneficia præſtando magis nocentes.] *Beneficia dæmonum certè nocentiora ſunt omnibus vulneribus.*

CAP. XXV.

De his, quæ ſanctis Angelis & hominibus poſſunt eſſe communia.

NUllo modo igitur quaſi per dæmonum medietatem, ambiendum eſt α ad benevolentiam, ſeu beneficentiam deorum, vel potius bonorum angelorum, ſed per bonæ voluntatis ſimilitudinem, qua cum illis ſumus, & cum illis vivimus, & β cum illis Deum, quem colunt, colimus: & ſi eos carnalibus oculis videre non poſſumus, in quantum autem diſſimilitudine voluntatis, & fragilitate infirmitatis miſeri ſumus, in tantum ab eis longe ſumus vitæ merito, non corporis loco. Non enim quia in terra conditione carnis habitamus, ſed ſi per immunditiam cordis terrena ſapimus, non eis jungimur. Cùm verò ſanamur, ut quales ipſi ſunt, ſimus: fide interim illis propinquamus, ſi ab illo nos fieri beatos, à quo & ipſi facti ſunt etiam ipſis faventibus credimus.

α AD benevolentiam ſeu beneficentiam Deorum.] *Benevolentia dicitur actus voluntatis, quo alteri volumus bonum, qui quomodo ab amore differat, vide* P.L.C.9

 Ariſto-

Ariſtotelem lib. 9. Ethic. cap. 5. D. Thomam 2. 2. q. 27. Art. 2. Beneficentia autem nihil aliud eſt, quam facere bonum alicui, hoc verò bonum vel conſideratur ſecundum communem rationem boni, & id pertinet ad communem rationem beneficentiæ, ſicq́ eſt actus amicitiæ ſeu charitatis. In actu enim dilectionis includitur benevolentia, per quam vult aliquis bonum amico. Voluntas autem eſt effectiva eorum, quæ vult, ſi adſit facultas, ſicq́ benefacere animo ex actu dilectionis conſequitur. Ergo beneficentia ſecundùm communem rationem eſt amicitiæ vel charitatis actus. Si verò bonum, quod quis in alterum confert, ſub aliqua ſpeciali ratione ſumatur, ſic beneficentia ſpecialem rationem accipiet, & erit ſpecialis alicuius virtutis. D. Thomas 2. 2. q. 31. Benevolentia autem & beneficentia non differunt, niſi ut actus interior & exterior voluntatis, quia beneficentia executio eſt benevolentiæ. Ut autem noſtrum eſt honorare Angelos bonos, ut ſuperiores, & in ſuperiori ſtatu, utpote beatitudinis conſtitutos, ita eorum eſt nobis benefacere ex dilectione, qua nos proſequuntur. Et quidem innumera beneficia conſequimur à Deo per Angelos præfecti ſunt cuſtodiæ hominum, Adminiſtratorii ſpiritus ſunt miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, *& teſtatur D. Dionyſius multos reductos eſſe ad Deum per Angelos.*

β Cum illis Deum quem colunt, colimus.] *Ideo nos conſervos ſuos reputat Angelus Joanni loquens,* Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum.

CAP. XXVI.

Quòd omnis religio paganorum circa homines mortuos fuerit impleta.

SAnè advertendum eſt, quomodo iſte Ægyptius cum doleret tempus eſſe venturum, quo illa auferrentur ex Ægypto, quæ fatetur à multum errantibus & incredulis, & à cultu divinæ religionis averſis eſſe inſtituta. Ait inter cætera: Tunc *a* terra iſta ſanctiſſima ſedes delubrorum atque templorum ſepulchrorum erit mortuorumque pleniſſima. Quaſi verò ſi illa non auferrentur, nòn eſſent homines morituri, aut alibi eſſent mortui ponendi quàm in terra. Et utique quantò plus volveretur temporis & dierum longitudo, tantò major eſſet numerus ſepulchrorum, propter majorem numerum mortuorum. Sed hoc videtur dolere, quòd memoriæ martyrum noſtrorum templis eorum delubriſque ſuccederent: ut videlicet qui hæc legunt animó à nobis averſo atque perverſo, putent à paganis deos cultos fuiſſe in templis, à nobis autem coli mortuos in ſepulchris. Tanta enim homines impij cæcitate *a* in montes quodammodo offendunt, reſque oculos ſuos ferientes nolunt videre, ut non attendant, β in omnibus literis paganorum, aut non inveniri, aut vix inveniri deos qui non homines fuerint, *b* omnibus tamen honores ſtudeant exhibere divinos, quaſi nihil γ unquam humanitatis habuerint. Omitto quòd Varro dicit, omnes ab his mortuos exiſtimari manes deos, *c* & probat per ea ſacra, quæ omnibus ferè exhibentur mortuis, *d* ubi & ludos commemorat funebres, tanquàm hoc ſit maximum divinitatis indicium, *e* quod non ſoleant ludi niſi numinibus celebrari. Hermes ipſe de quo nunc agitur, in ipſo

eodem

eodem libro, ubi quaſi futura prænunciando deplorans ait: Tunc terra iſta ſanctiſſima ſedes delubrorum atque templorum, ſepulchrorum erit mortuorumque pleniſſima: deos Ægypti homines mortuos eſſe teſtatur. Cùm enim dixiſſet, proavos ſuos multum errantes circa deorum rationem incredulos, & non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, inveniſſe artem, qua efficerent deos: cui inventæ, inquit, adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem, eamque miſcentes, quoniam animas facere non poterant, evocantes animas dæmonum vel angelorum, eas indiderunt imaginibus ſanctis divinisque myſterijs, per quas idola & benefaciendi & malè vires habere potuiſſent. Deinde ſequitur tanquam hoc exemplis probaturus, & dicit: e Avus enim tuus, ô Aſclepi, medicinæ primus inventor, cui templum conſecratum eſt f in monte Libyæ circa littus g Crocodilorum, in quo ejus jacet mundanus homo, id eſt, corpus: reliqvus enim, vel potius totus, ſi eſt homo totus in ſenſu vitæ, melior remeavit in cælum, omnia h etiam nunc hominibus adjumenta præſtans infirmis numine nunc ſuo, quæ ante ſolebat medicinæ arte præbere. Ecce dixit mortuum coli pro Deo in eo loco ubi habebat ſepulchrum: falſus ac fallens, dicendo quod remeavit in cælum, omnia etiam nunc hominibus adjumenta præſtans infirmis. Adjungens deinde aliud: h Hermes, inquit, cujus avitum mihi nomen eſt, nonne i in cognominis ſui patria conſiſtens, omnes mortales undique venientes adjuvat atque conſervat? Hic enim Hermes major, id eſt, Mercurius, quem dicit avum ſuum fuiſſe, θ in Hermopoli, hoc eſt, in ſui nominis civitate perhibetur eſſe ſepultus. Ecce duos deos dicit homines fuiſſe, Æſculapium & Mercurium. k Sed de ı Æſculapio & Græci & Latini hoc idem ſentiunt. l Mercurium autem multi non putant fuiſſe mortalem, quem tamen iſte avum ſuum fuiſſe teſtatur. m Etenim* alius eſt ille, alius iſte; quanvis eodem nomine nuncupentur. Non multum pugno, alius ille ſit, alius iſte: verùm iſte ſicut Æſculapius ex homine deus, ſecundùm teſtimonium tanti apud ſuos viri n hujus Triſmegiſti nepotis ſui. Adhuc addit, & dicit: o Iſin verò uxorem Oſiris, quàm multa bona præſtare propitiam, quantis ſcimus obeſſe iratam. Deinde ut oſtenderet, ex hoc genere eſſe deos, quos illa arte homines faciunt: unde dat intelligi, dæmones ſe opinari ex hominum mortuorum animis extitiſſe, quos per artem quam invenerunt homines multum errantes, increduli & irreligioſi, ait inditos ſimulachris: quia hi qui tales deos faciebant, animas non utique facere poterant. Cùm de his idem dixiſſet, quod commemoravi, quantis obeſſe ſcimus iratam: ſecutus adjunxit, Terrenis enim dijs atque mundanis facile eſt iraſci, p utpote qui ſunt ab hominibus ex utraque natura facti atque compoſiti. Ex utraque natura dicit, ex anima & corpore: ut pro anima ſit dæmon, pro corpore ſimulachrum. Unde contigit, inquit, ab Ægyptijs hæc ſancta animalia nuncupari, q coliquè per ſingulas civitates eorum animas, qui eas conſecravere viventes, ita ut eorum legibus incolantur, & eorum nominibus nuncupentur. Ubi eſt illa velut querela luctuoſa, quòd terra Ægypti ſanctiſſimas ſedes de-

* al. Ab enim

lubrorum atque templorum, ſepulchrorum futura eſſet mortuorumque pleniſſima? Nempe ſpiritus fallax, à cujus inſtinctu Hermes iſta dicebat, per eum ipſum coactus eſt confiteri, jam tunc illam terram ſepulchrorum & mortuorum, quos pro dijs colebant, fuiſſe pleniſſimam. Sed dolor dæmonum per eum loquebatur, ^a qui ſuas futuras pœnas apud ſanctorum martyrum memorias imminere mœrebant. In multis enim talibus locis torquentur & confitentur, & de poſſeſſis corporibus hominum ejiciuntur.

L. Vives. ^a IN montes quodammodo offendunt.] *In res magnas & quas nemo non videt, ipſi impingunt.*

^b Omnibus t.h.] *In veteribus libris ſic legitur: Aut vix inveniri deos, qui non homines fuerint, mortuiſq; divini honores delati ſunt. Omitto quod Varro dicit, omnes ab his mortuos exiſtimari manes deos.*

Nenia. ^c Et probat per ea ſacra quæ omnibus ferè exhibentur mortuis.] *Cicero lib. De leg. 2. Nec verò tam Neciæ, quæ à nece appellatæ ſunt, quà reſident mortui, quàm cæterorum cæleſtium quieti dies feriæ nominarentur, niſi majores, eos qui ex hac vita migraſſent, in deorum numero eſſe voluiſſent.*

^d Ubi & ludos commemorat funeb.] *In his ludis exhibebantur fabulæ. Nam ex Terentianis Adelphi, Act. eſt ludis funebribus Aemilij Pauli Macedonici, duobus ejus filijs P. Cornelio Scipione, & Q. Fabio Aedil. cur gladiatores quoque depugnabant, quem morem induxerunt M. & D. Iunij Bruti ludis funebribus patris primo anno belli Punici primi, App. Clau. Caudace, & M. Fulvio Coſſ. depugnarunt in Boario foro. Livius lib. 11. & Valerius lib. 2. & Auſonius in Gryphis*

Tres primas Thraicum pugnas, tribus ordine bellis
Iuniadæ patri inferias miſere ſepulchro,
Dabatur & epulum, & viſceratio.

^e Avus enim tuus, ò Aſclepi.] *Aſclepius Græcè eſt Aeſculapius. Hujus Aeſculapij, quem ſecum loquentem facit Mercurius avum, Auguſtinus Aeſculapium medicinæ repertorem putat. Quis hic Aeſculapius ex tribus, quos Cicero numerat, non convenit. Nam unus ex his ſepultus eſſe dicitur Cynoſuris Achaiæ fulmine ictus. Alter prope Luſium fluvium in Arcadia. Tertius fuit ſecundi Mercurij frater, qui filius fuit Valentis & Phoronidis, hunc etiam Aſculapium magno in honore habent Arcades. Aeſculapium quoq; Oſiridem vocari ſolitum Tacitus ſcribit: neſcio an de hoc intelligat. Veriſimilius eſt de hoc Mercurium loqui, quàm de quovis alio.*

^f In monte Libyæ.] *Hic mons prælongus eſt, ab ima Aegypto ſupra Cynopolim ſe extendens. Non unus putatur mons à Ptolemæo, qui λιβύων ὄρη vocat.*

Crocodilus. ^g Crocodilorum.] *Crocodilus ex genere ſerpentium eſt, ſed quadrupes ovipara, creſcit ſeptendecim cubitus & eo amplius. Mandibulam ſuperiorem contra omnium animantium naturam movit: homines & omnia terreſtria vorat, vivitq; interim in ſicco, interim in aqua. De hoc Herodotus, Ariſtoteles, Plinius, & alij. Seneca crocodilum ait fugax eſſe animal audaci, audaciſſimum timido. Crocodili urbs prope montem Lybicum erat ſita in mediterraneis Aegypti, non longe à Ptolemaide in fine ſexti paralleli climatis tertij. Crocodilum venerationi habitum ab*

Aegyptijs

Aegyptiis ſcribit Porphyrius, ideo quòd Soli eſſet ſacer: ſicut etiam aries, & Cantharus & Aſtur.

b Hermes, inquit, cujus avitum mihi eſt nomen.] *Cicero Mercurios numerat quinq́; quorum duo ab Aegyptiis colantur. Priorem Nilo patre genitum, quem illi nefas habent nominare: alterum qui Argum interemit, Ægyptoq́; præfuit, quibus leges & literas dedit, illumq́; vocat Theut, quo nomine primus anni menſis apud illos dicitur. Euſeb. lib. 1. Phœnices ait in Theologia ſua putaſſe Mercurium Trimegiſtum ſcribam fuiſſe Saturni Cœli filij, cujus opera uſus ſit Saturnus intuenda matre: cumq́; hic auſtrales mundi partes peteret, univerſum Aegyptum Mercurio reliquiſſe. Diodorus Mercurium ſcribit fuiſſe Iſidi & Oſiridi in conſilio. Cumq́; in expeditionem Oſiris iret, Mercurium ceu conſiliarium Iſidis conjugis domi reliquiſſe, hominemq́; fuiſſe inſigni prudentia, multaſq́; tradidiſſe mortalibus artes ac ſcientias. Hunc exiſtimo fuiſſe avum hujus Hermæ, qui ſcripſit, illumq́; vocatum eſſe Theut, dæmonem, ut ait Plato in Phædro, qui artes mathematicas & literas, & aleam invenit, detulitq́; ad Thamum Aegypti regem, qui rex poſtea dictus eſt Ammon.*

i In cognominis ſui patria.] *Alibi, in ſibi cognomine patria. In Mercurio verò Apuleij corruptiſſimè, ſibi cognomen patrium. Hermopolis eſt magna in Aegypto urbs, & nomus Hermopolitana, ab occaſu fluvij, inquit Ptolemæus, mediterranea, euntibus ad mare noſtrum: ſuperior eſt Crocodilopoli, in ſeptimo parallelo climatis tertij.* Hermopolis.

k Sed de Æſculapio.] *Hunc enim inter ſemideos collocant, & eos qui meritis nacti ſunt cœlum, quales ſunt Hercules, Bacchus, & Romulus. Theodoritus de martyribus ſcribit, Homeri tempore Æſculapium nondum pro deo eſſe habitum. Nam ille curatorem vulnerum Martis non Æſculapium facit, ſed Pæonem. Et cùm de Machaone Æſculapio filio loquitur, virum eum vocat Æſculapij abſoluti medici filium.*

l Mercurium autem multi.] *Nam hic ex diis eſt cæleſtibus perpetuus, unusq́; ex conſentibus.*

m Etenim alius eſt ille.] *Mercurius ille celebris fuit Maiæ & Jovis Saturni filius, nepos Atlantis. Nam alij duo fuerunt Aegyptij, ut dixi, alij etiam duo, quorum prior Cœlo & Die eſt genitus, is quem arrecta natura fingunt propter aſpectum Proſerpinæ: poſterior Valentis & Pheronidis filius quem Trophonij nomine colunt in antro Lebadienſes.*

n Huius Triſmegeſti.] *Quaſi ter maximi. Non fuit is qui ſcripſit Trimegiſtus, ſed eius avus: utrunq́; tamen nomen & Hermæ & Trimegiſti nepos accepit. Fuit autem ille Theut & rex maximus, & ſacerdos maximus, & ſapiens maximus, ut quibusdam lego placuiſſe.* Triſmegiſtus.

o Iſin verò uxorem.] *Alibi, Iſin verò Oſiris apud Mercurium, Iſin verò & Oſirin, quàm multa bona præſtare propitia, tantum obeſſe ſcimus irata.*

p Utpote qui ſunt.] *Apud Mercurium ſic: Utpote qui ſunt ab hominibus facti atq́; compoſiti, extraq́; naturam, ſed ex utraq́; natura legit Auguſtinus.*

q Coliſque per ſingulas civitates eorum animas.] *Innumeras res Aegyptij pro diis colebant, velut allia & capas, per quæ jurabant Plinio: & animalia complura, de quorum nominibus urbes aliquot nominarunt, ut à crocodilo Crocodilopolim, ut diximus, à lupo Lycopolim, à leone Leontopolim, à lato piſce Latopolim, ut quoniam bovem primus inſtituit coli Apis, idcirco & ipſe bovis imagine colitur, Mercurius canis, Iſis vacca. Diodorus ſcribit in galeis & inſignibus principes viros alios aliorum animalium formis uti ſolitos, velut Anubim cane, & Macedonem lupo: unde veneratio illis animalibus nata. hinc principes vita functos eorundem animalium, quæ ipſis placuerant nominibus nuncupare, & imaginibus venerari inſtituerunt. Hoc eſt quod Mercurius dicit coli eorum animas, qui illa animalia viventes conſecraverunt, auguſta & plena venerationis illa effecerunt principes, cum ſuis galeis, clypeis, inſignibuſq; addi voluerunt: unde viſum eſt rudi populo non parvam victoriæ partem, iis ipſis acceptam eſſe referendam, ita in deorum numerum ſunt relata.*

F.L.Coq. *a* TErra iſta ſanctiſſima ſedes.] *Ita loquitur prophanus iſte. Aegyptus inter cæteras gentes fuit maximè ſuperſtitioni atq; Idololatriæ addicta. Eadem Proſper lib. 3. de prædict. cap. 38.*

β In omnibus libris paganorum.] *Tertullianus in Apologetico cap. 10. id oſtendit ex antiquitatibus gentilium. Arnobius lib. 1. contra Gentes, ad objectionem Paganorum, quod Chriſtiani hominem natum colerent;* Vos, *inquit,* nullum colitis hominem natum? non unum & alium? non innumeros? quin immò non omnes, quos jam in templis habetis veſtris, mortalium ſuſtuliſtis è numero, & cœlo ſideribusque donaſtis? Si enim vos fugit ſortis eos humanæ & naturæ fuiſſe communis, replicate antiquiſſimas literas, & eorum ſcripta percurrite, qui vetuſtati vicini ſine ullis aſſentationibus cuncta veritate in liquida prodiderunt, jam profectò diſcetis, quibus ſinguli patribus, quibus matribus fuerint procreati, qua nati in regione, qua gente. *Minutius in Octavio.* Manifeſtum homines illos fuiſſe, quos & natos legimus, & mortuos ſcimus.

γ Nihil unquam humanitatis habuerunt.] *Ubi humanitas ἀνθρωπότης, natura ipſa hominis, non φιλανθρωπία vel παιδεία: vel benevolentia, vel eruditio intelligitur.*

δ Ubi & ludos commemorat funebres.] *Ludorum funebrium mentio eſt apud Livium lib. 41 ab V.C. 555.* Ludi funebres eo anno quatriduum in funere M. Valeri à P. & M. filiis eius facti. *& lib. 49. ab V. C. 571.* Ludi funebres per triduum facti. *Meminit & Tertullianus lib. de Spectaculis cap. 6.* à primordio, *inquit,* bifariàm ludi cenſebantur, ſacri & funebres, *id eſt,* Diis nationum & mortuis. *De ludorum funebrium apparatu legi poteſt Alexander ab Alexandr. libr. 2. cap. 7.*

ε Non ſoleant ludi niſi numinibus celebrari.] *Ita Tertull. loco citato originem ludorum ſacrorum & funebrium idololatriam eſſe docet.*

ζ Avus enim tuus ô Aſclepi.] *Avum intelligit Aeſculapium filium Apollinis, quem finxerunt invenerint medicinæ, ideoq; quod tantum juviſſet mortales, in*

Deorum numerum receptum. Tres commemorat Aeſculapios Cicero 3. de nat. deor. Primus fuit Apollinis, quem Arcades colunt, qui ſpecillum inveniſſe, primusq́; vulnus obligaviſſe dicitur. Secundus Secundi Mercurij frater; is fulmine percuſſus dicitur humatus eſſe Cynoſuris. Tertius Arſippi & Arſinoe, qui primus purgationem alui, dentisq́; evulſionem, ut ferunt, invenit: cuius in Arcadia non longè à Luſio flumine ſepulcrum & locus oſtenditur. Aeſculapium avum non fuiſſe aliquem horum facile conjicio. Veriſimilius putat Vives fuiſſe Oſiridem, quem etiam Aeſculapium dictum tradunt, licet de hac re nihil certi ſtatui poſſit.

η Etiam nunc hominibus adjumenta præſtans infirmis.] *Fidelior hic mihi videtur Eccleſia nunc adverſarijs. ſi tamen licet miſcere ſacra prophanis. Eos enim, qui hic juverunt mortales, arte ſua vel quavis ratione multo magis etiam adjumenta præſtare numine ſuo, poſtquam in cælum recepti ſunt, tradit. at verò hæretici eos etiam, qui nobis hic charitate conjuncti fuère, beatos verò in cælum receptos, fruentes divino conſpectu longè perfectiori charitati ardentes nihil jam velunt curare noſtra, nullas nobis ſuppetias ferre, ad eos in adverſis non eſſe confugiendum. Longè conſultius Hieronymus contra Vigilantium.* Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti, potuerunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debebant eſſe ſolliciti, quantò magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam; & Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto pro perſecutoribus veniam deprecatur, & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in mari animas condonatas, & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro iis, qui in orbe ad ſuum Evangelium redierunt, mutire non poterit? *Falſus quidem ille Mercurius ac fallens: ut rectè Auguſtinus ait, qui exiſtimavit, Aeſculapium in cælum remeaſſe, & nunc juvare mortales infirmos: ſi quem tamen falſa perſuaſione putavit eſſe in cælum receptum, exiſtimavit etiam numine ſuo mortales juvare, ut antea arte ſua in terris fecerat, certè quos ſcimus in cælum receptos ibi ſempiternam vitam cum Deo agere, noſtri memores eſſe, noſtra curare, nos juvare, meritò nobis perſuadebimus.*

θ In Hermopoli.] Ἑρμοῦ πόλις, *Mercurij civitas. Strabo lib. 17. Hermopoleos meminit,* urbs eſt Ægypti in præfectura Sebenitica. *At ſeptem huius nominis refert Stephanus lib. de urbibus.*

ι De Æſculapio Græci & Latini.] *De Aeſculapij natalibus Pauſanias in Corinthiacis lib. 2. ubi tradit, & eum ab initio ſtatim Deum habitum, neq́; eius religionem ſolo temporis progreſſu & fama hominum profeciſſe, idq́; tum ex aliis argumentis, tum ex Homeri verſibus colligit; apud quem ita Agamemnon:*

Ταλθύβι᾽, ὅττι τάχιστα Μαχάονα δεῦρο κάλεσσον
φῶτ᾽ Ἀσκληπιοῦ υἱόν.

ὡς αὖ εἴπῃς λέγοι θεοῦ παῖδ᾽ ἄνθρωπον.

κ Alius eſt ille, alius iſte.] *Quinq́; Mercurios refert Cicero libr. 3. de nat. deor.*

onibus, quæ ferendis viribus aptæ non eſſent, cereviſiam, ut puto, qua populi Septentrionales utuntur. Verùm antiquiſſimum fuiſſe ex hordeo cibum, teſtatur Plin. lib. 18. ex Athenienſium ritu, Menandro autore, antiquiorem triticeo eſſe dubitandum non eſt. Nunquam enim homines hordeaceo pane vixiſſent, ſi noviſſent triticum, quo reperto continuò hordeum damnatum eſt, & quadrupedum refectibus traditum, ſicut Plinius inquit.

α NEc tamen nos eiſdem martyribus.] *Idem docet lib. 1. contra Maximinum, & epiſt. 49. ad Deogratias: ſcribit quod* ſicut impia ſuperbia ſive dæmomonum, ſive hominum ſibi hos divinos honores exhiberi vel jubet, vel cupit, ita pia humilitas, vel hominum, vel Angelorum ſanctorum hæc ſibi oblata recuſavit, & cui deberentur, oſtendit. F.L.Cog.

β Honoramus ſanè memorias eorum.] *Docet, alium & inferiorem quidem eſſe honorem, qui exhibetur martyribus à ſervitute latriæ, quæ Deo debetur, quod idem docet lib. 20. contra Fauſtum, cap. 21.* populus Chriſtianus, *inquit*, memorias martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur, ita tamen ut nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum ſacrificemus, quamvis in memoriis martyrũ conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorũ corporũ aſſiſtens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre aut Paule, aut Cypriane, ſed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit apud memorias eorũ, quos coronavit. *poſt*: Colimꝰ ergo martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorũ cor ad talé pro Evangelica veritate paſſioné paratũ eſſe ſentimus: ſed illos tanto devotius, quanto ſecuriꝰ poſt certamina ſuperata, quanto etiam fideliore laude prædicamus jam in vita fœliciore victores, quàm in iſta adhuc uſque pugnantes. At verò illo cultu, qui Græcè λατρεία dicitur, quæ Latinè uno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo aliquid tale offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam ſanctæ animæ, vel cuiquam ſancto Angelo. *Ibidem.* Ipſi ſancti vel homines vel Angeli exhiberi ſibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt: *quod probat exemplo Pauli & Barnabæ Actor. 14. qui Lyſtris ſibi immolari noluerunt, cum populi illi miraculis eorum commoti eos deo sè cœlo delapſos exiſtimarent, & exemplo Angeli Apocalyp. cap. 19. qui ſe à Joanne non eſt paſſus adorari; quæ eadem habet D. Hieronymus contra Vigilantium.* Quis, *inquit*, aliquando martyres adoravit? quis hominem putavit Deum, nonne Paulus & Barnabas, cùm à Lycaonibus Jupiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hoſtias immolare, ſciderunt veſtimenta ſua, & ſe homines dixerunt, non quod meliores non eſſent olim mortuis hominibus Jove atque Mercurio, ſed quod ſub Gentilitatis errore honor eis deo debitus deferretur. *Idem epiſt. 53. ad Riparium presbyt. adverſus Vigilantium,* nos autem non dico martyrum reliquias, ſed ne

Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur & in præſenti ſæculo, & in futuro colimus, ne ſerviamus creaturæ potiùs, quàm creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum, cuius ſunt, adoremus. Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum. *Hæc doctrina eſt etiam Concilij Tridentini ſeſſ. 22. cap. 3.*

γ Qui eos homines & martyres fecit.] Prius quidem beneficium naturæ: poſterius autem gratiæ. Vobis datum eſt *(ait Apoſtolus)* non ſolùm, ut in illum credatis, verùm etiam ut pro illo patiamini, *quemadmodum fides eſt donum Dei, ita & martyrium infra lib. 13. cap. 7.*

δ Quicumque etiam epulas ſuas eò deferunt.] *Hic mos in Africa potiſſimum obſervabatur, ut teſtatur lib. 6. confeſſ. cap. 2. ubi refert, matrem ſuam Mediolani ad memorias ſanctorum attuliſſe pultes, & panem & merum, atq; ab oſtiario prohibitam, quod Antiſtes Ambroſius præcepiſſet,* iſta non fieri, nec ab eis, qui ſobriè facerent, ne ulla occaſio ingurgitandi ſe daretur ebrioſis, & quod illa quaſi parentalia ſuperſtitioni Gentilium eſſent ſimillima. *D. Ambroſius lib. de Helia & jejunio, cap. 17. in hanc conſuetudinem invehitur.*

ε Qui novit unum quod illic Deo offertur.] *Quoties ferè D. Auguſtinus de Euchariſtia loquitur, quæ eſt ſacramentum & ſacrificium Chriſtianorum unicum, non eam proprio vocabulo exprimit, ſed ait,* Quod norunt fideles. *Cavebant enim olim Chriſtiani, ne hoc tantum myſterium veniret in cognitionem Gentium.*

ζ Sanctis martyribus noſtris ulla ex parte.] Quæ enim conventio lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial? *ut non ſunt ulla ex parte comparandi dæmones à Deo averſi & reprobi bonis Angelis; ita nec ſuperſtitioſi idololatriæ dæmonum cultores ac miniſtri ſervis Dei viventis, ſeu martyribus ſanctis, non magis certè, quàm mendacium cum veritate, ſuperſtitio cum religione.*

η Ex iſto genere dæmonum Socrates non haberet Deum.] *Unde conſtat D. Auguſtinum ſenſiſſe dæmonem Socratis non fuiſſe bonum Angelum, quod probabile exiſtimavit Eugubinus l. 8. de perenn. philoſoph. cap 25. Sed malum dæmonem, nec ſenſerim cum Juſtino Martyr. Apolog. 2. Socratem martyrem fuiſſe, & ob eandem cauſſam fuiſſe accuſatum, ob quam Chriſtiani accuſabantur. Nec rectè confert Græcos Philoſophos, ut Socratem, Heraclitum, & alios cum Abraham, Anania, Miſael, & aliis ex populo Iſrael, qui fuêre veri Dei ſervi, fide in Chriſtum juſtificati, & inhabitantem in ſe Deum habentes.*

(o)

DIVI

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI *AD MARCELLINUM* DE CIVITATE DEI

LIBER IX.

CAP. I.

Ad quem articulum diſputationis præmiſſa pervenerit, & quid diſcutiendum ſit de reſidua quæſtione.

ET bonos & malos deos eſſe quidam opinati ſunt: quidam verò de dijs meliora ſentientes, tantum eis honoris laudiſque tribuerunt, *a* ut nullum deorum malum credere auderent. *a* Sed illi, qui deos quóſdam bonos, quoſdam malos eſſe dixerunt, *β* dæmones quoque appellaverunt nomine deorum: quanquam & deos, ſed rarius nomine dæmonum: ita ut ipſum Jovem, quem volunt eſſe regem ac principem cæterorum, *b* ab Homero fateantur dæmonem nuncupatum. Hi autem, qui omnes deos non niſi bonos eſſe aſſerunt, & longè præſtantiores eis hominibus, qui boni perhibentur, meritò moventur dæmonum factis, quæ negare non poſſunt, eaque nullo modo à diis, quos omnes bonos volunt, committi poſſe exiſtimantes, differentiam inter deos & dæmones exhibere coguntur: ut quicquid eis merito diſplicet in operibus vel affectibus pravis, quibus vim ſuam manifeſtant, occulti ſpiritus id credant eſſe dæmonum non deorum. Sed quia eoſdem dæmones inter homines & deos, ita medios conſtitutos putant, tanquam nullus Deus homini miſceatur, ut hinc perferant deſiderata, inde referant impetrata: atque hoc Platonici præcipui philoſophorum ac nobiliſſimi ſentiunt, cum quibus velut cum excellentioribus placuit iſtam examinare quæſtionem, utrum cultus plurimorum deorum proſit ad conſequendam vitam beatam, quæ poſt mortem futura eſt, libro ſuperiore quæſivimus, quo pacto ipſi dæmones qui talibus gaudent, qualia boni & prudentes homines averſantur & damnant: id eſt, ſacrilegia, flagitioſa, facinoroſa: non de quolibet homine, ſed de ipſis dijs figmenta poetarum, & magicarum artium ſceleratam puniendamque violentiam, poſſint quaſi propinquiores & amiciores diis bonis conciliare homines bonos: & hoc nulla ratione poſſe compertum eſt. Proinde hic liber, ſicut in illius fine promiſimus, diſputationem continere debebit de differentia, ſi quam volunt eſſe, non deorum inter ſe, quos omnes bonos dicunt, nec de differentia deorum & dæmonum, quorum illos ab hominibus longè lateque ſejungunt, iſtos inter deos & homines collocant, ſed de differentia ipſorum dæmonum, quod ad præſentem pertinet quæſtionem.

Ὁππότ᾽ ἀνὴρ ἐθέλῃ πρὸς δαίμονα φωτὶ μάχεσθαι,
Ὅν κε θεὸς τιμᾷ· τάχα οἱ μέγα πῆμα κυλίσθη.

Et de ea Venere, ἦρχε δὲ δαίμων. *& Orpheo ipſi etiam Jupiter* δαίμων μέγας ἀρχὴς ἁπάντων *dicitur. Plato univerſi deum moderatorem* δαίμονα *vocat. Teſtatur Julius Pollux in Onomaſ. lib. 1. cap. 1.* θεὸς καὶ θεοὶ καὶ δαίμονες. οὕτω γὰρ Ὁμήρῳ δοκεῖ δαίμονας καλεῖν τοὺς θεοὺς, καὶ Πλάτων δὲ τὸν τοῦ παντὸς κυβερνήτην μέγιστον δαίμονα ὀνομάσει. ἐπειδὴ τῆς αὐτῆς χρείας τὸ θεῖον καὶ τὸ δαιμόνιον. *Plotinus Ennead. 3. lib. 3.* πολλάκις καὶ δαίμονας θεοὺς λεγομένους εἶναι. *Plutarch. l. de his, qui ſerò à numine puniuntur, Dei cunctationem ac tarditatem* βραδύτητα τοῦ δαιμονίου *vocat, quem toto opuſculo Deum dicit; qui in Sympoſio ſeptem ſapientum ea diſcernit*, τί ὠφελιμώτατον, *(inquit)* ὁ θεός. τί βλαβερώτατον δαίμων. *Putat tamen Budæus in commentariis, quòd* τὸ θεῖον καὶ τὸ δαιμόνιον, *cùm dicebant philoſophi, Deum ſupremum divinitatemque mundi moderatricem intelligebant. Heſychius in Lexico*, Δαίμονες οἱ θεοὶ, δαήμονές τινες ὄντες ὅτι ἔμπειροι, ἢ ὅτι πάντα μερίζουσι, ἀπὸ τοῦ δάσασθαι.

Cap. II.

An inter dæmones, quibus dii ſuperiores ſunt, ſit aliqua pars bonorum, quorum præſidio ad veram beatitudinem poſſit humana anima pervenire.

Apud plerosque n. uſitatū eſt dici, alios bonos, alios malos dæmones, quæ ſive ſit etiam Platonicorū philoſophorum, ſive quorumlibet ſententia, nequaquam ejus eſt negligenda diſcuſſio, ne quiſquam velut dæmones bonos ſequendos ſibi eſſe arbitretur, per quos tanquam medios diis, quos omnes bonos credit, dum conciliari affectat & ſtudet: ut quaſi cum eis poſſit eſſe poſt mortem irretitus malignorum ſpirituum: deceptuſque fallacia, longè aberret à vero Deo, cum quo ſolo, & in quo ſolo, & de quo ſolo anima humana, id eſt, rationalis & intellectualis beata eſt.

Apud pleroſque uſitatum eſt dici alios bonos, alios malos dæmones.] Plato, *authore Eugubino lib. 8. de perenni Philoſophia cap 33.* Dæmones tantùm bonos conſtituit, cæteri ferè omnes, qui poſt eum, promiſcuè bonos & malos tradiderunt, unum Orpheum & Chaldæos ſecuti. *Referente enim Pſello, Chaldæi alios bonos, alios malos dæmonas agnoſcebant. Orpheus in hymnis invocat*, RL. Coq.

Δαίμονά τ᾽ ἠγάθεον καὶ δαίμονα πήμονα θνητῶν.

Teſtatur etiam Plutarchus apud Homerum & Heſiodum, eſſe dæmonas bonos & malos, mala & bona volentes, impulſores ad bona & mala. Porphyrius etiam lib. de ſacrificiis dæmones bonos & malos diſtinguit; qui citatur in hanc ſententiam ab Euſebio lib. 4. de præpar. Evang. cap. 11. Bonis & malis dæmonibus Romani templa extruebant, illis ut juvarent, iſtis ne nocerent.

Cap. III.

Quæ dæmonibus Apuleius aſcribat, quibus cum rationem non ſubtrahat, nihil virtutis aſſignat.

Quæ

Quæ igitur eſt differentia dæmonum bonorum & malorum: quandoquidem Platonicus Apuleius de his univerſaliter diſſerens, & tam multa loquens de aereis eorum corporibus, de virtutibus tacuit animorum, α quibus eſſent præditi, ſi boni eſſent. Tacuit ergo beatitudinis cauſam, indicium verò miſeriæ tacere non potuit, confitens eorum mentem, qua rationales eſſe perhibuit, non ſaltem imbutam munitamque virtute, paſſionibus animi irrationabilibus nequaquam cedere, ſed ipſam quoque, ſicut ſtultarum mentium mos eſt, procelloſis quodammodo perturbationibus agitari. Verba namq; ejus de hac re ita ſunt: Ex hoc fermè dæmonum numero, inquit, Poetæ ſolent haudquaquam procul à veritate, oſores & amatores quorundam hominum deos fingere: hos proſperari & evehere, illos contra adverſari & affligere. Igitur & miſereri, & indignari, & angi, & lætari, omnemque humani animi faciem pati: ac ſimili motu cordis & ſalo mentis, per omnes cogitationum æſtus fluctuare, quæ omnes turbelæ tempeſtatesque β procul à deorum cæleſtium tranquillitate exulant. Num eſt in his verbis ulla dubitatio, quod non animorum aliquas inferiores partes, ſed ipſas dæmonum mentes, quibus rationalia ſunt animalia, γ velut procelloſum ſalum dixit paſſionum tempeſtate turbari: ut ne hominibus quidem ſapientibus comparandi ſunt, δ qui hujuſmodi perturbationibus animorum, à quibus humana non eſt immunis infirmitas: etiam cùm eas hujus vitæ conditione patiuntur, mente imperturbata reſiſtunt: non eis cedentes ad aliquid approbandum vel perpetrandum, quod exorbitet ab itinere ſapientiæ & lege juſtitiæ, ſed ſtultis mortalibus, & injuſtis, non corporibus, ſed moribus ſimiles: ut non dicam deteriores, eo quòd vetuſtiores, & debita pœna inſanabiles, ipſius quoq; mentis, ut iſte appellavit, ſalo fluctuant: nec in veritate atque virtute, qua turbulentis & pravis affectionibus repugnantur, ex ulla animi parte conſiſtunt.

F.L.Cog. α Quibus eſſent præditi ſi boni eſſent.] *Ita definit virtutem Ariſtoteles libr. 2. Ethic. cap. 5.* quod eum, cuius eſt virtus, benè affectum reddat, & opus eius perficiat. *& lib. 5. πολιτικῶν, cap. 4.* τὸν δὲ ἀγαθὸν ἄνδρα φαμὲν εἶναι κατ' ἀρετὴν τελείαν.

β Procul à deorum cœleſtium tranquillitate exulant.] *Ita Plotinus diſtinguit deos ac dæmones,* τὸ μὲν δὴ θεῶν ἀπαθὲς λέγομεν καὶ νομίζομεν γένος, δαίμοσι δὲ προστίθεμεν πάθη, *id eſt,* deorum genus eſſe paſſionis expers dicimus & putamus, dæmonibus autem paſſiones adjungimus.

γ Velut procelloſum ſalum.] Salum *mare vel à ſapore ſalis, vel à verbo Græco* σαλεύειν, *quod eſt* movere, fluctuare, *inde metaphoricè perturbationes ac fluctuationes mentis ſalum dixit Apuleius, quem hic citat D. Auguſtin. Cic. 3. Tuſcul.* ... ecce tam ærumnoſo navigaſſem ſalo. *Neutri generis eſt vulgari conſuetudine, & maſculini apud Ennium.* Hecuba undantem ſalum, *ut Nonius obſervavit.*

δ Qui hujuſmodi perturbationibus animorum.] *Id enim virtus efficit, ut benè & mediocriter circa affectus ipſos, ſeu perturbationes afficiamur. Nec enim ſapiens vir caret omnino affectibus, ſed ne à recta ratione exorbitent, & ad mediocritatem revocentur, virtus ipſa efficit.*

CAP. IV.

De perturbationibus, quæ animo accidunt, quæ ſunt Peripateticorum Stoicorumq́ ſententiæ.

DUæ ſunt ſententiæ philoſophorum de his animi motibus, α quos Græci πάϑη, noſtri autem quidam, ſicut Cicero, perturbationes, quidam affectiones vel affectus, quidam verò ſicut iſte de Græco expreſſius paſſiones vocant. Has ergo perturbationes, ſive affectiones, ſive paſſiones β quidam philoſophi dicunt etiam in ſapientem cadere, ſed moderatas rationiquè ſubjectas, ut eis leges quodammodo, quibus ad neceſſarium redigantur modum, dominatio mentis imponat. Hoc qui ſentiunt, Platonici ſunt ſive Ariſtotelici, cum Ariſtoteles diſcipulus Platonis fuerit, qui ſectamPeripateticam condidit. Aliis autem, ſicut Stoicis cadere ullas omnino huiuſcemodi paſſiones in ſapientem non placet. *a* Hos autem, id eſt, Stoicos, Cicero in libris de finibus bonorum & malorum, verbis magis quàm rebus adverſus Platonicos ſeu Peripateticos certare convincit: quandoquidem *b* Stoici γ nolunt bona appellare, ſed commoda corporis & externa: eo quòd nullum bonum volunt eſſe hominis præter virtutem, tanquam artem bene vivendi, quæ non niſi in animo eſt. *c* Hæc autem iſti ſimpliciter & ex communi conſuetudine loquendi appellant bona: ſed in comparatione virtutis, qua rectè vivitur, parva & exigua. Ex quo fit, ut ab utriſque, quomodo libet, vocentur, ſeu bona ſeu commoda, pari tamen æſtimatione penſentur: nec in hac quæſtione Stoici delectentur niſi novitate verborum. Videtur ergo mihi etiam in hoc, ubi quæritur, *d* utrum accidant ſapienti paſſiones animi, an ab eis ſit prorſus alienus, de verbis eos potius, quàm de rebus facere controverſiam. Nam & ipſos nihil hinc aliud quàm Platonicos & Peripateticos ſentire exiſtimo, quantum ad vim rerum attinet, non ad vocabulorum ſonum. Ut enim alia omittam, quibus id oſtendam, ne longum faciam, aliquid unum, quod ſit evidentiſſimum, dicam. In libris, quibus titulus eſt Noctium Atticarum, *e* δ ſcribit A. Gellius, * vir ε elegantiſſimi eloquii, & *f* multæ ac facundæ ſcientiæ, ſe navigaſſe aliquando cum quodam philoſopho nobili Stoico. Is philoſophus, ſicut latius & uberius, quod ego breviter attingam, narrat A. Gellius, cùm illud navigium horribili cœlo & mari periculoſiſſimè jactaretur, vi timoris expalluit. Id animadverſum eſt ab eis, qui aderant: quanvis in mortis vicinia curioſiſſimè attentis, utrumne philoſophus animo turbaretur. Deinde tempeſtate tranſacta, mox ut ſecuritas præbuit colloquendi, vel etiam garriendi locum, quidam ex his, quos navis portabat, dives luxurioſus *g* Aſiaticus philoſophum compellat, illudens quòd extimuiſſet atque palluiſſet, cùm ipſe manſiſſet intrepidus in eo, quod impendebat, exitio. *h* ζ At ille Ariſtippi Socratici reſponſum retulit, qui cùm in re ſimili eadem verba ab homine ſimili audiſſet: reſpondit illum pro anima nequiſſimi nebulonis merito non fuiſſe ſolicitum, ſe autem pro Ariſtippi anima timere debuiſſe. Hac illo divite reſponſione depulſo, poſtea quæſivit A. Gellius à philoſopho non exagitandi animo, ſed diſcendi, quænam illa ratio eſſet pavo-

al. A. gellius & toto capite

pavoris ſui. Qui ut doceret hominem ſciendi ſtudio gnaviter accenſum, protulit ſtatim de ſarnicula ſua *i* Stoici Epicteti librum, in quo ea ſcripta eſſent, quæ congruerent decretis *n* Zenonis & Chryſippi, quos fuiſſe Stoicorum principes novimus. In eo libro ſe legiſſe, dicit A. Gellius, hoc Stoicicis placuiſſe, *k* quòd animi viſa, quas appellant phantaſias: nec in poteſtate eſt, utrum, & quando incidant animo, cùm veniant ex terribilibus & formidabilibus rebus neceſſe eſſe etiam ſapientis animum moveant: ita ut pauliſper vel paveſcat metu, vel triſtitia contrahatur, tanquam his paſſionibus prævenientibus mentis & rationis officium: *l* nec ideo tamen in mente fieri opinionem mali, nec approbari iſta, eiſque conſentiri. Hoc enim eſſe volunt in poteſtate, idque intereſſe cenſent inter animum ſapientis & ſtulti: quòd ſtulti animus eiſdem paſſionibus cedit, atque accommodat mentis aſſenſum: ſapientis autem quanvis eas neceſſitate patiatur, retinet tamen de his, quæ appetere vel fugere rationabilit-r debet, veram & ſtabilem inconcuſſa mente ſententiam. Hæc ut potui, non quidem commodius A. Gellio, ſed certè brevius, &, ut puto, planius expoſui: quæ ille ſe in Epicteti libro legiſſe commemorat, eum ex decretis Stoicorum dixiſſe atque ſenſiſſe. Quæ ſi ita ſunt, aut nihil, aut penè nihil diſtat inter Stoicorum aliorumque philoſophorum opinionem de paſſionibus & perturbationibus animorum. Utrique enim mentem rationemque ſapientis ab earum dominatione defendunt. Et ideo fortaſſe dicunt eas in ſapientem non cadere Stoici: quia nequaquam eius ſapientiam, qua utique ſapiens eſt, ullo errore obnubilant, aut labe ſubvertunt. *m* Accidunt autem animo ſapientis, ſalva ſerenitate ſapientiæ, propter illa, quæ commoda vel incommoda appellant, quanvis ea dicere nolint, bona vel mala. Nam profecto ſi nihili penderet eas res ille philoſophus, quas amiſſurum ſe naufragio ſentiebat, ſicuti eſt vita iſta ſalusque corporis: non ita illud periculum perhorreſceret, ut palloris etiam teſtimonio proderetur. Veruntamen & illam poterat permotionem pati, & fixam tenere mente ſententiam, vitam illam ſalutemq; corporis, quorum amiſſionem minabatur tempeſtatis immanitas, non eſſe bona, quæ illos, quibus ineſſent, facerent bonos, ſicut facit juſtitia. Quod autem ajunt, ea nec bona appellanda eſſe, ſed commoda: verborum certamini, non rerum examini deputandum eſt. Quid enim intereſt, utrùm aptius bona vocentur, an commoda: dum tamen, ne his privetur, non minus Stqicus, quàm Peripateticus paveſcat & palleat: ea non æqualiter appellando, ſed æqualiter æſtimando? Ambo ſanè ſi bonorum iſtorum ſeu commodorum periculis ad flagitium vel facinus urgeantur, ut aliter ea retinere non poſſint: malle ſe dicunt hæc amittere, quibus natura corporis ſalva & incolumis habetur, quàm illa committere, quibus juſtitia violatur. Ita mens, ubi fixa eſt iſta ſententia, nullas perturbationes, etiamſi accidant inferioribus animi partibus, in ſe contra rationem prævalere permittit: quinimò ipſa dominatur, eiſque non conſentiendo, ſed potius reſiſtendo regnum virtutis exercet. Talem deſc hi t etiam Vergilius Æneam, ubi ait:

Mens immota manet, lacbryma volvuntur inanes.

a HOc autem Cicero.] *Libro tertio De finibus inducitur à Cicerone M. Cato minor pro ſtoicis, quam ſectam ille tuebatur, de ſummo bono differens. Quarto libro idem ipſe Cicero diluit argumenta omnia Stoicorum, oſtenditque ipſos non rebus à Platonicis & Peripateticis differre, ſed novitate verborum, quorum artifex fuit princeps ipſe diſciplinæ Zenon.* L. Viva.

b Nolunt bona appellare, ſed commoda.] *Cic. in Finibus æſtimabilia nominavit, & pri. Acad. ſic ait: Zeno igitur omnia, quæ ad beatam vitam pertinerent, in una virtute ponebat: nec quicquam aliud numerabat in bonis, id quod appellabat honeſtum, quod eſſet ſimplex quoddam, & ſolum, & unum bonum. Cætera autem, etſi nec mala eſſent, tamen alia ſecundum naturam dicebat, alia naturæ contraria, iis ipſis alia interjecta & media numerabat. Quæ autem ſecundum naturam eſſent, ea ſumenda, & quadam æſtimatione dignanda docebat: contraque contraria. Neutra autem in mediis relinquebat, in quibus ponebat, nihil omnino eſſe momenti: ſed quæ eſſent ſumenda, ex aliis alia pluris eſſe æſtimanda, alia minoris: quæ pluris, ea præpoſita appellabat: Rejecta autem, quæ minoris. Hæc ibi. In tertio De finibus præpoſita dicit* προηγμένα *eſſe dicta, contraria verò* ἀποπροηγμένα.

c Hæc autem iſti ſimpliciter.] *Plato quarto De legibus, tria genera bonorum ponit, quæ in animo, quæ corpore, & quæ extrinſecus. Sed hæc poſteriora ſine virtute, non modò nihil juvare, ſed eſſe quoque damnoſa, & perniciei plena, dicitque humana, cùm illa, quæ animo hærent, ſint divina, quibus ſolis divinus ſit homo ac beatus: nec illa corporis aut externa rectè ac propriè bona eſſe nominanda, ſed proportione quadam & ſimilitudine: nec omnibus, ſed ſolis juſtis, quibus etiam, quæ mala vulgus appellat, majora & veriora ſunt bona, quàm bona illa in ſceleratis hominibus, quæ in his aliud non ſunt præter paratiſſima flagitiis magniſque malis inſtrumenta. Hæc & ſimilia multis locis Plato, à quo præclara illa & admirabilia Stoicorum dicta, quæ Græci* παράδοξα *vocant, & divina, ut ſunt, exiſtimantur, propè omnia manarunt: ut quod ſolum honeſtum ſit bonum: ſolus ſapiens & dives & liber ſit, bonos beatos, improbos miſeros: fœliciorem, qui accipit injuriam, quàm qui facit: bona tamen vocavit ea, quæ fortunæ ſunt, aut corporis, quòd illis, ſicut Apuleius inquit in dogmate Platonis, ad uſum vitæ communis opus eſt: cum verò corporis ad vivendum neceſſaria, ita tamen, ut hæc eadem fiant virtute meliora, ejuſque ſuffragiis beatitudinis commodis copulentur. Quocirca hæc Platoni tum demum ſunt bona, cùm in virtutis inſtrumenta & miniſterium tranſeunt: quæ, ſi virtuti obſtrepant, & eam turbent, pernicies meræ & peſtes ſunt. Hunc Ariſtoteles eſt ſecutus.* Bonorũ tria genera.

d Utrum accidant ſapienti paſſ.] *Cic. 4. Tuſc. quæſt. quot & qui ſunt affectus, docet, quibus omnibus vacare prorſus ſapientem ſuum volunt Stoici. At Platonici, & qui in multis eidem ſunt Peripatetici, natura illos eſſe inditos ajunt: nec evelli poſſe, ſed moderari & regi.*

e Scribit A. Gellius.] *Vixit Gellius Adriano Principe, ſub quo libros Noctium Atticarum ſcripſit. Uſus eſt Favorino familiariter, & Tauro philoſophis: Apollinare & Probo Grammaticis. Quis fuerit ingenio ac eruditione, habemus Auguſtini præjudicium, cui maxima, ſeu omnis potius grammaticorum manus ſuffraga-*

tur. Neſcio an quis ὁ ἀυθέτιχ©, ita ut integrum jam nobis non ſit de illo aliter pronunciare, timeſi mihi pace Auguſtini dixerim, longe aliter videatur. Sed de ea re commodius alibi. Quod hic Auguſtinus citat, ſcribitur Gellio primo capite libri undeviceſimi.

f Multæ ac facundæ ſcientiæ.] *Alibi, multum facundæ ſcientiæ.*

g Aſiaticus.] *Hoc auget etiam nomen luxuriæ. nam ibi nam & alia videtur.*

Epictetus *h* Et ille Ariſtippi.] *Hoc Ariſtippus dixit, cum Corinthum navigaret: Laertius.*

i Stoici Epicteti.] *Hic natus eſt Hieropoli Phrygiæ, ſervivit Epaphrodito cubiculario Neronis, & ætate longa pertigit tempora Antoninorum. De hoc eſt illud diſtichum:*

Δοῦλος ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Servus Epictetus fueram, qui & corpore mancus,
Paupertate Irus, diis ſed amicus eram.

Fuerat enim claudus. Ejus etiam ſunt illa duo verba ἀνέχου, καὶ ἀπέχου contine & abſtine, autor Gell. variis locis. Hujus ſcripta fuerunt pauca, quæ tamen Suidæ memoria jam non extabant. nam enchiridion ab Arriano conſcriptum eſſe conſtat Epicteti diſcipulo: hic verò liber, quem philoſophus protulit, erat περὶ διαλέξεων, hoc eſt, diſputationum quintus.

Phantaſia. *k* Quod animi viſa, q. a. p.] Φαντασία & Φάντασμα à Φαντάζω *ducitur, quod eſt, imaginor. Cicero, viſum transfert, eſtq́ illud, quod animæ pars imaginativa videre ſibi videtur, generaturq́ ex impulſu extrinſecus oblato. quam aſſenſio conſequitur, vel diſſenſio, in quibus eſt opinio. Affectus verò, quos damnare videbantur Stoici, ſunt quos ipſi nobis invehimus ex falſis noſtris & depravatis rerum judiciis atq́ opinionibus. nam dolorem eſſe dicebant opinionem magni mali præſentis: lætitiam, opinionem magni boni præſentis: libidinem, opinionem magni boni futuri: metum, magni mali. Unde eſt illud Senecæ Stoici, opinione nos ſæpius*

Opinio. *quam re laborare, eſſeq́ plura, quæ nos terreant, quam quæ premant. De quis puto me jam alibi dixiſſe. Porrò opinionem quæ ſit imbecillus aſſenſus, rebus non ſat expenſis atq́ examinatis in ſapientem non cadere.*

l Nec ideo tamen in mente fieri.] *In Enchiridio enim Epicteti Arrianus jubet ſapientem virum ſimul ac primum phantaſia tangitur horribili, conſiderare viſum eſſe illud, nec ita rem ſe habere ut videtur.*

m Accidunt autem animo ſapientis.] *Plato in Legibus, velut nervos eſſe dicit affectus in homine, & ceu funiculos quoſdam à natura inditos, à quibus trahamur: ac quemadmodum inter ſe contrarij ſunt ipſi ſic & nos in varias diverſasq́ partes ab illis rapturi: ſed profectò qui illis dominam rationem præfecerit, & parere coegerit, ſenſurum exiguas eſſe eorum vires.*

L. Coq. *a* QUos Græci πάθη.] *Non enim omnes eandem appellationem habent, vocantur à Græcis* πάθη, *id eſt*, morbi, ἀῤῥωστήματα, καὶ νοσήματα, *ægrotationes à Cicerone in Tuſcul. & in 3. de Finibus* perturbationes. *A Fabio lib. 6. c. 2.* affectus, *à Lactantio* vitia & affectus, *à Theologis ſæpius* paſſiones *dici ſolent, & ab Auguſtino ſervata ſignificatione vocis; cuius appellationis ratio eſt, vel* quòd perturba-

turbationes vocantes in rebus, quæ extrinsecus ingeruntur, & à quibus sentimus sensus generantur, sicut observavit Plotinus lib. 6. Ennead. 1. c. 20. quod ratio quodammodo à perturbatione patiatur, vel ut Aristoteles & Peripatetici volunt, quod adjunctum semper habeant aliquam transmutationem in corpore, sive quod corpus patiatur.

3 Quidam philosophi dicunt etiam in sapientem cadere.] *Scribit 1. circa passiones animi an in sapientem cadant, duas exstitisse Philosophorum sententias. Secundò hanc controversiam litemque fuisse potius de nomine, quàm de re. Stoici negabant, in sapientem aliquam perturbationem cadere posse. Existimabant enim universum perturbationum genus pravum esse, rationi adversum, & ab animo virtutis studioso penitus arcendum; inde beatitudinem in quadam ἀπαθείᾳ constituebant ut is beatus esset,* qui nulla amplius perturbatione affici possit. *Peripatetici verò affectus esse dicebant naturales, neque ullo modo extirpari posse, sed tantum beneficio virtutum revocari debere ad quandam mediocritatem, quasi dicerent, sapientem debere quidem irasci, timere, & aliis perturbationibus affici, non tamen magis quàm recta ratio præscribit. Quod etiam confiteri visus est Cicero in 4. de finibus, dum argumenta Stoicorum diluens ostendit, eos sola novitate verborum ab Academicis & Peripateticis dissentire: cum enim aliter passiones acciperent Stoici quàm Peripatetici, non est mirum, si alio atque alio modo omnes locuti sint. Stoici dicebant omnes passiones malas esse veluti quosdam animi morbos: contra Peripatetici dicebant, passiones quasdam esse bonas, utpote à ratione moderatas. D. Thomas etiam 1. 2. q. 24. art. 2. notavit hanc controversiam non de re, sed de nomine fuisse inter Philosophos. Stoici enim tantummodo nominabant* passiones, *quæ à ratione exorbitant, quas quidem omnes malas esse certum est; eas verò, quæ sunt rationi conformes, quas item bonas esse certum est, non appellabant* passiones, *sed comprehendebant nomine voluntatis, ut observavit Cicero 4. Tusculan. Sic enim Cicero ex sententia Stoicorum* passionem *definit, ut* sit animi commotio aversa à recta ratione & contra naturam. *Cui consonat & Zeno Stoicorum Princeps apud Laertium, quòd passio sit ἡ ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις, ἢ ὁρμὴ πλεονάζουσα,* irrationalis & præter naturam animi motus, aut immodicus appetitus. Cùm autem constanter prudenterque animus commovetur, eiusmodi appetitionem *(inquit Cicero) Stoici βούλησιν* appellabant; nos appellamus voluntatem, eamque illi putant esse in solo sapiente, quam sic definiunt, Voluntas est, quæ quid cum ratione desiderat, *& hoc sensu rectè negabant Stoici* passiones *in sapientem cadere. Verùm rectius Peripatetici, & cum eis Philosophi reliqui ac Theologi omnes motus appetitus sensitivi, sive rationi rectæ sint conformes, sive rationi rectæ contrarij,* passiones *nominant, sicque nonnullæ erunt bonæ, aliæ malæ. Rectè itaque D. Augustinus hoc loco passiones moderatas docet esse bonas, & in sapientem cadere posse, & totam controversiam Peripateticorum & Stoicorum docet potius esse in verbis & in modo loquendi, quàm in re ipsa. Si enim Peripatetici passiones definirent more Stoicorum, certè negarent consequenter eas in sapientem cadere; & si Stoici more Peripateticorum loquerentur, non omnino passionibus sapientem*

vacare poſſe dicerent; quod confirmat etiam idem D. Auguſtinus authoritate Epicteti principis ferè Stoicorum: ajebat enim ille, Non eſſe in poteſtate ſapientis, quin aliquid patiatur, ab his rebus, quæ vel metum, vel triſtitiam inferunt: in poteſtate tamen illius eſſe, ut minimè conſentiat, ne amplius commoveatur, quàm recta ratio præſcripſerit, eoque ſapientem à ſtulto differre, quod ſtultus huiuſmodi perturbationibus conſentiat. *Refert etiam hiſtoriam quandam ex A. Gellio de Philoſopho Stoico, qui imminante periculo naufragii præ cæteris timore expalluit. Lactantius lib. 6. c. 15. & 16. Multis rationibus oſtendit, eandem quoque Stoicorum & Peripateticorum fuiſſe ſententiam, & ante eos Cicero lib. 3. de Finibus, & 3. & 4. Tuſc.* Si quod tamen inter eos fuit diſcrimen, in eo videtur conſiſtere, quod Stoici exiſtimarent, aliquem poſſe pervenire ad eum ſapientiæ gradum, ut nulla omninò afficeretur perturbatione, Peripatetici verò negarent, aliquem poſſe pervenire ad eum ſapientiæ gradum. *De quo infra lib. 14. cap. 9. De hac controverſia videri poteſt & Seneca epiſt. 86.*

γ Noluit bona appellare, ſed commoda.] *Teſtis eſt Cicero lib. 1. de nat. deor. Stoicos honeſta ſeu bona à commodis non nomine, ſed genere toto diſtinxiſſe. Iidem negant*, Quicquam bonum eſſe, niſi quod honeſtum eſſet, *eodem Cicerone teſte lib. 1. de Finibus. & Seneca Stoicus epiſt. 75. Solam virtutem bonum exiſtimat* Contra (*inquit*) opinione bona ſunt, & nomen quidem commune habent cum veris, proprietas in illis boni non eſt. Itaq; commoda vocentur, & (ut lingua noſtra utar) producta. *& epiſt. 88. pro Stoicis contra Peripateticos in hanc ſententiam diſputat, & commoda à bonis diſcernit. Rectè docet D. Auguſtinus diſputationem potius eſſe in verbis, quam in re ipſa.*

δ Scribit Aulus Gellius.] *Habetur lib. 19. cap. 1. non Aulum Gellium, ſed Agellium dicendum contendit Lipſius lib. 5. epiſt. quæſt. epiſt. 8.*

ε Vir elegantiſſimi eloquii, & multæ ac facundæ ſcientiæ.] *Divi Auguſtini teſtimonium, & ſi illi maxima ſeu potius omnis Grammaticorum manus non ſuffragaretur, longè pluris facimus, quàm Ludovici Vivis, cui longè aliter videtur de Aulo Gellio: nec ſatis mirari poſſum, qui unus tanti judicij viro, & ſuffraganti omnium penè Grammaticorum conſenſui ſeſe audeat opponere, & quidem noctes illas Atticas eruditionis ac doctrinæ variæ penu quoddam non immeritò dixerit. Extat pro A. Gellio Apologia Henrici Stephani adverſus Ludovicum Vivem.*

ζ Aciſſo Ariſtippi Socratici reſponſum.] *Refert Laertius in eius vita, reſponſum fuiſſe huiuſmodi*, οὐ γὰρ περὶ ὁμοίας (ἔφη) ψυχῆς ἀγωνιῶμεν ἑκάτεροι. *Refert D. Auguſtinus q. 30. in Geneſim.*

η Zenonis & Chryſippi, quos fuiſſe Stoicorum Principes.] *Cicero lib. 2. Academic. quæſt. inventorem & principem Stoicorum Zenonem appellat, & 3. de nat. deorum, patrem Stoicorum eum appellat, & 3. de finibus.* Zeno Stoicorum princeps, non tam inventor rerum fuit, quam verborum, *& lib. 1. de nat. deorum, Chryſippum appellat Stoicorum ſomniorum vaferrimum interpretem, & lib. 1. de finibus nihil à Chryſippo prætermiſſum in Stoicis ſcribit.*

θ Quæ autem viſa quas appellant phantaſias.] *Ita vocabant, quæ nos* primos

motus

motus appellare ſolemus, qui in hominis poteſtate non ſunt. In Enchiridio Epicteti quod nunc habemus, cap. 27. legitur. In primis, *inquit*, operam dato, ne tibi viſa aſſenſum extorqueant.

CAP. V.

Quod paſſiones, quæ Chriſtianos animos afficiunt, non in vitium trahant, ſed virtutem exerceant.

NOn eſt nunc neceſſe copioſè ac diligenter oſtendere, quid de iſtis paſſionibus doceat ſcriptura divina, qua Chriſtiana eruditio continetur. Deo quippe illam ipſam mentem ſubjicit regendam & juvandam, mentique paſſiones ita moderandas, atq; frænandas, ut in uſum juſtitiæ convertantur. Denique in diſciplina noſtra, non tam quæritur, utrum pius animus iraſcatur, ſed quare iraſcatur: nec utrum ſit triſtis, ſed unde ſit triſtis: nec utrum timeat, ſed quid timeat. Iraſci enim peccanti, ut corrigatur: contriſtari pro afflicto, ut liberetur: timere periclitanti, ne pereat: neſcio utrum quiſquam ſana conſideratione reprehendat. *a a* Nam & miſericordiam Stoicorum eſt ſolere culpare. Sed quantò honeſtius ille Stoicus miſericordia perturbaretur hominis liberandi, quàm timore naufragii. Longe melius & humanius, & piorum ſenſibus accommodatius *b* Cicero in Cæſaris laude locutus eſt, ubi ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior miſericordia eſt. *β* Quid eſt autem miſericordia, niſi alienæ miſeriæ quædam in noſtro corde compaſſio, qua utique, ſi poſſimus, ſubvenire compellimur? Servit autem motus iſte rationi, quando ita præbetur miſericordia, ut juſtitia conſervetur: ſive cùm indigenti tribuitur, ſive cùm ignoſcitur pœnitenti. *c* Hanc Cicero locutor egregius *γ*, non dubitavit appellare virtutem, quam Stoicos inter vitia numerare non pudet: qui tamen, ut docuit liber Epicteti nobiliſſimi Stoici ex decretis Zenonis & Chryſippi, qui hujus ſectæ primas partes habuerunt, hujuſcemodi paſſiones in animum ſapientis admittunt, quem vitijs omnibus liberum eſſe volunt. Unde fit conſequens, ut hæc ipſa non putent vitia, quando ſapienti ſic accidunt, ut contra virtutem mentis, rationemque nihil poſſint, & una ſit, eademque ſententia Peripateticorum, vel etiam Platonicorum & ipſorum Stoicorum. *d* Sed, ut ait Tullius, verbi controverſia jam diu torquet homines Græculos, contentionis cupidiores, quàm veritatis. Sed adhuc meritò quæri poteſt, utrum ad vitæ præſentis pertineat infirmitatem, etiam in quibuſque bonis officijs hujuſcemodi perpeti affectus. Sancti verò angeli cùm & ſine ira puniant, quos accipiunt æterna Dei lege puniendos, & miſeris ſine miſeriæ compaſſione ſubveniant, & periclitantibus eis, quos diligunt, ſine timore opitulentur: tamen iſtarum nomina paſſionum conſuetudine locutionis humanæ, etiam in eos uſurpantur, propter quandam operum ſimilitudinem, non propter affectionum infirmitatem: *δ* ſicut ipſe Deus ſecundum ſcripturas iraſcitur, nec tamen ulla paſſione turbatur. Hoc enim verbum vindictæ uſurpavit effectus, non illius turbulentus affectus.

a Nam

L.Vives. *a* NAm & miſericordiam Stoicorum.] *Cicerò pro Murena irridens paradoxa Stoicorum, ſupplices aliqui veniunt miſeri & calamitoſi. Sceleratus & nefarius fueris, ſi quicquam miſericordia adductus feceris.*

b Cicc. in Cæſaris laude.] *In oratione pro Q. Ligario: Nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt.*

c Hanc Cicero locutor.] *Significat loquentiæ fuiſſe in Cicerone ſatis, ut Saluſtius de Catilina ſcribit, ſapientiæ illius germanæ ac veræ non multum, quæ ſolum eſt in iis, qui uni Deo præpotenti & principi mundi ſerviunt, ejuſq́, ſapientiæ filio.*

d Sed, ut ait Tullius, verbi controverſia.] *In primo De oratore verba ſunt Craſſi aſſerentis, quid de oratoris nomine ſenſerint Græci.*

F.L.Coq. *α* NAm & miſericordiam Stoicorum eſt ſolere culpare.] *Stoici (ut eſt apud Laertium) ex Zenonis ſententia* miſericordiam ægritudinis, ægritudinem perturbationis ſpeciem faciunt. *Cicero orat. pro Murena inter cætera Stoicorum dogmata, huius etiam meminit:* Fuit *(inquit)* Zeno vir, cuius inventorum æmuli Stoici nominantur. Huius ſententiæ ſunt etiam præcepta, eiusmodi ſapientem nunquã gratia moveri, nunquam cuiusquã delicto ignoſcere, neminẽ miſericordem eſſe, niſi ſtultum & levem, viri non eſſe neq; exorari, neque placari. *Et Seneca Stoicus lib. 2. de clement. cap. 5. hoc dogma valde commendat, ubi & imperitos eos vocat, apud quem eo nomine malè audit ſecta Stoicorum tanquam nimis dura, & minime Principibus, Regibusq́, bonum datura conſilium, ubi & miſericordiam à clementia diſcernit eo modo, quo religio à ſuperſtitione differt,* ut quemadmodum religio deos colit, ſuperſtitio violat, ita clementiam manſuetudinemque omnes boni præſtabunt, miſericordiam autem vitabunt. Eſt enim vitium puſilli animi ad ſpeciem alienorum malorum ſuccedentis. *Ex quo loco conſtabit, potius eſſe contentionem in verbis, quàm in re ipſa, ut docet D. Auguſtinus. Reprehendit in hoc Stoicos Lactantius lib. 3. cap. 23. & lib. 6. cap. 10.* Primum, *inquit,* officium juſtitiæ eſt, conjungi cum Deo, ſecundum cum homine, ſed illud primum religio dicitur, hoc ſecundum miſericordia vel humanitas nominatur, quæ virtus propria eſt juſtorum & cultorum Dei, & *Stoicos notat,* falſæ *(inquit)* virtutis ſpecie capti miſericordiam de homine ſuſtulerunt, & dum volunt ſanare vitium, auxerunt. *Ipſe D. Auguſtinus lib. 1. de moribus Eccleſ. Cathol. cap. 27.* Stoici cum miſericordiam quaſi vitium devitant, quia officio ſatis moveri nequeunt, ſi nec perturbatione commoventur, congelaſcunt potiùs frigore inhumanitatis, quàm rationis tranquillitate ſerenantur.

β Quid eſt autem miſericordia niſi alienæ miſeriæ.] *Idem lib. 1 de morib. Eccleſ. Catholic. cap. 27.* quis *(inquit)* ignorat, ex eo appellatam eſſe miſericordiam, quòd miſerum cor faciat condolentis alieno malo? *apud Ariſtotelem lib. 2. Rhetor. cap. 8.* miſericordia eſt moleſtia quædam in eo malo, quod videatur habere vim interitus & moleſtiæ afferendæ eius, qui eo ſit indignus, quod ipſe exſpectet etiam ſe paſſurum, aut aliquem ſuorum, idque cùm propinquum

appareat. *Cicero Tuſculanarum.* miſericordia eſt triſtitia alterius injuria laborantis, nemo enim parricidæ aut proditoris ſupplicio miſericordia commovetur. *Et Seneca loco citato.* Miſericordia, *inquit*, eſt ægritudo animi ob alienarum miſeriarum ſpeciem, aut triſtitia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit.

γ Non dubitavit appellare virtutem.] *Qua ratione miſericordia ſit virtus, docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 30. artic. 3.* Miſericordia *(inquit)* importat dolorem de miſeria aliena. Iſte autem dolor poteſt nominari uno quidem modo appetitus ſenſitivi, ſicque miſericordia paſſio eſt, non virtus, alio modo poteſt nominare motum appetitus intellectivi, ſecundùm quod alicui diſplicet malum alterius. Hic autem motus poteſt eſſe ſecundùm rationem regulatus, & poteſt ſecundùm hunc motum regulatum à ratione regulari motus inferioris appetitus. Unde Auguſtinus dicit 9. de civitate Dei, quod iſte motus animi ſcilicet miſericordia ſervit rationi, quando ita præbetur miſericordia, ut conſervetur juſtitia, ſive cùm indigenti tribuitur, ſive cùm ignoſcitur pœnitenti. Et quia ratio virtutis humanæ in hoc conſiſtit, quod motus animi ratione reguletur, conſequens eſt, miſericordiam eſſe virtutem.

δ Sicut ipſe Deus ſecundùm ſcripturas iraſcitur.] *Ita prout dicit actum voluntatis ad vindictam, eſt in Deo & in Angelis, non autem prout paſſionem ſignificat. D. Auguſtin. lib. 1. contr. adverſ. leg. & Prophet. cap. 20.* Quod ira Dei non habeat perturbati animi ardorem, ſed ſit vindicta peccati. *Ita D. Baſilius in Pſal. 37.* Iram & furorem Dei cum in ſcripturis divinitus inſpiratis nominantur, non affectus ſignificare docet, ſed metaphoricè ſumi eodo modo, quo ſcriptura Deo tribuit oculos, manus, aures & cætera membra.

Cap. VI.

Quibus paßionibus dæmones, confitente Apulejo, exagitentur, quorum ope homines apud deos aſſerit adjuvari.

Qua interim de ſanctis angelis quæſtione dilata, videamus quemadmodum dicant Platonici, medios dæmones inter deos & homines conſtitutos, iſtis paſſionum æſtibus fluctuare. Si enim mente ab his libera eiſque dominante, motus hujuſcemodi non paterentur, non eos diceret Apuleius ſimili motu cordis & ſalo mentis per omnes cogitationum æſtus fluctuare. Ipſa igitur mens eorum, id eſt pars animi ſuperior, qua rationales ſunt, & β in qua virtus & ſapientia, ſi ulla eis eſſet, paſſionibus turbulentis inferiorum animi partium regendis moderandiſque dominaretur. Ipſa, inquam, mens eorum, ſicut iſte Platonicus confitetur, ſalo perturbationum fluctuat. Subjecta eſt ergo mens dæmonum paſſionibus libidinum, formidinum, irarum, atque hujuſcemodi cæteris. Quæ igitur pars in eis libera eſt, compoſque ſapientiæ, qua placeant diis, & ad horum morum ſimilitudinem hominibus conſulant, cùm eorum mens paſſionum vitiis ſubjugata & oppreſſa, quicquid rationis *L. Vive.*

naturaliter habet ad fallendum & decipiendum, tantò acrius intendat, quantò eam magis poſſidet nocendi cupiditas?

P.L.cap. α Mens eorum, *id eſt*, pars animi eorum ſuperior.] *Mentem itaq; ab animo differre conſtat. τὸ ἡγεμονικὸν vocavit Tertullianus lib. de anima cap. 14. Cicero lib. 1. de Finib. principem animi partem mentem appellat, & 3. de nat. Deor. menti totius animi regnum à natura eſſe tributum. & 3. offic. ſcribit, mente nihil homini ipſum Deum dediſſe divinius.*

β In qua virtus & ſapientia ſi ulla in eis eſſent.] *An virtutes ſint in voluntate, an verò in appetitu ſentiente tanquam in ſubjecto, variis ſententiis concertatur. D. Auguſtinus in parte animi ſuperiore magis, quam in appetitu ſentiente, ubi ſunt turbulentæ paſſiones, collocandas putat.*

Cap. VII.

Quòd Platonici figmentis poetarum infamatos deos aſſerant de contrariorum ſtudiorum certamine, cùm hæ partes dæmonum, non deorum ſint.

Quòd ſi quiſquam dicit, non ex omnium, ſed ex malorum dæmonum numero eſſe, quos poetæ quorundam hominum oſores & amatores deos, non procul à veritate confingunt. Hos enim dixit Apuleius, ſalo mentis per omnes cogitationum æſtus fluctuare. Quomodo iſtud intelligere poterimus, quando, cùm hoc diceret, non quorundam, id eſt, malorum, *a* ſed omnium dæmonum medietatem, propter aerea corpora inter deos & homines deſcribebat? Hoc enim ait fingere poetas, quòd ex iſtorum dæmonum numero deos faciunt, & eis deorum nomina imponunt: & quibus voluerint hominibus ex his amicos inimicosque diſtribuunt, ficti carminis, impunita licentia, cùm deos ab his dæmonum moribus & cœleſti loco & beatitudinis opulentia remotos eſſe perhibeant. Hæc eſt ergo fictio poetarum, deos dicere, qui dii non ſunt, eosque ſub deorum nominibus inter ſe decertare propter homines, quos pro ſtudio partium diligunt vel oderunt. Non procul autem à veritate dicit, hanc eſſe fictionem: quoniam deorum appellati vocabulis, qui dii non ſunt, tales tamen deſcribuntur dæmones, quales ſunt *b* Denique hinc eſſe dicit Homericam illam Minervam, quæ mediis cœtibus Graium cohibendo Achilli intervenit. Quod ergo Minerva illa fuerit, poeticum vult eſſe figmentum, *c* eo quòd Minervam deam putat, eamque inter deos, quos omnes bonos beatosque credit, in alta æthera ſede collocat, procul à converſatione mortalium. Quòd autem aliquis dæmon fuerit Græcis favens, Trojaniſque contrarius, ſicut alius adverſus Græcos Trojanorum opitulator, *d* quem Veneris, ſeu Martis nomine idem poeta commemorat, quos deos iſte talia non agentes in cæleſtibus habitationibus ponit, & hi dæmones pro his quos amabant contra eos quos oderant inter ſe decertaverint: hoc non procul à veritate poetas dixiſſe confeſſus eſt. De his quippe iſta dixerunt, quos hominibus ſimili motu cordis, & ſalo mentis, per omnes cogitationum æſtus fluctuare

teſta-

teſtatur, ut poſſent amores & odia non pro juſtitia, e ſed ſicut populus ſimilis eorum in venatoribus & aurigis, ſecundùm ſuarum ſtudia partium, pro aliis adverſus alios exercere. Id enim videtur philoſophus curaſſe Platonicus: ne cùm hæc à poetis canerentur, non à dæmonibus mediis, ſed ab ipſis diis, quorum nomina poetæ fingendo ponunt, fieri crederentur.

a SEd omnium dæmonum medietatem.] *Quòd medij ſint inter deos & homines, non de medietate molis intelligendum, ſed loci & naturæ.* L.Vives.

b Denique hinc eſſe dicit Homericam illam Minervam.] *Apuleij ſunt verba. Homerus verò de Minerva id canit. a. Iliad. quæ Achillem cohibuit, ne impetum in Agamemnonem faceret inter jurgia.*

c Eo quòd Minervam.] *Nam una eſt ex illis 12. diis conſentibus, quos diſticho perſequutus eſt Ennius: qui ſunt ex diis altiſſimis & optimis, quos natura viſibus humanis denegavit.*

d Quem Veneris ſeu Martis nomine idem poeta.] *Plutarchus in libello, quòd ceſſarunt oracula: Exiſtimant omnia bella, omnes calamitates, quæ ſcribuntur de diis, non deorum fuiſſe, ſed magnorum quorundam dæmonum.*

e Sed ſicut populus ſimilis, &c.] *In circo quadrigæ agitabantur, & venationes exhibebantur: induti q; erant quadrigarij panno aut albo, aut cæruleo, aut viridi, aut rufo. Hinc quatuor factiones aurigarum: alij ex populo aliis favebant, ſuo quiſq; colori. Domitianus, ut Tranq. ſcribit, duas ludis circenſibus addidit factiones, aurati panni & purpurei. Numerantur & colores inter iſtos factionum Colores Circenſium, praſinus, qui eſt viridis, & Venetus, qui eſt cæruleus: quorum meminit Martialis. Illos veteres colores quatuor anni temporibus dicatos fuiſſe, ſunt qui interpretentur. Cæruleum hybernis aquilonibus. Venetum virenti veri. Candidum autumni pruinis. Rufum æſtivis ignibus. Plin. l. Epiſtolarum 8. de factionibus iſtis loquens: Quo magis miror, tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos inſidentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, eſſet ratio nonnulla: nunc favent panno, pannum amant: & ſi in ipſo curſu, medioq; certamine, hic color illuc, ille huc transferatur, ſtudium, favorq; tranſibit, & repente agitatores illos, illos equos, illos, quos procul noſcitant, quorum clamitant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta autoritas, in una viliſſima tunica. Mitto apud vulgus, quod vilius tunica, ſed apud quoſdam graves homines. Hæc Plinius.*

a SEd omnium dæmonum medietatem.] *Certè ſi dæmonum nomine omnes Angelos intelligamus, ſunt potius omnes in altero extremo, quàm medij inter Deum & homines, ut duo dicamus eſſe in rerum natura, Deum & creaturas, quæ tamen habent latitudinem perfectionis, quia quædam magis ad Deum accedunt, aliæ ab eodem magis recedunt; ſi verò dæmones malos intelligamus, & Deus Angelos beatos, certè homines aptiùs dicendi medij inter utroſq; quàm alioquin dæmones ipſi, inter Angelos & homines quoad ſtatum. Nam Angeli Dei ita beati ſunt, ut à beatitudine excidere deinceps non poſſint. Dæmones maligni ita reprobi, ut reſurgere nunquam poſſint, homines verò in medio ſtatu conſtituti, ut cum Angelis vel* P.L.Cap.

beatitudinem conſequi, vel cum dæmonibus pœnas æternas ſentire aliquando poſſint.

β Sicut populus ſimilis eorum in venatoribus & aurigis.] *In Circo agitabantur quadrigæ, & venationes exhibebantur, & induti erant aurigæ diverſis coloribus.* Ab initio duo ſoli colores fuerunt, *ut teſtatur Tertull. lib. de Spectac. cap. 9.* Albus & ruſſeus, albus hyemi ob nives candidas, ruſſeus æſtati, ob ſolis ruborem voti erant. *Lactantius lib. 7. cap. 5.* Si unum colorem Circo dederis, nemo ſpectandum putabit, ſublata omni Circenſium voluptate, quos profectò qui primus inſtituit, amator unius coloris fuit, ſed alterum quaſi æmulum ei poſuit, ut poſſet eſſe certamen & aliqua in ſpectaculo gratia. Sed poſtea (*inquit Tertullianus*) tàm voluptate quàm ſuperſtitione projecta ruſſeum aliiMarti, alii album Zephyris conſecrarunt, praſinum verò terræ matri vel Verno, venetum Cælo & Mari, vel Autumno. *De huiusmodi coloribus ita Caſſiodorus lib. 3. var. epiſt. 51.* Hi colores in vicem temporum quadrifaria diviſione funduntur, praſinus virenti verno, venetus nubilæ hyemi, roſeus æſtati flammeæ, albus pruinoſo Autumno dicatus eſt, ut quaſi per duodecim ſigna digrediens annus integer ſignaretur. *Hinc pro varietate colorum diverſæ erant in populo factiones; & alij alijs favebant ſuo quiſq; colori; quod colligi facilè poteſt non modò ex Plinio, quem citat Vives, verumetiam ex Gregorio Nazianzeno Orat. 36. his verbis:* Videris hos, qui curſibus equeſtribus ſtudium atque operam poſuerunt, qui à coloribus nominantur, atque à partibus quibus aggregati ſunt, *& ex Caſſiodoro loco citato:* Tranſit praſinus, pars populi mœret, præcedit venetus, & potior turba civitatis affligitur. *Spartanus Neronem Praſinæ factioni faviſſe tradit. Domitianus duas Circenſibus gregum factiones aurati purpureiq; panni ad quatuor priſtinas addidit; author Suetonius cap. 7. Apud Caſſiodorum lib. 1. variar. epiſt. 32. prohibentur ſeditiones, quæ ut plurimùm in ſpectaculis occurrebant inter huiusmodi factiones.* Meminerint cuncti ſic ſpectaculorum ſtudia parteſque dividere, ut in patria debeant eſſe concordes, nec ad hoc exhiberi ſibi voluptatum certamina, ut exinde hoſtilis ira ferveſcat.

Cap. VIII.

De diis cæleſtibus, & dæmonibus aereis, hominibusq; terrenis Apulei Platonici definitio.

Quid illa ipſa definitio dæmonum? Parumne intuenda eſt, ubi certè omnes determinando complexus eſt? Quod ait, dæmones eſſe genere animalia, animo paſſiva, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna. In quibus quinque commemoratis, nihil dixit omnino, quod dæmones cum bonis ſaltem hominibus id viderentur habere commune, quod non eſſet in malis. Nam ipſos homines cum aliquantò latiùs deſcribendo complecteretur, ſuo loco de illis dicens, tanquam de infimis atque terrenis, cùm prius dixiſſet de cæleſtibus dijs: ut commendatis duabus partibus, ex ſummo & infimo ad ultimum

mum tertio loco de medijs dæmonibus loqueretur. Igitur homines, inquit, *a* ratione plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis, moribundis membris, levibus & anxijs mentibus, brutis & obnoxiis corporibus, diſſimilibus moribus, ſimilibus erroribus, pervicaci audacia, pertinaci ſpe, craſſo labore, fortuna caduca, ſingillatim mortales, cuncti tamen univerſo genere perpetui, viciſſim ſufficienda prole mutabiles, volucri tempore, tarda ſapientia, cita morte, querula vita, terras incolunt. Cùm hic tam multa diceret, quæ ad plurimos homines pertinent, nunquid etiam illud tacuit, quod noverat eſſe paucorum, ubi ait, *b* tarda ſapientia? Quod ſi prætermiſiſſet, nullo modo rectè genus humanum deſcriptionis hujus tam intenta diligentia terminaſſet. Cùm verò deorum excellentiam commendaret, ipſam beatitudinem, quò volunt homines per ſapientiam pervenire, in eis affirmavit excellere. Proinde ſi aliquos dæmones bonos vellet intelligi, aliquid etiam in ipſorum deſcriptione poneret, unde vel cum dijs aliquam beatitudinis partem, vel cum hominibus qualemcunque ſapientiam putarentur habere communem. Nunc verò nullum bonum eorum commemoravit, quo boni diſcernerentur à malis: quanvis & eorum malitiæ liberius exprimendæ pepercit: non tam ne ipſos, quàm ne cultores eorum, apud quos loquebatur, offenderet. Significavit tamen prudentibus, quid de illis ſentire deberent, quandoquidem deos, quos omnes bonos beatoſque credi voluit, ab eorum paſſionibus, atque, ut ait ipſe, turbelis omnino ſeparavit, ſolà illos corporum æternitate conjungens: animo autem non dijs, ſed hominibus ſimiles dæmones apertiſſimè inculcans: & hoc non ſapientiæ bono, cujus & homines poſſunt eſſe participes, ſed perturbatione paſſionum, quæ ſtultis malisque dominatur: à ſapientibus verò & bonis ita regitur, *c* ut malint eam non habere, quàm vincere. Nam ſi non corporum, ſed animorum æternitatem cum diis habere dæmones vellet intelligi, non utique homines ab hujus rei conſortio ſepararet: quia & hominibus æternos eſſe animos, proculdubiò ſicut Platonicus ſentit. Ideo cùm hoc genus animantium deſcriberet, immortalibus animis, moribundis membris dixit, eſſe homines.

a RAtione plaudentes.] *In aliis gaudentes, in aliis cluentes, quòd à cluo videtur eſſe, quod eſt pugno, magis quàm à clueo, quod eſt ſum vel nomino.* L. Viv.

b Tarda ſapientia.] *Sententia eſt Platonis, beatos eſſe illos, quibus vel in ſenectute veras contigit habere opiniones.*

c Ut malint eam.] *Si fieri poſſet, carere vellet vir ſapiens omni animi perturbatione: ſed quandoquidem fieri illud nequit, proximum eſt anniti, ut eam ſuperet, habeatq; velut in ſua poteſtate.*

c UT malint eam non habere quàm vincere.] *Ita D. Paulus, cùm inveniret legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, captivantem in lege peccati, cupiebat liberari de corpore mortis huius, Rom. 7. hoc eſt de corpore iſto mortali, quod morti & perturbationibus eſt expoſitum; vel etiam quod ſuis motionibus & perturbationibus mortem ſpiritualem inducit, neq; enim in hac vita præſentis ſtatu* F.L. Coq.

ad eum perfectionis gradum homo unquam pervenit, ut non ſubjaceat animi perturbationibus & motus ſenſualis appetitus omninò ſedatos habeat, ut non aliquam ad eos moderandos difficultatem patiatur.

β Hominibus æternos eſſe animos proculdubio ſicut Platonicus ſentit.] *Licet dubitatum ſit à nonnullis de opinione Ariſtotelis circa immortalitatem animorum, immò ſcripſerint nonnulli eum aſſeruiſſe, animam humanam eſſe mortalem, tamen de opinione Platonis nemo unquam dubitare potuit. Nullus enim ex antiquis Philoſophis eam tam apertè tutatus eſt, ut conſtat ex Timæo, Philebo, Memnone, & libris de Republ. adeò ut judicia poſt mortem, pœnasq; ac præmia conſtituerit. Imò hac in re nonnulli eũ veritatis terminos prætergreſſum fuiſſe putant, aſſeruiſſeq; non hominũ tantùm, ſed & belluarum quoq; animas eſſe immortales, quem errorẽ Platoni attribuit ac refellit D. Thomas 2. contra Gentes c. 82. Verùm ab eo Platonem alienum fuiſſe aſſerit Beſſarion lib. 2. cap 8. nec injuria quidem, cùm Plato in Timæo diſertis verbis affirmet animas brutorum eſſe mortales.*

Cap. IX.

An amicitia cœleſtium deorum per interceſſionem dæmonum poſſit homini provideri.

AC per hoc ſi propterea communem cum diis æternitatem non habent homines, quia corpore ſunt mortales: propterea ergo dæmones habent, quia corpore ſunt immortales: quales igitur mediatores ſunt inter homines & deos, per quos ad deorum amicitias homines ambiant, qui hoc cum hominibus habent deterius, quod eſt in animante melius, id eſt animum: hoc autem habent cum diis melius, quod eſt in animante deterius, id eſt corpus? Cùm enim animans, id eſt α animal ex anima conſtet & corpore, α β quorum duorũ anima eſt utiq; corpore melior: & ſi vitioſa & infirma, melior certe corpore etiã ſaniſſimo atq; firmiſſimo: quoniã ejus natura excellentior, nec labe vitiorũ poſtponitur corpori, ſicut aurum etiam ſordidum argento ſeu plumbo licet puriſſimo carius æſtimatur. Iſti mediatores deorum & hominum, per quos interpoſitos divinis humana junguntur, cum diis habent corpus æternum, vitioſum autem cum hominibus animum, quaſi religio, qua volunt diis homines per dæmones jungi, in corpore ſit, non in animo conſtituta. Quænam tandem iſtos mediatores falſos atq; fallaces quaſi capite deorſum nequitia vel pœna ſuſpendit, ut inferiorem animalis partem, id eſt, corpus cum ſuperioribus: ſuperiorem verò, id eſt, animum cum inferioribus habeant, & cum diis cœleſtibus in parte ſerviente conjuncti, cum hominibus autem terreſtribus in parte dominante ſint miſeri? γ Corpus quippe ſervum eſt, ſicut etiam Saluſtius ait, animi imperio, corporis ſervitio magis utimur. Adjunxit autem ille, alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune eſt. quoniam de hominibus loquebatur, quibus ſicut belluis mortale corpus eſt. Iſti autem quos inter nos & deos mediatores nobis philoſophi providerunt, poſſunt quidem dicere de animo & corpore, alterum nobis cum diis, alte-

alterum cum hominibus commune eſt? ſed ſicut dixi tanquam in perverſum ligari atque ſuſpenſi, ſervum corpus cum diis beatis, dominum animum cum hominibus miſeris habentes, parte inferiore exaltati, ſuperiore dejecti. Unde etiamſi quiſquam propter hoc eos putaverit æternitatem habere cum diis: quia nulla morte ſicut animalium terreſtrium animi eorum ſolvuntur à corpore: nec ſic exiſtimandum eſt eorum corpus tanquam honoratorum æternum vehiculum, ſed *b* æternum vinculum damnandorum.

a QUorum duorum anima eſt utique corpore melior.] *Inhærentia namque eſſentiales rerum perfectiones non mutant: & miror Pariſiis olim ſcholæ, tam Peripateticæ viſum eſſe inter animas diſcrimen aliquod ponere perfectionis illius, quæ ab ſpecie rei proficiſcitur.* L. Vives.

b Æternum vinculum damnandorum.] *Alibi damnatorum, melius. Iam inde à caſu cœleſti ſunt damnati.*

α ANimal ex anima conſtat & corpore.] *Tanquam tertia quædam natura, & perfecta ex duabus imperfectis ſimul junctis, & in unam coaleſcentibus.* F. L. Coq.

β Quorum duorum anima eſt utique corpore melior.] *Etſi enim utrumque mirabile ſit Dei opificium, & nihil vel minimum ſit in corpore humano, unde non liceat ſummoperè admirari ſapientiam & providentiam ſummi illius artificis Dei, ut ingenioſè contemplatur Galenus lib. 3. de uſu partium corporis humani, cap. 10. anima tamen eſt, ſecundùm quam homo ad imaginem Dei dicitur conditus, & ut docet Ariſtoteles lib. 1. de partib. animal. cap. 5.* corpus ipſum animæ gratia tanquam partis longè perfectioris ac nobilioris conditum eſt. *Miror verò qui Ludovicus Vives ſcripſerit hoc loco viſum eſſe aliquando Pariſienſi ſcholæ animas humanas diſcrimen aliquod conſtituere perfectionis illius quæ ab ſpecie rei proficiſcitur, cùm certum ſit homines ipſos ſpecifica, aut eſſentiali differentia à ſe minimè differre, nec contrarium unquam à ſchola Pariſienſi definitum eſt.*

γ Corpus quippè ſervum eſt.] *Ita Ariſtot. 1. politic.* τὸ δὲ ζῷον πρῶτον συνέστηκεν ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος· ὧν τὸ μὲν ἄρχον ἐστὶ φύσει, τὸ δὲ ἀρχόμενον, *id eſt*, animal primùm conſtitit ex anima & corpore, quorum illud quidem imperans eſt natura, hoc autem parens: Etſi quandoque in pravis vel prave ſe habentibus videri poſſit imperare ſæpè corpus animo, verùm hoc eſt præter naturam, *inquit. Hinc fit, ut qui corpore magis valent, magis idonei ſint ad ſerviendum, quemadmodùm qui animâ præcellunt, magis ſint idonei, ut in alios imperium exerceant.*

CAP. X.

Quòd ſecundum Plotoni ſententiam minus miſeri ſunt homines in corpore mortali, quàm dæmones in æterno.

PLotinus *a* certè noſtræ memoriæ vicinus temporibus, *β* Platonem cæteris excellentius intellexiſſe laudatur. Is, cum de humanis animis ageret, *b γ* Pater, inquit, miſericors, mortalia illis vincula faciebat. Ita hoc ipſum quòd mortales ſunt homines corpore, ad miſericordiam Dei patris pertinere arbitratus

tratus eſt, ne ſemper huius vitæ miſeria teneantur. *b* Hac miſericordia indigna judicata eſt iniquitas dæmonum, quæ in animi paſſivi miſeria non mortale, ſicut homines, ſed æternum corpus accepit. Eſſent quippe fœliciores hominibus, ſi mortale cum eis haberent corpus, & cum diis beatum animum. Eſſent autem pares hominibus, ſi cum animo miſero ſaltem mortale cum eis habere meruiſſent & corpus: ſi tamen acquirerent aliquid pietatis, ut ab ærumnis, vel in morte requieſcerent. Nunc verò non ſolùm fœliciores hominibus non ſunt animo miſero, ſed etiam *c* miſeriores ſunt perpetuo corporis vinculo. Non enim aliqua pietatis & ſapientiæ diſciplina proficientes, intelligi volunt ex dæmonibus fieri deos, *c* cùm apertiſſimè dixerit dæmones æternos.

L. Vives. *a* PLotinus certè noſtræ memoriæ.] *Paulò minus annis ducentis à Probo ad Honorium principem. In Plotino Auguſtinus lib. 3. Acad. videri Platonem revixiſſe ſcribit. Ita fuit ille os Platonis in philoſophia purgatiſſimum & lucidiſſimum, dimotis nubibus erroris. Macrobius quoque principem philoſophiæ facit Plotinum cum Platone. Scribit vitam eius diſcipulus Porphyrius, quæ eſt operibus Plotini præpoſita.*

b Pater, inquit, miſericors mortalia illis vincula.] *Plato quoque in Timæo hominum animos, mortalibus eſſe à diis minoribus vinculis illigatos ſcribit, Plotinus tamen miſericordiam ait in hoc fuiſſe patris, ne tam diu mala corporis perpetrentur. Verba eius, ſi quis fortè requirit, hæc ſunt, ex primo libro de dubiis animæ. Jupiter verò pater laborantes animas miſeratus, earum vincula, quibus laborant, ſolubilia fabricavit: atque ita intermiſſiones laborum certis temporum intervallis inſtituit, in quibus liberè viverent à corporibus, ut ipſæ quoque ibi forent, ubi eſt mundi anima ſemper, circa hæc ſollicita nunquam. Sic ille.*

c Cùm apertiſſimè dixerit.] *Ad Apuleium refertur, qui id, quod ſequitur, ſcripſit.*

F. L. Caſ. *α* PLotinus certè noſtræ memoriæ vicinus temporibus.] *De eo videri poteſt Suidas. Natus eſt Plotinus anno 13. Severi Imperatoris, & viginti octo annos natus ſe Alexandriam ad Ammonium contulit, audivitque eum annos undecim anno 1. Philippi Imperatoris, qui fuit Chriſti 247. Romam ſe contulit, quadrageſimum jam agens ætatis annum.*

β Platonem cæteris excellentius intellexiſſe.] *Macrobius libro 1. in ſomnium Scipionis, capit. 10. cum inter Philoſophiæ profeſſores cum Platone principem facit. D. Auguſt. lib. 3. contra Academ. cap. 18. ſcribit, Plotinum ita ſimilem judicatum fuiſſe Platoni, ut in hoc ille revixiſſe putandus ſit: meminit & Platonis ſcholæ, ut quæ Romæ diu floruerit celeberrima, epiſt. 56. ad Dioſcorum.*

γ Pater inquit miſericors mortalia illius vincula faciebat.] *Verba Plotini ſunt Enneade 4. lib. 3.* Ζεὺς πατὴρ ἐλεήσας πονουμένας θνητὰ αὐτῶν τὰ δεσμὰ ποιῶν περὶ ἃ πονοῦνται δίδωσιν ἀναπαύλας ἐν χρόνοις ποιῶν σωμάτων ἐλευθέρας, ἵν' ἔχοιεν ἐκεῖ καὶ αὗται γίνεσθαι ὅπερ ἡ τοῦ παντὸς ψυχή. *Ita Plato in Timæo animas noſtras corporibus velut quibuſdam vinculis illigatas ſcribit: & in Phædone nominat* τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς φρουράν, εἱργμόν, δεσμόν. *Seneca ergaſtulum atque vincula,*

ut

ut Cicero etiam in ſomnio Scipionis, qui è corporum vinculis tanquam e carcere evolaverunt. *Macrobius lib. 1. in eum librum cap. 11.* corpus δεσμὸς, *hoc eſt* vinculum nuncupari, & σῶμα, quaſi quoddam σῆμα *id eſt*, animæ ſepulchrum.

d Hæc miſericordia indigna judicata eſt iniquitas dæmonum.] *Plotinus in eodem errore ut Platonicus verſatur, in quo poſtmodum Origenes, ut quemadmodum animæ ob quadam præcedentia peccata his ſunt circumdatæ corporibus, quæ craſſa ſunt & pigra, ſic dæmones ob majora delicta aereo corpore perpetuò eſſe veſtitos, teſtis D. Hieron. epiſt. 59.*

e Miſeriores perpetuo corporis vinculo.] *Inde reſurrectio in damnatis erit magis ad pœnam, quàm in bonum. Daniel. 12* multi qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium. *Joan. 5. reſurrectio juſtorum dicitur vita, reproborum verò judicij.*

CAP. XI.

De opinione Platonicorum, qua putant, animas hominum dæmones eſſe poſt corpora.

DIcit *a* quidem, & animas hominum dæmones eſſe, & *a* ex hominibus fieri *b* β Lares, ſi meriti boni ſunt: *c* γ Lemures, ſeu Larvas, ſi mali. δ *d* Manes autem deos dici cùm incertum eſt, bonorum eos, ſeu malorum eſſe meritorum. In qua opinione, quantam voraginem aperiant ſectandis perditis moribus, quis non videat, ſi vel paululum attendat? Quandoquidem quamlibet nequam fuerint homines, vel Larvas ſe fieri dum opinantur, vel dum Manes deos, tanto peiores fiunt, quanto ſunt nocendi cupidiores: ut etiam quibuſdam ſacrificiis tanquam divinis honoribus poſt mortem ſe invitari opinentur, ut noceant. Larvas quippe dixit eſſe noxios dæmones ex hominibus factos. Sed hinc alia quæſtio eſt. Inde autem perhibet appellari Græcè beatos εὐδαίμονας, quòd boni ſint animi, hoc eſt, boni dæmones: animos quoque hominum dæmones eſſe confirmans.

a DIcit quidem & animas.] *Quoniam ſæpe de Geniis & Laribus facta eſt mentio, feret æquus lector, ſi locum hunc paulò fuſius explicuero. Apuleij verba hæc fere ſunt: Nam quodam ſignificatu, & animus humanus etiam nunc in corpore ſitus δαίμων nuncupatur.* L. Vives.

Diine hunc ardorem mentibus addunt
Euriale? an ſua cuique Deus ſit dira cupido?

Igitur & bona cupido animi deus bonus eſt. Unde nonnulli arbitrantur, ut jam priùs dictum eſt, εὐδαίμονας dici beatos, quorum dæmon bonus eſt, id eſt, animus virtute perfectus: quem noſtra lingua, ut ego interpretor, haud ſciam, an bono, certè meo quidem periculo, poteris Genium vocare, quoniam is deus, qui eſt animus ſui cujuſque, quanquam ſit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur, ut eæ preces, quibus Genium precamur ad conjunctionem noſtram. Nec deſunt, qui videantur mihi obteſtari corpus atque animum duobus nominibus comprehendentes, quorum communio & copulatio ſumus, & ſecundo ſignam ſpecies dæmonum ſit a- Anim.

nimus humanus exutus & liber ſtipendiis vitæ, corpore ſuo objuratis. Hunc veteri Latina lingua reperio Lemurem dictatum. Ex hiſce ergo Lemuribus, qui poſterio-
Lemur. rum ſuorum curam ſortitur, pacato & quieto numine domum poſſides, Lar dicitur familiaris. Qui verò propter adverſa vitæ merita, nullis bonis ſedibus in terra vagatione punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterùm noxium
Larva. malis, hunc plerique Larvam perhibent. Cum verò incertum eſt, quæ cuique eorum ſortitio evenerit, utrum Lar ſit, an Larva, nomine Manium deum nuncupant, & honoris gratia, dei vocabulum additum eſt. Quippe cùm eos deos appellent, qui ex eorum numero juſtè ac prudenter vitæ curriculo gubernato, pro numine poſtea ab hominibus præditi, fanis & ceremoniis vulgò admittuntur, ut in Bœotia Amphiaraus, in Africa Mopſus, in Aegypto Oſiris alius alibi gentium, Æſculapius ubique. Verùm hæc omnis diſtributio eorum dæmonum fuit, qui quondam in corporis fuere numero. Hactenus Apuleij verba ex codice corruptiſſimo, etſi excuſo in officina primi nominis. Optimam verò animi noſtri partem dæmona Plato in Timæo nominat, & in Cratylo. Ejus verba ſunt hæc: Noſti, quoſnam Heſiodus dæmones eſſe ducat, nempe genus illud aureum hominum: ait enim de illis:

Mens an dæmon.

Aſt genus hoc, poſtquam fatalis condidit hora,
Dæmones, hi puri terreſtres tunc vocitantur:
Cuſtodes hominum fœlices, qui mala pellunt.

Ac puto aureum illud vocari genus, non quòd auro conſtaret, ſed quòd bonum eſſet ac pulchrum, & conjectura ducor, nos ferream gentem ab illo dici. Verùm ſi quis ex iis, qui nunc ſunt, bonus ſit, eum quoque inter aureos illos Heſiod. numerarit. Porrò quid aliud boni ſunt, quàm prudentes? Ob hoc igitur, ut ego quidem ſentio, dæmonas vocavit, quòd prudentes extiterint, & rerum gnari: nomen quoque ipſum in vetere noſtra lingua oſtendit. Bene igitur & ab ipſo illo, & à cæteris pleriſque poetis eſt dictum, quicunque ajunt: Bonum cùm migrat è vita, eſſe ſorte quadam & dignitate præſtanti, fierique dæmonem ex ſapientiæ nuncupatione. Ad hunc ergo modum aſſero quidem ſapientem, quiſquis bonus fuerit, & viventem, & vita functum dæmonium eſſe, rectéque dæmonem vocari, cui aſſenſus Hermogenes ire ſe in ejus ſententiam fatetur. Hæc apud Platonem. Ex quo non dubium, quin Origenes errorem ſuum traxerit, cùm animas humanas in dæmones mutari, & hos viciſſim in illas, in libro περὶ ἀρχῶν ſcribit. Porphyrius quoque dæmonem unicuique proprium eſſe quandam animi partem, nempe mentem: Illumque eſſe fœlicem & εὐδαίμονα, qui ſapientem ſortitus eſt mentem, infœlicem qui contrà, animas quoque vitiis infectas in malorum dæmonum naturam tranſire, reddique illorum ſimiles mendaciis, & impoſturis. Proclus tamen hæc omnia explicat triplicem dæmonis rationem ponens. Sic enim ſcribit: Iam verò & hoc manifeſtum eſt, ubi Plato in Timæo dæmonem ait animalis in nobis rationem conſtitutam eſſe. Veruntamen hoc uſque ad comparationem quandam nobis eſſe admittendum. Alius enim eſt ipſa eſſentia dæmon: Alius habitu vel habitudine dæmon. Ubique enim quod proximè præeſt in quodam dæmonis ordine ad inferius ſeſe habens, appellare dæmonem conſueverunt: Quo ne ſic

ſupicer

Jupiter apud Orpheum Saturnum patrem dæmonem appellavit. Et ipſe Plato in Timæo dæmonas nuncupavit deos illos, qui generationem è propinquo diſponunt, ubi ait: De aliis verò dæmonibus tractare, eorumq; generationem in lucem edere majus eſt, quàm ferre humanum poſſit ingenium. Comparatione utiq; dæmon eſt ejuſmodi, qui videlicet proximè unicuiq; providet, etiamſi Deus ſit, ac etiamſi Deo ſit inferior. Habitudine verò quadam dæmon dicitur animus, qui ſimilitudine quapiam ad genus dæmonum mirabiliore, quàm ſecundùm hominem actiones edit, totamq; vitam ſuam ſuſpendit ex dæmone. Hac arbitror ratione Socratem in Republica dæmonas animos appellaſſe, qui vitam bene tranſegerint, & in meliorem tranſlati ſunt ſortem, locaq; auguſtiora jam colant. Ipſe deniq; ſecundùm eſſentiam dæmon, neq; propter habitudinem ad ſequentia, neq; ob aliquam ad aliud ſimilitudinem appellatus eſt dæmon, ſed hanc per ſeipſum proprietatem eſt ſortitus. Atque in exiſtentia quadam, viribuſque propriis, modiſque differentibus actionum eſt diſtinctus. Omnino verò anima quidem rationalis in Timæo dæmon animalis eſt appellata. Hæc ſunt illius verba. Sed ei parum placet animam noſtram ſimpliciter dæmonem nominari, quod antea etiam diſertis verbis rejecit: nam dæmon ſimpliciter cum dicitur, media quadam eſt natura inter homines & deos, nec comparatione dici vult dæmonem aliud, quàm animam noſtram: non id quod præcipuè in ea operatur, velut rationem in ſanis, affectum in perturbatis, in quo ab Apuleii ſententia diſſentit. Nam quod Vergilius inquit, vel ambiguum dictum videri poteſt, & ut philoſophi loquuntur, ex problemate: aut ſimile eſt illius Platonici: Bono viro Deus eſt lex, malo verò libido: Serviuſq; ad hunc modum Vergilii verſum explicat. Apud Plotinum philoſophum & alios quæritur. Utrum mentis noſtræ acies per ſe ad cupiditates & conſilia moveatur, an impulſu alicuius numinis: & primò dixerunt, mentes humanas moveri ſua ſponte. Deprehenderunt tamen ad omnia honeſta impelli nos genio & numine quodam familiari, quod nobis naſcentibus datur. Prava verò noſtra mente nos cupere, & deſiderare. Nec enim poteſt fieri, ut prava numinum voluntate cupiamus, quibus nihil malum conſtat placere. Unde nunc hic ortus eſt ſenſus, hac Servius. Sed haud dubiè affectus etiam, quib. rapimur, dæmones à Platonicis multis nominantur. At in iſtis de diis deq; dæmonibus ſententiis mirum, quàm inter ſe diſcrepent homines eiuſdem hæreſis. Alia ſentit Apuleius, quàm Plato, alia Plotinus quàm Apuleius; diverſa ab iis Porphyrius, nec cum Jamblicho, aut quoquam alio in omnibus convenit Proclo, nimirum dæmonibus ipſis pro natura ſua varia illis & fallacia dictantibus.

b Lares ſi meriti boni ſunt.] *Lares eoſdem eſſe quos genios Apuleius idem ſentit, quod facit ex multorum veterum authoritate; ſicut Cenſorinus docet in libro de die natali. Cicero in Timæo Platonis dæmones Lares vertit, ſi modo, inquit, hoc rectè converſum videri poteſt. Hos Genios & Lares. Capella etiam præſtites vocat & angelos. Manes enim ſunt qui unicuiq; præſunt, ſicut Servius exponit ſexto Æneid. illo loco: Quiſq; ſuos patimur manes. Volunt unicuiq; Genium appoſitum dæmonem bonum & malum, hoc eſt, rationem, quæ ad meliora ſemper hortatur: &* Lares.

libidinem, quæ ad pejora. Hic eſt Larva & Genius malus. Ille bonus Genius, & Lar. Si Larva traxerit ad ſe totum hominem, is ab ea poſt vitam damnatur, & ſuæ ſtultitiæ dat pœnas: ſin Lari fuerit audiens dicto, purgatus puruſq; in beatorum loca ſedeſq; remigrabit, ductus ab eo, quem in vita ſecutus eſt Lare. Eadem prope eſt ſententia Platonis in ultimo de rep. cùm animas ad judicium ferri dicit.

Lemures c Lemures ſeu Larvæ ſi mali.] *Animæ mortuorum, ſi domi ſunt tranquillæ & quietæ Lares ſunt familiares: ſin omnia commiſcēt terrorib. & turbis, Larvæ ſive Lemures. Unde Larvati à Larvis territi, aut poſſeſſi. Martianus Capella libro ſecundo Nuptiarum ſic inquit: Deniq; hæc omnis aeris a luna diffuſio ſub Plutonis poteſtate conſiſtit, qui etiam Summanus dicitur, quaſi ſummus manium. hic Luna, quæ huic aeri proprior eſt, Proſerpina memoratur: verùm illi manes cum corporibus illo tempore tribuuntur, quo ſit prima conceptio, & poſt vitam eiſdem corporibus delectantur, atq; cum iis manentes appellantur Lemures. qui ſi vitæ prioris adjuti fuerint honeſtate in Lares domorum, urbiumq; vertuntur: ſi autem depravantur ex corpore,*
Manes. *Larvæ perhibentur, ac Maniæ. Manes igitur hic tam boni, quàm truces ſunt conſtituti, quos ἀγαθὸς & κακὸς δαίμονας memorat Græca diſcretio. In hoc etiam loco ſunt manes, eorumq; præſtites, Mana atq; Maturna, dii etiam quos Aquilos dicunt. Item: Furn, Furinaq;, & mater Mania, & alia triptes divorum degunt: tantum Martianus. Porphyrio lib. Epiſt. Horat. 2. Illic nocturnos lemures, umbras, inquit, vagantes hominum ante diem mortis, & ideo metuendos: & putant, Lemures eſſe dictos, quaſi Remures, à Remo. cuius occiſi umbras frater cùm placare vellet, Lemuria inſtituit, id eſt, parentalia, quæ menſe Majo per triduum celebrari ſolent ante additum anno menſem Februarium. Ob quam rem, Majo menſe religio eſt nubere. Hæc Porphyrio, quæ ſumpta ſunt ex Ovid. 5. Faſt.*

d Manes autem deos.] *Quaſi bonos eſſe dictos oſtendit Feſtus. Mana enim bona dixerunt: unde mater & Matuta, & poma matura: colebanturq; propter metum mortis, & Manes ſacrificantibus nominabantur, quaſi boni, quemadmodum contrà, immanes valde non boni ſunt.*

a Ex hominibus fieri Lares, ſi meriti boni ſint.] *Hoc perverſum dogma reprehendit in Origine Hieronymus epiſt. 59. ubi quid cavendum ſit, in libris* περὶ ἀρχῶν *monet:* Ita enim cuncta variari dicebat Origenes, ut & qui nunc homo eſt, poſſit in alio mundo dæmon fieri, & qui dæmon eſt, & negligentius egerit, in craſſiora corpora relegetur, *id eſt,* ut homo fiat. ſicque permiſcet omnia, ut de Archangelo poſsit diabolus fieri, & rurſus diabolus in Angelum revertatur. *Ibidem:* qui verò non fuerint meriti, ut per genus hominum revertantur ad priſtinum ſtatum, fient diaboli & Angeli eius, & peſsimi dæmones. *Poſt:* ex quo conſequenti ratione monſtrari, omnes rationales creaturas poſſe ex hominibus fieri, non ſemel & ſubito, ſed frequentius, noſque & Angelos futuros dæmones, ſi egerimus negligentius: & rurſus dæmones, ſi voluerint capere virtutes, pervenire ad Angelicam dignitatem. *Aſſerebat itaq; Origenes, Angelos, dæmones & animas eiuſdem eſſe naturæ. D. Auguſtinus. lib. de hæreſ. cap. 86.*
de

de Tertulliano differens ait, eum ſenſiſſe animas hominum peſſimas poſt mortem in dæmones verti, qui ita accederet ad ſententiam Apuleij.

β Lares ſi meriti boni ſint.] *Sunt qui credant, Lares, Dæmones, Genioſq́; eoſdem eſſe: putantes unicuiq́; duos Lares eſſe, alterum bonum, alterum malum. Colebantur domi, focuſq́; illis ſacer erat. Hi putati ſunt Dij domeſtici ἐφέστιοι, qui ad urbis commoda vigilare dicuntur inter compita. A nonnullis agrorum dij vocati ſunt. De Laribus ex M. Ægidio & Varrone latius Arnob. lib. 4. contra Gentes. Veteres dijs Laribus primitias frugum & uvarum ſacrificabant, ut ſcribit authoritate Ariſtocratis interpres Ariſtophanis in σφηξὶν, & videre licet ex illis Tibulli verſibus, lib. 1. Eleg. 1.*

> Vos quoque fœlicis quondam, nunc pauperis agri
> Cuſtodes, fertis munera veſtra Lares.

γ Lemures ſeu Larvas ſi mali ſint.] Larvæ enim nocturnæ ſunt & terrificationes imaginum & beſtiarum, *ex Nonio. Ovid. 5. Faſt.*

> Mox etiam Lemures animas dixere ſilentum.

Unde Lemuria *feſta erant* Lemuribus *ſacra, quæ cùm celebrabantur (menſe nimirum Majo) templa omnia claudebantur, & nuptiæ omnes infauſtæ putabantur. unde proverbio locus,* malum nubere menſe Majo.

> Hac quoque de cauſſa (ſi te proverbia tangunt)
> Menſe malum Majo nubere vulgus ait.

δ Manes autem Deos dici.] *Veteres manes putabant eſſe deos inferos, eoſq́; inter numina læva numerabant, placabantq́; eos ſacrificiis, ne nocerent. Alij hoc nomine appellabant animas à corpore ſeparatas, in qua ſententia videtur fuiſſe Apuleius de dæmone Socratis.* Manes, *inquit,* animæ dicuntur melioris meriti, quæ in corpore noſtro Genii dicuntur, corpori renunciantes Lemures, cum domos incurſionibus infeſtarent, Larvæ appellabantur, *contra*, ſi æqui & faventes eſſent, Lares familiares.

CAP. XII.

De ternis contrariis, quibus ſecundùm Platonicos dæmonum hominumq́; natura diſtinguitur.

SEd nunc de his agimus, quos in natura propria deſcripſit inter deos & homines genere animalia, mente rationalia, animo paſſiva, corpore aerea, tempore æterna. Nempe cùm prius deos in ſublimi cælo, homines autem in terra infima disjunctos locis, & naturæ dignitate ſecerneret, ita concluſit. Habetis, inquit, interim bina animalia: deos ab hominibus plurimum differentes: loci ſublimitate, vitæ perpetuitate, naturæ perfectione: nullo inter ſe propinquo communicatu, cùm & habitacula ſumma ab infimis tanta intercapedo faſtigij diſpeſcat: & vivacitas illic æterna & indefecta ſit, hic a caduca, & ſucciſiva: & ingenia illa ad beatitudinem ſublimata, hæc ad miſerias infimata: hic cœleſtia, ibi terna video commemorata contraria de duobus naturæ partib. ultimis, id eſt, ſummis atque infimis. Nam tria quæ propoſuit

de diis laudabilia, eadem repetivit, aliis quidem verbis, ut eis aliã tria adverſa ex hominibus redderet. Tria deorum hæc ſunt: loci ſublimitas, vitæ perpetuitas, perfectio naturæ. Hæc aliis verbis ita repetivit, ut eis contraria humanæ conditionis opponeret: cum & habitacula, inquit, ſumma ab infimis tanta intercapedo faſtigii diſpeſcat: quia dixerat loci ſublimitatem. Et vivacitas illic, inquit, æterna, & indefecta ſit, hic caduca & ſucciſiva, quia dixerat vitæ perpetuitatem. Et ingenia illa, inquit, ad beatitudinem ſublimata, hæc ad miſerias infimata, nullo inter ſe propinquo, inquit, communicatu, quia dixerat naturæ perfectionem. *a* Tria igitur ab eo poſita ſunt deorum, id eſt, locus ſublimis, æternitas, beatitudo: & his contraria tria hominum, i. e. locus infimus, mortalitas, miſeria. Inter hæc terna deorum & hominum, quoniam dæmones medios poſuit. de loco nulla eſt controverſia. Inter ſublime quippe & infimum, medius locus aptiſſime habetur & dicitur. Cætera bina reſtant, quibus cura attentior adhibenda eſt, quemadmodum vel aliena eſſe à dæmonibus oſtendantur, vel ſic eis diſtribuantur, ut medietas videtur expoſcere, ſed ab eis aliena eſſe non poſſunt. *b* β Non enim ſicut dicimus, locum medium nec eſſe ſummum, nec infimum, ita dæmones cùm ſint animalia rationalia, nec beatos eſſe nec miſeros, ſicuti ſunt arbuſta vel pecora, quæ ſenſûs vel rationis expertia rectè poſſumus dicere. Quorum autem ratio mentibus ineſt, aut miſeros eſſe, aut beatos eſſe neceſſe eſt. Item non poſſumus rectè dicere, nec mortales eſſe dæmones nec æternos. Omnia nanque viventia aut in æternum vivunt, aut finiunt morte, quod vivunt. Jam verò iſte tempore æternos dæmones dixit. Quid igitur reſtat, niſi ut hi medii de duobus ſummis unum habeant, & de duobus infimis alterum? Nam ſi utraque de imis habebunt, aut utraque de ſummis, medii non erunt, ſed in alterutram partem vel reſiliunt, vel recumbunt. Quia ergo his binis, ſicut demonſtratum eſt, carere utriſque non poſſunt, γ acceptis ex utraque parte ſingulis mediabuntur. Ac per hoc, quia de infimis habere non poſſunt æternitatem, quæ ibi non eſt, unum hoc de ſummis habent: & ideo non eſt alterum ad complendam medietatem ſuam, quod de infimis habeant, niſi miſeriam.

L. Vives. *a* CAduca & ſucciſiva.] *Sic legitur in libris Apuleij excuſis, non malè. Nam à ſuccidendo dicitur, quod additur, & velut amputatur. Sunt exemplaria Auguſtini in quibus ſcribitur ſuccidua ab eadem origine, atq; etiam ſignificantius, & magis propriè.*

b Non enim ſicut dicimus.] *Ex oppoſitis ſunt, quæ nullum medium receptant in univerſum, ut contradicentia, currere vel non currere: alia receptant, ut album & nigrum: ſunt enim intermedij colores. Sunt quæ certis rebus aſſignatis non admittunt, ut vivens & mortuum in animalibus: itidem cæcum & videns* [illegible] *ſtatis à natura temporibus: par & impar in numeris,* [illegible] *ut Ariſtoteles docet in Categoriis.*

α TRia igitur poſita ſunt ab eo deorum.] *Tribus (inquit) homines à dijs diſtinguuntur Apuleio. Dij enim in loco ſublimi habitant, inde dicuntur Heſiodo dij* ὑπέρτατα σώματ᾽ ἔχοντες. *& Ariſtoteles lib.* 1 *de cælo cap.* 3. *text.* 22. πάντες ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν, καὶ πάντες τὸν ἀνώτατον τῷ θείῳ τόπον ἀποδιδόασι, καὶ βάρβαροι καὶ Ἕλληνες ὅσοιπερ εἶναι νομίζουσι θεοὺς δηλονότι ὡς τῷ ἀθανάτῳ τὸ ἀθάνατον συνηρτημένον. univerſi, *inquit*, deos eſſe putant, ipſumque locum ſupremum diis tribuunt & Barbari & Græci, propterea quod immortale ſit accommodatum. *Beatos etiam novit Ariſtoteles lib. de moribus.* τοῖς γὰρ θεοῖς ἅπας ὁ βίος μακάριος. *alibi:* τοὺς θεοὺς μάλιστα ὑπειλήφαμεν μακαρίους, καὶ εὐδαίμονας εἶναι. *de æternitate Homerus Iliad. alicubi.*

τῷ ἔνι τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα.

Et Iliad. ω.

δαίμονες εἰσὶ καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

β Nec enim ſicut dicimus locum medium neceſſe ſummum & infimum.] Oppoſitorum aliqua medio carent, aliqua verò medium habent, *ut docet Ariſtoteles cap. de contrarijs. Contraria immediate oppoſita ea ſunt,* quorum alterum minimè neceſſe eſt ineſſe. *ut album & nigrum, ſi cum corpore mixto conferantur, ita ſe habent beatitudo & miſeria, ut immediatè opponantur comparatione rationalium creaturarum, non ita locus ſummus, qui deorum eſt, & infimus, qui hominum. Nec enim dæmones in ſummo, nec in infimo habitant, ſi medium qui verè ſatur, introierint locum: verùm non ita dici poteſt, eos nec beatos eſſe, nec miſeros, nec mortales, nec æternos, ſi quidem inter ea non datur medium per negationem.*

γ Acceptis ex utraque parte ſingulis mediabuntur.] *Medium dicitur per participationem, cùm enim præter locum quo differunt, ſint miſeri, & æterni dæmones, uno quidem, nempe æternitate, participant cum dijs, altero autem, id eſt, miſeria, cum hominibus.*

CAP. XIII.

Quomodo dæmones, ſi nec cum diis beati, nec cum hominibus ſunt miſeri, inter utranque partem ſine utriuſque communione ſint medii.

EST itaque ſecundùm Platonicos a ſublimium deorum, vel beata æternitas, vel æterna beatitudo: hominum verò infirmorum, vel miſeria mortalis, vel mortalitas miſera. dæmonum autem mediorum vel miſera æternitas, vel æterna miſeria. Nam & quinque illis, quæ in definitione dæmonum poſuit, non eos medios, ſicut promittebat, oſtendit: quoniam tria dixit eos habere nobiſcum, quòd genere animalia, quod mente rationalia, quòd animo paſſiva ſunt: cum diis autem unum, quòd tempore æterna, & unum proprium, quòd corpore aerea. Quomodo ergo medij, quando unum habent cum ſummis, tria cum infimis? Quis non videat relicta medietate, quantum inclinentur & deprimantur ad infima? Sed planè ibi etiam medii poſſunt ita inveniri, ut unum habeant proprium, quod eſt corpus aereum, ſicut & illi de ſummis atque

atque infimis ſingula propria dii corpus ætherium, homineſque terrenum: duo verò communia ſint omnibus, quòd genere ſunt animalia, & mente rationalia. Nam & ipſe cùm de diis & hominibus loqueretur, Habetis, inquit, bina animalia. Et non ſolent iſti deos niſi rationales mente perhibere. Duo ſunt reſidua, quòd ſunt animo paſſiva, & tempore æterna. Quorum habent unum cum infimis, cum ſummis alterum, ut proportionali ratione librata medietas, neque ſuſtollatur in ſumma, neque in infima deprimatur. Ipſa eſt autem illa dæmonum miſera æternitas, vel æterna miſeria. Qui enim ait animo paſſiva, etiam miſera dixiſſet, niſi pro eorum cultoribus erubuiſſet. α β Porrò quia providentia ſummi Dei: ſicut etiam ipſi fatentur, non fortuita temeritate regitur mundus, γ nunquam eſſet iſtorum æterna miſeria, niſi eſſet magna malitia. Si igitur beati rectè dicuntur eudæmones, non ſunt eudæmones, quos inter homines & deos iſti in medio locaverunt. Quis ergo eſt locus bonorum dæmonum, ſi ſupra homines infra deos iſtis præbeant adjutorium, illis miniſterium? Si enim boni æterníque ſunt, profectò & beati ſunt. Æterna autem beatitudo medios aſſe non ſinit, quia multum diis comparat, multumque ab hominibus ſeparat. Unde fruſtra iſti conabuntur oſtendere, quomodo dæmones boni, ſi & immortales ſunt, & beati, rectè medii conſtituantur inter deos immortales ac beatos, & homines mortales ac miſeros. Cùm enim utrunque habeant cum diis, & beatitudinem ſcilicet, & immortalitatem, nihil autem horum cum hominibus & miſeris & mortalibus, quomodo non potius remoti ſunt ab hominibus, diiſque conjuncti, quàm inter utroſque medii conſtituti? Tunc enim medii eſſent, ſi haberent & ipſi duo quædam ſua, non cum binis alterutrorum, ſed cum ſingulis utrorumque communia: ſicut homo medium quiddam eſt inter pecora & angelos; ut quia pecus eſt animal irrationale atque mortale, δ angelus autem animal rationale & immortale, medius homo eſſet inferior angelis, ſuperior pecoribus, habens cum pecoribus mortalitatem, rationem verò cum angelis, animal rationale mortale. Ita ergo cùm quærimus medium inter beatos immortales, miſeroſque mortales, hoc invenire debemus, quod aut mortale ſit beatum, aut immortale ſit miſerum.

L. Vives. α [P]Orrò quia providentia.] *Plato plurimis locis mundum à parente illo rerum omnium factum eſſe & adminiſtrari affirmat. Hic verò injuſtiſſimus eſſet, ſi innocentem æterno mœrore ſineret affici: nam ad tempus affligi bonum hominem, etiam ex benignitate eſt, ut ſit, cur copioſius donetur, & beatior inde fiat, quanto plura eſt perpeſſus adverſa, propter ſempiternam beatitudinem.*

F. L. Coq. α [S]Ublimium Deorum vel beata æternitas, vel æterna beatitudo.] *Hæc enim duo in ſublimibus diis ſeſe neceſſario conſequuntur, ut æterni ſint, qui beati, & beati, qui æterni, ut & de ratione beatitudinis ſit æternitas, & ea vera ſit æternitas etiam, qua beati fruuntur, æterna enim vita dæmonum & reproborum mors æterna dicenda magis, quam vita. Lactant. lib. 3. c. 12.* Nec aliter quicquam exiſtimari beatum poteſt, niſi fuerit incorruptum. Incorruptum autem nihil eſt,

niſi

niſi quod eſt immortale. Sola ergo immortalitas beata eſt, quia corrumpi ac diſſolvi non poteſt.

β Porrò quia providentia ſummi Dei.] *Platonici enim providentiam Dei agnovere, eamq́ expreſſis verbis aſſerit Plato in Philebo*, Τὸ δὲ τὸ καλούμενον ὅλον τοῦτο καὶ φρόνησιν τινα θαυμαστὴν συντάττουσαν διακυβερνᾶν. *lib. 10. de ll. docet, Deum uniniverſi opificem non tantùm curam gerere in univerſum omnium, quæ condiderit, ſed & ſingulis rebus efficaciter invigilare. Item in Epinomide & in Apologia Socratis, ex divina providentia præmia bonis, ſupplicia improbis decernuntur. Ità alienum eſſet à divina providentia dæmones æternum miſeros, niſi id exigeret magna dæmonum malitia.*

γ Nunquam eſſet iſtorum æterna miſeria, niſi eſſet magna malitia.] *Dæmones ſine ulla ſpe veniæ in æternum damnatos eſſe, & torquendos aſſerit D. Gregorius lib. 4. moral. cap. 9. & 10. Caſſianus collat. 4. cap. 14. Damaſcenus lib. 2. fid. orthod. cap. 4 Theologi 2. ſentent. & id quidem meritò. Sunt enim in peccato obſtinati, & habent voluntatem ſemper averſam à Deo, ut & teſtatur D. Hieronymus lib. 2. Apol. adverſus Ruffinum.*

δ Angelus animal rationale & immortale.] *Ita loquitur etiam Greg. Homil. 1. in Evang. Ubi inquirens cur Angelus paſtoribus, Magis verò ſtella apparuit.* Judæis (*inquit*) tanquam ratione utentibus rationale animal, *id eſt*, Angelus prædicare debuit. *Auguſtinus etiam epiſt. 115. ad Nebridium ſcribit, Angelos eſſe* animantia aerea, ſive ætherea acerrimi ſenſus. *Verùm quæ fuerit ſententia D. Auguſtini de Angelis, an corporei ſint, vel prorſus corporis expertes, non eſt huius loci referre, hic ex ſententia Platonicorum loquitur.*

CAP. XIV.

An homines, cùm ſint mortales, poſſint vera beatitudine eſſe fœlices.

UTrum * & beatus, a & mortalis homo eſſe poſſit, magna eſt inter homines quæſtio. a Quidam enim conditionem ſuam humilius inſpexerunt, negaveruntque, hominem capacem eſſe beatitudinis poſſe, quandiu mortaliter vivit. Quidam verò extulerunt ſe, & auſi ſunt dicere, ſapientiæ compotes, beatos eſſe poſſe mortales. Quod ſi ita eſt, cur non ipſi potius medii conſtituuntur inter mortales miſeros, & immortales beatos: beatitudinem habentes cum immortalibus beatis, mortalitatem cum mortalibus miſeris? Profectò enim ſi beati ſunt, invident nemini. b Nam quid miſerius invidentia? Et ideo mortalibus miſeris, quantum poſſunt, ad conſequendam beatitudinem conſulant: ut etiam immortales valeant eſſe poſt mortem, & angelis immortalibus beatiſque conjungi. *al. aut.*

a QUidam enim conditionem ſuam humilius.] *Solon Athenienſis negat, ante mortem beatum fieri quenquam poſſe. Plato paucos excipit: ſed Solon, quòd neſciretur, quale hominem maneret fatum. Nam quis Priamum fœlicem vocaſſet ante bellum perpeſſurum tot mæſtiſſima illo decennio? aut quis Crœſum inter illas immanes opes, quem Cyrus erat, rogo viventem, admoturus? Plato verò quod* *L. Vives.*

 difficile

difficile eſt hominis divina illa in vita conſequi, quorum cognitione beati ſimus.

b Nam quid miſerius invidentia.] *Illud ſolum eſt in invidentia bonum, quod maximum eſt invidis malum, ſicut Græco dicto fertur.*

a UTrum beatus & mortalis homo eſſe poſſit.] *D. Thomas 1. 2. quæſt. 5. art. 3.* qualis, *inquit*, beatitudinis participatio in hac vita haberi poteſt; perfecta autem & vera beatitudo non poteſt haberi in hac vita. *Quæ fuerit ſententia Platonis non ita conſtat. In Epinomide ſcribit nos in hac vita & in futura poſſe beatitudinem conſequi, ſed cum certo diſcrimine, quòd in hac vita pauci beatitudinem conſequantur, eamq; inchoatam & imperfectam, ſed in futura plures beati ſunt & beatitudine cumulata perfruuntur. Refert Clemens Alexand. lib. 5. ςρωμ. In Phædone tamen, ubi ex inſtituto de animorum immortalitate ac beatitudine diſſerit, neminem hominem quamdiu hic vivit, beatum eſſe poſſe verbis diſſertiſſimis adſtruit, ſibi tamen facilè conciliatur Plato, ſi dixerimus eum locutum eſſe in Epinomide non abſolute, ſed quadam comparatione, ac ſi dicere voluiſſet, quibus eſt animus tum ſapientia tùm virtute perfectè exornatus, eos ſi cùm cæteris, quibus hæc deſunt ornamenta conferantur, beatos meritò dici & haberi poſſe. Verùm cum ſapientiam, id eſt, certam & evidentem rerum divinarum cognitionem ab his, qui vivunt in terris, acquiri poſſe neget, hinc eſt quòd neminem omninò in hac vita beatum perfectè eſſe poſſe contendat. Celebris eſt Solonis ſententia neminem ante obitum exiſtimandum, vel appellandum beatum.*

CAP. XV.

De Mediatore Dei & hominum, homine Chriſto Jeſu.

SI autem, quod multò credibilius & probabilius diſputatur, α omnes homines quandiu mortales ſunt, a etiam miſeri ſint neceſſe eſt, β quærendus eſt medius, qui non ſolùm homo, verumetiam Deus ſit: γ ut homines ex mortali miſeria ad beatam immortalitatem hujus medii beata mortalitas interveniendo perducat: δ quem neque non fieri mortalem oportebat, neque permanere mortalem. ε Mortalis quippe factus eſt, non infirmata verbi divinitate, ſed carnis infirmitate ſuſcepta: non autem permanſit in ipſa carne mortalis, quam reſuſcitavit à mortuis: ζ quoniam ipſe fructus eſt mediationis ejus: ut nec ipſi propter quos liberandos mediator effectus eſt, in perpetua, vel carnis morte remanerent. Proinde mediatorem inter nos & Deum, & mortalitatem habere oportuit tranſeuntem, & beatitudinem permanentem: ut per id quod tranſit, congrueret morituris, & ad id quod permanet, transferret ex mortuis. η Boni igitur angeli inter miſeros mortales, & beatos immortales medii eſſe non poſſunt: quia ipſi quoque, & beati, & immortales ſunt. Poſſunt autem medii eſſe angeli mali, quia immortales ſunt cum illis, miſeri cum iſtis: θ His contrarius eſt mediator bonus, qui adverſus eorum immortalitatem & miſeriam, & mortalis eſſe ad tempus voluit, & beatus in æternitate perſiſtere potuit. Ac ſi eos & immortales ſuperbos, & miſeros noxios, ne per immortalitatis jactantiam ſeducerent ad miſeriam, & ſuæ mortis humili-

humilitate, & ſuæ beatitudinis benignitate deſtruxit in eis, quorum corda per ſuam fidem mundans, ab illorum immundiſſima dominatione liberavit. Homo itaque mortalis & miſer longè ſejunctus ab immortalibus & beatis, quid eligat medium, per quod immortalitati & beatitudini copuletur? Quod poſſit delectare in dæmonum immortalitate, miſerum eſt, quod poſſit offendere in Chriſti mortalitate, jam non eſt. Ibi ergo cavenda eſt miſeria ſempiterna: hic mors timenda non eſt, quæ eſſe non potuit ſempiterna: & beatitudo amanda eſt ſempiterna. Ad hoc quippe ſe interpoſuit medius immortalis & miſer, ut ad immortalitatem beatam tranſire non ſinat, quoniam in hoc perſiſtit, quod impedit, id eſt, in ipſa miſeria. Ad hoc autem ſe interpoſuit mortalis & beatus, ut mortalitate tranſacta, & ex mortuis faceret immortales, quod in reſurgendo monſtravit, & ex miſeris beatos, unde nunquam ipſe diſceſſit. Alius eſt ergo medius malus qui ſeparat amicos, alius bonus qui reconciliat inimicos. *b* Et ideo multi ſunt medii ſeparatores, quia multitudo quæ beata eſt, unius Dei participatione fit beata. *c* Cujus participationis privatione miſera multitudo malorum angelorum, quæ ſe opponit potius ad impedimentum, quàm interponit ad beatitudinis adjutorium, etiam ipſa multitudine obſtrepit quodammodo, ne poſſit ad illud unum beatificum bonum perveniri, ad quod ut perduceremur, non multis, ſed uno mediatore opus erat, & hoc eo ipſo cujus participatione ſimus beati, hoc eſt, verbo Dei, non facto, ſed per quod facta ſunt omnia. Nec tamen ob hoc mediator eſt, quia verbum maximè quippe immortale, & maximè beatum verbum longè eſt à mortalibus miſeris, ſed mediator per quod homo, eo ipſo oſtendens utique ad illud non ſolum beatum, verum etiam beatificum bonum non oportere quæri alios mediatores, per quos arbitremur nobis perventionis gradus eſſe moliendos, quia beatus & beatificus Deus, factus particeps humanitatis noſtræ compendium præbuit participandæ divinitatis ſuæ. Neque enim nos à mortalitate & miſeria liberans ad angelos immortales beatoſque ita perducit, ut eorum participatione etiam nos immortales & beati ſimus, ſed ad illam Trinitatem, cujus & angeli participatione beati ſunt. *d* Ideo quando in forma ſervi, ut mediator eſſet, infra angelos eſſe voluit, in forma Dei ſuper angelos manſit. Idem in inferioribus via vitæ, qui in ſuperioribus vita. Phil. 2.

a ETiam miſeri ſint.] *Homerus homines ferè vocat δειλοὺς καὶ ὀϊζυροὺς, h. e. miſeros, ut & Latini poetæ fecerunt.* L. Vives.

b Et ideo multi ſunt medij ſep.] *Virtus unica eſt & ſimplex, ideo nec multæ ſunt ad eam ſemitæ. Vitium varium multiforme, infinitis ad eum itatur viis, ut Ariſtot. inquit in libris Moralibus. Itaq; dæmones multi per ſe variis rationibus à Deo abducunt, angeli boni unica via, & per unicum Dei filium ad Deum reducunt.*

c Cujus participationis privatione.] *Ut privatio lucis tenebræ, ſic privatio beatitudinis miſeria, etſi non contrà recurritur.*

d Ideo quando in forma.] *Paulus ad Philip. 2. de Chriſto loquens: Qui cùm in forma, inquit, Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens. Hæc ſunt Pauli verba, quibus ſignificat Chriſtum alioqui patri ſimillimum, induto corpore noſtræ mortalitatis, nunquam apud eos, qui ſolum hominem intuebantur, profeſſum Deo ſe parem eſſe, cùm tamen hoc ipſi licuiſſet, ſalva patris majeſtate: verùm abjecit ſe dominus cunctorum in ſpeciem ſervi, & excelſiſſimus æquari ſe nobis paſſus eſt, ut ſimilitudine naturæ nos omnes ad ſe attractos cognoſcentes jam, quis eſſet, quid poſſet, ſublimes ſecum efferret ad patrem: ita humanitas ad ſe invitat, ne divinitas deterreat, & hæc invitatos ad ſe rapit, beatosq́ facit: quocirca nec vocare atq; allicere nos potuiſſet, niſi noſtri ſimilis homo, nec beare, niſi fons beatitatis omnis Deus. Ad Chriſti ergo deitatem, quæ vita eſt, & beatitudo ipſa unica eſt, per quam tendamus via, humanitas ejus.*

R.L.c.9 *a* OMnes homines, quamdiu mortales ſunt, etiam miſeri ſint, neceſſe eſt.] *Ita refert Stobæus ſerm. dixiſſe Ariſtotelem,* quid eſt homo? imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium fortunæ, ludicrum, jacturæ imago, invidiæ & calamitatis trutina, reliqvum verò pituita & bilis. *Boetius 2. de conſolat.* Quis eſt ille tam fœlix, qui cum dediderit impotentiæ manus, ſtatum ſuum mutare non optet? ineſt enim ſingulis, quod inexpertus ignores, expertus exhorreas. *Ideò B. Bernardus.* Nunquam in honore ſine labore, nunquã in prælatione ſine tribulatione nunquã in ſublimitate ſine varietate. *Homerus Iliad. 17. & Odyſſ. 18.*

Οὐ μὲν γάρ τι πού ἐστιν ἀνδρὸς ὀϊζυρώτερον ἄλλο,
Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει.

Virgilius homines ſæpè miſeros proprio & peculiari Epitheto vocat 3. Georgicorum:

Optima quæque dies miſeris mortalibus.

Lib. 6. Æneid.

Non tamen omne malum miſeris,

Lib. 11.

Aurora interea miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem.

Quod epithetum frequens eſt apud Homerum & Heſiodum δειλοῖσι βροτοῖσι, id eſt, miſeris mortalibus. *Apud Herodotum lib. 1. Solon Crœſo dixiſſe fertur: ὦ Κροῖσε πᾶς ἄνθρωπός ἐστι συμφορή. Nec illud omittendum Job. cap. 13.* Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſeriis.

β Quærendus eſt medius, non ſolum qui homo, verùm etiam Deus ſit.] *Homo enim purus non poterat perfectè ſatisfacere pro genere humano, nec mereri redemptionem omnium hominum, nec perfectè exercere mediatoris officium inter Deum & homines.* Talis enim docebat eſſe nobis Pontifex innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, excelſior cœlis factus. *Quamvis enim ad reparandum genus humanum, & ad conferendam immortalitatem, beatitudinem, ac cætera beneficia mortalibus, non deeſſent omnipotenti Deo alia remedia, tamen myſterium incarnationis Verbi, ut ſcil. Deus eſſet, & homo, qui mediator exiſteret inter De-*

ter Deum & homines, convenientiſſimum omnium fuit; quod paſſim docent Patres. Chryſoſtomus Homil. 10. in Joannem. Cecidit eo modo natura noſtra, ut reſtitui nullo pacto poſſet à quocunque, niſi ab illa omnipotentiſſima manu. Neque enim aliter reſtitui poterat, niſi qui in principio eam effinxit, manum porrexiſſet. *Vigilant. libro ſecundo contra Eutychetem.* Non aliter fieri potuit, niſi talis mediator exiſteret. *Proclus Cyzicus in hom. 7. de nativit. quæ habetur in Concil. Epheſ. tom. 6. cap. 7.* Venit ad ſalvandum, ſed & pati quoque illum oportuit. At quomodo utraque hæc fieri potuerunt? homo purus ſalvare non poterat, Deus ſolus pati nequibat, quid igitur? Ipſe Emanuel Deus factus eſt homo. *Sanctus Leo ſerm. 1. 4. & 10. de nativit.* Si non eſſet Deus, non afferret remedium. *Auguſt. Enchir. c. 108.* Nemo glorietur in homine, nam neque per ipſum liberaremur redemptorem Chriſtum, niſi eſſet & Deus. *Hæc brevitatis cauſſa ex innumeris Patrum locis.*

γ Ut homines ex mortali miſeria.] *Ad beatam immortalitatem huius medij beata mortalitas perducat. Ita ſcribit Irenæus lib. 3. cap. 22. de myſterio incarnationis loquens,* Cognoſcat homo ſemetipſum, quoniam mortalis & infirmus eſt: intelligat autem & Dominum, quoniam in tantum immortalis & potens eſt, ut & mortali immortalitatem, temporali æternitatem donet. *Proclus Cyzicus loco citato.* Immortalitatem, quam ipſe habebat, per ſuam mortem aliis conciliat.

δ Mortalis factus eſt non infirmata Verbi divinitate.] *Ita enim unio incarnationis facta eſt, ut ambæ naturæ divina & humana diſtinctæ & inconfuſæ remanſerint, & Verbum caro factum ſit,* non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. *Hoc loco poſſet conſultari hæreſis eorum hæreticorum, qui voluere vel naturam humanam in incarnatione converſam fuiſſe in divinitatem, ut Eutyches & Dioſcorus, de quibus Nicephor. lib. 18. cap. 45. Theodoret. lib. 4. hæret. fabul. & Monophyſitæ, de quibus ibidem, vel etiam converſam fuiſſe divinitatem in humanitatem. Ita Apollinaris non totam divinitatem, ſed quandam eius particulã ab illa deciſam dixit converſam fuiſſe in humanitatem, vel (quod idem eſt) factam eſſe humanitatem ex humanitate. Teſtis D. Auguſtinus hæres. 55. & Epiphanius hæreſi 76. de quo vide Nicephorum lib. 11. c. 4. Hæreſes circa myſterium incarnationis ſunt ſatis refutatæ in Concilio Epheſino I. contra Neſtorium, & Chalcedonenſi contra Eutychem & Dioſcorum. Non vacat plura ſcribere. Vide Bellarminum lib. 3. de Incarn. cap. 2. & 3. & Suarem in 3. part. 4. diſput. 7. ſect. 7. Gregorium de Valentia tom. 4. diſput. 1. quæſt 2. pu. 1.*

ε Quem neque fieri mortalem oportebat.] *Ita ferè habet Athanaſ. lib. de incarn. Verbi Dei & corporali eius adventu.* Ut enim non moreretur, fieri non poterat, quia pro omnibus erat in mortem offerendum corpus eius, ut autem extinctum maneret, neque id fieri debuit, eo quod vitæ ſacrarium eſſet. Unde revixit per ſuam, quæ in ipſo erat, vitam. *Similia repetit.* Quomodo dominus ex toto ſe vitam eſſe demonſtraſſet, niſi quod mortale erat, vivificaſſet? Ratione hypoſtaticæ unionis, & ex gloria animæ debita erat corpori Chriſti vita

 perpe-

perpetua ac glorioſa : quod autem alioquin fuerit mortale, factum eſt diſpenſatione divina propter noſtram ſalutem. Debuit igitur fieri mortalis, ut munus mediatoris & redemptoris perficeret, non tamen permaneret mortalis. Erat enim debita reſurrectio ad gloriam & immortalitatem Chriſto domino propter majeſtatem verbi in illo corpore inhabitantis. *Ita Petrus Actor. ſecundo, dixit impoſſibile fuiſſe, Chriſtum teneri ab inferno ſeu morte : non enim decebat admirabilem ſanctificationem illius corporis per conjunctionem ineffabilem ad ipſam ſanctitatem per eſſentiam, ut vita ex conjunctione ad ſuam animam diu privaretur.*

ζ Ipſe fructus eſt mediationis eius, ut nec ipſe.] Sicut enim per hominem mors, ita per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, in Chriſto omnes vivificabuntur. *Tamen reſurrectio juſtorum ſpeciali ratione eſt effectus meritorum Chriſti, & hos intelligit his verbis (propter quos liberandos, &c.) reſurrectio quidem omnium hominum, ut terminatur ad vitam humanam & ſubſtantialem compoſitionem corporis & animæ, pertinet ad generalem Dei providentiam, ut reſurrectio juſtorum ad gloriam & vitam immortalem;* (præmium eſt eorum meritorum) *& effectus meritorum Chriſti.*

η Boni igitur Angeli inter miſeros mortales.] *Hunc locum citat D. Thom. 3. p. q. 26. art. 1. & 2.* Cùm Angeli boni *(inquit)* utrumque habeant commune cum Deo, & beatitudinem & immortalitatem, nihil aut horum cum hominibus miſeris & mortalibus, quomodo non potius remoti ſint ab hominibus, Deoque conjuncti, quam inter utroſque medii conſtituti? *Conſiderando tamen alia ratione mediatoris ſeu medij ſignificationem, Angeli boni etiam dici poſſunt medij ſeu mediatores inter nos & Deum, quia natura ſunt eo inferiores, nobis autem ſuperiores, & cum illo communem habent naturam ſpiritus & incorruptionis, nobiſcum verò rationem creaturæ indigentis divina gratia & influxu : qua ratione D. Dionyſi. cap. 4. de divin. nom. dicit eos eſſe medios inter Deum & homines.* (Deinde licet perfecta ratio mediatoris ut redemptoris uni Chriſto conveniat. 1. Tim. 2. quædam tamen eius participatio ſeu miniſterium tàm Angelis, quàm hominibus communicatur. Pro nobis enim orant ac noſtras preces Deo offerunt, præterea nos cuſtodiunt, & à malo avertunt, & ad bonum diſponunt, & ſi Moſes dicitur medius & ſequeſter inter Deum & populum Deut. cap. 5 multo magis Angeli, *Qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi.*) *Hoc ergo vult tantùm D. Auguſtinus Chriſtum ſolum fuiſſe medium non ſolum ratione ſubſtantiæ, quia fuit Deus & homo; ſed etiam ratione ſtatus, quia ſimul beatus fuit & mortalis; qua ratione Angeli medij nequaquam dicentur.*

θ His contrarius eſt mediator bonus.] *Dæmones ſiquidem cum dijs habent immortalitatem, & cum hominibus miſeriam, unde cum aliquid participent cum utroque extremo, medij quidem ea ratione dicuntur, quia non Angeli boni, qui nihil hujuſmodi commune habent cum hominibus; at Chriſtus cum ſuperioribus habet communem beatitudinem, eamque permanentem, cum hominibus mortalitatem, illamque tranſeuntem.*

Nulli

ι Nulli ſunt medii ſeparatores.] *Dæmones ſcilicet, qui nos à Deo abducunt,* *at unicum medium* ι. *Chriſtus unicus nos in Deum reducit.*

κ Non multis, ſed uno mediatore opus erat. *Act.* 4. Non eſt in alio ſalus, niſi in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, unus Dei & hominum mediator homo Chriſtus Jeſus. *Hoc contendit D. Paulus epiſt. ad Roman. ad Galat. opus fuiſſe uno mediatore Chriſto, nec enim lex naturæ, aut Moſaica ſufficiebat homini ad ſalutem.*

λ Nec tamen ob hoc mediator eſt, quia Verbum.] *Nemini quidem dubium eſt concedi abſolutè poſſe Verbum & Deum mediatorem Dei & hominum, quia quod abſolutè dicitur de homine Chriſto, dicitur per communicationem idiomatum de Verbo & Deo, & Verbum & Deus abſolutè dicitur Pontifex noſter, & redemptor noſter, & pro nobis fudiſſe ſuum ſanguinem. D. Hieronym. etiam lib. 2. comment. in epiſt. ad Galat. cap. 3. Verbo divino antequam naturam humanam ſumpſiſſet, mediatoris appellationem tribuit, non quòd tùm quidem mediatoris munus obierit, ſed quia aliquando in humana natura obiturus erat id munus, verbum tamen aut Deus non poterit dici mediator, ut Deus aut verbum ſeu ratione divinitatis. Et hoc eſt quod docet D. Auguſtin. non modo hoc loco, verùm etiam lib. 10. Confeſſ. c. 43. & ſerm. 11. de verbis Apoſtoli, & lib. 2. de peccato originali, cap. 28. & ratio eſt manifeſta. Quæ enim Chriſto conveniunt ratione humanæ naturæ, de eo dici nequeunt cum reduplicatione, ſeu determinatione divinitatis:* (at eiusmodi eſt mediatoris munus, oravit enim pro nobis, ſatisfecit pro nobis, ſeipſum pro nobis obtulit, nobis denique meruit, ut homo & ratione humanæ naturæ, non ratione divinæ,) *quemadmodum ex ἐναντίας quæ conveniunt illi ratione divinitatis, dicuntur de hoc homine Chriſto, ut, hic homo eſt ab æterno, hic homo creavit cœlum & terram, non tamen cum reduplicatione humanæ naturæ. Ratio etiã cur non dicatur mediator ut Verbũ, ſed prout homo, eſt D. Auguſt. D. Thomæ,* quia de ratione medii eſt, quod diſtet ab utroque extremo: Verbum autem prout Deus, eſt idem cum Patre & Spiritu ſancto, ſed prout homo, diſtat & à Deo in natura, & ab hominibus in dignitate gratiæ & gloriæ. *Minimè ergo erit alienum à doctrina D. Auguſtini ſi dicamus Chriſtum ut Deum hominem conjunctim fuiſſe mediatorem. Ipſe enim ita loquitur homil. de ovib. cap. 12.* mediator Dei & hominum, quia Deus cum patre, homo cum hominibus, non mediator homo propter deitatem, non mediator Deus propter humanitatem, *ut enim loquitur D. Thomas,* ſi ſubtrahatur à Chriſto divina natura, ſubtrahetur per conſequens ab eo ſingularis plenitudo gratiarum: quæ ei convenit inquantum eſt unigenitus à patre, ex qua plenitudine habet, ut ſit ſuper omnes homines conſtitutus, & plenius ad Deum accedat, *quæ præterea (quod addo) neceſſaria eſt ad obeundum perfectè mediatoris munus, & ob infinitam dignitatem ſuppoſiti actiones eius humanæ habebant infinitam quandam dignitatem & valorem. Deinde ut Chriſtus diſtet ab utroq; extremorum, id eſt, à Deo & hominibus, non neceſſe eſt ipſum tantummodo ut hominem fuiſſe mediatorem, ſed ſufficit ſi mediator aſſeratur ut Deus & homo ſimul. Nam nec Deus eſt utrumq; ſimul, nec etiam homo eſt medium hoc modo*

per

per participationem utriuſq; extremi, quia Deus cum Patre & Spiritu ſancto, & homo cum hominibus, diſtans tamen à Deo, quia eſt Deus homo, diſtans ab hominibus, quia eſt homo Deus. Verùm ubi quæritur, per quid proximè & immediatè tanquam per formam & principium operandi obierit officium mediatoris, dicendum, mediatorem fuiſſe tantùm ut hominem, quod D. Thomas intellexit loco citato cum D. Auguſtino & Theol 3. diſt. 19. Si verò quæratur per quid omninò mediator fuerit, ſive tanquam per id, quo proximè hoc officium exercuerit, ſive tanquam per id, à quo tanquam à ſuppoſito valorem acceperit eius muneris functio, reſpondetur optimè, fuiſſe mediatorem Chriſtum non tantum, ut hominem, neq; tantùm ut Deum, ſed conjunctim ut Deum & hominem. Sancti enim Patres docuerunt, non potuiſſe Chriſtum perfectè munus mediatoris obire, niſi eſſet Deus: Ita Leo Papa Epiſt. 83. ad Palæſtinos. Qua ratione, *inquit*, mediatoris veritatem impleret, niſi qui in forma Dei æqualis erat Patri, in forma ſervi particeps eſſet & noſtri? *Et Vigilius lib. 5. contra Eutychi.* Unde enim (*inquit*) medius erit, ſi utramque naturam non habeat? niſi talem dederis inter Deum & homines, qui ita ſit medius, & ex utroq; uterque ſit, *id eſt*, ut Deus ſit propter divinitatis, & idem homo ſit propter humanitatis naturam, humana divinis, quemadmodum reconcilientur, non inveniens. *Eadem eſt ſententia D. Fulgentij lib. 1. ad Thraſimundum, D. Irenei lib 3. cap. 20. Divi Athanaſij lib. de ſuſcepta human. contra Apollinarem.*

μ Ideo quando in forma ſervi, &c.] *Illud Pſal. 8.* Paulo minus ab Angelis minoratus, *D. Paulus Hebræor 2. Chriſto accommodat: quod verò ſcribit hoc loco Ludovicus Vives, Chriſtum nunquam apud eos, qui ſolum hominem intuebantur, profeſſum, ſe Deo parem eſſe, videtur mihi ſcripturis adverſari, in quibus ſæpenumerò Chriſtus ſe Deum, Dei filium, eundem cum patre prædicat. Quid illud ergo,* Ego & pater unum ſumus. Et ego in patre, & pater in me eſt, & baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. *Quod ſatis intellexerunt Iudæi Joan. 10.* Cum homo ſis, te ipſum facis Deum.

ν Idem in inferioribus via vitæ, qui in ſuperioribus vita.] *Ita Joan. 14. ſe viam & vitam nominat, ut enim via eſt, per quam ab uno loco ad alterum fit tranſitus, ita per Chriſtum à miſeriis huius ſæculi ad æternam beatitudinem nobis veniendum, Epheſ. 2.* per ipſum habemus ambo acceſſum, in uno ſpiritu ad patrem.

CAP. XVI.

An rationabiliter Platonici definierint deos cœleſtes declinantes terrena contagia, hominibus non miſceri, quibus ad amicitiam deorum dæmones ſuffragentur.

NOn enim verum eſt, quod idem Platonicus ait, dixiſſe Platonem, nullus Deus miſcetur homini. Et hoc præcipuum eorum ſublimitatis ait eſſe ſpecimen, quòd nulla attrectatione hominum contaminantur. Ergo dæmones contaminari fatetur, & ideo eos, à quibus contaminantur, mundare non poſſunt, omnesque immundi pariter fiunt, & dæmones contrectatione hominum

minum

minum, & homines cultu dæmonum. Aut ſi & contrectari miſcerique * hominibus, nec tamen contaminari dæmones poſſunt, diis profectò meliores ſunt, quia illi, ſi miſcerentur, contaminarentur. Nam hoc deorum dicitur eſſe præcipuum, ut eos ſublimiter ſeparatos humana contrectatio contaminare non poſſit. *a a* Deum quidem ſummum omnium creatorem, quem nos verum Deum dicimus, ſic à Platone prædicari aſſeverat, quòd ipſe ſit ſolus, qui non poſſit penuria ſermonis humani quavis oratione vel modicè comprehendi, vix autem ſapientibus viris, *ß* cùm ſe vigore animi, quantum licuit, à corpore removerunt, *b* intellectum hujus Dei id quoque interdum velut in altiſſimis tenebris *c* rapidiſſimo coruſcamine lumen candidum intermicare. Si ergo ſupra omnia verè ſummus Deus intelligibili & ineffabili quadam præſentia, etſi interdum, etſi tanquam rapidiſſimo coruſcamine lumen candidum intermicans, *d* adeſt tamen ſapientium mentibus, cùm ſe quantum licuit à corpore removerunt, nec ab eis contaminari poteſt: quid eſt quòd iſti dii propterea conſtituuntur longè in ſublimi loco, ne contrectatione contaminentur humana? Quaſi verò aliud corpora illa ætherea quàm videre ſufficiat, quorum luce terra, quantum ſufficit, illuſtratur. Porrò ſi non contaminantur ſydera, cùm videntur? quos deos omnes viſibiles dicit, nec dæmones hominum contaminantur aſpectu, quamvis de proximo videantur. An fortè vocibus humanis contaminarentur qui acie non contaminantur oculorũ: & ideo dæmones medios habent, per quos eis voces hominum nuntientur, à quibus longè abſunt, ut incontaminatiſſimi perſeverent. Quid jam de cæteris ſenſibus dicam? Non enim olfaciendo contaminari vel dij poſſent ſi adeſſent: vel cùm adſunt dæmones, poſſunt vivorum corporum vaporibus humanorum, *γ* ſi tantis ſacrificiorum cadaverinis non contaminantur nidoribus. In guſtandi autem ſenſu nulla neceſſitate recipiendæ mortalitatis urgentur, ut fame adacti, cibos ab hominibus quærant. Tactus verò in poteſtate eſt. *e* Nam licet ab eo potiſſimum ſenſu contrectatio iſta dicta videatur, hactenus tamen ſi vellent miſcerentur hominibus, ut viderent, & viderentur, audirent, & audirentur. Tangendi autem quæ neceſſitas? Nam neque homines id concupiſcere auderent, cùm deorum vel dæmonum bonorum conſpectu vel colloquio fruerentur. Etſi in tantum curioſitas progrederetur, ut vellet quonam pacto quiſpiam poſſet invitum tangere Deũ, vel dæmonẽ, qui niſi captũ non poteſt paſſerẽ? Videndo igitur viſibusq; ſe præbendo & loquendo & audiendo, dii corporaliter miſceri hominibus poſſent. Hoc autem modo dæmones ſi miſcentur, ut dixi, & non contaminantur, dii autẽ contaminarentur, ſi miſcerentur, incontaminabiles dicunt dæmones & contaminabiles deos. Si autẽ contaminantur & dæmones, quid conferunt hominibus ad vitam poſt mortem beatam, quos contaminati mũdare non poſſunt, ut eos mundos diis contaminatis poſſint adjungere, inter quos & illos medii conſtituti ſunt? Aut ſi hoc eis beneficii non conferunt, quid prodeſt hominibus dæmonum amica mediatio? An ut poſt mortem

* al. miſceri

non ad deos homines per dæmones tranſeant, ſed ſimul vivant utrique contaminati, ac per hoc neutri beati? Niſi forte quis dicat more ſpongiarum, vel hujuſcemodi rerum mundare dæmones amicos ſuos, ut tantò ipſi ſordidiores fiant, quantò fiunt homines eis velut tergentibus mundiores. Quòd ſi ita eſt, contaminatioribus dii miſcentur dæmonibus, qui ne contaminarentur, hominum propinquitatem contrectationemque vitârunt. An forte dii poſſunt ab hominibus contaminatos mundare dæmones, nec ab eis contaminari, & eo modo non poſſunt, & homines? Quis talia ſentiat, niſi quem fallaciſſimi dæmones deceperunt? Quid, quòd ſi videri & videre contaminat? Videntur ab hominibus dij, quos viſibiles dicit, *f* clariſſima mundi lumina, & cætera ſidera, tutioresque ſunt dæmones ab iſta hominum contaminatione, qui non poſſunt videri, niſi velint? Aut ſi non videri, ſed videre contaminat, negent ab iſtis clarisſimis luminibus, quos deos opinantur videri homines, cum radios ſuos terras uſque pertendant. Qui tamen eorum radii per quæq; diffuſi immunda inde non contaminantur, & dii contaminarentur, ſi hominibus miſcerentur, etiam ſi eſſet neceſſarius in ſubveniendo contactus. Nam radiis ſolis & lunæ terra contingitur, nec iſtam contaminat lucem. Miror autem plurimum tam doctos homines, qui cuncta corporea & ſenſibilia, incorporalibus & intelligibilibus poſtponenda judicaverunt, cùm agitur de beata vita, corporalium contrectationum facere mentionem. *g* Ubi eſt illud Plotini, ubi ait: Fugiendum eſt igitur ad clariſſimam patriam, & ibi pater, & ibi omnia? *h* Quæ igitur claſſis, inquit, aut fuga? Similem Deo fieri? Si ergo Deo quantò ſimilior, tantò fit quiſque propinquior, nulla eſt ab illo tanta longinquitas, quàm ejus diſſimilitudo. Incorporali verò illi æterno, & incommutabili, tantò eſt anima hominis diſſimilior, quantò rerum temporalium, mutabiliumque cupidior.

L. Vivi. *a* DEum quidem ſummum.] *Hoc in deo Socratis. Simile in dogmatis Platonis, de Deo ex Platone loquens, quem quidem cæleſtem pronunciant, indictum, innominabilem, ut ait ipſe οὐράνιον ἀνώνυμον, καὶ ἄρρητον, cujus naturam invenire difficile eſt, ſi inventa ſit, in multos eam enunciare non poſſe. Platonis hæc verba ſunt, θεὸν μὲν εὑρεῖν οὐ ῥᾴδιον, γνῶναι δὲ ἀδύνατον. id eſt, Deum quidem inveniſſe haud facilè eſt, intellexiſſe autem impoſſibile. Sic Apuleius. Plato verò in Timæo inquit, τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Autorem, inquit, & parentem hujus univerſitatis invenire operoſum eſt, & inventum fieri non poteſt, ut in vulgus commodis verbis efferas. In Parmenide verò de uno illo diſputans ait, nullum ei nomen eſſe inditum, non definiri, non ſcientia capi, non in ſenſus incurrere nullam de eo haberi opinionem: quocirca neq; nominari, neq; dici, neq; cogitatione comprehendi, neq; cognoſci, nec ab ullo ente ſentiri.*

b Intellectum hujus Dei.] *Sunt veſtigia in rebus humanis nonnulla, ex quibus cognoſci poteſt opifex ille univerſitatis, tametſi procul, velut lumine quodam inter denſiſſimas tenebras intermicante: & non a quibuslibet, ſed iis duntaxat, qui*

acutiſ-

acutiſſima ingenij præditi acie, totam ejus vim in eam, quam intenſiſſimè converterint.

c Rapidiſſimo coruſcamine.] *Vulgo legitur rapaciſſimo, ſignificat exiſtentem ſubitò lucem illam divinam celerrimè ſe ſubducere, & relinquere humanis mentibus, quæ eam ſpectarunt, ceu ſpeciem quandam levem, & non altè impreſſam, ſed quæ ſatis indicet maximum quiddam illud fuiſſe, ac admirandum.*

d Adeſt tamen ſapientium mentibus.] *Ait non ita præterire notitiam illam divinitatis, quin ſubſiſtat in mente ſapientis, quoties ac quandiu eam ſapiens purè ac ſanctè quærit.*

e Nam licet ab eo potiſſimùm ſenſu.] *Contrectatio à tractando ducitur, quod fit tangendo.*

f Clariſſima mundi lumina.] *Apuleius in deo Socratis. Nam perinde ut majeſtas poſtulabat, diis immortalibus cælum dicavit, quos quidem deos cælites partim viſu uſurpamus, ut,*

> *Vos ò clariſſima mundi.*
> *Lumina, labentem cælo, quæ ducitis annum.*

Verſus ſunt Verg. lib. 1. Georg. de Sole & Luna.

g Ubi eſt illud Plotini.] *In Codice Colonien. legitur, Vbi eſt illud Platonis, ubi ait, fugiendum eſt igitur ad clariſſimam patriam, & ibi pater, & ibi omnia.*

h Quæ igitur claſſis, inquit, aut fuga? ſimilem Deo fieri.] *Sententia eſt hæc Platonica, quam in ſuperiore libro poſuimus. Patriam noſtram cælum appellat, quòd inde exulamus: clariſſimam, quòd illic pura omnia, illuſtrata: certa hic turbulenta, tenebris obruta, incerta: ibi pater hujus univerſitatis, & circa omnium regem, ut ad Dionyſium Plato ſcribit. Quomodò illuc confugietur, cùm tantum abſit, nec ulla ſit eò noſtris omnibus via? reſpondit, unicam eſſe apertam & expeditiſſimam viam ſequi Deum, & ejus fieri, quantum humana vis valeat ſimilem. Hæc una res, non illuc ſuſtollit.*

α DEum quidem ſummum omnium creatorem.] *Quæ refert ex Apuleio, ſunt in libro de dogmate Platonis, ubi ita ſcribit.* Hæc de Deo ſentit (*Plato*) quod is ſit incorporeus, unus, & ut ait, ἀπερίμετρος *genitor, beatus, beatificus, optimus, nihilo indigens, ipſe conferens cuncta, quem quidem cæleſtem pronuntiant, indictum, innominabilem, ut ipſe ait* οὐράνιον, ἀμύθητον, ἄρρητον, *cuius naturam invenire difficile eſt, ſi inventa ſit in multos eam enunciari non poſſe.* Platonis hæc verba ſunt. θεὸν μὲν εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα ἀδύνατον ἐς πάντας λέγειν. *Quod ex Platone referunt Euſebius lib. 3. de demonſtr. Evang. cap. 8 Gregorius Nazianzenus Orat. 2. de Theologia, Clemens Alexandrinus in Exhortat. ad Gentes.* KL. Coq.

β Cùm ſe quantum licuit à corpore removerunt.] *Hoc dicit Plato in Phædone, Philoſophorum illud eſſe maximum munus animum à corpore exſolvere atque liberare.*

γ Si tantis ſacrificiorum cadaverinis non contaminantur.] *Docet Tertullianus in Apologetico cap. 22. dæmones ſibi pabula propria nidoris & ſanguinis provocare ſimulacbris imaginibus oblata, ut illic ex Zephyro ſcribit Pamelius, tota*

Magia teſtatur) ſpiritus malos nidore & ſanguine delectari, *quod cùm alij tùm Homerus in ſuis necromantiis non abs re ſervavit. Id videre eſt infra lib. 10. c. 11. ex Epiſt. Porphyrij ad Anebuntem, & libro Reſponſorum.*

δ Ubi eſt illud Plotini ubi ait.] *Ex Plotino Enne. 1. lib. 6. ubi his verbis ita ſcribit,* Φεύγωμεν δὴ φίλην ἐς πατρίδα, ἀληθέστερον ἄν τις παρακελεύοιτο. *Paulò poſt:* Πατρὶς δὲ ἡμῖν ὅθεν παρήλθομεν, καὶ πατὴρ ἐκεῖ. *Non modo Theologi verùm, & Philoſophi cœlum patriam noſtram dixerunt. Anaxagoram cuidam ſe ita compellanti, nullane tibi cura eſt patriæ? Laertius reſpondiſſe teſtatur,* εὐφήμει· ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος, *in cœlum digito intenſo.*

ε Quæ igitur claſſis aut fuga.] *Ibi Plotinus,* τίς οὖν ὁ στόλος καὶ ἡ φυγή; οὐ ποσὶ δεῖ ἵππων ὄχημα ἤ τι θαλάττιον παρασκευάσαι, ἀλλὰ ταῦτα πάντ' ἀφεῖναι δεῖ, καὶ μὴ βλέπειν, ἀλλ' οἷον μύσαντα ὄψιν ἄλλην ἀλλάξασθαι καὶ ἀναγεῖραι, ἣν ἔχει μὲν πᾶς, χρῶνται δὲ ὀλίγοι.

ζ Similem Deo fieri.] *Id certè Plotinus ex ſententia Platonis egregiè & Chriſtianè docet Enne. 1. lib. 2.* ἐπειδὴ τὰ κακὰ ἐνταῦθα καὶ τόνδε τὸν τόπον περιπολεῖ, ἐξ ἀνάγκης δὲ βούλεται ἡ ψυχὴ φυγεῖν τὰ κακά, φευκτέον ἐντεῦθεν. τίς οὖν ἡ φυγή. θεῷ φησὶν ὁμοιωθῆναι, τοῦτο δὲ εἰ δίκαιοι καὶ ὅσιοι μετὰ φρονήσεως γενοίμεθα, καὶ ὅλως ἐν ἀρετῇ. *& rectè quidem Platonem citat. Nam hæc habet divinus Plato in Theæteto,* Ἀλλ' οὔτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατόν, ὦ Θεόδωρε. ὑπεναντίον γάρ τι τῷ ἀγαθῷ ἀεὶ εἶναι ἀνάγκη. οὔτ' ἐν θεοῖς αὐτὰ ἱδρῦσθαι, τὴν δὲ θνητὴν φύσιν, καὶ τόνδε τὸν τόπον περιπολεῖ ἐξ ἀνάγκης, διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα, φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ τὸ κατὰ δυνατόν. ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. Danda, *inquit*, opera ut hinc illuc quam celerrimè effugiamus. fuga autem eſt ut Deo, quam proximè fieri poterit, aſſimilemur. Deo autem nos aſſimilat juſtitia & ſanctitas cum prudentia conjuncta,

Cap. XVII.

Ad conſequendam vitam beatam, quæ in participatione eſt ſummi boni, non tali mediatore indigere hominem, qualis eſt dæmon, ſed tali, qualis eſt unus Chriſtus.

HOc ut ſanetur, quoniam immortali puritati, quæ in ſummo eſt, ea, quæ in imo ſunt mortalia & immunda, convenire non poſſunt: opus eſt quidem mediatore, non tamen tali, qui corpus quidem habeat immortale propinquum ſummis, animum autem morbidum ſimilem infimis: quo morbo nobis invideat potius, ne ſanemur, quàm adjuvet, ut ſanemur: ſed tali, qui nobis infimis ex corporis mortalitate coaptatus, immortali ſpiritus juſtitia, per quam non locorum diſtantia, ſed ſimilitudinis excellentia manſit in ſummis, mundandis liberandiſque nobis verè divinum præbeat adjutorium. Qui profectò incontaminabilis Deus, abſit ut contaminationem timeret a a ex homine, quo indutus eſt, aut ex hominibus, inter quos in homine converſatus eſt. Non enim parva ſunt hæc interim duo, quæ ſalubriter ſua incarnatione monſtravit, nec in carne poſſe contaminari veram divinitatem: nec ideò

ideò putandos dæmones nobis eſſe meliores, quia non habent carnem. Hic eſt, ſicut eum prædicat ſancta ſcriptura, *mediator Dei & hominum, homo Chriſtus JESUS*, de cujus divinitate, qua patri eſt ſemper æqualis, & humanitate, qua nobis factus eſt ſimilis: non hic locus eſt, ut competenter pro noſtra facultate dicamus. 1. Tim. 2.

* (*a* EX homine quo indutus eſt.] *Sic ſemper Auguſtinus & Hieronymus, & cæteri Latini ſcriptores noſtræ religionis. Græci* ἀνθρώπων *in Chriſto dicunt, id eſt, hominem: nec ferè norunt aliud loquendi genus, cum de aſſumpto à filio Dei homine loquuntur. Recentiores Theologi, ut ipſi ſoli de cælo cecidiſſe videantur, ſcrutata tota Chriſti & divinitate & humanitate, invenerunt, non hominem aſſumpſiſſe, ſed humanitatem, & hoc dicunt eſſe adverſum hæreticos tutiſſimum: ceu parum tuti futuri eſſemus Auguſtini & Hieronymi dictis muniti. At illi, inquiunt, humanitatem ſenſère, cum hominem dixerunt. Loquantur ergo iſti ut illi, & ſic ſentiant. Sed iſti linguarum peritiores, & totius rationis loquendi rudem illam vetuſtatem & inſciam Latini Græciq; ſermonis emendant, & expoliunt. Verùm omnium falſiſſimum eſt, quòd cum nefas putent, à veteribus noſtræ pietatis ſcriptoribus diſſentire, ipſi cùm diſſentiunt, acuti ſibi videntur: alios ſi à ſe diſcedant, antiquis accedentes, hæreticos continuò clament. Nam ſi quis in ſcholis frequentibus Theologiæ candidatis, & præcipuè qui religioſiores videri & dici affectant, idq; jam prope obtinuerunt, ſi quis ergo apud iſtos ajat, Chriſtum aſſumpſiſſe hominem, pro hæretico maximis convitiis exceptus è conceſſu ejiceretur. At, inquiunt, homo nomen eſt ſuppoſiti, humanitas nomen eſt naturæ: quis hæreticus non ſe irridere nos putet, ſi hiſce utatur: quis non irrideri, ſi utamur?)* L. Vives.

a EX homine quo indutus eſt.] Verbum induiſſe hominem & aſſumpſſe *frequens eſt locutio apud D. Auguſtinum, ut videre eſt etiam infra lib. 10. c. 22. & 29. lib. de agone Chriſti, cap. 11. epiſt. 66. enarrat. in Pſalm. 4. & 29. ita etiam loquitur Concilium Toletanum 6. & 11. in confeſſ. fidei, & Anſelm. lib. de incarnat. cap. 15. D. Thomas tamen 3. p. q. 4. art. 3. docet non propriè dici*, Deum aſſumpſiſſe hominem, *quem ſequuntur Scholaſtici Theologi 3. diſt. 6. quia* homo non tantùm complectitur naturam humanam, ſed naturam in ſuppoſito, ſive naturam ſubſiſtentem, qualem non aſſumpſit Chriſtus. *Itaq; huiuſmodi locutiones non ſunt extendendæ tanquam propriæ, ſed piè ſunt exponendæ, ubicunq; à ſacris doctoribus ponuntur, ut dicamus hominem aſſumptum, vel indutum à verbo*, quia eius natura eſt aſſumpta, & quia aſſumptio ad hoc terminata eſt, ut filius Dei ſit homo. F. I. Coqu.

β Nec in carne poſſe contaminari veram divinitatem.] *Libro de agone Chriſtiano, cap. 18. id docet exemplo ſolis iſtius viſibilis*, qui radios ſuos per omnes fæces & ſordes corporum ſpargit, eos tamen mundos & ſinceros ubique ſervat. Si ergo viſibilia munda viſibilibus immundis contingi poſſint, & non inquinari, quanto magis inviſibilis, & incommutabilis veritas per ſpiritum animam, & per animam corpus ſuſcipiens toto homine aſſumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla ſua contaminatione liberavit.

γ Nec ideo putemus dæmones eſſe nobis meliores.] *Idem lib. 13. de Trinit. c 17. quandoquidem ſic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus ſubſtantiis fieret una perſona, ac per hoc jam ex tribus, ſcilicet Deo, anima & carne, ut ſuperbi illi maligni ſpiritus, qui ſe ad decipiendum quaſi ad adjuvandum medios interponunt, non ideo audeant ſe homini præponere, quia non habent carnem: & maximè quia & mori in eadem carne dignatus eſt filius Dei, ne ideo illi tanquam deos ſe coli perſuadeant, quia videntur eſſe immortales.*

Cap. XVIII.

Quod fallacia dæmonum, dum ſua interceſſione viam ſpondet ad Deum, hoc conatur, ut homines à via veritatis avertat.

FAlſi autem illi fallacesque mediatores dæmones, qui cùm per ſpiritus immunditiam miſeri ac maligni multis effectibus clareant, per corporalium tamen locorum intervalla, & per aereorum corporum levitatem, à provectu animorum nos avocare atque avertere moliuntur: & α non viam præbent ad Deum, ſed, ne via teratur, impediunt: quandoquidem & in ipſa via corporali, quæ falſiſſima eſt, & pleniſſima erroris, qua non iter agit juſtitia, quoniam non per corporalem altitudinem, β ſed per ſpiritualem, hoc eſt incorporalem ſimilitudinem ad Deum debemus aſcendere, in ipſa tamen corporali via, quam dæmonum amici per elementorum gradus ordinant, inter æthereos deos opinantur habere præcipuum, ut propter hoc intervallum locorum contrectatione non contaminentur humana. Ita dæmones contaminari potius ab hominibus, quàm homines mundari à dæmonibus credunt, & deos ipſos contaminari potuiſſe, niſi loci altitudine munirentur. Quis tam infœlix eſt, ut iſta via mundari ſe exiſtimet, ubi homines contaminantes, dæmones contaminati, dii contaminabiles prædicantur, & non potius eligat viam, ut ab incommutabili Deo γ ad ineundam ſocietatem incontaminatorum angelorum, homines à contaminatione mundentur?

F.L.Coq α Non viam præbent ad Deum, ſed ne via teratur, impediunt.] *Latrunculos quoſdam eos vocat D. Gregorius, qui viam noſtram obſident.*

β Per ſpiritualem, id eſt, incorporalem ſimilitudinem.] *Non enim greſſibus corporis, ſed affectibus mentis itur ad Deum.*

γ Ad ineundam ſocietatem incontaminatorum Angelorum.] *Nobis enim in cœlo promittitur ſocietas Angelorum, eadem beatitudo & idem gloria ſtatus. Matth. 22.* Erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. *Hebr. 13.* acceſſiſtis ad Hieruſalem cœleſtem civitatem Dei viventis, multorum millium Angelorum frequentiam. *Apocal. 21.* menſura Angeli erit menſura hominis.

Cap. XIX.

Quòd appellatio dæmonum jam nec apud cultores eorum aſſumatur in ſignificationem alicuius boni.

Sed

SEd ne de verbis etiam nos certare videamur, quoniam nonnulli iſtorum, ut ita dixerim, dæmonicolarum, in quibus & Labeo eſt, *a α* eoſdem perhibent ab aliis angelos dici, quos ipſi dæmones nuncupant: jam mihi de bonis angelis aliquid video diſſerendum, quos iſti eſſe non negant, ſed eos bonos dæmones vocare, quàm angelos malunt. *b* Nos autem, ſicut ſcriptura loquitur, ſecundum quam Chriſtiani ſumus, *β* angelos quidem partim bonos, partim malos, *γ* nunquam verò bonos dæmones legimus. Sed ubicunque illarum literarum hoc nomen poſitum reperitur, ſive dæmones, ſive dæmonia dicantur, non niſi maligni ſignificantur ſpiritus. Et hanc loquendi conſuetudinem intantum populi uſquequaque ſecuti ſunt, *c* ut eorum etiam, *δ* qui Pagani appellantur, & deos multos ac dæmones colendos eſſe contendunt, nullus ferè ſit tam literatus & doctus, *ε* qui audeat in laude vel ſervo ſuo dicere, dæmonem habes, ſed quilibet hoc dicere voluerit, non ſe aliter accipi, quàm maledicere voluiſſe, dubitare non poſſit. Quæ igitur nos cauſa compellit, at poſt offenſionem aurium tam multarum, ut jam penè ſint omnium, quæ hoc verbum non niſi in malam partem audire conſueverunt, quod diximus, cogamur exponere, cùm poſſimus angelorum, nomine adhibito, eandem offenſionem, quæ nomine dæmonum fieri poterat, evitare.

a EOſdem perhibent ab aliis angelos dici.] *Ἄγγελος enim nuncius eſt. Hinc in fabulis Græcis legere frequenter eſt, ἀγγέλου πρόσωπον, ut apud Eurip. Ἰφιγένεια: ita cum ſint dæmones nuncij atq; interpretes deorum & hominum, angeli nominantur, ſicut ab eodem munere Mercurius angelus. Sic Trimegiſtus vocat, & Martianus Capella de dæmonibus loquens, & cùm cogitationum arcana ſuperæ nunciat poteſtati, angelus poterit nominari.* L. Vives.

b Nos autem ſicut ſcriptura loquitur.] *In Evangelio de angelis bonis crebra mentio, & Chriſtus angelos diaboli nuncupat.*

c Ut eorum etiam qui Pagani:] *Dixi antea, poſt Chriſtum natum nomen dæmonis fuiſſe ſuſpectum & odioſum tanquam rei maleficæ atq; improbæ, non vulgo magis quam philoſophis.*

α EOſdem perhibent ab aliis Angelos dici.] *Dæmonum quidem nomine uſi ſunt Philoſophi, Angelorum nomen proprium eſt ferè ſcripturæ ſacræ, & eſt officij nomen, non naturæ, ac idem eſt quod nuntius, ut ſcribit D. Auguſt. l. 5. de Gen. ad Lit. c. 19. & Pſ. 104. exponens in illa verba,* Qui facit angelos ſuos ſpiritus, ſenſus eſt, qui facit ſpiritus ſuos nuncios, *quod itaq; Tertullianus habet in Apologet. cap. 22.* Angelos quoq; etiam Plato non negavit, *id non ita intelligendum, quod Plato aliquando uſus ſit hoc nomine, ſed quod officium Angelorum, id eſt, nuntiorum dæmonibus tribuat, qui ſuperis noſtra acta nuntient, & illinc ad nos eorum perferant mandata.* F. L. Coq.

β Angelos quidem partim bonos, partim malos.] *Philo lib. περὶ ὀνείρων. δαίμονας μὲν οἱ φιλόσοφοι, ὁ δὲ ἱερὸς λόγος ἀγγέλους εἴωθε καλεῖν. Nonnulli volunt ſtatim ſignificatos fuiſſe utroſq; Angelos per lucem, & tenebras initio Geneſ. Frequens mentio bonorum Angelorum in Scripturis ſacris:* Et Angelus Sathanæ trans-

transfigurat ſe in Angelum lucis. *Et Matthæi 22. Ignis inferni dicitur* paratus Diabolo & Angelis eius.

γ Nunquam verò bonos dæmones legimus.] *Etſi enim dæmones Angeli, nomen tamen Angelorum promiſcuè in ſcriptum bonis ac malis accommodatur, at nomine dæmonum non niſi mali Angeli intelliguntur, licet apud Philoſophos in bonam partem accipiatur.*

δ Qui pagani appellantur.] *Infideles in veteri teſtamento dicti, Græcis ἔθνη, gentes, quòd nimirum paucis unum Deum colentibus omnes nationes idolis ſervirent, iidem poſtea pagani dicti, quod cùm religio Chriſtiana longè lateq; ſe diffunderet, & Chriſtianis Imperatoribus ſacram religionem promoventibus idolorum templa clauderentur aut everterentur, illi idolorum cultores in anguſtum coarctati quaſi quibuſdam pagis jam concluderentur. Pagani etiam in juris civilis libris militibus opponuntur. Unde* Paganus ille eſt, qui non militat, *& miles ab Appiano, ςρατιώτης, paganus δημότης vocatur lib. 1. de bellis civilibus ἀςράτευτοι pagani L. 14. & L. 38. D. de teſtam. mil. L. 7. D. de diver. reg. jur. & L. 7. C. de teſtam. milit.* Sic turbam paganorum *accipe apud Suetonium in Auguſto cap. 27. & in Galba cap. 19. & homines in cultu pagano, cunctis armatis adverſos facit Plinius lib 7. Epiſt. 25. In conſtitutionibus Impp. Chriſtianorum, quæ in libros Codicis ſunt relatæ, alieni à fide noſtra pagani dicuntur. Ab hoc paganorum ſignificatu poſteaquam Chriſtiani eſſe in Romana Republica cœperunt, nobilem Chriſti militiam ac pro Chriſti confeſſione conſtantem aſſumentes, cæteros omnes, qui ab hac religione alieni forent, eleganti metaphora paganos nominarunt.*

ε Qui audeat in laude vel ſervo ſuo dicere, dæmonem habes.] *Tertullian. in Apologet. c. 22.* adhortatorium planè à bono omnes ſciunt poëtæ: *& lib. de teſtimo. animæ c. 3.* Dæmonium voces hominem aut immunditia, aut malitia, aut inſolentia, aut quacunq; macula, quam nos dæmonio deputamus, aut ad neceſſitatem odii opportunam, maximè poſt Chriſti adventum inviſum eſſe cœpit dæmonum nomen.

Cap. XX.

De qualitate ſcientiæ, quæ dæmones ſuperbos facit.

Quanquam etiam ipſa origo hujus nominis, ſi divinos intueamur libros, aliquid affert cognitione digniſſimum. α δαίμονες enim dicuntur, quoniam vocabulum Græcum eſt, ob ſcientiam nominati. Apoſtolus autem Spiritu ſancto locutus ait: *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Quod rectè aliter non intelligitur, niſi ſcientiam tunc prodeſſe: cùm charitas ineſt: ſine hac autem inflare, id eſt, in ſuperbiam inaniſſimæ quaſi ventoſitatis extollere. β Eſt ergo in dæmonibus ſcientia ſine charitate: & ideo tam inflati, id eſt, tam ſuperbi ſunt, ut honores divinos & religionis ſervitutem, quam vero Deo deberi ſciunt, ſibi ſategerint exhiberi, & quantum poſſunt, adhuc agunt. Contra ſuperbiam porrò dæmonum, γ qua pro meritis poſſidebant genus humanum, Dei humilitas, quæ in forma ſervi apparuit, quantam virtutem habeat, animæ

1. Cor. 8.

animæ hominum neſciunt, immunditia elationis inflatæ, dæmonibus ſimiles ſuperbia non ſcientia.

a DÆmones enim dicuntur. *δαίμω Græcis olim fuit ἐπίσταμαι καὶ γινώσκω, ſcio & novi. inde δαίμων, quaſi δαήμων, ut inquit autor magni etymologici. πάντα ἐπιστάμενος, καὶ γινώσκων. omnia ſciens & noſcens, ab eadem mente Plato in Cratylo δαίμονας dictos, quaſi δαήμονας tradit, à prudentia & peritia rerum, quem & alij ſecuti ſunt, velut Capella, qui ait, hos omnes Græci δαίμονας dicunt ἀπὸ τοῦ δαήμονας εἶναι. & Lactantius lib. 2. Dæmones, inquit, grammattici ajunt dictos, quaſi δαήμονας, id eſt, peritos, ac rerum ſcios, quibus Chalcidius in Timæum Platonis ſuffragatur.* L.Vives

a ΔΑΙΜΟΝΕΣ enim dicuntur.] *Plato in Cratylo δαίμονας dictos vult quaſi δαήμονας intelligentia & ſapientia valentes. Euſebius, lib. 5. de præpar Evang. cap. 3.* Non quia δαίμονες ſint, quod Latinè ſcientes dicere poſſumus, ſed quia δειμαίνειν ſoleant, quod Latinè tum timere, tum terrere ſignificat, *vult ita appellatos.* F.L.Coq.

β Eſt ergo in dæmonibus ſcientia ſine charitate.] *In illis enim naturalia remanſerunt, ſcientia autem pertinet ad naturæ ſictionem, charitas verò eſt donum ſupernaturale. Obſervat Magiſter ſect. 2. in ſcripturis primum Angelum dici Cherub, à nomine ſcientiæ, non autem Seraph; licet fuerit fortaſſe ex nobiliſſimo ordine & ſupremo Angelorum. Quod cùm Seraphim primus ordo dicitur à charitate ſupremo dono, Cherubim autem à ſcientia, charitas verò in eis non remanſerit, quia aliter de ſcienti ſentiendum, inde dictus Cherub, non Seraph.*

γ Qua pro meritis poſſidebant, genus humanum.] *Licet enim homo creatura Dei eſſet, & ex ea parte injuſtè diabolus ſibi Imperium in homines vendicaret, tamen ex parte hominis, qui per peccatum ſe diabolo ſubdiderat, ſub eius poteſtate juſtè detinebatur,*

CAP. XXI.

Ad quem modum Dominus voluerit dæmonibus innoteſcere.

IPſi autem dæmones etiam hoc ita ſciunt, ut eidem Domino infirmitate carnis induto, dixerint: *Quid nobis & tibi JESU Nazarene? Veniſti ante tempus perdere nos?* Clarum eſt in his verbis quod in eis & tanta ſcientia erat, & charitas non erat. Pœnam quippe ſuam formidabant ab illo, non in illo juſtitiam diligebant. a Tantùm verò eis innotuit, quantum voluit: tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed β ſic innotuit, non ſicut angelis ſanctis, qui ejus ſecundum id, quod Dei verbum eſt, participata æternitate perfruuntur, ſed ſicut eis terrendis innoteſcendum fuit, ex quorum tyrannica quodammodo poteſtate fuerat liberaturus, prædeſtinatos in ſuum regnum, & gloriam ſemper veracem & veraciter ſempiternam. Innotuit ergo dæmonibus non per id quod eſt vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios, cui videndo per fidem, quæ in illo eſt, corda mundantur: γ ſed per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta, & occultiſſimæ ſigna præſen- Marc.1.

tiæ, *a* quæ angelicis ſenſibus etiam malignorum ſpirituum, δ potius quàm infirmitati hominum poſſent eſſe conſpicua. Denique quando ea paululum ſupprimendo judicavit, & aliquanto altius latuit, ε dubitavit de illo dæmonum princeps, cumque *b* tentavit an Chriſtus eſſet, explorans ζ quantum ſe tentari ipſe permiſit, *c* ut hominem, quem gerebat, ad noſtræ imitationis temperaret exemplum. *d* Poſt illam verò tentationem, cùm angeli, ſicut ſcriptum eſt, miniſtrarent ei: boni utique & ſancti ac per hoc ſpiritibus immundis metuendi & tremendi, magis magiſque innoteſcebat dæmonibus, quantus eſſet, ut ei jubenti, *e* quanvis in illo contemptibilis videretur carnis infirmitas, reſiſtere nullus auderet.

L. Vives *a* QUæ angelicis ſenſibus.] *Miracula enim Chriſti admirabiliora erant angelis & dæmonibus, quàm hominibus, propterea quòd illi cauſas multarum rerum cùm noſſent, videbant omnem naturæ vim ſuperare: homines verò etſi magna atque admiranda eſſe non dubitabant, tamen non deerant, qui calumniarentur per Beelzebub principem dæmoniorum dæmonia ejici, non tam illud credentes ipſi, quàm conantes, ut imperita turba crederet. Quin & alij poſterioribus temporibus magum fuiſſe impiè mentiti ſunt, contra quos in libro de ſapientia Chriſtiana, Deo adjuvante, fusè diſputabo.*

b Eumque tentavi an Chriſtus eſſet, explorans.] *Dæmon cum homines tentat, hoc laborat tantum, ut peccent: cùm verò Chriſtum tentabat, non admodum erat de illius peccato ſolicitus. Sanctiorem enim illum ſciebat, quàm qui facilè induci poſſet, ut malè faceret, cognoſcere tantum avebat, an lateret Deus ſub humana forma.*

c Ut hominem quem gerebat.] *Ne ipſe veterum hominum conditioni videretur exemptus, quòd ſolus abiret intentatus: nec poſt illum alij, qui eum venerarentur, indignè ferrent tentari ſe, qui ſcirent invidentiſſimum illum & confidentiſſimum humani hoſtem generis, ne à Chriſto quidem temperaſſe.*

d Poſt illam verò tentationem.] *Et hoc quoque ad exemplum ſpectat poſteritatis. Nam ut nullus ſine tentatione præteribit, ita qui ſuperior fuerit in ea pugna, ſolatio miniſterioque fruetur angelorum, ſicut Hieronymus teſtatur.*

e Quanvis in illo contemptibilis.] *Inops, nudus, humili loco natus, ſine oſtentatione humanæ ſapientiæ, ſimili cohorte hominum comitatus.*

T. L. Coq. α TAntum eis innotuit, quantum voluit.] *Qua ratione Chriſtus dæmonibus innotuerit, docet hoc loco, de quo videndus D. Thom. 1. p. q. 64. art. 1. ad 4. & 3. p. q. 41. art. 1. Etſi velint nonnulli, impeditum fuiſſe dæmonem ab initio, ne myſterium incarnationis agnoſceret, non dubium eſt tamen, quin ſucceſſu temporis ex evidentia miraculorum Chriſti agnoverit, eum & eſſe Filium Dei naturalem, & præterea Meſſiam in lege promiſſum. Et ſi quidem ante Chriſti paſſionem non certo, ſed cum formidoloſo aſſenſu, ut docet D. Thomas, poſt reſurrectionem tamen id evidentius agnoviſſe certum, & ſi quam hæſitationem habuiſſet antea, eam abjeciſſe, & vel invitum crediſſe, cùm in Chriſti paſſione & reſurrectione tàm evidentia ſigna illius divinitatis experiretur.*

β Sic

β Sic innotuit non ſicut Angelis ſanctis.] *Myſterium incarnationis Angelis ſanctis ab initio ſtatim innotuiſſe docet lib. 5. de Geneſi ad Lit. cap. 9. & D. Thomas locis citatis, licet quoad particulares circumſtantias modum futuræ redemptionis hominum non planè myſterium illud perfectum habuerit, donec reipſa compleretur, & ab Apoſtolis prædicaretur, at idem D. Thom. 1. p. q. art. 5. ad 1. quo ſenſu intelligitur illud D. Pauli cap. 3. ad Eph.* Ut innoteſcat Principibus & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, *non quod Angeli ab Eccleſia Dei didicerint, ſed quod tunc primum intuitiva cognitione ſecundum omnes circumſtantias hoc myſterium cognoverint, quando manifeſtatum eſt eis ab Eccleſia.*

γ Sed per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta.] *Miracula intelligit, quæ erant externa ſigna & teſtimonia divinitatis Chriſti, quæq; ſufficienter eius divinitatem oſtendebant, ut docet ipſe D. Auguſt. epiſt. 3. ad Voluſ. & poſt eum D. Thom. 3. p. q. 43. art. 4. quibus convincebatur dæmon ad hoc, ut vel invitus crederet, & confiteretur, Chriſtum eſſe Deum, non verò infuſo quodam intus lumine divino, quale piis ac juſtis infunditur, myſterium illud agnoſcebat.*

δ Potius quàm infirmitati hominum poſſent eſſe conſpicua.] *Nam cum dæmones melius nōrint, quid viribus naturæ & ex concurſu cauſarum naturalium, vel etiam per Magicas artes fieri poſſet, quàm homines ipſi, facilius intelligebant, opera Chriſti miracula eſſe, quæ non niſi virtute divina fieri poterant, cùm homines aliquando virtuti dæmoniorum, vel Magicis artibus ea impiè attribuerint.*

ε Dubitavit de illo dæmonum princeps.] *Principem fuiſſe dæmoniorum, qui Chriſtum tentavit, conſtat ex ipſo textu ſcripturæ: nam dicitur tentatus à diabolo, quod in ſcriptura proprium eſt nomen, ſeu cognomen potius Lucifer principis dæmonum. Pſal. 108. Eph. 6. 1. Pet. 5. Apoc. 12. & 20. Quin & Chriſtus eum vocat Satanam, quo nomine princeps Dæmoniorum appellatur. Luc. 10.* videbam Satanam ſicut fulgur cadentem de cœlo. *Apoc. 12. vocatur Diabolus & Satanas:* & ſolvetur Satanas de carcere ſuo. *D. Gregorius homil. 16. in Evangel.* non eſt mirum, ſi ab illo permiſit in mortem duci, qui ſe permiſit etiam à membris eius crucifigi. *Nam membra diaboli ſunt omnes iniqui, nec decebat alium congredi cum Chriſto præter eum, de quo ipſe Joan. 20.* venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.

ζ Quantum ſe tentari permiſit.] *Quare Chriſtus tentari voluerit, & an conveniens fuerit, eum tentari, videndus D. Thom. 3. p. q. 41.*

CAP. XXII.

Quid interſit inter ſcientiam ſanctorum angelorum, & ſcientiam dæmonum.

HIs igitur angelis bonis omnis corporalium temporaliumque rerum α ſcientia, qua inflantur dæmones, vilis eſt: β non quòd earum ignari ſint, ſed quòd illis Dei, γ qua ſanctificantur, charitas chara eſt, præ cujus non tantum incorporali, verumetiam δ incommutabili & ε ineffabili pulchritudine, cujus ſancto amore inardeſcunt, omniaque infra ſunt, ζ & quod illud eſt,

non ſunt: *b* ſeque ipſos inter illas contemnunt, ut ex toto, quod boni ſunt, eo bono, ex quo boni ſunt, perfruantur. Et ideo certius etiam temporalia & mutabilia iſta noverunt, quia ζ eorum principales cauſas in verbo Dei conſpiciunt, per quod factus eſt mundus, quibus cauſis quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur. *c* Dæmones autem non æternas temporum cauſas & quodammodo cardinales in Dei ſapientia contemplantur, ſed quorundam ſignorum nobis occultorum, majore experientia multo plura quàm homines futura proſpiciunt, diſpoſitiones quoque ſuas aliquando prænunciant. Denique ſæpe iſti, nunquam illi omnino falluntur. Aliud eſt enim temporabilibus temporalia, & mutabilibus mutabilia conjectare, eisq; temporalem & mutabilem modum ſuæ voluntatis & facultatis inſerere, quod dæmonibus certa ratione permiſſum eſt. Aliud autem η in æternis atque incommutabilibus Dei legibus, quæ in ejus ſapientia vivunt, mutationes temporum prævidere, Deique voluntatem, *d* quæ tam certiſſima, quàm potentiſſima eſt divini * ſpiritus ejus participatione cognoſcere, quod ſanctis angelis recta diſcretione donatum eſt. Itaque non ſolùm æterni, verumetiam beati ſunt. Bonum autem, quo beati ſunt, Deus illis eſt, à quo creati ſunt. Illius quippe *e* θ Indeclinabiliter perticipatione, & contemplatione perfruuntur.

al. omnium.

L. Viver. Amor circa pulchra.

a INeffabili pulchritudine cujus ſancto amore.] *Amor enim ſemper eſt erga pulchra. Socrates apud Platonem in Phædro inquit, faciem honeſtatis & ſapientiæ, ſi oculis corporis cerneretur, mirabiles amores excitaturam ſui. Quid ſi Deus ille maximus videretur, qui quam ſit pulcher, ut eſt in libro Sapientiæ, vel ex hoc licet conjectari, quòd pulcherrima nobis videntur, quæ ille condidit. In Convivio Platonis Diotima divinam pulchritudinem unam eſſe dicit, quæ à beato debeat homine amari, ſicut ſuperiore nobis libro explicatum eſt.*

b Et quod illud eſt.] *Cùm omnia quæcunq; Deus non ſunt, præ Deo putent vilia & contemnenda, ſe ipſos quoq; inter cætera, quæ Deus non ſunt, habent deſpicatui, quæ cogitatio ita conjungit illos Deo, ut affixi beatitudini ipſius, ſine ulla cæterorum rerum cura ſempiternùm ſint beatiſſimi.*

c Dæmones autem non æternas temporum cauſas.] *Non enim cardinem ipſum, in quo ſitæ ſunt cauſæ omnes, & in quo volvuntur, intuentur: nec fontem nôrunt, unde manat, ſed quod majore ingenio, & acutiore quàm nos præditi, tam etiam rerum uſu propter immortalitatem maximo, facilius & præſentia intelligunt, & futura conjecturis aſſequuntur, quàm nos. Quo fit, ut cùm res omnes non ex principiis ſuis, ſed alienis conjecturis collecta, fallere poſſint, dæmones plerunq; ab eis fallantur, & mendacia dicant, etiam cùm ſe veriſſima dicere arbitrantur, jactant tamen ſe nihil ignorare. Nec ſolùm mentiri dæmonas impuros, ſed deos quoſq; ſuos Porphyrius credit.*

d Quæ tam certiſſima quàm potentiſſima.] *Certitudo voluntatis Dei eſt, quod quæcunq; velit, poteſt. Nam ſi aliquid eſſet, quod efficere nequiret, incerta ibi eſſet, cùm illud in ejus manu non foret ſitum. Nunc verò cùm omnia præſtare poſſit, quæ*

vult

vult, nihil ea fieri certius poteſt, hoc eſt, nihil certius eventurum eſt, quàm quæ ipſa vult, quippe quæ nihil non efficiet, quod volet, quocirca, qui voluntatem Dei ſpectant, certiſſimam originem, è qua univerſa proficiſcuntur, ſpectant. Idq; quoniam aliud non fit in mundo, quàm quod ea vult, rectè eſt igitur ab Auguſtino dictum tam eſſe voluntatem Dei certiſſimam, quàm potentiſſimam, ut potentia certitudinis voluntatis cauſa eſſe videatur. Qui ergo voluntatem illam intuentur angeli, & fœlices animi tantum ſciunt, quantum proportione beatitudinis videre permittuntur. Neque enim omnes eadem rerum cognitione donantur, inter quos beatitudinis quoq; ſunt gradus, idcirco diſcretionem illius eſſe ait.

e Indeclinabiliter participatione.] *Semper converſi & intenti in Deum agunt, ne vel minima averſione miſeri fiant, nec tamen non declinant, quod aliquid metuant, ſed quod beatitudo illa totos ad ſe tractos rerum omnium aliarum cogitationem & deſiderium ademit, duntaxat cùm illis ſit fons ipſe omnium, quæ excogitari poſſunt bona.*

α Scientia qua inflantur dæmones vilis eſt.] *Ut enim Angelis ſanctis omnia vileſcunt præ Deo, quem clarè intuentur, & cuius manifeſta viſione beati ſunt, ita cognitio rerum creatarum per ſpecies ſibi congenitas ſi cum viſione Dei beatifica mediante luce gloriæ conferatur, vilipendi omninò debet. ut enim habet Auguſtinus,* beatus, qui te & illa novit, non propter illa, ſed propter te beatus. *Et ſi verò in dæmonibus perfectio naturalis ſcientiæ remanſerit, ut quæ eis competit ex perfectione naturæ ipſorum, & cognitio etiam ſupernaturalis ſpeculativa, cognoſcunt enim aliqua ſupernaturalia myſteria, quæ eis vel per Angelos bonos revelantur, vel per aliquos divinæ virtutis effectus ei innoteſcunt, ut docet hoc loco D. Auguſtinus, nec tamen ea cognoſcunt per donum fidei; neq; enim in ſtatu, in quo ſunt, capaces ſunt alicuius doni gratuiti vel ſupernaturalis: Deinde cum nulla ſit eis relicta ſpes ſalutis, nec fides in eis remanſit, quæ* eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, *verùm deeſt illis cognitio ſupernaturalis practica & affectiva, quæ ſcilicet cauſa eſt efficax amoris Dei, & pertinet ad donum ſapientiæ; & de hac intelligitur locus D. Joan. 1. Epiſ. cap. 4.* Qui non diligit, non novit Deum, *nec enim eſt ſine charitate hæc cognitio, & hanc quidem habent Angeli beati, non verò dæmones, ut ſcribebat D. Aug. Epiſt. 119. ad Januarium cap. ult.* Scientia ad finem charitatis adhibita multùm eſt utilis, per ſe autem ipſam ſine tali fine, non modo ſuperflua, ſed etiam pernicioſa probata eſt. Huius modi eſt ſcientia dæmonum, adeoque reproborum hominum, qui ea inflantur. F.L.Coq.

β Non quod earum ignari ſint.] *Habent enim ſpecies rerum ſibi congenitas, quibus res in propria natura cognoſcunt. De hoc plura D. Auguſtinus lib. 4. de Geneſ. ad Lit.*

γ Qua ſanctificabantur, charitas chara eſt.] *Unde conſtat, charitatem etiam ipſam eſſe ex charitate diligendam. ut docet D. Thom. 2. 2. q. 22. art. 2. ex D. Auguſtino lib. 8. de Trinit. cap. 7.*

δ Immortali & ineffabili pulchritudine.] *Ex pulchritudine rerum creatarum, quæ eſt inſtar umbræ, ſatis conjicere licet, quàm incomprehenſibilis & ineffabilis*

fabilis pulchritudo creatoris, ideo meritò reprehenduntur Sap. 7. qui ſpecie rerum creatarum delectati eis divinitatem tribuerunt non conſiderantes, quantò dominator earum ſpecioſior ſit. *Divus Dionyſius libro de divin. nomin. cap. 4. ταυ-τὸ τἀγαθὸν ὑμνεῖται πρὸς τῶν ἱερῶν θεολόγων καὶ ὡς καλὸν καὶ ὡς κάλλος. ut pulchrum à Theologis prædicatur, ut & pulchritudo. Plato in convivio alia omnia humani illius pulcri participatione quadam, & vi precaria pulchra quodam modo dici affirmat. Legi poteſt & Plotinus Ennead. 5. libr. 8. περὶ τοῦ νοητοῦ κάλλους, de intelligibili pulchritudine, & Ennead. 6. lib. 7.*

ε Seque ipſos inter illa contemnere.] *Quòd ſe ex nihilo à Deo creato, & ſi ſibi ipſis ſubtracto divino influxu relinquerentur, in nihilum redituros intelligant, quod perfectione naturæ ad Deum magis accedant, & reliquas creaturas præcellant, id miræ divinæ voluntati adſcribant, quicquid perfectionis natura vel gratia in ſe ipſis vident divinæ bonitati accepto ferant, atq; ita ſolum creatorem ſe ipſis contemptis in admiratione habeant, & continuò magna, quanta fieri poteſt, ſubmiſſione adorent, in eumq; toti ferantur.*

ζ Eorum prinicipales cauſas in verbo Dei conſpiciant.] *Docet quomodo alia ratione quā dæmones, Angeli beati iſta temporalia & mutabilia ſive futura ſint, ſive præſentia cognoſcant, ſiquidem dæmones non niſi in ſeipſis per proprias ſpecies, quas apud ſe habent, quando exiſtunt, ea cognoſcunt, vel per ſigna quædam occulta ea futura conjiciunt, ſed Angeli beati præterea rerum ideas ſeu exemplares rationes rerum ipſarum productrices, quæ non ſunt aliud ab eſſentia divina, in verbo Dei conſpiciunt, hoc eſt, quod alibi docet, Angelos beatos habere duplicem rerum cognitionem, unam in eſſentia divina, quæ ab eo dicitur cognitio rerum in verbo, & cognitio* matutina; *alteram in ſeipſis per proprias ſpecies, quæ &* veſpertina *dicitur, de quibus infra lib. 11. cap. 7. & quas hic vocat* principales cauſas, *libr. 5. de Geneſi ad lit. cap. 23. vocat* æternas rationes eorum, quæ temporaliter facta ſunt, *ſubjungens ibidem*, in cuius incommutabili veritate rationes, ſecundùm quas creatura facta eſt, principaliter vident. *quin & docet, Angelos ipſos multo clarius in Dei eſſentia ſe videre, quàm ſe videant in ſeipſis. Hoc idem docet & D. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 2. & lib. 4. dialog. c. 33. Angelos beatos ex eo, quod ipſum ſcientiæ fontem contemplantur, de his, quæ ſcienda ſunt, nihil eſſe, quod non ſciant.* Ad videntes Deum per eſſentiam, omnia in eo videant, vel quæ ſint illa, quæ in Deo videntur à beatis. *Legi poteſt D. Thomas cum ſuis interpretibus 1. p. q. 12. art. 8. Certum enim eſt, Angelos beatos eorum, quæ temporaliter ſuccedunt, multa ignorare. Iſaiæ 62. videntur ſaltem ex parte ignoraſſe myſterium incarnationis*; Quis eſt iſte, qui aſcendit de Edon? quare rubrum eſt veſtimentum tuum? *ait D. Thomas, territos fuiſſe rei novitate. Angeli qui Daniel. 10. inter ſe certabant de liberatione Judæorum, videntur ignoraſſe divinam voluntatem. Marc. 13. leguntur ignorare diem judicij, ut intelligamus, eos non omnia, quæ futura ſunt, in Deo videre.*

η In æternis atq; incommutabilibus Dei legibus.] *Lex æterna ſumma eſt ratio in Deo exiſtens; ſeu ipſamet Dei ſapientia, quatenus in ſe rationem continet, quæ*

res

res omnes dirigendæ ſunt in ſuos fines, & gubernandæ, ut eadem ſapientia, quatenus continet modum, & rationem, qua ſingulæ res producendæ ſunt, vocatur ars. Ut enim artifex debet apud ſe habere conſtitutam rationem, qua res fieri debent, ita & gubernator debet conſtitutam rationem habere, qua res ſint gubernandæ & dirigendæ in ſuos fines. Atq; in Deo hæc eſt lex æterna incommutabilis, quæ in ſe quidem una eſt, ratione autem eorum, quæ huic legi ſubſunt, & varijs modis ſub divinam providentiam cadunt, ac in ſuos fines diriguntur, æternas & incommutabiles Dei leges *appellat; qua ratione &* voluntates *domini ſcriptura appellat, quatenus una & ſimpliciſſima voluntate Deus ipſe multa vult.*

§ Indeclinabiliter participatione & contemplatione perfruuntur.] *Nam illi perpetuò adhærent, & nunquam ab eo avertuntur, ad immutabilitatem tranſierunt, & eo verè immortaliter, quo immutabiliter vivunt. D. Gregorius libr. 25. moral. cap. 4.* Ipſi quoque Angelici ſpiritus, quia humiliter elegerunt, ei inhærere, à quo creati ſunt, hanc ipſam in ſe mutabilitatem ſuam ſtandi cum immutabilitate vicerunt, ut hoc ipſum meritò tranſcenderent, quod naturæ ſuæ ordine mutabilitati ſubeſſe potuiſſent.

CAP. XXIII.

Nomen deorum falſo adſcribi diis gentium, quod tamen & angelis ſanctis, & hominibus juſtis ex divinarum ſcripturarum autoritate commune eſt.

HOs ſi Platonici malunt deos, quàm dæmones dicere, *a* eiſque annumerare, quos à ſummo Deo conditos deos ſcribit eorum author & magiſter Plato, dicant quod volunt: non enim cum eis de verborum controverſia laborandum eſt. Si ergo eos ſic immortales aſſerunt, ut tamen à ſummo Deo factos etſi non per ſeipſos, ſed ei, à quo facti ſunt, adhærendo, beatos eſſe dicunt: hoc dicunt, quod dicimus, quolibet eos nomine appellent. Hanc autem Platonicorum eſſe ſententiam, ſive omnium, ſive meliorum, in eorum literis inveniri poteſt. Nam & de ipſo nomine, quo hujuſmodi immortalem beatamque creaturam deos appellant. *b* ideo β inter nos & ipſos penè nulla diſſenſio eſt, quia & in noſtris ſacris literis legitur: *Deus deorum dominus locutus eſt.* Et Pſ. 49.
alibi: *Confitemini Deo deorum.* Et alibi: *Rex magnus ſuper omnes deos.* Illud au- Pſ. 135. Pſ. 94.
tem ubi ſcriptum eſt: *Terribilis eſt ſuper omnes deos:* cur dictum ſit, deinceps o- Pſ. 95.
ſtenditur. *Sequitur enim: Quoniam omnes dij gentium dæmonia: dominus autem cælos fecit.* γ Super omnes ergo deos dixit, ſed gentium, id eſt, quos gentes pro diis habent, quæ ſunt dæmonia, ideo terribilis, ſub quo terrore domino dicebant: *Veniſti ante tempus perdere nos?* Illud verò ubi dicitur, *Deus deorum*, δ Marc. 1.
non poteſt intelligi Deus dæmoniorum: & rex magnus ſuper omnes deos, abſit ut dicatur rex magnus ſuper omnia dæmonia. Sed homines quoque in populo Dei, eadem ſcriptura deos appellat. *Ego*, inquit, *dixi, dij eſtis, & filij* Pſ. 81.
excelſi omnes. Poteſt itaque intelligi horum deorum Deus, qui dictus eſt Deus

deorum

deorum: & ſuper hos deos rex magnus, qui dictus eſt *rex magnus ſuper omnes deos.* Veruntamen cùm à nobis quæritur, ſi homines dicti ſunt dii, quod in populo Dei ſunt, quem per angelos vel per homines alloquitur Deus: quantò magis immortales eo nomine digni ſunt, qui ea fruuntur beatitudine, ad quam Deum colendo cupiunt homines pervenire. Quid reſpondebimus, niſi non fruſtra inſcripturis ſanctis expreſſius homines nuncupatos deos, quàm illos immortales & beatos, quibus nos æquales futuros in reſurrectione promittitur, ne ſe licet propter illorum excellentiam aliquem eorùm nobis conſtituere Deum infidelis auderet infirmitas? Quod in homine facilè eſt evitare. Et evidentius dici debuerunt homines dii in populo Dei, ut certi ac fidentes fierent, eſſe eum Deum ſuum, qui dictus eſt Deus deorum, qui & etſi appellentur dij immortales illi ac beati, qui in cælis ſunt, non tamen dicti ſunt, id eſt, Pſ.81. dii hominum in populo Dei conſtitutorum, quibus eſt dictum: *Ego dixi, dij e-* 1.Cor.8. *ſtis, & filij excelſi omnes.* Hinc eſt quod ait Apoſtolus: *Etſi ſunt qui dicantur dij ſive in cælo, ſive in terra, ſicuti ſunt dij multi, & domini multi, nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipſo, & unus dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Non multum ergo de nomine diſceptandum eſt, cùm res ipſa ita clareat, ut à ſcrupulo dubitationis aliena ſit. Illud verò, quod nos ex eorum immortalium beatorum numero miſſos angelos eſſe dicimus, qui Dei voluntatem hominibus annunciarent, illis non placet, quia hoc miniſterium non per illos, quos deos appellant, id eſt, immortales & beatos, ſed per dæmones fieri credunt, quos immortales tantum non etiam beatos audent dicere, aut certè ita immortales ac beatos audent dicere, aut certè ita immortales ac beatos, ut tamen dæmones bonos non deos ſublimiter collocatos, & ab humana contrectatione ſemotos. Quamvis nominis controverſia videatur, tamen ita deteſtabile eſt nomen dæmonum, ut hoc modis omnibus à ſanctis angelis nos removere debeamus. Nunc ergo ita liber iſte claudatur, ut ſciamus, immortales ac beatos, quomodo libet, vocentur, qui tamen facti ac creati ſunt, medios non eſſe ad immortalitatem beatitudinemque perducendis mortalibus miſeris, e à quibus utraque differentia ſeparantur. Qui autem medii ſunt communem habendo immortalitatem cum ſuperioribus, miſeriam cum inferioribus: quoniam meritò malitiæ ſunt miſeri, beatitudinem quam non habent, invidere nobis poſſint potius, quàm præbere. Unde nihil habent amici dæmonum, quod nobis dignum afferant, cur eos tanquam adjutores colere debeamus, quos potius deceptores evitare debemus. Quos autem bonos & ideo non ſolùm immortales, verumetiam beatos deorum nomine ſacris & ſacrificiis propter vitam beatam poſt mortem adipiſcendam colendos putant, qualeſcunque illi ſint, & quolibet vocabulo digni ſint, non eos velle per tale religionis obſequium niſi unum Deum coli, à quo creati, & cujus participatione beati ſunt, adjuvante ipſo, in ſequenti libro diligentius diſſeremus.

Eiſque

a Eiſque annumerare, quos à ſummo Deo conditos.] *Plato in Timæo Deum illum ſummum, & rerum omnium partem creaſſe ait reliquos omnes deos.* L. Viv.

b Ideo inter nos & illos penè nulla diſſenſio.] *Cyprianus inquit deos participatione plures eſſe neminem negare, & Bœtius omnem beatum ait Deum eſſe, ſed natura unicum eſſe Deum, participatione nihil prohibere plures eſſe. Ac perfectò data eſt nobis per Chriſtum facultas ut filij Dei ſimus.*

c A quibus utraque.] *Alibi à quibus utraq; differentia miſeria & mortalitate ſeparantur. Qui autem medij ſunt communem habent.*

α HOs ſi Platonici malint deos quam dæmones dicere.] *Ita ſcriptura ſacra & divina authoritati magis conſentaneè loquerentur, quæ ſanctis Angelis & juſtis hominibus deorum nomen tribuit, nuſquam tamen eos dæmones vocat. Eugubinus lib. 8. de perenni philoſ. cap. 3.* conſtat quicquid de multis illis dijs locutus eſt Plato, etiamſi non habuit nomen Angelorum, ſcripſiſſe & ſenſiſſe de Angelis, qui etiam apud Prophetas & in Theologia Moyſis, & apud Sybillas dii vocantur. F. L. Coq.

β Inter nos, & ipſos nulla penè diſſenſio eſt.] *Nam ſcriptura ſacra unum Deum prædicat.* Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt. *nobis autem unus Deus, & unus Deus, & una Fides, multos tamen deos gratia & participatione novit, ut docet hoc loco.* Talem enim charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus. *Et* dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: *&* maxima & præcioſa nobis dona donavit, ut per hanc divinæ conſortes efficiamur naturæ. *Qua ratione etiam hoc nomen Deus, communicetur ſanctis hominibus, qui adoptionis gratiam adepti ſunt, docet D. Irenæus lib. 3. c. 6. D. Thom. 1. p. q. 13. art. 9.* Cùm hoc nomen Deus, impoſitum ſit ad ſignificandum naturam divinam, natura autem divina multiplicabilis non ſit, ſequitur quod hoc nomen Deus incommunicabile etiam ſit ſecundum rem. *Poſt.* Eſt nihilominus communicabile hoc nomen Deus, non ſecundum ſuam ſignificationem, ſed ſecundum aliquid ejus per quandam ſimilitudinem, ut dii dicantur, qui participant aliquid divinum per ſimilitudinem.

γ Super omnes ergo deos dixit, ſed Gentium.] *Obſervat Irenæus loco citato, quando ſcriptura eos, qui non ſunt dij nominat, non in totum oſtendere illos deos, ſed cum aliquo additamento & ſignificatione: per quam oſtenduntur non eſſe dij. quemadmodum apud Davidem* dii gentium, *idola dæmoniorum: & deos alienos non ſectabimini.* Ex hoc enim quod dicit dii Gentium, Gentes autem verum Deum neſciunt, & alienos deos nominans, eos abſtulit qui non ſunt dii. *D Baſilius epiſt. 141.* Et homo Deus dicitur, ut cum legitur. Ego dixi, dii eſtis, & dæmon Deus dicitur ſecundum illud, dii Gentium dæmonia: ſed illi quidem ſecundum gratiam, iſti verò per mendacium dii nominantur, Deus autem ſolus ſecundum eſſentiam Deus eſt.

δ Non poteſt intelligi Deus dæmoniorum.] *Cùm tamen eorum non ſecus ac reliquarum rerum ſit creator: verùm quia voluntatem ſemper ab eo habent averſam, & quod dæmonia ſint, ex eorum peccato pendet, quod non eſt à Deo, inde fit, ut non*

ut non dicatur Deus eorum eo ſenſu, quo nec antiquitus cùm gentes omnes ad idola deflexiſſent, & varios ſibi deos commenta fuiſſent, non dicebatur Deus Gentium, ſed Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, & Deus Iſrael, quem ſibi peculiarem populum elegerat, licet alioquin jure creationis omnes Gentes illius eſſent, & ad omnes illius providentia ſeſe porrigeret.

e Et ſi immortales dii ac beati appellentur.] *Angelos deos dici in ſcriptura ſacra docet etiam Origenes homil. 8. in Exodum.*

ζ Miſſos Angelos eſſe dicimus.] *Angelos ad homines mitti ex ſcripturis ſacris ſatis conſtat tùm veteris, tùm novi teſtamenti. Id docet praterea S. Dionyſius c. 13. caleſt. Hierarch. & D. Gregor. l. 2. moral. c. 3. & hom. 34. in Evang. de Miſſione Angelorum, & an omnes mittantur ad hominem videndi Theologi 2. ſent. diſt. 4. & D. Thomas cum ſuis interpretibus, 1. p. q. 112.*

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI *AD MARCELLINUM* DE CIVITATE DEI

LIBER X.

Cap. I.

Veram beatitudinem ſive angelis, ſive hominibus, per unum Deum tribui etiam Platonicos definiſſe: ſed utrum hi, quos ob hoc ipſum colendos putant, uni tantum Deo, an etiam ſibi ſacrificari velint, eſſe quærendum.

Omnium certa ſententia eſt, qui ratione quoquo modo uti poſſunt, beatos eſſe omnes homines velle. Qui autem ſint, vel unde fiant, dum mortalium quærit infirmitas, multæ magnæque controverſiæ concitatæ ſunt: in quibus philoſophi ſua ſtudia & otia contriverunt, quas in medium adducere, atque diſcutere, & longum eſt, & non neceſſarium. Si enim recolit, qui hæc legit, quid in libro egerimus octavo in eligendis philoſophis, cum quibus hæc de beata vita, quæ poſt mortem futura eſt, quæſtio tractaretur: utrum ad eam uni Deo vero, qui etiam eſt deorum effector, an plurimis diis religione ſacriſque ſerviendo pervenire poſſimus: non etiam hic eadem repeti expectet, præſertim cum poſſit relegendo, ſi fortè oblitus eſt, adminiculari memoriam. Elegimus enim Platonicos omnium philoſophorum meritò nobiliſſimos: propterea, quia ſicut ſapere potuerunt, licet immortalem ac rationalem vel intellectualem hominis animam: niſi participato lumine illius Dei, à quo & ipſa & mundus factus eſt, beatam eſſe non poſſe. Ita illud quod omnes homines appetunt, id eſt, vitam beatam, quenquam iſti aſſecuturum negant, qui non illi uni optimo, qui eſt incommutabilis Deus, puritate caſti amoris adhæſe-

adhæſerit. Sed quia ipſi quoque ſive cedentes vanitati erroriq́ue populorum, ſive ut ait Apoſtolus, Evaneſcentes in cogitationibus ſuis, multos deos colendos ita putaverunt, vel putari voluerunt, ut etiam quidam eorum dæmonibus divinos honores ſacrorum & ſacrificiorum deferendos eſſe cenſerent: quibus jam non parva ex parte reſpondimus. Nunc videndum ac diſſerendum eſt, quantum Deus donat immortales: ac beati in cæleſtibus ſedibus, *a* dominationibus, principatibus, poteſtatibus conſtituti, quos iſti deos, & ex quibus quoſdam vel bonos dæmones, vel nobiſcum angelos nominant, quomodo credendi ſint velle à nobis religionem pietatemq́ue ſervari: hoc eſt, ut apertius dicam, utrum etiam ſibi, an tantum Deo ſuo, qui etiam noſter eſt, placeat eis ut ſacra faciamus: & ſacrificemus: vel aliqua noſtra ſeu noſipſos religionis ritibus conſecremus. Hic eſt enim divinitati, vel ſi expreſſius dicendum eſt, deitati debitus cultus, propter quem uno verbo ſignificandum: quoniam ſatis idoneum non occurrit Latinum, Græco ubi neceſſe eſt inſinuo quid velim dicere. *b* β Latriam quippe noſtri ubicunque ſanctarum ſcripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſervitus, quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcipit Apoſtolus, ſervos dominis ſuis ſubditos eſſe debere: alio nomine Græcè nuncupari ſolet. γ Latria verò ſecundum conſuetudinem qua locuti ſunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut ſemper, aut tam frequenter, ut penè ſemper ea dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Proinde δ ſi tantummodo cultus ipſe dicatur, non ſoli deo deberi videtur. *c* Dicimur enim etiam colere homines. ε *d* quos honorifica vel recordatione vel præſentia frequentamus. Nec ſolum ea, quibus nos religioſa humilitate ſubjicimus, *e* ſed quædam etiam quæ ſubjecta ſunt nobis coli perhibentur. Nam ex hoc verbo agricolæ & coloni & incolæ vocantur. Et ipſos deos non ob aliud appellant cælicolas, niſi quòd cælum colant: ζ non utique venerando, ſed inhabitando tanquam cæli quoſdam colonos: η non ſicut appellantur coloni, qui conditionem debent genitali ſolo propter agriculturam ſub domino poſſeſſorum, ſed, ſicut ait quidam Latini eloquii magnus autor.

Urbs antiqua fuit, g Tyrij tenuere coloni.

Ab incolendo enim colonos vocavit, non ab agricultura. Hinc & civitates à majoribus civitatibus velut populorum examinibus conditæ θ coloniæ nuncupantur. Ac per hoc cultum quidem non deberi niſi Deo, propria quadam notione verbi hujus veriſſimum eſt. Sed quia & aliarum rerum dicitur cultus, ideo Latinè uno verbo ſignificari cultus Deo debitus non poteſt. Nam & ipſa religio quanvis diſtinctius non quemlibet, ſed Dei cultum ſignificare videatur: unde iſto nomine interpretati ſunt noſtri eam *h* ι quæ Græcè θρησκεία dicitur: *i* tamen quia Latina loquendi conſuetudine, non ſolùm imperitorum, verum etiam doctiſſimorum & cognationibus humanis atque affinitatibus, & quibuſque neceſſitudinibus dicitur exhibenda religio: non eo vocabulo vitatur ambiguum, cùm de cultu deitatis vertitur quæſtio: ut fidenter di-

Rom. 1.

ter dicere valeamus, religionem non eſſe niſi Dei cultum: quoniam videtur hoc verbum à ſignificanda obſervantia propinquitatis humanæ inſolenter auferri. *κ* Pietas quoque propriè Dei cultus intelligi ſolet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. *λ* Hæc tamen & erga parentes officioſè haberi dicitur. *k* More autem vulgi hoc *u* nomen etiam in operibus miſericordiæ frequentatur: quod ideo arbitror eveniſſe, quia hæc fieri præcipuè Deus mandat, eaque ſibi *l* vel pro ſacrificiis, *m* vel præ ſacrificiis placere teſtatur. Ex qua loquendi conſuetudine factum eſt, *v* ut & Deus ipſe dicatur pius *n* quem ſanè Græci nullo ſuo ſermonis uſu εὐσεβεῖν vocant: quanvis εὐσέβειαν pro miſericordia illorum etiam vulgus uſurpet. Unde in quibuſdam ſcripturarum locis, ut diſtinctio certior appareret, non εὐσέβειαν quod ex bono cultu, ſed θεοσέβειαν, quod ex Dei cultu compoſitum reſonat, dicere maluerunt. Utrumlibet autem horum, nos uno verbo enunciare non poſſumus. Quæ itaque λατρεία Græcè nuncupatur, & Latinè interpretatur ſervitus: ſed ea qua colimus Deum: vel quæ θρησκεία Græcè, Latinè autem religio dicitur: ſed ea quæ nobis eſt erga Deum, vel quam illi θεοσέβειαν, nos verò non uno verbo exprimere, ſed Dei cultum poſſumus appellare: hanc ei tantùm Deo deberi dicimus, qui verus eſt Deus, facitque ſuos cultores deos. Quicunque igitur ſunt in cæleſtibus habitationibus immortales & beati, ſi nos non amant, nec beatos eſſe nos volunt, colendi utique non ſunt. Si autem amant, & beatos volunt, & profectò inde volunt, unde & ipſi ſunt: an aliunde ipſi beati, aliunde nos?

L. Vives. *a* DOminationibus, prin.] *Iamblichus in myſteriis ex ſuperis alios angelos, alios archangelos, alios dæmones, alios heroes, alios poteſtates, alios principatus nominat, eoſq́; dicit variis formis rationibusq́; apparere, quos omnes reliqui Platonici & deos & dæmones nuncuparunt.*

b Latriam q. n.] *λατρεύω eſt δουλεύω, quaſi ſervio: ſed poſteà factum eſt ut eſſet σέβομαι, teſte Suida. Auguſtinus ſervitutem hominibus debitam non latriam appellari vult, ſed alio nomine, puta δουλείαν. Nam ad Epheſios 6. quem locum citat, ſic eſt Græcè: οἱ δοῦλοι ὑπακούετε τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα. Hinc eſt illa diſtinctio facta de adoratione latria, dulia, & hyperdulia. Valla docet λατρείαν & δουλείαν idem eſſe, & utrumq́; ſignificare ſervitutem. quod ex Suida oſtendi, qui & ait: λατρείαν δουλείαν εἶναι ἐπὶ μισθῷ. Servitutem eſſe mercenariam. Nam apud Xenophontem in 3. Cyripædia loquitur maritus: ἐγὼ μὲν ὦ Κῦρε κἂν τῆς ψυχῆς πριαίμην, ὥστε μήποτε λατρεῦσαι ταύτην. Hoc eſt: Ego verò Cyre vel anima redemerim, ne unquam hæc ſerviret. Tum uxor, καὐτῆς ψυχῆς ἂν πρίαιτο, ὥστε μὴ δουλεύειν, ſua ipſius anima emerit, ne ſerviat. Quin & ſacris literis λατρεύειν de ſervitute dicitur, ut in Leu.: Omne opus ſervile non facietis, λατρευτόν. Et iterum: De ſemine tuo non dabis ſervire principi. λατρεύειν. Et in Iob, mendica λάτρις dicitur. Sed admonendi ſunt Latini, duliam & latriam penultimam habere longam, ne brevem faciant.*

c Dicimus enim etiam c. h.] *Sic & adorare etiam in ſacris libris.*

d Quos honorificatione.] *Legendum, honorifica, vel recordatione vel præſentia.*

e Sed

e Sed quædam etiam.] *Non mirum: nam colere eſt tractare & exercere. Sic colimus omnia, quibus ſtudemus, ut literas, arma, ludos, terram & ſimilia, & habitare.*

f Non ſicut appellantur coloni.] *Qui alienum agrum colunt conductiſium, ſunt coloni. Quemadmodum urbe inquilini, qui in ædibus conductis habitant: & coloni agricolæ, qui agrum colunt etiam ſuum, & qui aliò mittuntur inhabitatum. Unde ſunt coloniæ, quas tam multas Romani miſêre, ut de aliis taceam Græcis Aſianisq;. Illæ verò quæ mittunt metropoles vocantur ſuarum coloniarum.*

g Tyrii tenuere coloni.] *Nam à Tyriis Carthago condita eſt, qui eò venerunt tanquam coloni cum Didone Eliſſa fugiente fratrem poſt Sichæi mariti cædem. Hujus hiſtoriæ plena ſunt omnia.*

h Quæ Græcè θρησκεία.] *Suidas:* θρησκεία λατρεία· θρησκεύει θεοσεβεῖ. ὑπηρετεῖ τοῖς θεοῖς. λέγεται γὰρ, ὡς ὀρφεὺς θρᾷξ πρῶτος ἐπεχειρολόγησε τὰ ἑλλήνων μυστήρια, καὶ τὸ τιμᾶν θεὸν θρησκεύειν ἐκάλεσεν, ὡς θρᾳκίαν οὔσης τῆς εὑρήσεως, ἢ ἀπὸ τοῦ θεῶν θρησκεύειν, ὅ ἐστιν ὁρᾶν. *hoc eſt: Threſcia latriæ idem cultus: & Threſcevi venerantur Deum, ſervit diis. Narrant enim Orphea Thracem primum arte myſteria Græcorum tradidiſſe, & cultum deorum Threſciam nominaſſe, quòd Thracum eſſet id inventum, aut à threſcendo deum, quod eſt videre.*

i Tamen quia Latina loquendi conſuetud.] *Nam religio & pietas pro eodem capiuntur: at pietas patriæ, parentibus ſanguineq; junctis debetur.*

k More autem vulgi hoc nomen etiam.] *Pios enim indoctum vulgus miſericordes vocat, & pietatem miſericordiam. Sic Hiſpani & Galli, qui Latinè loquuntur minus eruditè.*

l Vel pro ſacrificiis.] *Alibi hoc deeſt.*

m Vel præ ſacrificiis.] *Unde eſt illud, Miſericordiam volo, & non ſacrificium.*

n Quem ſanè Græci nullo ſuo ſermonis uſu εὐσεβεῖν vocant.] *Nullo uſu eruditorum.*

a BEatos eſſe omnes homines velle.] *Eandem propoſitionem docet, lib. 1. de lib. arbitr. cap. 14. & lib. 10. cap. 21.* Nec ego tantùm aut cum paucis, ſed beati prorſus eſſe omnes volumus. *Et paulò poſt.* Si quæratur à duobus utrùm militare velint, fieri poſſet, ut alter velle ſe, alter non reſponderet: Si verò ab eis quæratur utrum beati eſſe vellent, uterque ſtatim ſine ulla dubitatione diceret ſe id optare, nec ob aliud velit ille militare, nec ob aliud nolit iſte, niſi ut beati ſint. *Enarrat. 1. in Pſalm. 113. exhortatur nos, ut quæramus beatitudinem, quam nemo eſt, qui non expetat: lib. 3. de Trinit. c. de quodam mimo loquens, qui ſe in Theatro promiſerat dicturum, quod omnes haberent in animo & vellent, dixiſſetq;,* vili vultis emere, & caro vendere. Si, *inquit,* dixiſſet, omnes beati eſſe vultis, miſeri eſſe non vultis, dixiſſet aliquid, quod nullus in ſua non agnoviſſet voluntate. *& lib. 4. contra Julianum cap. 3. affirmat omnes homines naturali inſtinctu beatos eſſe velle, qua ratione autem vera ſit propoſitio docet D. Thomas 1. 2. quæſt 5. art. 8. vel enim beatitudo poteſt conſiderari formaliter, & ſecundùm communem rationem beatitudinis, qualis eſt bonum perfectum, quia ſatiat appetitum,* F. L. Coqu.

tum, ſicq́; eam omnes appetunt, vel materialiter & ſecundùm ſpecialem rationem, quantum ad id in quo beatitudo conſiſtit, qua ratione non omnes cognoſcunt beatitudinem, nec ex conſequenti eam volunt, objectum enim voluntatis eſt bonum apprehenſum ab intellectu.

β Latriam quippè noſtri.] *Λατρεύω cum accuſativo teſte Suida ſignificat τὸ τιμῶ, cum Dativo vero τὸ θύω, ὡς τὸ, λατρεύειν ζῶντι θεῷ. λατρεία eidem eſt δουλεία ἐπὶ μισθῷ.*

γ Latriæ verò ſecundùm conſuetudinem qua locuti ſunt.] *Latriam cultum Deo debitum vocant Theologi, & ut obſervat author Theſauri Lingua Graca, λατρεύοντες* cultores Dei *ubiq́; vocantur ab Apoſtolo in Epiſt. ad Hebraos. D. Auguſt. lib. 15. contra Fauſtum c. 9.* Adonai verbum Hebræum eſt, & interpretatur dominus eo modo ſolus Deus dicitur dominus, ſicut latria, quod verbum Græcum eſt, & interpretatur ſervitus non quæcunque, ſed illa qua tantummodo Deo ſervitur. *Et l. 20. cap. 21. diſtinguit latriam,* quæ ſoli Deo debetur, *ἀπὸ τῆς δουλείας.* quæ etiam ſanctis defertur, *& quaſt. 94. in Exodum. δουλεία, inquit,* debetur Deo tanquam Domino, *λατρεία* verò nonniſi Deo tanquam Deo, *& quaſt. 61. in Geneſim ad hac verba,* Abraham adoravit populum terræ: Quæritur, *inquit,* quomodo ſcriptum ſit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, quod eſt Græcè *λατρεύσεις.* Talis enim ſervitus nonniſi Deo debetur; unde damnatur idololatria, *id eſt,* ejuſmodi ſervitutem exhibentes idolis, quæ Deo debetur. *Eandem diſtinctionem tradit & lib. 1. de Trinit. c. 6. Epiſt. 49. ad Deogratias quaſt. 3. epiſt. 63. ad Maximum Epiſcopum, eandem diſtinctionem agnovit ſeptima Synodus act. 2. 4. & 5. Damaſcenus orat. 3. de imaginibus. D. Thom. 2. 2. qu. 84. art. 1.* Ad primum, *inquit,* reverentia Deo debetur propter ejus excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur, non ſecundùm æqualitatem; ſed ſecundùm quandam participationem, & ideò alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad Latriam, & aliena veneratione quaſdam excellentes creaturas, quod pertinet ad *δουλείαν.*

δ Si tantummodo cultus ipſe dicatur.] *Quia differens eſt ad Latriam & douleiam, quemadmodum & nomen adorationis, ita tamen diſtinguit Origenes Homilia 8. in Exodum, ut adoratio ſit actus exterior, cultus fiat interiori animi affectu.*

ε Colere homines quos honorifica.] *Ita paſſim apud Ciceronem & claſſicos authores mirificè aliquem colere & amare, ſumma obſervantia aliquem colere, loco patris aliquem colere, officiis & probitate aliquem colere, ſuaviſſimè diligentiſſimeq́; colere aliquem.*

ζ Non utique venerando, ſed & habitando.] *Nam colere, venerari, adorare, obſervare, celebrare, incolere, habitare ſignificat.*

θ Non ſicut appellantur coloni.] *Aliquando coloni dicuntur, qui à metropoli, qua coloniam emittebat, in alium locum habitandi cauſſa deducebantur, iiq́; non propriis, ſed Metropolitarum vivebant legibus, Gracè ἄποικοι: ſic* adſcribere colonos novos *apud Ciceronē 2. Philipp. &* aſſignare agros colonis *apud eundē 1. de l. Agraria; &* deducere colonos *2. de lege Agraria. & 3. de nat. deor.* Circem

quoque

quoque coloni noſtri Circenſes religioſè colunt; *ſic apud Virgilium loco, quem citat 1. Æneid.* Tyrii coloni *intelliguntur, quos âdvenas interpretatur Servius; de Tyro enim veniſſe conſtat, qui Carthaginem condiderant. & alibi,*

Et tu Dardaniis tranſcribis ſceptra colonis,

hoc eſt advenis, & veluti in coloniam Troia emiſſis; quandoq; agrorum cultores intelliguntur γεωργοὶ. *Sic apud Virgilium 1. Æneid.*

Ut quamvis avido parerent arva colono.

Columella. Clementer agat dominus cum colonis, facilemque ſe præbeat.

ι Coloniæ nuncupantur.] *Ut Colonia Latina, & erant minores urbes, ad quas inhabitandas ex majoribus urbibus quaſi quædam examina populorum mittebantur, differebantq; à Municipiis, ut docet Agellius lib. 16. noct. Attic. c. 13.* quod municipes cives eſſent Romani ex municipiis, legibus ſuis viventes & ſuo jure, muneris tantùm cum pop. Romano honorarii participes, à quo munere capeſſendo appellati videntur, neque ullo pop. Romani lege adſtricti. Sed Colonarum alia neceſſitudo eſt, non enim veniunt extrinſecus in civitatem, nec ſuis radicibus nituntur, ſed ex civitate quaſi propagata ſunt, & jura inſtitutaq; omnia pop. Romani, non ſui arbitrii habent; quæ tamen conditio cùm eſſet magis obnoxia, & minus libera, potior & præſtabilior exiſtimabatur propter amplitudinem, majeſtatemq; pop. Rom. cujus iſtæ coloniæ quaſi effigies parvæ, ſimulacraq; eſſe quædam videntur. *De coloniis & municipiis, eorumq; ad invicem differentia plura Lazius l. 12. Comment. Reip. Rom. c. 1. & 2.*

κ Quæ Græcè θρησκεία dicitur.] *Hoc verbo & in eam ſignificationem ſacra litera, & prophani autores utuntur. Julianus Imp.* τῶν γαλιλαίων ἑαυτοὺς ἔδοσαν θρησκείᾳ. *Herodi. l. 5.* τῇ ἱερωσύνῃ καὶ θρησκείᾳ σχολάζειν τοῦ θεοῦ. *Ita Paul. Coloſſ. 2.* ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων. *Act. 26.* κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα Φαρισαῖος. *Jac. 1.* θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος παρὰ τῷ θεῷ καὶ πατρί. *Etymum hujus nominis Suidas deducit à Thracibus,* λέγεται γὰρ, *inquit,* ὡς Ὀρφεὺς Θρᾷξ πρῶτος ἐπιχειρολόγησε τὰ Ἑλλήνων μυστήρια, καὶ τὸ τιμᾶν θεὸν, θρησκεύειν ἐκάλεσεν, ὡς Θρᾳκίας οὔσης τῆς εὑρέσεως, ἢ ἀπὸ τοῦ τὸν θεὸν δερκεῖν ὅ ἐστι ὁρᾶν.

λ Pietas quoque propriè Dei cultus.] *Sic à Cicerone accipitur in oratione pro Domo ſua,* nec eſt ulla erga deos pietas, niſi honeſta de numine eorum ac mente opinio, cum expeti nihil ab eis, quod ſit injuſtum, atq; inhoneſtū arbitreris.

μ Hæc tamen & erga parentes.] *Nomen pietatis latius ſumptum complectitur amorem filij erga parentes, & propinquos, & civis erga patriam, quæ communis omnium civiū eſt parens. Cicero in ſomnio Scipionis.* Cole pietatem, quæ cum ſit magna in parentibus & propinquis, tùm in patria maxima eſt. *Navarrus in Manual. c. 14. n. 1. pietatem à religione diſtinguit ex Cic. 3. Rhet. ad Herennium. & D. Tho. 2. 2. q. 82. quod religio homines impellat ad honorandum, colendumq; Deum tanquam primum principium noſtrum, à quo ſumus, & in quo vivimus: pietas verò virtus ſit homines impellens ad colendum parentes, cognatos, patriam, & amicos tanquam principia quædam ſecundaria, quibus ſubſiſtimus & conſervamur.*

ν Hoc

u Hoc etiam nomen in operibus miſericordiæ frequentatur.] *Navarrus loco citato.* Quamvis vulgus, *inquit*, in communi uſu loquendi pietatem, & miſericordiam pro eadem re accipiat, tamen revera diverſa ſunt, tùm quia miſericordia virtus eſt annexa Caritati ſecundùm D. Thom. 2. 2. q. 30. art. 1. pietas autem annexa Juſtitiæ ſecundùm eundem 2.2. q. 101. art. 1. tùm quia pietas impellit ad reverentiam præſtandam perſonis prædictis, miſericordia autem ut aliorum neceſſitatibus opitulemur. *Vide eundem de pœnit. diſt. 1. ad c. quia divinitatis num. 1.*

v Deus ipſe dicatur pius.] *Ita D. Hieronymus ſive Rabanus ad cap. 3. Lament. Hierem. divinitatem appellat clementem & piam, & citantur verba de pœnit. diſt. 1. & 2. & Paralip. 30. Deus appellatur clemens, & pius. & Judic. 7.* Tu qui pius es, miſerere noſtri, *Eccl. 2.* pius & miſericors eſt Dominus.

CAP. II.

De ſuperna illuminatione quid Plotinus Platonicus ſenſerit.

SEd non eſt nobis ullus cum his excellentioribus philoſophis in hac quæſtione conflictus. Viderunt enim, ſuiſque literis multis modis copioſiſſimè mandaverunt, *a* hinc illos, unde & nos fieri beatos, *β* objecto quodam lumine intelligibili, quod Deus eſt illis: & aliud eſt, quàm illi, à quo illuſtrantur, ut clareant, atque ejus participatione perfecti beatiq; ſubſiſtunt. *a* Sæpe multumque Plotinus aſſerit ſenſum Platonis explanans: ne illam quidem, quam credunt eſſe univerſitatis animam, aliunde beatam eſſe quàm noſtram: idque eſſe lumen quod ipſa non eſt, ſed à quo creata eſt: & quo intelligibiliter illuminante, intelligibiliter lucet. Dat etiam ſimilitudinem ad illa incorporea de his cæleſtibus conſpicuis ampliſque corporibus, *b γ* tanquam ille ſit ſol, & ipſa ſit luna. Lunam quippe ſolis objectu illuminari putant. Dicit ergo ille magnus Platonicus, animam rationalem, ſive potius intellectualis dicenda ſit, ex quo genere etiam immortalium beatorumque animas eſſe intelligit, al. quos. * quas in cœleſtibus ſedibus habitare non dubitat, non habere ſupra ſe naturam, niſi Dei, qui fabricatus eſt mundum, à quo & ipſa facta eſt: nec aliunde illis ſupernis præberi vitam beatam, & lumen intelligentiæ veritatis, quàm unde præbetur & nobis, conſonans *δ* Evangelio, ubi legitur: *c Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes: hic venit in teſtimoniũ, ut teſtimoniũ perhiberet de lumine, d ut omnes crederent per eum. e ε Non erat ille lumen, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. ζ Erat lumen verum, f quod η illuminat omnem hominem g venientem in hunc mundum.* In qua differentia ſatis oſtenditur animam rationalem, vel intellectualem, qualis erat in Joanne, ſibi lumen eſſe non poſſe, ſed alterius *θ* veri luminis participatione lucere. Hoc & ipſe Joannes fatetur, ubi ei perhibens teſtimonium dicit: Nos omnes de plenitudine ejus accepimus.

L. Vives. *a* SÆpè multumque Plotinus.] *Nam ex contemplatione patris illius optimi & pulcherrimi omnis beatitudo manat, ut ipſe in opere De contemplatione docet: & alio in loco animas noſtras laboribus corporis perfunctas, fruituras ea beatitudinis*

tudinis dicit, quam ſine interpellationibus ſempiternam poſſidet anima mundi.

b Tanquam ille ſit ſol.] *Princeps mundi, unde beatitas manat, & ipſa anima mundi ſit luna.*

c Fuit homo miſſus.] *Ne, quia angelus dicitur nuncius, qui mittitur: & Joannes cùm ſit miſſus, angelus etiam nominatur, putaret aliquis ex cæleſtibus illum ſpiritibus unum eſſe, præfatus eſt Evangeliſta hominem eſſe, nec à ſe vel à quoquam alio potuiſſe ad rem tantam nuntiandam mitti, quàm à Deo.*

d Ut omnes crederent per eum.] *Non in eum, inquit Beda: nam execrandus homo, qui in homine confidit: ſed per Joannis teſtimonium crederent luci. Tametſi ambiguum poteſt eſſe apud Græcos an ſit, omnes credant per Joannem, an per lucem: nam eſt δι' αὐτοῦ quod genere diſtingui non poteſt.*

e Non erat ille lumen.] *Græcè* οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς. *In articulo* τὸ *latere myſterium putat Theophylactus. Sancti enim lumina ſunt, etiam teſte Domino: Vos eſtis lux mundi. Et Joannes lucerna dicitur: ſed non ſunt* τὸ φῶς, *id eſt, ipſum lumen: nam lumina ſunt de lumine ipſo derivata. Hinc eſt id, quod ſequitur: Erat lux vera. Quærit Auguſtinus, cur additum ſit vera. Quoniam, inquit, illuminatus dicitur lux: ſed vera lux illa eſt, quæ illuminat. Seu ut articulus* τὸ *lumen ſignificet, de quo eſt modò locutus, quaſi non erat Joannes illud de quo dicebam, lumen.*

f Quod illuminat omnem hominem.] *Non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur, ſed quia niſi ab illo nullus illuminatur: vel, ut Chryſoſtomus dicit, illuſtrat unumquemque hominem: quantum ad ipſum pertinet. Si verò aliqui mentis oculis clauſis luminis hujus radios non admiſerunt, non à lucis natura tenebræ generatæ ſunt, ſed à nequitia illorum, qui ultrò ſe tanto bono fraudant, alioqui in uſum univerſorum per orbem ſparſo.*

g In hunc mundum.] *Græcè eſt,* Εἰς τὸν κόσμον, *In mundum. Origenes* ἀλληγορικῶς *enarrat, eos illuminari à Chriſto, qui in mundum virtutum veniunt non vitiorum.*

α HInc illos unde & nos fieri beatos.] *Philoſophi ipſi ex parte quidem veritatem attigerunt, non tamen intellexerunt beatitudinem Angelorum & hominum conſiſtere in manifeſta Dei viſione, mediante aliquo lumine ſupernaturali. Plotinus Ennead. 6. lib. 7.* F. L. Cap.

β Objecto quodam lumine intelligibili, quod Deus eſt.] *Ita Plotin. Ennead. 6. lib. 9. cap. 9.* poſtquam hinc migraverimus, Deumque contemplati fuerimus, *& intellectum ipſum affirmat ſe ipſum videre illuminatum, atque intelligibili lumine plenum.*

γ Tanquam ille ſit ſol.] *Etiam in ſcriptura ſacra filius Dei illuminator animarum noſtrarum ſoli comparatur, & luci, ut quemadmodum lumina ex ſe obſcura ſolis objectu illuminantur, eoque diffundente lucem ſuam omnia illuſtrantur, ita Chriſtus ſit verus ille ſol, qui ſpirituale lumen unde animæ illuſtrentur, in eas diffundit.*

δ Conſonans in Evangelio ubi legitur.] *Plotinus inter externos Philoſophos*

 multa

u Hoc etiam nomen in operibus miſericordiæ frequentatur.] *Navarrus loco citato.* Quamvis vulgus, *inquit*, in communi uſu loquendi pietatem, & miſericordiam pro eadem re accipiat, tamen revera diverſa ſunt, tùm quia miſericordia virtus eſt annexa Caritati ſecundùm D. Thom. 2. 2. q. 30. art. 1. pietas autem annexa Juſtitiæ ſecundùm eundem 2. 2. q. 101. art. 1. tùm quia pietas impellit ad reverentiam præſtandam perſonis prædictis, miſericordia autem ut aliorum neceſſitatibus opitulemur. *Vide eundem de pœnit. diſt. 1. ad c. quia divinitatis num. 1.*

v Deus ipſe dicatur pius.] *Ita D. Hieronymus ſive Rabanus ad cap. 3. Lament. Hierem. divinitatem appellat clementem & piam, & citantur verba de pœnit. diſt. 1. & 2. & Paralip. 30. Deus appellatur clemens, & pius. & Judic. 7.* Tu qui pius es, miſerere noſtri, *Eccl. 2.* pius & miſericors eſt Dominus.

CAP. II.

De ſuperna illuminatione quid Plotinus Platonicus ſenſerit.

SEd non eſt nobis ullus cum his excellentioribus philoſophis in hac quæſtione conflictus. Viderunt enim, ſuiſque literis multis modis copioſiſſimè mandaverunt, *α* hinc illos, unde & nos fieri beatos, *β* objecto quodam lumine intelligibili, quod Deus eſt illis: & aliud eſt, quàm illi, à quo illuſtrantur, ut clareant, atque ejus participatione perfecti beatiq; ſubſiſtunt. *a* Sæpe multumque Plotinus aſſerit ſenſum Platonis explanans: ne illam quidem, quam credunt eſſe univerſitatis animam, aliunde beatam eſſe quàm noſtram: idque eſſe lumen quod ipſa non eſt, ſed à quo creata eſt: & quo intelligibiliter illuminante, intelligibiliter lucet. Dat etiam ſimilitudinem ad illa incorporea, de his cæleſtibus conſpicuis ampliſque corporibus, *b γ* tanquam ille ſit ſol, & ipſa ſit luna. Lunam quippe ſolis objectu illuminari putant. Dicit ergo ille magnus Platonicus, animam rationalem, ſive potius intellectualis dicenda ſit, ex quo genere etiam immortalium beatorumque animas eſſe intelligit, * quas in cœleſtibus ſedibus habitare non dubitat, non habere ſupra ſe naturam, niſi Dei, qui fabricatus eſt mundum, à quo & ipſa facta eſt: nec aliunde illis ſupernis præberi vitam beatam, & lumen intelligentiæ veritatis, quàm unde præbetur & nobis, conſonans *δ* Evangelio, ubi legitur: *c Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes: hic venit in teſtimoniũ, ut teſtimoniũ perhiberet de lumine, d ut omnes crederent per eum. e Non erat ille lumen, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. ζ Erat lumen verum, f quod η illuminat omnem hominem g venientem in hunc mundum.* In qua differentia ſatis oſtenditur animam rationalem, vel intellectualem, qualis erat in Joanne, ſibi lumen eſſe non poſſe, ſed alterius *θ* veri luminis participatione lucere. Hoc & ipſe Joannes fatetur, ubi ei perhibens teſtimonium dicit: Nos omnes de plenitudine ejus accepimus.

* al. quos.

L. Vives. *a* SÆpè multumque Plotinus.] *Nam ex contemplatione patris illius optimi & pulcherrimi omnis beatitudo manat, ut ipſe in opere De contemplatione docet: & alio in loco animas noſtras laboribus corporis perfunctas, fruituras ea beatitudinis*

tudinis dicit, quam ſine interpellationibus ſempiternam poſſidet anima mundi.

b Tanquam ille ſit ſol.] *Princeps mundi, unde beatitas manat, & ipſa anima mundi ſit luna.*

c Fuit homo miſſus.] *Ne, quia angelus dicitur nuncius, qui mittitur: & Joannes cùm ſit miſſus, angelus etiam nominatur, putaret aliquis ex cæleſtibus illum ſpiritibus unum eſſe, præfatus eſt Evangeliſta hominem eſſe, nec à ſe vel à quoquam alio potuiſſe ad rem tantam nuntiandam mitti, quàm à Deo.*

d Ut omnes crederent per eum.] *Non in eum, inquit Beda: nam execrandus homo, qui in homine confidit: ſed per Joannis teſtimonium crederent luci. Tametſi ambiguum poteſt eſſe apud Græcos an ſit, omnes credant per Joannem, an per lucem: nam eſt δι' αὐτοῦ quod genere diſtingui non poteſt.*

e Non erat ille lumen.] *Græcè οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ Φῶς. In articulo τὸ latere myſterium putat Theophylactus. Sancti enim lumina ſunt, etiam teſte Domino: Vos eſtis lux mundi. Et Joannes lucerna dicitur: ſed non ſunt τὸ Φῶς, id eſt, ipſum lumen: nam lumina ſunt de lumine ipſo derivata. Hinc eſt id, quod ſequitur: Erat lux vera. Quærit Auguſtinus, cur additum ſit vera. Quoniam, inquit, illuminatus dicitur lux: ſed vera lux illa eſt, quæ illuminat. Seu ut articulus τὸ lumen ſignificet, de quo eſt modò locutus, quaſi non erat Joannes illud de quo dicebam, lumen.*

f Quod illuminat omnem hominem.] *Non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur, ſed quia niſi ab illo nullus illuminatur: vel, ut Chryſoſtomus dicit, illuſtrat unumquemq; hominem: quantum ad ipſum pertinet. Si verò aliqui mentis oculis clauſis luminis hujus radios non admiſerunt, non à lucis natura tenebræ generatæ ſunt, ſed à nequitia illorum, qui ultrò ſe tanto bono fraudant, alioqui in uſum univerſorum per orbem ſparſo.*

g In hunc mundum.] *Græcè eſt, Εἰς τὸν κόσμον, In mundum. Origenes ἀλληγορικῶς enarrat, eos illuminari à Chriſto, qui in mundum virtutum veniunt non vitiorum.*

α HInc illos unde & nos fieri beatos.] *Philoſophi ipſi ex parte quidem veritatem attigerunt, non tamen intellexerunt beatitudinem Angelorum & hominum conſiſtere in manifeſta Dei viſione, mediante aliquo lumine ſupernaturali. Plotinus Ennead. 6. lib. 7.* F. L. Cap.

β Objecto quodam lumine intelligibili, quod Deus eſt.] *Ita Plotin. Ennead. 6. lib. 9. cap. 9.* poſtquam hinc migraverimus, Deumque contemplati fuerimus, *& intellectum ipſum affirmat ſe ipſum videre illuminatum, atq; intelligibili lumine plenum.*

γ Tanquam ille ſit ſol.] *Etiam in ſcriptura ſacra filius Dei illuminator animarum noſtrarum ſoli comparatur, & luci, ut quemadmodum lumina ex ſe obſcura ſolis objectu illuminantur, eoq; diffundente lucem ſuam omnia illuſtrantur, ita Chriſtus ſit verus ille ſol, qui ſpirituale lumen unde animæ illuſtrentur, in eas diffundit.*

δ Conſonans in Evangelio ubi legitur.] *Plotinus inter externos Philoſophos*

multa ſcripſit, quæ valdè conſentanea ſunt Chriſtianæ religioni & noſtris Theologis, ut legenti eum facilè conſtabit.

ε Non erat ille lumen.] *Reverà Joannes erat lux, verùm non erat lux increata & omnium rerum creatrix, ſed erat lux creata & emanens ab increata, illuminatione per Chriſtum factus eſt ipſe lux, lux per participationem. Deinde* non erat ille lux, *eodem modo, quo non erat Propheta, neq; enim erat Propheta ille prædictus à Prophetis, cuius dictis omnes audientes eſſe juberentur, ita non erat ille lux, quæ totum mundum ſuo ſplendore eſſet illuminatura.*

ζ Erat lumen verum quod illuminat.] Erat, *inquit*, lux vera verbum. i. germana, non fucata, ipſam veritatem & naturam habens lucis increatæ, non ſolùm ſpeciem. Erat lux vera, verè illuminans nullis permiſta erroris, aut falſitatis tenebris, τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, lux illa vera, *de hac luce Iſaiæ cap 9.* populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. *& cap. 49.* dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea usque ad extremum terræ *Fuêre quidem Prophetæ & viri ſancti lumina, verùm Chriſtus illud eſt lumen verum. Origenes in Joannem idem eſſe putat.* Ecce ego dedi te in lucem Gentium, *&* erat lux vera, quæ illuminat, *& ita continunt ſibi Prophetæ & Evangeliſta.*

η Quod illuminat omnem hominem.] *Verùm dices, multi in tenebris jacent & ignorantia peccatorum, nec unquam illuminantur. D. Auguſt. in Enchirid. cap. 102. reſpondet, lucem hanc illuminare omnes homines non ſimpliciter & universè quotquot ſunt, ſed quotcumq; illuminantur.* Illuminat *(ait D. Auguſt.)* omnem hominem venientem in hunc mundum, non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur, ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminetur. *& lib. 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap 25.* ideò dictum eſt, *inquit*, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quia nullus hominum illuminatur, niſi illo lumine veritatis, qui Deus eſt, ne quisquam putaret ab eo ſe illuminari, à quo aliquid ut dicat, non dico ſi quenquam magnum hominem, ſed nec ſi Angelum contingat ei habere doctorem, *paulò infrà.* Audit homo dicentem vel hominem, vel Angelum, ſed ut ſentiat & cognoſcat, verum eſſe, quod dicitur, illo lumine intus mens eius aſpergitur: quod in æternum manet, quod etiam in tenebris lucet: *eodem modo intelligi poteſt, quo illud 1. ad Timoth. 2.* Deus vult omnes homines ſalvos fieri: *neq; enim ſi de voluntate abſoluta, & conſequenti ſermo ſit, omnes vult ſalvari, nemo tamen niſi eius voluntate ſalvatur. Reſponderi etiam poteſt, verbum omnem hominem illuminare venientem in hunc mundum, quia paratum eſt ad largiendum fidei & gratiæ lumen omnibus hominibus, ſi flagitiorum removeant impedimenta inſtar ſolis viſibilis, qui omnibus hominibus, quantum ex ſe eſt, & ex natura luminis, illuminat. Dionyſ. cap. 4. lib. de divin. nomin.*

θ Alterius veri luminis participatione lucere.] *Ex Philoſoph. 2. Metaphyſic.* quod maximè tale eſt præ cæteris, eius cauſſa cæteris & nomine & re ut ſit, convenit, *ſic ignis calidiſſimus, quod cæteris caloris cauſa ſit. Sic Chriſtus ipſa lux eſſentialis eſt* φῶς οὐσιῶδες, *ait Dionyſius,* τὸ ὑπὲρ πᾶν φῶς, ὡς ἀκτὶς πηγαία, καὶ

ὑπερ-

ὑπερβλύζουσα, φωτοχυσία, πάντα τὸν ὑπερκόσμιον, καὶ ἐγκόσμιον νοῦ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτῆς καταλάμπουσα, pater ille eſt luminum, ut à quo in cæteros gratiæ divinæ lumen diffunditur.

CAP. III.

De vero Dei cultu, à quo Platonici quanvis creatorem univerſitatis intellexerint, deviarunt colendo angelos, ſive bonos, ſive malos, honore divino.

QUÆ cùm ita ſint: ſi Platonici, vel quicunque alii ita ſenſerunt, cognoſcentes Deum, ſicut Deum glorificarent, & gratias agerent: *α* nec evaneſcerent in cogitationibus ſuis, nec populorum erroribus partim autores fierent, partim reſiſtere non auderent: profectò confiterentur, & illis immortalibus ac beatis, & nobis mortalibus ac miſeris, ut immortales ac beati eſſe poſſimus, unum Deum deorum colendum, qui & noſter eſt, & illorum.

α NEc evaneſcerent in cogitationibus ſuis.] *Vanum id dicitur, quod ad deſtinatum finem non pervenit; eò verò refertur Dei notitia, ut eum colamus: quia igitur philoſophi, cùm Deum ex creaturis facile cognoviſſent, non ei debitum cultum detulerunt: hinc ab Apoſtolo Rom. 1. evanuiſſe dicuntur in cogitationibus ſuis. Nam eò cogitationes ſuas non retulerunt, ut creatorem, qui eſt benedictus in ſecula, venerarentur. Deinde in ſcriptura, vana & vanitates idola dicuntur. Deuter. 32.* Irritaverunt in vanitatibus ſuis. *1. Reg. 12.* nolite declinare poſt vana *Act. 10.* ab his vanis converſi ad Deum vivum. *Quia igitur relicto Deo, quem in creaturis facile agnoſcere poterant, idola coluerunt, vani ideo facti ſunt, ſeu evanuerunt, iis quæ non ſunt, divinitatem ac debitum,* ſoli Deo cultum tribuentes.

CAP. IV.

Quòd uni vero Deo ſacrificium debeatur.

HUic nos ſervitutem, quæ latria Græcè dicitur, ſive in quibuſque ſacramentis, ſive in nobiſipſis debemus. Huic *α* enim templum ſimul omnes, & ſinguli templa ſumus, *a* quia & omnium concordiam, & ſingulos inhabitare dignatur: non in omnibus, quam in ſingulis major, quoniam nec mole diſtenditur, nec partitione minuitur. *b* Cùm *β* ad illum ſurſum eſt, ejus eſt altare cor noſtrum, *b b γ* ejus unigenito eum ſacerdote placamur: ei cruentas *δ* victimas cædimus, quando uſque ad ſanguinem pro ejus veritate certamus: *ε* ei ſuaviſſimum adolemus incenſum, cùm in ejus conſpectu pio ſanctoque amore flagramus: *ζ* ei dona ejus in nobis, noſque ipſos vovemus, & reddimus: ei beneficiorum ejus ſolennitatibus feſtis & diebus ſtatutis dicamus, ſacramuſque memoriam, ne *η* volumine temporum ingrata ſubrepat oblivio, ei ſacrificamus hoſtiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervidæ charitatis. Ad hunc videndum ſicut videri poterit, eique cohærendum ab omni peccatorum & cupiditatum malarum labe mundamur, & ejus nomine conſecramur. Ipſe enim fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis. Hunc eli-

 gentes,

gentes, vel potius religentes, *b* amiſeramus enim negligentes: *d* hunc ergo religentes, unde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quieſcamus: ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim noſtrum, de cujus fine inter philoſophos magna contentio eſt, nullum eſt aliud, quàm illi cohærere, cujus unius anima intellectualis incorporeo ſi dici poteſt, amplexu, *e ι* veris impletur fœcundaturque virtutibus. Hoc enim bonum diligere, in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. *κ* Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & prophetæ: *f Diliges g Dominum h Deum i tuum k in toto λ corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: l & μ diliges proximum tuum tanquam teipſum.* Ut enim homo ſeſe diligere noſſet, conſtitutus eſt ei finis, quò referret omnia quæ ageret, ut beatus eſſet. Non enim qui ſe diligit, aliud eſſe vult quàm beatus. Hic autem finis eſt, adhærere Deo. Jam igitur ſcienti diligere ſeipſum, cùm mandatur de proximo diligendo, ſicut ſeipſum: *m* quid aliud mandatur, *ν* niſi ut ei quantum poteſt, commendet diligendum Deum? Hic eſt Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita ſervitus. Quæcunque igitur immortalis poteſtas quantalibet virtute prædita, ſi nos diligit ſicut ſeipſam, *ξ* ei vult eſſe ſubditos, ut beati ſimus, cui & ipſa ſubdita beata eſt. Si ergo non colit Deum miſera eſt, quia Deo privatur: ſi autem colit Deum, non vult ſe coli pro Deo: Illi enim potius divinæ ſententiæ ſuffragatur, & dilectionis viribus favet, qua ſcriptum eſt: Sacrificans diis eradicabitur, niſi Domino ſoli. Nam, ut alia nunc taceam, quæ pertinent ad religionis obſequium, quo colitur Deus, ſacrificium certè nullus hominum eſt, qui audeat dicere deberi, niſi Deo ſoli. Multa denique de cultu divino uſurpata ſunt, quæ honoribus deferuntur humanis: ſive humilitate nimia, ſive adulatione peſtifera: ita tamen, ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi: ſi autem eis multum additur, *ν* & *ο* adorandi. *π* Quis verò ſacrificandum cenſuit: niſi ei, quem Deum aut ſcivit, aut putavit, aut finxit? *ρ* Quam porrò antiquus ſit in ſacrificando Dei cultus, duo *σ* illi fratres Cain & Abel ſatis indicant, quorum majoris Deus reprobavit ſacrificium, minoris aſpexit.

L. Vives. *a* QUia & omnium concordiam.] *Quæ eſt eccleſia.*

b Cùm ad illum ſurſum.] *Hoc eſt quod in miſſa jubemur facere, cùm ad participationem ſacrorum qui interſunt, præparantur. Admonemur, cum omni & cogitatione inferiorum rerum abjecta, nos totos ad cogitationem, ad amorem Dei convertere, illic uti ſimus toti ceu aliis quibuſdam mentis elati. Ita enim purgatur animus, qui ſe ſordibus iſtis extricat, præparatq; ſemetipſum dignum Deo templum.*

b b Ejus unigenito cum ſacerdote placa.] *Locus non caret mendo. neſcio an ſic legendum: Ejus unigenito ſacerdote cum placamus: ut ſit placamus patrem ſacerdote filio ſacrificium offerente: an ſic, ejus unigenito cum ſacerdote placemus: ut ſit, nos cum ſacerdote agente ſacra placemus ejus unigenito.*

c Ei

c Ei dona ejus in nobis.] *Si quid damus Deo, non noſtrum, ſed ſuum illi reddimus. Nec gratius quicquam poſſumus Deo facere, quàm bona noſtra in fontem illum unde manarunt, referre. Hoc Pſalmiſta ſignificat, dicens: quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Unica eſt hic relatio gratiæ, ſi gratiam habeas.*

d Hunc ergo religentes, unde & religio.] *Cic. 2. de natur. deor. religionem à relegendo dictam eſſe putat, quod ſit ceu cognitio Dei, quod cum illo Mercurij dicto conſentit:* εὐσέβεια, γνῶσις τοῦ θεοῦ *Religio notitia eſt Dei. Lactant. l. 4. à religando religionem mavult eſſe nominatam, quaſi Deo obſtricti & religati ſint religioſi pietatis vinculo. Augu. à religendo. Credo quòd alluſione nominis ad manum ex occaſione capta.*

e Veris impletur fœcundaturque.] *Plato in Convivio, hominem beatum pulchritudinis divinæ inſpectione ait, non ſimulachra, ſed veras & expreſſas virtutes pariturum, aliturumq;.*

f Diliges.] *Matth. 22. O quàm paucis indiget humana vita legibus? quàm nihil opus eſt vero Chriſtiano, imò verò homini: ſed verus homo non eſt, niſi Chriſtum agnoſcat & colat. Quàm igitur nihil opus eſt digeſtis, aut codicibus, nihil gloſſis, conſiliis, cautelis? ut paucis verbis magnus ille magiſter, quemadmodum unicuiq; vivendum ſit, docet? Ama quàm potes maximè, qui ſupra te eſt, & non aliter qui prope te quàm te, quod ſi feceris, tu ſolus leges omnes, juraq; ſcies, & ſervabis, quæ alij magnis ſudoribus vix diſcunt, multis incitamentis & terroribus vix ſervant, eris major philoſophus Pythagora & Platone cum ſuis omnibus peregrinationibus & numeris: major Ariſtotele cum ſuis diſputationibus librisq; conſcriptis. Diliges, inquit, Quid poteſt eſſe dulcius dilectione? Non metuere, non fugere, non horrere præciperis.*

g Dominum.] *Ut ſcias illum eſſe reverendum, nam Dominus eſt.*

h Deum.] *Qui unus eſt.*

i Tuum.] *Et ſi multorum eſt, tamen uniuſcujuſq; fit per cultum proprius, nec deſinit tamen communis eſſe.*

k In toto corde tuo.] *Auguſt. lib. de doct. Chriſt. Deum ex toto corde diligere præciperis: ut omnes cogitationes tuas: ex tota anima tua, ut omnem vitam tuam: ex tota mente tua, ut omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea quæ confers. Nullam igitur vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia re velit frui. Origenes ſic explicat, Ex toto corde ſecundum totam recordationem, & operationem, & cogitationem. Ex tota anima, ut parati ſint eam ponere pro pietate Dei. In tota mente, nihil aliud quàm quæ Dei ſunt proferentes.*

l Et proximum tuum.] *Auguſt. primo de doct. Chriſt. unumquenq; hominem proximum eſſe alteri dicit. Et Chriſtus ſimile pronuntiat hoc mandatum eſſe ſuperiori. nam, ut Chryſoſtomus inquit, imago Dei eſt homo: quo fit, ut qui hominem diligit, Deum videatur diligere. Hoc præceptum tam eſt naturæ aptum & congruens, ut Gentiles philoſophi ſint ei ſuffragati. Nam unumquenq; hominem cuivis al-*

teri à natura conciliatum eſſe dicunt, ita omnes inter ſe ſunt naturâ amici. Porrò inter leges amicitiæ illam ponunt de primis, ut amicus amicum non ſecus diligat quàm ſe, nam & alterum ſe eſſe putat.

m Quid aliud mandatur.] *Cum nihil ſit, quod magis optet homo, quàm beatitudinem, ſi tantum diligit fratrem, quantum ſe, eam nihilominus & illi debet optare, curareq́, ut quo ipſe contendit ire, eò & ille intendat.*

n Et adorandi.] *Nam homines etiam in ſacris literis adorantur genere quodam reverentiæ & cultus.*

F.L.Coq. *α* HUius templum ſimul omnes, & ſinguli templa ſumus.] *Fideles in ſcriptura dicuntur templum Spiritus ſancti inhabitantis in eis.* An neſcitis, quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus S. & Templum Dei eſtis. *1. Corinth. 3.* Neſcitis quia templum Dei eſtis vos, & ſpiritus Dei habitat in vobis? *Dicit verò & ſingulos templa & ſimul omnes eſſe templum Dei. Nam quilibet ſeipſum conſiderare poteſt, ut per fidem & gratiam inhabitantem habens Spiritum S. & ut membrum Eccleſiæ efficiens cum reliquis corpus illud Eccleſiæ myſticum, reliquiſq́; membris cohærens per fidem & charitatem, eo ſenſu, quo Chriſtus dicitur ſanguine ſuo omnes redemiſſe, & unumquemq́; noſtrum juxta verbum Pauli*, Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me, *quo ſenſu ab Auguſtino in confeſſ. dicitur omnes curare quaſi ſingulos, & ſingulos quaſi omnes. Gregor. Nazianz. orat. 11. adverſus Arrianos & de ſe ipſo, vivi Dei viva templa vocat Chriſtianos, hoſtias animis præditas, ſolidas victimas rationis participes, ſacrificia perfecta, Deos Trinitatis adoratæ beneficio.*

β Cùm ad illum ſurſum eſt.] *Antiquiſſimum itaq́; eſt, quod in miſſa jubemur, habere ſurſum ad Dominum corda, eoq́; alludit hoc loco, quò referendum eſt, quod egregiè Cyrillus Hieroſolymit. catech. 5. myſtago.* Clamat *(inquit)* ſacerdos, ſurſum corda, verè enim circa illam maximè tremendam horam ſurſum ad Deum corda levari neceſſe eſt, non deorſum ad terram, terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur ſententiam omnibus præcipit ſacerdos curas, ſcilicet vitæ huius omnes & domeſticas ſolicitudines illa hora relinquere, & cor in cœlo habere apud Deum, generis humani amatorem, vos deinde reſpondetis, habemus ad Dominum aſſentientes ei profitendo. Nullas autem ſic conſiſtat, ut ore quidem dicat, habemus ad Dominum, mente verò circa huius vitæ curas vagetur. *Sic D. Chryſoſtom. Homil. de Euchariſt.* Quid facis (ô homo) non promiſiſti ſacerdoti, qui dixit ſurſum corda, & id dixiſti, habemus ad Dominum? *Sic D. Auguſtin. epiſt. 57. ad Dardanum, 120. ad Honoratum 156. ad Probam lib. de Spirit. & Lit. cap. 11. lib. 2. de bono perſever. cap. 13.*

γ Eius unigenito eum ſacerdote placamur.] *Nonnulli legunt*, eum ſacerdote, *ut ſenſus ſit, nos cum ſacerdote celebrante divina myſteria Deum placamus eius unigenito, qui hoſtia eſt ipſa pro peccatis oblata, (quiq́; in altari offertur incruentè:) verùm hæc lectio retineri poteſt, ut ſit ſenſus* eius unigenito ſacerdote nos cum placare, *quia ſacerdos is unigenitus eſt etiam ipſa hoſtia pro peccatis, & quemadmodum ſeipſum obtulit pro peccatis omnium hominum in cruce, (ita in altari offer-*

tur

tur idem ſacerdos inviſibilis & hoſtia per miniſtros, ut ſit propitiatio pro peccatis noſtris Ita cùm D. Auguſtino omnes Patres & Theologi docent hoc ſacrificium eſſe propitiatorium.) In Liturgia Jacobi, Offerimus tibi incruentum ſacrificium pro peccatis noſtris, & ignorantiis populi. *Origenes Homil. 13. in Leviticum adductis verbis Domini, quibus jubemur ſacrificium Euchariſtiæ conficere in memoriam eius.* Iſta eſt *(inquit)* commemoratio ſola, quæ propitium facit Deum hominibus. *Cyrillus catech. 5. myſtag. vocat emiſſam hoſtiam propitiationis. In quam ſententiam plures alios Patres citat Bellarm. lib. 2. de Miſſa. cap. 2.*

δ Ei cruentas victimas, quando uſque ad ſanguinem.] *Sunt enim Martyres victimæ cruentæ, quæ Deo offeruntur. Origenes homil. 9. in Levit. 10.* Si renuntiem omnibus, quæ poſſideo, & tollam crucem meam, & ſequar Chriſtum, holocauſtum obtuli ad altare Dei; quod ſi tradidero corpus meum, ut ardeam, habens charitatem & gloriam martyrii conſequar, holocauſtum meipſum obtuli ad altare Dei: Si diligam fratres meos, ita ut animam meam ponam pro fratribus meis, ſi pro juſtitia, pro veritate uſque ad mortem certavero, holocauſtum obtuli ad altare Dei; *quemadmodum ut docet D. Thomas 2.2. qu. 85. art. 3. ad 2. bonum animæ Deo offertur interiori quodam ſacrificio per devotionem & orationem, & alios eiusmodi interiores actus.*

ε Ei ſuaviſſimum adolemus incenſum, cùm in eius conſpectu.] *Huc ſpectant quæ ſcribit Philo Epiſcopus Carpathius in illud Cant. 3.* Ex aromatibus myrrhæ & thuris; cùm ſic anima ad cœleſtia majore deſiderio accedit, depulſis à cordis cubiculo importunis cogitationibus quibusque rejectisque curis omnibus & ſtudiis rerum caducarum, cor ſuum ignitum veluti thuribulum coram Deo odoratiſſimum facit, in quo quidem corde cùm per amorem virtutes colligit, quaſi carbones in thuribulum congerit, quibus ſeipſum mens in conſpectu Dei, igne charitatis, accendat: dum ferventes & mundas orationes ad Deum emittit, quaſi fumum aromatum ex thuribulo exhalat, ut coram ſponſo ſuave redoleat, & proximos quosque ad eius amorem per bona exempla concitare non deſinat; *intelligamus quid ſignificet huiusmodi thurificatio vel incenſi oblatio, quæ fit in altari.*

ζ Ei dona eius in nobis.] *Quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi; & quemadmodum Deus coronans merita noſtra, dicitur coronare dona ſua. D. Auguſtin. epiſtol. 105. & l. de gratia, & libero arbitrio cap. 6. Origen. hom. 23. in Numeros, ad ea verba ex cap. 28. Numer.* munera mea data mea, Nemo *(inquit)* ſuum aliquid offert Deo, ſed quod offertur ſolennitatibus, feſtis, & diebus ſtatutis, Domini eſt, & non tàm ſua quis offert, quàm ipſi, quæ ſua ſunt, Deo reddit.

η Ne volumine temporum ingrata ſubrepat oblivio.] *Hæc erat cauſa celebrandorum feſtorum etiam in veteri teſtamento, ad recolenda ſcilicet beneficia Dei, quæ dies feſti revocabant in memoriam. Deut. 5.* Memento quàm ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento, idcircò præcepit tibi, ut obſerves mandatum diem Sabbathi.

θ Hunc

θ Hunc ergo religentes, unde & religio dicta.] Religionem *quidam deductam volunt à* religendo, *ſeu à* frequenti lectione eorum, quæ ad Dei cultum pertinerent, *ut Iſidorus ait l.10. Etym. c.17. Auguſtinus hoc loco à* reeligendo *ipſum Deũ quẽ per peccatũ negligenter rejeceramus. Cicer. 2. de nat. deor. à* relegendo *deducit*; qui omnia, quæ ad cultum Dei pertinerent, diligenter pertractarent, & quaſi religerent, ſunt dicti religioſi ex relegendo. *Lactant. libr. 4. cap. 28. reprehendit hanc etymologiam, &* religionem *à* religando *deducit*, quod hominem Deus ſibi religarit, & pietate conſtrinxerit, quia ſervire nos ei ut Domino, & obſequi ut patri neceſſe eſt. *De hac etymolog. nom. D. Thom. 2. 2. quæſt. 81. art. 1. & 3. contra Gentes, c. 119.*

ι Veris impletur fœcundaturque virtutibus.] *Quod egregiè videtur Plato docuiſſe in convivio,* Οὐκ ἐνθυμῇ ὅτι ἐνταῦθα αὐτῷ μόνον οὐ γενήσεται ὁρῶντι ᾧ ὁρατὸν τὸ καλὸν, τίκτειν οὐκ εἴδωλα ἀρετῆς; ἅτε οὐκ εἰδώλου ἐφαπτομένῳ, ἀλλ' ἀληθῆ, ἅτε τοῦ ἀληθοῦς ἐφαπτομένῳ, τεκόντι δὲ ἀρετὴν ἀληθῆ καὶ θρεψαμένῳ ὑπάρχει θεοφιλεῖ γενέσθαι, καὶ εἴπερ τῷ ἄλλῳ ἀνθρώπῳ. *i.* Nonne cogitas futurum, ut ille homo à cæteris omnibus rebus ſejunctus atque ſeparatus cum illo uno pulchro verſetur, ac illud pulchrum eo oculo cernens, quo cerni poteſt, non imagines & ſimulachra virtutis, ſed virtutes ipſius pariat? quippe cum non ſimulachrum, ſed rem ipſam attingat, cumque veram virtutem pepererit & aluerit, Deo amicus efficietur, & ſi quis alius hominum, is maximè immortalis exiſtet.

κ Sic complentur duo illa præcepta.] *De his duobus præceptis D. Auguſtin. epiſt. 3. ad Voluſianum,* quæ diſputationes: quæ litteræ quorumlibet philoſophorum, quæ leges quarumlibet civitatum duobus præceptis, ex quibus Chriſtus dicit totam legem, Prophetasque pendere, ullo modo ſint comparandæ. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum tanquam teipſum?

λ In toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.] *Ita hoc interpretatur lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 22.* ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea ipſa, quæ confers, & nullam vitæ noſtræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia re velit frui: ſed quicquid aliud diligendum veniat in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit.

μ Et diliges proximum tuum, tanquam teipſum.] *Quæret aliquis hoc loco, an eadem charitas ſit qua Deum, & qua proximum diligimus, facilè reſpondetur eandem omnino eſſe charitatem, quia una tantum ratio eſt, ob quam omnia amantur. ratio enim diligendi proximum Deus eſt, hoc enim in proximo debemus diligere, ut in Deo ſit, unde idem ſpecie actus eſt, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus, adeoq́; idem habitus charitatis ſe extendit ad dilectionem Dei & proximi. vide D. Thomam 2. 2. q. 25. art. 1. Nec obſtat quod duo ſint præcepta charitatis, unum de Deo diligendo, & aliud de dilectione proximi: quia præcepta dantur de actionibus virtutum, unde ut actiones diverſæ ſunt, ita diſtincta ſunt præcepta, plures autem actiones poſſunt ab eodem habitu proficiſci.*

ν Niſi ut ei quantum poteſt commendet diligendum Deum.] *Ita ep.52. oſtendit non aliam eſſe dilectionem, qua quiſq; diligit ſeipſum, niſi qua diligit Deum.* Quia igitur nemo niſi Deum diligendo diligit ſeipſum, non opus erat, ut dato de Dei dilectione præcepto etiam ſe ipſum homo diligere juberetur. Cùm enim eo diligat ſeipſum, quod diligit Deum, debet ergo & proximum diligere tanquam ſeipſum, ut quem potuerit hominem vel beneficentiæ conſolatione, vel informatione doctrinæ, vel diſciplinæ coercitione adducat ad colendum Deum, ſciens in his duobus verbis totam legem Prophetaſque contineri, *ut intelligamus nullam eſſe vel ſui ipſius, vel proximi dilectionem niſi ipſum Deum diligendo, ut eò referatur omnis alia dilectio, ut idem docet lib.1. de doct. Chriſt. cap.29.*

ξ Et vult eſſe ſubditos ut beati ſimus.] *Ita lib.1. de doctrina Chriſtiana, c.23. eo diſtinguit ſuperbum hominem & Angelum à ſancto homine & Angelo: quod homo ſuperbus & Angelus ſuperbus in ſe aliorum ſpem gaudeant conſtitui: Sanctus a. homo & ſanctꝰ Angelus etiã feſſos nos atq; in ſe acquieſcere, & remanere cupientes reficiunt potiꝰ aut eo ſumptu, quẽ propter nos aut illo etiã quẽ propter ſe acceperunt: acceperunt tamẽ atq; ita refectos in illũ ire cõpellũt, quo fruentes pariter beati ſimꝰ. Quod oſtendit & exemplo Apoſtoli clamantis,* Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis. *1. Corinth. 1. & Angeli hominem ſe adorantem monentis, ut potius illum adoret, ſub quo ei domino etiam ipſe conſervus eſt, Apocal. 9.*

ο Et adorandi.] *Nam adorari etiam dicuntur homines in ſacris ſcripturis, vide D. Thomam 2. 2. quæſt. 48. art. 1. ubi citat hunc locum D. Auguſtini:* Quia ea, *inquit,* quæ exteriùs aguntur, ſigna ſunt interioris reverentiæ, quædam exteriora ad reverentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum eſt adoratio, ſed aliquid eſt quod ſoli Deo debetur, ſcilicet ſacrificium.

π Quis ſacrificandum cenſuit niſi ei quem Deum.] *D. Thom. 2.2. qu. 81. art. 2.* Oblatio, *inquit,* ſacrificii fit ad aliquid ſignificandum; ſignificat autem ſacrificium, quod offertur exteriùs, interius ſpirituale ſacrificium quo anima Deo ſeipſam offert ſicut principio ſuæ creationis, & fini ſuæ beatitudinis; & ideo ſicut ſoli Deo debemꝰ ſpirituale ſacrificiũ offerre, ita ei ſoli debemꝰ offerre exteriora ſacrificia. Hoc etiã videmꝰ in omni Rep. obſervari, quod ſuũ rectorẽ ſeu principẽ aliquo ſigno ſingulari honorant; quòd ſi alteri deferretur, eſſet crimẽ læſæ Majeſtatis. *D. Auguſtin. lib.1. contra adverſ. Leg. & Prophet. c.18.* Dæmon ſibi ſacrificium non exigeret, niſi vero Deo deberi ſciret. Nam obſequia cætera, quæ divinitati exhibentur, auſi ſunt ſibi etiam ſuperbiæ faſtu homines arrogare; rariſſimi autem commemorantur, qui ſibi ut ſacrificaretur, cùm regia poteſtate poſſent, auſi fuerint imperare: Quicumque tamen auſi ſunt, per hoc ſe deos haberi voluerunt. *Hoc idem tradit & Epiſt. 49. ad Deogratias q.3.*

ρ Quam porrò antiquus ſit.] *Sacrificium certè cum ipſa religione natum eſt. Religio autem inſita eſt naturaliter hominum mentibus; & offerre ſacrificium eſt de lege naturæ, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 85. art. 1.*

σ Duo illi fratres Cain & Abel.] *Imo Adamum ipſum protoparentem, licet in ſcriptura non legatur, certum eſt, Deo obtuliſſe ſacrificium: non legitur autem ſacrificium obtuliſſe, ut ſcribit D. Thom. loco citato*, ne quia in ipſo notatur origo peccati, ſimul etiam in eo ſanctificationis origo ſignaretur. *D. Aug. Epiſt. 49. q. 3.* Scriptum eſt, *inquit*, Cain ex fructibus terræ, Abel autem ex primitiis ovium munus obtuliſſe Deo. Hinc intelligendum quam ſit res antiqua ſacrificium, quod non niſi vero uni Deo offerri oportere veraces & ſacræ literæ monent. *S. Athanaſ. tradit Abelem prout à patre didicerat, de primogenitis DEO obtuliſſe.*

Cap. V.

De ſacrificiis quæ Deus non requirit, ſed ad ſignificationem eorum obſervari voluit quæ requirit.

QUis autem ita deſipiat, α ut exiſtimet aliquibus uſibus Dei eſſe neceſſaria, quæ in ſacrificiis offeruntur? Quod cùm multis locis divina ſcriptura teſtetur, ne longum faciamus, breve illud de Pſalmo commemorare ſuffecerit: *Dixi Domino, Deus meus es tu*, a *quoniam* β *bonorum meorum non eges.* Non ſolùm igitur pecore, vel qualibet alia re corruptibili atque terrena, γ ſed ne ipſa quidem juſtitia hominis Deum egere credendum eſt, totumque quod rectè colitur Deus, homini prodeſſe, non Deo. Neque enim fonti ſe quiſquam dixerit profuiſſe ſi biberit, aut luci ſi viderit. Nec quod ab antiquis patribus talia ſacrificia facta ſunt in victimis pecorum, δ quæ nunc Dei populus *b* legitimè non facit, aliud intelligendum eſt, niſi rebus illis eas res fuiſſe ſignificatas, quæ aguntur in nobis, ad hoc ut inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo conſulamus. ε Sacrificium ergo viſibile inviſibilis ſacrificii ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt. Unde ille pœnitens apud prophetam, vel ipſe propheta quærens Deum peccatis ſuis habere propitium: *Si voluiſſes*, inquit,
Pſ. 50. *ſacrificium, dediſſem, utique holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernet.* Intueamur quemadmodum ubi Deum dixit nolle ſacrificium, ibi Deum oſtendit velle ſacrificium. ζ Non vult ergo ſacrificium trucidati pecoris, ſed vult ſacrificium contriti cordis. Illo igitur quod eum nolle dixit, hoc ſignificatur, quod eum velle ſubjecit. Sic itaque illa Deum nolle dixit, quomodo ab ſtultis ea velle creditur, velut ſuæ gratia voluptatis. Nam ſi ea ſacrificia quæ vult, quorum hoc unum eſt, cor contritum & humiliatum dolore pœnitendi, nollet eis ſacrificiis ſignificari, quæ velut ſibi delectabilia deſiderare putatus eſt, η non utique de his offerendis in lege veteri præcepiſſet: & ideo mutanda erant opportuno certoque jam tempore, ne ipſi Deo deſiderabilia, vel certè in nobis acceptabilia, ac non potius quæ his ſignificata ſunt, crederentur. Hinc & alio
Pſ. 49. loco Pſalmi alterius: *Si eſuriero*, inquit, *non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* Tanquam diceret, Utique ſi mihi neceſſaria eſſent, non à te pete-

peterem, quæ habeo in poteſtate. Deinde ſubjungens, quid illa ſignificent, *immola*, inquit, *Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis, & eximam te*, d *& glorificabis me.* e Item apud alium prophetam: *In quo*, inquit, *apprehendam dominum, aſſumam Deum meum excelſum? Si apprehendam illum in holocauſtis in vitulis anniculis? Si acceptaverit dominus in milibus arietum, aut in denis milibus hircorum pinguium? Si dedero primogenita mea pro impietate mea, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Si annunciatum eſt tibi homo bonum, aut quid dominus exquirat à te, niſi facere judicium, & diligere miſericordiam, & paratum eſſe ire cum domino Deo tuo?* Et in hujus prophetæ verbis utrunque diſtinctum eſt, ſatiſque declaratum illa ſacrificia non requirere Deum: quibus ſignificantur hæc ſacrificia quæ requirit Deus: *f* in 6 epiſtola quæ inſcribitur ad Hebræos: *Benefacere*, inquit, *& communicatores eſſe nolite oliviſci.* 1 *g talibus enim ſacrificiis placatur Deus.* Ac per hoc ubi ſcriptum eſt: x *Miſericordiam magis volo quàm ſacrificium:* nihil aliud quam ſacrificio ſacrificium prælatum oportet intelligi: quoniam illud quod ab hominibus appellatur ſacrificium, ſignum eſt veri ſacrificii. Porrò autem miſericordia λ verum ſacrificium eſt: unde dictum eſt, quod paulò antè commemoravi: *Talibus enim ſacrificijs placatur Deus.* Quæcunque igitur in miniſterio tabernaculi ſive templi multis modis de ſacrificiis leguntur divinitus eſſe præcepta, ad dilectionem Dei & proximi ſignificandam referuntur. *In his* enim *duobus præceptis, ut ſcriptum eſt*, h *tota lex pendet & prophetæ.*

Mich. 6.

a QUoniam bonorum meorum non eges.] *Ille verè eſt dominus alterius, qui bonis ejus non eget, cùm hic egeat illius.* L. Vives.

b Legitimè non facit.] *Melius in alijs libris habetur, legit, non facit.*

c Deus non ſpernet.] *Iuxta Lxx.* ὁ θεὸς οὐκ ἐξουδενώσει.

d Et magnificabis me.] *In antiquis exemplaribus: Et glorificabis me, Vulgò: Et honorificabis me. Sed magis ad rationem verbi Auguſtini. Nam Græcè* καὶ δοξάσεις με. *& ſic in Hebraica veritate Hieronymus interpretatur tametſi inter hæc nihil interſit.*

e Item apud alium prophetam.] *Michæ. 6. ex interpretatione Lxx. In Hebraico habetur, ut Hieronymus vertit. Et ſolicitum ambulare cum Deo tuo. Theodotio ſignificantius expreſſit:* καὶ ἀσφαλίζου τοῦ πορεύεσθαι μετὰ τοῦ θεοῦ *id eſt, Cave diligenter, ut ambules cum Deo tuo, ita ut ſecta videatur, & æmulatio Dei.*

f In epiſtola quæ inſcribitur.] *Significat incertum eſſe autorem.*

g Talibus enim ſacrificiis placatur Deus.] *In antiquis, Placetur Deo, utrunque melius, quàm quomodo vulgo habemus, Promeretur Deus. Græcè eſt,* τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ θεός. *quod etiam poſſet verti, propitiatur Deus, vel litatur Deo.*

h Tota lex pendet.] *Ad hunc finem omnia referuntur. Hic eſt ſcopus in quem dicta omnia conjiciuntur.*

F.L.Co4 α UT exiſtimet aliquibus uſibus Dei eſſe neceſſaria, quæ in ſacrificiis offeruntur.] *Quod idem ſcribit ep. 5. ad Marcellinum de antiquis ſacrificiis loquens,* Nec illorum ergo ſacrificiorum egebat Deus, nec cuiusquam eget unquam, ſed rerum divinitùs impartitarum, vel imbuendo virtutibus, animo, vel æternæ ſaluti adipiſcendæ quædam ſigna ſunt, quorum celebratione atque functione non Deo, ſed nobis utilia pietatis officia exercentur. *Et epiſt. 49. ad Deogratias, q. 3.* Non eget ſacrificio Deus, cum ſcriptum ſit, Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, ſed quod etiam in iis, vel acceptandis, vel reprobandis, vel percipiendis non niſi hominibus conſulat; nobis enim prodeſt colere ipſum Deum, non ipſi Deo. Cùm ergo inſpirat & docet quomodo colendus ſit, non ſolùm ſua nulla indigentia facit, ſed noſtra maxima utilitate. *Eadem ſcribit & Clemens lib. 6. Conſtit. Apoſtolic. c. 20. Irenæus l. 4. c. 32. Tertullian. lib. ad Scapulam. c. 2. Theodoret. ſerm. 7. θεραπευ]. qui eſt de ſacrificiis, D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. & 2. 2. q. 81. art. 7.*

β Bonorum meorum non eges.] *Pſ. 17. Sept.* Τῶν ἀγαθῶν μου χρείαν οὐκ ἔχεις, *bonum meum nihil tibi confert, non eſt in tuum uſum, ex meis ſacrificiis, muneribus, operibus, vel etiam meritis & probis actionibus nihil tibi utilitatis accedit. Id expreſſit Lucretius etſi Epicureus de Dei natura loquens lib. 1.*

Ipſa ſuis pollens opibus, nil indiga noſtri.

unde שדי *Hebræis dicitur. i.* αὐτάρκης, Seipſo contentus; *eo ſenſu Chriſtus in Evangelio:* Cùm feceritis *(inquit)* omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, *utpote Deo, cui nihil ex noſtris meritis, vel ſacrificiis, vel bonis operibus accedit, ſed non nobis. Theodoretus refert verba Socratis apud Platonem,* Οὐ χρείας ἕνεκεν ὁ θεὸς ἐποίησε τὸν κόσμον. *D. Paul. Act. 17. de Dei majeſtate apud Athenienſes differens.* Hic *(inquit)* cùm cœli & terræ ſit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipſe det omnibus vitam & inſpirationem & omnia.

γ Nec ipſa quidem juſtitia hominis Deum egere.] *Id docet Job. 35. c. 6.* Si juſte egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet? *Irenæ. lib. 4. c. 27.* Neque Abrahæ *(inquit)* amicitiam propter indigentiam aſſumpſit Dei Verbum exiſtens ab initio perfectus; antequam enim Abraham eſſet, *inquit*, ego ſum, ſed ut Abrahæ donaret æternam vitam exiſtens bonus, quoniam Dei amicitia immortalitatis eſt condonatrix. *& c. 28.* Nec noſtro miniſterio indigens juſſit ut eum ſequeremur, ſed ut nobis ipſis attribueret ſalutem. Sequi enim Salvatorem, participare eſt ſalutem; qui in lumine ſunt, non ipſi lumen illuminans, ſed illuminantur & illuſtrantur ab eo, eique nihil præſtant, beneficium autem percipientes illuminantur à lumine, ſic & ſervitus erga Deum, Deo quidem nihil præſtat, nec opus eſt Deo humano obſequio; ipſe autem ſequentibus & ſervientibus ei vitam & incorruptelam & gloriam æternam attribuit, beneficium præſtans ſervientibus ſibi ob id quod ſerviunt, & ſequentibus ob id quod ſequuntur, ſed non beneficium ipſo ab eis percipiente. Eſt enim dives, perfectus, & ſine indigentia.

δ Quæ nunc Dei populus legit, & non facit.] *Erant enim inſtituta illa ſacrificia pro temporum congruentia, & ut lex ac ſacerdotium illud abrogari debebant, ſic & illa ſacrificia, licet inde Deus aut religio mutata non ſit. quod docet D. Auguſtin. epiſt. 49. qu. 3. hac ſimilitudine.* Quemadmodum unus idemque homo, ſi Deo mane aliud offerat, aliud veſpere pro congruentia diurni temporis, non Deum mutat, non religionem, ſicut nec ſalutem qui alio modo mane, alio veſpere ſalutat, ita univerſo tractu ſæculorum cum aliud oblatum eſt ab aliquibus ſanctis, aliud ab eis, qui nunc ſunt, offertur, non humana præſumptione, ſed authoritate divina temporibus congrua ſacra myſteria celebrantur, non Deus, aut religio commutatur. *Et epiſt. 5. reſpondet huic quæſtioni, Cur hic Deus, qui & veteris teſtamenti Deus eſſe firmatur, ſpretis veteribus ſacrificiis delectatus ſit novis.*

ε Sacrificium ergo viſibile inviſibilis ſacrificii.] *Significat enim ſacrificium, quod offertur exteriùs, interius ſpirituale ſacrificium, quo anima Deo ſeipſam offert, non ſecus ac voces ſignificant animi noſtri conceptus; & quemadmodum hoc naturale eſt homini, ſic etiam interiorem oblationem ſacrificiis exterioribus exprimere licet, alioquin ex parte Dei, qui interiora novit, id non ſit neceſſarium: unde D. Thom. 2.2. qu. 85. art. 1. oſtendit uſum ſacrificij eſſe homini connaturalem, cui proprium eſt mentem & animum ſuum ſignis ſenſibilibus declarare.*

ζ Non vult ſacrificium trucidati pecoris, ſed vult ſacrificium contriti cordis.] *Ita Philo lib. de victimis,* Poſtulat Deus à ſacrificante primùm bonam mentem, ſanctã & in pietate exercitam, deinde vitam benefactis ornatam. *& lib. de Victimas offerentibus:* Non gaudet *(inquit)* Deus centenis boum victimis cum ſit cunctarum rerum Dominus, nec ullius indigeat; mavult pias mentes, & viros pietatis mediatores, à quibus popana pulteſque viliſſimas ut gratiſſima munera libenter accipit, immò & ſi nihil afferant, ipſos complectitur, abſolutos in omni virtutum genere pro victimis opimis adducentes hymnos in ſervatorem ſuum ac benefactorem partim vocales, partim abſque ore linguaque conceptos in animo, & ſic quoque penetrantes ad Deum, quamvis non ſentiantur humanis auribus, *& reliqua, quæ ibi perſequitur. Minutius in Octavio,* Qui innocentiam colit, Domino ſupplicat, qui juſtitiam Deo libat, qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum, qui hominem periculo ſurripit, optimam victimam cædit: hæc noſtra ſacrificia, hæc Dei ſacra ſunt; ſic apud nos religioſior eſt ille, qui juſtior. *Ita ferè Plato in Alcibiade 2. docet, non tam ſacrificia Deo grata eſſe, quàm animum pium.* καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν ἄν τις ὅσιος, καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ; πολλῷ μᾶλλον οἶμαι, ἢ πρὸς τὰς πολυτελεῖς ταύτας πομπάς τε καὶ θυσίας. *i.* Grave ac indignum eſſet, ſi dii ad noſtra dona atque ſacrificia reſpicerent, non verò ad animum, ſi quis nimirum pius, & juſtus ſit; multo potius arbitror, quam ad opiparas has pompas atque hoſtias. *Vide Euſeb. lib. 1. de demonſt. Evang. c. 10. Certè illa ſacrificia antiqua Deo ſecundùm ſe minimè erant grata, quod liquet ex cap. 1. Iſaiæ.* Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum. *Pſalm. 39.*

Sacrificium & oblationem noluiſti. *Hierem. 6.* Holocauſtomata veſtra non ſunt accepta & victimæ veſtræ non placuerunt mihi. *Lev. 6. Deut. 18.*

η Non utique de his offerendis in lege veteri præcepiſſet.] *Huic videtur contrarium illud Pſal. 39.* Sacrificium & oblationem noluiſti *& Hierem. 7.* Non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocauſtomatum & victimarum. *Ubi quæri poteſt an ſacrificia veteris legis fuerint verè Deo grata, an verò tantùm propter Judæorum infirmitatem ea tolerarit; Circa quod legi poteſt Juſtinus Dialog. cum Tryphone. Irenæus lib. 4. cap. 32. Theodoret. ſerm. 7.* περὶ θεραπευτ. *& fuſius Ribera in cap. 6. Oſeæ. Certum eſt quod docet hic D. Auguſtinus, ſacrificia illa præcepta à Deo fuiſſe, illiq; placuiſſe quandiu lex illa duravit; quin & eos peccaſſe, qui leges ſacrificiorum violabant, ut de filijs Aaron legimus Levit. 10. D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. Hæc ſacrificia docet inſtituta fuiſſe ad cultum Dei, ut per ea Deus coleretur, & mens offerentis ordinaretur in Deum, & ut retraherentur homines à cultura idolorum: deinde ad ſignificandum redemptionem per Chriſtum faciendam, & eius ſacrificium: Addo per huiusmodi ſacrificia ſignificaſſe hominem exiſtimationem, quam de Deo habebat & ſubmiſſionem animi ſui ad ipſum: unde & ſi per ſe ipſa minimè Deo eſſent grata, quod hic docet D. Auguſtinus, eas tamen ob cauſas illi placuiſſe certum eſt.*

θ In Epiſtola, quæ inſcribitur ad Hebræos.] *Non dubitat quidem de authoritate illius Epiſtolæ, quæ canonica certo eſt, quod tamen Ludovic. Vives dicit ſignificare, incertum eſſe authorem. Certè licet hoc loco non exprimat authorem, tamen 2. de doctr. Chriſt. c. 2. eam D. Paulo apertiſſimè tribuit, & hic eſt communis patrum conſenſus, ut docet Bellarm. lib. 1. de verbo Dei. cap. 17.*

ι Talibus enim ſacrificiis.] *Opera miſericordiæ, quatenus fiunt ad Deum colendum, eiusq; gratiam promerendam, ſunt actus imperati à virtute religionis. Ideo ſacrificia & hoſtiæ in ſcriptum vocantur: ut enim docet D. Thomas 2. 2. q. 81. art. 1. ad primum,* religio duplices habet actus, quosdam proprios & immediatos, quos elicit, per quos homo ordinatur ad ſolum Deum, ſicut ſacrificare, adorare & cætera huiusmodi. Alios actus habet, quos producit mediantibus virtutibus, quibus imperat ordinans eos in divinam reverentiam, quia virtus, ad quam pertinet finis, virtutibus imperat, ad quæ ea pertinent, quæ ſunt ad finem. hoc ſenſu beneficentia & communicatio nempe bonorum externorum ſacrificia dicuntur, ut actus eliciti quidem à miſericordia, imperati tamen ab ipſa virtute religionis.

κ Miſericordiam magis volo, quam ſacrificium.) *Alibi legitur,* miſericordiam volo & non ſacrificium, *merito quærat aliquis, quare miſericordia præferatur ſacrificijs, cùm ſacrificia actus ſint religionis, quæ miſericordia præſtantior eſt, immò & omnibus virtutibus moralibus authore D. Thom. 2. 2. q. 8. art. 6. De qua Ribera in c. 6. Oſeæ num. 26.*

λ Miſericordia verum ſacrificium eſt.) *Eo ferè ſenſu, quo Chriſtus dicitur,* vitis vera; *nam revera non niſi per metaphoram illi nomen vitis tribuitur. Ita miſe-*

ricordia vel quævis virtutum officia non niſi metaphoricè ſacrificia dicuntur, ſacrificia verò dicuntur, quòd Deo maximè ſint grata.

Cap. VI.

De vero perfectoq́ ſacrificio.

PRoinde *a* verum ſacrificium eſt omne opus, quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus. Unde & ipſa miſericordia, qua homini ſubvenitur, *β* ſi propter Deum non fit, non eſt ſacrificium. Etſi enim ab homine fit vel offertur, tamen ſacrificium res divina eſt: ita ut hoc quoque vocabulo id Latini veteres appellaverint. *γ* Unde ipſe homo Dei nomini conſecratus, & Deo devotus, inquantum mundo moritur ut Deo vivat, ſacrificium eſt. Nam & hoc ad miſericordiam pertinet, quam quiſque in ſeipſum facit. Propterea ſcriptum eſt: ***Miſerere animæ tuæ placens Deo.*** Corpus etiam noſtrum cùm per temperantiam caſtigamus, ſi hoc quemadmodum debemus propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma juſtitiæ Deo, ſacrificium eſt. Ad quod exhortans Apoſtolus ait: *Obſecro itaq́ vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Rom. 12. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam inſtrumento utitur anima, cùm ejus bonus & rectus uſus ad Deum refertur, ſacrificium eſt: quanto magis anima ipſa cùm ſe refert ad Deum, ut igne amoris ejus accenſa, formam concupiſcentiæ ſecularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ ſubdita, reformetur: *δ* hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit ſacrificium. Quod idem Apoſtolus conſequenter adjungens: *Et nolite*, inquit, *conformari huic ſeculo: ſed reformamini in novitate mentis veſtræ, ad probandum quæ ſit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum & perfectum.* Cùm igitur vera ſacrificia opera ſint miſericordiæ, ſive in noſipſos, ſive in proximos: quæ referuntur ad Deum: opera verò miſericordiæ non ob aliud fiant, niſi ut à miſeria liberemur, ac per hoc ut beati ſimus: quod non fit, niſi à bono illo, de quo dictum eſt, *Mihi autem* a *adhærere Deo bonum eſt*, profectò efficitur, ut tota ipſa redempta civitas, hoc eſt congregatio ſocietasque ſanctorum, univerſale ſacrificium offeratur Deo *ε* per *b* ſacerdotem magnum, qui etiam ſeipſum obtulit in paſſione pro nobis, ut tanti capitis corpus eſſemus *c* ſecundùm formam ſervi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus eſt, quia ſecundum hanc mediator eſt: *ζ* in hac ſacerdos, in hac ſacrificium eſt. Cùm itaque nos hortatus eſſet Apoſtolus, ut *exhibeamus corpora noſtra hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrum, & non conformemur huic ſeculo, ſed reformemur in novitate mentis noſtræ:* d *ad probandum quæ ſit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum, & perfectum, quod totum ſacrificium noſipſi ſumus. Dico enim*, inquit, *per gratiam Dei quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt in vobis, non plus* e *ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere* f *ad temperantiam: ſicut uni-*

cuiq́

cuiq; Deꝰ partitꝰ eſt fidei menſurã. Sicutn. in uno corpore multa membra habemꝰ; omnia a. membra non eaſdẽ actꝰ habent: ita ꝗ multi unũ corpꝰ ſumꝰ in Chriſto: ſinguli a. alter ꝗ alterius membra, habentes dona diverſa ſecundũ gratiã, quæ data eſt eſt nobis. Hoc eſt ſacrificium Chriſtianorum, multi unum corpus ſumus in Chriſto: quod etiam ſacramento altaris fidelibus noto frequentat Eccleſia, ubi ei demonſtratur, quod in ea oblatione quam offert, ipſa offeratur.

L.Vivꝰ. *a* ADhærere Deo bonum eſt.] *Summum bonum, & abſolutum.*

b Per ſacerdotem magnum.] *Chriſtum, non ex ordine Aaron, ſed Melchiſedech, qui ſemel tantum ingreſſus in ſancta, pacem Dei unica hoſtia corpore ſuo immolato invenit.*

c Secundum formam ſervi.) *Humanitas Chriſti hujus eccleſiæ caput eſt. Divinitas verò anima & vita.*

d Ad probandum quæ ſit voluntas Dei.) *Sic etiam hunc locum legit epiſtola octogeſimaſexta: quod Eraſmus in Annotationibus miratur: nam Græcè eſt,* τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον, καὶ τέλειον, *hoc eſt, ſicut vulgò habemus, bona & beneplacens, & perfecta, ut de voluntate intelligatur* τὸ θέλημα. *Sed Auguſtinus vel ad ſacrificium refert, vel certè ſimpliciter: ut intelligatis, quæ ſit voluntas Dei, quid etiam bonum ipſum, & beneplacens, & perfectum, cum quo Ambroſius conſentit.*

e Sapere.) *Cogitare, ſentire, de ſe, aliiſq;, & fratribus, & rebus.*

f Ad temperantiam.) εἰς τὸ σωφρονεῖν *in quo eſt mediocritas quædam totius vitæ, ſicut etiam in temperantia, quemadmodum Cicero docet primo Offic. ex Platone, libro Tuſcul. quæſtionum tertio, temperatum à Græcis* σώφρονα *vocari ſcribit. & quam illi* σωφροσύνην, *tum temperantiam ſe dicit vertere, tum moderationem, nonnunquam etiam modeſtiam. Et ambigit, an ea virtus frugalitas dici poſſit.*

F.L.Coq. *a* VErum ſacrificium eſt omne opus, quod agitur.) *D. Auguſtinus non definit ſacrificium in genere, nec ſacrificium propriè dictum, ſed ſolum ſacrificium, quod præcipuè eſt internum, & opponitur ſacrificiis legalibus & merè externis. Et vocat ſacrificium verum ratione dignitatis, & ratione effectus, non ratione formæ & eſſentiæ ſacrificii proprie dicti. Non enim ſenſus eſt ſacrificia interna eſſe magis propriè dicta ſacrificia, quàm externa, cùm oppoſitum ſit verum, ſed eſſe præſtantiora & Deo gratiora, & Deum facilius placare. Similis ſententia eſt Joann. 15.* Ego ſum vitis vera: *nec enim Chriſtus ſignificare volebat ſe magis propriè eſſe vitem, quod attinet ad formam & eſſentiam vitis, quàm ſit illa quæ plantatur in vineis, ſed ſolum eſſe vitem nobiliorem, & effectus excellentiores producere.*

β Si propter Deum non fit, non eſt ſacrificium.) *Quia non eſt actus imperatus à charitate, vel etiam à religione, quæ actus aliarum virtutum ordinat in Dei cultum vide D. Thomam 2.2. q. 188. art. 2.*

γ Unde ipſe homo Dei nomini conſecratus & Deo devotus.) *Holocauſtum, quod ſeipſum totum Deo offerat, animum quidem ſeu voluptatem per obedientiam, corpus per caſtitatem, & externa quæ habet, per paupertatem à ſe abdicet ac ſe Deo*

ſe Deo totum tradat D. Thom. 2. 2. qu. 86. art. 1. Religio (*inquit*) eſt, per quam quis aliquid ad Dei ſervitium & cultum exhibet, ideò per quandam excellentiam, qui ſe omnino mancipant divino ſervitio, quaſi holocauſtum Deo offerentes, religioſi dicuntur. *& lib. 3. contra Gentes, c. 130.* Qui profitentur tria vota, religioſi dicuntur, quaſi ſe Deo & ſua in modum cuiusdam ſacrificii dedicantes, & quantum ad res per paupertatē, & quantū ad corpꝰ per continentiā & quantum ad voluntatem, per obedientiā. *1. Pet. 2.* Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtū. *Apoc. 5.* Feciſti nos Deo noſtro regnū & ſacerdotes, *quatenus homo ipſe Dei cultui totū ſe mancipat eiq́; ſe offert.*

d Hinc ei placens quod ex eius pulchritudine acceperit.] *Non enim ex ſe habet anima, quo placeat Deo, atq́; id diſcrimen eſt inter dilectionem Dei & hominis, quòd homo extrinſecus moveatur ad amandū, & in eo, quem amat, aliquod fundamentum ſeu rationem dilectionis reperiat; verùm Deus ſibi gratam animam & amore ſuo dignam in fuſione ſuæ gratiæ efficit.*

e Per ſacerdotem magnum.] *Chriſtum non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui non habuit neceſſitatem offerendi primum pro ſe, qui manet in æternum ſacerdos, nec habet ſucceſſorem, cùm alij prohiberentur morte manere, qui dicebat Joann. 7.* Pro eis rogo, & ſanctifico meipſum. *i. in ſacrificium & hoſtiam offero. Hebr. 4. Apoſtolus vocat Pontificem magnum Origen. Hom. 12. in Leviticum,* Omnis qui inter homines ſacerdos eſt, ſi attendas ad illum ſacerdotem de quo dixit Deus, Tu es ſacerdos.

f In hac ſacerdos, in hac ſacrificium eſt.] *Hic locus D. Auguſtini apertiſſimè expugnat quoſdam hæreticos, quorum meminit Bellarmin. lib. 5. de Chriſto mediator. cap. 3. qui ita diſtinguebant inter CHRISTUM ſacerdotem & victimam, ut ſacerdotem dicerent eſſe DEUM, vel divinitatem; victimam verò hominem, ſeu humanam naturam, adeò ut ſacerdotem eſſe illi conveniret ſecundùm divinitatem, & in divina natura: Dico igitur Chriſtum non niſi in humanitate, ſeu ratione humanitatis potuiſſe eſſe ſacerdotem, & per illam munus illud exercuiſſe, quanquam efficacia & excellentia illius ſacerdotij ex dignitate divini ſuppoſiti manaverit. Deus enim ut Deus non habet ſuperiorem, cui offerat ſacrificium, aut apud quem intercedat; ut Deus igitur non poteſt eſſe ſacerdos, neq́; per ipſam divinam naturam ſeu voluntatem poteſt orare, aut ſacrificium offerre. Ita docuere etiam Patres Ambroſius lib. 3. de Fide cap. 5.* Idem (*inquit*) ſacerdos, idem & hoſtia, ſacerdotium tamen & ſacrificium humanæ conditionis officium eſt. *Ipſe D. Auguſtin. lib. de conſens. Evang. cap. 3.* Secundum hominem (*inquit*) Chriſtus & Rex & Sacerdos effectus eſt, ut eſſet ad interpellandum pro nobis mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. *Fulgent. lib. de Fide ad Petrum c. 2.* Solus ſacerdos ſacrificium & templum, & hæc omnia Deus ſecundùm rationem ſervi. *Ita Chriſtus fuit hoſtia & ſacrificium, non in quantum Deus, ſed in quantum homo, quia divinitas non poteſt eſſe ratio, per quam Chriſto conveniat in ſacrificium offerri, imò ratio eſt potius, ſecundùm quem illi ſacrificium offertur, per communicationem tamen idiomatum dici poteſt, Deum verbum factum pro nobis*

Sacerdotem & Pontificem, adeoq́ victimam & hoſtiam ſacrificij. Sic enim dicitur Deus Actor. 20: ſuo ſanguine acquiſiviſſe Eccleſiam.

η Multi unum corpus ſumus in Chriſto.] *Eccleſia corpus eſt myſticum, cuius caput Chriſtus, quæ cum naturali corpore confertur. Apoſtol. Rom. 12. ut hic citat D. Auguſtin. & 1. Cor. 12.* Sicut corpus unum eſt, & multa habet membra, omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus, *vide D. Thomam. 3. p. q. 8.*

θ Al er alterius membra.] *Ut indicet, fideles omnes mutua egere opera, non ſecus ac membra in corpore naturali. Quod 1. Corinth. 12. Apoſtolus ſcribit;* Non poteſt oculus dicere manui, Opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii; ſed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe neceſſaria ſunt.

ι Sacramento altaris fidelibus noto.] *Ita ferè locuti ſunt antiqui Patres de tanto myſterio. Origen. Homil. 9. in Leviticum*, Novit qui myſteriis imbutus eſt & carnem & ſanguinem verbi Dei. Non ergo immoremur in his, quæ & ſcientibus nota ſunt & ignorantibus patere non poſſunt. *& Homil. 13. docet quomodo altius & ſublimius ſit hoc myſterium, quàm ut omnibus pateat, vel ad omnes ſit proferendum. D. Chryſoſtom. orat. de B. Philogonio de hoc myſterio loquens.* Qui myſteriis (*inquit*) initiati ſunt, intelligunt quæ dicuntur. *& Homil. de proditor. Judæor.* Agnoſcunt quid liquor, qui ſunt divinis conſecrati myſteriis. *Et ipſe Auguſtinus in Pſalm. 21. 39. & 109 vocat*, Sacramentum, quod norunt fideles. *Sozomen. libr. 8. hiſtor. Eccleſ. cap. 9.* ἴσασι δὲ οἱ μεμυημένοι ὃ λέγω. Intelligunt qui Chriſto ſunt initiati quod dico. *Theodoretus Dialogo Inconfuſus, ſatis teſtatur apertè non eſſe ſolitos loqui Chriſtianos de tanto myſterio, ubi adeſſent aliqui Chriſtianæ religionis myſterijs non initiati. Imò & Catechumeni ipſi arcebantur non modo à ſumptione, verùm etiam à conſpectu Euchariſtiæ: ut conſtat ex D. Dionyſ. lib. de Eccl. Hierar. c. 3. ex D. Baſil. lib. de Spiritu S. c. 27. ex Concil. Carthag. 4. can. 84. ex eodem Auguſtin. tract. 11. & 96. in Joannem: hac ratione Tertullian. lib. 2. ad Uxorem, c. 5. dehortatur fidelem à matrimonio contrahendo cum infideli,* Non ſciet (*inquit*) maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? quod prodenda eſſent neceſſario myſteria marito infideli, quod nefas.

Cap. VII.

Quòd ſanctorum angelorum ea ſit in nos dilectio, ut nos non ſuos, ſed unius veri Dei velint eſſe cultores.

MErito illi in cæleſtibus ſedibus conſtituti, immortales & beati, qui creatoris ſui participatione congaudent, cujus æternitate firmi, cujus veritate certi, cujus munere ſancti ſunt: quoniam nos mortales & miſeros, ut immortales beatique ſimus, miſericorditer diligunt, nolunt nos ſibi ſacrificare, ſed ei, cujus & ipſi nobiſcum ſacrificium ſe eſſe noverunt. α Cum ipſis enim ſumus una civitas Dei, cui dicitur in Pſalmo: *Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei:* β cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. De illa quippe

pe ſuperna civitate ubi Dei voluntas intelligibilis atque incommutabilis lex eſt, *a* de illa ſuper nos quodammodo cura geritur. *γ* Namque ibi cura de nobis ad nos adminiſtrata per angelos *δ* ſancta illa ſcriptura deſcendit, ubi legitur: *Sacrificans dijs eradicabitur, niſi domino ſoli.* Huic ſcripturæ, huic legi, talibus præceptis tanta ſunt atteſtata miracula, ut ſatis appareat, cui nos ſacrificare velint immortales ac beati, qui hoc nobis volunt eſſe quod ſibi.

a DE illa ſuper nos quodammodo.] *Alibi ſic eſt: De illa ſuperna quodammodo curia. Gerit nanq; ibi curas de nobis ad nos miniſtrata per angelos.* L. Vives.

α CUm ipſis ſumus una civitas Dei.] *Angeli & homines & ad unam & eandem pertinent Eccleſiam, idem finis utriſq; propoſitus ſcil. beatitudo, qui fuere ab initio fideles, & quemadmodum hominum, ita & Angelorum caput eſt Chriſtus, Epheſ. 1.* Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, *nempe univerſalem Eccleſiam, ex Angelis & hominibus conſtantem, ut ibi exponit D. Hieronym. & D. Auguſtin. in Enchiridio cap. & Coloſſ. 2.* Qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis. *Ratio accedit; ex Angelis enim & hominibus una Eccleſia, quæ eſt veluti una ſpiritualis reſpublica conſtituitur, atq; huic Eccleſiæ toti Chriſtus præeſt. Idem ſcribit D. Auguſtin. in Pſal. 36. quod ex hominibus fidelibus & Angelis ſit una civitas ſub uno Rege, & una quædam provincia ſub uno Imperatore, D. Bernhard. Homil. 27. in Cantica, Eccleſiam unam ſponſam vocat ex Angelis & hominibus unius ſponſi Chriſti.* Cum haberet (*inquit*) Deus ſponſam inhærentem ſibi à principio multudinem Angelorum, placuit ei & de hominibus convocare Eccleſiam, atque unire illi, quæ de cœlo eſt, ut ſit una ſponſa, & unus ſponſus. F. L. Coq.

β Cuius pars in nobis peregrinatur.] *Quemadmodum eadem eſt reſpublica vel civitas & eorum, qui in civitate pacificè vivunt, & illorum, qui in bello decertant, ita eadem eſt reſpublica vel civitas & Angelorum, qui jam pacificè vivunt, & triumphant in cœlo, quæ dicitur,* Eccleſia triumphans, *& viatorum exiſtentium adhuc in* Eccleſia militante, *pertinentq; omnes illi ad eandem Rempublicam, cùm habeant Chriſtum tanquam unicum caput in eos omnes influens pro diverſitate partium illius corporis; atq; una tamen eſt Eccleſia* militans; & triumphans, *& unum corpus myſticum, ſtatu tamen & conditione differens.*

γ Geritur namque ibi cura de nobis.] *Curia ſedes ac templum publici conſilij, ampliſſimi ordinis conſeſſus, quod penes eum fortaſſe ſit cum & adminiſtratio reipublicæ.* Curia *(inquit Feſtus)* locus eſt, ubi publicas curas gerebant.

δ Sancta illa ſcriptura deſcendit.] *Idem ſcribit conſ. 2. in Pſal. 90.* De illa civitate unde peregrinamur, hæ literæ nobis venerunt, ipſæ ſunt ſcripturæ, quæ nos hortantur, ut benè vivamus.

CAP. IIX.

De miraculis, quæ Deus ad corroborandam fidem piorum, etiam per angelorum miniſterium promiſſis ſuis adhibere dignatus eſt.

NAm nimis vetera ſi commemorem, longius quàm ſat eſt, revolvere videbor: quæ miracula facta ſint atteſtantia *α* promiſſis Dei, quibus ante an-

Digitized by Google

norum milia prædixit Abrahæ, quod in ſemine ejus omnes gentes benedictionem fuerant habituræ. Quis enim non miretur β eidem Abrahæ filium peperiſſe conjugem ſterilem, eo tempore ſenectutis, quo nec parere, nec eſſe fœcunda jam poſſet: *a* γ atque in ejuſdem Abrahæ ſacrificio flammam cælitus factam, inter diviſas victimas cucuriſſe: δ eidemque Abrahæ prædictum ab angelis cæleſte incendium Sodomorum, ε quos angelos hominibus ſimiles hoſpitio ſuſceperat, & per eos de prole ventura, Dei promiſſa tenuerat, ipſoque imminente jam incendio, miram de Sodomis per eoſdem angelos ζ liberationem Loth filii fratris ejus: η cujus uxor in via retro reſpiciens, atque in ſalem repente converſa, magno admonuit ſacramento, θ neminem in via liberationis ſuæ præterita deſiderare debere. Illa verò quæ & quanta ſunt, quæ jam per Moyſen populo Dei de jugo ſervitutis eruendo in Ægypto mirabiliter geſta ſunt, ubi magni Pharaonis, hoc eſt, regis Ægyptii, qui populum illum dominatione deprimebat, ad hoc ι facere quædam mira permiſſi ſunt, ut mirabilius vincerentur. κ Illi enim faciebant veneficiis & incantationibus magicis, quibus ſunt mali angeli, hoc eſt, dæmones dediti: λ Moyſes autem tantò potentius, quantò juſtius in nomine Domini, qui fecit cælum & terram, ſervientibus angelis, eos facilè ſuperavit. Denique in μ tertia plaga deficientibus magis, ν decem plagæ per Moyſen magna myſteriorum diſpoſitione completæ ſunt, quibus ad Dei populum dimittendum, Pharaonis & Ægyptiorum dura corda ceſſerunt. Moxque pœnituit, & cùm abſcedentes Hebræos conſequi conarentur, ξ illis diviſo mari per ſiccum tranſeuntibus, unda hinc atque hinc in ſeſe redeunte cooperti & oppreſſi ſunt. Quid de illis miraculis dicam, quæ cum in deſerto idem populus duceretur ſtupenda divinitate crebruerunt: aquas ο quæ bibi non poterant, miſſo in eas ſicut Deus præceperat ligno, amaritudine caruiſſe, ſitienteſque ſatiaſſe: π manna eſurientibus veniſſe de cælo: & cùm eſſet colligentibus conſtituta menſura, quicquid ampliùs quiſque collegerat, exortis vermibus putruiſſe: ante diem verò ſabbati duplum collectum, quia ſabbato colligere non licebat, nulla putredine violatum, deſiderantibus carne veſci, quæ tanto populo nulla efficere poſſe videbatur, volatilibus caſtra completa, & cupiditatis ardorem faſtidio ſatietatis extinctum. ρ Obvios hoſtes tranſitumque prohibentes atque præliantes, σ orante Moyſe, manibuſque ejus in figuram crucis extenſis, nullo Hebræorum cadente proſtratos: τ ſeditioſos in populo Dei, ac ſeſe ab ordinata divinitus ſocietate dividentes, ad exemplum viſibile inviſibilis pœnæ vivos terra dehiſcente ſubmerſos: υ virga percuſſam petram tantæ multitudini abundantia fluenta fudiſſe: φ ſerpentum morſus mortiferos immiſſos, ad pœnam juſtiſſimam peccatorum, χ in ligno exaltato atque proſpecto æneo ſerpente ſanatos, ut & populo ſubveniretur afflicto, & mors morte deſtructa, velut crucifixæ mortis ſimilitudine ſignaretur? Quem ſanè ſerpentem propter facti memoriam reſervatum, cùm poſteà populus errans tanquam idolum colere cœpiſſet, Ezechias rex religioſa poteſtate Deo ſerviens, cum magna pietatis laude contrivit.

Gen 17. Gen. 21. Gen. 18. Gen 19. Exo. 14. Exo. 15. Exo. 16. Num. 11 Exo 17 Num 16

a Atque

α ATque in ejuſdem Abrahæ ſacrificio flammam cælitus factam.] *Auguſtinus hunc locum recantat libro Retract. ſecundo. Sic enim ait, de his loquens libris, in quorum decimo libro non debuit pro miraculo poni in Abrahæ ſacrificio flammam cælitus factam inter diviſas victimas incurriſſe: quoniam hoc illi in viſione monſtratum eſt. Hæc ille. Idcirco enim miraculum non fuit, quod ipſi Abrahæ miranda res non erat, quippe non nova, ut quam ſciebat futuram.* L.V.

a PRomiſſis Dei quibus ante annorum millia prædixit Abrahæ.] *Quinq; potiſſimùm Abrahæ promiſſa ſunt, multiplicatio ſeminis, benedictio & fœlicitas eius, magnificatio nominis, poſſeſſio terræ Chanaan melle & lacte affluentis, verùm potiſſima omnium fuit benedictio omnium gentium per ſemen ipſius Chriſtum. Ideò hanc unam hic tangit D. Auguſtinus, imò hæc fuit reliquarum finis. Ampliſſimas enim à Deo poſſeſſiones accepit, quia ex eo naſciturus erat Chriſtus, quod Paulus ad Galat. interpretatur eſſe ſemen illud Abrahæ*, in quo benedicendæ erant omnes gentes. F.L.Cop.

β Eidem Abrahæ filium peperiſſe conjugem.] *Miraculo certe id aſcribendum. D. Paul. Hebr. 11. inde commendat fidem Sarræ:* fide & ipſa Sarra ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit etiam propter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit eſſe Deum, qui repromiſerat, *& ad Rom. 4. in hunc modum ſcribit de Abraham:* non eſt infirmatus in fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cùm jam ferè centum eſſet annorum, neque mortuam vulvam Sarræ. *Duplici ratione Sarra impotens erat ad generationem, tum ob ſenilem ætatem, tùm etiam potiſſimùm ob defectionem menſtruorum, quæ materiæ ſcil. generationi neceſſaria ſunt, ad Rom. 9. filium promiſſionis vocat Iſaac, quòd vi promiſſionis, & non virtute naturali natus ſit.* Promiſſionis enim verbum hoc eſt, ſecundum hoc tempus veniam, & erit Sarræ filius, *ſicq; fideles viros Abrahæ filios vocat filios promiſſionis,* qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis; neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt; *Non qui filij carnis, hi filij Dei ſunt, ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine; & quemadmodum in virtute promiſſionis iſtius Abrahæ factæ,* Secundum hoc tempus veniam, & erit Sarræ filius, *natus eſt Iſaac, ita tot fideles virtute illius promiſſionis Abrahæ factæ, quòd in ſemine illius benedicerentur aliquando omnes nationes terræ, in Dei filios adoptati ſunt.*

γ Atque in eiusdem Abrahæ ſacrificio flammam.] *Geneſ. 15. Cum Dominum Abraham rogaret, unde ſcire poſſet, quod poſſeſſurus eſſet terram Chanaam, reſpondens Dominus.* Sume (*inquit*) mihi vaccam triennem, & capram trimam & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam; qui tollens ea univerſa, diviſit per medium, & utraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit, aves autem non diviſit. *Poſt,* Cumque ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus invaſit eum. *Paulò poſt,* Cumque ergo Sol occubuiſſet, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diviſiones illas. *D. Auguſtinus hoc loco pro ingenti miraculo habet, lampadem illam tranſiiſſe inter partes animalium & circuiſſe quaſi*

à nemine latam, ſed per ſeipſam motam. Verum id poſtea re melius conſiderata emendavit lib. 2. Retract. cap. 43. quòd illud revera factum non fuerit, ſed in viſione tantùm Abrahamo oſtenſum fuerit. De ſignificatione huius ſacrificij Abraha infr. agit lib. 16. c. 24.

δ Eidem Abrahæ prædictum cœleſte incendium Sodomorum.] *Certè ex magna familiaritate, qua factum eſt ut Deus cum amico ſuo Abraham communicaret conſilia & arcana ſua. Ex qua etiam dictum eſt,* Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum? *qua etiam ratione ſcriptum eſt Amos 7.3.* Non faciet Dominus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas.

ε Quos Angelos hominibus ſimiles hoſpitio ſuſceperat.] *D. Paulus hoc argumento hoſpitalitatem commendat Hebr. 13.* Hoſpitalitatem (*inquit*) nolite oblivisci; Per hanc enim placuerunt quidam angelis hoſpitio receptis, *ſpectans haud dubiè ad Abraham & Loth, qui angelos ſub humana ſpecie hoſpitio acceperunt, ubi tamen non ſilendum, loco verbi placuerunt, alios Codices habere. latuerunt, ita legitur apud Auguſtinum qu. 41. in Geneſ. & infr. lib. 16. c. 29. Sicq; habet textus Græcus,* Τῆς φιλοξενίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε, διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους. *Elleniſmus pro latuit eos, quod angelos hoſpitio reciperent.*

ζ Liberationem Loth filii fratris eius.] *Geneſ. 19. D. Petrus epiſt. 2. cap. 2.* Juſtum Loth oppreſſum à nefandorum injuria ac luxurioſa converſatione eripuit Dominus; Aſpectu enim & auditu juſtus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant.

η Cuius uxor in via retro reſpiciens.] *Vide infra lib. 16. cap. 30.*

θ Neminem in via liberationis ſuæ præterita deſiderare.] *Geneſ. 19. præceptum fuit Loth,* Salva animam tuam, noli reſpicere retro, *volens ſignificare eos, qui ex vitioſa & mundana converſatione vocati ſunt ad ſpiritualem vitam, quem ſignificabat mons ille, ad quem juſſus eſt Loth ab angelis confugere debere, quod monet Apoſtolus ad Philipp. 3. ea quæ retrò ſunt oblivisci.* Quæ retrò ſunt obliviſcens, (*ait Apoſtolus*) ad ea verò, quæ ſunt priora extendens meipſum ad deſtinatum proſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.

ι Facere quædam mira perpeſſi ſunt.] *Quæri poſſet hoc loco, cur Deus permiſerit Magos facere ſigna & prodigia ſimilia miraculis Moſis, ſic enim ſcriptura docet,* & Magi ſimiliter fecerunt. *Vide Perer. in cap. Exod. 7. diſput. 11.*

κ Illi enim faciebant incantationibus & veneficiis Magicis.] *Ita legitur Exod. 7.* Vocavit Pharao ſerpentes & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Magicas Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter: *Poſtea ubi locutus eſt de miraculis factis per Moyſen & Aaron, ſubjungit,* Fecerunt ſimiliter Malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis. *An verò fecerint illi ſerpentes veros dubitatur. Juſtinus Martyr. qu. 2. ad Orthod. reſpondet, non fuiſſe veros ſerpentes neq; veras ranas, ſed magicis ſolummodò ſuis præſtigiis hominum oculis impoſuiſſe; & Dialogo adverſus Tryphonem duobus locis ſcribit, eos exteriores oculos circumſcripſiſſe. Tertullian. lib. de anima c. 57. ubi ait, veritatem Moſis devoraſſe mendacium magorum. In quem locum Pamelius citat alios authores in eandem ſententiam. Verùm D. Auguſtin. hoc loco, & lib. de divinat. dæmon. cap. 3. & 2. de Geneſ. ad Literam*

teram cap. 17. & lib. 3. de Trinit. cap. 3. & 4. exiſtimat fuiſſe veros ſerpentes & veras etiam ranas.

u Moyſes autem tanto potentius quanto juſtius in nomine Domini.] *Idem epiſtol. 5. ad Voluſianum.* Nos legimus, Magos Ægyptiorum artium iſtarum peritiſſimos à Moſe famulo Dei fuiſſe ſuperatos, cùm illi quædam mira nefandis artibus agerent, ille Deo ſuppliciter invocato machinamenta eorum cuncta ſubverteret, *l. 83. q. 47. Magorum miracula à veris miraculis virorum ſanctorum, cujuſmodi fuit Moſes, diverſa eſſe ait dupliciter, tum fine propter quem fiunt: tum jure. i. authoritate & poteſtate, qua fiunt.* Magi *(inquit)* faciunt quæ videntur miracula, quærentes gloriam ſuam; ſancti viri miracula faciunt quærentes gloriam Dei; & illi faciunt per quædam poteſtatibus conceſſa in ordine ſuo, quaſi privata commercia vel beneficia: iſti verò publica adminiſtratione & juſſu ejus, cui omnis creatura ſubjecta eſt; ut intelligamus miracula ſanctorum divina virtute fieri: miracula autem dæmonum adhibitis cauſis naturalibus. *Idem 3. de Trin. c. 9. ſcribit eadem opera, quando fiunt ab hominibus miracula eſſe; quando verò à dæmonibus fiunt, minime, ut erat miraculum quod Moſes virgas in ſerpentes converteret, quando verò fiebat à Magis, non erat miraculum: Moyſe enim non utebatur cauſis naturalibus, ſed ſuper omnem naturæ ordinem virgas in ſerpentes convertit, dæmones cauſis naturalibus utebantur, ſiquidem eodem authore c. 8.* Omnium rerum, quæ corporaliter viſibiliterque naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis mundi hujus elementis latent, *Atque ea dæmones cum perſpecta habeant ad effectus quoſdam mira celeritate producendos adhibent, ita ſi dæmones excitent tempeſtates ac turbines in aere, miraculum non eſt; hæc enim habent naturales cauſas; verum quando præter ordinem naturæ in monte Sinai eadem facta ſunt, miraculum fuit. Huc etiam ſpectat quod ſcribit l. 11. de Gen. ad Liter. c. 29.* Habent quædam boni & mali angeli opera ſimilia ſicut Moſes & Magi Pharaonis: verum in his etiam boni angeli potentiores ſunt, quia nec mali angeli etiam talium operum quidquam poſſunt, niſi quod per bonos angelos permiſerit Deus. *Atq; in Ægyptios & Pharaonem rectè quadrat illud Apoſtoli 2. Theſſalon. 2.* Eoque charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, ideò mittet illis Dominus operationem erroris, ut credant mendacio. *Cùm enim non crederent veris miraculis Moyſis ſervi Dei, permiſit Deus, ut in eorum inducerentur falſis Magorum miraculis, & ut mendacio crederent poſthabita veritate. Non magicis artibus operatus eſt Moyſes, quod impiè ſcripſit Plin. lib. 30. c. 1. Ubi eum Magum fuiſſe aſſerit, nimirum atheus ille nunquam ſibi perſuaſiſſet Moyſem vi divina ſupra naturam operatum fuiſſe.*

x In tertia plaga deficientibus Magis.] *Ita ſcribitur Exod. 8.* Feceruntque ſimilia malefici incantationibus ſuis, ut educerent Cyniphes, & non potuerunt. *Quomodo vero D. Auguſtin. & pleriq; alij dicant Magos defeciſſe in ſigno tertio, cum hoc ſignum Cyniphium fuerit quartum. Primum enim ſignum fuit,* converſarum virgarum in ſerpentes, *ſecundum* ſanguinis, *tertium* ranarum, *quartum* Cyniphium. *Sed in promptu eſt reſponſio: inter ſigna enim ſimpliciter & præ-*

& praciſè ſumpta, fuit quartum; inter ſigna verò plagarum fuit tertium. Magi verò potius in hoc ſigno, quàm in aliis defecerunt. D. Auguſt. qu. 25. in Exod. ſuper ea re diſputans non dubitat, quin certa quæpiam cauſſa fuerit, licet nobis incomperta, cur potius in hoc tertio ſigno, quàm in prioribus defecerint, ubi etiam ſcribit id fortaſſe referri poſſe ad myſterium Trinitatis, quia veteres Philoſophi quantum ad perſonam Patris & Filij videntur ſaltem agnoviſſe obſcure, ſed defecerunt in cognitione Spiritus ſancti, quæ eſt tertia perſona: verùm hæc ratio myſtica potius, quàm literalis videtur, nec puto diſtinctionem ullam perſonarum in una divina eſſentia veniſſe in mentem veteribus Philoſophis, licet nonnihil aliquando videantur inſinuaſſe de verbo Dei. Placet ratio, quam adfert Pererius in c. 8. Exod. diſput. 3. Cur Magi non potuerint facere Cyniphes non aliam cauſſam fuiſſe præter voluntatem ac poteſtatem Dei, qui priora ſigna Magos facere permiſit, hoc autem ſignum minus reliquis facere prohibuit, ut intelligamus multa quædam poſſe dæmones virtute naturali, ſi permittantur à Deo, niſi autem permittat Deus, ne minimùm quidem poſſe.

ξ Decem Plagæ per Moyſen magna myſteriorum diſpoſitione completæ ſunt.] *De his plagis videri poteſt Pererius diſput. 12. num. 7. cap. Exodi & deinceps pluribus diſputat. in c. 8. 9. 10. & 11. Decem plagas Moyſes commemorat. Prima fuit* aquarum converſio in ſanguinem; *Secunda* productio ranarum. *Tertia* Cyniphium. *Quarta* muſcarum. *Quinta* peſtis, & interitus animalium. *Sexta.* Veſicæ turgentes, & ulcera tàm in hominibus, quam in animalibus. *Septima* tonitrua, grando & fulmina. *Octava* locuſtæ. *Nona* Triduanæ tenebræ. *Decima* cædes primogenitorum, *hæ in parte recenſentur Pſalm. 77. Pſ. 104. D. Auguſtin. in Pſ. 77. plures fuiſſe quàm 10. arbitratur.*

o Illi diviſo mari per ſiccum tranſeuntibus] *Meritò quidem toties Divina ſcriptura celebrat hoc miraculum, quod & fuſiſſime deſcribit Joſeph. l. 2. extremo, & Philo Judæus l. 2. de vita Moſis, & certe dubium non eſt, quin diviſio illa maris rubri fuerit effectus divinæ omnipotentiæ. Apud Euſebium l. 9. de præpar. Evan. c. ult. refert Artapanus duas fuiſſe apud Ægyptios ſententias de ratione & modo diviſionis maris rubri: Memphitas ſiquidem aut dicere, cùm magnam eorum locorum Moyſes haberet peritiam, refluxum obſervaſſe maris rubri, ſicq; populum per eum locum maris rubri traduxiſſe. Verum Heliopolitas tradere propter gazam, quam Hebræi mutuo acceptam ab Ægyptiis abſtulerant, Ægypti regem valida manu eos eſſe perſecutum, Moyſen autem baculo percuſſum mare diviſiſſe, fractaq; via per mare incolumem cum ſuo populo tranſiiſſe. Joſephus extremo lib. 2. videtur dubitare an illa maris diviſio facta ſit ſingulari quadam Dei voluntate ac potentia per miraculum, an ſponte naturæ; qui etiam addit ſimile quoddam, quod Hebræis contigit in mari rubro, Macedonibus accidiſſe duce Alexandro, in mari Pamphylio. Verba Joſephi ſunt.* θαυμάσῃ δὲ μηδεὶς τοῦ λόγου τὸ παράδοξον, εἰ ἀρχαίοις ἀνθρώποις καὶ πονηρίας ἀπείροις εὑρέθη σωτηρίας ὁδὸς καὶ διὰ θαλάσσης εἴτε κατὰ βούλησιν θεοῦ εἴτε κατ' αὐτόματον. ὁπότε καὶ τοῖς περὶ τὸν Ἀλέξανδρον τὸν βασιλέα τῆς Μακεδονίας χθὲς καὶ πρώην γεγονόσιν ὑπεχώρησε τὸ Παμφύλιον πέλαγος, καὶ ὁδὸν

ἄλλην

ἄλλην οὐκ ἔχουσι, παρεῖχεν τὴν δι' αὐτοῦ καταλῦσαι τὴν Περσῶν ἡγεμονίαν, τοῦ θεοῦ θελήσαντος, καὶ αὐτὸ τοῦτο πάντες ὁμολογοῦσιν οἱ τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις συγγραψάμενοι. *Verùm qua ratione contigerit Alexandrum mare Pamphylium tranſire, idq; citra miraculum Strabo exponit l. 14. Geograp. nec dubitandum ullo modo, diviſionem illam maris rubri miraculo cum D. Auguſtin. hoc loco adſcribendam eſſe. Percuſſo enim virga Moſis mari & bifariam diviſo facta in medio maris ampliſſima via, qua univerſus populus Hebræus in adverſum littus tranſiret incolumis. Refluxus vero maris nudat ſolum aquis littora, vel littoribus propinqua loca; at medium mare nudare aquis refluxus non poteſt, deinde quia mari diviſo aquæ ex utraq; parte ad dexteram & ſiniſtram conſiſterent immobiles nonne miraculum fuit? quid? iter pateſeciſſe Hebræis, ubi verò tranſierunt ſtatim ad locum naturalem rediiſſe obruturas Ægyptios nonne miraculum fuit? Ideò toties ſcriptura commemorat ac celebrat hoc miraculum, vide Irenæum l. 4. c. 4. 8.*

π Aquas quæ bibi non poterant miſſo in eas ligno.] *Hiſtoria habetur Exod. 15. & miraculi loco celebratur Eccleſiaſt. 38.* nonne à ligno indulcata eſt aqua amara. *Nec enim virtuti ligni adſcribendum, quod dulces aquas redderet. Auguſtin. qu. 57. in Exod. vult eſſe præfiguratam gloriam & gratiam crucis. Aquæ amaræ & ligni immiſſi & Moſi oſtenſi interpretationem myſticam vide apud eundem ſerm. 91. de tempore. Theodoret. q. 57. in Exod. quærit, quale illud fuerit lignum quod aquam dulcem reddidit in Marato,* ſuperfluum, *inquit*, ac ſtultum quærere, quæ ſilentio tradita ſunt, nobis ſufficit cognoſcere aquam quæ prius erat amara per lignum in dulcem mutatam eſſe qualitatem. Quæ res ſalvationem noſtram præfiguravit. Crucis enim ſalutare ſignum mare gentium amarum dulce reddidit. *Philo lib. 1. de vita Moyſis dubitat an vis nativa eſſet illi ligno, quod oſtendit Deus Moyſi, ut dulces aquas redderet. an verò tum primum ei ad hoc à Deo indita: Lubet adſcribere verba Philonis, ubi prius expoſuit querimonias populi ob aquarum amaritudinem, quarum guſtu offendebantur*, Moſes, *inquit*, Deum ſupplex precatur, ut gnarus imbecillitatis animalium, præſertim hominum propter corporis neceſſitates à cibo pendentium, & duro tantum ventri ſervientium, det veniam deſperantibus, & omnium egeſtatem expleat, idque ſine dilatione, quando mortalium naturalis incuria celerem opem deſideret. Ille facile exoratus aperit ſupplicis oculum, & oſtendit lignum, quod ſublatum juſſit in fontes immitti, ſive ea vis naturæ fuit, ignorata hactenus, ſive tùm primum ad præſentem uſum indita eſt. Quod ubi factum eſt, fontes dulcedinem acceperunt, ut eſſent potabiles ac ſi nunquam amari quicquam habuiſſent, adeò nullum relictum fuerat veſtigium priſtini vitii.

ρ Manna eſurientibus veniſſe de cœlo.] *Exod. 16. Joſeph. lib. 3. c. 1. Antiquit. Philo lib. 1. de vita Moyſis; & recenſet hoc miraculum & beneficium maximum in Hebræos David Pſal 77.* pluit illis manna ad manducandum: panem cœli dedit eis, Panem Angelorum manducavit homo.

σ Obvios hoſtes tranſitumque prohibentes.] *Amalechitas intelligit. Exod. 17. Joſeph. lib. 3. Antiqu. c. 2.*

τ Orante Moyſe, manibusque eius in figuram crucis extenſis.] *Theodoretus quæſtion. 34. in Exodum;* dum extendebat manus Moyſes, præ ſe ferebat typum eius, qui crucifixus eſt pro nobis. Declarata eſt igitur ſub illa figura vis veritatis. Quemadmodum enim ſervo tendente manus cecidit Amalech, ita cùm dominus manus extendit, diſſoluta eſt acies diaboli. In illo verò bello Jeſus (Ἰησοῦς Græcis dicitur) cùm ſalvatore noſtro cognominis tropheum ſervavit tam in eo, quod hanc appellationem adeptus eſt, quàm ob id quod uſus eſt opera dilectorum virorum, ſicuti Chriſtus eſt ſacror Apoſtolorum miniſterio. *Vide D. Auguſtinum ſerm. 93. de Tempore.*

υ Seditioſos in populo Dei.] *Schiſmaticos illos Chore, Dathan & Abiron, & eorum ſequaces intelligit, de quibus Numer. 16. hiſtoriam ſcribunt etiam Philo lib. 3. de vita Moyſis, & Joſephus lib. 4. Antiquit. cap. 3. Ex hac hiſtoria poſt Clementem Romanum lib. 9. conſtit. Apoſtol. cap. 1. & 2. colligit Optatus Milevitanus libr. 1. contra Parmenianum Donatiſtam, & D. Auguſtinus quàm grave crimen ſit ſchiſma, quod fratricidis, adulteris, incendiariis, idololatris pœnitentiæ locum Deus reliquerit, vel ſupplicijs levioribus in eos animadverterit, ſchiſmaticos vero ſubducto reſipiſcendi tempore, vel cœleſtibus ignibus abſumpſerit, vel hiatu terræ viventes corpore & animo ad Tartara momento temporis præcipitaverit.* Quod in ſacrilegos & parricidam non fecerat (*ait Optatus*) in ſchiſmaticos fecit. Stabat miniſtrorum acies & multitudo ſacrilega cum interdictis ſacrificiis ſuis illicò peritura: negatum eſt & ſubductum pœnitentiæ tempus, quia non talis erat culpa, quæ veniam mereretur. mandata eſt terræ fames; ſtatim fauces ſuas in populi diviſores aperuit & contemptores mandatorum Dei avido ore abſorbuit; Intra momenti ſpatium ad transglutiendos prædictos terra patuit, rapuit, clauſa eſt. *D. Auguſtin. lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 6.* Tempore illo, quo Deus priora delicta recentibus pœnarum generibus cavenda monſtravit, idolum fabricatum eſt & adoratum, & propheticus liber ira Regis contemptoris incenſus. *Hierem. 36.* & ſchiſma tentatum: idololatria gladio punita eſt, exuſtio libri bellica cæde & peregrina captivitate, ſchiſma hiatu terræ ſepultis authoribus vivis, & cæteris cœleſti igne conſumptis, quis jam dubitabit hoc eſſe ſceleratius commiſſum, quod eſt gravius vindicatum? tanto miraculo Deus voluit docere ſe elegiſſe Moſem, & Aaronem præfeciſſe ſummo ſacerdotio, quem honorem nemo ſibi aſſumere debet, niſi qui à Deo vocatur. Mane (*inquit Moyſes*) notum faciet Dominus, qui ad ſe pertineant & ſanctos applicabit ſibi, & quos elegerit, appropinquabunt ei. *Poſt:* In hoc ſcietis, quod Dominus miſerit, ut facerem univerſa, quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim, ſi conſueta hominum morte interierint, & viſitaverit eos plaga qua & cæteri viſitari ſolent, non miſit me Dominus; Si autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia, quæ ad illos pertinent, deſcendentq; viventes in infernum, ſcietis quod blaſphemaverunt Dominum. *Vide Cyprian. Ep. 65. ad Rogatianum Epiſ. 68. Epis. 73. Epiſ. 76. & lib. de unitate Eccleſiæ, quibus locis quam grave ſit peccatum ſchiſmatis ex hac hiſtoria oſtendit.*

φ Virga

φ Virga percuſſam petram.] *Exod. 17. deſcribitur miraculum iſtud. Joſephus l.3. Antiquitatum cap. 1. refert & Philo. l.1. de vita Moyſis, cujus verba libet adſcribere. Locutus enim de coturnicibus in magna abundantia populo exhibitis;* In hac, *inquit*, copia ciborum intervenit magna potus inopia, jamque deplorata erat ſalus omnium, cùm Moſes ſumpta ſacra illa virga, per quam in Ægypto prodigia patraverat numine correptus rupem perrupit; qua ſeu vena opportuno ictu aperta, ſeu aquis tùm primum eò corrivatis per occultos cuniculos erumpentibuſq; præ impetu mare fontis tantum profudit, quantũ & ad ſitis remedium, & ad diuturnam aquationem ſuffecit tot millibus: omnes enim hydrias impleverant, ſicut prius ad fontes amaros in dulcem naturam verſos Dei providentia. *Hoc miraculum meritò celebrat David. Pſalm. 77.* Interrupit petram in eremo, & adaquavit eos velut in abyſſo multa. Et eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas. *Bis illud miraculum contigit Exod. 17. & Num. 20. Bis enim aquam è rupe elicuit, duobus menſibus ab exitu nondum expletis in Raphidim. Exo. 17. & poſt annos 40. in Cades, quanquam differenter ut notat Genebrardus in Pſalm. 77.* Nam è prima percuſſione exundavit fluvius manans quatuor miliaria. *Tantum enim diſtat Horeb. & Raphidim, ubi conſiſtebant Iſraelitarum caſtra;* è ſecunda puteus aquarum viventium, Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ & torrentes inundaverunt. *Iuxta traditiones unica fuit petra diverſis regionibus & temporibus percuſſa. Genebrardus loco citato, quod videtur docere Apoſtolus 1. Corin. 10.* Bibebant de ſpiritali conſequente eas Petra. *D. Auguſtin. qu. 35. ſupr. Numer. poſt Apoſtolum Paulum allegoricè petram Chriſtum exponit, & aquam gratiam ab eo manentem ſpiritualem.* Significata eſt, *inquit*, de Chriſto profluens gratia ſpiritualis, qua interior ſitis irrigaretur: Sed quod virga petra percutitur, Crux Chriſti figuratur: ligno autem accedente ad petram gratia manavit, & quòd bis percutitur evidentius ſignificat crucem. Duo quippe ligna ſunt crucis, *& ſerm. 93. de Temp.* Dixit Dominus ad Moyſem. Tolle virgam, & percute petram, ut educat populo aquam, Chriſtus eſt petra, & habet aquam; ſed hæc petra niſi percuſſa fuerit, aquas omnino non habet: percuſſa verò fontes producit, & flumina ſicut in Evangelio legimus Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ. Percuſſus enim Chriſtus in cruce novi teſtamenti fontes eduxit, neceſſe enim erat, ut ille percuteretur, niſi enim ille percuſſus fuiſſet, & de ſacro eius latere ſanguis & aqua manaſſet, univerſus mundus ſitim verbi Dei patiens interiiſſet. Percuſſit ergo Moſes virga bis ſilicem, nec hoc puto eſſe ſine myſterio. Quid eſt hoc, quod non ſemel, ſed bis virga percuſſa eſt petra? Ideò ſecunda vice petra percutitur, quia duo ligna in crucis patibulo eriguntur, quia in uno ligno ſacras manus expandit, in alio verò à capite uſq; ad pedes immaculatum corpus extendit.

χ Serpentum morſibus mortiferos immiſſos.] *Num 21. An ſerpentes illos ignitos, à quibus morſi fuerint in deſerto Hebræi, regio ipſa natura ſua produxit quales multos Solinus tradit eſſe in Africa, à quibus icti Catonis milites inflammati,*

ti, veneno morerentur; an verò ut nonnulli volunt, Deo illos divinitus generante, ut ea ratione rebellem & pertinacem puniret populum?

ψ In ligno exaltato atque proſpecto æneo ſerpente ſanatos.] *Serpentem illum æneum ſigumm geſſiſſe Chriſti cruce exaltati Chriſtus ipſe docuit Joan.3.* Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. *i. crucifigi, ſi quidem eius crucifixio nomine exaltationis ſignificata eſt Joan.5.* Cum exaltaveritis filium hominis, *& 12.* Ego ſi exaltatus fuero à terra. *Serpens ille æneus ſimilitudine quidem verum ſerpentem referebat, venenum tamen non habebat, ita Chriſtus* in ſimilitudinem quidem carnis peccati, factus eſt *Roman. 8. i. qui verus quidem eſſet homo, peccatum tamen ſicut cæteri homines non haberet; ſicut aſpectus in illum ſerpentem ſanabat, ita peccatores ſanat fides in Chriſtum; hoc enim eſt in Chriſtum crucifixum reſpicere. Eſt enim Chriſtus crucifixus vocatus Judæis atque gentibus, id eſt, fidelibus Dei virtus & Dei ſapientia. Legi poteſt D. Auguſtinus lib.1. de peccat. merit. & remiſſ. cap.32. ſermon.14. de verbis Apoſtoli, & ſermon.10. de Tempore. Juſtinus Martyr Dialogo cum Tryphone. Theodoretus quæſt.39. in Numer. Quare hic ſerpens ex ære potius quam ex alia materia factus ſit, nonnulli volunt ideo, quod æs colorem referret illorum eorundem ſerpentum, à quibus Hebræi mordebantur, igniti enim erant quale æs eſt; alij alias rationes myſticas afferunt. D. Auguſtin. ſerm.10. de tempor.* Hoc, *inquit*, mihi videtur quod duas ſignificationes habere poſſit, unam propter diuturnitatem, quia vaſa ænea diutius durare ſolent, aliam propter vocis claritatem; nam inter omnia metalla vaſa ærea majorem tinnitum reddere & longius ſonare ſolent, Chriſti doctrina non in una tantum Judæorum gente innoteſcere, ſed per univerſum mundum claro ſalutiferæ prædicationis ſono poterat pervenire, ideò ſerpens ille æneus efficitur, ut doctrina Chriſti in univerſo mundo clarius prædicetur.

CAP. IX.

De illicitis artibus erga dæmonum cultum, in quibus Porphyrius Platonicus quædam probando, quædam quaſi improbando verſatur.

HÆc & alia multa hujuſcemodi, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, fiebant ad commendandum unius Dei veri cultum: & multorum, falſorumque prohibendum. Fiebant autem ſimplici fide atque fiducia pietatis, non incantationibus & carminibus nefariæ curioſitatis arte compoſitis, quam vel magiam, *a* vel deteſtabiliore nomine *a* goetiam, vel honorabiliore *b* theurgiam vocant: qui quaſi conantur iſta diſcernere, & illicitis artibus deditos alios damnabiles, *c* β quos & maleficos vulgus appellat: hos enim ad goetiam pertinere dicunt: alios autem laudabiles videri volunt, quibus Theurgiam deputant, cùm ſint utrique ritibus fallacibus dæmonum obſtricti ſub nominibus angelorum. Nam & Porphyrius quandam quaſi purgationem animæ per theurgiam, *d* γ cunctanter tamen & pudibunda quodammodo diſputatione promittit: reverſionem verò ad Deum hanc artem præſtare cuiquam

quam negat, ut videas eum inter vitium ſacrilegæ curioſitatis, & philoſophiæ profeſſionem ſententiis alternantibus fluctuare. Nunc enim hanc artem tanquam fallacem, & in ipſa actione periculoſam, & legibus prohibitam, cavendam monet: nunc autem velut ejus laudatoribus cedens, utilem dicit eſſe mundandæ parti animæ, non quidem intellectuali, qua rerum intelligibilium percipitur veritas, nullas habentium ſimilitudines corporum: e d ſed ſpiritali, qua corporalium rerum capiuntur imagines. Hanc enim dicit per quaſdam conſecrationes theurgicas, f s quas teletas vocant, idoneam fieri, atque aptam ſuſceptioni ſpirituum, & angelorum, ad videndos deos. Ex quibus tamen theurgicis teletis fatetur, intellectuali animæ, nihil purgationis accedere, quod eã faciat idoneã ad videndũ Deum ſuũ, & perſpicienda ea, quæ vera ſunt. Ex quo intelligi poteſt, qualium deorum, vel qualem viſionem fieri dicat theurgicis conſecrationibus, in qua non ea videntur, quæ vera ſunt. Denique animam rationalem, ſive, quod magis amat dicere, intellectualem, in ſuperna * dicit poſſe evadere. etiamſi quod ejus ſpiritale eſt, nulla theurgica fuerit arte purgatum. Porrò autem à theurgo ſpiritalem purgari hactenus, ut non ex hoc ad immortalitatem æternitatemque perveniat. Quanquam itaque diſcernat à dæmonibus angelos, aerea eſſe loca dæmonum, g ætherea vel empyrea diſſerens angelorum, & admoneat utendum alicujus dæmonis amicitia, quo ſubvectante, vel paululum poſſit elevari à terra quiſque poſt mortem: aliam verò viam eſſe perhibeat ad angelorum ſuperna conſortia? c cavendam tamen dæmonum ſocietatem, expreſſa quodammodo confeſſione teſtatur: ubi dicit animam poſt mortem luendo pœnas, cultum dæmonum à quibus circumveniebatur horreſcere. Ipſamque theurgiam, quam velut conciliatricem angelorum deorumque commendat, apud tales agere poteſtates non potuit: quæ vel ipſæ invideant purgationi animæ, vel artibus ſerviant invidorum. quærelam de hac re Chaldæi neſcio cujus expromens: Conqueritur, inquit, vir in Chaldæa bonus, purgandæ animæ magno molimine, fruſtratos ſibi eſſe ſucceſſus, cùm vir ad eadem potens tactus invidia, η adjuratas ſacris precibus potentias alligaſſet, ne poſtulata concederent. Ergo & ligavit ille, inquit, & iſte non ſolvit. Quo indicio dixit apparere theurgiam eſſe, tam boni conficiendi, quàm mali, & apud deos, & apud homines diſciplinam: pati etiam deos & ad illas perturbationes paſſioneſque deduci, quas communiter dæmonibus & hominibus Apuleius attribuit. Deos tamen ab eis æthereæ ſedis altitudine ſeparans, & Platonis aſſerens in illa diſcretione ſententiam.

al. vi ſua

a GOetiam.] *Eſt incantatio, & veneficij ſpecies. Suidas,* Γοητεία, μαγεία, φαρμακεία διαφέρουσι, ἅπερ ἐφεῦρον Μῆδοι καὶ Πέρσαι. μαγεία μὲν οὖν ἐστιν ἐπίκλησις δαιμόνων ἀγαθοποιῶν δῆθεν πρὸς ἀγαθοῦ τινὸς σύστασιν, ὥσπερ τὰ τοῦ Ἀπολλωνίου τοῦ Τυανέως θεσπίσματα. γοητεία δὲ ἐπὶ τὸ ἀνάγειν νεκρὸν δι' ἐπικλήσεως, ὅθεν εἴρηται ἀπὸ τῶν γόων καὶ τῶν θρήνων τῶν περὶ τοὺς τάφους γενομένων. φαρμακεία δὲ ὅταν διά τινος σκευασίας θανατηφόρου πρὸς φίλτρον δοθῇ τινὶ διὰ στόματος. μαγεία L. Vives

γεία ἡ καὶ ἀστρολογία ἀπὸ μαγουσαίων ἤρξατο. οἱ γάρ τοι πέρσαι μάγους ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων ὀνομάζονται, καὶ μαγουσαῖοι αὐτοί. *Goetica, Magia, Pharmacia differunt, quæ ſunt Perſarum inventa. Magia quidem eſt invocatio dæmonum, ſcilicet beneficorum ad aliquid conficiendum bonum, cujuſmodi erant Apollonij Tyanei prædictiones. Goetia verò fit per coactionem mortuorum etiam invocatione: hinc enim dicta eſt à planctu qui fit circa ſepulchrum. Pharmacia verò fit, cum aliquid alicui porrigitur ſumendum ore, quod mortem ſit allaturum certis incantamentis præparatum. Magia & aſtrologia à Maguſis originem duxerunt. Perſæ verò Magi ab indigenis quibuſdam nominantur, idem & Maguſii.*

Theurgia b Theurgiam.] *Hæc eſt operatio divina, quæ erat ſuperiorum deorum, in qua cùm erratur, ut inquit Jamblichus, non tunc bona numina quæ optantur, occurrunt, ſed deteriora, & planè mala prætextu bonorum. Idcirco oportet cum primis in ea, ne à ritu vetere ſacerdotum latam unguem diſcedatur.*

c Quos & mal.] *Pleriq; veterum exiſtimarunt incantationes naturaliter non obeſſe, ſed unumquemq; cogitatione & imaginatione ſua ſemetipſum incantare. Plato lib. 11. De leg. corporibus lædi corpora, hoc ex natura ipſa eſſe dicit: ſed veneficiis quibuſdam magicis & incantamentis, vinculis quoq;, ut vocant, & his qui nocere tentant perſuaſum eſt, id ſe poſſe, & alijs lædi ſe quoq; poſſe goetia. Naturâ verò quemadmodum iſta ſe habeant, non facilè eſt cognoſcere, nec perſuaderi vulgo, etiam ſi quis norit animis hominum opinione illa imbutis ineſſe vim imaginibus occultam. Quocirca hanc legem fert?* Ὃς ἂν φαρμακεύων τινὰ βλάψῃ, μὴ θανάσιμον, μήτε αὐτὸν, μήτε ἀνθρώπων τῶν ἐκείνου, βοσκημάτων δὲ ἢ σμηνῶν, ἤτε ἄλλην βλάβην, ἤτε οὖν θανάσιμον, ἐὰν μὲν ἰατρὸς ὢν τυγχάνῃ καὶ ὄφλῃ δίκην φαρμάκων, θανάτῳ ζημιούσθω, ἐὰν δὲ ἰδιώτης, ὅ, τι χρὴ παθεῖν, ἢ ἀποτῖσαι τιμάτω περὶ αὐτοῦ τὸ δικαστήριον. ἐὰν δὲ καταδέσεσιν, ἢ ἐπαγωγαῖς, ἤ τισιν ἐπῳδαῖς ἢ τῶν τοιούτων φαρμακειῶν, ὧν τινων ἂν δόξῃ ὅμοιος εἶναι βλάπτοντι, ἐὰν μὲν μάντις ὢν, ἢ τερατοσκόπος τεθνάτω. ἐὰν δ' αὖ ἄνευ μαντικῆς ὢν τις φαρμακείας ὄφλῃ, ταὐτὸν καὶ τοῦτο γιγνέσθω. περὶ γὰρ αὖ καὶ τούτου τιμάτω τὸ δικαστήριον, ὅ, τι ἂν αὐτοῖς δεῖν αὐτὸν πάσχειν, ἢ ἀποτίνειν, *hoc eſt. Quiſquis aliquem venenis læſerit, ſi non letaliter, neque eum ipſum, nec quenquam de ejus familia, ſed vel pecus, vel alvearia, ſeu neci dederit: ſeu aliter affecerit quàm morte: ſi medicus ſit, & veneficij fuerit convictus, extremo ſupplicio pœnâ luito: ſin inſcius ſit, judices quid ipſum aut pati ergo aut ſolvere par ſit, æſtimanto. Si quis verò vinculis, aut illectamentis, vel incantationibus, aut ejuſmodi quibuſcunq; veneficijs nocenti ſimilis judicatus fuerit: ſi vates ſit, aut prodigiorum conſultus, morte plectitor: ſin earum artium expers, veneficium feciſſe pronunciatum ſit, & de hoc quoq; conſilium judicum, qua pœna vel mulcta afficiendus ſit, cenſeto. Porphyr. lib. De anim. abſtin. 2. ſic inquit: Per contrarios verò dæmones univerſum efficitur veneficium. Hos namq;, maximè horumq; ducem, honorare ſolent, qui mala veneficijs inferunt. Hi ſanè dæmones omniformibus figuris, imaginibusq; abundant, prodigiorumq; machina ſtrenuè fallunt. Horum opera infœlices* φίλτρα *amatoriaq; maleficia machinantur. Omnis enim intemperantia*

tentia, ſpeſq́; divitiarum atq́; gloriæ per hos invaleſcit, præcipuè verò deceptio. Mendacium enim proprium eſt ejuſmodi dæmonum.

d Cunctanter tamen.] *Nam vidit non deeſſe his ſacris ſuas fallacias dæmonum, qui ſe nobis oſtentant, venditantq́; fraudantq́; votis, qui ritè ſunt eis operati. Sed Iamblichus, homo initiatus, & ut ipſe putat religioſior, non oportere artem totam damnari, inquit, tot ſeculis uſu & magno labore comprobatam, quod interdum imponat utentibus. Quocirca ſacerdotes diſtinguere ſpiritus decere regulis ordinis, & meminiſſe jactantiam in bonis ſpiritibus nullam eſſe.*

e Sed ſpiritali.] *In qua ſunt imagines ab externis ſenſibus ad interiores profectæ, in quibus eſt primus ſenſus communis, deinde phantaſia, tum æſtimatio, & memoria, quæ nobis cum brutis communia ſunt: receptacula prima eorum, quæ per januas ſenſuum ſunt admiſſa, quibus accedit mens, & exactum illud rationis judicium, quæ ſcrutatur, perpenditq́; ſingula: ubi ſunt duo intellectus, recipiens, qui dicitur poſſibilis, & agens, voluntas deinceps ſequitur.*

f Quales teletas voc.] *Dixi alibi teletas eſſe perfecta ſacrificia, τέλεια, quibus nihil deeſt.*

g Ætherea vel emp.] *Plato in Epinomide, ut à principe gentis illius philoſophorum exordiar, primum genus divorum facit illud inviſibile: ſecundum, quod cælo toto ſparſum eſt, oculiſq́; uſurpatur. Tertium eſt dæmonum, neq́; eſt ſimplex. nam alios dæmonas æthereos, qui ſunt ex puriore quadam ſubſtantia ponit. Alios aereos ex craſſiore, nec illos nec hos eſſe in totum aſpectabiles. Eſſe quoq́; aqueos, quos ſemideos vocari placet: hi alias cernuntur, alias aciem noſtri obtutus fraudant: nam & cū ſpectantur, exiliter cogniti admiratione͞ pectoribus intuentiū incutiunt. Pſellus ex Marco homine in dæmonum cultu peritiſſimo ſcribit, ſex eſſe dæmonum genera. Primum lingua barbara nominari batleliureon, id eſt, igneum: quod circa ſublimiorem aerem pervagari dicit. Omne namq́; dæmonium ex lunaribus regionibus velut ex templo prophanum aliquid exterminari. Secundum verò genus, quod in aere propinquo nobis oberrat, quod & à multis propriè aereum nominatur. Tertium terrenū, quod plurimū circa terrā verſatur terreniſq́; adverſatur multis rationib. atq́; machinis. Quartum aquatile & marinum, quod humoribus ſe immergit, ac libenter circa lacus & fluvios habitat, multoſq́; perdit aquis, & in mari fluctus excitat, ac tempeſtates navigiaq́; viris onuſta funditus ſubmergit, multoſq́; undis obruit. Quintum ſubterraneum, quod habitat ſub terra, invaditq́; qui puteos effodiunt, & metalla efficit, hiatus terræ & fundamenta concutit, flammivomos ventos ſuſcitat. Sextum & ultimum eſt lucifugum, imperſcrutabile, ac penitus tenebroſum. paſſionibuſq́; frigidis violenter res perdens. Eſſe verò dicebat hæc omnia dæmonum genera ſic affecta, ut & deos oderint, & hominibus adverſentur, ſed aliud alio peius. Hæc pſellus, qui quemadmodum dæmones hominum generi & imponant, & noceant, pluribus explicat. Nobis deſtinatam egredi brevitatem, non eſt animus. Porphyr. in l. Reſponſ. ex Apollinis oraculis, alios deos cæleſtes ponit, alios æthereos, quoſdam aereos, nonnullos aqueos. terreſtres quoq́; & infernos: docetq́; quibus quiſq́; ſit hoſtijs placandus. Terreſtres furvis quadrupedibus ſuper aras: inferni furvis*

quoque

quoq; ſed in cavernis terræ marinis, volutilibus in mare projectis: aerei, volatilibus itidem, ſed cæſis & candidis. Cæleſtes & etherei candidis victimis, quæ non ſunt abſumendæ, & alia inſana eodem ſpectantia. Neq; hæc ſunt recentiorum, ſed jam inde ab Orpheo quoq;, & etiam Mercurio derivata. Iamblichus enim ſcribit Mercurium de empyreis diis libros centum reliquiſſe de æthereis totidem, de cæleſtibus verò mille. Proclus dæmones dividit in quinq; non diverſas ſpecies, ſed velut præfecturas: nam ex muneribus, quæ gerunt diſtinguit: & de his quidem rebus ſatis, ut puto. Aug. itaq; ex Porphyrio divos empyreos, igneos vocat, quos nec ipſe Porph. nec Plato à cœleſtibus videtur ſeparare, qui igneæ ſunt naturæ.

R.L.Coq. α VEl deteſtabiliore nomine Goetiam, vel honorabiliore Theurgiam.] *Jamblychus lib. de myſt. Ægyptiorum, Proclus de ſacrificio & Magia, & Porphyrius de ſacrificijs duplicem faciunt Magiam, ſicut etiam ex Porphyrij doctrina hic D. Auguſtin. refert: Alteram vocant* Theourgiam, *qua certis quibusdam hoſtiis ſacrificiis, & cum munditia quadam corporis & animæ, aliisq; adhibitis ceremoniis bonis ac beneficis (ut vocant) ipſi dæmones invocantur, quorum afflatu & auxilio & occulta manifeſtant & futura prænuntiant, & mira operantur. Alteram Magiæ ſpeciem appellant* Goetiam & Necromantiam, *quæ mortuos excitat; & conſulit, & per eos reſponſa requirit de rebus occultis vel futuris.* Goetia *vocatur à planctu, quo facto circa mortuorum ſepulchra, eorum animæ ex inferis evocantur. Necromantia verò appellatur, quod ſit divinatio ex mortuis evocatis petita. Alijs nominibus has duas ſpecies Magiæ ſignificarunt. Magiam enim omnem dividebant in* albam, *quam licitam eſſe cenſebant, &* nigram *quam eſſe illicitam volebant.* Albam *vocabant* Theurgiam *quaſi divinam operationem, &* nigram *γοητείαν. Verum nullam eſſe* Theurgiam, *vel* albam Magiam *certum eſt, ſiquidem omnes artes huiusmodi ſunt à dæmone introductæ, & per operationem dæmonum, non Dei aut bonorum Angelorum fiunt, verùm ut faciliùs homines deciperent, artem adeò impiam & hominum generi pernitioſam, quæ ex pacto & familiaritate cum dæmonibus exercetur, honeſti nominis pallio tegere voluerunt. Hanc etiam diviſionem reprobat hic D. Auguſt. hoc loco.*

β Quos & maleficos vulgus appellat.] *Malefici ſunt qui ineunt pactum cum dæmone ad hoc ut aliis noceant, unde ſine diſtinguuntur à Magis & divinatoribus. Magus enim in eum finem operatur, ut aliis ſit admirationi, divinator vero patefaciat ea, quæ futura ſint in aliorum utilitatem. Solent autem malefici aliquando tantùm nocere in rebus externis, ut quando inferunt agris ſterilitatem, vel pecora occidunt, aliquando ipſimet corpori nocent, ut dum inferunt morbos, vel impediunt naturales facultates, aliquando conantur ipſimet voluntati aliquod damnum inferre, ut quando dant pocula amatoria, quibus voluptatem alliciant ad illicitos amores, vel quando conantur inter aliquos ſerere lites vel odia, quæ omnia faciunt poteſtate dæmonum, ut quando dant poculum amatorium, nihil ibi agit Magus, quò flectat hominis voluntatem ad amorem, ſed dæmon ipſe eſt, qui excitat phantaſiam & ſpecies, quæ deliteſcunt in phantaſia, ut odium vel amorem conciliet, nec tamen poteſt vim inferre voluntati, ut nimirùm conſentiat in aliquod peccatum, ut*

patet

patet ex hiſtoria D. Cypriani & Juſtinæ: ita quando Magi ſibi conficiunt imagines cereas, quas paulatim liquefaciunt, ut eodem tempore eorum corpora tabeſcant & conſumantur quos faſcinarunt, in hujuſmodi imaginibus nihil eſt momenti, ſed per ſe dæmon omnia operatur.

γ Cunctanter tamen & pudibunda quodammodo diſputatione.] *Nam, Porphyrius l. de ſacrificiis ſcribit aperte quoſdam eſſe malos dæmones, quorum familiaritas valde noxia ſit & pernicioſa, quiq; ut plurimùm ſe immiſceant hujuſmodi operationibus. Fluctuabat itaq; nec ſibi conſtabat Porphyrius, cùm veritate ipſa convictus ſatis improbaret artes, quæ operatione dæmonum exercentur, alias vero ipſorum laudatoribus cedere videretur.*

δ Sed ſpirituali, qua corporalium rerum capiuntur imagines.] *Ita lib.12. de Gen ad Lit. c.24. diſtinguit viſionem intellectualem à ſpirituali & corporali, quod viſione corporali per corporis ſenſus corporea ſentiuntur, ſpirituali ſimilitudines corporum ſpiritu & non mente cernuntur, verùm viſione intellectuali ea videntur, quæ ſunt omnino immaterialia; & præſtantior eſt viſio ſpiritualis, quam corporalis, & rurſus præſtantior intellectualis, quàm ſpiritualis: Si nunc diſtinguit partem animæ intellectualem, qua rerum intelligibilium percipitur veritas nullas corporum ſimilitudines habentium, à ſpirituali parte, qua rerum corporalium capiuntur imagines, per quas intelligit ipſas ſimilitudines rerum objectarum, quæ primò quidem recipiuntur in ſenſibus externis, indeq; deferuntur ad ſenſus internos, ac phantaſia repræſentant res ipſas abſentes, deinde tandem recipiuntur in intellectu. Rectè quidem intellexit Porphyrius hujuſmodi operatione dæmonum intellectualem animæ partem non mundari, verum in hoc erravit, quod* Theurgiam, *quam falsò vocat, deſervire exiſtimavit mundandæ ſpirituali parti animæ.*

ε Quas τελέτας vocant.] *De voce τελετὴ vide Budæum in comment. & Theſaurum linguæ Græcæ, de ea ſupr. l.4. c.7.*

ζ Cavendam tamen dæmonum ſocietatem.] *Porphyrius l. de Sacrifi. diſcernit bonos dæmones à malis, hosq; cauſas eſſe omnium malorum & eorum familiaritatem eſſe valde pernicioſam contendit, & ut ſcribit Theodoretus ſerm.3. Θεραπευτ.* Porphyrius ille qui nobis jure optimo planus quidam ſeductorque eorum dicendus eſt, qui res divinas veramque religionem perdocti ſunt, multò manifeſtius quàm ii feciſſent, qui dæmonum fraudem abominantur, eorum dolos coarguit ac refellit, quos ipſi Deos vocatis. Ipſe enim veritatis adverſarius manifeſtè oſtendit hos nec Deos eſſe nec bonos dæmonas, ſed mendacii magiſtros, omniumque flagitiorum patres.

η Adjuratas ſacris precibus potentias allegaſſet.] *Animadvertendum inter dæmones ipſos aliquem eſſe ordinem, quod alij aliis ſint natura ſuperiores, cùm ex omnibus Angelorum ordinibus aliqui lapſi ſint, & Chriſtus comparavit hunc ordinem regno, unde actiones inferiorum ſubduntur quodammodo ſuperioribus. Ex quo facile conſtat, qua ratione dæmon aliquis poſſit alium impedire, vel etiam ab homine cogi vel impediri. Certum enim eſt dæmones ſuperiores cogere poſſe inferiores, & impedire poſſe actionem inferiorum dæmonum, ut ſi dæmon aliquis inferior*

Digitized by Google

vellet corpus aliquod movere, poſſet ſuperior dæmon impedire ne moveretur, ſi quando ingreditur corpus alicujus hominis, ut eum vexet, ſuperior impedire poteſt & cogere, ut diſcedat, unde veriſimile eſt Magum, licet non poſſit cogere eum dæmonem cum quo pactum inivit, ſi tamen inivit pactum cum ſuperiore dæmone, cogere poſſe inferiorem; atq; ſic intelligendum quod ex Porphyrio refert quendam Chaldæum ſacris precibus, quæ incantationes dæmonum intelligendæ ſunt, impeditum eſſe ab alio Mago, ne ſibi ſuccederet quod invocatione dæmonum & operatione eorum expectabat.

Cap. X.

De theurgia, quæ falſam purgationem animis dæmonum invocatione promittit.

ECce nunc alius Platonicus, quem doctiorem ferunt, Porphyrius, neſcio per quam theurgicam diſciplinam etiam ipſos deos obſtrictos paſſionibus & perturbationibus dicit. Quoniam ſacris precibus adjuvari, terrerique potuerunt, ne præſtarent animæ purgationem: & ita terreri ab eo qui imperabat malum, ut ab illo qui poſcebat bonum, per eandem artem theurgiam ſolvi illo timore non poſſent, & ad dandum beneficium liberari. Quis non videat hæc omnia fallacium dæmonum eſſe commenta, *α* niſi eorum miſerrimus ſervus, & à gratia veri liberatoris alienus? Nam ſi hæc apud deos agerentur bonos, *β* plus ibi utique valeret beneficus purgator animæ, quàm malevolus impeditor. Aut ſi diis juſtis, homo pro quo agebatur, purgatione videbatur indignus, non utique ab invido territi; nec, ſicut ipſe dicit, per metum valentioris numinis impediti, ſed judicio libero id negare debuerunt. Mirum eſt autem, quòd benignus ille Chaldæus, qui *γ* theurgicis ſacris animam purgare cupiebat, *δ* non invenit aliquem ſuperiorem Deum, qui vel plus terreret, atque ad benefaciendum cogeret territos deos, vel ab eis terrentem compeſceret, ut liberè benefacerent: ſic tamen theurgo bono ſacra defuerunt, quibus ipſos deos quos invocabat, animæ purgatores prius ab illa timoris peſte purgaret. Quid enim cauſæ eſt, cur Deus potentior adhiberi poſſit: à quo terreantur, nec poſſit, à quo purgentur? An invenitur Deus, qui exaudiat invidum, & timorem diis incutiat, ne benefaciant: nec invenitur Deus qui exaudiat benevolum, & timorem diis auferat, ut benefaciant? O theurgia præclara, ô animæ prædicanda purgatio, ubi plus imperat immunda invidentia, quàm impetrat pura beneficentia: imò verò malignorum ſpirituum cavenda & deteſtanda fallacia, & ſalutaris audienda doctrina. Quod enim, qui has ſordidas purgationes ſacrilegis ritibus operantur, *ε* quaſdam mirabiliter pulchras, ſicut iſte commemorat, vel angelorum imagines, vel deorum, tanquam purgato ſpiritu vident: ſi tamen vel tale aliquid vident, illud eſt quod Apoſtolus dicit: *a Quoniam ſatanas transfigurat ſe velut*
2. Cor. 11. *angelum lucis.* Ejus enim ſunt illa phantaſmata, qui miſeras animas multorum, falſorumque deorum fallacibus ſacris cupiens irretire, & à vero Dei

cultu,

cultu, quo ſolo mundantur & ſanantur, avertere: *b* ſicut de Proteo dictum eſt, *Formas ſe vertit in omnes*, hoſtiliter inſequens, fallaciter ſubveniens, utrobique nocens. *Verg. 4. Aen.*

a QUoniam ſatanas.] *Hoc idem nec Porphyrius, nec Iamblichus potuerunt diſſimulare. Porphyrius in 2. lib. De ſacrificijs: Mendacium enim proprium eſt ejuſmodi dæmonum: dij enim videri volunt, ac poteſtas ipſa eis præſidens Deus maximus vult haberi. Et antè: Aſſumunt, inquit, ſibi aliorum deorum facies. Et Iamblichus: Mali enim ſpiritus in ſimilitudinem bonorum ſe ſæpe transformant, jactabundiq́ veniunt, & ſupra quam ſunt, ſibi arrogant.* *L. Vives.*

b Sicut de Proteo dictum eſt.] *Quarto Georg. Verg. Proteum Heſiodus filium facit Oceani & Thetidis, maximum vatem: & ſicut de illo Verg. inquit,*

Novit omnia quæ ſunt,
Quæ fuerant, quæ mox ventura trahantur.

Ab Homero coactus fingitur, ut ventura Agamemnoni caneret, ſicut à Verg. Ariſteo. Valerius Probus Ægyptium fuiſſe ſcribit, & propter crudelitatem Buſirim dictum etſi Vergilius Pallenium facit, quæ eſt urbs in Macedonia. Servius hic natum eſſe, cæterum in inſula Carpatho regnaſſe putat ex Verg. ſententia. Herodotus in Euterpe Memphitem ſcribit, quo rege Alexander & Helena in Ægyptum venerunt, eoſq́ ille quòd adulteri eſſent, ſuprà tres dies in regno ſuo eſſe vetuit. Diodorus lib. 2. quem Græci Protea, Ægyptios Cetea dixiſſe tradit, regnaſſeq́ in Ægypto tempore belli Troiani, peritum ſyderum, & multarum artium. Fingitur ſolitus mutare ſe in omnes animantium, ſtirpiumq́ formas, quòd earum naturas facilè tum aſtrorum ſcientia, tum etiam uſu & conſuetudine ſacerdotum didicerit. His etiam accedit, quod cùm Ægypti reges in capite pro inſignibus priorem vel leonis, vel tauri, vel draconis partem geſtarent, interdum arborem, aut ignem, locum dedit Græcis hominibus commento. Suſpicor illum hæc ſubinde inſignia mutaſſe.

α NIſi eorum miſerrimus ſervus & à gratia verè liberatoris alienus.] *Ita enim hominibus impoſuerant, ut ea divinitati tribuerent, quæ efficiebant vel præcipiebant in perniciem hominum, ſed venit Chriſtus ut diſſolveret opera Diaboli, & ut regnum Sathanæ deſtrueret.* *B. I. Coq.*

β Plus ibi valeret beneficus purgator animæ.] *Siquidem bonum fortius eſt malo.*

γ Theurgicis ſacris animum purgare.] Θεουργία καὶ θεουργικὴ ὁμοίωσις, καὶ θεουργικὴ ἐπιστήμη. *à D. Dionyſ. dicitur,* ἡ Ἰησοῦ ἀπεργαζομένη θεουργία, *ab eodem dicuntur Servatoris Chriſti opera, quæ divinitatem ejus teſtabantur, ut ſupra naturæ vim ac leges edicta; & ejus interpres,* τὴν μὲν παλαιὰν γραφὴν θεολογίαν *vocatam dicit,* τὴν δὲ καινὴν θεουργίαν *ob Chriſti opera miraculorum plena ita nefandi Dæmones, quemadmodum Deos ſe mentiebantur, ſic magicas artes, quibus invocabantur, & quarum illi authores erant, theurgica eſſe ſeu divinæ operationis ſuis cultoribus perſuadebant.*

δ Non invenit aliquem ſuperiorem Deum, qui vel plus terreret.] *Refert*

 Orige-

Origen. l.3. in Job. hanc fuiſſe conſuetudinem Gentilium, Vt ab ipſiſmet dæmonibus contra ſeipſos remedia peterent. *Et Lactant. l.2. c.17. in eum potiſſimùm finem, ait dæmones hominibus nocere,* Ut quando non nocerent videantur prodeſſe, ita ut eorum auxilium ab hominibus imploretur. *Verum ex ſcriptura ſacra liquido conſtat, nunquam licere uti opem dæmonum Levit. c.19. Deut. 18. 4. Reg. 1. Iſa 44. & aliis locis, quibus apertè prohibetur, ne quis maleficos vel ariolos conſulat: nec licet maleficium maleficio tollere, vel etiam implorare auxilium dæmonis ſuperioris contra inferiorem. Legimus apud D. Hieronymum in vita S. Hilarionis, & ſi ſanctus ille vir ante ſciviſſet ubi maleficium poſitum eſſet, non tamen prius ſuſtuliſſet; quàm dæmonem expuliſſet, ne illius opera uſus videretur.*

ε Quaſdam mirabiliter pulchras vel Angelorum imagines.] *Nonnunquam ita dæmones, decepiſſe homines venuſta forma apparentes notiſſimum eſt ex multis hiſtoriis, quarum aliquot ex aliis authoribus refert Martinus Delrio Diſquiſit. Magic. l.6. c.2. ſect. 3. q.3. Difficilè itaq; eſt diſcernere malos ſpiritus à bonis, & inter gratias gratis datas, quæ à Deo conferuntur Apoſtolus refert ſpirituum diſcretionem, ſi Sathanas ſe in Angelum lucis transfert, poteſt & ſanctorum perſonam ſimulare: Docet D. Auguſt. l.3. de anima & ejus origine c. 2. opus dæmonum eſſe, quod in hæreticos aq; ut in Angelos bonos ſe transfigurent, atq; ita dæmonem transfiguraſſe ſe in hæreticum, quem tamen putabat Vincentius ad quem ſcribit, amicum & ſanctum virum, eiq; dictaſſe, quæ ſcriberet contra fidem. Impuriſſimus ille Mahometes ſuis perſuaſit, ſe quam ſcripſit in Alcorano doctrinam per Archangelum Gabrielem accepiſſe. Dæmon fortaſſe illius doctor fingebat ſe Angelum Dei. Referente Euſeb. lib.5. hiſt. Eccleſ. c.13. Theodotus & alij Montaniſtæ mirabiles viſiones jactabant, ſeq; ex ipſis accepiſſe mundum brevi collapſurum. Plura legi poſſunt apud Petrum Thyreum l. de Spirit. apparit. c.16. Egregiè Sathanam hæretiti imitantur, qui per dulces ſermones ſeducunt corda innocentium; rectè monet D. Ioannes.* Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. *Pſeudoapoſtoli transformabant ſe in Apoſtolos Chriſti, & Pſeudoprophetæ in veros Prophetas, quemadmodum Angelus Sathanæ transfigurat ſe in Angelum lucis.*

ζ Sicut de Proteo dictum eſt.] *Protei fabula extat apud Homerum Odyſſ. lib. 4. & Virg. l.4. Georg. vide Eraſmum in proverbio,* Proteo mutabilior. *Ægyptium illum vocat Gregor. Nazianzen. Orat. 2. in Julianum, quod in Pharo inſula Ægypto proxima, imò & ferè continua habitaſſe creditur, unde & Pharius aliquando nominatus eſt. Marcellinus ad finem l. 22. Quin Valerius Probus illum Ægyptium fuiſſe ſcribit ob crudelitatem Buſirim dictum. Herodotus in Euterpe Memphitem eum fuiſſe narrat, Alexandrumq; & Helenam ab Ægypto quod adulteri eſſent, juſſu illius dejectos. Diodorus Siculus l.2. illum in Ægypto tempore belli Trojani narrat regnaſſe, & cur eum in varias ſe transformare formas ſolitum finxerint antiqui, cauſſam in variam artium & diſciplinarum cognitionem rejicit. Lucianus l. de Saltat. Saltatorem eum fuiſſe narrat, omnium quæ vellet naturas ſaltatione imitantem.* ὁ δὲ μῦθος *(inquit)* παραλαβὼν πρὸς τὸ παραδοξότερον τὴν φύσιν αὐτοῦ διηγήσατο, ὡς γινομένου ταῦτα, ἅπερ ἐμιμεῖτο. *Nonnulli vaticinandi*

nandi arte eum excelluiſſe volunt, & cum multi propter ipſius vaticinationes ad eum ſe conferrent, horum importunitatem ægrè ferens arte quadam magica in aliam aliamq́; ſubinde formam ſe transmutabat, atque ita ſui proſpectum accedentibus adimebat. Plato in Euthydemo eum Sophiſtam fuiſſe ſcribit, & in Jone, ἀτεχνῶς ὥσπερ ὁ Πρωτεὺς παντοδαπὸς γίγνῃ στρεφόμενος ἄνω καὶ κάτω. *D. Baſil. lib. de legendis libris Gentilium, adulatorem cum Proteo quem Ægyptium Sophiſtam nominat egregiè confert,* ὃς φυτὸν ἐγίγνετο καὶ θηρίον ὁπότε βούλοιτο, καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ πάντα χρήματα, εἴπερ δὴ καὶ αὐτὸς νῦν μὲν τὸ δίκαιον ἐπαινέσῃ παρὰ τοῖς τοῦτο τιμῶσι, νῦν δὲ τοὺς ἐναντίους ἀφήσει λόγους, ὅταν τὴν ἀδικίαν εὐδοκιμοῦσαν αἴσθηται, ὅπερ δίκης ἐστὶ κολάκων, καὶ ὥσπερ φασὶ τὸν πολύποδα τὴν χρόαν πρὸς τὴν ὑποκειμένην γῆν, οὕτως αὐτὸς τὴν διάνοιαν πρὸς τὰς τῶν συνόντων γνώμας μεταβάλλεται. *Gregor. Nazianzen. orat. 1. in Julianum ita de eo loquitur,* Melampum quendam *(inquit)* aut Proteum ſuſpirat, ita in omnia vertebatur, facileque ſeipſum in diverſas formas immutabat. *Hieronym. lib. 2. adverſus Jovinianum, illum hæreticum cum Proteo egregiè confert.* Miror *(inquit)* quomodo ſerpens lubricus, & Proteus noſter in variarum ſe mutet portenta formarum, qui cum in coitu & ſaturitate eſt Epicureus, ſubito in retributione meritorum Stoicus efficitur. *Ita D. Auguſtinus hic cum Proteo dæmonem confert,* Qui ſe formas vertat in omnes hoſtiliter inſequens, fallaciter ſubveniens, utrobique nocens.

Cap. XI.

De epiſtola Porphyrii ad Anebuntem Ægyptium, in qua petit de diverſitate dæmonum ſe doceri.

MElius ſapuit iſte Porphyrius, *a* α cum ad Anebuntem ſcripſit Ægyptium, ubi conſulenti ſimilis & quærenti, & prodit artes ſacrilegas, & evertit. Et ibi quidem omnes dæmones reprobat, quos dicit ob impudentiam β trahere *b* humidum vaporem, & ideo non in æthere, ſed in aere eſſe ſub luna atq; in ipſo lunæ globo. Veruntamen non audet omnes fallacias, & malitias, & ineptias, quibus merito movetur, omnibus dæmonibus dare. Quoſdam namque benignos dæmones more appellat aliorum, cùm omnes generaliter imprudentes eſſe fateatur. Miratur autem quòd non ſolùm dii alliciantur victimis, ſed etiam γ compellantur, atque cogantur facere quod homines volunt, & ſi corpore & incorporalitate dii à dæmonibus diſtinguuntur, quomodo deos eſſe exiſtimandum ſit ſolem & lunam, & viſibilia cætera in cælo, quæ corpora eſſe non dubitat. δ Et ſi dii ſunt, quomodò alii benefici, alii maleſici eſſe dicantur, & quomodo incorporalibus cùm ſint corporei conjungantur. Quærit etiam veluti dubitans, utrum in divinantibus, & quædam mira facientibus animæ ſint potentiores: an aliqui ſpiritus extrinſecus veniant, per quos hæc valeant? Et potius venire extrinſecus conjicit, ε eo quòd lapidibus, & herbis adhibitis, & alligent quoſdam, & aperiant clauſa hoſtia, vel aliquid ejuſmodi mirabiliter operentur. *d* Vnde dicit alios opinari eſſe quoddam genus, cui exaudire ſit proprium, natura fallax, omniforme, multimodum, ſimulans deos & dæmones, & animas defunctorum

Digitized by Google

rum, & hoc eſſe quod efficiat hæc omnia, quæ videntur bona eſſe, vel prava: cæterum circa ea quæ bona ſunt, nihil opitulari, imò verò iſta nec noſſe, ſed & malè conciliare & inſimulare atque impedire nonnunquam virtutis ſedulos ſectatores, & plenum eſſe temeritatis, & faſtus, gaudere nidoribus, adulationibus capi, & cætera quæ de hoc genere fallacium malignorumque ſpirituum, qui extrinſecus in animam veniunt, humanosque ſenſus ſopitos vigilantesve deludunt, non tanquam ſibi perſuaſa confirmat, ſed tam tenuiter ſuſpicatur, aut dubitat, ut hæc alios aſſerat opinari. Difficile quippe fuit tanto philoſopho cunctam diabolicam ſocietatem vel noſſe, vel fidenter arguere, ζ quam quælibet anicula Chriſtiana nec noſſe * cunctatur, & liberrimè deteſtatur. Niſi fortè iſte, & ipſum ad quem ſcribit Anebuntem, tanquam talium ſacrorum præclariſſimum antiſtitem, & alios talium operum tanquam divinorum, & ad deos colendos pertinentium *e* admiratores verecundatur offendere. Sequitur tamen & ea velut inquirendo commemorat, quæ ſobriè conſiderata tribui non poſſunt, niſi malignis & fallacibus poteſtatibus. *f* Quærit enim cur tanquam melioribus invocatis, quaſi pejoribus imperetur, ut injuſta hominis præcepta exequantur: cur attrectatum re venerea non exaudiant imprecantem, cùm tamen ipſi ad inceſtos η quosq; concubitus quoſlibet ducere non morentur: cur ab animantibus ſuos antiſtites oportere abſtinere denuncient, ne vaporibus profectò corporeis polluantur: ipſi verò & aliis vaporibus illiciantur, & nidoribus hiſtoriarum: cumque à cadaveris contactu *g* θ prohibeatur inſpector, plerunque illa cadaveribus celebrentur: quid ſit, quod non dæmoni vel alicui animæ defuncti, *h* ſed ι ipſi ſoli & lunæ aut cuicunque cæleſtium, homo cuilibet vitio obnoxius intendit minas, eoſque territat falſo, ut eis extorqueat veritatem. Nam & cælum ſe collidere comminatur, & cætera ſimilia homini impoſſibilia, ut illi dii tanquam inſipientiſſimi pueri, falſis & ridiculis comminationibus territi, quod imperatur efficiant. Dicit etiam ſcripſiſſe Chæremonem quendam talium ſacrorum, vel potius ſacrilegiorum peritum, ea quæ apud Ægyptios ſunt celebrata rumoribus, *i* vel de Iſide, vel de Oſiride marito ejus, maximam vim habere cogendi deos, ut faciant imperata, κ quando ille qui carminibus cogit ea ſe prodere vel evertere comminatur: ubi ſe etiam Oſiridis membra diſſipaturum terribiliter dicit, ſi facere juſſa neglexerint. Hæc atque hujuſmodi vana & inſana diis hominem minari, nec quibuslibet, ſed ipſis cœleſtibus & ſyderea luce fulgentibus & nec ſine effectu, ſed violenta poteſtate cogentem, atque his terroribus ad facienda quæ voluerit perducentem, merito Porphyrius admiratur: imò verò ſub ſpecie admirantis, & cauſas rerum talium requirentis, dat intelligi, illos hæc agere ſpiritus, quorum genus ſuperius ſub aliorum opinatione deſcripſit, λ non ut ipſe poſuit natura, ſed vitio fallaces, qui ſimulant deos & animas defunctorum, dæmones autem non, ut ait ipſe, ſe ſimulant, ſed planè ſunt. Et quod ei videtur herbis & lapidibus & animantibus & ſonis certis quibuſdam, ac vocibus, ac figurationibus, atq; figmen-

vel eſſe.

ſigmentis, *k* quibuſdam *u* etiam obſervatis in cœli converſione motibus ſyderum; fabricari in terra ab hominibus poteſtates idoneas variis effectibus exequendis, totum hoc ad eoſdem ipſos dæmones pertinet ludificatores animarum ſibimet ſubditarum, & voluptaria ſibi ludibria de hominum erroribus exhibentes. Aut ergo revera dubitans & inquirens iſta Porphyrius, ea tamen commemorat, quibus convincantur & redarguantur: nec ad eas poteſtates: quæ nobis ad beatam vitam capeſſendam favent, ſed ad deceptores dæmones pertinere monſtrentur, aut ut meliora de philoſopho ſuſpicemur: eo modo voluit hominem Ægyptium talibus erroribus deditum, & aliqua magna ſe ſcire opinantem, non ſuperba quaſi authoritate doctoris offendere, nec apertè adverſantis altercatione turbare, ſed quaſi quærentis & diſcere cupientis humilitate ad ea cogitanda convertere, & quàm ſint contemnenda vel etiam devitanda monſtrare. Denique propè ad epiſtolæ finem petit ſe ab eo doceri, quæ ſit *y* ad beatitudinem via ex Ægyptia ſapientia. Cæterùm illos quibus converſatio cum diis ad hoc eſſet, ut *ξ* ob inveniendum fugitivum, vel prædium comparandum, vel propter nuptias, vel mercaturam, vel *σ* quid hujuſmodi, mentem divinam inquietarent, fruſtra eos videri dici coluiſſe ſapientiam. Illa etiam ipſa numina cum quibus converſarentur, & ſi de cæteris rebus vera * prædicerent, tamen quoniam de beatitudine nihil cautum nec ſatis idoneum monerent, nec deos illos eſſe, nec benignos dæmones, ſed aut illum, qui dicitur fallax, aut humanum omne commentum. Verùm quia talia & tanta geruntur his artibus, ut univerſum modum humanæ facultatis excedant, quid reſtat, niſi ut ea quæ mirificè tanquam divinitus prædici vel fieri videntur, nec tamen ad unius Dei cultum referuntur, cui ſimpliciter inhærere fatentibus quoque Platonicis, & per multa teſtantibus ſolum beatificum bonum eſt, malignorum dæmonum ludibria & ſeductoria impedimenta, quæ vera pietate cavenda ſunt, prudenter intelligantur. *al. prædicarint.*

a CUm ad Anebuntem.] *Aliter, ad Anebonem.*

b Humidum vaporem.] *Delectari quoque dicit libamine nidoreq́; carnium, quibus ſpiritale corpus ſolet pingueſcere. vivit namque vaporibus, & fumigationibus, varieq́; admodum, ut par eſt, per varia nidoreq́; ſanguinis & carnium vires aſſumit. Iamblichus verior dæmonum cultor, cùm hæc omnia videret ad declarandam dæmonum naturam tendere, omnia negavit. Nam Porphyrius apertè erat teſtatus, hos qui victimis cæſis delectantur, malos eſſe dæmones, & mendaces: quocirca & in libris Reſponſorum illos omnes divos, tùm cæleſtes, tùm æthereos, aereos, marinos, terreſtres, inferos, quibus ſacra fieri Apollo ex animantibus juſſerat, bonos eſſe deos negat, ſed nefarios dæmones, qui ſanguine & cadaveribus teneantur. Ita ut manifeſto appareat, jactari eum inter veritatem & receptam conſenſu hæreſis opinationem, ut nec bonos affirmare poſſit, nec malos omnes audeat, veritus condiſcipulos, & autoritatem diſciplinæ, ipſumq́; nigrum Plutonem.* *L. Vivens.*

c Eo quod lapidibus & herbis.] *Miratur Porphyrius deos uſque adeò inſervire hominibus, ut vates etiam per farinam vaticinentur. Cui admirationi, quæſtioniq́;*

Digitized by Google

niq; reſpondet, ut cæteris facit Iamblichus magnificorum verborum contextu: quæ facilè eſt unicuique colligere, ſed quid dicat intelligere, vel qua ratione dicat, probabiliter ſuadere, non facilè, nec ipſi quidem Iamblicho, nec omnibus Ægyptiis impoſtoribus. Exceſſu, inquit, poteſtatis, & bonitatis, & cauſa continente in ſe omnia, miſera poteſtas deorum, ſi farina ducitur: inepta bonitas, ſi aliam rationem benignitatis non invenit: abjecta & obnoxia naturis, ſi ita rerum cauſis comparatum eſt, ut farinam nequeat contemnere: quod ſi poſſunt, cur non malunt bonam mentem, quàm bonam farinam; aut cur non potiùs indicant ſe farina non moveri, & ea poſita non venire, remota venire?

d Unde dicit alios opinari.] *Ipſe idem Porphyrius lib. 2. De abſtinen. animal. à pravis dæmonibus non modo vulgus eſſe deceptum ſcribit, ſed philoſophos quoq; eruditos & diſertos, qui eloquentia ſua multos alios in ſimilem errorem pertraxerunt. Violenti enim ſunt dæmones, & fallaces, ſimulatores, diſſimulatoresq;, cultumq; deorum ad ſeipſos transferre ſtudent. Nam nullum eſt malorum genus, quo non delectentur: & deorum induti perſonam in errorem ac ſtultitiam impuliſſe nos gaudent. Tales ſunt & animæ mortuorum, quæ vitiis oppletæ, è corpore migrarunt. Affictantur enim adhuc iræ & concupiſcentiæ perturbationibus, & in naturam converſæ dæmonum ſimiles illorum redduntur, noxiæ & turbulentæ. In varias quoq; ſeſe vertunt formas, ac modo conſpicuas ſe oculis præbent, modo recondunt. Ita eludunt aciem, tum intuentium, tum etiam cogitantium. Utriq; dæmones plebem ducunt cupidine opum, potentiæ, voluptatum, & inanis gloriæ. Hinc ſeditiones naſcuntur, hinc rixæ, hinc bella. Et quod omnium ſceleſtiſſimum eſt, hiſce rebus optimos quoſq; deos oblectari perſuadere vulgò connituntur. Quibus aſſenſa poeſis dulcedine ſermonis multos mortales cepit. Hæc & alia ibidem complura, non quærens jam, & ſubdubitans, ut in Epiſtola ad ſacerdotem, ſed tanquam in opere doctrinæ ſuæ, quid ſentiat, aperiens.*

e Admiratores verecundatur offendere.] *Philoſophos in opinionibus de natura deorum falſos eſſe ait, alios aliorum gratia, nonnullos multitudinis opinione ductos.*

f Quærit enim cur tanquam.] *Atqui de his locuturus diſertis verbis præfatur deos vocari, malos autem eſſe dæmonas. Sic enim orditur:* περὶ τῶν θεῶν μὲν καλουμένων, πονηρῶν δὲ ὄντων δαιμόνων.

g Prohibeatur inſpector.] Ἐπόπτης. *Vocabulum eſt ad initiatos rebus ſacris pertinens.*

h Sed ipſi ſoli & lunæ.] *Sic illa maga Theſſalis apud Lucanum in 6. jactat ſe poſſe quoſcunq; velit in actus invitos præbere deos.*

i Vel de Iſide, vel de Oſiride.] *Et hi ſol & luna ſunt. Sacra illa recondita & arcana veneranda cùm ſint turpiſſima flagitiorum ac ſcelerum plena, aut timent dæmones evulgari, qualia ſunt Cereris: nam Iſis eſt Ceres: aut certe ficto timore bellè animis hominum imponunt, & miſerandi erroris fructum capiunt. Atq; hæc de Iſide & Oſiride ad inferna quoq; ſacra ſpectant. Nam Porphyrius ipſe in libro Reſponſorum maximum dæmonem ....im nominari dicit, qui eſt Oſiris apud*

Ægypti-

Ægyptios, & apud Græcos Pluto, cujus ſymbolum eſſe dicit tricipitem canem, hoc eſt malum dæmonem, qui invenitur tribus elementis, aere, aqua, & terra. Ejus Iſis eſt Proſerpina, & Hecate: unde manifeſtum eſt de arcanis Erebi hæc intelligi, quæ magnam vim in magicis & excantationibus habent. Has minas & lunæ, & diis inferis, & ſacris deæ Eleuſinæ intentatas Lucanus attingit libro ſexto verbis Erichthûs:

Miratur Erichthò.

Has fatis licuiſſe moras, irataq; morti
Verberat immotum vivo ſerpente cadaver.
Perq; cavas terræ, quas egit carmine rimas,
Manibus illatrat, regniq; ſilentia rumpit:
Tiſiphone, vociſq; mea ſecura Megæra,
Non agitis ſævis Erebi per inane flagellis
Infœlicem animam? jam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiaſq; canes in luce ſuperna
Deſtituam, per buſta ſequar: per funera cuſtos
Expellam tumulis, abigam vos omnibus urnis.
Teq; deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta ſoles Hecate, pallenti tabida forma
Oſtendam, faciemq; Erebi mutare vetabo,
Eloquar immenſo terræ ſub pondere, quæ te
Contineant Ennæa dapes, quo fœdere mæſtum
Regem noctis ames, quæ te contagia paſſam
Noluerit revocare Ceres: tibi peſſime mundi
Arbiter immittam ruptis Titana cavernis,
Et ſubito feriêre die.

Porphyrius idem in Reſponſis Hecaten inducit coactam reſpondentem mago:

Τινὸς ἢ χατίζων
Θεοδάμης ἑκάτην με θεὴν ἐγέδησας ἀνάγκαις.

Dic tibi quid nobis opus eſt, cur vincla neceſſe
Theodame jeciſti.

Et Apollo in eandem ſententiam victum ſe neceſſitate confitetur, & dicturum invitum.

Κλυθήμεν οὐκ ἐθέλοντος, ἐπεί με ἐπέδησας ἀνάγκη.

Et pòſt paulum ſolvi clamat:

Λύετε λοιπὸν ἄνακτα.

Iamblichus in Myſteriis ſcribit narrare Porphyrium, ſacerdotes conſueviſſe violentis quibuſdam minis adverſum ſuperos uti: veluti niſi vos ita feceritis, vel contrà, ſi feceritis aliquid, cælos confringam, vel occulta Iſidis patefaciam, vel arcanum in abyſſo reconditum divulgabo: aut ſiſtam barim, id eſt, navem quandam apud Aegytios ſacram, aut membra Oſiris Typhoni diſpergam: Ipſe verò Iamblichus negat in deos cæleſtes ejuſmodi minas dirigi, ſed eſſe in mundo genus quoddam poteſtatum valde diviſum, & indiſcretum, & inconſideratum, quod accipit quidem ab

alio rationem ſive ſermonem exauditq́; ſed propria intelligentia nequaquam neq́; verum à falſo, neq́; poſſibile diſcernit ab impoſſibili. Hocitaq́; genus minitationibus laceſſitum protinus irritatur, & efficit quod jubetur. Forſitan hoc iſtud eſt, quod per imprudentiam Porphyrius aliquid velle ait. Iamblichus perſequitur, quid illa mina ſibi velint: ex eo petat, qui deſiderat.

k Quibuſdam etiam obſervatis in cœli converſione.] *Nam ipſe Porphyrius etiam ex Charemone res aſtronomia incomprehenſibiles eſſe dicit humanis mentibus. Traduntur ergo à malis dæmonibus, ut reliqua omnia vaticinia, ſicut Porphyrius inquit, in quo adverſus eſt ei Iamblichus, ut in hac ferè tota de ratione dæmonum diſputatione. Conatur enim pro Anebone Porphyrio reſpondere homo prodigioſæ ſuperſtitionis & diſciplinæ.*

F.L.Coq. *α* CUm ad Anebuntem ſcripſit Ægyptium.] *Porphyrius inter Platonicos propter excellentiam doctrinæ Philoſophus appellatus, & ut loquitur Euſebius li. 5. præpar. Evan. c. 7.* Magnus apud Gentes Philoſophus Theologusque mirabilis, longam in Ægyptum miſit Epiſtolam ad Anebuntem, vel (ut alii nominant) ad Anebonem ſacerdotem variarum & gravium quæſtionum plenam ad omnes Philoſophiæ partes ſpectantium, præſertim ad Deum, ad Angelos, dæmones & animas, ad providentiam, & fatum, vaticinia, magicem, miracula, ſacrificia, vota; quibus reſpondit Iamblychus ejus auditor ſi qui circumfertur de myſteriis, ubi introducit Porphyrio reſpondentem Abamonem Ægyptium ſacerdotem pro Anebone diſcipulo ſuo, ad quem Porphyrius miſerat Epiſtolam. *Epiſtol. ad Anebonem Aegyptium meminit Euſeb. lib 5. de præparat. Evang. c. 6. Ex ea citat aliquot loca Theodoret. ſerm. 1. & 3. θεραπευτ.*

β Trahere humidum vaporem.] *Idem lib. de ſacrificiis apertè teſtatur malos eſſe dæmones, qui libamine nidoreq́; carnium oblectentur. His enim ſpirituale eorum corpus pingueſcere ſolet, vivit namque hoc vaporibus, fumigationibusque, atque variè admodum, ut par eſt, per varia, nidoreq́; ſanguinis & carnium vires aſſumit.*

γ Compellantur atque cogantur facere quod homines volunt.] *Quæſtio hoc loco occurrit, num Magi poteſtatem aliquam habeant cogendi dæmones: Proclus libro, quem de Magia & ſacrificiis conſcripſit, ait dæmones certis quibusdam ſignis ab hominibus poſſe cogi. & Porphyrius lib. de occaſionib. idem teſtatur vidiſſe ſe quendam Chaldæum, qui authoritate ſua coegit dæmonem, ut nullum poſſet amplius reddere reſponſum; quod ex Porphyrio hic citat D. Auguſt. Pſellus lib. de dæmonib. ſub finem refert ſe didiciſſe à quodam Marco Epheſio, qui dæmonibus valdè familiaris erat, varia in natura ſigna eſſe, quibus facilè alliciantur. Joſephus lib. 8. antiqu. Iudaicarum, cap. 2. refert ſe vidiſſe quendam Iudæum, qui exorciſmis à Salomone inſtitutis utebatur, coram Veſpaſiano admotione cujusdam radicis ad nares Energumeni dæmonem fugaſſe, ut amplius redire non poſſet. Nibilominus quamvis certum ſit à Deo, & etiam à bonis Angelis dæmones cogi poſſe, nullis tamen rebus naturalibus cogi, vel allici poſſe: quod verò aliquando ſimulent ſe adeſſe, id faciunt tantum, ut hominibus imponant: nec etiam Magi vel malefici dæmonem ullo modo cogere poſſunt: alioquin major eſſet eorum poteſtas, quam ſit poteſtas dæmonum,*

quod

quod pugnat cum ſacra ſcriptum. Iob. 4. Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei comparetur. *Quando ergo dæmones ſimulant ſe veluti invitos cogi, in ea re homines fallunt: cujus rei certum argumentum eſt quod plerumq; etſi omnes ceremoniæ adhibeantur, quibus Magi uti ſolent ad eos cogendos, tamen non apparent: Cogi tamen poſſe à bonis Angelis docet D. Auguſtin. lib. 11. de Gen. ad Literam, c.22.* Non (*inquit*) faciunt dæmones quantum poſſent, ſed quantum à bonis Angelis facere ſinuntur. Decet enim divinam ſapientiam, ut non ſua authoritate, ſed opera eorum miniſteriorum poteſtatem impediat. *Ex quo intelligitur quod dixerat lib. 4. de Trinit. cap. 4. Angelos deſertores & malos regi per Angelos bonos, quia nempe mali reipſa bonis ſubjecti ſunt, nec magis hominibus nocent, quàm ab illis permittuntur: imò ab hominibus etiam, qui habent gratiam gratis datam eos expellendi cogi poſſunt, quemadmodum videmus cogi per Exorciſmos, ut nolentes cogantur recedere. V. de Martinum Delrio Diſquiſit. Magic. lib. 2. q. 30. ſect. 2. & 3. Quod ergo ſcribit Euſeb. lib. 5. de præpar. Evangelii cap. 7. dæmones homines docuiſſe quibus rebus cogantur vel illigentur, id fecere certè ut hominibus imponerent.*

δ Et ſi dii ſint, quomodo alii benefici, alii malefici eſſe dicuntur.] *Lib. de ſacrificiis hanc diviſionem apertè reprobat,* firmiter credendum, *inquit,* neque bonum unquam lædere, neque prodeſſe malum. Non enim caloris eſt, *(ut inquit Plato)* frigefacere, ſed oppoſiti, ita neque juſti nocere. Juſtiſſimum autem omnium naturaliter eſt ipſa divinitas, alioquin nihil divinum foret: *imò hanc eſſe perſuaſionem falſorum dæmonum ſcribit, ut divinitatem ipſam criminationibus ſubjiciant, quam tradant omnia ſurſum deorſumq; turbare, & quæ mala ipſi inferunt hominibus, nobis interea perſuadeant illos horum effectores eſſe, qui contrariorum potius. i. e. fertilitatis, proſperitatiſq; hujusmodi ſunt authores: non igitur malefici dij ſunt, ſed dæmones improbi, noxii, hominum ſalutis invidi, & humano generi pernicioſi, qui ſibi divinitatem arrogarunt, & ſe deos eſſe hominibus perſuaſerunt, & ex ea falſa perſuaſione conficta illa diſtinctio deorum, quod alii ſint benefici, alii malefici.*

ε Eo, quod lapidibus & herbis adhibitis & alligent quoſdam.] *Quoties hæc magi adhibent, vel alias circulis & characteribus utuntur, ut homini noceant, vel aliquid operantur, hæc certè ad effectum talem nihil conferunt: dæmon ipſe eſt, qui nocet, vel morbum, vel mortem inferendo, vel quid aliud efficiendo.*

ζ Quam quælibet anicula Chriſtiana.] *En quantum ſcientiæ & luminis attulerit hominibus Chriſtiana religio, ut verè Chriſtiani ſint* θεοδίδακτοι. *intererat autem maximè inter cætera, hominibus innoteſcere fraudes & impoſturas dæmonum: melius verò eas novit Chriſtiana anicula, quàm vel Platonicorum doctiſſimus Porphyrius. Similis locus extat apud eundem Auguſtinum epiſt. 3. ad Voluſianum.* Quod ad magiſterium ejus Chriſti attinet, quis nunc extremus idiota, vel quæ abjecta muliercula non credit animæ immortalitatem, vitamque poſt mortem futuram? Quod apud Græcos olim primus Pherecydes Aſſyrius cum diſputaſſet

taſſet Pythagoram Samium illius diſputationis novitate permotum ex Athleta in philoſophum vertit?

η Ad inceſtos quoſque concubitus.] *Ita habet libro de ſacrificiis.* Incendunt animos amoribus cupiditatibuſque divitiarum & dominationum, atque voluptatum: rurſus novis extraneiſque opinionibus nos involvunt, ex quibus ſeditiones bellaque naſcuntur & cætera generis ejusdem. *Id ex multis hiſtoriis probari poteſt. Vide Martinum Delrio Diſquiſitio. Magica. lib. 3. p. 1. q. 3. ſect. 2. Caſſianus Collat. 7. c. 31.* Inventores, *ait*, libidinum atque luxuriæ quosdam ſpiritus eſſe Propheta commemorat.

θ Prohibeatur inſpector.] ἐπόπτης. *Dicebantur ἐπόπται, qui arcanorum ſacrorum myſteriis pridem initiati erant, & jam ſpectatores ſacrorum facti. Unde teſte Budæo in Commentariis ἐποπτικὰ dicebantur ultima initiatorum ceremoniæ. Neque enim ſimul ut initiati erant ſpectaturi admittebantur,* quod etiam verbum *(ut ait ille)* Theologi in ſuam ſupellectilem tranſtulerunt, *ut ex Gregor. Nazianzeno probat. Ad hæc ſcripta Porphyrii reſpondet ordine Iamblychus lib. de myſteriis. Vide Euſebium lib. 5. de præparat. Evang. cap. 6. ubi hæc quæſita Porphyrii, ut hinc Auguſtinus recenſet.*

ι Sed ipſi Soli & Lunæ.] *Certum eſt, dæmones aut Magos ipſos in orbes cæleſtes vel ſidera nullam habere poteſtatem: nec enim ordinem naturæ à Deo ſemel inſtitutũ permutare poſſunt, licet vana & levis gentilitas ſibi aliquando perſuaſerit magicis incantamentis cœlo detrahi Lunam, aut Solem obſcurari. Qua ratione ſcripſit de Medea Ovidius.*

Illa reluctantem curſu deducere Lunam
  Nititur & tenebras addere Solis equis.

Et Virgilius in Pharmaceutria.

Carmina vel cœlo poſſunt deducere Lunam.

Ariſtophanes in Nebulis, ubi Strepſiades Theſſalam veneficam conſulit, uti ſibi Lunam è cœlo deducat, qua ratione poſſit ſe à creditoribus liberare. Athenis enim renaſcente Luna fœnus à toculliónibus exigebatur: atque ita Strepſiades putabat, Lunà è cœlo detractà, non poſſe ſe à creditoribus urgeri, quod tum Luna nunquam eſſet apparitura. Unde etiam Lunam ſi quando laboraret, putabant magicis carminibus è cœlo ſollicitari, atque ideò permagni tum ſonitus fiebant; ne voces incantantium eò poſſent pervenire, ut ab ea exaudirentur: Ideò tympana & cymbala pulſabantur. quò referendum illud Propertii:

Cantus & è curru Lunam deducere tentant:
  Et facerent, ſi non æra repulſa ſonent.

Et Iuvenalis de loquaciſſima muliere Satyr. 6. ſcripſit:

Una laboranti poterit ſuccurrere Lunæ.

Tibullus lib. 1. Eleg. 2.

------ ut mihi verax
Pollicita eſt magico ſaga miniſterio,
Hanc ego de cœlo ducentem ſidera vidi,

Apud

Apud Petronium Arbitrum inter cætera ſaga quædam ita gloriatur.

------ Lunæ deſcendit imago
Carminibus deducta meis, trepidusque furentes
Flectere Phœbus equos revoluto cogitur orbe.

Claudianus lib. 1. in Ruffinum.

------ Nam quo Theſſala cantu
Eripiat lunare jubar: quid ſigna ſagacis
Ægypti valeant, quæ Gens Chaldæa vocatis
Imperet arte deis.

κ Quoniam ille qui carminibus cogitur ſe prodere, &c.] *Ita ſcribit Iamblychus lib. de myſteriis. Narrat Porphyrius, ſacerdotes conſueviſſe violentis quibusdam minis adverſum ſuperos uti, veluti niſi vos im feceritis aliquid, cælos confringam, vel occulta Iſidis patefaciam, vel arcanum in abyſſo reconditum divulgabo, aut ſiſtam Barimi navem quandam apud Aegyptios ſacram, aut membra Oſiridis Typhoni diſpergam. cæteraq; ſimilia. Reſpondet Iamblychus diſcipulus præceptorem ſuperſtitione longè ſuperans, & ſacrorum aut potius ſacrilegiorum Ægyptiorum vindex acerrimus, hujusmodi execratores non conſueviſſe dirigere minitationes hujusmodi, ut Porphyrius opinatur ad Solem & Lunam cæterave cæleſtia, ſed eſſe in mundo genus aliquarum poteſtatum valdè diviſum & indiſcretum, inconſideratumq;, quod accipit quidem ab alio rationem, ſive ſermonem, exauditq;, ſed propria intelligentia nequaquam, neque verum à falſo, neque poſſibile diſcernit ab impoſſibili. Hoc itaque genus minitationibus laceſſitum protinus irritatur & ſtupet efficitq; quod jubetur. Aliam præterea reſponſionem adhibet,* quòd ſacerdos non humana virtute, ſed divina ſacramentorum ineffabilium poteſtate mundanis numinibus imperat atque minitatur, ipſe tunc in ſuperiorum deorum ordine conſtitutus, & ideò grandioribus propria natura mandatis utitur, atque minis: neque tamen tanquam facturus, quæ tunc aſſeverat, ſed declarans, quantam nactus fuerit poteſtatem propter ipſam ad deos unionem comparatam, videlicet ex notitia, poſſeſſioneque ineffabilium ſymbolorum, ſive ſignaculorum quæ dicimus ſacramenta: *allegoricè præterea iſta exponit, quæ ſuperfluum eſſet hic referre.*

λ Non ut ipſe poſuit natura, ſed vitio fallaces.] *Id eſt de fide. Concil. Carthag. cap. 1. ſtatuit, ut* qui Epiſcopus ordinandus eſt, inter cætera antea examinetur ſi diabolus non per conditionem ſuam, ſed per arbitrium ſuum factus ſit malus. *Nam ut ſcribit D. Dionyſ. lib. de divinis nominibus, cap. 4.* οὔτε οἱ δαίμονες φύσει κακοί. καὶ γὰρ εἰ φύσει κακοὶ οὔτε ἐκ τ᾽ ἀγαθοῦ, οὔτε ἐν τοῖς οὖσιν οὔτε μὴν ἐξ ἀγαθῶν μετέβαλον φύσει, καὶ ἀεὶ κακοὶ ὄντες. *Idem* πῶς οἱ ἐκ θεοῦ γενόμενοι δαίμονες εἰσὶ κακοί, τὸ γὰρ ἀγαθὸν ἀγαθὰ παράγει καὶ ὑφίστησι. καὶ τοὶ λέγονται κακοί; φαίη τις ἄν, ἀλλ᾽ οὐ καθ᾽ ὅ εἰσιν ἐκ τ᾽ ἀγαθοῦ γὰρ εἰσὶν καὶ ἀγαθὴν ἔλαχον οὐσίαν, ἀλλ᾽ οὐ καθ᾽ ὅ εἰσιν ἀσθενήσαντες, ὡς τὰ λόγια φησὶ τηρῆσαι τὴν ἑαυτῶν ἀρχήν. ἐν τίνι γὰρ εἰπέ μοι κακύνεσθαι φαμὲν τοὺς δαίμονας εἰ μὴ ἐν τῇ παύσει τῆς τε θείων ἀγαθῶν ἕξεως, καὶ ἐνεργείας, ἄλλως τε εἰ φύσει κακοὶ οἱ δαίμονες, ἀεὶ κακοὶ, καὶ τὸ κακὸν ἄστατόν ἐστιν.

Vide D. Thomam etiam 1. p. q. 6. art. 4. & lib. 3. contra Gentes, cap. 107. ubi citat hunc locum D. Auguſtini & probat contra Porphyrium nullos dæmones eſſe natura malos aut fallaces, ſed vitio propriæ voluntatis, qua deflectunt à bono. Vide etiam Damaſcenum lib. 2. c. 4.

μ Quibusdam etiam obſervatis in cœli converſione motibus.] *Certè tales obſervationes meritò jam olim fuere decretis Eccleſiæ damnatæ, ut oſtendit Picus lib. 3. contra Aſtrologos. Pererius lib. de divinat. Aſtrolog. & perſuaſio ferè diabolica eſt ac fundamentum ferè omnium ſuperſtitionum putare à corporibus cœleſtibus, & certis obſervatis conſtellationibus deduci virtutem aliquam ad varios effectus in figuras, quæ ſint ad earum obſervationem efformatæ. Idq; reprobatum eſt Artic. Pariſ. 21. in hæc verba.* Quod imagines ex metallo, vel cera, vel alia materia ad certas conſtellationes fabricatæ, vel certo charactere, aut figura efformatæ, aut etiam baptizatæ, exorcizatæ, aut conſecratæ ſeu potius exſecratæ ſecundum prædictas artes, & ſub certis diebus, habeant virtutes mirabiles, quæ in libris hujusmodi ſuperſtitioſis recitantur, error eſt in fide, & in philoſophia naturali, & aſtronomia vera. *vide Delrio lib. 1. cap. 3. quæſt. 1. Diſput. Magicarum poſt D. Thomam 2. 2. quæſt. 96. artic. 2. & lib. 3 contra Gentes cap. 104.*

ν Quæ ſit ad beatitudinem via ex Ægyptia ſapientia.] *Ad hoc quæſitum reſpondet Iamblychus ſub finem lib. de myſteriis.*

ξ Ut ob inveniendum fugitivum, vel prædium comparandum, &c.] *Hæc ferè eadem vota aviæ aniculæ vel matres faciebant diis, uti liberi multa eaq; ampliſſima latifundia compararent, atque grandiores facti ditiſſimas & regia ſtirpe præclaras uxores ducerent. Perſ. ſat. II.*

Tunc manibus quatit, & ſpem macram ſupplice voto,
Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.
Hunc optent generum rex & regina, puellæ
Hunc rapiant.

ο Vel quid hujusmodi.] *Quale eſt quod D. Auguſtin. ipſe ex Seneca refert, nimirum quosdam ad vadimonia ſua deos vocare conſueviſſe: eosq; cauſſam ſuam docuiſſe, & pleraq; alia quæ referuntur in illo elegantiſſimo Senecæ fragmento quod ſupra exſtat lib. 6. cap. His accedit quod Perſius refert quosdam ſolitos aſſiduè deos rogare, uti Theſaurum fortè terræ defoſſum reperirent. Sat. II.*

Illa ſibi introrſum & ſub lingua immurmurat,
---- & ô ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule:

Quod Libanius demonſtrat ſatis orat. quæ, Avarus ſe deferens, inſcribitur ubi ait. βλέπων τοίνυν εἰς τὸ ἄγαλμα, καὶ τοὺς ἐκ θησαυρῶν πεπλουτηκότας ἀριθμήσας, ηὐχόμην, ἐδεόμην, ἱκέτευον τῶν ἴσων καὶ αὐτὸς τυχεῖν ἦλθον ἡγούμενος πεπεικέναι τοὺς θεούς.

Cap.

CAP. XII.

De miraculis, quæ per ſanctorum angelorum miniſterium Deus verus operatur.

POrrò autem quæcunque miracula, ſive per angelos, ſive quocunque modo ita divinitus fiunt, ut Dei unius, in quo ſolo beata vita eſt, cultum religionemque commendent, ea verè ab eis, vel per eos, qui nos ſecundum veritatem pietatemque diligunt, fieri ipſo Deo in illis operante credendum eſt. Neque enim audiendi ſunt, qui Deum inviſibilem viſibilia miracula operari negant, cùm ipſe etiam ſecundùm ipſos fecerit mundum, quem certè viſibilem negare non poſſunt. Quicquid igitur mirabile fit in hoc mundo, profecto minus eſt, quàm totus hic mundus, id eſt, cęlũ, & terra, & omnia quę in eis ſunt, quæ certè Deus fecit. Sicut autẽ ipſe qui fecit, ita modus, quo fecit, occultus eſt, & incomprehenſibilis homini. Quanvis itaque miracula viſibiliũ naturarum videndi aſſiduitate viluerint, tamen cùm ea ſapienter intuemur, inuſitatiſſimis rariſſimiſque majora ſunt. Nam & omni *a* miraculo, quod fit per hominem, *a* majus miraculum eſt homo. Quapropter Deus qui fecit viſibilia cælum & terram, *β* non dedignatur facere viſibilia miracula in cælo, vel in terra, quibus ad ſe inviſibilem colendum excitet animam adhuc viſibilibus deditam: ubi verò & quando faciat, *γ* incommutabile conſilium penes ipſum eſt, *b δ* in cujus diſpoſitione jam tempora facta ſunt, quæcunque futura ſunt. Nam temporalia movens, temporaliter non movetur: nec aliter novit facienda, quàm facta: nec aliter invocantes exaudit, quam invocaturos videt. Nam & cum exaudiunt angeli ejus, ipſe in eis exaudit, tanquam in vero, non manufacto templo ſuo, ſicut in omnibus ſanctis ejus, * quæ temporaliter fiunt juſſa, æterna ejus lege conſpecta. *al. ſub.*

a MAjus miraculum eſt homo.] *Apud Mercurium verbum eſt frequenter repetitum, Magnum miraculum hominem eſſe.* L. Vives.

b In cujus diſpoſitione.] *De ſcientia Dei, inquit Paulus, omnia eſſe oculis ejus aperta, & nuda. Tempora enim omnia ſunt præſentia Deo, nihil venturum, nihil tranſactum. De rebus ergo univerſis ita ſtatuit, ac de præſentibus, ſic agit, ſic cognoſcit: neq; ille ut nos ab heſterno die tranſit in hodiernum, ab iſto in craſtinum veniet. Non recipit has anguſtias vel illa potentia, vel illa eſſentia. Præſens illi eſt tota ſua æternitas, quanto magis hæc noſtra per exigua tempora: & tamen qui mentes creavit noſtras, tempus etiam condidit noſtris captibus aptum, & qui quemadmodum nos videmus videt, non tamen ſicut nos videt, aut novit. Præſtabit in hac tanta materia philoſophari non deficiente argumento, an cum Paulo in admirationem exclamare: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!*

α OMni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum eſt homo.] *Idem lib. 50. hom. 32.* videt homo inſolita, & miratur, unde eſt ipſe homo, qui miratur? ubi erat? unde proceſſit? unde forma corporis? unde membrorum diſtinctio? unde habitus iſte Specioſus? de quibus primordiis? de quam contem- *ℰ L. Coq.*

temptibilibus? & miratur alia, cùm ſit ipſe mirator magnum miraculum.? *Plato l. 1. de legibus hominem vocat divinum quoddam miraculum. Picus Mirandulanus Orat. de hominis dignitate ſcribit, Abdalam Saracenum interrogatum aliquando, quid in hac mundana ſcena admirandum maximè ſpectaretur, nihil homine mirabilius ſpectari reſpondiſſe; cui & illud Mercurii Triſmegiſti adſtipulatur,* Magnum (ô Aſclepi) miraculum eſt homo.

β Non dedignatur facere viſibilia miracula.] *Ita ſcribit epiſtol. 3. ad Voluſianum:* Quia non oportebat ut novum faceret mundum, nova fecit in mundo. *Deus enim ut cauſſa eſt naturalis, ita & ſupernaturalis, author naturæ & gratiæ. Quemadmodum itaque ex effectis naturalibus, quæ videmus, venimus in cognitionem ſapientiæ & bonitatis & providentiæ divinæ, ita miracula voces quædam ſunt, quibus Deus innoteſcit ut cauſa ſupernaturalis. Fiunt enim vel ad demonſtrandam veritatem fidei, vel certè ad alicujus ſanctitatem manifeſtandam.*

γ Incommutabile conſilium penes ipſum eſt.] *Statuit enim ab æterno quæcumque facturus eſt, & eo ordine ſuccedent; ſiquidem infallibile illius decretum, & incommutabile conſilium; De hoc conſilio ita Iſaias,* Vivo ego dicit Dominus, quia omne conſilium meum ſtabit.

δ In cujus diſpoſitione jam tempora facta ſunt.] Vocat enim ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt. *Quinque actus in Deo diſtingui poſſunt ratione. Primus eſt ſcientia ſeu cognitio rerum abſolutè. Secundus eſt rerum diſpoſitio, qui ſcil. actus eſt illa ipſa cognitio, ut reſpicit res ſecundum eum ordinem, quo fuerunt in univerſo collocandæ. Tertius eſt creatio rerum ſic inter ſe ordinatarum, qui actus eſt quaſi executio illius diſpoſitionis, & continetur actu ipſo intellectus & voluntatis. Quartus eſt providentia, quæ ſcil. eſt actus intellectus divini, ut reſpicit res ſecundum eum ordinem, quo diriguntur in ſuos fines. Quintus eſt gubernatio rerum, quæ eſt tanquam executio quædam illius actus, in quo conſiſtit providentia, ex quibus actibus tres ab æterno Deo poſſunt tribui, ſcilicet* Scientia, diſpoſitio, & providentia. *Ab æterno enim Deus cognovit & diſpoſuit & ordinavit in ſuos fines cunctas res futuras.* Gubernatio *verò &* creatio *tribuitur Deo ex tempore.*

ε Nec aliter novit facienda quàm facta.] *Nam æternitas ejus complectitur omne tempus, ita ſcientia ejus quæ eſt æterna & æternitate menſuratur, complectitur æquè omnia tempora. Vide infra lib. 11. c. 21. lib. 11. confeſſ. c. 11. lib. 4. de Trin. c. 13. & lib. 11. c. 7 lib. de prædeſtinat. Sanctor. c. 5. & lib. 2. ad Simplicianum quæſt. 2. ubi id confirmat, quod hic docet. Quia non aliter Deus intuetur futura, cum in ſuo tempore ſunt, quàm antequam ſint, quia in divina cognitione non poteſt eſſe unus atque alius modus cognitionis, ſed ſemper idem.*

Cap. XIII.

De inviſibili Deo, qui ſe viſibilem ſæpe præſtitit, non ſecundum quod eſt, ſed ſecundum quod poterant ferre cernentes.

NEc movere debet, quòd cum α ſit inviſibilis, α β ſæpe viſibiliter patribus apparuiſſe memoratur. γ Sicut enim ſonus, qui auditur ſententiæ in ſilentio

lentio, intelligentiæ conſtituta, non eſt hoc quod ipſa, ita & ſpecies, qua viſus eſt Deus in natura inviſibili conſtitutus, non erat quod ipſe. Veruntamen ipſe in eadem *a* ſpecie corporali videbatur, ſicut illa ſententia in ipſo ſono vocis auditur, nec illi ignorabant inviſibilem Deum in ſpecie corporali *b* nequaquam ſe poſſe videre. Nam & loquebatur cum loquente Moyſe, & ei tamen dicebat: *c Si inveni gratiam ante te, oſtende mihi* d *temetipſum ſcienter ut videam te.* Cùm igitur oporteret Dei legem in edictis angelorum terribiliter dari, non uni homini paucisve ſapientibus, ſed univerſæ genti & populo ingenti, coram eodem populo ingenti, coram eodem populo magna facta ſunt in monte, ubi lex per unum dabatur, conſpiciente multitudine metuenda ac tremenda, quæ fiebant. Non enim populus Iſrael ſic Moyſi credidit, quemadmodum ſuo Lycurgo Lacedæmonii, quod à Jove ſeu Apolline leges quas condidit, accepiſſet. Cùm enim lex dabatur populo, qua coli unus jubebatur Deus, in conſpectu ipſius populi, quantum ſufficere divina providentia indicabat, mirabilibus rerum ſignis ac motibus apparebat, ad eandem legem dandam creatori ſervire creaturam. Exo. 33.

a SÆpe viſibiliter patribus.] *Ioannes in Evangelio Deum à nemine unquam viſum ſcribit. Idem Apoſtolus Paulus confirmat, ſed Jacob ſe vidiſſe dominum facie ad faciem aſſeverat: & de Moſe ſcriptum eſt Exodi 33. quod loquebatur cum domino facie ad faciem, ſicut amicus cum amico ſuo ſolet loqui: quod & multa alia ſacrorum librorum loca videntur teſtari. Verùm naturam Dei eſſe homini viventi inviſibilem ita conſtat, ut fuerint pleriq;, qui ne angelos quidem & archangelos, eam cernere exiſtimarint, & prodiderint, ut docent Chryſoſtomus, & Gregorius. Viderunt igitur ſancti patres angelos tanta majeſtate formæ, ut facilè divinam eſſe intuentibus perſuaderetur: nam angelos patribus locutos, & per illos datum eſſe legem, Paulus eſt autor ad Hebræos. Si enim ſermo qui per angelos dictus eſt, factus eſt firmus, &c. Et Actuum ſeptimo, ait Stephanus, Iudæos legem accepiſſe per diſpoſitionem angelorum. Et ſpecies illa Dei non erat, qui ſpeciem nullam habet, quod Chryſoſtomus intelligi vult, cùm dominus Iudæis negat eos vel ſpeciem Dei vidiſſe, vel audiviſſe vocem, qui ſpeciem ſe putabant vidiſſe Dei, ut Exod. 19. ſcribitur: ſed viſibilis illa erat, & ſub ſenſus cadebat ſpecies juſſu Dei ab angelo confecta, tam ſuperans ſolitas à nobis ſpectari, ut divina crederetur; & erat ad divinitatem cernendam gradus.* L. Vives. Deus an viſus à patribus

b Nequaquam ſe.] *Alibi, in ſpecie corporali quod ipſe non erat ſe videre.*

c Si inveni gratiam ante te.] *Greg. lib. 7. Moralium in Iob: Sed patenter, inquit, datur intelligi, quòd quandiu hîc mortaliter vivitur, videri per quaſdam imagines poteſt Deus, ſed per ipſam naturæ ſuæ ſpeciem non poteſt: ut anima gratia ſpiritus afflata per figuras quaſdam Deum videat, ſed ad ipſam vim ejus eſſentiæ non pertingat. Hinc eſt enim quod Iacob, qui Deum ſe vidiſſe teſtatur, non niſi angelum vidit. Hinc eſt quod Moſes, qui cum Deo facie ad faciem loquitur, dicit: Oſtende mihi temetipſum manifeſtè, ut videam te. Ex qua ejus petitione colligitur, quod eum ſitiebat per incircumſcriptæ naturæ ſuæ claritatem cernere,*

Digitized by Google

quem jam cœperat per quaſdam imagines videre, tantum ille. Angelus verò domini legatus verbis ejus à quo mittebatur, Moyſi talia multum oranti reſpondet: Non poteris videre faciem meam: non videbit me homo, & vivet. Ac paulùm poſt: Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Itaq; veſtigia à Deo relicta in creaturis licet videre, & ex eis inviſibilia Dei cognoſcere: ut ille ſit eo amicior Deo, cui majora & præſtantiora intueri detur. Facies autem ipſa domini amplior, & celſior eſt, quàm vel in anguſtias noſtras poſſit intrare, vel in tantam humilitatem ſe demittere. Multo eſt aliud de colloquio Dei: nec puto eſſe impium aut abſurdum exiſtimare & olim cum patribus, & poſt Chriſtum natum cum multis ſanctorum locutum eſſe Deum ipſum dominum & autorem cœli ac terræ: nihil enim in hoc affirmatur incongruum immenſæ majeſtati, & eſt congruum infinitæ bonitati. Facies verò ita potuit videri, ut Auguſtinus exponit.

d Temetipſum ſcienter.] *Ex LXX.* γνωςῶς ἴδωσι.

e Suo Lycurgo Lacedæmonii.] *Lycurgus Eunomi Spartiatarum regis & Dionaſſæ filius, Polybitæ, ſeu ut eſt apud Plutarchum, Polydectæ regis frater fuit, quo mortuo regnavit, quoad compertum eſt fratris conjugem uterum ferre. Tunc enim regno ceſſit infanti nondum nato ſi mas foret, quo in lucem edito prodicum ejus, hoc eſt, tutorem egit. Legesq; Lacedæmoniis tulit, ſanè quàm ſeveras & duras: eamq; ob cauſam Delphicum Apollinem autorem earum finxit. De Iove ſunt etiam qui putent: propterea quòd Lycurgus ſuſpiciones omnes & jurgia devitans è patria diſceſſiſſet in Cretam, ubi aliquandiu egit vitam, conſuluiſſeq; putatur de legibus Iovem, in ea natum inſula, ubi & interiiſſe Lycurgum ſcribit Iuſtinus, tametſi nec de origine, nec de peregrinatione, nec de ratione legum ferendarum, nec de morte ſatis inter rerum ſcriptores conveniat, ut Plutarchus inquit. De tempore quoq; ambigitur, & fueritne unicus Lycurgus, Timæus enim duos ponit. & quidem apud Lacedæmonios: nam de Thrace conſtat ac utriuſq; res geſtas in alterum congeri, antiquioremq; vel vixiſſe cum Homero, vel non longè fuiſſe poſt ejus tempora. De legibus atq; inſtitutis Lycurgi nihil dicam, quoniam & hoc loco videtur alienum, & apud Xenophontem & Plutarchum ſunt quàmplurima, qui libri ſunt ferè in manibus.*

L.I.Cap. a QUod cum ſit inviſibilis.] *Unum ex Dei epithetis, Joann. 1.* Deum nemo vidit unquam. *1. Tim. 1.* Regi ſæculorum immortali & inviſibili. *1. Timot. 6.* Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt: *Quibus tamen nullatenus confirmatur eorum hæreticorum ſententia, qui negant Deum per eſſentiam videri poſſe, aut unquam viſum iri ab intellectu creato, quæ fuit hæreſis impii Almarici, teſte Turrecremata lib. 4. de Eccleſia, p. 2. c. 35. & Petri Abailardi, referente Bernardo de Luxemburgo in Catalogo hæreticorum & Armeniorum, & Alphonſo à Caſtro verbo beatitudo, hæreſ. 1. Dicitur enim* inviſibilis *in hac vita juxta legem Dei ordinariam. Ita docet D. Greg. lib. 18. moral. cap. 28. Secundò* viſione comprehenſiva, *ſic explicat D. Gregor. loco citato, & D. Thomas 1. par. qu. 12. art. 1. ad 13. ſolis viribus naturæ, ſi enim conſideremus ipſam eſſentiæ divinæ ſublimitatem, & ex altera parte naturam intellectus creati, certum eſt Deum eſſe inviſibilem, atq;*

ita

ita intelligendi ſunt patres, quoties Deum videntur dicere à nulla creatura nec ab Angelis quidem videri poſſe, ut D. Chryſoſtom. hom. 14. in Joann. & Hom. 3. de incomprehenſibili Dei natura, Theodoretus in Dialogo qui dicitur immutabilis, Epiphanius hæreſ. 70. D. Hieronym. apud D. Auguſtinum epiſtol. 111. D. Ambroſius in c. 1. Lucæ. Theophylactus in c. 1 Joannis. Dicitur propterea lucem habitare inacceſſibilem, & ponere tenebras latibulum ſuum, & nubes & caliginem eſſe in circuitu ejus. Eleganter D. Auguſtin. lib. 1. de Trinit. cap. 6. eos, qui jam trinitatem vident, non homines, ſed ultra homines eſſe dixit. Poſtremò de viſione corporali, *quæ per nullam potentiam Deus videri poteſt, accipi poſſunt ea ſcripturæ loca.*

β Sæpè viſibiliter patribus apparuiſſe.] *Ita Jacob. Geneſ. 32.* vidi Dominum facie ad faciem, *Moſi ſæpius dicitur apparuiſſe, Exod. 33. Num. 12. Iſa. 6.* vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium, *& 3. Reg. 12.* vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum. *Ezech. cap. 1. & 10. Dan. cap. 7.*

γ Sicut enim ſonus quo auditur ſententia.] *Exemplo valdè accommodato explicat, qua ratione Deus inviſibilis in ſcripturis dicitur videri vel viſus eſſe patribus. Sonus enim vel vox ipſa, quæ ſignificat mentis conceptionem, percipitur quidem ſenſu, & per eam innoteſcit id quod eſt in ſecreto noſtræ mentis, vel verbum mentale, non tamen eſt ipſa vox vel ipſe ſonus, ita ſi quam ſpeciem vel figuram Deus formavit in qua Patribus appareret, non ipſe quidem viſus eſt, nec eſt ipſa ſpecies vel figura, quemadmodum quando Angelus dicitur videri in corpore aſſumpto, non ipſa natura Angeli videtur, ita explicat D. Thomas 1. p. q. 12. art. 11 ad 17.* Dicendum (*inquit*) quod ſecundùm Dionyſium cap. 4. cœleſt. hierarch. ſic in ſcripturis dicitur aliquis Deum vidiſſe inquantum formatæ ſunt aliquæ figuræ vel ſenſibiles, vel imaginariæ ſecundum aliquam ſimilitudinem aliquod divinum repræſentantes. Quod ergo dicit Jacob, vidi Deum facie ad faciem, referendum eſt non ad ipſam divinam eſſentiam, ſed ad figuram in qua repræſentabatur Deus. *Et D. Auguſt. quæſt. 101. ſuper Exodum.* Quod ſe oſtendit (*inquit*) Deus ſpecie corporali vel ſignis corporaliter expreſſis, non ſubſtantia ejus apparet, qua eſt ipſe quod eſt, ſed aſſumptio formarum viſibilium ejus omnipotentiæ ſubjacet.

δ In ſpecie corporali, quod ipſe non erat.] *Deuteron. 4.* vocem verborum ejus audiſtis & formam penitus non vidiſtis.

ε Et tamen ei dicebat, ſi merui gratiam.] *D. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 28.* Quandiu mortaliter hic vivitur, videri per quaſdam imagines Deus poteſt, ſed per ipſam naturæ ſuæ ſpeciem videri non poteſt, ut anima gratia Spiritus afflata per figuras quaſdam Deum videat, ſed ad ipſam vim ejus eſſentiæ non pertingat. Hinc enim eſt quod Jacob, qui Deum ſe vidiſſe teſtatur, hunc non niſi in Angelo vidit. Hinc eſt, quod Moyſes qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, ſicut ſolet loqui homo cum amico ſuo, ei inter cætera verba locutionis ſuæ dicit: Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi temetipſum manifeſtè ut videam te. Certè enim ſi Deus non erat, cum quo loquebatur, Oſtende mihi Deum diceret, & non: Oſtende mihi temetipſum. Si autem

Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur petebat Deum videre quem videbat? Sed ex hac ejus petitione colligitur, quia eum ſitiebat per incircumſcriptæ naturæ ſuæ veritatem cernere, quem jam cœperat per quaſdam imagines videre: ut ſic ſuperna eſſentia mentis ejus oculis adeſſet, quatenus ei ad æternitatis viſionem nulla imago creata temporaliter intuliſſet. *D. Auguſtinus item quæſt. 151. in Exod. ad ea verba Moſis,* Si merui gratiam, *&c.* His verbis *(inquit)* ſatis oſtendit Moſes, quod non ita videbat Deum in illa tanta familiaritate conſpectus, ut deſiderabat videre, quoniam omnes illæ viſiones Dei quæcumque mortalium præbebantur aſpectibus, & ex quibus fiebat ſonus, quo mortalis attingeretur auditus, ſic exhibebantur, aſſumpta ſicut Deus volebat ſpecie, qua volebat, ut non eis ipſa ullo ſenſu corporis ſentiretur divina natura, quæ inviſibilis ubique tota eſt, & nullo continetur loco. *Epiſt. 112. cap. 8.* Deſiderium veraciter piorum, quo videre Deum cupiunt, & inhianter ardeſcunt, non opinor in eam ſpeciem contuendam flagrat: qua ut vult apparet, quia ipſe non eſt, ſed in eam ſubſtantiam, qua ipſe eſt, quod eſt. Hujus enim deſiderii ſui flammam ſanctus Moyſes fidelis famulus ejus oſtendit, ubi ait Deo cum quo ut amicus facie ad faciem loquebatur: Si inveni gratiam ante te, oſtende mihi temetipſum. Quid ergo? ille non erat ipſe? ſi non eſſet ipſe, non ei diceret, Oſtende mihi temetipſum, ſed oſtende mihi Deum, & tamen ſi ejus naturam ſubſtantiamque conſpiceret, multominus diceret, Oſtende mihi temetipſum. Ipſe ergo erat in ea ſpecie, qua apparere voluerat, non autem ipſe apparebat in natura propria, quam Moyſes videre cupiebat.

ζ Scienter ut videam te.] *Alii legunt* manifeſtè. *vulgata editio habet,* ut ſciam te. *D. Auguſtin. quæſt. 151. in Exodum quod habet Græcus* γνωστῶς *hoc quidam Latini interpretati ſunt* manifeſtè, *cum ſcriptura non dixit* φανερῶς. *Potuit ergo fortaſſe potius dici,* ſi inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi temetipſum, ut ſcienter videam te.

η Sic Moſi credidit quemadmodum ſuo Lycurgo Lacædemonii.] *Quanto præſtent Moſis leges legibus Lycurgi, vide Joſephum lib. 2. contra Appionem, quem citat Euſeb. lib. 8. de præpar. Evang. cap. 2. Lycurgus conſilio Apollinis Lacedæmoniorum civitati leges compoſitas ferro ſe perſuaſit. Valer. lib. 1. c. 4. Herodotus lib. 1. Plutarchus in Lycurgo.*

Cap. XIV.

De uno Deo colendo, non ſolùm propter æterna, ſed etiam propter temporalia beneficia, quæ univerſa in ipſius providentiæ poteſtate conſiſtunt.

Sicut α autem unius hominis, ita humani generis, quod ad Dei populum pertinet, recta eruditio, per quoſdam articulos temporum tanquam ætatum profecit acceſſibus, β ut à temporalibus ad æterna capienda, & à viſibilibus ad inviſibilia ſurgeretur, ita ſanè ut etiam illo tempore quo viſibilia promittebantur divinitus præmia, unus tantum colendus commendaretur Deus,

ne mens humana vel pro ipſis terrenis vitę tranſitoriæ beneficiis, cuiquam niſi vero animæ creatori ac domino ſubderetur. Omnia quippe quæ præſtare hominibus, vel angeli, vel homines poſſunt, in unius eſſe omnipotentis poteſtate, quiſquis diffitetur, inſanit. *a* 7 De providentia certè Plotinus Platonicus diſputat, eamque à ſummo Deo, cujus eſt intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, *b* à uſque ad hæc terrena & ima pertingere *c* floſculorum atque foliorum pulchritudine comprobat, quæ omnia quaſi abjecta & velociſſimè pereuntia decentiſſimos formarum ſuarum numeros habere non poſſe confirmat, niſi inde formentur, ubi forma intelligibilis, & incommutabilis ſimul habens omnia perſeverat. Hoc dominus Jeſus ibi oſtendit, ubi ait: *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neq; nent. Dico autem, d quia nec Salomon in omni gloria ſua ſic amictus eſt, ſicut unum ex his. Quòd ſi fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, ſic Deus veſtit, quantò magis vos modicæ fidei?* Optimè igitur anima humana adhuc terrenis deſideriis infirma, ea ipſa quæ temporaliter exoptat bona infima atque terrena vitæ huic tranſitoriæ neceſſaria, & præ illius vitæ ſempiternis beneficiis contemnenda, non tamen niſi ab uno Deo expectare conſuevit, ut ab illius cultu etiam in iſtorum deſiderio non recedat, adquem contemptu eorum, & ab eis averſione perveniat. Mat. 6

a DE providentia certè Plotinus.] *Libri ſunt De providentia Plotini quatuor, in quis oſtendit maxima & minima à Deo principe naturæ adminiſtrari tum etiam ab illo mundo intelligibili, qui eſt apud Deum: hunc ſenſibilem eſſe procreatum, ſed ab origine ſua degenerantem magis, quo inferius deſcendit, eſſeq; ab uno generatum non verè unum, à ſimplici multiplicem, & diſperſum.* L. Vives

b Uſque ad hæc terrena.] *Nam non defuerunt, qui è cælis non deſcendere Dei providentiam exiſtimarent, quam opinionem video à quibuſdam Ariſtoteli attribui: de qua re quid ſentiam aliàs aperiam. Alÿ ſi quid in terris curant dÿ, non niſi maxima putent. Quemadmodum maximi reges non ad quævis ſe demittunt. Unde ſunt illi verſus apud Lucanum Cæſaris ad milites tumultuantes:*

Nunquam ſe cura deorum
Sic premit, ut veſtræ vitæ veſtraq; ſaluti
Fata vacent, procerum motus hæc cuncta ſequuntur.
Humanum paucis vivit genus.

c Floſculorum atque foliorum.] *Quorum unumquodq; tam eſt forma, tam decenter aptum & coagmentatum, ita erumpit, ita adoleſcit, ita vivit, ut ab alio artifice fieri non poſſe, quàm à divino res ipſa clamet, Proclus. Primum per omnia deſuper providentiam ad ultimum uſq; procedere, ac ne minimum quidem ſui expers alicubi prætermittere. Sed cùm habeamus ſententiam principis diſciplinæ Platonis, indigere non videmur ſectatorum dictis. Is ergo in Epinomide illud tenendum eſſe ante alia dicit, providentiam divinam, & maxima quæq; & minima curare, qua de re ipſe diſputaverat in l. De legibus 10. copioſius. Ejus diſputationis ſumma hæc eſt, Cùm dÿ ſint, non convenit eos eſſe otioſos, curant ergo res huma-*

nas: cumq; omniſcij ſint, etiam minima vident, & norunt: procul autem ab eis abeſt, & deſidia, & inertia, & ignavia, nec imbecilliores ſunt in parvis, nec putant indignum ſua majeſtate illa curare: nam ea ceu gradus ſunt ad maxima. Curant igitur univerſa, & parva, & magna.

d Quia nec Salomon.] *Hieronymus hoc loco: Revera, inquit, quod ſericum, quæ regum purpura, quæ pictura textricum, poteſt floribus comparari? quid ita candet, ut lilium? Violæ verò purpuram nullo ſuperari murice oculorum magis, quàm ſermonis judicium eſt. Sic Hieronymus. Et profectò imitatrix naturæ ars nunquam illius perfectionem conſequitur, tametſi æſtimationibus noſtris pretium vincat, quia aliquo uſq; æmulando progreſſa multum putatur effeciſſe.*

J.L.Coq. α SIcut autem unius hominis, ita humani generis.] *Ita ſæpè D. Auguſtin. confert humanum genus cum uno homine quoad inſtitutionem divinorum & illuminationem, ut quemadmodum quilibet paulatim proficit, in totum humanum genus primò quidem pauciora novit, deinde tandem ſucceſſu temporis crevit in cognitione divinorum. Certum eſt enim, in lege naturæ non fuiſſe tantam cognitionem myſteriorum fidei, quanta fuit in lege ſcripta, quod ſignificat Dominus Exod. 6.* Nomen meum Adonai non indicavi eis. *His enim verbis vult ſe non revelaſſe antea ſecretiora ſua myſteria; & certum eſt, in lege Evangelica nos plura edoctos de Dei myſteriis quam ſuperiora ſæcula, unde Apoſtolus ad Galatas 3. comparat ſtatum veteris teſtamenti pædagogo, ut cognoſcamus Iudæos in lege veteri fuiſſe tanquam pueros, nunc verò in lege nova fideles eſſe tanquam viros, ut non amplius egeant pædagogo, & Hebr. 10. legem veterem comparavit umbræ, novam imagini, ut intelligamus tantum inter utramq; intereſſe, quantum inter umbram & imaginem, quod clarius docet & confirmat ad Epheſ. 3.* In aliis generationibus non eſt agnitum myſterium Chriſti, ſicut nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus & Prophetis: *D. Gregor. hom. 6. in Ezechiel,* Secundum incrementa temporum (*inquit*) crevit ſcientia ſanctorum Patrum, & quanto viciniores adventui ſalvatoris fuerint, tanto plenius ſcientiam ſalutis perceperunt. *Cantic. 6. etiam comparatur Eccleſia auroræ conſurgenti, quæ paulatim lumine creſcit.*

β Ut à temporalibus ad æterna capienda.] *Etſi enim lex vetus proponeret bona temporalia & viſibilia prout ſcribit lib. 4. contra Fauſtum cap. 2.* Quod temporalium rerum promiſſiones in teſtamento veteri continentur, & ideò vetus appellatur, in his tamen mentem eſſe defixam nolebat, & proponebantur tanquam ſignificativa futurorum bonorum, quæ ſpirituales homines appetunt.

γ De providentia certè Plotinus Platonicus.] *Duobus libris nimirum 2. & 3. Plotinus agit de providentia; in quibus nihil fortuitum eſſe diſſerit, ſed omnia ratione gubernari & providentia & conſentaneam habet doctrinam maximè ſcripturæ ſacræ & doctrinæ Theologorum.*

ζ Uſque ad hæc terrena & ima pertingere floſculorum atque foliorum.] *Verba ſunt Plotini lib. 2. Ennead. 3. qui eſt primus de providentia.* Τεκμαίρεσθαι δεῖ τοιαύτην τινὰ εἶναι τὴν τάξιν ἀεὶ τῶν ὅλων ἐκ τῶν ὁρωμένων ἐν τῷ παντί, ὡς εἰς ἅπαντα χωρεῖ καὶ ὅτι μικρότατον, καὶ ἡ τέχνη θαυμαστὴ οὐ μόνον ἐν τοῖς θείοις, ἀλλὰ καὶ ἂν αὐ-

τις

τις ὑπερείδησι καταφρονῆσαι τῶν μικρῶν τὴν πρόνοιαν; εἶτα καὶ ἐν τοῖς τυχοῦσι ζώοις ἡ ποικίλη θαυματουργία, καὶ τὸ μέχρι τῶν ἐμφύτων, καρποῖς καὶ ἐπὶ φύλλοις τὸ εὐειδὲς, καὶ τὸ ῥᾷστα εὐανθὲς καὶ ῥαδινὸν καὶ ποικίλον. καὶ ὅτι οὐ πεποίηται ἅπαξ καὶ ἐπαύσατο, ἀλλ' ἀεὶ ποιεῖται τῶν ὑπεράνω φροντίδων κατὰ ταῦτα οὐχ ὡσαύτως.

CAP. XV.

De miniſterio ſanctorum angelorum, quo providentiæ Dei ſerviunt.

SIc itaque divinæ providentiæ placuit ordinare temporum curſum, ut quemadmodum dixi, & in Actibus Apoſtolorum legitur, a α lex in edictis angelorum daretur de unius veri Dei cultu: in β quibus & perſona ipſius Dei, non quidem per ſuam ſubſtantiam, quæ ſemper corruptibilibus oculis inviſibilis permanet: ſed certis indiciis per ſubjectam creatori creaturam, viſibiliter appareret, & ſyllabatim per tranſitorias temporum morulas, humanæ linguæ vocibus loqueretur, qui in ſua natura, non corporaliter, ſed ſpiritaliter: non ſenſibiliter, ſed intelligibiliter: non temporaliter, ſed, ut ita dicam, æternaliter: γ nec incipit loqui, nec deſinit: quod apud illum ſyncerius audiunt, non corporis aure, ſed mentis miniſtri ejus, & nuncij, qui ejus veritate incommutabili perfruuntur immortaliter beati: & quod faciendum modis ineffabilibus audiunt, & uſque in iſta viſibilia atque ſenſibilia perducendum incunctanter atque difficulter efficiunt. Hæc autem lex cum diſtributione temporum data eſt, δ quæ prius haberent, ut dictum eſt, promiſſa terrena, ε quibus certè ſignificarentur æterna, quæ viſibilibus ſacramentis celebrarent multi, intelligerent pauci. Unius * tamen Dei cultus apertiſſima illic & vocum & rerum omnium conteſtatione præcipitur, non ζ unius de turba, ſed ejus, qui fecit cœlum & terram, & omnem animam, & omnem ſpiritum, qui non eſt, quod ipſa. Ille enim fecit, hæc facta ſunt, atque η ut ſint & bene ſe habeant, ejus indigent, à quo facta ſunt.

Act. 7. — al. Unus

a LEx in edictis angelorum.] *Vulgo legimus: In diſpoſitionem: miniſtri enim fuerunt ſancti angeli illorum mirabilium. De hoc alibi.* L. Vives.

α LEx in edictis angelorum.] *Vulgata editio habet* in diſpoſitione angelorum, ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς τῶν ἀγγέλων. *In concione D. Stephani ad Iudæos. Idem teſtatur D. Paulus ad Gal. 3.* Lex (*inquit*) ordinata eſt per angelos in manu mediatoris. *i. e. illis miniſtris tradita atque lata. Nam & tubæ ſonus auditus, quo die lex eſt promulgata, & nebula cacumen montis cingentes, & è nube erumpentes luminis radii, & terra concuſſio, & excitati in ſublime fumi, ignesque micantes angelorum opera atque miniſterio extitere. Mediatorem autem illum Moyſen interpretor, qui ſequeſter & medius fuit inter Deum & populum. Idem docet Hebræor. 2.* Si quis per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus. *Legem veterem intelligit D. Thom. 1. 2. q. 98. art. 3.* Lex data eſt à Deo per angelos & propter rationem generalem, quam Dionyſius aſſignat *cap. 4.* cœleſtis Hierarch. quòd divina debent deferri ad homines mediantibus angelis. Specialis etiam ratio eſt, quare per angelos legem veterem dari oportuit. Lex enim vetus imperfecta erat, ſed diſponebat ad ſalutem perfectam generis humani, quæ F. L. Coq.

futura

Vide D. Thomam etiam 1. p. q. 6. art. 4. & lib. 3. contra Gentes, cap. 107. ubi citat hunc locum D. Auguſtini & probat contra Porphyrium nullos dæmones eſſe naturâ malos aut fallaces, ſed vitio propriæ voluntatis, quâ deflectunt à bono. Vide etiam Damaſcenum lib. 2. c. 4.

μ Quibusdam etiam obſervatis in cœli converſione motibus.] *Certè tales obſervationes meritò jam olim fuere decretis Eccleſiæ damnatæ, ut oſtendit Picus lib. 3. contra Aſtrologos. Pererius lib. de divinat. Aſtrolog. & perſuaſio ferè diabolica eſt ac fundamentum ferè omnium ſuperſtitionum putare à corporibus cœleſtibus, & certis obſervatis conſtellationibus deduci virtutem aliquam ad varios effectus in figuras, quæ ſint ad earum obſervationem efformatæ. Idq; reprobatum eſt Artic. Pariſ. 21. in hæc verba.* Quod imagines ex metallo, vel cera, vel alia materia ad certas conſtellationes fabricatæ, vel certo charactere, aut figura efformatæ, aut etiam baptizatæ, exorcizatæ, aut conſecratæ ſeu potius exſecratæ ſecundum prædictas artes, & ſub certis diebus, habeant virtutes mirabiles, quæ in libris hujusmodi ſuperſtitioſis recitantur, error eſt in fide, & in philoſophia naturali, & aſtronomia vera. *vide Delrio lib. 1. cap. 3. quæſt. 1. Diſput. Magicarum poſt D. Thomam 2. 2. quæſt. 96. artic. 2. & lib. 3 contra Gentes cap. 104.*

ν Quæ ſit ad beatitudinem via ex Ægyptia ſapientia.] *Ad hoc quæſitum reſpondet Iamblychus ſub finem lib. de myſteriis.*

ξ Ut ob inveniendum fugitivum, vel prædium comparandum, &c.] *Hæc ferè eadem vota aviæ aniculæ vel matres faciebant diis, uti liberi multa eaq; ampliſſima latifundia compararent, atque grandiores facti ditiſſimas & regia ſtirpe præclaras uxores ducerent. Perſ. ſat. 11.*

> Tunc manibus quatit, & ſpem macram ſupplice voto,
> Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.
> Hunc optent generum rex & regina, puellæ
> Hunc rapiant.

ο Vel quid hujusmodi.] *Quale eſt quod D. Auguſtin. ipſe ex Seneca refert, nimirum quosdam ad vadimonia ſua deos vocare conſueviſſe: eosq; cauſſam ſuam docuiſſe, & pleraq; alia quæ referuntur in illo elegantiſſimo Senecæ fragmento quod ſupra exſtat lib. 6. cap. His accedit quod Perſius refert quosdam ſolitos aſſiduè deos rogare, uti Theſaurum fortè terræ defoſſum reperirent. Sat. 11.*

> Illa ſibi introrſum & ſub lingua immurmurat,
> ---- & ô ſi
> Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
> Hercule:

Quod Libanius demonſtrat ſatis orat. quæ, Avarus ſe deferens, inſcribitur ubi ait. βλέπων τοίνυν εἰς τὸ ἄγαλμα, καὶ τοὺς ἐκ θησαυρῶν πεπλουτηκότας ἀειτιμήσας, ηὐχόμην, ἐδεόμην, ἱκέτευον τῶν ἴσων καὶ αὐτὸς τυχεῖν ἦλθον ἡγούμενος πεπεικέναι τοὺς θεούς.

CAP.

CAP. XII.

De miraculis, quæ per ſanctorum angelorum miniſterium Deus verus operatur.

PORrò autem quæcunque miracula, ſive per angelos, ſive quocunque modo ita divinitus fiunt, ut Dei unius, in quo ſolo beata vita eſt, cultum religionemque commendent, ea verè ab eis, vel per eos, qui nos ſecundum veritatem pietatemque diligunt, fieri ipſo Deo in illis operante credendum eſt. Neque enim audiendi ſunt, qui Deum inviſibilem viſibilia miracula operari negant, cùm ipſe etiam ſecundùm ipſos fecerit mundum, quem certè viſibilem negare non poſſunt. Quicquid igitur mirabile fit in hoc mundo, profectò minus eſt, quàm totus hic mundus, id eſt, cęlū, & terra, & omnia quę in eis ſunt, quæ certè Deus fecit. Sicut autē ipſe qui fecit, ita modus, quo fecit, occultus eſt, & incomprehenſibilis homini. Quanvis itaque miracula viſibiliū naturarum videndi aſſiduitate viluerint, tamen cùm ea ſapienter intuemur, inuſitatiſſimis rariſſimisque majora ſunt. Nam & omni *a* miraculo, quod fit per hominem, *a* majus miraculum eſt homo. Quapropter Deus qui fecit viſibilia cælum & terram, *β* non dedignatur facere viſibilia miracula in cælo, vel in terra, quibus ad ſe inviſibilem colendum excitet animam adhuc viſibilibus deditam: ubi verò & quando faciat, *γ* incommutabile conſilium penes ipſum eſt, *b δ* in cujus diſpoſitione jam tempora facta ſunt, quæcunque futura ſunt. Nam temporalia movens, temporaliter non movetur: nec aliter novit facienda, quàm facta: nec aliter invocantes exaudit, quam invocaturos videt. Nam & cum exaudiunt angeli ejus, ipſe in eis exaudit, tanquam in vero, non manufacto templo ſuo, ſicut in omnibus ſanctis ejus, * quæ temporaliter fiunt juſſa, æterna ejus lege conſpecta. *al. ſub.*

a MAjus miraculum eſt homo.] *Apud Mercurium verbum eſt frequenter repetitum, Magnum miraculum hominem eſſe.* L. Vives.

b In cujus diſpoſitione.] *De ſcientia Dei, inquit Paulus, omnia eſſe oculis ejus aperta, & nuda. Tempora enim omnia ſunt præſentia Deo, nihil venturum, nihil tranſactum. De rebus ergo univerſis ita ſtatuit, ac de præſentibus, ſic agit, ſic cognoſcit: neq; ille ut nos ab heſterno die tranſit in hodiernum, ab iſto in craſtinum veniet. Non recipit has anguſtias vel illa potentia, vel illa eſſentia. Præſens illi eſt tota ſua æternitas, quanto magis hæc noſtra per exigua tempora: & tamen qui mentes creavit noſtras, tempus etiam condidit noſtris captibus aptum, & qui quemadmodum nos videmus videt, non tamen ſicut nos videt, aut novit. Præſtabit in hac tanta materia philoſophari non deficiente argumento, an cum Paulo in admirationem exclamare: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!*

α OMni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum eſt homo.] *Idem lib. 50. hom. 32.* videt homo inſolita, & miratur, unde eſt ipſe homo, qui miratur? ubi erat? unde proceſſit? unde forma corporis? unde membrorum diſtinctio? unde habitus iſte Speciosus? de quibus primordiis? de quam contem- F. L. Coq.

temptibilibus? & miratur alia, cùm ſit ipſe mirator magnum miraculum. *Plato l. 1. de legibus hominem vocat divinum quoddam miraculum. Picus Mirandulanus Orat. de hominis dignitate ſcribit, Abdalam Saracenum interrogatum aliquando, quid in hac mundana ſcena admirandum maximè ſpectaretur, nihil homine mirabilius ſpectari reſpondiſſe; cui & illud Mercurii Triſmegiſti adſtipulatur*, Magnum (ô Aſclepi) miraculum eſt homo.

β Non dedignatur facere viſibilia miracula.] *Ita ſcribit epiſtol. 3. ad Voluſianum:* Quia non oportebat ut novum faceret mundum, nova fecit in mundo. *Deus enim ut cauſſa eſt naturalis, ita & ſupernaturalis, author naturæ & gratiæ. Quemadmodum itaque ex effectis naturalibus, quæ videmus, venimus in cognitionem ſapientiæ & bonitatis & providentiæ divinæ, ita miracula voces quædam ſunt, quibus Deus innoteſcit ut cauſa ſupernaturalis. Fiunt enim vel ad demonſtrandam veritatem fidei, vel certè ad alicujus ſanctitatem manifeſtandam.*

γ Incommutabile conſilium penes ipſum eſt.] *Statuit enim ab æterno quæcumque facturus eſt, & eo ordine ſuccedent; ſiquidem infallibile illius decretum, & incommutabile conſilium; De hoc conſilio ita Iſaias*, Vivo ego dicit Dominus, quia omne conſilium meum ſtabit,

δ In cujus diſpoſitione jam tempora facta ſunt.] Vocat enim ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt. *Quinque actus in Deo diſtingui poſſunt ratione. Primus eſt ſcientia ſeu cognitio rerum abſolutè. Secundus eſt rerum diſpoſitio, qui ſcil. actus eſt illa ipſa cognitio, ut reſpicit res ſecundum eum ordinem, quo fuerunt in univerſo collocandæ. Tertius eſt creatio rerum ſic inter ſe ordinatarum, qui actus eſt quaſi executio illius diſpoſitionis, & continetur actu ipſo intellectus & voluntatis. Quartus eſt providentia, quæ ſcil. eſt actus intellectus divini, ut reſpicit res ſecundùm eum ordinem, quo diriguntur in ſuos fines. Quintus eſt gubernatio rerum, quæ eſt tanquam executio quædam illius actus, in quo conſiſtit providentia, ex quibus actibus tres ab æterno Deo poſſunt tribui, ſcilicet* Scientia, diſpoſitio, & providentia. *Ab æterno enim Deus cognovit & diſpoſuit & ordinavit in ſuos fines cunctas res futuras.* Gubernatio *verò &* creatio *tribuitur Deo ex tempore.*

ε Nec aliter novit facienda quàm facta.] *Nam æternitas ejus complectitur omne tempus, ita ſcientia ejus quæ eſt æterna & æternitate menſuratur, complectitur æquè omnia tempora. Vide infra lib. 11. c. 21. lib. 11. confeſſ. c. 11. lib. 4. de Trin. c. 13. & lib. 11. c. 7 lib. de prædeſtinat. Sancto. c. 5. & lib. 2. ad Simplicianum quæſt. 2. ubi id confirmat, quod hic docet. Quia non aliter Deus intuetur futura, cum in ſuo tempore ſunt, quàm antequam ſint, quia in divina cognitione non poteſt eſſe unus atque alius modus cognitionis, ſed ſemper idem.*

Cap. XIII.

De inviſibili Deo, qui ſe viſibilem ſæpe præſtitit, non ſecundum quod eſt, ſed ſecundum quod poterant ferre cernentes.

NEc movere debet, quòd cum α ſit inviſibilis, α β ſæpe viſibiliter patribus apparuiſſe memoratur. γ Sicut enim ſonus, quo auditur ſententia in ſilentio,

lentio, intelligentiæ conſtituta, non eſt hoc quod ipſa, ita & ſpecies, qua viſus eſt Deus in natura inviſibili conſtitutus, non erat quod ipſe. Veruntamen ipſe in eadem *a* ſpecie corporali videbatur, ſicut illa ſententia in ipſo ſono vocis auditur, nec illi ignorabant inviſibilem Deum in ſpecie corporali *b* nequaquam ſe poſſe videre. Nam & loquebatur cum loquente Moyſe, & ei tamen dicebat: *c Si inveni gratiam ante te, oſtende mihi* d *temetipſum ſcienter ut videam te.* Exo. 33. Cùm igitur oporteret Dei legem in edictis angelorum terribiliter dari, non uni homini paucisve ſapientibus, ſed univerſæ genti & populo ingenti, coram eodem populo ingenti, coram eodem populo magna facta ſunt in monte, ubi lex per unum dabatur, conſpiciente multitudine metuenda ac tremenda, quæ fiebant. Non enim populus Iſrael ſic *n* Moyſi credidit, quemadmodum ſuo Lycurgo Lacedæmonii, quod à Jove ſeu Apolline leges quas condidit, accepiſſet. Cùm enim lex dabatur populo, qua coli unus jubebatur Deus, in conſpectu ipſius populi, quantum ſufficere divina providentia indicabat, mirabilibus rerum ſignis ac motibus apparebat, ad eandem legem dandam creatori ſervire creaturam.

a SÆpe viſibiliter patribus.] *Ioannes in Evangelio Deum à nemine unquam viſum ſcribit. Idem Apoſtolus Paulus confirmat, ſed Jacob ſe vidiſſe dominum facie ad faciem aſſeverat: & de Moſe ſcriptum eſt Exodi 33. quod loquebatur cum domino facie ad faciem, ſicut amicus cum amico ſuo ſolet loqui: quod & multa alia ſacrorum librorum loca videnter teſtari. Verùm naturam Dei eſſe homini viventi inviſibilem ita conſtat, ut fuerint plerique, qui ne angelos quidem & archangelos, eam cernere exiſtimarint, & prodiderint, ut docent Chryſoſtomus, & Gregorius. Viderunt igitur ſancti patres angelos tanta majeſtate formæ, ut facilè divinam eſſe intuentibus perſuaderetur: nam angelos patribus locutos, & per illos datum eſſe legem, Paulus eſt autor ad Hebræos. Si enim ſermo qui per angelos dictus eſt, factus eſt firmus, &c. Et Actuum ſeptimo, ait Stephanus, Iudæos legem accepiſſe per diſpoſitionem angelorum. Et ſpecies illa Dei non erat, qui ſpeciem nullam habet, quod Chryſoſtomus intelligi vult, cùm dominus Iudæis negat eos vel ſpeciem Dei vidiſſe, vel audiviſſe vocem, qui ſpeciem ſe putabant vidiſſe Dei, ut Exod. 19. ſcribitur: ſed viſibilis illa erat, & ſub ſenſus cadebat ſpecies juſſu Dei ab angelo confecta, tam ſuperans ſolitas à nobis ſpectari, ut divina crederetur; & erat ad divinitatem cernendam gradus.* L. Vives. Deus an viſus à patribus

b Nequaquam ſe.] *Alibi, in ſpecie corporali quod ipſe non erat ſe videre.*

c Si inveni gratiam ante te.] *Greg. lib. 7. Moralium in Iob: Sed patenter, inquit, datur intelligi, quòd quandiu hic mortaliter vivitur, videri per quaſdam imagines poteſt Deus, ſed per ipſam naturæ ſuæ ſpeciem non poteſt: ut anima gratia ſpiritus afflata per figuras quaſdam Deum videat, ſed ad ipſam vim ejus eſſentiæ non pertingat. Hinc eſt enim quod Iacob, qui Deum ſe vidiſſe teſtatur, non niſi angelum vidit. Hinc eſt quod Moſes, qui cum Deo facie ad faciem loquitur, dicit: Oſtende mihi temetipſum manifeſtè, ut videam te. Ex qua ejus petitione colligitur, quod eum ſitiebat per incircumſcriptæ naturæ ſuæ claritatem cernere,*

quem jam experat per quaſdam imagines videre, tantum ille. Angelus verò domini legatus verbis ejus à quo mittebatur, Moyſi talia multum omnti reſpondet: Non poteris videre faciem meam: non videbit me homo, & vivet. Ac paulùm poſt: Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Itaq; veſtigia à Deo relicta in creaturis licet videre, & ex eis invisibilia Dei cognoſcere: ut ille ſit eo amicior Deo, cui majora & præſtantiora intueri detur. Facies autem ipſa domini amplior, & celſior eſt, quàm vel in anguſtias noſtras poſſit intrare, vel in tantam humilitatem ſe demittere. Multo eſt aliud de colloquio Dei: nec puto eſſe impium aut abſurdum exiſtimare & olim cum patribus, & poſt Chriſtum natum cum multis ſanctorum locutum eſſe Deum ipſum dominum & autorem cæli ac terræ: nihil enim in hoc affirmatur incongruum immenſæ majeſtati, & eſt congruum infinitæ bonitati. Facies verò ita potuit videri, ut Auguſtinus exponit.

d Temetipſum ſcienter.] *Ex Lxx.* γνωςῶς ἰδωσε.

e Suo Lycurgo Lacedæmonii.] *Lycurgus Eunomi Spartiatarum regis & Dionaſſæ filius, Polybitæ, ſeu ut eſt apud Plutarchum, Polydectæ regis frater fuit, quo mortuo regnavit, quoad compertum eſt fratris conjugem uterum ferre. Tunc enim regno ceſſit infanti nondum nato ſi mas foret, quo in lucem edito prodicum ejus, hoc eſt, tutorem egit. Legesq; Lacedæmoniis tulit, ſanè quàm ſeveras & duras: eamq; ob cauſam Delphicum Apollinem autorem earum finxit. De Iove ſunt etiam qui putent: propterea quòd Lycurgus ſuſpiciones omnes & jurgia devitans è patria diſceſſiſſet in Cretam, ubi aliquandiu egit vitam, conſuluiſſeq; putatur de legibus Iovem, in ea natum inſula, ubi & interiiſſe Lycurgum ſcribit Iuſtinus, tametſi nec de origine, nec de peregrinatione, nec de ratione legum ferendarum, nec de morte ſatis inter rerum ſcriptores conveniat, ut Plutarchus inquit. De tempore quoq; ambigitur, & fueritne unicus Lycurgus, Timæus enim duos ponit. & quidem apud Lacedæmonios: nam de Thrace conſtat ac utriuſq; res geſtas in alterum congeri, antiquioremq; vel vixiſſe cum Homero, vel non longè fuiſſe poſt ejus tempora. De legibus atq; inſtitutis Lycurgi nihil dicam, quoniam & hoc loco videtur alienum, & apud Xenophontem & Plutarchum ſunt quàm plurima, qui libri ſunt ferè in manibus.*

P.L.Cap. *a* Quod cum ſit inviſibilis.] *Unum ex Dei epithetis, Joann. 1.* Deum nemo vidit unquam. *1. Tim. 1.* Regi ſæculorum immortali & inviſibili. *1. Timot. 6.* Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt: *Quibus tamen nullatenus confirmatur eorum hæreticorum ſententia, qui negant Deum per eſſentiam videri poſſe, aut unquam viſum iri ab intellectu creato, quæ fuit hæreſis impii Almarici, teſte Turrecremata lib. 4. de Eccleſia, p. 2. c. 35. & Petri Abailardi, referente Bernardo de Luxemburgo in Catalogo hæreticorum & Armeniorum, & Alphonſo à Caſtro verbo beatitudo, hæreſ. 1. Dicitur enim* inviſibilis *in hac vita juxta legem Dei ordinariam. Ita docet D. Greg. lib. 18. moral. cap. 28. Secundò* viſione comprehenſiva, *ſic explicat D. Gregor. loco citato, & D. Thomas 1. par. qu. 12. art. 1. ad 13. ſolis viribus naturæ, ſi enim conſideremus ipſam eſſentiæ divinæ ſublimitatem, & ex altera parte naturam intellectus creati, certum eſt Deum eſſe inviſibilem, atq;*

ita

ita intelligendi ſunt patres, quoties Deum videntur dicere à nulla creatura nec ab Angelis quidem videri poſſe, ut D. Chryſoſtom. hom. 14. in Joann. & Hom. 3. de incomprehenſibili Dei natura, Theodoretus in Dialogo qui dicitur immutabilis, Epiphanius hæreſ. 70. D. Hieronym. apud D. Auguſtinum epiſtol. 111. D. Ambroſius in c. 1. Lucæ. Theophylactus in c. 1 Joannis. Dicitur propterea lucem habitare inacceſſibilem, & ponere tenebras latibulum ſuum, & nubes & caliginem eſſe in circuitu ejus. Eleganter D. Auguſtin. lib. 1. de Trinit. cap. 6. eos, qui jam trinitatem vident, non homines, ſed ultra homines eſſe dixit. Poſtremò de viſione corporali, *qua per nullam potentiam Deus videri poteſt, accipi poſſunt ea ſcripturæ loca.*

β Sæpè viſibiliter patribus apparuiſſe.] *Ita Jacob. Geneſ. 32.* vidi Dominum facie ad faciem, *Moſi ſæpius dicitur apparuiſſe, Exod. 33. Num. 12. Iſa. 6.* vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium, *& 3. Reg. 12.* vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum. *Ezech. cap. 1. & 10. Dan. cap. 7.*

γ Sicut enim ſonus quo auditur ſententia.] *Exemplo valdè accommodato explicat, qua ratione Deus inviſibilis in ſcripturis dicitur videri vel viſus eſſe patribus. Sonus enim vel vox ipſa, quæ ſignificat mentis conceptionem, percipitur quidem ſenſu, & per eam innoteſcit id quod eſt in ſecreto noſtræ mentis, vel verbum mentale, non tamen eſt ipſa vox vel ipſe ſonus, ita ſi quam ſpeciem vel figuram Deus formavit in qua Patribus appareret, non ipſe quidem viſus eſt, nec eſt ipſa ſpecies vel figura, quemadmodum quando Angelus dicitur videri in corpore aſſumpto, non ipſa natura Angeli videtur, ita explicat D. Thomas 1. p. q. 12. art. 11 ad 17.* Dicendum (*inquit*) quod ſecundùm Dionyſium cap. 4. cœleſt. hierarch. ſic in ſcripturis dicitur aliquis Deum vidiſſe inquantum formatæ ſunt aliquæ figuræ vel ſenſibiles, vel imaginariæ ſecundum aliquam ſimilitudinem aliquod divinum repræſentantes. Quod ergo dicit Jacob, vidi Deum facie ad faciem, referendum eſt non ad ipſam divinam eſſentiam, ſed ad figuram in qua repræſentabatur Deus. *Et D. Auguſt. quæſt. 101. ſuper Exodum.* Quod ſe oſtendit (*inquit*) Deus ſpecie corporali vel ſignis corporaliter expreſſis, non ſubſtantia ejus apparet, qua eſt ipſe quod eſt, ſed aſſumptio formarum viſibilium ejus omnipotentiæ ſubjacet.

δ In ſpecie corporali, quod ipſe non erat.] *Deuteron. 4.* vocem verborum ejus audiſtis & formam penitus non vidiſtis.

ε Et tamen ei dicebat, ſi merui gratiam.] *D. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 28.* Quandiu mortaliter hic vivitur, videri per quaſdam imagines Deus poteſt, ſed per ipſam naturæ ſuæ ſpeciem videri non poteſt, ut anima gratia Spiritus afflata per figuras quaſdam Deum videat, ſed ad ipſam vim ejus eſſentiæ non pertingat. Hinc enim eſt quod Jacob, qui Deum ſe vidiſſe teſtatur, hunc non niſi in Angelo vidit. Hinc eſt, quod Moyſes qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, ſicut ſolet loqui homo cum amico ſuo, ei inter cætera verba locutionis ſuæ dicit: Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi temetipſum manifeſtè ut videam te. Certè enim ſi Deus non erat, cum quo loquebatur, Oſtende mihi Deum diceret, & non: Oſtende mihi temetipſum. Si autem

Digitized by Google

Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur petebat Deum videre quem videbat? Sed ex hac ejus petitione colligitur, quia eum ſitiebat per incircumſcriptæ naturæ ſuæ veritatem cernere, quem jam cœperat per quaſdam imagines videre: ut ſic ſuperna eſſentia mentis ejus oculis adeſſet, quatenus ei ad æternitatis viſionem nulla imago creata temporaliter intuliſſet. *D. Auguſtinus item quæſt. 151. in Exod. ad ea verba Moſis,* Si merui gratiam, *&c.* His verbis *(inquit)* ſatis oſtendit Moſes, quod non ita videbat Deum in illa tanta familiaritate conſpectus, ut deſiderabat videre, quoniam omnes illæ viſiones Dei quæcumque mortalium præbebantur aſpectibus, & ex quibus fiebat ſonus, quo mortalis attingeretur auditus, ſic exhibebantur, aſſumpta ſicut Deus volebat ſpecie, qua volebat, ut non eis ipſa ullo ſenſu corporis ſentiretur divina natura, quæ inviſibilis ubique tota eſt, & nullo continetur loco. *Epiſt. 112. cap. 8.* Deſiderium veraciter piorum, quo videre Deum cupiunt, & inhianter ardeſcunt, non opinor in eam ſpeciem contuendam flagrat: qua ut vult apparet, quia ipſe non eſt, ſed in eam ſubſtantiam, qua ipſe eſt, quod eſt. Hujus enim deſiderii ſui flammam ſanctus Moyſes fidelis famulus ejus oſtendit, ubi ait Deo cum quo ut amicus facie ad faciem loquebatur: Si inveni gratiam ante te, oſtende mihi temetipſum. Quid ergo? ille non erat ipſe? ſi non eſſet ipſe, non ei diceret, Oſtende mihi temetipſum, ſed oſtende mihi Deum, & tamen ſi ejus naturam ſubſtantiamque conſpiceret, multo minus diceret, Oſtende mihi temetipſum. Ipſe ergo erat in ea ſpecie, qua apparere voluerat, non autem ipſe apparebat in natura propria, quam Moyſes videre cupiebat.

ζ Scienter ut videam te.] *Alii legunt* manifeſtè. *vulgata editio habet,* ut ſciam te. *D. Auguſtin. quæſt. 151. in Exodum quod habet Græcus* γνωςῶς *hoc quidam Latini interpretati ſunt* manifeſtè, *cum ſcriptum non dixit* Φανερῶς. *Potuit ergo fortaſſe potius dici,* ſi inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi temetipſum, ut ſcienter videam te.

η Sic Moſi credidit quemadmodum ſuo Lycurgo Lacædemonii.] *Quanto præſtent Moſis leges legibus Lycurgi, vide Joſephum lib. 2. contra Appionem, quem citat Euſeb. lib. 8. de præpar. Evang. cap. 2. Lycurgus conſilio Apollinis Lacedæmoniorum civitati leges compoſitas ferre ſe perſuaſit. Valer. lib. 1. c. 4. Herodotus lib. 1. Plutarchus in Lycurgo.*

Cap. XIV.

De uno Deo colendo, non ſolum propter æterna, ſed etiam propter temporalia beneficia, quæ univerſa in ipſius providentiæ poteſtate conſiſtunt.

SIcut α autem unius hominis, ita humani generis, quod ad Dei populum pertinet, recta eruditio, per quoſdam articulos temporum tanquam ætatum profecit acceſſibus, β ut à temporalibus ad æterna capienda, & à viſibilibus ad inviſibilia ſurgeretur, ita ſanè ut etiam illo tempore quo viſibilia promittebantur divinitus præmia, unus tantum colendus commendaretur Deus,

ne mens humana vel pro ipſis terrenis vitę tranſitoriæ beneficiis, cuiquam niſi vero animæ creatori ac domino ſubderetur. Omnia quippe quæ præſtare hominibus, vel angeli, vel homines poſſunt, in unius eſſe omnipotentis poteſtate, quiſquis diffitetur, inſanit. *a γ* De providentia certè Plotinus Platonicus diſputat, eamque à ſummo Deo, cujus eſt intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, *b* à uſque ad hæc terrena & ima pertingere *c* floſculorum atque foliorum pulchritudine comprobat, quæ omnia quaſi abjecta & velociſſimè pereuntia decentiſſimos formarum ſuarum numeros habere non poſſe confirmat, niſi inde formentur, ubi forma intelligibilis, & incommutabilis ſimul habens omnia perſeverat. Hoc dominus Jeſus ibi oſtendit, ubi ait: *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Dico autem, d quia nec Salomon in omni gloria ſua ſic amictus eſt, ſicut unum ex his. Quòd ſi fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, ſic Deus veſtit, quantò magis vos modicæ fidei?* Optimè igitur anima humana adhuc terrenis deſideriis infirma, ea ipſa quæ temporaliter exoptat bona infima atque terrena vitæ huic tranſitoriæ neceſſaria, & præ illius vitæ ſempiternis beneficiis contemnenda, non tamen niſi ab uno Deo expectare conſuevit, ut ab illius cultu etiam in iſtorum deſiderio non recedat, ad quem contemptu eorum, & ab eis averſione perveniat. Mat. 6.

a De providentia certè Plotinus.] *Libri ſunt De providentia Plotini quatuor, in quis oſtendit maxima & minima à Deo principe naturæ adminiſtrari tum etiam ab illo mundo intelligibili, qui eſt apud Deum: hunc ſenſibilem eſſe procreatum, ſed ab origine ſua degenerantem magis, quo inferius deſcendit, eſſeque ab uno generatum non verè unum, à ſimplici multiplicem, & diſperſum.* L. Vives.

b Uſque ad hæc terrena.] *Nam non defuerunt, qui è cælis non deſcendere Dei providentiam exiſtimarent, quam opinionem video à quibuſdam Ariſtoteli attribui: de qua re quid ſentiam aliàs aperiam. Alij ſi quid in terris curant dij, non niſi maxima putent. Quemadmodum maximi reges non ad quævis ſe demittunt. Unde ſunt illi verſus apud Lucanum Cæſaris ad milites tumultuantes:*

Nunquam ſe cura deorum
Sic premit, ut veſtra vitæ veſtraque ſaluti
Fata vacent, procerum motus hæc cuncta ſequuntur.
Humanum paucis vivit genus.

c Floſculorum atque foliorum.] *Quorum unumquodque tantum eſt forma, tam decenter aptum & coagmentatum, ita erumpit, ita adoleſcit, ita vivit, ut ab alio artifice fieri non poſſe, quàm à divino res ipſa clamet, Proclus. Primum per omnia deſuper providentiam ad ultimum uſque procedere, ac ne minimum quidem ſui expers alicubi prætermittere. Sed cùm habeamus ſententiam principis diſciplinæ Platonis, indigere non videmur ſectatorum dictis. Is ergo in Epinomide illud tenendum eſſe ante alia dicit, providentiam divinam, & maxima quæque & minima curare, qua de re ipſe diſputaverat in l. De legibus 10. copioſius. Ejus diſputationis ſumma hæc eſt, Cùm dij ſint, non convenit eos eſſe ocioſos, curant ergo res huma-*

nas: cumq; omniſcij ſint, etiam minima vident, & norunt: procul autem ab eis abeſt, & deſidia, & inertia, & ignavia, nec imbecilliores ſunt in parvis, nec putant indignum ſua majeſtate illa curare: nam ea ceu gradus ſunt ad maxima. Curant igitur univerſa, & parva, & magna.

d Quia nec Salomon.] *Hieronymus hoc loco: Revera, inquit, quod ſericum, qua regum purpura, quæ pictura textricum, poteſt floribus comparari? quid ita candet, ut lilium? Viola verò purpuram nullo ſeparari murice oculorum magis, quàm ſermonis judicium eſt. Sic Hieronymus. Et profectò imitatrix natura ars nunquam illius perfectionem conſequitur, tametſi æſtimationibus noſtris pretium vincat, quia aliquo uſq; æmulando progreſſa multum putatur effeciſſe.*

J.L.Coq. α SIcut autem unius hominis, ita humani generis.] *Ita ſæpè D. Auguſtin. confert humanum genus cum uno homine quoad inſtitutionem divinorum & illuminationem, ut quemadmodum quilibet paulatim proficit, in totum humanum genus primò quidem pauciora novit, deinde tandem ſucceſſu temporis crevit in cognitione divinorum. Certum eſt enim, in lege naturæ non fuiſſe tantam cognitionem myſteriorum fidei, quanta fuit in lege ſcripta, quod ſignificat Dominus Exod. 6.* Nomen meum Adonai non indicavi eis. *His enim verbis vult ſe non revelaſſe antea ſecretiora ſua myſteria; & certum eſt, in lege Evangelica nos plura edoctos de Dei myſteriis quam ſuperiora ſæcula, unde Apoſtolus ad Galatas 3. comparat ſtatum veteris teſtamenti pædagogo, ut cognoſcamus Iudæos in lege veteri fuiſſe tanquam pueros, nunc verò in lege nova fideles eſſe tanquam viros, ut non amplius egeant pædagogo, & Hebr. 10. legem veterem comparavit umbræ, novam imagini, ut intelligamus tantum inter utramq; intereſſe, quantum inter umbram & imaginem, quod clarius docet & confirmat ad Epheſ. 3.* In aliis generationibus non eſt agnitum myſterium Chriſti, ſicut nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus & Prophetis: *D. Gregor. hom. 6. in Ezechiel,* Secundum incrementa temporum (*inquit*) crevit ſcientia ſanctorum Patrum, & quanto viciniores adventui ſalvatoris fuerint, tanto plenius ſcientiam ſalutis perceperunt. *Cantic. 6. etiam comparatur Eccleſia auroræ conſurgenti, quæ paulatim lumine creſcit.*

β Ut à temporalibus ad æterna capienda.] *Etſi enim lex vetus proponeret bona temporalia & viſibilia prout ſcribit lib. 4. contra Fauſtum cap. 2.* Quod temporalium rerum promiſſiones in teſtamento veteri continentur, & ideò vetus appellatur, in his tamen mentem eſſe defixam nolebat, & proponebantur tanquam ſignificativa futurorum bonorum, quæ ſpirituales homines appetunt.

γ De providentia certè Plotinus Platonicus.] *Duobus libris nimirum 2. & 3. Plotinus agit de providentia, in quibus nihil fortuitum eſſe diſſerit, ſed omnia ratione gubernari & providentia & conſentaneam habet doctrinam maximè ſcripturæ ſacræ & doctrinæ Theologorum.*

ζ Uſque ad hæc terrena & ima pertingere floſculorum atque foliorum.] *Verba ſunt Plotini lib. 2. Ennead. 3. qui eſt primus de providentia.* Τεκμαίρεσθαι δεῖ τοιαύτην τινὰ εἶναι τὴν τάξιν ἀεὶ τῶν ὅλων ἐκ τῶν ὁρωμένων ἐν τῷ παντί, ὡς εἰς ἅπαντα χωρεῖ καὶ ὅτι μικρότατον, καὶ ἡ τέχνη θαυμαστή, οὐ μόνον ἐν τοῖς θείοις, ἀλλὰ καὶ ἂν αὐ-

τις

τις ἐπιχειρήσοι καταφρονῆσαι τῶν μικρῶν τὴν περίνοιαν; εἶτα καὶ ἐν τοῖς τυχοῦσι ζώοις ἡ ποικίλη θαυματουργία, καὶ τὸ μέχρι τῶν ἐμφύτων, καρποῖς καὶ ἐπὶ φύλλοις τὸ εὐειδές, καὶ τὸ ἔαρι εὐανθὲς καὶ ῥᾳδινὸν καὶ ποικίλον. καὶ ὅτι οὐ πεποίηται ἅπαξ καὶ ἐπαύσατο, ἀλλ' ἀεὶ ποιεῖται τῶν ὑπεράνω φερομένων κατὰ ταὐτὰ οὐχ ὡσαύτως.

CAP. XV.

De miniſterio ſanctorum angelorum, quo providentiæ Dei ſerviunt.

SIc itaque divinæ providentiæ placuit ordinare temporum curſum, ut quemadmodum dixi, & in Actibus Apoſtolorum legitur, *a* α lex in edictis angelorum daretur de unius veri Dei cultu: in β quibus & perſona ipſius Dei, non quidem per ſuam ſubſtantiam, quæ ſemper corruptibilibus oculis inviſibilis permanet: ſed certis indiciis per ſubjectam creatori creaturam, viſibiliter appareret, & ſyllabatim per tranſitorias temporum morulas, humanæ linguæ vocibus loqueretur, qui in ſua natura, non corporaliter, ſed ſpiritaliter: non ſenſibiliter, ſed intelligibiliter: non temporaliter, ſed, ut ita dicam, æternaliter: γ nec incipit loqui, nec deſinit: quod apud illum ſyncerius audiunt, non corporis aure, ſed mentis miniſtri ejus, & nuncij, qui ejus veritate incommutabili perfruuntur immortaliter beati: & quod faciendum modis ineffabilibus audiunt, & uſque in iſta viſibilia atque ſenſibilia perducendum incunctanter atque difficulter efficiunt. Hæc autem lex cum diſtributione temporum data eſt, δ quæ prius haberent, ut dictum eſt, promiſſa terrena, ε quibus certè ſignificarentur æterna, quæ viſibilibus ſacramentis celebrarent multi, intelligerent pauci. Unius * tamen Dei cultus apertiſſima illic & vocum & rerum omnium conteſtatione præcipitur, non ζ unius de turba, ſed ejus, qui fecit cœlum & terram, & omnem animam, & omnem ſpiritum, qui non eſt, quod ipſa. Ille enim fecit, hæc facta ſunt, atque η ut ſint & bene ſe habeant, ejus indigent, à quo facta ſunt.

Act. 7. — *al. Unus*

a LEx in edictis angelorum.] *Vulgo legimus: In diſpoſitionem: miniſtri enim fuerunt ſancti angeli illorum mirabilium. De hoc alibi.* L.Vives.

α LEx in edictis angelorum.] *Vulgata editio habet* in diſpoſitione angelorum, ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς τῶν ἀγγέλων. *In concione D. Stephani ad Iudæos. Idem teſtatur D. Paulus ad Gal. 3.* Lex (*inquit*) ordinata eſt per angelos in manu mediatoris. *i. e. illis miniſtris tradita atque lata. Nam & tubæ ſonus auditus, quo die lex eſt promulgata, & nebula cacumen montis cingentes, & è nube erumpentes luminis radii, & terræ concuſſio, & excitati in ſublime fumi, ignesque micantes angelorum opera atque miniſterio extitere. Mediatorem autem illum Moyſen interpretor, qui ſequeſter & medius fuit inter Deum & populum. Idem docet Hebræor. 2.* Si quis per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus. *Legem veterem intelligit D. Thom. 1. 2. q. 98. art. 3.* Lex data eſt à Deo per angelos & propter rationem generalem, quam Dionyſius aſſignat *cap. 4.* cœleſtis Hierarch. quòd divina debent deferri ad homines mediantibus angelis. Specialis etiam ratio eſt, quare per angelos legem veterem dari oportuit. Lex enim vetus imperfecta erat, ſed diſponebat ad ſalutem perfectam generis humani, quæ F.L.Coq.

futura

Digitized by Google

ſutura erat per Chriſtum. Cùm autem videatur in omnibus poteſtatibus & actibus ordinatis; quia ille qui eſt ſuperior, principalem & perfectum actum operatur per ſeipſum: ea verò, quæ diſponunt ad perfectionem ultimam operatur per ſuos miniſtros, ſicut navifactor compingit navem per ſeipſum, ſed præparat materiam per artifices ſubminiſtrantes; & ideò conveniens fuit, ut lex perfecta novi teſtamenti daretur immediate per Deum ipſum hominem factum, lex autem vetus per miniſtros Dei. *i. e.* per angelos daretur hominibus; qua ratione Apoſtol. Hebr. 1. probat eminentiam novæ legis ſupra veterem, quia in novo teſtamento nobis Deus locutus eſt in filio ſuo, in veteri teſtamento ſermo factus eſt per Angelos.

β In quibus & perſona ipſius Dei non quidem per ſuam ſubſtantiam.] *Unde conſtat Deum per ſe immediate non eſſe locutum Moyſi aut Patribus, ſed per interpoſitam perſonam nempè per Angelum, & omnes illæ locutiones, quæ in veteri teſtamento Deo tribuuntur, Angelorum miniſterio & opera ſunt perfectæ. Verùm objicies: Quid cauſa eſt igitur cur Angelus non dixerit,* Hæc dicit Dominus, Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos. *Cur igitur Angelus,* Ego, *inquit,* ſum Dominus Deus tuus. *Nec enim Prophetæ ſic locuti ſunt, qui tamen fuere etiam nuntii & miniſtri Dei. Reſponderi poteſt, non eandem rationem eſſe Angelorum atque Prophetarum. Nec enim dij perſonam ſuſtinebant Prophetæ, ut Angeli, Dei tantùm nuntii fuerunt, quæ à Deo ipſis ut hominibus referrent revelata atque mandata fuerunt, hæc ipſi bona fide revelarunt; ſic itaque debere loqui:* Hæc dicit Dominus, *non, Ego ſum Dominus: quod optimè dicere potuerunt Angeli, qui Dei perſonam apud homines ſuſtinebant. Id factum eſt etiam, ut majorem authoritatem haberent quæ dicebantur. D. Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. ult. Cur ſcriptum ſit.* Dixit Dominus ad Moyſen, *& non,* dixit Angelus ad Moyſen, *reſpondet,* quia cum verba Judicis præco pronuntiat, non ſcribitur in geſtis, ille Præco dixit, ſed ille Judex: Sic etiam loquente ſancto Propheta & ſi dicamus Propheta dixit, nihil aliud quam Dominum dixiſſe intelligi volumus. *Idem contra Adamantum docet utrumq; optimè dici* Deus dixit, *&* Angelus dixit: *cùm illud dicatur ex perſona inhabitantis Dei, hoc ex perſona ſervientis creaturæ.*

γ Nec incipit loqui nec deſinit.] *Locutio enim illius æternitate menſuratur, per quam verbum ab æterno producitur.* Semel locutus eſt Deus. *D. Auguſtinus in Pſalm. 61.* Apud ſe ſemel locutus eſt, quia unum verbum genuit Deus, *& in Pſal. 148.* Semel Deus locutus eſt, toties locutus eſt per Prophetas, toties per Apoſtolos, hodièque loquitur per ſanctos ſuos, & ait ſemel locutus eſt Deus. Unde ſemel locutus eſt, niſi per verbum ſuum? & unde Deus profert verbum, niſi ex corde ſuo, ex intimo ſuo? Tu non dicis, niſi quod ex corde tuo profers, verbum tuum, quod ſonat & tranſit aliunde non profertur, & miraris, quia ita dicit Deus? ſed dicere Dei æternum eſt. Tu dicis aliquid modo, quia tacebat paulò ante, vel ecce nunc nondum verbum profers. Cùm autem proferre cœperis, rumpis ſilentium quodammodo & generas verbum, quod antea non erat, non ſic Deus genuit verbum. Dicere Dei ſine initio eſt, & ſine fine,

& ta-

& tamen unum verbum dicit. Dicat alterum ſi quod dixit, tranſierit, cùm verò & à quo dicitur manet, & quod dicitur manet, & ſemel dicitur, & non finitur, & ipſum ſemel ſine initio dicitur, nec bis dicitur, quia non tranſit, quod ſemel dicitur. *& in Pſal. 136. de locutione Dei cum Moſe adeò ſublimiter prout ingenium eſt Auguſtin., loquitur.* Moyſes ſanctus Dei erat famulus, cum quo loquebatur Deus per nubem, quia temporaliter loquens utique per aſſumptam creaturam loquebatur ſervo ſuo, non per ſubſtantiam ſuam, ſed per aſſumptionem alicujus corporalis creaturæ, per quam voces illæ fierent, & humanis atque mortalibus auribus perſonarent. Sic enim tunc loquebatur Deus, non quomodo loquitur in ſubſtantia ſua. Quomodo enim loquitur in ſubſtantia ſua? locutio Dei verbum Dei eſt, verbum Dei Chriſtus eſt: verbum illud non ſonat & tranſit, ſed ſemper incommutabiliter manet verbum per quod facta ſunt omnia. *Paulò poſt:* Locutio illa, quæ fiebat ad Moyſen, ad hominem fiebat per ſyllabas, per tranſeuntes ſonos. Non autem fierent iſta, niſi Deus aſſumeret talem creaturam, per quam* hujusmodi ſermonem & voces emitteret.

ð Quæ priùs haberet promiſſa terrena.] *Qua ratione conveniens eſſet legem veterem homines inducere ad obſervationem præceptorum Dei per promiſſiones temporales, docet egregiè D. Thomas 12. qu. 99. art. 6. Sicut enim ſcientiis ſpeculativis inducuntur homines ad aſſentiendum concluſionibus per media ſyllogiſtica, ſic etiam in quibuslibet legibus homines inducuntur ad obſervationem præceptorum propoſitis præmiis vel pœnis, at in ſcientiis ſpeculativis media proponuntur auditori conſiderata illius conditione: unde ſicut in ſcientiis ordinatè procedendum eſt, ut à notioribus diſciplina incipiat, ſic oportet eum, qui velit hominem inducere ad obſervantiam præceptorum, ut ex illis eum movere incipiat, quæ ſunt in illius affectu. Lex autem vetus erat imperfecta & dabatur populo adhuc imperfecto. Imperfectorum autem eſt, quod temporalia bona deſiderent, in ordine tamen ad Deum. Unde legi veteri conveniebat, ut per temporalia, quæ erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret homines in Deum. D. Auguſtin. in Pſal. 73.* Promiſſa eſt terra Chanaan, terra copioſa, fructuoſa, affluens lacte & melle, promiſſum regnum temporale, promiſſa fœlicitas ſæculi, promiſſa fœcunditas filiorum, promiſſa ſubjectio inimicorum, hæc omnia ad terrenam fœlicitatem pertinebant. Sed quare ipſa primo promitti oportebat. Quia non primo, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, poſtea *(inquit)* ſpirituale. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo, cœleſtis: qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem ejus, qui de cœlo eſt. Ad imaginem terreni pertinet illud vetus teſtamentum, ad imaginem cœleſtis novum teſtamentum. *Hominibus terrenis proponenda erant bona terrena, ſicut in novo teſtamento populo perfecto & ſpirituali bona ſpiritualia: Nec tamen inde colligas, non fuiſſe in vetere teſtamento promiſſionem vitæ æternæ, & bonorum ſpiritualium, cum Abrahamo ante legem dictum ſit à Deo, Gen. 12.* Ego ero merces tua magna nimis: *& Moſi ipſi. Exod. 33.*

 Oſten-

Oſtendam tibi omne bonum, *ſine dubio meipſum. Deinde in veteri teſtamento promittitur Chriſtus,* in quo benedicerentur omnes gentes, *ſine dubio; ut loquitur Apoſtolus,* omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus. *Iſaiæ 64.* Oculus non vidit, Deus, *&c.* quæ præparaſti diligentibus te, *ſine dubio bona ſpiritualia. Et quod D. Paulus ſcribit Hebr. 11. Moyſen contemnendo regnum & theſauros Ægyptiorum aſpexiſſe in remunerationem ſine dubio gloriæ cœleſtis, non bonorum temporalium. Et quod David dicit, ſe inclinaſſe cor ſuum ad faciendas Dei juſtificationes propter retributionem certiſſimam ſpiritualem & bonorum ſpiritualium, non terrenorum, quibus abundabat, vel quæ non tanti faciebat. Quòd veteres illi patres mentem potius intenderint in bona æterna, quàm in temporalia, apertè docet D. Paulus Hebr. 11.* Expectabant fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus, *& paulo poſt:* Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti non acceptis promiſſionibus, ſed à longe eas ſalutantes, *certè promiſſiones ſpirituales & ſpiritualium bonorum, quas non niſi per Chriſtum venturum liceret conſequi, intelligit.* Ex metaphora navigantium, *(ait D. Chryſoſtomus)* hoc Paulus dixit, qui procul proſpiciunt civitates deſideratas, quas antequam ingrediantur, ſalutatione præveniunt, videbant has promiſſiones ante mortem Chriſti non eſſe adimplendas: atque ita fide eas aſpiciebant, & venerabantur & ſalutabant. *Verùm ut notat Medina ad locum D. Thomæ citatum, aliud eſt dicere, vitam æternam & bona ſpiritualia eſſe promiſſa obſervatoribus legis Moſaicæ propter ejus obſervationem; & aliud eſt dicere, viventibus in lege Moſaica ex ſpiritu Dei & amore in Chriſtum eſſe promiſſam vitam æternam. Primum improbat Apoſtolus paſſim, potiſſimum in epiſtolis ad Romanos & ad Galatas, quibus docet, neminem ex operibus legis potuiſſe juſtificari, ſed tantum per fidem in Chriſtum. Secundum autem fide certum eſt & conſtat ex ſcriptura.*

s Quibus certè ſignificarentur æterna.] *Ita docet lib. 4. contra Fauſtum, cap. 2.* Temporaliter rerum promiſſiones, *inquit,* teſtamento veteri continentur, & ideò vetus teſtamentum dicitur, & quod æternæ vitæ promiſſio regnumque cœlorum ad novum pertinet teſtamentum: ſed illis temporalibus figuras fuiſſe futurorum, quæ implerentur in nobis, in quos ſæculorum finis obvenit, non ſuſpicio eſt mea, ſed Apoſtolicus intellectus eſt, dicente Paulo, cum de talibus loqueretur: Hæc omnia figura noſtri fuerunt. Et iterum, hæc omnia in figura contingebant illis, *&c.* Non ergo vetus teſtamentum ad conſequendas illas promiſſiones, ſed ad intelligendas in eis novi teſtamenti prænunciationes accepimus, veteris quippe teſtificatio fidem novo conciliat. *Docet ibidem, ſanctos veteris teſtamenti Patres non habuiſſe mentem defixam in hujuſmodi promiſſis temporalibus, ſed intellexiſſe, quod eis ſignificaretur & promitteretur.* Non itaque ſpes noſtra *(ait)* in temporalium rerum promiſſione defixa eſt, quandoquidem nec ipſos illius temporis ſanctos & ſpirituales viros Patriarchas & Prophetas his terrenis rebus deditos fuiſſe credimus. Intelligebant enim revelante ſibi Spiritu Dei, quid illi tempori congrueret, & quibus modis Deus per illas omnes res geſtas & dictas futura præfiguranda & prænuntianda decer-

decerneret, magisque deſiderium eorum de novo teſtamento erat. Et quemadmodum tempore novi teſtamenti hi ad vetus pertinent, qui potiſſimum inhiant caducis & terrenis bonis, contemnentes ſpiritualia & æterna; ita in veteri teſtamento, qui potiſſimum tenebantur deſiderio futurorum & æternorum, pertinebant ad novum teſtamentum, & ſiquidem non modo viſibilibus ſacramentis promiſſa illa celebrabant, *ut loquitur hic D. Auguſtinus*, verùm etiam quid ſibi vellent, quò referrentur, quorum figuræ eſſent & umbræ, intelligebant.

ζ Non unus de turba.] *Ne quemadmodum civitates, vel provinciæ ſibi certos deos aſciſcebant, ita pro arbitrio, populus Iſrael intelligeretur ſibi aſciviſſe quem colebat Deum: immò non elegit Deum, ſed præ cæteris populis electus eſt à Deo, nec tamen ita hunc populum elegiſſe putandus eſt, ut reliquos à ſe populos abdicarit.* Eſt enim unus Deus & Dominus omnium. *ut ait D. Dionyſius.* An Judæorum Deus tantum, an non & gentium? imò & gentium. *Rom. 3.*

η Ut ſint & benè ſe habeant, ejus indigent à quo facta ſunt.] *Licet enim effectus producti à cauſis quidem ſuis particularibus dependerent in fieri, ut tamen ſint, & in eſſe permaneant à Deo cauſa prima & univerſaliſſima, quæ plus influit in effectum, quam ſecundæ cauſæ ita dependentes, ut ſi ſubtrahat ſemel ſuum influxum, omnia ſtatim in nihilum decidant: qua ratione dicit ſcriptura,* In ipſo vivimus, movemur, & ſumus. *Et Paulus Coloſſ. 1.* Omnia in ipſo conſtant. *Hebr. 1.* Portans omnia verbo virtutis ſuæ. *Job. 6.* Solvat manum ſuam, & ſuccidat me: *quia ſcilicet unaquæque res manu Dei in ſuo eſſe retinetur. D. Auguſtinus libr. 4. ſuper Geneſi ad lit. cap. 12.* Neque enim (*inquit*) ſicut ſtructuram ædium cum fabricaverit quis, abſcedit, atque illo ceſſante atque abſcedente ſtat opus ejus, ita mundus vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit. Proinde & quia Dominus ait, pater meus usque modo operatur, Joan. 5. continuationem quandam operis ejus, qua univerſam creaturam continet, atque adminiſtrat, oſtendit. *Idem habes apud D. Gregorium lib. 16. Moral. cap. 18.* Res in ſemetipſis minimè ſubſiſtunt, & niſi gubernantis manu teneantur, eſſe nequaquam poſſunt. Cuncta namque in illo ſubſiſtunt, à quo creata ſunt, &c. *Quippe ex nihilo facta ſunt, eorumq; eſſentia rurſus in nihilum tenderet, niſi author omnium manu regiminis eam teneret. Imò conſervatio divina eſt illa eadem divina actio, quaſique continuata, quæ eſt rerum productio, & tantùm ratione differunt. Eadem enim actio Dei productio dicitur, quatenus per illam res primo in eſſe producitur, & item conſervatio, quatenus illius beneficio res in eſſe perſeverat, quod per ſui productionem accipit.*

CAP. XVI.

An de promerenda beata vita, his angelis ſit credendum, qui ſe coli exigunt honore divino, an verò illis qui non ſibi, ſed uni Deo ſanctâ præcipiunt religione ſerviri.

Quibus igitur angelis de beata & ſempiterna vita credendum eſſe cenſemus? Utrum eis, qui ſe religionis ritibus coli volunt, ſibi ſacra & ſacrificia flagitantes à mortalibus exhiberi: an eis, qui hunc omnem cultum uni Deo creatori omnium deberi dicunt, eique reddendum vera pietate præcipiunt, cujus & ipſi contemplatione beati ſunt, & nos futuros eſſe promittunt? Illa namque viſio Dei, tantæ pulchritudinis viſio eſt, & tanto amore digniſſima, *a* α ut ſine hac, quibuslibet aliis bonis præditum atque abundantem, non dubitet Plotinus infœliciſſimum dicere. Cùm ergo ad hunc unum quidem angeli, quidam verò ad ſeipſos latria colendos ſignis mirabilibus excitent: & hoc ita, ut illi iſtos coli prohibeant: iſti autem illum prohibere non audeant, quibus potius ſit credendum, reſpondeant Platonici, reſpondeant quicunque philoſophi, reſpondeant β theurgi, vel potius *b* perjurgi. Hoc enim ſunt illæ omnes artes vocabulo dignæ. Poſtremò reſpondeant homines, ſi ullus naturæ ſuæ ſenſus, quoquo rationales creati ſunt, ex aliqua parte vivit in eis. Reſpondeant, inquam, eiſne ſacrificandum ſit diis, vel angelis, qui ſibi ſacrificari jubent, an illi uni, cui jubent hi, qui & ſibi & iſtis prohibent. Si nec iſti nec illi ulla miracula facerent, ſed tantum præciperent: alii quidem ut ſibi ſacrificaretur, alii verò id vetarent, ſed uni tantum juberent Deo, ſatis deberet pietas ipſa diſcernere γ quid horum de faſtu ſuperbiæ, quid de vera religione deſcenderet. Plus etiam dicam, ſi tantum hi mirabilibus factis humanas animas promoverent, qui ſacrificia ſibi expetunt: illi autem, qui hoc prohibent, & uni tantum Deo ſacrificari jubent, nequaquam iſta viſibilia miracula facere dignarentur, profectò non ſenſu corporis, ſed ratione mentis præponenda eorum eſſet autoritas. Cùm verò Deus id egerit ad commendanda eloquia veritatis ſuæ, ut per iſtos immortales nuncios, non ſui faſtum, ſed majeſtatem illius prædicantes, faceret majora, certiora, clariora miracula, ne infirmis piis illi qui ſacrificia ſibi expetunt, falſam religionem facilius perſuaderent, eò quòd ſenſibus eorum quædam ſtupenda monſtrarent: quem tandem ita deſipere libeat, ut non vera eligat, quæ ſectetur, ubi & ampliora invenit, quæ miretur? Illa quippe miracula deorum gentilium quæ commendat hiſtoria, non ea dico, quæ intervallis temporum occultis ipſius cauſis mundi, veruntamen ſub divina providentia conſtitutis & ordinatis monſtruoſa contingunt: quales ſunt inuſitati partus animalium, & cælo terraque rerum inſolita facies: ſive tantum terrens, ſive etiam nocens *c* δ quæ procurari, atque mitigari dæmoniacis ritibus fallaciſſima eorum aſtutia perhibentur. Sed ea dico, quæ vi ac poteſtate eorum fieri ſatis evidenter apparet, ut eſt *d* ε quod effigies deorum penatum, quos de Troja Æneas fugiens advexit, de loco in locum migraſſe referuntur: *e* ζ quòd cotem Tarquinius novacula ſecuit: *f* quod Epidaurius ſerpens Æſculapio naviganti Romam *g* comes η adhæſit: *h* quod θ navim qua ſimulachrum matris Phrygiæ vehebatur, tantis hominum boumque conatibus immobilem redditam, una muliercula zona alligatam, ad ſuæ pudicitiæ teſtimonium movit & traxit: *i* ι quòd virgo

virgo Veſtalis, de cujus corruptione quæſtio vertebatur, à aqua impleto cribro de Tyberi neque perfluente, abſtulit controverſiam. Hæc ergo atque alia hujuſcemodi nequaquam illis quæ in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda ſunt: quantò minus ea quæ illorum quoque populorum, qui tales deos coluerunt, legibus judicata ſunt prohibenda atque plectenda magica ſcilicet vel theurgica? *l* *k* quorum pleraque ſpecietenus mortalium ſenſus imaginaria ludificatione decipiunt, *m* λ quale eſt lunam deponere, *n* *Donec ſuppoſitas*, ut ait Lucanus, *propior deſpumet in herbas.* Quædam verò etſi nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, finis ipſe quo diſcernuntur, incomparabiliter hæc noſtra oſtendit excellere. Illis enim multi tanto minus ſacrificiis colendi ſunt, quanto magis hæc expetunt: his verò unus commendatur Deus, qui ſe nullis talibus indigere, & ſcripturarum ſuarum teſtificatione, & eorundem poſtea ſacrificiorum remotione demonſtrat. Si qui ergo angeli ſibi expetunt ſacrificium, præponendi eis ſunt qui non ſibi, ſed Deo creatori omniū cui ſerviunt. Hinc enim oſtendunt quàm ſincero amore nos diligunt, quando per ſacrificium non ſibi, ſed eis nos ſubdere volunt, cujus & ipſi contemplatione beati ſunt, & ad eum nos pervenire quærunt, à quo ipſi non receſſerunt. Si autem angeli, qui non uni, ſed plurimis ſacrificia fieri volunt, non ſibi, ſed eis diis volunt, quorum deorum angeli ſunt, etiam ſic eis præponendi ſunt illi, qui unius Dei deorum angeli ſunt: cui ſacrificari ſic jubent, ut alicui alteri vetent, cùm eorum nullus huic vetet, cui uni iſti ſacrificari jubent. Porrò ſi quod magis indicat eorum ſuperba fallacia, nec boni nec bonorum deorum angeli ſunt, ſed dæmones mali, qui non unum ſolùm, ac ſummum Deum, ſed ſeipſos ſacrificiis coli volunt, quod majus quàm unius Dei contra eos eligendum eſt præſidium, cui ſerviunt angeli boni, qui non ſibi, ſed illi jubent ut ſacrificio ſerviamus, cujus noſipſi ſacrificium eſſe debemus?

Lucanus lib. 6.

a UT ſine hac quibuslibet aliis bonis.] *Hoc non uno loco affirmat Plato ſine virtute, & illius quod verè eſt cognitione reliqua eſſe abjectiſſima, & miſeriam meram.* L. Vives

b Perjurgi.] *A perurgendo, an perjurgi à perurendo.*

c Quæ procurari.] *Sacrificio, inquit Valerius, ſolenni ritu oſtentorum ac fulgurum, denunciationes procurantur. Hanc artem Ethruſci multum exercuerunt, & Romanis Numa rex tradidit. De procuratione fulgurum & oſtentorum crebra mentio apud ſcriptores Latinos, ut apud Ciceronem, Senecam, Livium, & alios. Eſtq; procurare, ſacrum facere ei Deo cui oportet in tali re fieri, ut omen ſecundet.*

d Quod effigies deorum penatum.] *Valerius lib. primò: Penates deos Aeneam Troia advectos Lavinij collocaſſe, inde ab Aſcanio filio ejus albam, quam ipſe condiderat, translatos priſtinum ſacrarium repetiſſe. Et quia id humana manu facta exiſtimari poterat, relatos Albam voluntatem ſuam altero tranſitu ſignificaſſe.*

e Quod cotem Tarquinius.] *Cùm Centuriarum equitum numerum vellet rex Tarquinius Priſcus ampliare, Actius Navius augur, negavit id fieri debere, niſi conſultis avibus. Rex ut artem eluderet, divina, inquit, ex arte, an fieri poſſit quod cogito: cùm ille ex arte reſpondiſſet poſſe, Seca, inquit, novacula cotem, qua acuitur. Ille, præſente & inſpectante populo, regeq́; hoc fecit. Ita deinceps magno in honore fuit Actius quandiu vixit, & ſtatua ei eodem loco quo id contigerat, in comitio ſcilicet, poſita, & cos ibi, novaculaq́; locata, monumentum rei. Livius libro primo, & Cicero primo De divin. ſed cotem à Nanio diſciſſam ſcribunt, non à rege Tarquinio.*

f Quod Epidaurius ſerpens.] *Hic eſt Æſculapius, de quo diximus alibi, qui ſpecie ſerpentis Romam eſt à templo ſuo, quod erat quinq́; millibus ab Epidauro paſſibus, tralatus. Dæmonarches, inquit Lactantius, in figura ſua ſine diſſimulatione perductus eſt, nam divinæ literæ, ſerpentem eſſe dæmonem perhibent, & Pherecides Scyrus ſerpentinis illos pedibus eſſe, ſcribit.*

g Comes adhæſit.] *Imò ipſe draco erat Æſculapius, niſi putent Æſculapio inviſibili comitem ejus draconem conſpici. Nam & Æſculapius cum baculo ſerpente involuto pingebatur, & in cælo Ophiuchus creditur, id eſt anguitenens, & ſtatutum ut medici anguibus uterentur. Sic ſcribit Hyginus in hiſtoria cæleſti. Plinius anguem putat dicatum Æſculapio, quòd in eo inſint multa remedia: Macrobius, quia acutè cernit. Unde eſt illud apud Horatium,*

Cur in amicorum vitium tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

h Quod navim qua ſimulachrum.] *Cùm navis, qua mater Deum ex Peſſinunte Phrygiæ Romam advehebatur, haſiſſet in Tyberi, nec vi virûm boumq́; moveri poſſet, Q. Claudia Veſtalis, quæ adverſo pudicitiæ rumore laborabat, quòd cultus eſſet ſtudioſior, diſcincta zona & navi alligata, precata deam, ut ſi caſtam ſe noſſet, volens ſequeretur, navem duxit: cui poſtea ſtatua eſt erecta ante ædem magnæ matris, quæ in ſua baſi ſemper ſtetit, cùm bis fanum illud conflagrarit. Liv. 2. de bello Punico, Ovidius in Faſtis, & Valerius Maximus.*

i Quòd virgo Veſtalis.] *Hæc erat Tucia, ut Valerius ſcribit lib. 8.*

k Aqua impleto cribro.] *Alibi, aqua impletum cribrum neq́; perfluente.*

l Quorum pleraque ſpecietenus.] *Multa ſibi homines cogitatione fingunt, quæ ſibi viſi ſunt videre, cum nihil viderint, idq́; phantaſmate aliquo oblato tam ſit facilè ut nihil crebrius contingat. Unde maxima pars eorum, quæ de ſpectris & viſione dæmonum narrantur, eſt orta: tum etiam dæmones oculis noſtris illudunt. Nec mirum eſt, hæc fieri poſſe dæmonibus, & falli ab eis obtutus noſtri aciem, cùm à circulatoribus nobis ſic imponatur, oſtendaturq́;, quæ niſi à tali hominum genere agerentur, pro miraculis qui caperent, non deeſſent: etiam ſic facta admirationi ſunt, & vix acumen ingenij rationem illorum conſequitur. Suntq́;, qui credant ſine dæmoniaca vi non perfici, artis tamen ſunt exercitatiſſimæ, quæ celeri motu atq́; agitatione defixum in res obtutum præſtigiis fruſtratur. Ita qui edit panem, ſpuere cernitur farinam ſiccam: qui bibit vinum, per frontem id, aut etiam per jugulum remittit.*

mittit. Magno ſpectatorum metu ac horrore gladij vorantur, & ingens vis evomitur acuum, zonularum, numorum. Tranſeo quæ ex magia naturali fiunt, ſubitò apparere convivas omnes truncos, aut aſininis capitibus, extendi per triclinium vitem. Quorum rationem plurimi norunt: nam libri his de rebus ſunt conſcripti, & factu facilia ſunt: quanto magis dæmones, qui nobis & agilitate præſtant, & peritia rerum naturæ? Gentilibus ſuorum deorum quæ narrabantur miracula fuiſſe ſuſpecta, & imaginatione quorundam commenta, vulgataq́; ſatis Valerius indicat l.1. Nec me præterit, inquit, de motu & voce deorum immortalium, humanis oculis auribusq́; percepto, quam ancipiti opinionum æſtimatione verſetur: ſed quia non nova dicuntur, ſed tradita reperiuntur, fidem autores vendicent, nec noſtrum ſit inclytis literarum monumentis conſecrata, perinde ac vana, refugiſſe. Hæc Valerius. Livius quoq́; non uno loco, verſis in religionem periculoſis temporibus animis, multa viſa creditaq́; prodigia, quæ non erant.

m Quale eſt lunam deponere.] *Lucanus l.6. de magorum vi loquens:*

Illis & ſidera primùm
Præcipiti deducta polo, Phœbeq́; ſerena,
Non aliter diris verborum obſeſſa venenis
Palluit, & nigris, terreniſq́; ignibus arſit,
Quàm ſi fraterna prohiberet imagine tellus,
Inſereretq́; ſuas flammis cœleſtibus umbras.
Et patitur tantos cantu depreſſa labores,
Donec ſuppoſitas propior deſpumet in herbas.

Maga apud vergilium profitetur ſe poſſe vertere ſidera retro, quarto Æneidos: & illa Apuleiana potens erat deos infirmare, & ſidera extinguere. Ovidius de Medea:

Illa reluctantem curſu deducere lunam
Nititur, & tenebras addere ſolis equis.

Hoc enim erat perſuaſum illis magicis incantamentis detrahi cælo lunam, ſicut ait Verg. in Pharmaceutria:

Carmina vel cælo poſſunt deducere lunam.

Idcirco nutrix illa apud Senecam in Hippolyto, cùm lunam veneratur, ad hunc loquitur modum:

Sic te lucidi vultus ferant,
Et nube rupta cornibus puris eas.
Sic te gerentem fræna nocturni ætheris
Detrahere nunquam Theſſali cantus queant.

Adjuvari putabant lunam ſic laborantem ſonitibus permagnis, ne voces incantantium eò poſſint pervenire, ut ab ea exaudirentur: idcirco pelues, & tympana, & cymbala pulſabantur. Hoc enim prodeſſe plurimum exiſtimabant. Propert.

Cantus, & è curru lunam deducere tentant,
Et facerent, ſi non æra repulſa ſonent.

Iuvenalis de fœmina loquaciſſima Satyra ſexta:

Unas

Digitized by Google

Una laboranti poterit ſuccurrere luna.

Fiebat enim idem cum luna deficeret, amoto ſole interjectu terræ: nam rationem ignorabant. Plin. lib. 2. de his qui cauſas defectuum ſolis lunæq; prodiderunt loquens: Viri, inquit, ingentes, ſupraq; mortalium naturam tantorum numinum lege deprehenſa, & miſera hominum mente abſoluta in defectibus ſtellarum ſcelera aut mortem aliquam ſiderum paventes: quo in metu fuiſſe Steſichori & Pindari vatum ſublimia ora palàm eſt, deliquio ſolis & in luna veneficia arguente mortalitate, & ob id crepitu diſſono auxiliante. Nec mirum eſt creditum olim rudi hominum generi lunam cælo auferri, cùm noſtra memoria ſit populus, qui lunam ab aſino epotam crediderit, cum is aſinus de fluvio biberet, qui lunæ ſpeciem, ut ſit, reddebat, illaq; obtectu nubis ſubito ſe condidiſſet, aſinuſq; in carcerem conjectus, & poſt legitimam quæſtionem ſectus eſt, ut lunam mundo redderet.

n Donec ſuppoſitas.] *Hæc ſpuma Cerberi exiſtimabatur, qui eſt Hecates ſeu Proſerpinæ, id eſt lunæ, canis qua magæ in veneficiis ſuis utebantur.*

P.L.Coq. α UT ſine hac quibuslibet aliis bonis præditum Plotinus.] *Locus eſt Ennead. 6. lib. 7. 7.* ἐπειδὰν δὲ ἐκεῖνον ἴδοι ὂν θεὸν πάντα ἤδη ἀφίησιν, οἷον εἴ τις εἰσελθὼν εἰς οἶκον ποικίλον, καὶ οὕτω καλὸν θεωροίη. ἔνδον ἕκαστα τῶν ποικιλμάτων, καὶ θαυμάζοι πρὶν ἰδεῖν τὸν τοῦ οἴκου δεσπότην. ἰδὼν δὲ ἐκεῖνον, καὶ ἀγασθεὶς οὐ κατὰ τὴν τῶν ἀγαλμάτων φύσιν ὄντα, ἀλλ᾽ ἄξιον τῆς ὄντως θέας, ἀφεὶς ἐκεῖνα, τοῦτον μόνον τοῦ λοιποῦ βλέπει, *id eſt,* poſtquam Deum illum vidit, omnia prorſus omittit, perinde ac ſi quis domum ingreſſus variè admodum exornatam ſingula intus ornamenta conſideret, & priusquam Dominum eius viderit, admiretur. At poſtquam inſpexerit Dominum imaginum illarum pulchritudinem admodum ſuperantem utpote qui non velut imago quædam pulchra, ſed revera pulcher occurrat, ideoque hunc ſupra modum admiretur, illiſque demiſſis ſolum impoſterum contẽpletur attentiusq; oculis in eum defixis inſpiciens, &c. *An verò Plotinus, vel alij Philoſophi cognoverint Deum videri poſſe ab intellectu creato, merito dubitatur. Certè videtur ita ſentire hoc loco D. Auguſtinus cum dicit viſionem Dei tantæ pulchritudinis viſionem eſſe & tanto amore digniſſimam, ut ſine hac quibuslibet aliis bonis præditum non dubitet Plotinus infœliciſſimum dicere, & Platonem id agnoviſſe in Timæo & Phædone, idq; ab Hebræis, ut multa alia didiciſſe. Verùm quemadmodum nonnulla ſunt, ex quibus colligitur Platonem habuiſſe obſcuram quandam & umbratilem divinæ Trinitatis cognitionem, ita dici poteſt de ultimo fine ſupernaturali, qui eſt Dei viſio: eo enim modo, quo promittitur nobis in ſcriptura ſacra, quod ſcilicet manifeſtè & revelata facie Deum contemplaturi ſumus, certè nunquam id Philoſophi agnovere, nec Plotinus aliam intellexit Dei viſionem, quàm ſublimem quandam illius boni contemplationem, quam tamen Theologi abſtractivam vocant, non verò intuitivam.*

β *Theurgi* vel potius perjurgi.] θεουργοὶ *dicuntur, qui in ſacris operantur, fortaſſe* περιεργοὶ *non* θεουργοὶ, curioſi & naviter ſacrilegiis operam dantes, κακούργους *merito dixeris,* καὶ ανοσιούργους.

γ *Quid* horum de faſtu ſuperbiæ, quid de vera religione deſcenderet.] *Idem epiſt.*

epiſt. 49. ad Deogratias. q. 3. Sicut impia ſuperbia, *inquit,* ſive hominum, ſive dæmonum ſibi hos divinos honores exhiberi vel jubet, vel cupit, ita pia humilitas vel hominum, vel Angelorum ſanctorum hæc ſibi oblata recuſavit, & cui deberentur oſtendit. *& in Pſal. 96.* Omnes ſancti, *inquit,* vel angeli illius gloriam quærunt, quem diligunt. Ad eius cultum, ad eius orationem, ad eius contemplationem omnes quos diligunt rapere & inflammare ſtudent, ipſum illis annunciant, non ſe, quoniam Angeli ſunt. Et quia milites ſunt, non norunt gloriam quærere niſi Imperatoris ſui: Si autem gloriam ſuam quæſierunt, ut Tyranni damnantur. Talis exſtitit diabolus & dæmonia. *i. Angeli eius, id eſt, arrogavit ſibi divinum honorem, & omnibus dæmoniis, & implevit templa Paganorum, & perſuaſit ſimulacra, & perſuaſit illa ſacrificia offerri ſibi.*

δ *Quæ* procurari atque mitigari dæmoniacis ritibus.] *De quo legi poſſunt, quæ refert Delrio Diſquiſit. Magic. lib. 2. q. 11.*

ε *Quod* effigies deorum Penatium.] *Referunt hiſtoriam Dionyſius lib. 1. Valerius lib. 1. cap. 9.*

ζ *Quod* cotem Tarquinius novacula ſecuit.] *Tarquinius Priſcus centuriis equitum, quas Romulus auſpicato conſcripſerat, alias adjicere cupiens, cum ab Accio Mavio augure prohiberetur offenſus interrogavit, poſſetne fieri, quod mente conceperat. Poſſe fieri dicente, juſſit novacula cotem diſcindi. Tum illum haud cunctanter diſcidiſſe cotem ferunt. Hanc hiſtoriam referunt Cicero lib. 2. de nat. deor. & lib. 1. de divin. Livius lib. 1. Dionyſ. lib. 3. Valer. lib. 1. c. 5. Florus & Plinius de viris illuſtrib. in vita Tarquinij, Feneſtella c. 4. de ſacerd. Lactantius libr. 2. c. 8. & c. 17.*

η Quod Epidaurius ſerpens Æſculapio] *Hiſtoria extat apud Livium lib. 10. & lib. 1. belli Punici. Valer. lib. 1. cap. 9. Plutarchum in Probl. Lactant. lib. 1. cap. 8. & 17. Exſibilatur ab Arnold. lib. 7.*

θ Quod navim qua ſimulacrum:] *Cum ex libris Sibyllinis Idea mater eſſet adſcita, & in vado Tyberini fluminis, navis in qua vehebatur hæſiſſet, nec ullo modo, aut ulla vi commoveretur, Claudiam ferunt, quæ ſemper impudica eſſet habita ob nimium corporis cultum deam genibus ſubmiſſis oraſſe, ut ſi ſe caſtam judicaret, ſuum cingulum ſequeretur, ita navim quæ ab omni juventute non valuit commoveri, ab una muliere eſſe commotam. Hiſtoria eſt apud Livium lib. 39. Herodianum lib. 1. Ovidium 4. Faſtor. Plinium lib. de viris illuſtribus c. 46. Feneſtellam cap. 12. de ſacerd. Lactantium lib. 2. cap. 8. & 17. Cicer. orat. de Haruſp. reſponſis.*

ι Quod virgo Veſtalis.] *Volunt aliqui id factum eſſe à bono Angelo ad virginitatem probandam & in illius commendationem: ſed à dæmonibus absque ulla difficultate fieri potuit, quia ut eſt in eorum poteſtate corpora ſecundum locum movere, ita etiam in eorum poteſtate eſt efficere, ne à locis, in quibus ſunt, amoveantur. Hæc verò virgo Tuccia appellabatur, quæ cùm rea poſtularetur inceſti criminis, conſcientia certa ſinceritatis ſuæ ſpem ſalutis ancipiti argumento auſa eſt petere. Arrepto enim cribro,* Veſta (*inquit*) ſi ſacris tuis caſtas ſemper admovi manus, effice ut hoc hauriam è Tyberi aquam, & in ædem tuam perferam, audaciter & te-

merè jactis votis ſacerdotis ipſa rerum natura ceſſit. *Valerius lib. 8. cap. 1. Plinius lib. 28. cap. 2. Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 2. Meminit etiam Tertullianus in Apologet. cap. 22. aquæ cribro geſtatæ, & navis cingulo promotæ, & Minutius in Octavio.*

κ Quorum pleraque ſpecie tenus.] *Illudunt enim utplurimum dæmon & Magi mendaci ſpecie ſenſibus humanis, ita ut, quæ minimè facta ſunt, à deceptis facta putentur, & ea mirentur, quæ ſunt præſtigiæ. vide Delrio lib. 2. qu. 8. Diſquiſit. Magic. Valent. 1. p. Diſputat. 4. q. 2. puncto 2. & Molinam 1. p. q. 111. art. 4. Hæc miracula quæ enumerat D. Auguſtinus à dæmonibus facta, recenſet & Tertull. in Apolog. c. 22. & 23.*

λ Quale eſt lunam deponere.] *Dæmones vel Magi non poſſunt immutare ordinem univerſi, ut docet D. Auguſtinus lib. 3. de Trinit. D. Thomas lib. 3. contra Gentes, c. 104. & q. 16. de malo, art. 10. Victoria Relect. de Magia, Delrio, lib. 2. Diſquiſit. Magic. quæſt. 10. probant authoritate Apoſtoli, Heb. 2.* non ſubjecit Angelis Deus orbem terræ futurum, *qui tamen locus potius de novo mundo intelligendus eſt, cujus caput eſt Chriſtus. Sed meliùs hinc probatur, quod pars non poſſit pervertere ordinem totius. Inde fit, ut cum pertineat ad ordinem univerſi, ut elementa in ſuis naturalibus locis permaneant, & cælum perpetuo motu agitetur, non poſſint dæmones ſiſtere motum cœli, neque lunam detrahere. Unde quando ſol & luna ſteterunt, Joſue 10. non dubium, quin id poteſtate divina factum ſit, & dicitur Deus obedivisſe voci hominis, quando ad vocem Joſue ſol & luna ſteterunt.*

CAP. XVII.

De arca teſtamenti miraculiſq; ſignorum, quæ ad commendandam legis ac promiſſionis autoritatem divinitus facta ſunt.

PRoinde lex Dei, quæ in edictis data eſt angelorum, in qua unus Deus deorum religione ſacrorum juſſus eſt coli, alii verò quilibet prohibiti, in arca erat poſita, quæ α arca teſtimonii nuncupata eſt. Quo nomine ſatis ſignificatur, non Deum qui per illa omnia colebatur, circuncludi ſolere, vel contineri loco, cum reſponſa ejus, & quædam humanis ſenſibus darentur ſigna ex illius arcæ loco: ſed voluntatis ejus hinc teſtimonia perhiberi, quod etiam ipſa lex erat in tabulis conſcripta lapideis, & β in arca ut dixi poſita: quam tempore peregrinationis in eremo cum tabernaculo, γ quod ſimiliter appellatum eſt tabernaculum teſtimonii, δ cum debita ſacerdotes veneratione portabant. Signumque erat, quod per diem nubes apparebat, quæ ſicut ignis nocte fulgebat. ε Quæ nubes cùm moveretur, caſtra movebantur, & ubi ſtaret caſtra ponebantur. Reddita ſunt autem illi legi magni miraculi teſtimonia, Præter iſta quæ dixi, & præter voces quæ ex illius arcæ loco ædebantur. ζ Nam cùm terram promiſſionis intrantibus eadem arca tranſiret Iordanem, fluvius ex parte ſuperiore ſubſiſtens, & ex inferiore decurrens, & ipſi, & populo ſiccum præbuit tranſeundi locum. Deinde η civitatis, quæ prima hoſtilis occurrit, more gentium deos plurimos colens, ſepties eadem arca circum-

cumacta, muri repente ceciderunt, nulla manu oppugnati, nullo ariete percuſſi. Poſt hoc * etiam θ cùm jam in terra promiſſionis eſſent, & eadem arca propter eorum peccata fuiſſet ab hoſtibus capta, hi qui eam ceperant, in templo Dei ſui, quem præ cæteris colebant, honorificè collocaverunt, abeunteſque clauſerunt, apertoque poſtero die ſimulachrum cui ſupplicabant, invenerunt collapſum, deformiterque confractum. Deinde ipſi prodigiis acti, deformiuſque puniti, arcam divini teſtimonii populo unde ceperant reddiderunt. Ipſa autem redditio qualis fuit? Impoſuerunt eam plauſtro, eique juvencas à quibus vitulos ſugentes abſtraxerant, ſubjunxerunt, & eas quò vellent ire ſiverunt, etiam hinc vim divinam explorare cupientes. At illæ ſine homine duce atque rectore, ad Hebræos viam pertinaciter gradientes, nec revocatæ mugitibus eſurientium filiorum, magnum ſacramentum ſuis cultoribus reportarunt. Hæc atque hujuſcemodi Deo parva ſunt, ſed magna terrendis ſalubriter erudiendiſque mortalibus. Si enim philoſophi, præcipueque Platonici, rectius cæteris ſapuiſſe laudantur, ſicut paulò ante commemoravi, quòd divinam providentiam hæc quoque rerum infima atque terrena adminiſtrare docuerint numeroſarum teſtimonio pulchritudinum, quæ non ſolùm in corporibus animalium, verumetiam in herbis, fœnoque gignuntur, quanto evidentius hæc atteſtantur divinitati, quæ ad horam prædicationis ejus fiunt, ubi ea religio commendatur, quæ omnibus cæleſtibus, terreſtribus, inferniſque ſacrificari vetat, uni Deo tantum jubens, qui ſolus diligens & dilectus, beatos facit, ι eorumque ſacrificiorum præfiniens tempora imperata, eaque per meliorem ſacerdotem in melius mutanda prædicens, non iſta ſe appetere, ſed per hæc alia potiora ſignificare teſtatur, non ut ipſe his honoribus ſublimetur, ſed ut nos ad eum colendum, eique cohærendum igne amoris ejus accenſi, quod nobis, non illi, bonum eſt excitemur.

al. hac.

1. Reg. 5.

1. Reg. 6.

α IN arca erat poſita.] *Ita 3. ad Regum 8. & 2. Paralipom. 5. Scriptum eſt tantum fuiſſe in arca duas tabulas lapideas, quas poſuerat Moyſes in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Iſrael egredientibus ex Ægypto. Idem ſcribit Joſephus lib. 2. Antiquit. c. 8.* Hæc volumina (*inquit*) & arcam ſacerdotibus tradidit, in qua decem illa præcepta in duabus tabulis ſcripta repoſuerat, & prætereà tabernaculum. *& lib. 3. Antiquit. cap. 6.* In hanc arcam repoſuit tabulas decem præcepta continentes, in utraque quinta, & in ſingulis paginis duo cum dimidio. *Et Philo lib. 3. de vita Moſis non longè à principio ſcribit arcam fuiſſe vas legibus deſtinatum. An verò aliud fuerit in arca præter duas tabulas legis, magna contentio eſt propter locum D. Pauli Heb. 9.* Et arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti. *Inter cæteros mihi videtur optimè illam difficultatem diſſoluiſſe Ribera ad eum locum Apoſtoli, & lib. 2. de Templo, cap. 2. & oſtendiſſe, nequaquam contrarium eſſe Paulum aliis locis ex ſcriptura citatis, & reverà tantum fuiſſe in arca duas tabulas lapideas.* R. L. C. 4.

β Quæ arca teſtimonii nuncupata eſt.] *Dicebatur* arca fœderis. *Joſephus lib. 3.*

Antiquit. cap. 6. Facta hæc arca eſt, ut in ea ſervarentur duæ tabulæ legis, quas Dominus dedit Moyſi, & inde dicta eſt arca fœderis, quòd in ea eſſet lex, per quam Dominus percuſſerat fœdus cum Hebræis, ſe fore eorum Deum & benefacturum eis ſi legem ſervarent. *Abulenſis quæſt. 7. in cap. 3. Joſue*, vocatur iſta arca fœderis, quia in ſe continebat fœdus, quod pepigit Deus cum Iſraelitis. Fœdus enim pactum vel compoſitio eſt, & in hoc aliquid Deus obſervare promiſit, & aliquid Judæi. *Dicebatur autem* arca teſtamenti, *quod nomen* fœdus *&* pactum *ſignificat*; *& inde etiam* lex *dicitur* teſtamentum. *pſalm. 77.* Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege ejus noluerunt ambulare. *Dicta eſt præterea, ut hic etiam ſcribit D. Auguſtinus,* arca teſtimonii. Lex enim Dei dicitur teſtimonium, quia in ea teſtatum relinquit Deus, quid fieri vellet à ſuis. *Ex quo intelligitur illud Exod. 28.* Poneſque in arca teſtificationem. *i. e. legem, quam dabo tibi. Joſue 4. ubi in vulgata editione dicitur* arca fœderis, *apud Septuaginta dicitur*, κιβωτὸς τῆς διαθήκης τοῦ μαρτυρίου κυρίου. Arca teſtamenti teſtimonii, *quam locutionem notat etiam D. Auguſt. quæſt. 5. in Ioſue.*

γ Quod ſimiliter appellatum eſt tabernaculum teſtimonii.] *Tabernaculum conſtructum fuit jubente Deo, & materiam ac formam Moyſi præſcribente. Exodi 25.* facient mihi ſanctuarium, habitabo in medio eorum, juxta omnem ſimilitudinem tabernaculi, quod oſtendam tibi, & omnium vaſorum in cultum ejus, ſicque facietis illud. *& c. 26.* Eriges tabernaculum juxta exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. *Erat autem* tabernaculum, *quaſi* templum mobile, ſeu portatile, *vel (ut ait Ioſephus lib. 3. Antiquit. c. 4.)* nihil ab ambulatorio templo & portatili differebat. *De ejus forma vide præter cæteros Riberam lib. 1. de Templo c. 34. Ariam montanum Antiquit. Iudaic. lib. 5.* Tabernaculi conſtruendi ratio fuit, ut populus Deum ſingulari providentia ac præſentia aſſiſtentem tanquam Regem Imperatoremque ſuum adiret, atque de rerum ſuarum rationibus peteret & conſuleret. Verùm vagantibus & mobilibus non permanentem ædem, ſed mobilem ad illum uſum parari conveniebat: & quemadmodum antea in monte Sinai Deus loquebatur Moyſi, oſtendebat gloriam ſuam populo, ita poſtea factum eſt in tabernaculo. *Vide Exod. 40. ut D. Thomas 2. 2. q. 106. art. 4. ad 2. docet per tabernaculum, quod portatile erat & mobile loco, ſignificabatur ſtatus vitæ præſentis mutabilis, per templum verò, quod erat fixum & ſtans, ſignificabatur is ſtatus futuræ vitæ, quæ omninò immutabilis eſt, & propter hoc dicitur, quod in ædificatione templi,* non eſt auditus ſonus mallei, vel ſecuris, *ad ſignificandum, quòd omnis perturbationis tumultus longè erit à futura vita: vel per tabernaculum ſignificabatur ſtatus veteris legis; per templum à Salomone conſtructum ſtatus novæ legis; unde ad conſtructionem tabernaculi ſoli Iudæi fuunt operati, ad ædificationem verò templi cooperati ſunt etiam Gentiles, ſcilicet Tyrii & Sydonii.*

δ Cum debita ſacerdotes veneratione.] *Hieron. lib. 2. contra Iovinianum.* Inferiores gradus Levitæ & Sacerdotes plauſtra & boves accipiunt majoris ordinis, geſtant arcam Domini humeris ſuis. *Habes 2. Reg. 6.* Percuſſum

Ozam,

Ozam, quod extendiſſet manum ſuam ad arcam Dei, & tenuiſſet eam. *Hiero. epi. 12. ad Euſtoch. de cuſtod. virgin.* Oza arcam, quam non licebat tangere, attingens ſubita morte proſtratus eſt, qui tamen erat Levita, *ut ſcribit ep. 48. ad Sabin. & filius erat Abinadab Levitæ, ut teſtatur Ioſeph. 5. Antiq. c. 2. Non itaque aſſentior Abulenſi in c. 6. lib. 2. Reg. qu. 10. Levitis licuiſſe tangere arcam, cum illam portare juberentur Num. 4. & Ozam fuiſſe percuſſum, quòd inhoneſtè & indecenter arcam tetigiſſet; immò percuſſus fuit, quòd cum non eſſet ſacerdos, nequaquam arcam tangere potuerit, quam cauſſam adfert Ioſeph. lib. 7. Antiq. cap. 4. vide Riberum libr. 3. de Templo cap. 3. neq; ex Num. 4. colligitur quod vult Abulenſis. Ubi enim diſtribuuntur officia Levitis, non fit mentio geſtationis arcæ.*

ε Quæ nubes cum moveretur.] *Ita legitur Exo. 40.* Si quando nubes tabernaculum deſerebat, proficiſcebantur filii Iſrael per turmas ſuas. Si pendebat deſuper, manebant in eodem loco. Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Iſrael per cunctas manſiones ſuas.

ζ Nam cum terram promiſſionis intrantibus.] *Hiſtoria extat Ioſ. 3. c. Pſ. 109. Ioſeph. lib. 5. Antiq. c. 1. Quemadmodum autem virga Moyſis, ita deinceps ſub Ioſue arca Dei tot rerum mirabilium videtur fuiſſe inſtrumentum.*

η Civitatis quæ prima hoſtilis occurrit.] *Iericho intelligit. Hiſtoria extat Ioſue 6. apud Ioſephum lib. 5. Antiq. cap. 1. & 2. vide D. Auguſtinum, ſerm. 106. de Tempor.*

θ Cum in terra promiſſionis eſſent.] *1. Regum cap. 4. 5. 6. Ioſephus lib. 6. Antiquit. c. 1. & 2.*

ι Eorumque ſacrificiorum præfiniens tempora imperata.] *Uſq; ad Meſſiæ adventum & revelationem novi teſtamenti. Erant enim inſtituta, ut eſſent figuræ & umbra futurorum, & lex imperfecta illa erat in meliorem commutanda. Nec enim poterat homines juſtificare, nec illa ſacrificia Deo per ſe erant grata, aut per illa homines ſanctificabantur; De quo legi poteſt epi. 5. ad Marcellinum, epi. 49. ad Deo gratias q. 3. Orat. contrà Iudæos, c. 9. l. 1. contra adverſ. legis & Propheta. c. 18. in Pſ. 39. & alibi paſſim. It. D. Irenæus l. 4. c. 32. Tertull. l. contra Iudæos, c. 16. Cyrill. l. 9. contra Iulian. & alij patres.*

Cap. XVIII.

Contra eos qui de miraculis, quibus Dei populus eruditus eſt, negant eccleſiaſticis libris eſſe credendum.

AN α dicet aliquis, iſta falſa eſſe miracula, nec fuiſſe facta, ſed mendaciter ſcripta? Quiſquis hoc dicit, ſi de his rebus negat omnino ullis literis eſſe credendum, poteſt etiam dicere, nec deos ullos curare mortalia. Non enim ſe aliter colendos eſſe perſuaſerunt, niſi mirabilibus operum effectibus, quorum & hiſtoria gentium teſtis eſt, quarum dii ſe oſtentare mirabiles potius quàm utiles oſtendere potuere. Unde hoc opere noſtro, cujus hunc jam decimum librum habemus in manibus, non eos ſuſcepimus refellendos, qui

vel ullam eſſe vim divinam negant, vel humana non curare contendunt, ſed eos qui noſtro Deo conditori ſanctæ & glorioſiſſimæ civitatis, deos ſuos præferunt, neſcientes eum ipſum eſſe & jam mundi hujus viſibilis, & mutabilis, inviſibilem & incommutabilem conditorem, & vitæ beatæ non de his, quæ condidit, ſed de ipſo veriſſimum largitorem. Ejus enim propheta veraciſſimus ait: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*. De fine nanque boni inter philoſophos quæritur, *a* ad quod adipiſcendum omnia officia referenda ſunt. β Nec dixit iſte: Mihi autem nimis divitiis abundare bonum eſt, aut inſigniri purpura & ſceptro, vel diademate excellere, aut quod nonnulli etiam philoſophorum dicere non erubuerunt, mihi voluptas corporis bonum eſt: aut quod melius velut meliores dicere viſi ſunt, Mihi virtus animi mei bonum eſt. Hoc eum docuerat, cui unum tantummodo ſacrificandum ſancti quoque angeli *b* legalium ſacrificiorum * etiam conteſtatione monuerunt. Unde etiam ipſe ſacrificium ejus factus fuerat, cujus igne intelligibili correptus ardebat, & in ejus ineffabilem incorporeumque complexum ſancto deſiderio ferebatur. Porrò autem ſi multorum deorum cultores, qualeſcunque deos ſuos eſſe arbitrentur, ab eis facta eſſe miracula, vel civilium rerum hiſtoriæ, vel libris magicis, ſive quod honeſtius putant, theurgicis credunt, quid cauſæ eſt, cur illis literis nolint credere, iſta facta eſſe, quibus tanto major debetur fides quanto ſuper omnes eſt magnus, cui uni ſoli ſacrificandum præcipiunt?

Pſal. 72. — *al. ejus miraculorum.*

L. Vivel. *a* AD quod adipiſcendum omnia officia referenda ſunt.] *Officiorum Cicero, Stoicos ſecutus, duo facit genera: alterum abſolutum, quod pertinet ad virtutes illas abſolutas, id eſt ad ſapientiam & proinde ad finem bonorum, idq; Græci* κατόρθωμα *vocant. Latini rectum, aut rectè factum, omnes numeros virtutis continens. Ælterum officij genus poſitum eſt in præceptis vitæ communis, cujus probabilis ratio reddi poteſt. cur ſic factum ſit potius, quàm aliter. Medium & commune hoc nominant, quòd in utranq; partem, & ſapientiæ, & ſtultitiæ natura ſua verti poteſt ab utente: qualia ſunt quæ in rep. & vita privata circa opes, honores, gloriam, & ſimilia facimus.*

b Legalium ſacrificiorum.] *In antiquis exemplaribus legitur: Legalium miraculorum. alibi, angeli ejus miraculorum.*

F. L. Coq. *a* AN dicit aliquis iſta falſa eſſe miracula.] *Pagani aliquando irriſerunt miracula, quæ ſacris ſcripturis continentur, ut refert de hiſtoria Jonæ à cete abſorpti, epiſt. 49. ad Deo gratias q. 6. quibus ita reſpondet,* Quod aut omnia divina miracula credenda non ſunt, aut hoc cur non credatur, cauſſa nulla eſt. Nec enim ipſum Chriſtum, quod tertio die ſurrexerit crederemus, ſi fides Chriſtianorum cachinnum metueret Paganorum. *Paulò poſt,* Si nulla iſti divina miracula volunt credere, alia diſputatione ſunt refellendi. Neque enim debent unum aliquid tanquam incredibile proponere, & in quæſtionem vocare, ſed omnia quæ vel talia, vel etiam mirabiliora narrantur. Et tamen ſi hoc quod de Jona ſcriptum eſt, Apulejus Mandavenſis, vel Apollonius Tyanæus feciſſe diceretur, quorum multa mira nullo fideli authore jactitant, quamvis &

& Dæmones nonnulla faciant Angelis ſanctis ſimilia, non veritate, ſed ſpecie, non ſapientia, ſed planè fallacia; tamen ſi de iſtis ut dixi, quos Magos vel Philoſophos laudabiliter nominant, tale aliquid narraretur, non jam in buccis creparet riſus, ſed typhus: *Ut innuat eos non niſi odio Chriſtianæ religionis divina miracula ſacris literis comprehenſa negaſſe. Et certè non niſi Athei vel infideles neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei divina miracula negabunt.*

β Neque dixit iſte: Mihi autem divitiis abundare.] *Hieremiæ. 9.* Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec dives in divitiis ſuis, *&c. Longè à vero aberrarunt, qui in divitiis beatitudinem hominis conſtituerunt, ſi quidem beatitudo ſuapte natura talis eſt, ut ſuum poſſeſſorem omnino expleat, ejuſque appetitio nullis mediocritatis finibus contineatur, at divitiæ ſuos nunquam explent poſſeſſores, & earum appetitio vitioſa eſt ut plurimùm, niſi ratio modum appetitui præſcribat. Deinde beatitudo ſolis bonis viris conceditur: at divitiæ & malis ſunt communes. Denique beatitudo ſeipſa contenta, & propter ſe expetitur, divitiæ cùm ſint in bonis utilibus, expetuntur propter aliud, ut ſcilicet nobis benè ſit, & nullius rei indigeamus.*

γ Aut inſigniri purpura, & ſceptro vel diademate excellere.] *Nonnulli in imperio, poteſtate, & principatu ſummum bonum conſtituerunt, cum tamen experientia doceat, quò quis imperium habet in plures, eò pluribus & gravioribus curis divexari, plura ſubire vitæ diſcrimina, plurimum operæ, favore & auxilio indigere, à pluribus ſibi metuere hominibus; quæ certè conſtat à beatitudine eſſe aliena prorſus.*

δ Quod nonnulli Philoſophorum dicere non erubuerunt, mihi voluptas corporis bonum eſt.] *Hi philoſophi fuere Epicurus & Ariſtippus, licet Epicurus à Lactantio excuſetur lib. 3. cap. 7. Quòd non de corporis ſed de animi voluptate intelligeret. Minus tamen probabiliter videtur loqui Lactantius, cùm fere omnes eam ſententiam adſcribant Epicuro. Hi peccarunt plurimùm & in dignitatem hominis, ut docet Cicero lib. 1. de finib. & in Oratore, Seneca lib. de vita beata, Lactantius lib. 3. cap. 8.*

ε Velut meliores dicere viſi ſunt, mihi virtus animi mei bonum eſt.] *Stoici ferè, qui beatitudinem in virtutis habitu eſſe docuerunt. Nam Seneca maximus Stoicus ita paſſim docet, & de virtute ſic loquitur, ac ſi nihil illa majus cogitari poſſit, & ad eam omnia referantur, ipſa verò propter ſe expetatur. Hanc etiam tribuit Lactantius Ciceroni lib. 3. cap. 8. quæ ſententia eſt, cum ſit medium ad beatitudinem, non ipſa beatitudo. Et optimè docet Ariſtoteles non eos, qui habitu valent in certaminibus Olympicis, ſed qui actione pollent, palmam victoriamque reportare. Hanc etiam improbat Lactantius loco citato.*

CAP. XIX.

Quæ ratio ſit viſibilis ſacrificii quod uni vero & inviſibili Deo offerri docet vera religio.

QUi autem putant hæc viſibilia ſacrificia diis aliis congruere, illi vero tanquam inviſibili inviſibilia, & majori majora, meliorique meliora, qualia

qualia ſunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia, profectò neſciunt α hæc ita eſſe ſigna illorum, ſicut verba ſonantia ſigna ſunt rerum. Quocirca ſicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus offerimus: ita ſacrificantes non alteri viſibile ſacrificium offerendum eſſe noverimus, quàm illi, cujus in cordibus noſtris inviſibile ſacrificium noſipſi eſſe debemus. Tunc β nobis favent, a nobiſque congaudent, atq́ ad hoc ipſum nos pro ſuis viribus adjuvant angeli, quique virtuteſque ſuperiores, & ipſa bonitate, ac pietate potentiores. Si autem illis hæc exhibere voluerimus, non libenter accipiunt, & cùm ad homines ita mittuntur, ut eorum præſentia ſentiatur, apertiſſimè vetant. b γ Sunt de his exempla in literis ſanctis. Putaverunt quidam deferendum angelis honorem, vel adorando, vel ſacrificando, qui debetur Deo, & eorum ſunt admonitione prohibiti, juſſique ſunt hæc ei deferre, cui uni fas eſſe noverunt. Imitati ſunt Angelos ſanctos etiam ſancti homines Dei. c δ Nam Paulus & Barnabas in Lycaonia facto quodam miraculo ſanitatis, putati ſunt dii, eiſque Lycaonii immolare victimas voluerunt, quod à ſe humili pietate removentes, eis, in quem crederent, annunciaverunt Deum. Sed nec ob aliud fallaces illi ſuperbè ſibi hoc exigunt, niſi quia vero Deo deberi ſciunt. Non enim revera, ut ait Porphyrius, & nonnulli putant cadaverinis nidoribus, ſed divinis honoribus gaudent. Copiam verò nidorum magnam habent undique, & ſi amplius vellent, ipſi ſibi poterant exhibere. Qui ergo divinitatem ſibi arrogant ſpiritus, non cujuslibet corporis fumo, ſed ſupplicantis animo delectantur, cui decepto ſubjectoque dominentur, intercludentes iter ad Deum verum, ne ſit homo illius ſacrificium, dum ſacrificatur cuipiam præter illum.

Apoc. 19
Act. 14

L. Vives. a Nobiſque congaudent.] *Gaudere angelos Dei, cùm homines ſanctè vivunt, etiam Chriſtus teſtatur in Evangelio Luc. 15.*

b Sunt de his exempla in literis ſanctis.] *Ioannes angelum ad ſe miſſum voluit adorare, & inhibitus eſt ab eo jubente Deum potius adorari, cujus ipſe eſſet ſervus conſervus Joannis. Apocalypſis 19.*

c Nam Paulus & Barnabas.] *Hi cùm in Lycaonia, quæ eſt Aſiæ regio, legem domini populo docerent, claudo virtute Dei erecto, pro diis ſunt habiti. Barnabas pro Iove, Paulus qui concionabatur pro Mercurio, qui ſermoni præeſſe creditus eſt. Ita immolare eis parabant tanquam diis: quod Paulus & Barnabas magna indignatione prohibuerunt, veriti ne in ſe transferretur, quod unius eſt Dei Actuum. 14.*

F. L. Coq. α Neſciunt hæc ita eſſe ſigna illorum ſicut verba ſonantia.] *Etſi potiſſimum mente & ſpiritu Deum colere debeamus, & actus interiores ſint præcipui religionis, qua colitur Deus, nihilominus etiam exterioribus actibus debemus mentem noſtram & affectum in Deum prodere, quemadmodum non tantum mente, ſed & voce oramus, ut eidem cui mentem noſtram proſpectam eſſe volumus, etiam loquimur, cum locutio exterior index ſit, & ſignum conceptus interioris, & licet præcipuum ſit ſacrificium interius & inviſibile, quod Deo offerimus, ſecundo tamen*

ſacrificium etiam exterius ad latriam, qua Deum colimus pertinet. Et præterea cùm anima & corpore conſtemus, non mente tantùm ſed & corpore Deum colere debemus, adeoq́; ſacrificium ei noſtri cordis, & præterea externum quoddam offerre. Quemadmodum etiam *teſte D. Chryſoſtomo, hom. 83. in Matthæ.* Si incorporei eſſemus, incorporea utique & inviſibilia bona nobis tradidiſſet, ſed quia corpori conjuncta eſt anima, in rebus ſenſibilibus ea inſtituit. Cogitandum enim non propter Deum, neque in uſum illius, ſed propter nos & in uſum noſtrum inſtituta eſſe ſacrificia. *unde non conſiderandum, quod Deus inviſibilis ſit & incorporeus omnino, ut incorporea & inviſibilia ſacrificia ei deferenda arguamus; ſed nos ipſos ſpectare debemus, qui non modò anima inviſibili, ſed & corpore viſibili conſtamus. Videndus D. Thom. 2.2. q. 85. art. 1. & 2.*

β Nobis favent nobiſque congaudent.] *Licet enim gaudium eſſentiale ſit de viſione Dei, habent tamen quoddam gaudium accidentale ex eo quod vident Deo debitum honorem deferri, homines in Deum converti. ut enim dæmones ſunt infenſiſſimi noſtræ ſalutis hoſtes, ita angeli Dei eam, quantum poſſunt, procurant. vide D. Dionyſium cap. 4. cæleſt. hierarch.*

γ Sunt de his exempla.] *Apoc. 19. & 22. ubi Joannes prohibetur adorare angelum: (Nulli tamen dubium eſt ita adorare angelum Joannem voluiſſe, ut angelum adorari par erat, & ut ſancti illi patres in veteri teſtamento loquuntur angelos adoraſſe. i. non ut creatorem, ſed ut creaturam excellentiſſimam, & homine mortali cùm natura tùm ſtatu gloriæ longè ſuperiorem. Nec enim ignorabat uni Deo angelis infinitè ſuperiori deberi cultum latriæ. Non itaque ullum peccatum fuit in Ioanne volente adorare angelum nuntium Dei ad ſe miſſum,) verùm dices: Cur ergo prohibet angelus hujuſmodi adorationem? Reſpondetur, antea quidem non prohibuiſſe angelos adorari ab hominibus, cùm noſtra natura nondum eſſet reconciliata Deo, verùm ubi aſſumpta eſt à verbo, & homines per Chriſtum Deo reconciliati, & filii Dei effecti, & cives ſanctorum & domeſtici Dei, tùm quidem homines ſanctos potiſſimum, & à Chriſto electos miniſtros novi teſtamenti in majori pretio habuere, & tantam eorum dignitatem veneranti non permiſere ut ſe adorarent. Ne tamen putes etiam cultu latriæ in veteri teſtamento angelos adoratos fuiſſe, nec enim permiſiſſent eum cultum ſibi deferri, quem ſciebant uni Deo creatori deberi: nec etiam ſancti eum honorem creaturis detuliſſent, qui Deo debebatur: Et Iudic. 3. angelus noluit ſibi offerri holocauſtum à Manue patre Samſonis, ſed Deo.* Si vis (*inquit*) holocauſtum facere, illud Domino offer. *D. Auguſtinus ſuper Gen. q. 61. dicit talem apparuiſſe angelum, ut pro Deo poſſet adorari, ideò corrigendum fuiſſe adoratorem.*

δ Nam Paulus & Barnabas.] *Act. 14. Idem exemplum ad idem argumentum adfert lib. 20. contr. Fauſtum Manich. c. 21. Hier. lib. 2. adverſus Vigilantium.* Nonne Paulus & Barnabas cùm à Lycaonibus Juppiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hoſtias immolare, ſciderunt veſtimenta ſua & ſe homines eſſe dixerunt, non quod meliores non eſſent olim mortuis hominibus Jove atque Mercurio, ſed quod ſub Gentilitatis errore honos eis Deo debitus deferretur.

retur. *Quod & de S. Petro legimus, qui Cornelium adorare cupientem illum manu ſua ſublevavit, & dixit,* Surge, nam & ego homo ſum. *Supra lib. 8. ca. 27.*

ε Niſi quia uni Deo deberi ſciunt.] *Idem lib. 4. de Trinit. cap. 12.* Non intelligunt, ne ipſos quidem ſuperbiſſimos ſpiritus honoribus ſacrificiorum gaudere potuiſſe, niſi uni vero Deo, pro quo coli volunt, verum ſacrificium deberetur. *Et epiſt. 49. ad Deogratias, q. 3. ſcribit, eſſe impiæ ſuperbiæ dæmonum,* quod ſibi deferri ſacrificia juſſerint, vel cupierint, quæ pia humilitas, vel hominum, vel angelorum ſanctorum ſibi oblata recuſavit, & cui deberentur oſtendit.

Cap. XX.

De ſummo veroq; ſacrificio, quod ipſe Dei & hominum mediator effectus eſt.

Unde verus ille mediator, inquantum formam ſervi accipiens *mediator effectus eſt Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus,* cùm in forma Dei ſacrificium cum patre ſumat, cum quo & unus Deus eſt, tamen in forma ſervi ſacrificium maluit eſſe, quàm ſumere, ne vel hac occaſione quiſquam exiſtimaret, cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. α Per hoc & ſacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio β Cujus rei ſacramentum quotidianum eſſe voluit eccleſiæ ſacrificium: *a* cùm ipſius corporis ipſe ſit caput, & ipſius capitis ipſa ſit corpus, tam ipſa per ipſum, quàm ipſe per ipſam ſuetus offerri. γ Hujus veri ſacrificii multiplicia variaque ſigna erant ſacrificia priſca ſanctorum, cùm ob hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, *b* ut ſine faſtidio multum commendaretur. Huic ſummo veroque ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt.

L. Vives. *a* Cum ipſius corporis ipſe ſit caput.] *In lib. Colonienſi & Brugenſi ſic legitur: Quæ cum ipſius capitis corpus ſit, ſeipſam per ipſum dicit offerre. tametſi non diſplicet, quod vulgo legitur.*

b Ut ſine faſtidio.] *Varietas enim adimit faſtidium: quod etiam in loquentibus contigit, qui ſi idem bis eodem repetant modo, faſtidio ſunt, ut crambe repetita ſi centies, ſed variè, gratiam non amittunt. De quo præcepta ſunt in rhetoricis. Ac ſimile eſt, quod de convivio ſibi exhibito ſuillis carnibus variè conditis narrat. Q. Flamminius apud Livium: itaq; diverſa erant quæ rem eandem in lege vetere ſignificarent, ut ſine faſtidio & intelligentes magis meliusq; venturæ ſalutis admonerentur, & rudes inter tot ſigna unum ſaltem aliquod invenirent, quo quod futurum promitteretur intelligerent.*

F. L. Coq. α Per hoc & ſacerdos eſt ipſe offerens.] *unde paſſim à patribus dicitur* ſacerdos *&* hoſtia, *quod ſeipſum in ſacrificium Deo gratiſſimum in ara crucis pro nobis obtulerit. D. Ambroſ. l. 3. de fide, c. 5. Fulgentius de fide ad Petr. cap. 2. Eſtq; propoſitio de fide. Sic enim Apoſtolus ad Eph. de Chriſto loquitur.* Tradidit ſeipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. *Eodem modo loquitur Heb. 9. & 10. Docet idem Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 2. Circa hoc videri poteſt D. Auguſtin. l. 4. de Trin. c. 14. & in lib. Iudic. q. 54. D. Thom. 12. q. 602. art. 33. & 3. p. q. 22. art. 2.*

β Cujus

β Cujus rei ſacramentum quoddam voluit eſſe ſacrificium Eccleſiæ. (*Quid ergo ſibi volunt hæretici inimici veritatis pleni omni dolo & omni fallacia, quò prorumpunt audaciæ, ut aſſerere audeant nullum in Eccleſia à Chriſto inſtitutum ſacrificium, adeoq; ſacroſancti hujus ſacrificij, cui cum magna veneratione angeli aſſiſtunt, hoſtes ſe infeſtiſſimos oſtendunt, templa & altaria demoliuntur, ſacerdotes Chriſti miniſtros tanta crudelitate, vel potius rabie perſequuntur? An non manifeſtè à doctrina Patrum recedunt? Et quia D. Auguſtinum inter cæteros tanti facere ſe jactitant, quid D. Auguſtinus hoc loco per quoddam Eccleſiæ ſacrificium intelligit? Ex eo verò quòd vocat illud* ſacramentum ſacrificii Chriſti, quo ſeipſum obtulit in cruce, *utpote cruenti quod ſit illius repræſentativum, & illud nobis in memoriam revocet, ne inde inferas non eſſe ſacrificium propriè dictum. Neq; enim eſt contra rationem ſacrificii, quod ſit alterius repræſentativum. Sic enim ſacrificia vetera & agnus paſchalis & oblatio Melchiſedech vera fuere ſacrificia, fuere tamen ſimul ſigna & repræſentationes ſacrificii Chriſti, ſive cruenti, ſive incruenti, ut D. Auguſtinus docet 20. contra Fauſtum, cap. 18. & alibi paſſim. Sic igitur hoc myſterium non modo imago eſt ſacrificii, ſed & ſacrificium ſicut ſimul eſt verum corpus & ſanguis Chriſti, & præterea ſacramentum ſeu ſacrum ſignum ejus, ut ſæpè loquitur D. Auguſtinus & ſacramentum paſſionis ſuæ, ſeu ſacrificij incruenti, quod myſticè hic repræſentatur. vide concilium Tridentin. ſeſſ. 22. Perſpicuum eſt etiam nullam religionem ſine ſacrificio conſtare poſſe, quod etiam Philoſophi natura duce intellexerunt: Plato 8. de ll. 10. de repub. Ariſtoteles 3. & 6. Politicorum.*)

γ Hujus veri ſacrificii multiplicia variaque ſigna erant.] *Id docet concilium Tridentinum, ſeſſ. 22. c. 1.* hæc illa oblatio eſt, quæ per varias ſacrificiorum naturæ & legis tempore ſimilitudines figurabatur, utpote quæ omnia bona per illa ſignificata velut omnium illorum conſummatio & perfectio complectitur. *Idem ſcribunt & Patres. D. Chryſoſtomus in Pſal. 95.* magnus erat & ſine modo numerus ſacrificiorum in lege, quæ omnia nova ſuperveniens gratia uno complectitur ſacrificio, unam & veram ſtatuens hoſtiam. *Leo Papa ſerm. de paſſion. Domini.* Nunc carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante omnes differentias hoſtiarum corporis, & ſanguinis tui implet oblatio. *Ipſe D. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum c. 18.* Hebræi in victimis pecorum, quas offerebant Deo multis & variis modis ſicut re tanta dignum erat, Prophetiam celebrarunt futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit, unde jam Chriſtiani peracti ejusdem ſacrificii memoriā celebrant ſacroſancta oblatione & participatione corporis Chriſti & ſanguinis. *& præterea c. 21. & lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. ult. & in Pſal. 49, ad illa verba*, non accipiam de domo tua vitulos, *& in Pſal. 50. ad ea verba*, Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique, *& lib. 1. contra adverſarios legis, & Proph. cap. 18. cur debuerint eſſe multiplicia illa ſacrificia, eandem rationem, quam hoc loco reddit.* Sicut enim res una multis locutionibus & multis linguis ſignificari poteſt, ſic unum verum & ſingulare ſacrificium multis eſt antea ſacrificiorum ſignificatum figuris. *Et hæc quidem potiſſima ratio eſt, cur in veteri lege varia & multiplicia oportuerit eſſe ſacrificia,*

 quia

Digitized by Google

quia per unicum non poterat ſacrificii novæ legis perfectio ſignificari. Propterea ut populus ille Iudaicus facilius revocaretur à ſacrificiis idolorum, voluit Deus tàm multa ſibi ſacrificia offerri, ut nullum haberent otium idolis ſacrificandi. Denique ut magis exercerentur, & proficerent in cultu Dei.

Cap. XXI.

De modo poteſtatis dæmonibus datæ ad glorificandos ſanctos, qui pertulerunt jam paſſionem, qui aereos ſpiritus non placando ipſos, ſed in Deo permanendo vicerunt.

Moderatis autem præfinitisque temporibus, etiam poteſtas permiſſa dæmonibus, ut hominibus quos poſſident excitatis, inimicitias adverſus Dei civitatem tyrannicè exerceant, ſibique ſacrificia non ſolum ab offerentibus ſumant, & à nolentibus expetant, verum etiam ab invitis perſequendo violenter extorqueant, *α* non ſolùm pernicioſa non eſt, ſed etiam utilis invenitur Eccleſiæ, *β* ut martyrum numerus impleatur, quos civitas Dei tanto clariores & honoratiores cives habet, quanto fortius adverſus impietatem poteſtatum, etiam uſque ad ſanguinem certant. Hos multò elegantius ſi eccleſiaſtica loquendi conſuetudo pateretur, *γ* noſtros *a* heroas vocaremus. *δ* Hoc enim nomen à Iunone dicitur tractum, quod Græcè Iuno ἥρα appellatur: & ideo *b* neſcio quis filius ejus ſecundum Græcorum fabulas Heros fuerit nuncupatus, hoc videlicet veluti myſticum ſignificante fabula, *ε* quòd aer Iunoni deputetur, ubi volunt cum dæmonibus heroas habitare, quo nomine appellant alicujus meriti animas defunctorum. Sed à contrario martyres noſtri heroes nuncuparentur, ſi, ut dixi, uſus eccleſiaſtici ſermonis admitteret: non eſt, aereas vincerent poteſtates: & in eis ipſam quicquid putatur ſignificare quòd eis eſſet cum dæmonibus in aere ſocietas, ſed quòd eoſdem dæmones, id Iunonem, quæ non uſquequaque inconvenienter à poetis inducitur *ζ* inimica virtutibus, *c* & cælum petentibus viris fortibus invida. Sed rurſus ei ſuccumbit infœliciter, ceditque Vergilius, ut cùm apud eum illa dicat,

Vincor ab Ænea,

ipſum Æneam admoneat Helenus, quaſi conſilio religioſo, & dicat:

Iunoni cane vota libens, d *dominamq; potentem*
e *Supplicibus ſupera donis.*

Ex qua opinione Porphyrius, quanvis non ex ſua ſententia, ſed ex aliorum, bonum dicit Deum vel genium non venire in hominem niſi malus fuerit antè placatus: tanquam fortiora ſint apud eos numina mala quàm bona: quandoquidem mala impediunt adjutoria bonorum, niſi eis placata dent locum, maliſque nolentibus bona prodeſſe non poſſunt: nocere autem mala poſſunt, non ſibi valentibus reſiſtere bonis. Non eſt iſta veræ veraciterque ſanctæ religionis via? non ſic Iunonem, hoc eſt, aereas poteſtates, piorum virtutibus invidentes noſtri martyres vincunt. Non omnino, ſi dici uſitatè poſſet, heroes noſtri ſupplicibus donis, ſed virtutibus divinis Heram ſuperant. *ƒ* Commodius

modius quippe Scipio Africanus eſt cognominatus, quòd virtute Africam vicerit, quàm ſi hoſtes donis placaſſet, ut parcerent.

a HEroas vocaremus.] *Plato in Epinomide inter ordines deorum, quoſdam ſtatuit dæmonibus aereis minores, hominibus majores: quos ἡμιθέας vocat, eosq; heroes eſſe non dubitant: nam ſemideos illos nominant, genitosq; altero parente Deo, altero mortali, ut ait Plato in Cratylo, quales ſunt Hercules, Dionyſius, Æneas, Tyndaridæ, Æſculapius, Romulus: quo fit, ut cùm parente altero ſint Deo, multi nolint eos homines dici, ſed plus quam homines, & minus quàm dæmonas, cujus ſententiæ eſt Iamblichus Pythagoricus. Hierocles Stoicus carmina, quæ Pythagoræ nomine circumferuntur, alij Philolai Pythagorici eſſe tradunt: illa igitur carmina enarrans ex Platonis, ut ait, ſententia, genere dæmonum & angelos & heroes comprehendit: ut quantum ad cæleſtes ſpectat, dicantur angeli: quantum ad terreſtres, heroes: quantum ad medios, dæmones. Alios dicit indifferenter omnes illos angelos, dæmones & heroes nuncupare. Sed ex ſententia Pythagoræ, inquit, heroes dæmones dici deorum filios. Et profectò ita ſunt heroes dæmones, ut genus illud aureum dæmones terreſtres vocavit Heſiodus in ἔργοις. Nam quartum genus hominum pejus quidem illo aureo, ſed tertio tamen præſtantius heroes nominavit, homines autem tam hos quàm illos, & ſemideos nominat, dicens:* L. Vives. Heroes & ſemidei.

> Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται
> Ἡμίθεοι.
> *Divinum genus heroum, cognomine dicti*
> *Semidei.* Heroes

Ut appareat eoſdem eſſe de quibus Plato loquitur. Hi enim ſunt veteres illi venerabiliores & excellentiores hominibus, qui fatidica nave cum Iaſone navigarunt, & qui militarunt ad Troiam. Nam Heſiodus ipſe bellaces fuiſſe dicit: idcirco iracundi & violenti ſunt crediti, ſicut Menander inquit, quod ſi quis tranſiret templum horum alicui ſacrum, quod ἡρῷον dicebant, ſilentio, ac veneratione id fieri oportebat, ne in ira accenderetur heros, tumultumq; aliquem moveret. Erant enim heroa per Græciam frequentia, id eſt, eximia virtute viris ædes erectæ. Cujuſmodi permultarum Pauſanias meminit, ut Ulyſſi, & Tamalo, & Acriſio. Latini quoque ut Plin. lib. xix. de heroo Seſtico. Nomen herois Plato in Cratylo ab ἔρωτος deductum exiſtimat, id eſt, ab amore: quod ex amore immortalis Dei adverſus mortalem fœminam, aut immortalis fœminæ adverſus mortalem virum genitus videatur. Aut ab εἴρειν, quod eſt dicere, quòd oratores diſerti fuerunt, rexerintq; populos. Hierocles ab amore quidem, cæterum non quòd amore ſic geniti, ſed quòd amore pleni ſint, & electi amatores Dei, noſq; ad ſimilem amatorem exigunt. Nam præfecti ſunt hominibus, ut Iamblichus ait itidem Pythagoricus, eorumq; munus eſt vivificare, ratiocinari, cuſtodire animas, & eas è corporibus ſolvere. Sed has eſſe vires animi noſtri, ideo illum eſſe ſuum unicuiq; dæmonem oſtendimus. Alij ab ἔρας, quæ eſt terra, heroas dictos exiſtimant, quaſi terreſtres dæmones. Si enim animas optimorum virorum corporibus functas nominavit Heſiodus. Et Pythagoras, cùm jubet τοὺς τε καταχθονίους σέβου δαίμονας, Terrenos venerare dæmonas. Inter- Heroum

pres Homeri ab ἔρας mavult nominari, ἢ διὰ γῆ κατὰ διάλεκτον, ἐκ ἧς τῆς γῆς ἐπλάσθη τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων. Eſt, inquit, Era terra ſecundùm quandam linguam. Porrò è terra humanum genus eſt fictum. Capella lib. Nuptiarum 2. hoc totum quicquid inter nos & lunam interpatet, locum eſſe ait deorum manium, & regnum Ditis. Sed ſuperiorem partem eſſe heroum, inferiorem manium: heroesq́ qui ἡμίθεοι dicuntur, animas gerere, & ſacras mentes, indutos humana forma, magniſq́ mundi commodis procreari, ut Herculem, Dionyſium, Triptolemum. Hinc ab ἥρα: id eſt, Iunone poſſunt videri nominati, quòd ejus regnum eſt aer, quò animas fœlicium ire Pythagoricos credere Hierocles teſtatur, illis verſiculis Pythagoræ ſive Philolai:

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

hoc eſt:

Corpore depoſito liberam ſi ſcandis in æthram,
Tunc Deus æternus fies, mortalia linquens.

Verùm à Platone marini divi nominantur, credo quòd cùm craſſiores illos putaret dæmonibus, hoſq́ verè dixiſſet aereos, par eſſe exiſtimavit, eorum naturam rei craſſiori, quàm ſit aer attribuere commodiorem aqua nullam invenit. Eſt quoq́ ἥρα regina, & regnorum dea, dominamq́ ſæpe Latini interpretantur, ut Vergil. in 3. ita heroes, ſi ab hera ſint nuncupati, quaſi principales & regij poſſunt intelligi.

b Neſcio quis filius ejus.] *Videor mihi de hoc in Græcorum commentariis legiſſe, nec ſatis tamen apud quem memini. Fortunæ plerunq́ hæc ſunt, potius quam eruditionis, vel diligentiæ, ut in præfatione dixi.*

c Et cælum petentibus viris fortibus.] *Ut Dionyſio, Herculi, Æneæ.*

d Dominamque potentem.] *Vertit id quod modo dicebam de hera. Nam illa etiam inferna Proſerpina, quæ à Charonte apud Verg. lib. 6. domina nuncupatur, Iuno eſt inferna. Iuno enim ſuperna eſt quæ dicitur magna: & inferna, ut tradit Servius. nam & ipſe Diſpater, Iupiter infernus nominatur. Sic in nuptiis Orci & Proſerpinæ turba illa umbrarum ſilentium canit apud Claud. lib. 2. raptus Proſerpinæ:*

Noſtra parens Iuno, tuq́ ô germane tonantis
Et gener unanimis conſortia ducite ſomni,
Mutuaq́ alternis innectite colla lacertis.

Et apud Lucianum Proteſilaus Diti ὦ ἡμέτερε Ζεῦ, ô noſter Iupiter.

e Supplicibus ſupra do.] *Oſtendit poeta, inquit Donatus, majoris potentiæ inimicos obſequendo potius quàm reſiſtendo poſſe ſuperari.*

f Commodius quippe Scipio.] *Primus imperator qui ex provincia à ſe devicta cognomen reportavit fuit P. Cornelius Scipio P. filius, qui Hannibale victo, & Africa ſubacta, Africanus eſt cognominatus. Mox ejus frater Lucius Antiocho ſuperato, Aſiaticus eſt dictus. Et loquor de imperatoribus: nam Gn. Martius à Coriolis expugnatis appellatus eſt Coriolanus: & de provinciis, quoniam Sergius qui Fidenates vicit, dictus eſt Fidenas.* Scipio Africanus

a Non

a NOn ſolùm pernicioſa non eſt, ſed etiam utilis invenitur Eccleſiæ.] *Quemadmodum diabolus caput Eccleſiæ Chriſtum aggreſſus eſt primum, excitavit in eum invidos Judæos: unde tamen illius famam & nomen extinguere parabat, inde ſummam gloriam reportavit, & propter obedientiam usque ad mortem crucis, quam illi dæmon procurarat, exaltavit illum Deus, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ita ſuas omnes artes adhibuit, ut Eccleſiam everteret, nihil omnino omiſit, quod ad eam demoliendam conducere putaret. Verùm tantum abeſt, ut ſucceſſerit, quod moliebatur, ut etiam inde longè illuſtrior emerſerit. Ut enim aquæ diluvii Regum palatia obruebant, atque dejiciebant, arcam verò Noe magis ac magis ſemper attollebant, ita perſecutionibus regna temporalia facilè evertuntur: Chriſti verò regnum, quod eſt Eccleſia, non modo non deſtruitur, verùm etiam magis illuſtratur. Iuſtinus dialogo cum Tryphone dicit perſecutionem id eſſe Eccleſiæ, quod eſt vineis putatio.* Ut enim vineæ putatione ad ubertatem provocantur, ſic Eccleſia perſecutionibus creſcit. *Tertull. in Apolog. cap. 50.* nec quicquam tamen proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſecta. Plures efficimur, quoties metimur à vobis, ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum. *& lib. ad Scapulam, cap. 5.* Nec deficiet hæc ſecta: quam tunc magis ædificari ſcias, cum cædi videtur. *Leo ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo.* non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur. *Gregor. Nazian. Orat. 13. in laudem Hieroni.* Perſecutiones illuſtriorem ipſam. *i. e.* Eccleſiam ſplendidiorem per ſupplicia reddebant. *Et epiſtola quadam ad Epiſcopos orthodoxæ fidei.* ſcintilla in luculentam flammam aucta univerſum orbem pervagata eſt. Nam Tyranni Eccleſiam inſectando, firmiorem etiam ipſam reddiderunt, martyrum videlicet triumphis magis magiſque compactam & corroboratam. *Eadem Lactantius lib. 5. cap. 13. D. Bernard. ſerm. 30. in Cantica. Clemens Alexandrinus lib. 6. ςρωμ. Hilarius lib. 7. de Trinit.* Hoc Eccleſiæ proprium eſt, ut tùm vivat cùm læditur, tùm intelligatur cùm arguitur, tùm obtineat cùm deſeritur. *& alibi:* Hoc habet proprium Eccleſia, ut dum perſecutionem patitur floreat, dum opprimitur creſcat, dum contemnitur perſiſtat, dum læditur vivat, dum arguitur intelligat, tunc ſtat cùm ſuperari videtur.

β Ut martyrum numerus impleatur.] *Hinc inter cæteros Eccleſiæ fructum adferri aſſerit ex perſecutione dæmonum ac Tyrannorum. Huc refer quod Apoc. 6. legitur; ſanctis enim expoſcentibus vindictam de Tyrannis, qui tam impiè & crudeliter eorum ſanguinem effudiſſent, reſponſum eſt, ut requieſcerent adhuc tempus modicum: donec compleantur conſervi eorum & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi. Malitia itaque Tyrannorum non obfuit, ſed profuit Eccleſiæ, quæ alias tot ſanctorum martyriis non fuiſſet decorata. Rectè Tertull. lib. ad Scapulam cap. 5.* Crudelitas veſtra gloria eſt noſtra. *& in Apologet. cap. 49.* Vulgus vanum de noſtra miſeria gaudet, proinde & noſtrum eſt gaudium, quod ſibi vindicant, qui malumus damnari, quàm à Deo excidere: contrà illi, qui nos oderunt, dolere, non gaudere debebant conſecutis nobis quod eligimus. *D. Baſilius*

lius, minitanti mortem præfecto Valentis. Mors (*inquit*) mihi beneficii loco erit, citiùs enim me ad Deum transmittet, cui vivo, & munere meo fungor, maximaque ex parte obii, & ad quem jampridem propero. *Gregorius Nazianz. orat. 30. quæ eſt in laudem Baſilii.*

γ Noſtros Heroas.] *Divinos viros Heroas appellare licet; ſic enim teſte Ariſtotele in Ethicis Lacedæmones vocare conſueverant, cùm quempiam valdè laudarent, quos raros invenire liceat, qui ſupra cæteros mortales plurimùm excellere videantur, ut divina potiùs progenies, quam humana videatur, quemadmodum Iliados poſtremo fingit Homerus Priamum de Hectore loquentem,* ὅτι σφόδρα ἦν ἀγαθὸς, οὐδὲ ἐῴκει.

Ἀνδρὸς γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

Si quis autem conſideret, qua conſtantia Martyres pro fide Chriſti mortem contempſerint, & ſanguinem profuderint, certè Heroicam & divinam illis mentem non defuiſſe non inficiabitur. An non heros Paulus Apoſtolus, Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus; & certus ſum, quod neque mors, neque vita, neque alia creatura poterit me ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu. *Roman. 8. An non Heros Ignatius; & cæteri, Heroes Chriſtianæ virgines, quæ non horrenda quidem monſtra, quod fingunt de Hercule, ſed quod longè difficilius, Diaboli tentationes, carnis irritamenta & mundi fortiſſimè ſuperarunt. Tot ſanctiſſimi confeſſores, quorum vitæ ſanctitatem ſi quis ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis repetat, nedum eos imitari, imò ne mente quidem aſſequi ſe poſſe tàm auſteram & non jam humanam, ſed angelicam prorſus in terris vitam ſperet. Sunt hi certè re Heroes, & ſi non nomine; quia Herois nomen inanem quandam gentilium gloriam præ ſe ferre videtur, quam viri ſancti ſpreverunt: quo ſenſu D. Auguſtinus noſter hoc loco (ſi Eccleſiaſtica loquendi conſuetudo pateretur) martyres noſtros Heroas vocaremus. Religio enim Chriſtiana hujuſmodi nomina & titulos faſtum ac inanem gloriam præ ſe ferentes ſemper vitavit.* Principes Gentium (*ait Chriſtus*) dominantur eorum, & qui majores ſunt inter eos, benefici vocantur. Non ſic erit inter vos. *Euſebius in orat. Conſtantini ad Sanctorum cœtum c. 20. inter cæteros verſus Virgilianos eo adducto,*

At ſimul Heroum laudes & facta parentis.

Per Heroum laudes (*inquit*) juſtorum hominum rectè facta ſignificat, ſcilicet, ut quæ opera acti impulſu Spiritus ſancti exercent, qui non tam agunt quàm patiuntur divina, *ut de Erotheo ſcribit D. Dionyſius lib. de divin. nomin. cap. 2. Hoc enim faciunt tum virtutes Theologicæ, tùm cum illis conjuncta in nobis dona Spiritus ſancti, ut divino potiùs quàm humano more operemur.*

δ Hoc enim nomen à Junone dicitur tractum.] *Ita quidem viſum eſt D. Auguſtino, quia aer Junoni dicatus eſt, in quo fingitur Heroas cum dæmonibus habitare. Cenſuit verò Plato in Cratylo Heroes ab* ἔρωτος *i. e. amore fuiſſe nuncupatos, vel quia finxere veteres eos oriri ex mutuo amore Deorum & hominum; vel ut Hierocles exiſtimavit, quia ſunt dæmones amore flagrantes, qui homines in Deorum amorem rapiant ac dirigant. Poteſt etiam duci id nomen ab* εἴρειν, *quod eſt dicere,*

ut

ut in eodem Dialogo ſuſpicatus eſt Plato. Facundi enim Rhetores & arguti Sophiſtæ olim fuêre judicati Heroica proles, cæterorumque hominum duces ac Principes. Poetæ ſemideos Heroas vocabant ex Deo & homine ortos. Ita Heſiodus,

Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος οἳ καλέονται.

e Quod aer Junoni deputetur.] *Iunonem in aere exorari ſolitam indicat locus Tertulliani lib. de teſtimon. animæ.* In ipſis denique templis Deum judicem imploras, ſub Æſculapio ſtans Junonem in aere exoras.

ζ Et inimica virtutibus & cœlum petentibus.] *Quemadmodum inducitur inimica Æneæ, obſtatque, ne ſecundis ventis naviget in Italiam,*

------ ſedes ubi fata quietas Oſtendunt ------

Ita aere illæ poteſtates remorantur nos quantum poſſunt, ne proſpero curſu tandem cœlum attingamus. Ita ſub poeticis fabulis latere ſolet nonnunquam aliquid myſterii altioris reconditum.

CAP. XXII.

Unde ſit ſanctis adverſum dæmones poteſtas, & unde cordis vera purgatio.

VEra pietate homines Dei aeream poteſtatem inimicam contrariamque pietati *a α* exorcizando ejiciunt, non placando: omnes tentationes adverſitatesque ejus vincunt orando non ipſam, ſed ſuum Deum adverſus ipſam. Non enim aliquem β vincit, aut ſubjugat, niſi ſocietate peccati. In ejus ergo nomine vincitur, qui hominem * aſſumpſit egitque ſine peccato: id in ipſo ſacerdote ac ſacrificio fieret remiſſio peccatorum: id eſt, per mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Jeſum: γ per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Non enim niſi peccatis homines ſeparantur à Deo, quorum in hac vita non fit noſtra virtute, ſed divina miſeratione purgatio: per indulgentiam illius, non per noſtram potentiam: quia & ipſa quantulacunque virtus, quæ dicitur noſtra, illius eſt nobis bonitate conceſſa. Multum autem nobis in hac carne tribueremus, niſi uſque ad ejus depoſitionem *b* ſub venia viveremus. Propterea ergo nobis per mediatorem præſtita eſt gratia, ut polluti carne peccati, carnis peccati ſimilitudine mundaremur. Hac Dei gratia, qua in nos oſtendit magnam miſericordiam ſuam, & in hac vita per fidem regimur, & poſt hanc vitam per ipſam ſpeciem incommutabilis veritatis ad perfectionem pleniſſimam perducemur.

* al. humanam ſuam.

a EXorcizando ejiciunt.] Ἐξορκίζω, *adjuro. Sic Auguſtinus* ἐξορκισμὸν, *adjurationem vertit: & exorciſtam adjuratorem, qui immundum ſpiritum adjurationibus pellit à catechumeno, antequàm ſacræ aquæ admoveatur: ut ipſe docet in Symbolo. Et eſt inter initiationes tertia, quæ dicitur exorciſtarum. Ordo eſt enim ex ſeptem. De hoc & exorciſmo ante baptiſmum tractat Petrus Lombardus lib. 4. Sententiarum theologicarum, ſect. 8. & 24.*

L. Vives Exorcizare.

b Sub venia viveremus.] *Quia ſemper ſub lege peccati, & obnoxij infirmitatibus, vitiiſq;, ne quis ſe efferat. Nam quicquid bene agitur, aliunde eſt, nempe ex Deo, cujus venia peccatum eximus, & beneficio rectè vivimus.*

Digitized by Google

F.L.Cog. α EXorcizando ejiciunt.] *Exorciſmus idem quod adjuratio, & Cyprianus ad Demetriam adjurationem vocat.* Adjurantur (*inquit*) à nobis & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſorum corporibus ejiciuntur dæmones. *Exorcizandi ritum antiquiſſimum eſſe in Eccleſia conſtat ex aliquibus patribus, & ex ſcriptura ſacra. Ignatius epiſt. ad Antiochenſes Exorciſtas ſalutat.* Ἀσπάζομαι ὑποδιακόνους, ἀναγνωστὰς, ψάλτας, πυλωρούς, τοὺς κοπιῶντας, ἐπορκιστὰς, ὁμολογητάς. *Exorciſtarum meminit & Clemens Romanus lib. 8. conſtitut. cap. 26. Cyprianus lib. 4. epiſt. 7. ſcribit, per Exorciſtas voce humana & poteſtate divina dæmonem flagellari, uri, torqueri. Scribit Cyrillus Hieroſolymit. præfat. Catecheſ. exorciſtas per Spiritum ſanctum dæmones effugare. Sic Optatus Milevitanus lib. 4. aſſerit per exorciſmos ſpiritus immundos depelli, & in deſertum fugari. D. Chryſoſtomus Homilia de Adam & Eva.* Exorciſmus (*inquit*) & ex ſufflationibus Clericorum ab eis immundus abigitur: *Juſtinus Martyr in Apolog.* Adjurati (*inquit*) dæmones nobis parent. *Minutius in Octavio.* A nobis & meritis verborum & orationis incendiis de corporibus exiguntur. *Lactantius lib. 2. cap. 16. ſcribit dæmones nomine Dei adjutos de corporibus excedere, & cogi nomina ſua edere;* Quia nec Deo per quem adjurantur, nec juſtis, quorum voce torquentur, mentiri poſſunt. *Omnium verò optimè Prudentius in Apotheoſi,*

Intonat Antiſtes Domini, fuge callide ſerpens,
Exue te membris, & ſpiras ſolve latentes,
Mancipium Chriſti fur corruptiſſime vexas:
Deſine, Chriſtus adeſt, humani corporis ultor,
Non licet ut ſpolium rapias, cui Chriſtus adhæſit:
Pulſus abi ventoſe liquor, Chriſtus jubet, exi.

Idem, ---- torquetur Apollo
Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt, agitant miſerum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei reſonant miracula Chriſti.

Exorciſmorum vi ejici dæmones ſcribit & Tertullianus in Apolog. cap. 23. lib. de Spectac. c. 26. de præſcript. hæretic. c. 41. Exorciſmum definit B. Iſidorus lib. 2. de officiis Eccleſ. c. 20. quòd ſit, Sermo increpationis contra immundum Spiritum, in Energumenis ſive Catechumenis factus, per quem ab illis Diaboli nequiſſima virtus & inveterata malitia expulſa fugetur. *Tertull. Iuſtinus & alii Patres eo argumento ſemper contrà Gentiles utebantur, quòd Exorciſmis, qui fierent in nomine Chriſti, dæmones etiam inviti expellerentur. Refert Euſeb. lib. 6. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 26. de Donato, quo pacto opera Exorciſtarum à dæmone fuerit liberatus. De exorciſmis inſtitutis à Salomone Ioſephus lib. 8. Antiquit. cap. 2. Refert Firmillianus ſcribens ad S. Cyprianum, & eſt Epiſt. 75. inter Epiſtolas D. Cypriani in editione Pamelij, inſignem quandam magam ab exorciſta quodam ſolis exorciſmis curatam & liberatam.*

β Vincit aut ſubligat niſi ſocietate peccati.] *Lactantius lib. 2. cap. 16. ex Hermete docet, viros probos, qui Deum cognoſcunt, ab invaſionibus dæmonum tutos eſſe,*

eſſe, nec etiam fato ſubjacere. εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου οὔτε δαίμων κακὸς οὔτ' εἱμαρμένη κρατεῖ. θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ.

γ Egitque ſine peccato.] *1. Petr. 2.* Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus, *1 Joan. 3.* Apparuit ut peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt, *Iſaiæ. 53.* Iniquitatem non fecit, neque dolus inventus eſt in ore ejus. *Hebr. 7.* Talis decebat eſſe nobis Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus. *2. ad Cor. 5.* Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit; *i. e. hoſtiam pro peccato. Propterea dicitur Rom. 8. miſſus non* in carne peccati, *ſed* in ſimilitudinem carnis peccati. *In concil. Epheſ. cano. 10. definiunt Patres Chriſtum obtuliſſe ſacrificium pro peccatis noſtris non pro ſuis, quia ille non habuit; Et omnes quidem Theologi aſſerunt, Chriſtum aſſumpſiſſe irreprehenſibiles corporis defectus, non tamen defectus culpabiles animæ, qui repugnant perfectioni gratiæ & ſcientiæ, quæ Chriſto conveniebat. Imò mihi valde illa ſententia probatur, quæ aſſerit ne de poteſtate quidem abſoluta potuiſſe eſſe peccatum in humana natura verbo hypoſtaticè unita. Vide D. Auguſtinum lib. de corrept. & grat. cap. 11.*

δ Per quem facta peccatorum purgatione.] *Alluſio ad locum Apoſtoli Hebr. 1.* purgationem peccatorum faciens.

ε Non fit noſtra virtute, ſed divina miſeratione purgatio.] *Ita remiſſio ſeu purgatio peccatorum, quemadmodum hominis juſtificatio eſt gratuitum Dei beneficium, & fit per Chriſti meritum. Docet concilium Trident. ſeſſ. 6. c. 9. neceſſarium eſſe credere neque remitti, neque remiſſa unquam fuiſſe peccata, niſi gratis divina miſericordia propter Chriſtum contrà hæreſim Pelagianam.*

CAP. XXII.

De principiis, in quibus Platonici purgationem animæ eſſe profitentur.

DIcit etiam Porphyrius, divinis oraculis fuiſſe reſponſum, non nos purgari lunæ teletis atque ſolis: ut hinc oſtenderetur nullorum deorum teletis hominem poſſe purgari. Cujus enim teletæ purgant, ſi lunæ ſoliſque non purgant, quos inter cæleſtes deos præcipuos habent? Denique eodem dicit oraculo expreſſum, principia poſſe purgare, ne forte cùm dictum eſſet non purgare teletas ſolis, & lunæ, alicujus alterius Dei de turba valere ad purgandum teletæ crederentur. Quæ autem dicat eſſe principia tanquam Platonicus, novimus. *a* α Dicit enim Deum patrem *b* & Deum filium, quem Græcè appellat paternum intellectum, vel paternam mentem: de ſpiritu autem ſancta, β aut nihil, aut non apertè aliquid dicit: quanvis quem alium dicat horum medium, non intelligo. Si enim tertiam, *c* ſicut Plotinus ubi de tribus principalibus ſubſtantiis diſputat, animæ naturam etiam iſte vellet intelligi, non utique diceret horum medium, id eſt, patris & filii medium. Poſtponit quippe Plotinus animæ naturam paterno intellectui: iſte autem cùm dicit medium, non poſtponit, ſed interponit. Et nimirum hoc dixit, ut potuit, ſive ut voluit: quod nos ſpiritum ſanctum, nec patris tantum, nec filii tantum γ ſed utriuſque ſpiritum dicimus. Liberis enim verbis loquuntur philoſophi,

Porphyrii de Trinitate ſententia.

 nec

nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt. d Nobis autem d ad certam regulam loqui fas eſt, ſ ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem. Nos itaque ita ζ non dicimus duo vel tria principia, cùm de Deo loquimur: ſicut nec duos deos, vel tres nobis licitum eſt dicere: quamvis de unoquoque loquentes, vel de patre, vel de filio, vel de ſpiritu ſancto, etiam ſingulum quemque Deum eſſe fateamur. η e Nec dicimus tamen quod hæretici Sabelliani, eundem eſſe patrem, qui eſt & filius: & eundem eſſe ſpiritum ſanctum, qui eſt & pater & filius: ſed patrem eſſe filii patrem, & filium patris filium, & patris & filii ſpiritum ſanctum, nec patrem eſſe, nec filium. Verùm itaque dictum eſt, non purgari hominem niſi principio, quanvis pluraliter apud eos ſint dicta principia.

De Trinitatis myſterio ad certam regulam loquendum.

a DIcit enim Deum patrem.] *Torquent ſe anxiè permulti diſputatione illa, noverintne philoſophi rationem aliquam divinæ trinitatis. Principio ne nobis quidem, quibus eſt myſterium regni apertum, illuxit niſi radius quidam perexiguus illius immenſæ lucis. Philoſophi verò priſci ſi quid dixerunt, quod ad hanc rem faceret, tam obſcurum id fuit, ut locutos potius eos, quam intellexiſſe exiſtimare par ſit. Arcana enim illa nihil eis retegi attinebat. Satis videtur fuiſſe ad unitatem Dei, & cuncti potentiam nocendam perveniſſe: ſi quid de trinitate ſunt locuti in teſtimonium venturæ pietatis dixiſſe ad ſectatores ſuos magiſtrorum ſententia premendos. Ariſtoteles ſcribit primo lib. De cælo & mundo. Pythagoricos in tribus poſuiſſe perfectionem rerum, velut principio, medio, & fine: & in deorum ſacris hunc numerum ſolitum uſurpari. Unde putantur eſſe illa verba magæ apud Theocritum, εἰς τρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ. Sed Verg. expreſſius:*

L. Vives. Trinitatem an norint philoſophi.

Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore.
Licia circundo, terq; hæc altaria circum
Effigiem duco numero Deus impare gaudet.

Et princeps diſciplinæ ſuæ Zeno λόγον dicit fatum, & neceſſitatem, & Deum, & animum Iovis. Sed Plato apertius videtur locutus. Nam in ſexto De republ. Socrates cùm ſatis ſibi de ipſius boni natura videretur diſputaſſe, putaretq; majorem eſſe rem, quàm ut poſſet dicendo explicare, inquit: Ἀλλὰ ὦ μακάριοι αὐτὸ μὲν τί ποτ' ἐστι τὸ ἀγαθὸν, ἐάσωμεν τὸ νῦν εἶναι. πλέον γάρ μοι φαίνεται ἢ κατὰ τὴν παροῦσαν ὁρμὴν ἐφικέσθαι τοῦ γε δοκοῦντος ἐμοὶ τανῦν. ὡς δὲ ἐκγονός τε τοῦ ἀγαθοῦ φαίνεται καὶ ὁμοιότατος ἐκείνῳ λέγειν ἐθέλω, εἰ καὶ ἡμῖν φίλον, εἰ δὲ μὴ, ἐᾶν. *Verùm quid ipſum bonum ſit, beati viri, in aliud tempus differamus. Majus enim mihi videtur, quàm ut hac intentione animi conſequi poſſimus. Quod verò hoc tempore malim explicare, illud eſt quid ſit boni ipſius filius, ſimillimus illius. Si modo id quoq; nobis libet. nam alioqui relinquamus. Hoc loco Glauco velle ſe declarat: nam dicendi de patre aliud futurum dicit commodius tempus. Tum Socrates de patre & filio boni diſputaturum ſe præfatur, & poſt paucas interrogationes ait, bonum eſſe ſolem quendam, filium ejus eſſe velut vim videndi, quam à ſole habemus, & in epiſtola ad Hermiam:* Ἐπομνύντας σπουδῇ τε ἅμα μὴ ἀμούσῳ καὶ τῇ τῆς σπουδῆς ἀδελ-
φῇ παι-

φῆ παιδείᾳ καὶ τὸν τῶν πάντων θεὸν ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τοῦ τε ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα κύριον ἐπομνύντας. Iurantes, inquit, ſtudio Muſis apto & ſorore ſtudij eruditione, per Deum ducem omnium, quæ ſunt, quæq; futura ſunt. Itidem per ducis & cauſæ omnium patrem dominum. Et in Epinomide λόγον τῶν πάντων θειοτάτου meminit, id eſt, ſermonis omnium diviniſſimi, à quo dicit mundum eſſe conſtitutum. De quo ſunt ea quæ ſequuntur. Hunc ſermonem vir ſapiens cùm eſt admiratus, accenditur amore, ut intelligat, quomodo futurus eſt beatus, & vivens, & poſt vitam. Nam illud ὂν non ad mundum referunt multi, ſed ad λόγον. Et ſic nos vertimus lib. 8. De beatitudine ſecundum Platonem diſſerentes. Plato igitur patrem apertis poſuit verbis, filium quoq;: ad tertium illud nulla ratione vocis putavit poſſe enunciari. Et ſi in ordine gradibuſq; divinitatis mundi animam, quæ eſt tertia & poſtrema, à principio & filio principij mente profectam exiſtimat. Animam verò mundi ſi quis impenſius Platoni faveret, poſſit facile defendere illum eſſe ſpiritum, qui ferebatur ſuper aquas: quem videntur illi facere fuſum per molem univerſitatis omnibus vitam eſſentiamq; impartientem. Et hæc ſunt in divinitate terna, de quis ad Dionyſium αἰνιγματικῶς, ut præfatur, ſcribit. Circa omnium regem cuncta ſunt, & illius cauſa ſunt omnia: eaq; cauſa eſt bonorum omnium, ſecunda verò circa ſecunda, tertia circa tertia. Præterea quæ ſunt apud Mercurium, & ex hoc collecta apud Iamblichum: nam res nobis tota eſt cum Platonicis. Non poſſum tamen reſponſum Sarapidis præterire, qui conſulenti Thuli, qui in Ægypto regnavit bello Trojano, quiſnam eſſet ſe beatior, fertur dixiſſe:

Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
Σύμφυτα δὴ τρία, πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα.
Principio Deus eſt, tum ſermo, & ſpiritus iſtis
Additur, æqueva hæc ſunt, & tendentia in unum

b Et Deum filium] *Porphyrius ſententiam Platonis explicans, ut Cyrillus contra Julianum refert, tres ſubſtantias in eſſentia divinitatis ſtatuit, Deum omnium maximum atq; optimum, deinde creatorem, tertium animum mundi: nec ulterius deitatem progredi. creatorem Plato & Porphyrius πάτριον νοῦν vocant: quod quanvis in tenebris videntur tamen poetæ attigiſſe cùm Minervam ſuam διὸς νοῦν faciunt, ſine matre, de illius vertice ac capite productam ſapientiam ipſam.*

c Sicut Plotinus.] *Hic ſcripſit librum De tribus perſonis ſive ſubſtantiis, in quo primum ſtatuit æternum illud atq; perfectum, quod ſecundum generavit & mentem æternam itidem & perfectam. Alio in loco patrem mentem nominat, ut interdum Plato fecit, ſed ab eo manaſſe verbum: à quibus univerſa ſunt condita. Ita enim ait in principio libri De providentia:* Οὕτω δὴ ἐκ τοῦ νοῦ, καὶ ἀπ' αὐτοῦ λόγου αὐξηθὲν τόδε τὸ πᾶν, καὶ διέστη. *Itaq; à mente ipſa, & ab ejus ſermone natum hoc univerſum & digeſtum eſt.*

d Ad certam regulam loqui fas eſt.] *Quaſi ex religione, ex pietate eſt certo genere uti verborum, nec aliis.*

Digitized by Google

e Nec dicimus tamen quod hæretici Sabelliani.] *Hi dicebant eandem eſſe patris & filij perſonam, fulti dicto illo Chriſti: Pater & ego unum ſumus.*

F.L.Coq. *a* DIcit enim Deum Patrem & Deum filium.] *An verò Porphyrius, vel Platonici, vel alii Philoſophi noverint myſterium trinitatis. Certè nonnulla habentur apud hujuſmodi Philoſophos, quæ ferè nonnullos in eam ſententiam adducunt, ut perſpectum aliqua ex parte videatur illis fuiſſe myſterium Trinitatis, quæ legi poſſunt apud Beſſarionem lib. 2. contra calumniat. Platonis cap. 4. & apud Eugubinum lib. 1. de perenn. philoſo. paſſim. Addi poteſt, veteres Patres in diſputatione contra Philoſophos & aliquando contra hæreticos probare hoc myſterium etiam Philoſophis cognitum fuiſſe; quemadmodum Clemens Alexand. lib. v. ςρωμα. adfert innumera teſtimonia Philoſophorum ad eandem rem comprobandam. Tertull. in Apolog. contra Gentes circa medium ait Philoſophos cognoviſſe, λόγον, i. e. verbum, per quod facta ſunt omnia, & inter alios citat teſtimonium Zenonis, & Cleanthem etiam ait agnoviſſe Spiritum ſanctum. Lactant. lib. 4. cap. 6. in eandem rem adfert teſtimonium Triſmegiſti & Sibyllarum vaticinia. Et Cyrillus lib. 7. contra Julianum Platonem oſtendit non ignoraſſe hoc myſterium. Eò referri poſſunt quæ docet Plato in Timæo de primo Deo, de opifice mundi, & anima mundi. Ad eandem rem hoc capite citatur liber Plotini de tribus principalibus ſubſtantiis; ſic enim inſcribit περὶ τῶν τριῶν ἀρχικῶν ὑποςάσεων. quem citat & Cyrillus in hanc ſententiam. Dicendum nihilominus, nemini unquam ratione naturali & citrà revelationem cognitum fuiſſe hoc myſterium. Conſtat primò ex ſcriptura. Matth. 11.* Nemo novit patrem, niſi filius, & cui voluerit filius revelare, *& 16.* Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. *Secundò probatur ex patribus. D. Hilar. lib. de Trinit.* Non putet homo ſua intelligentia generationis ſacramentum poſſe cognoſcere. *D. Ambroſius.* Impoſſibile eſt generationis ſcire ſecretum, mens deficit, vox ſilet. *D. Auguſtinus 1. de Trinit.* mentis noſtræ acies invalida in tam excellenti luce non figitur, niſi per juſtitiam Dei emundetur. *Accedit quod in tota religione Chriſtiana nihil tam impugnatum eſt ſicut hoc myſterium, immò hæretici (ut teſtatur Epiphanius hæreſi 62.) nitebantur potiſſimùm argumentis philoſophorum. Docet etiam D. Thomas 1. par. q. 32. artic. 1. eos fidei derogare, qui probare nituntur naturali ratione myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, primo quantùm ad dignitatem, quum fides ſit de rebus inviſibilibus, quæ humanam rationem excedunt. Deinde quantum ad utilitatem invitandi homines ad fidem. Quum enim rationes non cogentes inducat, incidit in irriſionem infidelium, quia ſibi perſuadebunt nos illis tantùm rationibus inniti, & propterea ita credere. Quæ igitur ex fide ſunt, non niſi per authoritatem probari debent apud eos, qui authoritatem recipiant, apud cæteros verò ſatis eſt defendiſſe, ut impoſſibile non ſit, quod à fide prædicatur. Ad ea verò quæ in contrarium adducebantur reſpondetur, Philoſophos habuiſſe quandam obſcuram & umbratilem illius myſterii cognitionem, minimè tamen idem intellexiſſe quod nos, utpote diſtinctionem perſonarum in una & eadem eſſentia divina, & quod tres perſonæ ſint una & eadem eſſentia, & eadem eſſentia divina ſit tres perſonæ.* Hæc

enim

enim ſapientia eſt myſterio abſcondita, quam nemo Principum hujus ſæculi agnovit *1. Cor. 2. D. Hieronymus in Epiſtola ad Paulum ad ea verba.* In principio erat verbum. Hoc, *inquit*, doctus Plato neſcivit, hoc eloquens Demoſthenes ignoravit. *Etſi aliquando de verbo divino locuti ſint Philoſophi, teſte D. Auguſtino lib. 8. Conf. reſpondetur certè cum D. Thoma 1. p. reperiri quidem in libris Platonicorum in principio fuiſſe* verbum, *non tamen ut* verbum *perſonam genitam ſignificet, ſed ut ratio rerum idealis intelligatur, per quam Deus cuncta creaverit, quod etiam Plotinus de tribus ſubſtantiis, vel de verbo divino locutus eſt, docet Theodoretus lib. 6.* θεραπευτ. *eum de ſacrarum literarum adytis compilaſſe, qui tamen neque hoc myſterium intellexit.*

β De Spiritu autem ſancto aut nihil, aut non apertè dicit.] *Gregorius Nazianzenus orat. 5. de Theologia exiſtimat divinitatem filij aliquo modo in veteri teſtamento explicatam fuiſſe, divinitatem verò Spiritus ſancti neque in novo teſtamento niſi obſcurè ante Chriſti aſcenſionem: tantum abeſt ut Philoſophi illam intellexerint. Didymus lib. 1. de Spiritu ſancto arbitratur quibusdam Philoſophis aliquo modo cognitum fuiſſe filium, ſed Spiritum ſanctum ab omnibus fuiſſe incognitum. Ita Porphyrius Philoſophus cum de paterno intellectu locutus fuiſſet, de Spiritu ſancto nihil dixit, tanti nimirùm myſterij inſcius.*

γ Sed utriusque Spiritum dicimus.] *Doctrina hæc eſt Catholica fide tenenda, Spiritum ſanctum procedere à patre & filio, & utriusque Spiritum eſſe. Ita definitum eſt in concilio Lugdunenſi 1272. redeuntibus in concordiam cum Latinis ipſis Græcis, & in Concil. Florentino poſt longam de hac re diſputationem rursùm id definitum, atque hoc dogma non modo ex Latinis, verùm etiam ex Græcis patribus colligi poteſt contra Græcos.*

δ Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt.] *Hæc præceptum de rebus divinis quàm cautiſſimè loquendi traditur à D. Dionyſio cap. 1. de divinis nominibus* περὶ ταύτης τῆς ὑπερουσίου καὶ κρυφίας θεότητος οὐ τολμητέον εἰπεῖν, οὔτε μὴν ἐννοῆσαί τι παρὰ τὰ θεοειδῶς ἡμῖν ἐκ τῶν ἱερῶν λογίων ἐκπεφασμένα. *A Damaſceno lib. 1. cap. 2.* οὐ δυνατὸν τι παρὰ τὰ θεοειδῶς ὑπὸ τῶν θείων λογίων τῆς τε παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης ἡμῖν ἐκπεφασμένα ἤτοι εἰρημένα καὶ πεφανερωμένα εἰπεῖν τι περὶ θεοῦ ἢ ὅλως ἐννοῆσαι. *Hieronymus item Epiſto. 57. ad Damaſum de verbo Hypoſtaſeos. D. Baſilius lib. 1. contra Eunomium. D. Thom. 1. p. q. 31. art. 2. multa ponit nomina, quæ in divinis vitari debent propter Sabellium & Arrium.*

ε Ne verborum licentia etiam de rebus.] *Id maximè caverunt Catholici, ut verbis uterentur perſpicuis, quibus id quod fide tenerent exprimerent. Ita nomine* ὁμοουσίου *uſi ſunt contra Arrianos.*

ζ Non dicimus duo vel tria principia cum de Deo loquimur.] Principium *prout notionaliter ſumitur in divinis, ſoli patri convenit, qui dicitur* πηγαία θεότης *D. Dionyſio,* fontana divinitas *& principium totius divinitatis. Verùm eſſentialiter dictum convenit tribus perſonis, quæ dicuntur unum & idem principium comparatione creaturarum.*

η Nec tamen dicimus quod hæretici Sabelliani.] *Profitebantur ipſi hæretici, nullam*

Digitized by Google

nullam eſſe in Deo perſonarum diſtinctionem, ſed ut una natura eſt, ita etiam unam perſonam, propter varia tamen officia ad eandem perſonam ſignificandam, varia nomina fuiſſe impoſita: quatenus conſideratur ut cauſa & principium rerum omnium vocatur pater; quatenus ſibi aſſumpſit humanam carnem, & ea ratione natus eſt, vocatur filius; quatenus verò nos ſanctificat, ſpiritus ſanctus. Exiſtimant omnes Sabellium primum authorem fuiſſe hujus hæreſis. Epiphanius tamen hæreſi 57. refert Noetium Sabellij præceptorem ante eum hanc ut alias pleraſque hæreſes excogitaſſe, ſed quia illuſtrior fuit ſub nomine Sabellij, quam ſub nomine Noetii, illius ſectatores vocati ſunt Sabelliani, non Noetiani. Inde qui dicuntur Patripaſſiani ab antiquis ſcriptoribus aliquando dicuntur Sabelliani, aliquando Noetiani, quia communis fuit utriuſque hæreſis. Si enim inter Patrem & filium non eſt perſonarum diſtinctio, ſed officiorum, non minùs certè quam filius, pater incarnatus eſt & paſſus. Emerſa autem hæc hæreſis circa annum Domini 260. temporibus Galieni Imperatoris & Stephani primi ſummi Romæ Pontificis. Hæc hæreſis erat alterum extremum hæreſis Arrianæ. Arrius enim non modo ponebat diſtinctionem perſonarum, verùm etiam eſſentiæ: Sabellius non modo unitatem eſſentiæ, ſed & perſonæ conſtituebat. At Catholica veritas media incedit, unitatem eſſentiæ contra Arrium, & diſtinctionem perſonarum contra Sabellium aſſerens. Legi poteſt Damaſcenus lib. 1. cap. 11. D. Auguſtinus ad hæc verba, Ego & pater unum ſumus, Unum (*inquit*) liberat me ab Arrio, ſumus à Sabellio. *De Arrij & Sabelli impietate ita exclamat Vincentius Litinenſis.* Quis (*inquit*) ante ſacrilegum Arrium Trinitatis unitatem diſcindere, quis ante ſceleratum Sabellium unitatis Trinitatem confundere auſus eſt? *Sabellij meminit diverſis in locis Nicephorus in hiſtoria Eccleſiaſtica, primum lib. 4. cap. 22. cùm Montani meminit his verbis,* Montanus de divina Trinitate & mundi creatione eadem nobiſcum docuit; Nonnulli tamen ex ſectatoribus ejus poſtea tres divinitatis ſubſiſtentias unam eſſe ſunt opinati, eundem eſſe patrem & filium, & ſpiritum ſanctum dicentes. Et Sabellium ex Libya principia hæreſis ipſorum ſcripſiſſe ferunt. *& lib. 6. cap. 26.* Nunc verò quis Sabellius fuerit, & quæ ejus fuerint blaſphemiæ clarè exponam. Et ille quidem Libycus genere fuit Pentapoli ejus regionis ortus. Docuit autem unam ſubſiſtentiam eſſe patrem & filium & ſpiritum ſanctum, unamque trinominem perſonam. Et in veteri quidem teſtamento velut patrem legem dediſſe; in novo autem quaſi filium hominem factum eſſe, & ſpiritum ſanctum ad Apoſtolos adveniſſe. *Tertullianus etiam lib de Trinit. meminit Sabellij, ſed inde certum ducitur argumentum eum librum non eſſe Tertulliani. Fuit enim antiquior Sabellio, nec potuit illius meminiſſe: Fallitur etiam impius Calvinus cum lib. 1. ſuar. Inſtitut. cap. 13. ſect. 4. aſſerit Sabellium fuiſſe tempore poſteriorem Arrianis, & cœpiſſe turbare Eccleſiam. Conſtat enim ex Epiphanio hæreſi 57. & 62. Sabellium multo fuiſſe antiquiorem, imo inde partim nata eſt hæreſis Arrij, quod nimis magno ſtudio laborarent Chriſtiani, ut vitarent hæreſim Sabellij. Legi poteſt D. Baſilij epiſt. 41. quæ eſt ad Maximum Philoſophum, ubi refert. Dionyſium dum nimis acriter diſputaret contra Sabellium, ſuppeditaſſe anſam*

Eu o-

Eunomio. Conſtat autem Eunomium ſectatorem fuiſſe hæreſis Arrianæ. Et Socrates lib.1. ſuæ hiſtoriæ cap.18. refert Catholicos ſolitos fuiſſe appellari Sabellianos, & cap.3. ait Arrium, dum videret Alexandrum Alexandrinæ urbis Epiſcopum de Trinitate aliquanto curioſius & ſubtilius diſſerentem, præſentibus presbyteris & clero exiſtimaſſe eum errorem Sabellij voluiſſe de integro in Eccleſiam introducere. Omnes etiam qui contra Arrium ſcripſerunt, hæreſis Sabellianæ tanquam multo antiquioris meminerunt.

CAP. XXIV.

De uno veroq́ principio, quod ſolam naturam humanam purgat atque renovat.

SEd ſubditus Porphyrius invidis poteſtatibus, de quibus & erubeſcebat, & eas liberè redarguere formidabat, noluit intelligere Dominum Jeſum Chriſtum eſſe principium, cujus incarnatione purgamur. *α* Eum quippe in ipſa carne contempſit, quam propter ſacrificium noſtræ purgationis aſſumpſit, magnum ſcilicet ſacramentum ea ſuperbia non intelligens, quam ſua ille humilitate dejecit, verus benignusq́ue mediator: in ea ſe oſtendens mortalitate mortalibus, quam maligni fallacesq́ue mediatores non habendo ſe ſuperbius extulerunt, miſerisq́ue hominibus adjutorium deceptorium velut immortales mortalibus promiſerunt. Bonus itaque verusq́ue mediator oſtendit peccatum eſſe malum, *β* non carnis ſubſtantiam, vel naturam, quæ cum anima hominis & ſuſcipi ſine peccato potuit, & haberi, & morte deponi, & in melius reſurrectione mutari: *γ* nec ipſam mortem, quamvis eſſet pœna peccati, quam tamen pro nobis ſine peccato ipſe perſolvit, *δ* peccando eſſe vitandam, ſed potius ſi facultas datur, pro juſtitia perferendam. Ideo enim ſoluere potuit moriendo peccata: quia & mortuus eſt, & non pro ſuo peccato. Hunc ille Platonicus non cognovit eſſe principium, nam agnoſceret purgatorium. Neq́ue enim caro principium eſt, aut anima humana, ſed verbum per quod facta ſunt omnia. *ε* Non ergo caro per ſeipſam mundat, ſed per verbum à quo ſuſcepta eſt, cùm verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Nam *ζ* de carne ſua manducanda myſticè loquens, cum hi qui non intellexerunt offenſi recederent, dicentes: *Durus eſt hic ſermo, quis eum poteſt audire?* Reſpondit manentibus cæteris: *η* *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam.* Principium ergo ſuſcepta anima & carne, & animam credentium mundat & carnem. Ideo quærentibus Iudæis quis eſſet, *ι* reſpondit ſe eſſe principium. Quod utique carnales infirmi peccatis obnoxii, & ignorantiæ tenebris obvoluti, nequaquam percipere poſſemus: niſi ab eo *θ* mundaremur atq́ue ſanaremur, per hoc quod eramus, & non eramus. Eramus enim homines, ſed juſti non eramus. In illius autem incarnatione natura humana erat, ſed juſta, non peccatrix erat. Hæc eſt mediatio, qua manus lapſis jacentibusq́ue porrecta eſt: hoc eſt ſemen diſpoſitum per angelos, in quorum edictis & lex dabatur, qua & unus Deus coli jubebatur, & hic mediator venturus promittebatur.

Ioh.1.
Ioh.6.

α Reſpon-

L. Vives. a Reſpondit ſe eſſe principium.] *Græcè eſt, τὴν ἀρχήν. Auguſtinus principium vult eſſe filium, ſed non aliud principium quàm patrem, ut nec alium Deum: idq; putat ſignificari per τὴν ἀρχήν. De qua re Laurentius & Eraſmus ex ratione vocis diſputant, non poſſe τὴν ἀρχὴν eſſe nomen, ſed adverbium: ut ſit primum, vel principio. Et profectò, ut quod ipſe ſentio, paucis dicam: tametſi obſcura eſt hæc loquendi formula, ac neſcio an ex hebraiſmo petita, ut alia in novo inſtrumento complura, tamen non videtur Chriſtus ſignificare ſe principium eſſe. Sed cùm rogatus quis eſſet, nulla ſe nominis ratione poſſet ad captum duntaxat illorum explicare, conſiderandum uniuſcujuſq; animo reliquit, qualem exiſtimaret eſſe, non quem videret, ſed cujus verba audiret: qualem illum, qui corpore, quem cerneret, contectus talia proferret. Erat enim Deus humana facie latens qui loquebatur, à quo magna illa proficiſcebantur, & admirabilia. Itaq; ait: Principio ego ſum ille, qui mortali corpore velut inſtrumento utens loquor vobis: non jam per angelum jubens, ſed per meipſum. Itaq; hæc reſponſio non eſt illius olim exhibita Moyſi abſimilis, ἐγώ εἰμι ὤν. Ego ſum ens. niſi quòd illa erat majeſtatis Dei, & eſſentiæ ejus ſimplicis: hæc recentior Dei, qui humanam ſibi formam adjunxerat.*

F. L. Coq. α Eum quippe in ipſa carne contempſit.] *Sapientibus enim hujus mundi crucifixus Chriſtus, ſeu etiam verbum incarnatum fuit ſtultitia, quod tam altum & ſublimè myſterium cùm non oculis fidei cernerent, ut remotiſſimum à ſenſibus & humana ratione omninò deſpiciebant, & nugarum loco quæ profiteretur Chriſtianorum religio myſteria habebant. Inde D. Paulus 1. Cor. 2.* Prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam, *& alibi.* Placuit per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes, & quod eſt ſtultum Dei, fortius eſt hominibus. *& Act. 17. Athenis cum prædicaret Paulus ſemini verbum eum, & novorum dæmoniorum annuntiatorem vocabant, quia Jeſum & reſurrectionem annuntiabat eis.*

β Non carnis ſubſtantiam vel naturam.] *Manichæi inter cæteros aſſeruerunt Chriſtum non aſſumpſiſſe verum corpus, ſed phantaſticum & apparens, ut patet ex Epiphanio hæreſi 66. & D. Auguſtino 46. fundamento hoc falſo nitebantur, quod putarent corpora eſſe mala ex natura ſua & à malo principio. Hunc errorem etiam tuentur Priſcilianiſtæ, ſicut alios multos Manichæorum errores, & alii etiam hæretici, ut videre eſt apud Alphonſum à Caſtro lib. 4. contra hæreſes V. caro, & corpus humanum. Leo 1. Ep. 71. in qua errores Priſcilianiſtarum damnat cap. 8. hæc ait.* Octavum eorum eſt, plaſmationem humanorum corporum diaboli dicere eſſe figmentum, & ſemina conceptionum opera dæmonum in mulierum uteris figurari; propterea reſurrectionem carnis non eſſe credendam, quia concretio corporis non ſit congruens animæ dignitati: Quæ falſitas ſine dubio opus diaboli eſt, & talia prodigia opinionum figmenta ſunt dæmonum, qui non in fœminarum ventribus formant homines, ſed in eorum cordibus tales fabricantur errores. *Quod immundiſſimum virus de Manichææ impietatis ſpecialiter fonte procedens olim fides catholica deprehendit atque damnavit. Concilium Braccar. 17. cap. 13. ſuorum decretorum ſic definit: Si quis dicit creationem uni-*

univerſæ carnis non opificium Dei, ſed malorum eſſe Angelorum ſicut Manichæus & Priſcilianus, anathema ſit. Ut hic docet D. Auguſtinus, Chriſtus aſſumendo carnem docuit eam ſuapte natura non eſſe malam. alioqui enim aſſumpſiſſet vel retinuiſſet aliquod opus diaboli, quæ horrenda eſt blaſphemia. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras, aut quæ conventio Chriſti ad Belial? *2. Cor. 6. Joann. 13.* Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.

β Nec ipſam mortem quamvis eſſet pœna peccati.] *Si quis objiciat mortem eſſe homini naturalem, cum ſit compoſitus ex contrariis qualitatibus, non igitur erit pœna peccati; facilè reſpondetur & naturale eſſe homini mori, mortem nihilominus eſſe pœnam peccati, quia per juſtitiam originalem ſi eam conſervaſſet nunquam mortuus fuiſſet, quæ quidem juſtitia illi non erat naturalis, ſed pendebat ex divina voluntate; unde ea per peccatum amiſſa conſequens fuit, ut id experiretur, quod alioquin illi naturale erat. Ut ſi quis hominem nudum veſtiret, deinde ob aliquod peccatum veſtibus exueret, diceremus illam nuditatem & illi naturalem eſſe, & tamen eſſe pœnam peccati, quia niſi peccaſſet, nunquam fuiſſet nudatus. Et conſtat immortalitatem Adamo non fuiſſe naturalem, ſed ſupernaturalem, & ex beneficio conditoris, ut docet D. Auguſtinus lib 6. de Geneſi ad Lit. cap. 25.*

δ Peccando eſſe vitandam.] *Imò minimo etiam peccato mors eſt præferenda, & ſi optio detur, mors potius oppetenda, quàm vel minimum verbum otioſum proferendum.*

ε Non ergo caro per ſe ipſam mundat.] *Cyrillus contra Neſtorium oſtendit hoc argumento Chriſtum eſſe verum Deum*, quia caro illius quæ eſt in Euchariſtia non poſſet nos vivificare, niſi adjunctam haberet divinitatem. *In concilio Epheſino tom. 1. cap. 5.* Si Chriſto caro hominis tantùm caro foret, quod quidem ad propriam illius naturam ſpectat, nequaquam vivificaret. Sed neque vulgaris quoque hominis ſanguis ullam omnino per ſe, & ſecundùm ſe vivificandi vim habet. Atqui cum ſoli Deo conveniat vitam illi impartiri, quod vitæ ſpiritu deſtituitur, corpus autem Chriſti, & pretioſus illius ſanguis vivificent, cui dubium eſſe poteſt, quin Deus ſit Chriſtus? Hinc namque corpus illius habet, ut ſit vivificum. Quemadmodum itaque ſacramenta per ſe non mundant, aut vivificant, ſed ex inſtitutione divina tanquam inſtrumenta ſeparata verbi, ita humanitas Chriſti ad eundem effectum concurrit non per ſe, ſed ut inſtrumentum verbi conjunctum. *Ex hoc loco etiam confirmatur doctrina D. Thom. 3. p. q. 8. artic. 2. totam Chriſti humanitatem ſcilicet ſecundùm corpus & animam influere in homines & quantum ad animam & quantum ad corpus. Vis enim influendi convenit naturæ Chriſti humanæ ex unione perſonali cum verbo; ei autem unitur corpus mediante anima; Ergo & vis influendi corpori convenit mediante anima.*

ζ De carne ſua manducanda myſtice.] *Non quod realiter non manducetur, ſed quia ſacramentaliter & in myſterio, ſupernaturali, imò inexplicabili & ineffabili modo.*

η Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt.] *Ioannis 6. Hunc locum ita interpre-*

Digitized by Google

terpretatur D. Auguſtinus, ut Spiritum ipſam Chriſti divinitatem intelligat, carnem verò ejus corpus, ſenſumque hunc eſſe vult, carnem per ſe conſideratam, ſi cum Spiritu. i. e. cum divinitate conjuncta non eſſet, nihil profuturam. Spiritum vivificare primario, & carni tribuere ut vivificare poſſit: nec ſolùm hoc loco, verùm etiam tractatu 24. in Ioannem, & lib. 4. de conſenſu Evangel. cap. 10. & in Pſalmum 98. ita interpretatur hunc locum, & vera quidem eſt ſententia, quæ eſt etiam Cyrilli libr. 4. cap. 23. Ruperti & Bernardi ſerm. 33. in Cantica, licet non deſint, qui alias videantur adferre interpretationes illius loci magis accommodatas intentioni Chriſti loquentis.

θ Mundaremur atque ſalvaremur per hoc quod eramus & non eramus.] *Quod ita interpretatur, quia eramus homines, non tamen juſti: cum ergò mundat nos Chriſtus per hoc quod homo erat, & juſtus ac ſine peccato, hoc ſenſu nos mundat per hoc quod eramus & non eramus. Et venit quidem non ut efficeret nos quod eramus, nempe homines, ſed ut efficeret nos quod non eramus, ſcilicet juſtos & Dei filios. Ita ſcribit Epiſt. 105. meruiſſe nobis Chriſtum ut juſti eſſemus, non ut homines vel liberi eſſemus. Et Epiſt. 120. ad Honoratum cap. 4.* Eramus aliquid antequam eſſemus filii Dei, & accepimus beneficium, ut fieremus quod non eramus: ſicut qui adoptatur, antequam adoptaretur. *Ibidem.* Nos per ejus gratiam facti ſumus quod non eramus, *id eſt*, filii Dei, ſed tamen aliquid eramus, & hoc ipſum aliquod multo inferius, hoc eſt filii hominum.

Cap. XXV.

Omnes ſanctos & ſub legis tempore, & ſub prioribus ſæculis in ſacramento & fide Chriſti juſtificatos fuiſſe.

Hujus *a* ſacramenti fide etiam juſti antiqui mundari piè vivendo potuerunt β non ſolùm antequam lex populo Hebræo daretur, (neque enim eis prædicator Deus vel angeli defuerunt) γ ſed ipſius quoque legis temporibus, quanvis in figuris rerum ſpiritalium habere viderentur promiſſa carnalia, propter quod vetus dicitur teſtamentum. Nam & Prophetæ tunc erant, δ per quos ſicut & per angelos eadem promiſſio prædicata eſt, & ε ex illorum numero erat, cujus tam magnam divinamque ſententiam de boni humani fine paulò antè commemoravi: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.*. *a* In quo
Pſ. 72. planè Pſalmo duorum teſtamentorum, quæ dicuntur vetus & novum, ſatis eſt declarata diſtinctio. Propter carnales enim terrenaſque promiſſiones, cùm eas impiis abundare conſpiceret, dicit *b* pedes ſuos penè fuiſſe commotos, & effuſos in lapſum propemodum greſſus ſuos, tanquam fruſtra Deo ipſe ſerviſſet, cum ea fœlicitate, quam de illo expectabat, contemptores ejus florere perſpiceret, ſeque in rei hujus inquiſitione laboraſſe, volentem cur ita eſſet apprehendere, ζ donec intraret in ſanctuarium Dei, & intelligeret in noviſſima eorum, qui fœlices videbantur errare. *c* Tunc eos intellexit in eo quòd ſe extulerunt, ſicut dicit, fuiſſe dejectos & defeciſſe, ac periſſe propter iniquitates ſuas, totumque illud culmen temporalis fœlicitatis ita eis factum η tanquam

quam ſomnium evigilantis, qui ſe repente invenit ſuis quæ ſomniabat fallacibus gaudiis deſtitutum. Et quoniam in hac terra vel civitate terrena, magni ſibi videbantur: *Domine*, inquit, *in civitate tua* b *imaginem illorum ad nihilum rediges*. Quid huic tamen utile fuerit, etiam ipſa terrena non niſi ab uno vero Deo quærere, in cujus poteſtate ſunt omnia, ſatis oſtendit, ubi ait: *Velut pecus factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Velut pecus dixi*, utiq; non intelligens. Ea quippe à te deſiderare debui, quæ mihi cum impiis non poſſunt eſſe communia: quibus eos cùm abundare cernerem, putavi me incaſſum tibi ſerviſſe, quando & illi hæc haberent, qui tibi ſervire noluiſſent. Tamen ego ſemper tecum, qui etiam in talium rerum deſiderio deos alios non quæſivi. Ac per hoc ſequitur: c *Tenuiſti manum dexteræ meæ, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria aſſumpſiſti me:* tanquam ad ſiniſtram cuncta illa pertineant, quæ abundare apud impios cùm vidiſſet, penè collapſus eſt. *Quid enim mihi eſt*, inquit, *in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Reprehendit ſeipſum, juſteq; ſibi diſplicuit: quia cùm tam magnũ bonum haberet in cælo, quod pòſt intellexit, rem tranſitoriam, fragilẽ, & quodammodo luteam fœlicitatem à ſuo Deo quæſivit in terra. d *Defecit*, inquit, *cor meum, & caro mea Deus cordis mei:* Pſ. 72.
defectu utique bono ab inferioribus ad ſuperna. Unde in alio Pſalmo dicitur: *Deſiderat & deficit anima mea in atria Domini*. Item in alio: *Defecit in ſalutare* Pſ. 83.
tuum anima mea. Tamen cùm de utroque dixiſſet, id eſt, de corde & carne Pſ. 118.
deficiente, non ſubjecit: Deus cordis mei & carnis meæ, ſed *Deus cordis mei*. Per cor quippe caro mundatur. Unde dicit Dominus: *Mundate quæ intus ſunt*, Matt. 15
& quæ foris ſunt munda erunt. Partem deinde ſuam dicit ipſum Deum non aliquid ab eo, ſed ipſum. Deus, inquit, cordis mei, & pars mea Deus in ſecula. Quod inter multa quæ ab hominibus eliguntur, ipſe illi placuerit eligendus. e *Quia ecce*, inquit, *qui ſe longè faciunt à te, peribunt:* f *perdidiſti omnem qui fornicatur abs te:* hoc eſt, qui multorum deorum vult eſſe proſtibulum. Unde ſequitur illud, propter quod & cætera de eodem Pſalmo dicenda viſa ſunt. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt:* non longe ire, non per plurima fornicari. Adhærere autem Deo tunc perfectum erit, cùm totum quod liberandum eſt, fuerit liberatum. Nunc vero fit illud, quod ſequitur: *Ponere in Deo ſpem meam. Spes enim quæ videtur, non eſt ſpes*. Quod enim videt quis, quid ſperat? ait Apoſtolus. *Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus*. In hac autem ſpe nunc conſtituti agamus quod ſequitur: & ſimus nos quoque pro modulo noſtro angeli Dei, id eſt, nuncii ejus, annunciantes ejus voluntatem: & gloriam gratiamque laudantes. Unde cùm dixiſſet: *Ponere in Deo ſpem meam:* addidit, *ut annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion*. Hæc eſt glorioſiſſima civitas Dei, hæc unum Deum novit & colit: hanc angeli ſancti annunciaverunt, qui nos ad ejus ſocietatem invitaverunt, civesque ſuos in illa eſſe voluerunt: quibus non placet, ut eos colamus tanquam noſtros electos deos, ſed cum eis & illorum & noſtrum Deum: nec eis ſacrificemus, ſed cum ipſis ſacrificium Deo ſimus. Nullo itaque dubitante, qui hæc
Rom. 8.

depoſita maligna obſtinatione conſiderat, omnes immortales beati, qui nobis non invident: neque enim ſi inviderent, eſſent beati, ſed potius nos diligunt, ut & nos cum ipſis beati ſimus: plus nobis favent, plus adjuvant, quando unum Deum cum illis colimus, patrem & filium & ſpiritum ſanctum, quam ſi eos ipſos per ſacrificia coleremus.

L. Vives. a In quo planè Pſalmo.] *Hic eſt Pſalmus lxxij. ſublimis divinusq́; ſolutione veteris philoſophorum quæſiti, cur præſidente univerſitate mundi Deo ſapientiſſimo & optimo, malis bona, & contra bonis mala contingunt? Unde eſt illud dilemma Epicureorum: Si Deus eſt, unde mala? Si non eſt, unde bona? Auguſt. aliquot ejus verſus enarrat: nos ſervata inſtituta brevitate nonnulla interdum adjiciemus.*

b Pedes ſuos penè fuiſſe commotos.] *Vel concuſſos indignitate rei, & commotione animi, vel ad tranſeundum in alteram viam, cùm ſuſpicaretur parum ſe hac profeciſſe.*

c Tunc eos intellexit.] *Omnia in futurum ſervantur operta, inquit Sapiens. Tunc bonis proderit bene vixiſſe, malis oberit vixiſſe malè: tunc bonis evenire bona, malis mala liquebit. nam ea demum vera ſunt, & bona & mala.*

d Defecit, inquit, cor meum.] *Hoc eſt optimi & ſanctiſſimi viri, ut deficientibus in eo corpore, viribus, robore, conſilio, ſuperſit tamen ſemper religio, & ſit pars ejus Deus in æternum: abeuntibusq́; cæteris rebus ſolus Deus in eo remaneat. Hoc quantum nobis videtur Auguſtinus loquitur de defectu animæ, & velut exanimatione, quæ ex deſiderio rerum cæleſtium naſcitur. Languet enim animus amans, & ſubinde linquitur virtute ſua: cùm de re quam amat, impenſe cogitat; aliter quoq́; ſic, ut vires & conſilium circa res ſeculi deſtituant bonum virum, hæreat tamen ſemper illius menti Deus, & ſpretis contemptisq́; omnibus, tum corporis dotibus, tum fortuitis, unica hereditas, & ſola illius opes ſint Deus.*

e Qui ecce, inquit, qui ſe longè faciunt.] *Bonum eſt ergo hærere illi, à quo ſi quis abſceſſerit, perit.*

f Perdidiſti omnem qui fornicatur abs te.] *Debet eſſe anima noſtra uni Deo dicata, & illius ſponſa: quòd ſi adulteretur, ut ſe ad curas cupiditatesq́; rerum mundi abjectet, Deo neglecto, tanquam impudica mulier à viro rejicitur, & repudiatur. hic eſt interitus animæ, cùm à vita ſua diſcedit.*

F.L. Coq. a Hujus ſacramenti fide etiam juſti antiqui.] *Fuit ergo eadem fides in juſtis antiquis & nobis quemadmodum ſcribit Apoſtolus 1. Cor. 4.* Habentes eundem ſpiritum fidei; *Neque per legem naturæ, neque per Moſaicam, verùm per fidem Chriſti homines omni tempore potuerunt juſtificari, lib. 3. contra duas epiſt. Pelag. cap. 4. ſcribit eos nondum nomine, reipſa tamen fuiſſe Chriſtianos, ut juſtificatos per eandem Chriſti mediatoris fidem. Conc. 3. in Pſalm. 36.* Omnes qui ab initio ſæculi fuerunt juſti, caput Chriſtum habent. Illum enim venturum eſſe crediderunt, quem nos jam veniſſe credimus, & in ejus fide & ipſi ſanati ſunt, in cujus & nos, ut eſſet & ipſe totius caput civitatis Jeruſalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio uſque in finem, *&c. lib. de nat. & grat. cap. 63. epiſt. 49. ad Deogratias, 157. ad Optatum, & alias ſæpè hanc doctrinam inculcat*

Origenes

Origenes tomo 2. in Joannem. *Hæc verba* Chriſto crucifixus ſum cruci, *tam eorum qui Chriſti adventum præceſſerunt, quam qui ſecuti ſunt, eſſe ait. Leo Papa ſerm. 3. de nativit. ait, fidem qua vivimus nulla ætate fuiſſe diverſam. Et ſerm. 7. Omnes ſanctos, qui ſervatoris tempora præceſſerunt, per hanc fidem juſtificatos fuiſſe. Hæc doctrina catholica eſt & directè militat contra hæreſim Armeniorum, de qua Alphonſus à Caſtro ex Guidone, v. peccatum, hæreſ. 2. qui dicebant omnes homines ante Chriſti incarnationem damnatos fuiſſe ob peccatum primorum parentum. Et Gelaſius Papa diſtinct. 15. decreti ponit opera Clementis Alexandrini inter apocrypha; Covaruvias lib. 4. var. c. 18. putat hanc eſſe rationem, quòd ab hoc auctore non ſatis fuerit cognitum peccatum originale; lib. 3. ſtrom. & lib. 6. minimè aſſecutus ſit veram rationem, qua ſalutem conſequi potuerint, qui ante Chriſti adventum exceſſerunt.*

β Non ſolum antequam lex populo Hebræo daretur.] *Tunc temporis enim Abraham & poſteri illius proculdubio juſtificati ſunt, & per fidem Deo placuerunt, non per obſervationem ceremoniarum legalium. Ita argumentatur D. Paulus Abrahamum in præputio, non in lege juſtificatum eſſe, Melchiſedech, Noe.*

γ Sed ipſius quoque legis temporibus.] *Ne Judæi juſtitiam Patrum attribuant ipſi legi, & ſuam volentes ſtatuere juſtitiam juſtitiæ Dei non ſint ſubjecti. Neque enim data fuit lex, quæ poſſet juſtificare: aliquando vocat ea Dominus* præcepta non bona. *Id docet manifeſtè D. Paulus. Hebr. 7.* Reprobatio, *inquit*, fit præcedentis mandati. *i. e. veteris teſtamenti & legis* propter infirmitatem ejus & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum lex adduxit. *Infirmam appellat legem, quod peccatorum remiſſionem non operaretur, inutilem, quod gratiam vi ſua non conferret.* Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt: *imperfectum poſtremò vocat illud teſtamentum, quod perficere homines non potuerit. Habuit enim ſanctificationes quaſdam & juſtificationes, ſive juſtitias imperfectas, quas ideò carnis vocat, quod ad animum juſtificandum & ſanctificandum non pertinerent. Hebr. 9.* Munera, *inquit*, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem ſolummodo in cibis & potibus, & in variis baptiſmatibus & juſtitiis carnis, uſque ad tempus correctionis impoſitis. *i. e. uſque ad tempus Chriſti, à quo omnia erant corrigenda. & ibidem:* Sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, *ſcilicet non conſcientiæ & mentis. Galat. 2.* ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coràm illo. *cap. 13.* quoniam in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quod juſtus ex fide vivit. *Rom. 3.* Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. *Galat. item 2.* Si per legem juſtitia, ergo fruſtrà Chriſtus mortuus eſt; *Si enim remittebat peccata, juſtificabat, & homines Deo reconciliabat, quid opus erat Chriſti adventu?*

δ Per quos ſicut & per Angelos eadem promiſſio prædicata.] *Divina enim ac cœleſtia myſteria per Angelos antiquis innotuerunt. Is enim ordo à Deo inſtitutus; ut quemadmodum ſuperiora corpora influunt in inferiora, ita ſuperiores ſubſtantiæ. i. e. Angeli in homines ipſos D. Dionyſius. Angelus Abrahamo revelavit benedictio-*

nedictionem omnium gentium futurum in Meſſia. Angelus docuit Danielem tempus adventus Meſſiæ, Lex quæ continebat promiſſa novi teſtamenti & figuras, quibus illius myſteria adumbrantur, data eſt miniſterio Angelorum.

ε Ex illorum numero erat.] *Immò ut innuit Gloſſa ordinaria in præfatio. in prologum B. Hieronymi, & innuitur ex Caſſiodoro in prologo in Pſal. David dicitur Propheta per excellentiam. D. Thomas 2. 2. q. 174. artic. 4. ad 4. ſcribit, quod licet viſio Moſis fuerit excellentior quantum ad cognitionem divinitatis, David tamen planius cognovit & expreſſit myſteria incarnationis Chriſti. 2. reg. 23.* Spiritus domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam.

ζ Donec intraret in ſanctarium Dei.] *Id eſt conſideraret altius ac mente contemplaretur longè fœliciorem hac præſenti vitam, non impiis, qui affluunt divitiis hic, ſed juſtis, qui perſecutionem & tentationes patiuntur, à Deo ab initio deſtinatam. D. Nazianzenus Epiſt. 66. ad Philagrium.* ubi David ob eos, qui rebus omnibus immeritò abundant, æſtuavit mœroreque confectus eſt, jam cogitationes ſuas ad alterius vitæ tribunalia, præmiaque utrique vitæ recondita mittit, ſicque demum perturbari deſinit, animique moleſtiæ medetur.

η Tanquam ſomnium evigilantis.] *Accommodata certè ſimilitudo fœlicitatis impiorum cum ſomnio evigilantis, quod evaneſcit quàm celerrimè, eſtque inane quamvis videatur dormientem delectare, ut apud Lucianum Mycillus cum expergiſceretur ſenſit omnem fœlicitatem, quam ſomnio conceperat, evanuiſſe. Et apud Eſaiam 29.* Sicut ſomniat eſuriens ſe comedere, cum autem expergefactus eſt, vacua eſt anima ejus; & ſicut ſomniat ſitiens ſe bibere, & poſtquam expergefactus fuerit, adhuc ſitit, & anima ejus vacua eſt.

θ Imaginem ipſorum ad nihilum rediges.] *Imago pro ſpecie, apparentia, apparentem & inanem eorum fœlicitatem omnino abolebis, ut ne minimum quidem ejus veſtigium ſuperſit. Theodoretus hunc Pſalmum ita exponit, ut occaſione captivitatis Babylonicæ à Davide divino numine afflato & prophetico ſpiritu longè antea futura prævidente conſcriptus ſit. Abductus enim populus Babylonem captivus, multis & variis calamitatibus circumdabatur, ſed videntes Babylonios impiè & iniquè vivere, & in multa fœlicitate ac proſperitate eſſe, ſe ipſos verò adverſis calamitatibus affici, ratiocinationes de divina providentia revolvebant apud ſe, qui tandem fieret, ut iniquiſſimi homines nihil adverſi ſuſtinerent, verùm omni fœlicitate fruerentur; ut igitur eos conſoletur, & quotquot ex Dei ſervis patiuntur adverſa, brevem eorum fore fœlicitatem oſtendit.*

ι Tenuiſti manum dexteram meam.] *Ne ſcilicet impingerem, ne caderem, & in voluntate tua, in tua lege, in tuis præceptis,* ἐν τῇ βȣλῇ. *deduxiſti me.*

κ Ecce qui ſe longe faciunt.] *Itur ad Deum non pedibus, ſed affectibus, ita ſe removent homines à Deo non pedibus, ſed affectibus.*

λ Perdidiſti omnem, qui fornicatur abs te.] *Id eſt, qui à tua fide & cultu deficiunt, & ad idola convertuntur. Crebro enim in ſcripturis fornicationis nomine idololatria ſignificatur. Oſeæ 1.* Fornicans fornicabitur terra à Domino. *Jerem. 3* Abiit ſuper omnem montem excelſum; & ſub omni ligno frondoſo, & fornicata eſt ibi.

CAP.

CAP. XXVI.

De inconſtantia Porphyrii inter confeſſionem veri Dei & cultum dæmonum fluctuantis.

NEſcio quomodo, quantum mihi videtur, pro amicis ſuis theurgis erubeſcebat Porphyrius. Nam iſta *a* utcunque ſapiebat, ſed contra multorum deorum cultum Deum verum non liberè defendebat. Et angelos quippe alios eſſe dixit, qui deorſum deſcendentes, hominibus theurgicis divina pronuncient: alios autem qui in terris ea quæ patris ſunt, & altitudinem ejus profunditatemque declarent. Num igitur hos angelos, quorum miniſterium eſt declarare voluntatem patris, credendum eſt velle nos ſubdi, niſi ei, cujus nobis annunciant voluntatem? Unde optimè admonet etiam ipſe Platonicus imitandos eos potius, quàm invocandos. Non itaque debemus metuere, ne immortales & beatos uni Deo ſubditos, non eis ſacrificando offendamus. Quod enim non niſi uni vero Deo deberi ſciunt, cui & ipſi adhærendo beati ſunt: proculdubio *β* neque per ullam ſignificantem figuram, neque per ipſam rem, quæ ſacramentis ſignificatur, ſibi exhiberi volunt. Dæmonum eſt hæc arrogantia ſuperborum atque miſerorum, à quibus longè diverſa eſt pietas ſubditorum Deo, nec aliunde quàm illi adhærendo beatorum. Ad quod bonum percipiendum, etiam nobis ſyncera benignitate oportet, ut faveant: neque ſibi arrogent, quo eis ſubjiciamur: ſed eum annuncient, ſub quo eis in pace ſociemur. Quid adhuc trepidas, ô philoſophe adverſus poteſtates, & veris virtutibus, & veri Dei muneribus invides habere liberam vocem? *a* Jam dixiſti angelos, qui patris annunciant voluntatem, ab eis angelis eſſe diverſos, qui ad theurgicos homines, neſcio qua deducti arte deſcendunt. Quid adhuc eos honoras, ut dicas pronunciare divina? Quæ tandem divina pronunciant, qui non voluntatem patris nunciant? *b* Nempe illi ſunt, quos ſacris precibus invidus alligavit, ne præſtarent animæ purgationem: nec à bono, ut dicis, purgare cupientes ab illis vinculis ſolvi, & ſuæ poteſtati reddi potuerunt. Adhuc dubitas hæc maligna eſſe dæmonia: vel te fingis fortaſſe neſcire, *γ* dum non vis theurgos offendere, à quibus curioſitate deceptus, iſta pernicioſa & inſana pro magno beneficio didiciſti. Audes iſtam invidiam, non potentiam, ſed peſtilentiam, & non dicam dominam, ſed quod tu fateris ancillam potius invidorum, iſto aere tranſcenſo levare in cælum, & inter deos veſtros etiam ſydereos collocare, vel ipſa quoque ſydera his opprobriis infamare.

a JAm dixiſti angelos.] *In antiquis codicibus ſic habetur: Iam diſtinxiſti angelos, qui patris annunciant voluntatem, ab eis angelis, qui ad theurgicos: & idem utrobiq; ſignificatur.* L. Vives.

b Nempe illi ſunt, quos ſacris precibus.] *Nam antea dictum eſt impediri bonum dæmonem à malo: nec venturum hunc, niſi prius ille propitiatus diſcedat. Et de Chaldæo narravit, cujus purgationem invidus quidam impedivit.*

Digitized by Google

α ISta utcumque ſapiebat, ſed contra multorum deorum cultum.] *Theodoretus lib. 7. θεραπευτ. Porphyrium cum ſimiis confert.* Sicut enim illi quosdam humanos geſtus imitantur, neque tamen continuò tranſeunt in humanam ſpeciem, ſed permanent in ſimiarum natura, ita Porphyrius è ſacris literis quæ ſibi collibuit, ſuffuratus, nonnullis inde ſententiis in ſua monumenta interſitis, poſthabuit veritatem perdiſcere, ſimiusque dumtaxat imitator permanſit (vel, ut verius dicam) graculus quidam fuit alienis plumis excultus. *Multa didicit ex ſacris literis, & inter cætera impium eſſe ſacrificare dæmonibus, nec tamen idolorum cultum rejecit omnino; Tantum abeſt ut Dei veri cultũ defenderit contra impietatem idololatriæ, ut etiam editis libris 15. religionem Chriſtianam impugnarit, ut tradit Suidas, & plures ſcripſiſſet, niſi Conſtantinus magnus illum exterruiſſet, à quo in exilium pulſus eſt. Eum calumniatorem Chriſtianorum Euſebius lib. 6. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 15. & calumniatorum patrem meritò appellat Cyrillus libr. 3. contra Julianum,* quòd amaros (*ut ait*) in nos libros effuderit non diſſimilis Juliano Apoſtatæ. Uterque enim defecit à fide Chriſtiana, & libris editis Chriſtianam religionem totis viribus impugnavit. *Quæ verò cauſſa eum moverit, ut deficeret à fide & libros in Chriſtianos ſcriberet, docet Socrates lib. 3. cap. 19.* Nam iſte Cæſareæ Paleſtinæ à quibusdam Chriſtianis reprehenſus, cùm præ gravi, qua ardebat, iracundia illud ferre non poſſet, religionem Chriſtianam deſeruit; & præ odio illorum, qui ipſum coarguerant, ad libros conſcribendos, quibus Chriſtianos maledictis & contumeliis perſtringeret, præceps ruit. *Eadem Nicephor. lib. 10. cap. 36.*

β Neque per ullam ſignificantem figuram, neque per ipſam rem.] *Sacramenta quæ ſunt cerimoniæ ad cultum Dei ordinatæ debent eſſe ſigna ſacra cùm ex parte rei, quæ ſignificat, quam vocant ſignificantem figuram; tùm ex parte ſignificationis ſeu rei ſignificatæ, vel ut rem ſacram ſignificet.*

γ Dum non vis theurgos offendere.] *Hos non alios exiſtimo fuiſſe quam Magos & maleficos, qui invocatione dæmonum vel mira viderentur efficere, vel etiam quibus & quando vellent, adferrent perniciem, & γοητείαν quidem illam exſecrandam Magiæ ſpeciem, & quæ dæmonum potentia conſtabat, quamque* Theurgiam *falsò nuncupabant, Porphyrius tanquam purgatricem animæ modo probavit, aliàs verò tanquam fallacem, legibusque prohibitam cavendam monuit, in quo ſibi non conſtabat; Et eum ſibi contraria ſcripſiſſe docet etiam Euſebius libr. 4. de præpar. Evang. cap. 4. & 5.*

Cap. XXVII.

De impietate Porphyrii quæ etiam Apuleii trànſcendit errorem.

QUanto humanius & tolerabilius α conſectaneus tuus Platonicus Apuleius erravit, qui tantummodo dæmones à luna, & infra ordinatos agitari morbis paſſionum mentisque turbelis, honorans quidem eos, ſed volens nolenſque confeſſus eſt: deos tamen cæli ſuperiores ad ætherea ſpatia pertinentes: ſive viſibiles, quos conſpicuos lucere cernebat, ſolem, ac lunam, & cætera ibidem lumina: ſive inviſibiles, quos putabat ab omni labe iſtarum perturba-

turbationum alienos, quanta potuit diſputatione diſcrevit. Tu autem didiciſti hoc non à Platone, ſed à Chaldæis magiſtris tuis, ut in æthereas vel empyreas mundi ſublimitates, & firmamenta cæleſtia extolleres vitia humana, ut poſſent dii veſtri theurgis pronunciare divina: quibus divinis te tamen per intellectualem vitam facis altiorem, ut tibi videlicet tanquam philoſopho theurgicæ artis purgationes nequaquam neceſſariæ videantur, ſed aliis eas tamen importas: ut hanc veluti mercedem reddas magiſtris tuis, quòd eos qui philoſophari non poſſunt, ad iſtas ſeducis, quæ tibi tanquam ſuperiorum capaci eſſe inutilia confiteris, ut videlicet quicunque à philoſophiæ virtute remoti ſunt, quæ ardua nimis, atque paucorum eſt, te authore theurgicos homines, à quibus non quidem in anima intellectuali, verùm ſaltem in anima ſpiritali purgentur, inquirant. Et quoniam iſtorum, quos philoſophari piget, incomparabiliter major eſt multitudo, plures ad ſecretos & illicitos magiſtros tuos, quàm ad ſcholas Platonicas venire cogantur. Hoc enim tibi immundiſſimi dæmones, deos æthereos ſe eſſe fingentes, β quorum prædicator & angelus factus es promiſerunt: quod in anima ſpiritali theurgica arte purgati ad patrem quidem non redeunt, ſed ſuper aereas plagas inter deos æthereos habitabunt. Non audit iſta hominum multitudo, propter quos à dæmonum dominatu liberandos Chriſtus advenit. In illo enim habent miſericordiſſimam purgationem, & mentis, & ſpiritus, & corporis ſui. Propterea quippe totum hominem ſine peccato ille ſuſcepit, γ ut totum, quo conſtat homo, à peccatorum peſte ſanaret. Quem tu quoque utinam cognoviſſes, eique te potius, quàm vel tuæ virtuti, quæ humana, fragilis, & infirma eſt, vel pernicioſiſſimę curioſitati ſanandum tutius commiſiſſes. Non enim te decepiſſet, a δ quem veſtra, ut tu ipſe ſcribis, oracula ſanctum immortalemque confeſſa ſunt. De quo etiam poeta nobiliſſimus, poeticè quidem, quia in alterius adumbrata perſona: veraciter tamen, ſi ad ipſum referas, dixit: *Chriſtus totum hominẽ aſſumpſit.*

ε b *Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,* *Verg. Eclog. 4.*
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.

Ea quippe dixit, quæ etiam multum proficientium in virtute juſtitiæ poſſunt, propter hujus vitæ infirmitatem, & ſi non ſcelera, ſcelerum tamen manere veſtigia, quæ non niſi ab illo ſalvatore ſanantur, de quo iſte verſus expreſſus eſt. c Nam hoc utique non à ſeipſo dixiſſe Vergilius in Eclogæ ipſius quarto fermè verſu indicat, ubi ait:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Unde hoc à Cumæa Sibylla dictum eſſe incunctanter apparet. Theurgi verò illi, vel potius dæmones, deorúm ſpecies figuraſque fingentes, inquinant potius, quàm purgant humanum ſpiritum falſitate phantaſmatum, & deceptoria vanarum ludificatione formarum. Quomodo enim purgent hominis ſpiritum, qui immundum habent proprium? Alioquin nullo modo carminib9 invidi hominis ligarentur: ipſumque inane beneficium, quod præſtaturi videbantur, aut metu premerent, aut ſimili invidentia denegarent. Sufficit, quòd

purgatione theurgica, neque intellectualem animam, hoc eſt mentem noſtram, dicis poſſe purgari, & ipſam ſpiritalem, id eſt, noſtræ animæ partem, mente inferiorem, quam tali arte purgari poſſe aſſeris, immortalem tamen, æternamque non poſſe hac arte fieri confiteris. Chriſtus autem vitam promittit æternam: unde ad eum mundus, vobis quidem ſtomachantibus, mirantibus tamen ſtupentibusq; concurrit. *d* Quid prodeſt quòd negare non potuiſti errare homines theurgica diſciplina, & quamplurimos fallere per cæcam, inſipientemque ſententiam, atque eſſe certiſſimum errorem, agendo & ſupplicando ad principes, angeloſque decurrere? Et rurſum, quaſi ne operam perdidiſſe videaris iſta dicendo, mittis homines ad theurgos, ut per eos animæ ſpiritales purgentur illorum, qui non ſecundum intellectualem animam vivunt.

L. Vives. *a* QUem veſtra, ut tu ipſe ſcribis, oracula.] *De hoc lib. xx.*

b Te duce, ſi qua manent.] *De Aſinio Pollione conſule ad bella civilia refert Servius, ut futurus ſit illo conſule finis eorum, ſolvanturq; terræ perpetua eorum formidine. ſed diuturna fuerunt poſt eum qui fuit conſul cum Gn. Domitio Ænobar. iiij. anno triumviratus.*

c Nam hoc utique.] *Tota illa Ecloga ſumpta eſt de carminibus Sibyllinis, quæ cùm eſſent de Chriſto dicta, tempusq; eſſet ænigmatis quibuſdam ſubſignificatum, eaq; intelligeret Vergil. & videret adventare, de aliquo ex principibus Rom. exiſtimabat eſſe dicta, & hujus Pollionis filio Salonino attribuit.*

d Quid enim prodeſt.] *Alibi ſic: quod quia negare non potuiſti errare homines etiam, ſed ſic melius. Quod quia negare non potuiſti, in tantum à teipſo diſſentis, ut primum doceas.*

F. L. Coq. α COnſectaneus tuus.] *Conſectaneus dicitur,* qui aliorum opinionem vel ſententiam ſequitur, *ὁμογνώμονες ſcilicet, Porphyrius & Apulejus ejusdem ſectæ, Platonici nimirum.*

β Quorum prædicator & Angelus factus es.] *Euſebius lib. 4. cap. 4. de præpar. Evang. Porphyrium dæmonum maximè fuiſſe amicum ſcribit.*

γ Ut totum quo conſtabat homo à peccatorum peſte ſanaret.] *Hæc ratio frequens eſt apud Patres, ut oſtendat totam naturam humanam aſſumptam eſſe à Verbo. D. Gregorius Nazianzenus ſcribens ad Cledonium contra Apollinarium negantem Chriſtum aſſumpſiſſe mentem humanam, dicit totùm hominem à Verbo aſſumptum,* ut per eundem totum hominem ſimul ac Deum totus homo lapſus in peccatum, refingatur atque inſtauretur. *Ibidem:* Si quis in hominem mente carentem ſperet, amens profecto eſt, nec dignus, qui totus ſalute donetur: nam quod aſſumptum non eſt, ſalutis eſt expers: quod autem Deo unitum eſt, hoc quoque ſalutem conſequitur: Si dimidia tantum ex parte Adam lapſus eſt, dimidiatum quoque fit quod aſſumptum eſt, & quod ſervatur: ſi autem totus peccavit, toti quoque homini unitus eſt Dei filius, cui toti ſalutem affert. *Eadem ratione utitur D. Ambroſius lib. de Incarnat. Domini Sacramento cap. 7. Fulgentius lib. 1. ad Traſimundum, D. Damaſcenus lib. 1. cap. 14. & lib. 3. cap. 6.*

δ Quem veſtra (ut tu dicis) oracula ſanctum immortalemque.] *Hujuſmodi oracula citat infr. lib. 19. cap. 23. dæmones Chriſto adhuc in terris agenti teſtimonium ſanctitatis perhibuêre. Marci 1.* Scimus quod ſis ſanctus Dei. *Refert Euſeb. lib. 2. de vita Conſtantini cap. 49. Apollinem ipſum ex antro quodam & tenebricoſo receſſu non ex ſacerdotis ore hoc oraculum edidiſſe, Iuſtos, qui in terris verſabantur, quo nomine Chriſti cultores intelligebat, impedimento ipſi fuiſſe, quo minus vera loqueretur, & propterea falſa oracula ex Tripode edita fuiſſe.*

ε Te duce ſi qua manent.] *Eclog. 4. hæc ex Sibyllinis verſibus cecinit Virgilius: verùm neſcius myſteriorum, quæ de Chriſto ex virgine naſcituro, cujus adventus tempora propinqua erant, longè antea prædicta fuerant, ea tribuit Salonino filio Pollionis. Hos verſus de incarnatione verbi accipiendos eſſe Conſtantinus Imperator apud Euſebium orat: ad Sanacœtum c. 20. egregiè docet, & ipſe D. Auguſt. Epiſt. 3. ad Voluſianum.* Quo ad adjutorium gratiæ pertinet, *inquit*, quæ in Chriſto eſt; ipſe eſt omnino

Quod duce ſi qua manent, &c.

Et Epiſt. 155. ad Martianum. Omnino non eſt, cui alteri præter dominum Chriſtum dicat genus humanum: Te duce ſi qua manent, *quod ex Cumæo i. ex Sibyllico carmine ſe faſſus eſt tranſtuliſſe Virgilius, quoniam fortaſſis etiam illa vates aliquid de unico ſalvatore in Spiritu audierat, quod neceſſe habuit confiteri.*

CAP. XXIIX.

Quibus perſuaſionibus Porphyrius obcæcatus non potuerit veram ſapientiam, quæ eſt Chriſtus, agnoſcere.

MItis ergo homines in errorem certiſſimum. *a* α Neque hoc tantum malum te pudet, cùm virtutis & ſapientiæ te profitearis amatorem. Quam ſi verè ac fideliter amaſſes, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam cognoviſſes: *b* β nec ab ejus ſaluberrima humilitate tumore inflatus vanæ ſcientiæ reſiluiſſes. Confiteris tamen etiam ſpiritalem animam ſine theurgicis artibus & ſine teletis, quibus fruſtra diſcendis elaboraſti: *c* γ poſſe continentiæ virtute purgari. Aliquando etiam dicis, quòd teletæ non poſt mortem elevant animam ut jam: nec eidem ipſi, quam ſpiritalem vocas, aliquid poſt hujus vitæ finem prodeſſe videantur: *d* & tamen verſas hæc multis modis, & repetis, ad nihil aliud, quantum exiſtimo, niſi ut talium quoque rerum quaſi peritus appareas, & placeas illicitarum artium curioſis, vel ad eas facias ipſe curioſos. Sed bene eſt, quòd metuendam dicis hanc artem *e* vel δ legum periculis, *f* ε vel ipſius actionis. Atque utinam hoc ſaltem abs te miſeri audiant, & inde ne illic abſorbeantur, abſcedant, aut eò penitus non accedant. Ignorantiam certè & propter eam multa vitia per nullas teletas purgari dicis; ζ ſed per ſolum πατρικὸν νοῦν, id eſt, paternam mentem ſive intellectum, qui paternæ eſt voluntatis conſcius. Hunc autem Chriſtum eſſe non credis, contemnis enim eum propter corpus ex fœmina acceptum, & propter crucis opprobrium, excelſam videlicet ſapientiam, ſpretis atque abjectis infimis, idoneus de ſuperiori-

r or bus carpere. At ille implet, quod Prophetæ ſancti de illo veraciter præ-
1.Cor.1. Abd. 1. dixerunt? *n Perdam ſapientiam ſapientium & prudentiam prudentium reprobabo:*
Eſ. 33. *b* Non enim ſuam in eis perdit & reprobat, quam ipſe donavit, ſed quam ſibi arrogant, qui non habent ipſius. Unde commemorato iſto prophetico teſtimonio, ſequitur & dicit Apoſtolus: *ι Ubi ſapiens? ubi ſcriba? g* ubi conquiſitor hujus ſeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi? Nam quoniam in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo κ per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quoniam quidem Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus, inquit, Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: *h* λ Ipſis verò vocatis Iudæis & Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam: *i* μ quoniam quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Hoc quaſi ſtultum & infirmum tanquam ſua virtute ſapientes forteſque contemnunt. Sed hæc eſt gratia, quæ ſanat infirmos, non ſuperbè jactantes falſam beatitudinem ſuam, ſed humiliter potius veram miſeriam confitentes.

L.Vives. *a* NEque hoc tantum malum te pudet.] *Vetus loquendi mos, ſed quem etiam recentiores uſurparunt.*

b Nec ab ejus ſaluberrima humilitate.] *Fuit enim prius imbutus pietate noſtra, à quo poſtea deſcivit, magnaq; rabie in eam invectus eſt.*

c poſſe continentiæ virtute purgari.] *In libris de abſtinentia animalium ſcribit, continentia & frugalitate vitæ mentem humanam efferri, ac Deo conjungi. Sed hæc elegantius Plato & doctius in Charmide: quo loco docet, curationem animæ temperantia fieri, eamq; unicam eſſe animi affecti medelam, nec aliis incantationibus ſordes animi elui.*

d Et tamen verſas hæc multis modis & repe.] *Ea eſt Porphyrij ταυτολογία pleniſſimaq; faſtidij & nauſeæ, quam licet vel ex quinq; ejus vocibus intelligere, quæ ſunt in omnium manibus.*

e Vel legum periculis.] *Nam & Plato de ea cavit. Et leges civiles pœnas illi conſtituerunt.*

f Vel ipſius actionis.] *Nam periculoſa res eſt, niſi ritè exerceatur. Irritantur enim dæmones, & magna inferunt mala imperitè excantanti: quod multis horrendis exemplis oſtenderunt, quippe amant perfectam impietatem, à qua difficilis ſit ad pietatem recurſus; ideo terroribus ad eam homines impellunt.*

g Ubi conquiſitor hujus ſeculi.] *De philoſophis intellige, qui maximo ſtudio res naturæ conquiſierunt. Græcè eſt, συζητής, quod etiam diſputatorem ſonat, ut ad moleſtas illas & immodicas philoſophorum diſputationes referatur.*

h Ipſis verò vocatis.] *Vocatis ad pietatem, & deſtinatis civib. regni.*

i Quoniam quod ſtultum eſt Dei.] *Vulgatius crucem appellat inſipientem, utpote quæ inſipiens ſit viſa, hæc tamen eſt hominibus ſapientior. Siquidem philoſophos conſtat frigidis & inutilibus rebus vacaſſe, crucem verò mundo peperiſſe ſalutem. Et quod Dei eſt, eo videtur infirmius: quia ex impotentia quadam viſus*

ſit

ſit cruci affixus, ſed id longè eſt hominibus fortius. Nec ob id ſolum, quia quo magis annitentibus multis hujus nomen extinguere, eo plurimum pollet & floret, ſed quia per hunc, qui viſus infirmior, fortis dæmon ille vinctus eſt & coercitus.

α NEque hoc tantum malum te pudet.] *Licet hoc verbum impersonale ſit, & fere habeat accuſativum cum genitivo, ut* pudere aliquem ſuæ infamiæ ſive ſtultitiæ, *nonnunquam tamen perſonaliter reperitur poſitum cum nominativo, idque in tertiis perſonis tantum, ut hoc loco & apud Lucianum.* 51.509

.... ſemper metuet, quem ſæva pudebunt.

Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.] *Ita enim vocat Apoſtolus 1. Corinth. 1.*

β Nec ab ejus ſaluberrima humilitate.] *Hinc conſtat Porphyrium prius Chriſtianum fuiſſe, deinde defeciſſe à religione Chriſtiana, ut ſupra ex Socrate & Nicephoro.*

γ Poſſe continentiæ virtute purgari.] *Qua ratione virtutes morales ſint purgatoriæ, ſicut item purgati animi docet D. Thomas 1. 2. q. 61. artic. 5. ex ſententia ipſius Plotini.*

δ Vel legum periculis.] *Ut enim alibi oſtenſum eſt, legibus prohibitæ erant artes Magicæ, & Apulejus ipſe teſtatur, ſe inſimulatum fuiſſe Magicarum artium apud Judices.*

ε Vel ipſius actionis.] *Quemadmodum enim dæmones, quibus ceremoniis coli vel innovocari vellent, homines docuerant, ita ſi quis minus ritè eas obiiſſet, iratos eos ſentiebat. Ita ferunt Tullum Hoſtilium Regem, quòd non ritè ex inſtituto Numæ iniret aut curaret ſacra, ira Iovis ſollicitati prava religione fulmine cum domo conflagraſſe. Legi poſſunt exempla apud Valer. Maxi. lib. 1. cap. 2. de neglecta religione.*

ζ Per ſolum Πατρικὸν νοῦν i.e. paternam mentem.] *Multa de mente paterna ex Platonicis Eugubinus lib. 1. de perenni Philoſophia, & illis ὁ ἐπέκεινα νοῦς, etiam dicitur, & Porphyrii ipſius ſententiam de mente divina ſeu paterna, refert cap. 11.*

η Perdam ſapientiam ſapientium.] *Hæc citavit D. Paulus ex 29. cap. Iſaiæ juxta tranſlationem Septuaginta, non juxta Codices Hebræos. Nam in textu Hebræo verba ſunt neutra, & paſſivæ ſignificationis* הבמה הבמיו ובינח סוביו. תסתחר ואברה Et peribit ſapientia à ſapientibus ejus & intellectus prudentium ejus abſcondetur. *Septuaginta verò ita habent,* Ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν, καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν κρύψω. *Verbum* κρύψω *mutavit D. Paulus in aliud nimirum* ἀθετήσω, *id eſt,* reprobabo.

θ Non enim ſuam in eis perdit.] *Omnis quidem ſapientia à Domino Deo eſt, verùm illa falſi nominis ſapientia ac ſtultitia potius dicenda, qua ſibi ſapientes iſtiuſmodi videntur, qua tument & inflantur, ſecundùm quam de rebus divinis definiunt, & cujus regulis infinitam Dei potentiam circumſcribunt, & quam poſtremo fidei ſubjicere recuſant.*

ι Ubi ſapiens, ubi ſcriba.] *Citavit Apoſt. ex Iſaia 33. ita habet textus Hebr.* איהסופר איה שוקל איה סופר את הם דלים, ubi eſt literatus, ubi verba legis ponderans, ubi eſt doctor parvulorum. *Septuaginta verò in plurali,* ποῦ εἰσὶν

Digitized by Google

εἰσὶν οἱ γραμματικοὶ, ποῦ εἰσιν οἱ συμβουλεύοντες, ποῦ ἐστὶν ὁ ἀριθμῶν τοὺς συντρεφομένους μικρὸν καὶ μέγαν. *i. e.* ubi ſunt literati? Ubi ſunt conſiliatores? ubi numerans nutrientes parvum & magnum. *Hæc differentia verborum Pauli ab illis Hebraicæ veritatis & lectionis Septuaginta parva eſt ac modica, ut obſervat Salmeron ad eum locum, & in idem recidere videntur hæ voces. Et Apoſtolus parùm fuit ſollicitus de verbis, cùm rebus totus eſſet intentus. Omnes iſti ad revelationem ſtultæ crucis Chriſti, prout illis viſa eſt, evanuerunt.*

κ Per ſtultitiam prædicationis.] *Ita myſterium crucis Chriſti loco ſtultitiæ habitum eſt infidelibus, in quo tamen mirabiliter Deus ſuam potentiam, ſapientiam ac bonitatem relucere voluit.* Gentibus ſtultum videbatur (*ait Cyprianus*) Deum mortem ſuſcepiſſe, quiá ignorabant myſterium carnis aſſumptæ.

λ Ipſis verò vocatis Judæis & Græcis.] *Vocatione nimirum illa, quam congruam & ſecundum propoſitum ipſe D. Auguſtinus appellare ſolet, & quæ eſt ipſius prædeſtinationis effectus, de qua Rom. 8.* Quos vocavit, hos juſtificavit, & quos juſtificavit, hos glorificavit. *D. Ambroſius lib. 7. Commentar. in Lucam ſub principium.* Qui crucem ſcandalum putat, Græcus eſt ille. Eſt autem Eccleſiæ filius, qui crucem triumphum putat, qui crucem Chriſti triumphantis agnoſcit.

μ Quod ſtultum eſt Dei.] *Quod non comprehenditur intellectu vel ſapientia humana, & quod longe excedit vires naturæ, dicitur ſtultum & infirmum Dei. D. Athanaſius q. 129. ad Antiochum.* Imbecillitates (*inquit*) Dei vocat ſenſum Apoſtolorum, qui homines erant idiotæ & illiterati, & tamen brevi totum orbem occupantes, Reges & Satrapas, ſapientes & potentes Principes devicere.

CAP. XXIX.

De incarnatione domini noſtri Jeſu Chriſti, quam confiteri, Platonicorum erubeſcit impietas.

PRædicas patrem & ejus filium, quem vocas paternum intellectum, ſeu mentem: & horum medium, quem putamus te dicere ſpiritum ſanctum, & more veſtro appellas tres deos. Ubi, etſi verbis indiſciplinatis utimini, videtis tamen qualitercunque, & quaſi per quædam tenuis imaginationis umbracula, quo nitendum ſit: α ſed incarnationem incommutabilis filii Dei, qua ſalvamur, ut ad illa quæ credimus, vel ex quantulacunque parte intelligimus, pervenire poſſimus, non vultis agnoſcere. Itaque β videtis utcunque, etſi de longinquo, etſi acie caligante, γ patriam in qua manendum eſt, ſed viam qua eundum eſt, non tenetis. Confiteris tamen gratiam, quandoquidem ad Deum per virtutem intelligentiæ pervenire, paucis dicis eſſe conceſſum. Non enim dicis, paucis placuit, vel pauci voluerunt, ſed cùm dicis eſſe conceſſum, proculdubio Dei gratiam, non hominis ſufficientiam confiteris. Uteris etiam hoc verbo apertius, δ ubi Platonis ſententiam ſequens, nec ipſe dubitas, in hac vita hominem nullo modo ad perfectionem ſapientiæ pervenire, ſecundum intellectum tamen viventibus omne quod deeſt, providentia Dei, & gratia poſt hanc vitam poſſe compleri. O ſi cognoviſſes Dei gratiam per Jeſum

Chri-

Chriſtum Dominum noſtrum. *d* ipſamque ejus incarnationem, qua hominis animam corpusque ſuſcepit, *e* ſummum eſſe exemplum gratiæ videre potuiſſes Sed quid faciam? Scio me fruſtra loqui mortuo: ſed quantum ad te attinet. Quantum autem ad eos, qui te magnipendunt, & te vel qualicunque amore ſapientiæ, vel curioſitate artium, quas non debuiſti diſcere, diligunt; quos potius in tua compellatione alloquor, fortaſſe non fruſtra. Gratia Dei non potuit gratius commendari, quàm ut ipſe unicus Dei filius in ſe incommutabiliter manens, *ζ* indueretur hominem, & ſpem dilectionis ſuæ daret hominibus, homine medio: qua ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longe erat immortalis à mortalibus, incommutalis à commutabilibus: juſtus ab impiis, beatus à miſeris. Et quia naturaliter indidit nobis, ut beati immortalesque eſſe cupiamus, manens beatus ſuſcipiensque mortalem, * ut nobis tribueret quod amamus, perpetiendo docuit contemnere quod timemus. Sed huic veritati, ut poſſetis acquieſcere, humilitate opus erat, quæ cervici veſtræ difficillimè perſuaderi poteſt. Quid enim incredibile dicitur, præſertim vobis qui talia ſapitis, quibus ad hoc credendum voſipſos admonere debebatis? quid inquam vobis incredibile dicitur, cùm Deus dicitur aſſumpſiſſe humanam animam, & corpus? Vos certè tantum tribuitis animæ intellectuali, quæ anima utique humana eſt, ut eam conſubſtantialem paternæ illi menti, quem Dei filium confitemini, fieri poſſe dicatis? Quid ergo incredibile eſt, ſi aliqua una intellectualis anima modo quodam ineffabili & ſingulari, pro multorum ſalute ſuſcepta eſt? Corpus verò animæ cohærere, ut homo totus & plenus ſit, natura noſtra ipſa teſte cognoſcimus. Quod niſi uſitatiſſimum eſſet, hoc profecto eſſet incredibilius. *η* Facilius quippe in fidem recipiendum eſt: etſi humanum divino, etſi mutabile incommutabili, tamen ſpiritum ſpiritui, aut ut verbis utar quæ in uſu habetis, incorporeũ incorporeo quã corpus incorporeo cohærere. *θ* An forte vos offendit inuſitatꝰ corporis partus ex virgine? Neq; hoc debet offendere, imò potius ad pietatem ſuſcipiendã debet adducere, quod mirabilis mirabiliter natus eſt. An verò, *ι* quòd ipſum corpus morte depoſitum, & in melius reſurrectione mutatum, jam incorruptibile atque immortale in ſuperna ſubvexit. *κ* Hoc fortaſſe credere recuſatis, intuentes Porphyrium in his ipſis libris, ex quibus multa poſui, quos de regreſſu animæ ſcripſit, tam crebrò præcipere, omne corpus eſſe fugiendum, ut anima poſſit beata permanere cum Deo. *λ* Sed ipſe potius iſta ſentiens corrigendus fuit, præſertim cùm de anima mundi hujus viſibilis, & tam ingentis corporeæ molis, cum illo tam incredibilia ſapiatis. *b* Platone quippe autore, animal eſſe dicitis mundum, & animal beatiſſimum, quod vultis eſſe etiam ſempiternum. Quomodo ergo nec unquam ſolvetur à corpore, nec unquam carebit beatitudine, ſi ut anima beata ſit, corpus eſt omne fugiendum? Solem quoque iſtum & cætera ſidera, non ſolum in libris veſtris corpora eſſe fatemini, quod vobiſcum omnes homines & conſpicere non cunctantur, & dicere: verum etiam altiore, ut putatis peritia, hæc eſſe animalia beatiſſima perhibetis, & cum

al. mortalitatẽ.

Digitized by Google

his corporibus ſempiterna. Quid ergo eſt quòd cùm vobis fides Chriſtiana ſuadetur, tunc obliviſcimini, aut ignorare vos fingitis, quid diſputare aut docere ſoleatis? Quid cauſæ eſt cur propter opiniones veſtras, quas volipſi oppugnatis, Chriſtiani eſſe nolitis, niſi quia Chriſtus humiliter venit, & vos ſuperbi eſtis? Qualia ſanctorum corpora in reſurrectione ſutura ſint, poteſt aliquanto ſcrupuloſius inter Chriſtianarum ſcripturarum doctiſſimos diſputari, futura tamen ſempiterna minimè dubitamus: *c* & *μ* talia futura, quale reſurrectionis ſuæ Chriſtus demonſtravit exemplo. Sed qualiacunque ſint, cùm incorruptibilia prorſus & immortalia nihiloque animæ contemplationem qua in Deum figitur, impedientia prædicentur: vosque etiam dicatis eſſe in cœleſtibus immortalia corpora immortaliter beatorum: quid eſt quòd ut beati ſimus omne corpus fugiendum eſſe opinamini, ut fidem Chriſtianam quaſi rationabiliter fugere videamini, niſi quia illud eſt, quod iterum dico, Chriſtus eſt humilis, vos ſuperbi? An forte corrigi pudet? Et hoc vitium non niſi ſuperborum eſt. Pudet videlicet *ν* doctos homines *d* ex diſcipulis Platonis fieri diſcipulos Chriſti, *ξ* qui piſcatorem ſuo ſpiritu docuit ſapere ac dicere: *ο* In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, *e* & *π* ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo, vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *f* Quod initium *ϱ* ſancti Evangelii, cui nomen eſt ſecundum Joannem, quidam Platonicus, *g* *σ* ſicut à ſancto ſene Simpliciano, qui poſtea Mediolanenſi eccleſiæ præſedit epiſcopus, ſolebamus audire, aureis literis conſcribendum, & per omnes eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe dicebat. Sed ideo viluit ſuperbis Deus ille magiſter: quia verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: ut parum ſit miſeris quod ægrotant, niſi ſe in ipſa ægritudine etiam extollant, & de medicina qua ſanari poterant, erubeſcant. Non enim hoc faciunt ut erigantur, ſed ut cadendo gravius affligantur.

Joh. 1.

L. Vives.

a UBi Platonis ſententiam.] *In Phædone & Epinomide, quam nos libro 8. expoſuimus.*

b Platone quippe autore.] *In Timæo mundum animantem, ſidera quoq; animantia eſſe & beata ſcribit.*

c Et talia futura, quale ſua reſurrectione Chriſtus.] *Nullis morbis, nullis vitiis, nulli morti obnoxium, agile particeps beatitudinis animæ. Sic Apoſtolus ad Philippenſes 3. Servatorem expectamus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, ut configuretur corpori claritatis ſuæ.*

d Ex diſcipulis Platonis fieri diſcipulos Chriſti.] *Quæ eſt iſta tam inſolens jactatio ſapientiæ? Ceu verò erubuerit Plato magiſtrum habere Socratem, qui nihil ſe ſcire profitebatur, & non per totam vitam gloriatus ſit diſcipulum ſe fuiſſe marmorarij, totamq; ſuam illam tam latè patentem ſapientiam præceptoris eſſe: & non ipſe Socrates apud Platonem & Xenophontem principes ſcholæ illius multa referunt in Aſpaſiam, & Diotimam magiſtras.*

e Et ſine ipſo factum eſt nihil.] *Græci ſic diſtinguunt: Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, quaſi redit in nihilum, niſi conſervetur cura regentis. Quod etiam philoſophi ſenſerunt, & ſic diſpunctum legi in exemplari Colonien. de qua re nihil nunc pronuncio.*

f Quod initium ſancti Evangelii.] *Auguſt. lib. Confeſ. 8. ait, ſe in libris Platonicorum legiſſe, etſi non eiſdem verbis ſententiam Evangelij divi Joannis: In principio erat verbum Amelius autem Platonicis ſic inquit: Atq; hoc erat illud verbum, per quod ea quæ facta ſunt, fiebant: Cùm tamen ſemper eſſent, quemadmodum & Heraclitus voluit, & per Iovem barbarus ille cenſet in ordine dignitateq; principij conſtitutum apud Deum eſſe, & Deum eſſe, & per ipſum omnia facta eſſe: & in ipſo quod factum eſt, vivum & vitam & ens fuiſſe. Barbarum verò Ioannem dicit. Porrò nos ex Platone docuimus, verbo Dei omnia eſſe facta: & ex Plotino filium Dei eſſe creatorem. Numenius quoq; non vult Deum primum creatorem eſſe, ſed ſecundum.*

g Sicut à ſancto ſene Simpliciano.] *Simplicianus Mediolanenſis epiſcopus amicus fuit Auguſtini, multaq; inter eos miſſitatæ ſunt literæ, iſq; presbyter adhuc nondum epiſcopus hortatus eſt Auguſtinum, ut ingenium exerceret, & expoſitionibus ſacrarum literarum operam daret. Gennadius in Catalogo illuſtrium virorum.*

α SEd incarnationem incommutabilis Dei.] *Philoſophi à myſterio incarnationis maximè abhorruerunt, & ut hic docet D. Auguſt. & infr. lib. 19. c. 23.* Porphyrius, qui qualitercumque & quaſi per quædam tenuis imaginationis umbracula myſterium Trinitatis admiſerat, maximè quæ de Patre & prima mente dicebantur, hoc myſterium incarnationis irridebat. *epiſt. 3. ad Voluſian. ſcribit Gentibus nihil viſum abſurdius,* quàm ut ad unius vagientis infantuli corpuſculum totius mundi cura transferatur. *Ideo D. Paulus Theſſal. 1. vocat hoc myſterium* abſconditum, *quòd non ſolum ſuperet captum ingenij humani, ſed valde difficile eſſe credatur. Abac. 1.* Opus factum eſt in diebus noſtris, quod non creditis cum narrabitur vobis, *quæ verba D. Paulus Act. 13. ad myſterium incarnationis refert.* Ecce, *inquit,* ego operor opus in vobis, quod non credetis cùm narrabitur. F. L. c. 4.

β Videtis utcumque & ſi de longinquo.] *Ita ferè Tertullianus de Philoſophis lib. de ſpectacul. c. 2.* Non penitus Deum norunt niſi naturali jure non etiam familiari, de longinquo non de proximo.

γ Patriam in qua manendum eſt, ſed viam.] *Patria fælicitas eſt, quæ conſiſtit in viſione & fruitione ſanctiſſimæ Trinitatis. Ut ergo de longinquo ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, ita patriam videbant. Via autem, qua itur ad Deum, incarnatio verbi eſt, à quo myſterio qui abhorrent & non piè confitentur, proculdubio longè ſunt à via qua itur ad Deum.*

δ Ipſamque ejus incarnationem.] *Unio verbi cum natura humana pluribus vocabulis tùm in ſcriptura, tùm etiam à Patribus ſignificatur. ut deſcenſus Iſaiæ 64.* utinam dirumperes cœlos & deſcenderes. *Ioan. 6.* deſcendi de cœlo: *item dicitur*

Digitized by Google

tur exinanitio. *Philip. 2.* exinanivit ſemetipſum. *Hilario prologo in Pſal. dicitur* corporatio; *qua voce uſus eſt & Tertullianus, lib. de carne Chriſti circa principium: ab Auguſtino noſtro, epiſt. 3. ad Voluſianum,* mixtura admirabilis, *ut etiam à Gregorio Nazianzeno orat. paneg. in Chriſti nativitatem. Ab aliis Græcis patribus ſæpe dicitur* œconomia verbi, *& à Damaſceno lib. 3. cap. 6.* ἐνανθρώπησις inhumanatio. *Verùm magis in Eccleſia uſitatum eſt* incarnationis *nomen, quo utitur hic D. Auguſtinus, & Hieronymus in cap. 17. Marci, & D. Ambroſius in cap. 23. Lucæ. Leo Papa, Concil. 3. de nativitate. Lactantius lib. 4. divinar. inſtitut. cap. 11. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos, cap. 2. Græcis* σάρκωσις, *qua utitur Cyrillus lib. de incarnatione unigeniti, & Damaſcenus lib. 1. de fide, cap. 13. & libr. 3. cap. 6. Refert Athanaſius interdum Catholicos hac voce incarnationis uti formidaſſe, ne dominicum verbum ſolam carnem ſine anima ſumpſiſſe cum Apollinari & Arrio ſentire viderentur. Verùm hæc vox* incarnationis *in ipſo myſterio, quo verbum caro factum eſt, & in his eiſdem verbis, quibus illud Ioannes Evangeliſta explicuit, fundata eſt: Nomen verò carnis tàm in verbis Ioannis quàm in nomine incarnationis non excludit animam, ſed ab ignobili parte naturam humanam integram ſignificat, ut D. Ambroſius & D. Auguſtinus annotavere ſæpe, & Cyrillus Alexandrinus lib. de incarnatione unigeniti, cap. 24. & D. Thom. 4. contra Gentes, cap. 33. Frequenter in nomine carnis totum hominem ſignificare ſolet ſcriptura, & omnes Scholaſtici atque Chriſtianum vulgus incarnationem Dei filii appellat.*

ε Summum eſſe exemplar gratiæ.] *Non poteſt natura creata aliquod majus donum conferri unione hypoſtatica, quæ eſt ſubſtantialis & reliquæ accidentales, per quam Deus verè dicitur homo, & homo dicitur Deus, per quam Chriſtus homo efficitur filius Dei naturalis, per quam ita verbum ſe communicat humanæ naturæ, ut verè & ſubſtantialiter illi copuletur, & illam per ſe ipſum perficiat, & cum illa aliquid unum ineffabili modo componat. Propterea rectè ab eodem D. Auguſtino dictum eſt lib. de præd. ſanctorum, cap. 15.* tantam, tàm excelſam, & tam ſummam eſſe hanc humanæ naturæ ſubvectionem, ut quo attollatur altius non habeat. *Et lib. 13. de Trinit. cap. 19.* In rebus per tempus ortis illa ſumma gratia eſt, quod homo in unitate perſonæ conjunctus eſt Deo.

ζ Indueret hominem.] *Qua ratione humana natura in Chriſto aſſimiletur veſtimento vel indumento, explicat D. Thom. 3. p. q. 2. art. 6. ad 1.* Indumentum unitur tantum homini accidentaliter, verum natura humana verbo etiam ſubſtantialiter, *ſed in hoc ponit ſimilitudinem; quod verbum videtur per humanam naturam, ſicut homo per veſtimentum. Et ſicut veſtimentum mutatur, & formatur ſecundum figuram ejus, qui ipſum induit, qui à ſua forma non mutatur propter veſtimentum, ſic humana natura aſſumpta à Dei verbo eſt meliorata, non ipſum Dei verbum, ut docet D. Auguſtinus lib. 83. Quæſt. q. 73. & hic dicit incommutabiliter manens verbum hominem induiſſe. Iſai. 64. dicitur humanitas* veſtimentum verbi. Quare rubrum eſt veſtimentum tuum. *rurſus:* quis eſt iſte qui venit de Edom tinctus veſtibus de Boſra?

η Facilius quippe in fidem recipiendum.] *Ita patres antiqui myſterij incarnationis*

tionis poſſibilitatem contra infideles demonſtrarunt ex ſimilitudine aliarum unionum rerum inter ſe diverſiſſimarum, quæ niſi evidentiſſima eſſent, nec crederentur? Non modò hic D. Auguſt. verùm etiam Athanaſius in Symbolo, & D. Thom. lib. 4. contra Gentes cap. 41. & alij exemplo utuntur unionis animæ & corporis, quæ licet diverſiſſimæ ſint naturæ, ſic tamen conjunguntur, ut ex illis fiat unica ſubſtantia, nempe unica natura humana. Quid igitur obſtat, quò minùs credamus fieri poſſe, ut ex ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate verbi & humana natura conſtet una quadam ſubſtantia, quæ ſit non una natura, ſed una perſona in utraque natura divina & humana ſubſiſtens? Id verò argumentum maximè valet contra Porphyrium & Platonicos, qui animam humanam conſubſtantialem volebant divinæ illi menti, quem Dei filium fatebantur. Igitur ex eorum ſententia majorem convenientiam habet cum divino verbo, quàm cum mortali corpore. Si ergo unitur ita cum corpore, ut ex utraque conſtet una hominis natura, non dicitur aliquid incredibile, ſi una aliqua intellectualis anima modo quodam ineffabili & ſingulari pro multorum ſalute ſuſcepta dicitur, & ex conſequenti corpus, quod illi naturaliter cohæret. Ubi obſerva, quod licet hoc myſterium non poſſit aliqua ratione naturali demonſtrari, cùm ſit ipſa Jeſu in carne apparitio & ineffabilis ſermone omni & omni ignota intelligentiæ, ipſe quoque antiquiſſimorum Angelorum primati non cognita, *ut dicit Dionyſius lib. de divin. nominib. cap. 2. in fine, nec ratio naturalis indicet illud poſſibile, ſi tamen ſit rectè inſtituta, non indicat impoſſibile, ſed negativè ſe habebit, & agnoſcens eſſe ſupernaturale fatetur interim Deum plura poſſe, quam ipſa intelligat, licet in particulari & diſtinctè non poſſit conſtituere an hoc vel illud poſſit.*

θ An forte vos offendit inuſitatus corporis partus ex virgine.] *Ut videre eſt apud D. Auguſt. epiſt. 2. & 3.* id maximè infidelibus difficultatem movebat, utrum mundi Dominus & creator intemeratæ fœminæ corpus impleverit, pertulerit decem menſium longa illa faſtidia mater, & tamen virgo enixa ſit ſolennitate pariendi, & poſt hæc virginitas intacta permanſerit. *Hoc myſterium virginei partus ſolitos ridere Gentiles ſcribit etiam D. Ambroſ. lib. 5. Hexam. cap. 20.*

ι Quod ipſum corpus morte depoſitum.] *Hæc ſunt, quæ nova dicit Chriſtum feciſſe in mundo, epiſt. 3. ad Voluſianum.* Quia non oportebat (*inquit*) ut novum faceret mundum, nova fecit in mundo. Homo enim de virgine procreatus, & à mortuis in æternam vitam reſuſcitatus & ſuper cœlos exaltatus potentius fortaſſe opus eſt, quàm mundus.

κ Hoc fortaſſe credere recuſatis.] *Ita ferè loco citato.* Hic fortè (*inquit*) reſpondet ſe factum hoc eſſe non credere. Quid ergo fiet hominibus, qui minima contemnunt, majora non credunt? Reddita vita defunctis ideò creditur, quia & alii fecerunt, & parum eſt Deo: caro propria de virgine creata, & à morte in æterna vita ſuper cœlos levatâ, ideò non creditur, quia nemo fecit, & competit Deo, ac per hoc quæ quiſque ſibi facilia non factu, ſed captu putat, æquo animo accipit, ſupra ea veluti ficta pro falſis ducit.

Digitized by Google

λ Sed iſte potius iſta ſentiens.] *Porphyrius docebat, animam corpori conjunctam non poſſe eſſe beatam, imò ei fugiendum omne corporis commercium, ut beata ſit, ideoque abſurdum fortaſſe judicabat, Deum uniiſſe ſibi humanum corpus, deinde partum illius ex virgine, immortalitatem prætereà & gloriam ei à morte conceſſam aſſerere videtur quiddam abſurdum. Hæc itaque ex parte ſequentibus refutat D. Auguſtinus ex ipſiusmet Porphyrij & Platonis dogmate.*

μ Talia futura, quale reſurrectionis ſuæ.] *Ita Apoſtolus Philip. 3.* reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, *quemadmodum enim prædeſtinatio Chriſti exemplar eſt prædeſtinationis noſtræ, ita gloria & beatitudo tùm animæ, tùm corporis Chriſti exemplar eſt noſtræ; ſicque reſurrectio ſua exemplar eſt reſurrectionis juſtorum, ut quemadmodum corpus ſuum immortale, incorruptibile, impaſſibile, agile, ſubtile reſurrexit, ita reſurrectura ſint ſanctorum corpora.*

ν Doctos homines ex diſcipulis Platonis fieri diſcipulos Chriſti.] *Hieron. adverſus errores Joannis Hieroſolymitani.* Hoc quod vos miramini, olim in Platone contempſimus: contempſimus autem quia ſtultitiam recipimus: Recepimus Chriſti ſtultitiam, quia fatuum Dei ſapientius eſt hominibus. *Refert D. Auguſt. Epiſt. 34. ad Paulinum, & lib. 2. de doctr. Chriſt. ca. 38. ex D. Ambroſ. nonnullos ſuperbiſſimos & imperitiſſimos dixiſſe Chriſtum ex libris Platonis profeciſſe; quod inquit, dementiſſimum eſt credere.*

ξ Qui piſcatorem ſuo ſpiritu docuit ſapere ac dicere.] *De Apoſtolis Chriſti illud accipiendum eſt Prophetæ.* Ponam filios tuos doctos à Deo. *Hier. Epiſt. ad Paulin.* Phariſæi ſtupent in doctrina domini, & mirantur in Petro & Joanne qui legem ſciant, cùm literas non didicerint. Quicquid enim aliis exercitatio, & quotidiana in lege meditatio tribuere ſolet, illis hoc Spiritus ſanctus ſuggerebat, & erant juxta quod ſcriptum eſt θεοδίδακτοι. *Ibidem.* Joannes ruſticus, piſcator indoctus, & unde illa vox obſecrò, In principio erat verbum.

ο In principio erat verbum.] *Ioannes Evangeliſta per Ezechielem in aquila præmonſtratus altiſſimè evolans, altiſſimum Evangelio ſuo principium dedit. Quàm altè evolarit docet D. Aug. tract. 36. in Ioan. his verbis.* Cæteri Evangeliſtæ tanquam cum domino homine in terra ambulantes, de divinitate ejus pauca dixerunt; Joannes autem quaſi piguerit in terra ambulare, rexit ſe non ſolùm ſuper terram & omnem ambitum aeris, & cœli, ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, & pervenit ad eum, per quem facta ſunt omnia, dicens. In principio erat verbum, *& lib. 1. de conſenſu Evang. c. 4.* Tres Evangeliſtæ in his rebus maximè diverſati ſunt, quas Chriſtus per humanam carnem temporaliter geſſit. Porrò autem Joannes ipſam maximè divinitatem Dei, qua patri eſt æqualis, intendit, eamque præcipuè ſuo Evangelio quantùm inter homines ſufficere credidit, commendare curavit. Itaque longè à tribus iſtis ſuperiùs fertur, ita ut hos videas, quodammodo in terra cum Chriſto homine converſari, illum autem tranſcendiſſe nebulam, qua tegitur omnis terra, & perveniſſe ad liquidum cœlum, unde acie mentis acutiſſima atque firmiſſima videret.

In

In principio verbum Deum apud Deum *&c. ibid.* Si quæ ſint, quæ Chriſti divinitatem, in qua æqualis eſt patri, rectè intelligentibus intimet, pene ſolus Joannes in Evangelio ſuo poſuit, tanquam de pectore ipſius domini, ſuper quod diſcumbere in ejus convivio ſolitus erat, ſecretum divinitatis ejus uberius & quodammodo familiarius biberit. *Et cap. 5. dicit tres Evangeliſtas temporalia facta domini & dicta, quæ ad informandos mores vitæ præſentis maximè valerent, copioſiùs perſecutos circa activam virtutem fuiſſe verſatos. Ioannem verò facta domini multo pauciora narrantem; dicta verò ejus, ea præſertim, quæ Trinitatis unitatem, & vitæ æternæ fœlicitatem inſinuarent, diligentiùs & uberiùs conſcribentem in virtute contemplativa commendanda ſuam intentionem prædicationemque tenuiſſe, & cap. 6.* Tres Evangeliſtæ, qui iis maximè occupati ſunt, quæ Chriſtus in carne operatus, & quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradit. At verò Joannes ſuper nubila infirmitatis humanæ velut aquila volat, & lucem incommutabilis veritatis acutiſſimis atque firmiſſimis oculis intuetur. *Hunc volatum aquilæ cœleſtis Ioann. Evangeliſtæ D. Hieron. in prologo Matthæi, fœlicem temeritatem appellavit.* Coactus eſt, *inquit,* Joannes de divinitate ſalvatoris altius ſcribere, & ad ipſum (ut ita dicam) Dei verbum non tam audaci quàm fœlici temeritate prorumpere. Raptus eſt certè Paulus in cœlum 2. Cor. 13. & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, ſi non dubitandum Joannem raptum in cœlum didiciſſe altiſſimum & profundiſſimum generationis divinæ myſterium ac ſacroſanctæ Trinitatis, quod toto mundo intonuit.

π Et ſine ipſo factum eſt nihil.] *Duplex eſt lectio illius loci. Nam Gregorius Nazianzenus orat. 5. de Theologia, & Irenæus libr. 3. cap. 11. Theophylactus, Euthymius, Hieronymus, Amos 6. Syriacum Evangelium, Græci Codices ſic ſententiam terminant,* Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, *hoc ſenſu, Sine verbo nulla res eſt facta, quæ creata ſit, & addidiſſe dicitur. D. Ioannes hæc verba, ne quis putaret ſpiritum ſanctum factum eſſe, quippe qui ſit Deus increatus. Ita Nazianzenus loco citato, ne illud quidem extimeſcam, quod omnia per filium facta eſſe dicuntur tanquam in rerum univerſitatem Spiritus quoq; ſanctus aggregandus ſit.* Omnia enim quæcunque facta ſunt, *dicit Evangeliſta, non omnia ſimpliciter. Nam ne ipſe quidem pater, nec omnia ea, quæ facta non ſunt. Meminit hujus lectionis D. Ambroſius l. 3. de fide c. 3.* plerique, *inquit,* docti & fideles ſic pronuntiant, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt, *Pſal. 36: ait Alexandrinos & Ægyptios ſic legere. Altera lectio eſt hujuſmodi.* Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, *ſic ſententia terminatur ut quæ ſequuntur,* quod factum eſt, *cum ſubſequentibus, non cum antecedentibus verbis conjungenda ſint. Hanc ſequitur Lact. lib. 4. c. 8. & Tertull. lib. contra Hermogenem cap. 18. 20. & 45. lib. de reſurrectione carnis c. 5. & l. 5. contra Marcionem c. 19. & lib. contra Praxeam c. 5. Hanc confirmat D. Ambroſius in Pſal. 36.* Salva ſit, *inquit,* fidelibus illa prima diſtinctio, i. ego non vereor legere. Quod factum eſt in ipſo, vita erat, & nihil habet quod teneat Arrianus, quia non illius

Digitized by Google

lius venena conſidero, ſed lectionis ſacræ conſuetudinem recognoſco. *Hanc ſequitur etiam D. Auguſtinus hoc loco & tractatu 1. in Joannem, & ut ſcribit Ianſenius in concordiam Evangelij cap. 1. hanc diſtinctionem ferè Latini ſequuntur interpretes, & cum eis Cyrillus Græcus.*

ρ Sancti Evangelii, cui nomen eſt ſecundum Joannem.] *Ioannes Apoſtolus poſt cæteros ſcripſit Evangelium, ut Hieron. ſcribit de viris illuſtribus duabus de cauſis, primò, quia rogatus eſt ab Aſiæ Epiſcopis adverſus Cherintum ſcribere, & alios hæreticos, & maximè Ebionitarum dogma tum exſurgens, quia aſſerebant Chriſtum ante Mariam non fuiſſe; unde compulſus eſt divinam ejus nativitatem edicere. Deinde quia cum legiſſet cæterorum Evangeliſtarum volumina, probavit quidem textum hiſtoriæ, & vera eos dicere firmavit, ſed unius tantum anni, in quo & paſſus eſt Chriſtus poſt carcerem Ioannis hiſtoriam texuiſſe vidit, quocirca ille anno ſuperioris temporis, antequam Ioannes carcere clauderetur, geſta narravit. Irenæus lib. 3. cap. 11. ſcribit Ioannem ſcripſiſſe Evangelium, ut auferret eum, qui à Cherinto inſeminatus erat hominibus, errorem, & multo priùs ab his, qui dicuntur Nicolaitæ. Scripſit autem Evangelium in Aſia poſt reditum ab exſilio Pathmi. Ita Epiphanius hæreſi 51.* Coegit Spiritus ſanctus Joannem poſt 49. annos vitæ ipſius, poſt reverſionem ipſius à Pathmo poſtquam multos annos in Aſia tranſegiſſet, Evangelium exponere. *Irenæus lib. 3. c. 1.* Joannes edidit Evangelium in Aſia Epheſi commorans. *Eadem eſt ſententia Euſebij lib. 5. cap. 8. Iſidori, Bedæ & aliorum.*

σ Sicut à ſancto ſene Simpliciano.] *Illius meminit lib. 8. confeſſ. cap. 2. & lib. de prædeſtin. ſanct. cap. 4. ſcribit eum in Epiſcopatu ſucceſſiſſe Mediolanenſi ſancto Ambroſio.*

Cap. XXX.

Quanta Platonis dogmata Porphyrius refutaverit, & diſſentiendo correxerit.

SI poſt Platonem aliquid emendare exiſtimatur indignum, cur ipſe Porphyrius nonnulla & non parva emendavit? *a* α Nam Platonem animas hominum poſt mortem revolvi uſque ad corpora beſtiarum ſcripſiſſe certiſſimum eſt. *b* Hanc ſententiam β Plato doctor tenuit, & Platonis diſcipulo γ Porphyrio tamen jure diſplicuit. In hominum ſanè non ſua quæ dimiſerant, ſed in alia nova corpora redire humanas animas arbitratus eſt. Puduit ſcilicet illud credere, ne mater fortaſſe filium in mulam revoluta vectaret: & non puduit hoc credere, ne revoluta mater in puellam filio forſitan nuberet. Quanto creditur honeſtius, δ quod ſancti & veraces angeli docuerunt: quod prophetæ Dei ſpiritu acti locuti ſunt: quod ipſe, quem venturum ſalvatorem præmiſſi nuncii prædixerunt: quod miſſi Apoſtoli, qui orbem terrarum Evangelio repleverunt. Quanto, inquam honeſtius creditur, reverti ſemel animas ad corpora propria, quàm ε reverti toties ad diverſa. Veruntamen, ut dixi, ex magna parte, in hac opinione correctus eſt Porphyrius: ut ſaltem in ſolos homines huma-

humanas animas præcipitari poſſe ſentiret: beluinos autem carceres evertere, minimè dubitaret. Dicit etiam Deum, ad hoc animam mundo dediſſe, ut materiæ corporalis cognoſcens mala ad patrem recurreret: nec aliquando jam talium polluta contagione teneretur. Ubi etſi aliquid inconvenienter ſapit, magis enim data eſt corpori, ut bona faceret: non enim mala diſceret, ſi non faceret: in eo tamen aliorum Platonicorum opinionem, & non in re parva emendavit, quod mundatam ab omnibus malis animam, & cum patre conſtitutam, nunquam jam mala mundi hujus paſſuram eſſe confeſſus eſt. Qua ſententia profectò abſtulit, quod eſſe Platonicum maximè perhibetur, ζ ut mortuos ex vivis, ita vivos ex mortuis ſemper fieri: falſumque eſſe oſtendit, quod ε Platonicè videtur dixiſſe Vergilius: η in campos Elyſios purgatas animas miſſas. Quo nomine tanquam per fabulam videntur ſignificari gaudia beatorum, θ ad fluvium Letheum evocari, h. e. ad oblivionem præteritorum:

Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reverti.

Merito diſplicuit hoc Porphyrio: quoniam revera credere ſtultum eſt, ex illa vita, quæ beatiſſima eſſe non poterit, niſi de ſua fuerit æternitate certiſſima, deſiderare animas corporum corruptibilium labem, & inde ad iſta remeare, tanquam hoc agat ſumma purgatio, ut inquinatio requiratur. Si enim quòd perfectè mundantur, hoc efficit, ut omnium obliviſcantur malorum: malorum autem oblivio facit corporum deſiderium, ubi rurſus implicentur malis: profectò erit infœlicitatis cauſa, ſumma fœlicitas & ſtultitiæ cauſa, perfectio ſapientiæ: & immunditiæ cauſa, ſumma munditia. Nec veritate ibi beata erit anima quandiucunque erit, ubi oportet fallatur, ut beata ſit. Non enim beata erit, niſi ſecura. Ut autem ſecura ſit, falſo putabit, ſemper ſe beatam fore: quoniam aliquando erit & miſera. Cui ergo gaudendi cauſa falſitas erit, quomodo de veritate gaudebit? Vidit hoc Porphyrius, purgatamque animam, ob hoc reverti dixit ad patrem, ne aliquando jam malorum polluta contagione teneatur.

a NAm Platonem animas hominum poſt mortem.] *Plato Pythagoræ opinionem ſecutus, animas poſt mortem in corpora redire exiſtimavit, ſic in Timæo, ſic in extremo De Republ. ſic in Phædro ſcribit. In hoc enim libro, quem poſtremum nominavi, legem Adraſtiæ illius neceſſariæ refert, qua jubetur, ut quæcunque anima Deum ſecuta, aliquid veri inſpexerit, ea ſine ulla pœna, ad circum alterum pervadat. Quòd ſi & in illo idem fecerit, vacet quoque pœna, ſemper beata, ſi ſemper ſic faciat: quòd ſi verum non fuerit conſecuta, & caſu preſſa pœnas obtinuerit, in corpus abeat. His gradibus, ut quæ plurima viderit, philoſophum induat: hinc proxima legitimum regem, aut imperatorem, ac ſtrenuum virum: ex tertio ordine fiant magiſtratus in republ. & patres familiâs: ex quarto aliptæ & medici: ex quinto vates & miſtæ: de ſexto poetæ: de ſeptimo opifices, & agricolæ: ex octavo ſophiſtæ, & aurarij: ex nono tyranni. Sic proficiſcuntur animæ in vitam: quam qui rectè tranſegerit, is ad meliorem conditionem remigrabit: qui iniquè, ad pejorem.* L. Vives. Tranſanimatio.

rem. In eum enim locum, unde quæq; anima diſceſſerat annis x. milibus non redit. nam alas confractas ante id tempus non receperat, præter illius animam, qui ſimpliciter & ſine dolo philoſophatus eſt, nam huic ſi ter ad eum vixerit modum, ter milleni ſufficiunt anni. Ex aliis animabus, ubi de eis pronunciatum eſt, hæ quidem ſub terram ad ſupplicia conjiciuntur, illæ in cælum ſublatæ vitam agunt beatam, pro ratione ejus quam in terris egerunt. Poſt mille autem annos, utræq; ad ſecundam redeunt vitam, optione unicuiq; propoſita, ut quod velit, eligat. Itaq; aliæ quæ prius fuerant hominum, in beſtias diſcedunt: aliæ quæ prius beſtiarum, in homines, ſi modo hominum quoq; aliquando fuerant. nam quæ veritatem nunquam eſt intuita, in humanam formam non tranſibit. Hæc eſt ſententia Platonis in Phædro. In ultimo verò de rep. de hujuſmodi vitæ optionibus loquens ait, electionem magna ex parte juxta vitæ prioris mores fieri. Sic Orphei animam cygni corpus elegiſſe, nec voluiſſe in fœminam tranſire odio illius ſexus: Animam Thameris philomelæ, cygni quoq; animam in hominem demigraſſe: Ajacis animam leonem optaſſe, Agamemnonis aquilam, Therſitis ſimiam.

b Hanc ſententiam Plato doctor.] *Alibi legitur, Plotinus doctor. Ipſe Porphyrius ſcribit ſe decimo Galieni imperatoris anno Romam è Græcia veniſſe, cùm Plotinus ageret ferè quinquageſimum nonum annum, audiſſeq; illum quinq; annos. Plotinus verò Platonis opinionem de reditu animarum in quævis corpora ſecutus eſt. itaq; ſic videtur legendum, Hanc ſententiam Plato doctor tenuit, & Plotinus, diſcipulo tamen Porphyrio etiam.*

c Quod Platonicè videtur dixiſſe Vergilius.] *Plato libro De rep. x. animas dicit ad Letheum campum proficiſci ſtirpibus omnino vacuum, & ex Amelita fluvio pronas bibere: quæ largius hauriunt, oblivisci penitus omnium. Hoc facto dormire omnes, & media nocte tonitru ingenti excitari, venireq; ad vitam. Amelita autem eſt ceu rerum omnium oblivio, quaſi nullius rei cura & cogitatio. Apud Verg. autem ſic loquitur Anchiſes de animabus corporibus defunctis:*

Has omnes, ubi mille rotam voluêre per annos
Letheum ad fluvium, Deus evocat, agmine magno:
Scilicet immemores, &c.

Obliviſcuntur itaq; præteritorum, & qualis futura ſit ſequens vita non recogitant: nec tamen voluntate huc inducuntur, ſed neceſſitate.

P.L.Coq. *a* PLatonem animas hominum poſt mortem.] *Plato in Timæo ſub finem id ſcribit, & lib. 10. de republi. ſub finem, & in Phædone. Loca citata Platonis vide apud Euſebium lib. 13. de præparat. Evangel. cap. 10. & Theodoretum ſermon. 11. θεραπευτ. Hanc etiam fuiſſe Ægyptiorum opinionem teſtatur Herodotus libr. 2. quin & nonnullos ex Græcis eandem rationem uſurpaſſe tanquam ſuam ipſorum, ibidem refert, Pythagoreos tacitè inſinuans, quos ſecutus eſt Plato. Ita ſcribit Tertullianus lib. de teſtimonio animæ cap. 4.* Opinio Chriſtiana honeſtior multo Pythagorica, quæ te non in beſtias transformat. *Et Euſebius loco citato ſcribit Platonem in hoc non ſecutum eſſe Hebræos, à quibus multa acceperat, ſed Ægyptios,* quod non feciſſet, *inquit,* ſi veritatis fuiſſet amicus. *Ad tam abſurdam ſententiam*

am proximè acceſſiſſe Simonem Magum & Carpocratem indicat idem Tertull. lib. de anima cap. 54. & 55. quin & Manichæi ipſi teſte D. Auguſtino lib. de hære. hæreſi 46. & lib. 5. contra Fauſtum cap. 10. & Epiphanius lib. 2. hæreſi 66. eadem correpti erant opinione inſana. & D. Hieronymus Epiſt. 59. ad Avitum & 61. ad Pammachium contra errores Joannis Hieroſolymitani, eundem errorem tribuit Origeni in lib. περὶ ἀρχῶν. *Hanc* μετεμψύχωσιν, *refutarunt etiam Irenæus lib. 2. cap. 58. Tatianus orat. contra Gentes. Clemens Alexandrinus lib. 4.* στρώμα. *Origenes ipſe lib. 1. contra Celſum, Lactantius lib. 7. cap. 12. Cyrillus Alexand. lib. 7. contra Julianum.*

β Plato doctor tenuit & Plotinus diſcipulos.] *Ennea. 3. lib. 4. cap. 2. apertiſſimè hanc ſententiam de transmigratione animarum etiam in corpora brutorum aſſerit; hanc tamen philoſophorum ſententiam D. Auguſtinus lib. 7. de Geneſi ad Lit. cap. 10. ita interpretatus eſt, ut non intellexerint veram animorum noſtrorum in pecudum corpora transmigrationem, ſed rebus fictis adumbrarint qua ratione homines vitiis, & moribus depravatis quodammodo propriam exuant naturam, & in beſtias mutentur. nam in proclivius ſe credere ſcribit, illos, qui hoc primitus docuerunt, in hac vita potius intelligi voluiſſe quadam perverſitate morum ac turpitudine homines pecorum fieri ſimiles, ſicque quodammodo in pecora commutari, ut hoc dedecore objecto eos à cupiditatum pravitate revocarent. Ita etiam Platonem interpretati ſunt Iamblichus, Proclus, & Porphyrius ipſe, nimirum id eum ſecundum allegoriam quandam intellexiſſe, non verò quòd re ipſa animæ noſtræ poſt mortem tranſirent in corpora brutorum animantium.*

γ Porphyrio tamen cur diſplicuit.] *Porphyrius, inquit, eam* μετεμψύχωσιν *ex parte admittebat, nempe in corpora humana, ex parte rejiciebat, quod nollet tranſire animas noſtras in corpora brutorum.*

δ Quod ſancti & veraces Angeli, quod Prophetæ.] *Plus enim erroris quam veritatis in ſe continet doctrina Philoſophorum, & ut ſcribit Tertull. lib. de anima ca. 28.* nullus ſermo divinus eſt niſi Dei unius, quo Prophetæ, quo Apoſtoli, quo Chriſtus ipſe intonuit.

ε Reverti ſemel animas in corpora propria.] *nempe in generali reſurrectione.*

ζ Ut mortuos ex vivis, ita vivos ex mortuis ſemper fieri.] *Tertullianus lib. de anim. cap. 28.* Quis ille nunc vetus ſermo apud memoriam Platonis de animarum reciproco diſcurſu, quod hinc abeuntes eant illuc, & rurſus huc veniant & vivant, & de hinc è vita abeant; rurſus ex mortuis effici vivos? *Locus Platonis in Phædone eſt iſte.* Vetus equidem ſermo eſt iſte, quod hinc abeuntes illic ſint, & rurſus huc redeunt, & ex mortuis fiunt viventes. *Fuit etiam hæc opinio Pythagoræ.* de recidivatu revolubili (*ut ibidem loquitur*) ſemper ex alterna mortuorum atque viventium ſucceſſione, *quemadmodum etiam in ſequentibus pluribus confutat Tertullianus. Hanc etiam ſententiam Platonicorum meritò improbaſſe Porphyrium docet hic D. Auguſtinus.*

η In campos Elyſios.] *Dictus eſt Elyſius campus quaſi* ἀλύσιος ἀπὸ λύσιος τῆς κολάσεως, *quòd* à pœna ſolvat. *In his campis, qui juſtitiam coluiſſent, habitare veteres finxerunt, & quod ait Auguſtinus eo nomine tanquam per fabulam ſignificari*

cari gaudia beatorum, etiam Gregorius Nazianzenus Orat. 30. quæ eſt in laudem Baſilij, paradiſum noſtrum imagine quadam Græcos concepiſſe ex ſacris literis opinatur, tametſi in nomine non nihil diſcrepent, aliis tamen vocabulis hoc ipſum indicantes. Clemens Alexandr. lib. 4. ςρωμα. Hyperboreæ & Arimaſpiæ urbes & Elyſios campos juſtorum habitationes creditas fuiſſe ait. Origenes libr. 7. contra Celſum. Proditum eſt à divinis hominibus, *inquit*, priſcis & beatas animas vitam beatam degere. *Locum autem eum quidam beatorum inſulas nominant, alij campum Elyſium, etymologia Græcæ vocis inde deducta, quod ſoluti ſint malis omnibus, de quo Homerus ſic canit:*

In nemus Elyſium poſt hæc ſedesque beatas
Ab Jove mitteris: in quo ſuaviſſima vita eſt.

Virgilius 6. Æneid. locos beatos & amœna vireta fortunatorum nemorum ſedeſque beatas *appellat.*

θ Ad fluvium Lethæum.] *Lethe fluvius inferorum apud Poetas, cujus aquam ſi ſi quis guſtaſſet, omnium ſtatim præteritorum obliviſci eum voluerunt.* ἀπὸ τῆς λήθης, *hoc eſt,* ab oblivione *nomen accepiſſe creditur, quod morientes præterita omnia tùm dicta tùm facta oblivioni tradant.*

CAP. XXXI.

Contra argumentum Platonicorum, quo animam humanam aſſerunt Deo eſſe coæternam.

FAlſo igitur à quibuſdam Platonicis eſt creditus, *a* quaſi neceſſarius orbis ille ab eiſdem abeundi, & ad eadem revertendi. Quod etiam ſi verum eſſet, quid hoc ſcire prodeſſet, niſi fortè inde ſe nobis auderent præferre Platonici, quia id nos in hac vita jam neſciremus, quod ipſi in alia meliore vita purgatiſſimi & ſapientiſſimi fuerant neſcituri, & falſum credendo beati futuri? Quod ſi abſurdiſſimum & ſtultiſſimum eſt dicere, Porphyrii profectò eſt præferenda ſententia, his qui animarum circulos alternante ſemper beatitudine & miſeria ſuſpicati ſunt. Quod ſi ita eſt, ecce Platonicus in melius à Platone diſſentit: ecce vidit hic, quod ille non vidit, nec poſt talem, ac tantum magiſtrum refugit correctionem, ſed homini prapoſuit veritatem. Cur ergo *α* non potius divinitati credimus de his rebus, quas humano ingenio perveſtigare non poſſumus, β quæ animam quoque ipſam non Deo coæternam, ſed creatam dicit eſſe, quæ non erat? Ut enim hoc Platonici nollent credere, hanc utique cauſam idoneam ſibi videbantur afferre, quia niſi quod ſemper antea fuiſſet, ſempiternum deinceps eſſe non poſſet. Quanquam & de mundo, & de his quos in mundo deos à Deo factos ſcribit Plato, γ apertiſſimè dicat eos eſſe cœpiſſe, & habere initium, finem tamen non habituros, ſed per conditoris potentiſſimam voluntatem in æternum permanſuros eſſe perhibeat. Verùm id quomodo intelligant, invenerunt, non eſſe hoc videlicet temporis, ſed ſubſtitutionis initium. *c* δ Sicut enim, inquiunt, ſi pes ex æternitate ſemper fuiſſet in pulvere, ſemper ei ſubeſſet veſtigium: quod tamen veſtigium à calcante factum

factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius eſſet, quamvis alterum ab altero factum eſſet. Sic, inquiunt, & mundus atque in illo dii creati, & ſemper fuerunt, ſemper exiſtente qui fecit, & tamen facti ſunt. *ſ* Nunquid ergo ſi anima ſemper fuit, etiam miſeria ejus ſemper fuiſſe dicenda eſt? Porrò ſi aliquid in illa, quod ex æterno non fuit, eſſe cœpit ex tempore, quæ antea non fuiſſet? Deinde beatitudo quoque ejus poſt experimentum malorum firmior, & ſine fine manſura, ſicut iſte confitetur, proculdubiò cœpit ex tempore, & tamen ſemper erit, cùm anteà non fuerit. Illa igitur omnis argumentatio diſſoluta eſt, qua putatur nihil eſſe poſſe ſine fine temporis, niſi quod initium non habet temporis. Inventa eſt enim animæ beatitudo, quæ cùm initium temporis non habebit. Quapropter divinæ autoritati humana cedat infirmitas, eiſque beatis & immortalibus de vera religione credamus, qui ſibi honorem non expetunt, quem Deo ſuo, qui etiam noſter eſt, deberi ſciunt: nec jubent, ut ſacrificium faciamus, niſi ei tantummodo, cujus & nos cum illis, ut ſæpe dixi, & ſæpe dicendum eſt, ſacrificium eſſe debemus, *ζ* per eum ſacerdotem offerendi, qui in homine quem ſuſcepit, *η* ſecundum quem & ſacerdos eſſe voluit, etiam uſque ad mortem ſacrificium pro nobis dignatus eſt fieri.

a Quaſi neceſſarius orbis ille.] *Plato volui à Parcis omnia ſcribit, & vitas noſtras, & tempus quo anima corpore vacat: ita cùm converſio vitæ perfecta eſt, ſequi mortem, cùm purgationis animæ redire eam animam ad novum corpus, vitæ incertum eſſe nobis, animæ corpore liberæ mille eſſe annos. Hunc orbem neceſſarium putabant illi, ne cùm certus eſſet animarum numerus, à Deo cùm mundum hunc architectaretur creatus, deeſſent, qui terram incolerent homines, mundo æterno, & hominibus morti ſubditis. Hunc orbem, hanc vertiginem expreſſius Vergilius rotam nominavit, quæ ubi in ſe convoluta, circulum ſuum confecit, vitam reddit, quam ademerat: ut illa altera vitæ finem facit, quam attulerat, utraque cum eodem unde diſceſſerat, redit. Hæc à morte in mortem, illa contrà, à vita in vitam: ſed hæc per mortem, illa per vitam.* L. Vives.

b Verùm id quomodo intelligant.] *Mundum à Deo creatum eſſe, id exiſtimaſſe Platonem conſtat. Cæterùm in controverſia eſt, an in tempore aliquo incœperit eſſe aliquot annos ab hinc, an nullum habeat in tempore principatum. Nam Plutarchus, Atticus, Severus crediderunt Platoni, mundum aliquando eſſe cœpiſſe, nunquam tamen interiturum. Crantori verò, Plotino, Porphyrio, Iamblicho, Proculo, Macrobio, Platonicis viſum eſt, mundum Platonicum æternum fuiſſe, & fore. Iſtis Cenſorinus adſtipulatur, qui eam de mundo ſententiam Pythagoræ, & Pythagoricorum eſſe tradit: quos Plato in ratione naturæ præ cæteris ſecutus eſt. Ejuſdem rei autores ſunt Cicero: Iuſtinus martyr, & Bœotius. Apulejus in Deo Socratis ſic inquit: Quos deos Plato exiſtimat veros incorporales, animales, neque ullo fine, neque exordio, ſed prorſus retro æviternos. In dogmate tamen Platonis, Platonem indicat, de origine mundi non ſatis ſibi conſtitiſſe. Ait enim, & hunc quidem mundum, nunc ſine initio eſſe dicit, aliàs originem habere, natumque eſſe.*

ε Sicut enim inquiunt.] *Noſtri cùm de effectu cauſæ coævo loquuntur, de ſole, & ejus ſplendore exemplum afferunt.*

L.I. Cap. α Non potius divinitati de his rebus credimus.] *Res quidem naturales ratione & mentis acie facilè inveſtigantur, cum non ſuperent humani ingenij captum, verùm multa ſupra rationem Deus homines docet utpote in ſcripturis ſacris, quæ non niſi authoritate divina nituntur, & horum ratio quærenda non eſt, verùm Deo docenti credendum; & quanquam animæ ſubſtantiam ex parte agnoverint Philoſophi; cum tamen abſtruſiſſima ſit illius cognitio, omnes ferè circa illam errarunt. & Tertullianus lib. de anima, cap. 1. animæ immortalitatem non à Socrate, ſed à Deo docendam ſcribit, & in eo libro Philoſophorum opiniones circa animam improbat.*

β Quæ animam quoque ipſam non Deo coæternam, ſed creatam.] *Origo certè animæ quam ſit cognitu difficilis oſtendit tanta Philoſophorum circa eam varietas. Tertull. lib. de anima, c. 2.* Meritò, *inquit*, Heraclitus ille tenebroſas vaſtiores caligines animadvertens apud examinatores animæ tædio quæſtionum pronuntiavit terminos animæ nequaquam inveniſſe, omnem viam ingrediendo *(quod clarius explicat Laertius) docet Heraclitus, & id de anima natura ſenſiſſe nunquam illam reperiri poſſe, quantalibet quis vita conficiat ſpatia, adeò profundam ejus eſſe rationem. Subjungit Tertull.* Chriſtiano autem paucis ad ſcientiam hujus rei opus eſt, nam & certa ſemper in paucis, & amplius illi quærere non licet, quam quod invenire licet. infinitas enim quæſtiones Apoſtolus prohibet. Porrò non amplius invenire licet, quàm quod à Deo diſcitur, quod autem à Deo diſcitur, totum eſt.

γ Apertiſſimè dicat ens eſſe cœpiſſe.] *Locus Platonis eſt in Timæo.*

δ Sicut enim inquiunt ſi pes ex æternitate.] *Quod exemplo pedis & veſtigij eos oſtendiſſe dicit mundum quidem habuiſſe cauſam efficientem ſui eſſe, nec tamen cœpiſſe eſſe in tempore, ut quemadmodum pede ab æterno exiſtente, veſtigium eſſet ab æterno licet pes illius eſſet cauſſa, ita Deo exiſtente ab æterno mundus ab æterno productus intelligatur. Intelligunt certè hujusmodi ſe ſentire mundum non per creationem ex nihilo, & quidem liberè productum; ſed per ſimplicem emanationem, & quidem neceſſariò. Eſt enim ſimplex illa emanatio, per quam aliquid ab alio profluit naturali quadam neceſſitate, quemadmodum propriæ affectiones à ſubjecto, lumen à ſole, ſic veſtigium à pede. At verò omnipotentiam in producendo mundum ex nihilo, & liberrima ſua voluntate, non ſatis intellexerunt.*

ε Nunquid ergo ſi anima ſemper fuit.] *Nonnullis rationibus fundamentum eorum deſtruit, quo volebant niſi quod ſemper antea fuiſſet, ſempiternum deinceps eſſe non poſſe. Prima, & ſi anima ab æterno fuiſſe dicatur, miſeria tamen illius non ſemper fuit. Si ergo aliquid in illa eſſe cœpit ex tempore, ut quod miſeria fuerit, cur non idem de illa dici poterit? Secunda, beatitudo illius ex tempore cœpit, quæ tamen perpetua futura eſt ex ſententia Porphyrij. Everſum eſt igitur illud fundamentum, quo ſtatuebant nihil æternum futurum & ſine fine, niſi quod ab æterno ſine temporis initio fuiſſet.*

ζ Pes

ζ Per eum ſacerdotem offerendi.] *Tradet enim regnum Deo & patri, per eum acceſſum habemus ad patrem, quemadmodum ſeipſum obtulit, ita etiam & Eccleſiam ſeu electos ſuos patri offert. Voluntas Domini in manu ejus dirigitur: nemo venit ad patrem niſi per eum: non niſi per paſſionem ejus, quæ ſacrificium eſt Deo acceptiſſimum, in gloriam ad patrem introducimur, hoſtiæ ſpirituales ſumus per eum Deo offerendæ.*

η Secundum quem & ſacerdos eſſe voluit.] *Siquidem non niſi in humanitate, ſeu ratione humanitatis potuit eſſe ſacerdos, & per illam munus illud exercere, licet efficacia & excellentia ſacerdotij illius ex dignitate divini ſuppoſiti manaret.*

CAP. XXXII.

De univerſali via animæ liberandæ, quam Porphyrius malè quærendo non reperit, & quam ſola gratia Chriſtiana reſeravit.

HÆc eſt religio, quæ univerſalem continet viam animæ liberandæ, quoniam nulla niſi in hac liberari poteſt. Hæc eſt enim quodammodo *a* regalis via, α quæ una ducit ad regnum, non temporali faſtigio nutabundum, ſed æternitatis firmitate ſecurum. Cùm autem dicit Porphyrius in primo juxta finem de *regreſſu animæ libro*: nondum receptam unam quandam ſectam, * quæ univerſalem viam animæ contineat liberandæ: vel à philoſophia veriſſima aliqua, *b* vel ab Indorum moribus, ac diſciplina, aut inductione Chaldæorum, aut alia qualibet via, nondumque in ſuam notitiam eandem viam hiſtoriali cognitione perlatam, proculdubio confitetur eſſe aliquam, ſed nondum in ſuam veniſſe notitiam. Ita ei non ſufficiebat quicquid de anima liberanda ſtudioſiſſimè didicerat, ſibique vel potius aliis noſſe, ac tenere videbatur. Sentiebat enim adhuc ſibi deeſſe aliquam præſtantiſſimam autoritatem, quam de re tanta ſequi oporteret. Cùm autem dicit, vel à philoſophia veriſſima, aliquam nondum in ſuam notitiam perveniſſe, ſectam, quæ univerſalem contineat viam animæ liberandæ, ſatis, quantum arbitror, oſtendit, vel eam philoſophiam in qua ipſe philoſophatus eſt, non eſſe veriſſimam, vel eà non contineri talem viam. Ergò quomodo jam poteſt eſſe veriſſima, qua non continetur hæc via? Nam quæ alia via eſt univerſalis animæ liberandæ, niſi qua univerſæ animæ liberantur, ac per hoc ſine illa nulla anima liberatur? Cùm autem addit & dicit, vel γ ab Indorum moribus & diſciplina, vel ab inductione Chaldæorum, vel alia qualibet via: manifeſtiſſima voce teſtatur, neque illis quæ ab Indis, neque illis quæ à Chaldæis didicerat, hanc univerſalem viam animæ liberandæ contineri, & utique ſe à Chaldæis oracula divina ſumpſiſſe, quorum aſſiduam commemorationem facit, tacere non potuit. Quam vult ergo intelligi animæ liberandæ univerſalem viam nondum receptam, vel ex aliqua veriſſima philoſophia, vel ex earum gentium doctrinis, quæ magnæ velut in divinis rebus habebantur: quia plus apud eos curioſitas valuit, quorumque angelorum cognoſcendorum & colendorum, nondumque in ſuam notitiam hiſtoriali cognitione perlatam? Quænam iſta eſt uni-

** al. receptum in n.q. S. quód.*

Digitized by Google

univerſalis via, niſi quæ non ſuæ cuique genti propria, *c δ* ſed univerſis gentibus quæ communis eſſet divinitus impertita eſt? Quàm certè iſte homo non mediocri ingenio præditus, eſſe non dubitat. *ε* Providentiam quippe divinam ſine iſta univerſali via liberandæ animæ genus humanum relinquere potuiſſe non credit. Neque enim ait non eſſe, ſed hoc tantùm bonum, tantumque adjutorium nondum receptum, nondum in ſuam notitiam eſſe perlatum. Nec mirum. *d ζ* Tunc enim Porphyrius erat in rebus humanis, quando iſta liberandæ animæ univerſalis via, quæ non eſt alia, quam religio Chriſtiana, *η* oppugnari permittebatur ab idolorum dæmonumque cultoribus regibuſque terrenis, propter aſſerendum & conſecrandum martyrum numerum, *e* hoc eſt, *θ* teſtium veritatis, per quos oſtenderetur omnia corporalia mala pro fide pietatis & commendatione veritatis eſſe toleranda. Videbat ergo iſta Porphyrius, & per hujuſmodi perſecutiones citò iſtam viam perituram & propterea non eſſe ipſam liberandæ animæ univerſalem putabat, non inetlligens hoc, quod eum movebat, & quod in ejus electione perpeti metuebat, ad ejus confirmationem robuſtioremque commendationem potius pertinere. Hæc eſt igitur animæ liberandæ univerſalis via, id eſt, univerſis gentibus divina miſeratione conceſſa, cujus profectò notitia ad quoſcunque jam venit, & ad quoſcunque ventura eſt: nec debuit, *ι* nec debebit ei dici *f* quare modò, & quare ſerò, quoniam mittentis conſilium non eſt humano ingenio penetrabile. Quod ſenſit etiam iſte cùm dixit nondum receptum hoc donum Dei, & nondum in ſuam notitiam fuiſſe perlatum. Nec enim propterea verum non eſſe indicavit, quia nondum in ſuam fidem receptum fuerat, vel in notitiam nondum pervenerat. Hæc eſt, inquam, liberandorum credentium univerſalis via, de qua *κ* fidelis Abraham divinum accepit oraculum: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. *λ* Qui fuit quidem gente Chaldæus, ſed ut talia promiſſa perciperet, quod ex illo purgaretur ſemen diſpoſitum per angelos in manu mediatoris, in quo eſſet iſta liberandæ animæ univerſalis via, hoc eſt omnibus gentibus data, juſſus eſt diſcedere de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui. Tunc ipſe primitus à *μ* Chaldæorum ſuperſtitionibus liberatus, unum verum Deum ſequendo coluit, cui hoc etiam promittenti fideliter credidit. Hæc eſt univerſalis via, de qua in ſancta prophetia dictum eſt: Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Ut cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum. Unde tanto pòſt ex Abrahæ ſemine carne ſuſcepta, de ſeipſo ait ipſe ſalvator: Ego ſum via, & veritas & vita. Hæc eſt univerſalis via, de qua tantò antè prophetatum eſt: *ν* Erit in noviſſimis diebus *ξ* manifeſtus *g* mons domus Domini paratus in cacumine montium, & extolletur ſuper colles, & venient ad eum univerſæ gentes, & ingredientur nationes multæ, & dicent: *ο* Venite aſcendamus in montem Domini, & in domum Dei Jacob, & annunciabit nobis viam ſuam, & ingrediemur in ea. Ex Sion enim prodiet lex, & verbum Domini ab Hieruſalem.

Gen. 22. Gen. 12. Pſal. 66. Joh. 14. Eſ. 2.

prophetis & pſalmis de me. Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent ſcripturas, & dixit eis: Quia oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Hæc eſt igitur univerſalis animæ liberandæ via, quam ſancti angeli ſanctique prophetæ prius in paucis hominibus, ubi potuerunt Dei gratiam reperientibus & maximè in Hebræa gente, *h* cujus erat ipſa quodammodo ſacrata reſpublica, in prophetationem & prænunciationem civitatis Dei ex omnibus gentibus congregandæ, & tabernaculo, & templo, & ſacerdotio, & ſacrificiis ſignificaverunt, & eloquiis quibuſdam manifeſtis pleriſque myſticis prædixerunt. Præſens autem in carne ipſe mediator, & beati ejus apoſtoli, jam teſtamenti novi gratiam revelantes apertius indicarunt, quæ aliquantò occultius ſuperioribus ſunt ſignificata temporibus, pro ætatum generis humani diſtributione, ſicut eam Deo ſapienti placuit ordinare, mirabilium operum divinorum, quorum ſuperius pauca jam poſui conteſtantibus ſignis. Non enim tantummodo apparuerunt viſiones angelicæ, & cœleſtium miniſtrorum ſola verba ſonuerunt, verumetiam hominibus Dei verbo ſimplicis pietatis agentibus, ſpiritus immundi de hominum corporibus, ac ſenſibus pulſi ſunt: vitia corporis, languoreſque ſanati: fera animalia terrarum, & aquarum, volatilia cæli, ligna, elementa ſidera, *i* divina juſſa fecerunt, inferna ceſſerunt, mortui revixerunt: *π* exceptis ipſius ſalvatoris propriis ſingularibuſque miraculis, maximè nativitatis & reſurrectionis: in quorum uno *** maternæ virginitatis tantummodo ſacramentum, in altero autem etiam eorum qui in fine reſurrecturi ſunt demonſtravit exemplum. Hæc via totum hominem mundat, & immortalitati mortalem ex omnibus quibus conſtat partibus, præparat. Ut enim non alia purgatio ei parti quæreretur, quam vocat intellectualem Porphyrius, alia ei, quam vocat ſpiritalem, alia quæ ipſi corpori, propterea totum ſuſcepit veraciſſimus potentiſſimuſque mundator atque ſalvator. Præter hanc viam, quæ *l* partim, cùm hæc futura prænunciantur, *m* partim *e* cùm facta nunciantur, nunquam generi defuit humano, nemo liberatus eſt, nemo liberatur, nemo liberabitur. Quod autem Porphyrius univerſalem viam animæ liberandæ nondum in ſuam notitiam hiſtoriali cognitione dicit eſſe perlatam: quid hac hiſtoria, vel illuſtrius inveniri poteſt, quæ univerſum orbem tanto apice autoritatis obtinuit: vel fidelius, in qua ita narrantur præterita, ut futura etiam prædicantur, quorum multa videmus impleta: ex quibus ea quæ reſtant ſine dubio ſperemus implenda. Non enim poteſt Porphyrius, vel quicunque Platonici, etiam in hac via quaſi terrenarum rerum, & ad iſtam vitam mortalem pertinentium, divinationem, prædictionemque contemnere: quod merito in aliis vaticina-

ticinationibus, & quorumlibet modorum vel artium divinationibus faciunt. Negant enim vel magnorum fuiſſe hominum, vel magni eſſe pendenda. Et rectè. σ Nam, vel inferiorum fiunt præſenſione cauſarum, ſicut arte medicinæ quibuſdam antecedentibus ſignis plurima π venturæ valetudini prævidentur, vel immundi dæmones ſua diſpoſita facta prænunciant, ρ & in quorumvis mentibus atque cupiditatibus iniquorum congrua factis dicta, vel dictis facta, compenſant: ut ſibi jus quodammodo vendicent in materia infirma fragilitatis humanæ. Non talia ſancti homines in iſta univerſali animarum liberandarum via gradientes, tanquam magna prophetare curarunt: quanvis & iſta eos non fugerint, & ab eis ſæpe prædicta ſint, ad eorum fidem faciendam, quæ mortalium ſenſibus non poterant intimari: nec ad experimentum celeri facilitate perduci. Sed alia erant verè magna, atque divina, quæ quantum dabatur, cognita Dei voluntate, futura nunciabant. τ Chriſtus quippe in carne venturus, & quæ in illo tam clara perfecta ſunt, atque in ejus nomine impleta, pœnitentia hominum, & ad Deum converſio voluntatum, remiſſio peccatorum, gratia juſtitiæ, fides piorum, & per univerſum orbem in veram divinitatem multitudo credentium, υ culturæ ſimulachrorum, dæmonumq; ſubverſio, &à tentationib. excitatio, proficientium purgatio & liberatio ab omni malo, judicii dies, reſurrectio mortuorum, ſocietatis impiorum æterna damnatio, regnumq; æternæ glorioſiſſimæ civitatis Dei conſpectu ejus immortaliter perfruentis: in hujus vitæ ſcripturis, prædicta, atque promiſſa ſunt: quorum tam multa impleta conſpicimus, ut recta pietate futura eſſe cætera confidamus. Hujus vitæ φ rectitudinem uſque ad Deum videndum, eique in æternum cohærendum, in ſanctuario ſcripturarum eſſe locatam, qua prædicatur atque aſſeritur veritate, quicunque non credunt, & ob hoc nec intelligunt, oppugnare poſſunt, ſed expugnare non poſſunt. Quapropter in decem libris iſtis, & ſi minus quam nonnullorum de nobis expectabat intentio, tamen quorundam ſtudio, quantum verus Deus & dominus adjuvare dignatus eſt, ſatisfecimus, refutando contradictiones impiorum, qui conditori ſanctæ civitatis, de qua diſputare inſtituimus, deos ſuos præferunt. Quorum decem librorum quinque ſuperiores adverſus eos conſcripti ſunt, qui propter bona vitæ hujus deos colendos putant: quinque autem poſteriores adverſus eos, qui cultum deorum propter vitam, quæ poſt mortem futura eſt, ſervandam exiſtimant. Deinceps itaque, ut in primo libro polliciti ſumus, de duarum civitatum, quas in hoc ſeculo perplexas diximus, invicemque permiſtas, exortu & procurſu & debitis finibus, quod dicendum arbitror, quantum divinitus adjuvabor expediam.

L. Vives. a Regalis via.] *Lata, publica: quæ regia, & conſularis, & prætoria, militaris dicitur legibus ſacra.*

b Vel ad Indorum moribus ac diſciplina.] *Gymnoſophiſtarum & Brachmanarum, qui multa admirabiliter & egiſſe, & docuiſſe memorantur.*

c Sed

c Sed univerſis gentibus.] *Hæc eſt pietas noſtra, quæ ideo catholica nominatur, quòd non certo alicui populo tradita eſt, ut Iudaica, ſed toti generi humano, nec ullum excludit, omnibus per hanc ſalvis eſſe licet, & ſine hac nulli: nec religiones in hac ſunt ſua cuiq; genti, ſicut apud Gentiles. Alij enim dij & alio modo apud Romanos colebantur, quàm Græcos: alij apud hos, quàm apud Gallos, Hiſpanos, Scythas, Indos, Perſas. Omnes gentes, quæ Chriſtum profeſſæ ſunt, eundem colunt Deum, & eodem ſacrificij genere.*

d Tunc enim Porphyrius erat in rebus humanis.] *Vixit enim Diocletiano principe, qui Chriſtianos iniquiſſimo inſectatus eſt odio.*

e Hoc eſt teſtium veritatis.] *Μάρτυρ enim eſt teſtis.*

f Quare modò & quare ſerò.] *Q. cur nunc mittitur, cur non ante?*

g Mons domus domini.] *Alibi non adſcribitur, domus, lxx. ſic τὸ ὄρος κυρίου, καὶ ὁ οἶκος τοῦ θεοῦ, mons domini, & domus Dei.*

h Cujus erat ipſa quodammodo.] *Hoc enim erat initium & velut propago & ſeminarium eccleſiæ Dei.*

i Divina juſſa fecerunt, mortui revixerunt.] *Alibi ſic, divi. juſ. fe. inferna ceſſerunt, mortui revixerunt.*

k Maternæ virginitatis tantummodo ſacramentum.] *Hoc eſt, ſacramentum nihil pollui, nihil frangi, aut corrumpi, quod ille inſtaurator omnium attigerit.*

l Partim cùm hæc futura prænunciantur.] *In lege Moſaica per Prophetas.*

m Partim cùm facta nunciantur.] *In noſtra per Apoſtolos, & reliquos ſacros concionatores.*

n Venturæ valetudini.] *Alibi eventuræ: melius eventuræ valetudini.*

o Et in quorumvis mentibus.] *Alibi quorum jus & in mentibus atq; cupiditatibus iniquorum ad congruentia facta ducendis quodammodo ſibi vendicant. Poſſunt enim ad morbum vel ad ſanitatem corpora humana naturæ viribus afficere, quas habent, quàm nos longè notiores.*

α Regalis via.] *Dicitur via publica, Prætoria ſeu Conſularis in l. 2. §. utrum D. ne quid in loco publ. publicas vias dicimus, quas Græci βασιλικὰς, noſtri Prætorias, alij Conſulares vias appellant.* F. L. C. 4.

β Quomodo jam poteſt eſſe veriſſima, qua non continetur hæc via.] *Quod egregiè docet Tertull. lib. de anima, c. 1.* Cui comperta veritas ſine Deo, cui Deus cognitus ſine Chriſto, cui Chriſtus exploratus ſine Spiritu ſancto, cui Spiritus ſanctus accommodatus ſine fidei ſacramento? *Non potuit ergo eſſe veriſſima aliqua ſecta Philoſophorum: Cum enim non edocti eſſent à magno doctore Chriſto, imò lumine fidei eſſent deſtituti, in tenebris erroris verſabantur.*

γ Vel ab Indorum moribus & diſciplina.] *Gymnoſophiſtæ quidem Indorum & Chaldæi, & ſapientes ſeu Philoſophi Græcorum multa circa naturam ſcrutati ſunt, plurima etiam ad vitam rectè inſtituendam documenta de moribus tradiderunt. Ut enim habet Tertull. lib. de anima cap. 2.* nonnunquam & in procella confuſis veſtigiis cœli & freti aliquis portus oſtenditur proſpero errore, nonnunquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenduntur cœca fœlici-

 tate

tate, ſed & natura pleraque ſuggeruntur quaſi de publico ſenſu, quo animam Deus dotare dignatus eſt. Verùm viam utilem animæ liberandæ ſine qua nulla anima liberatur. i. e. Chriſtum ipſum ſeu fidem ipſius invenire minimè potuerunt, quia à Chriſto dictum eſt: Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum.

δ Sed univerſis Gentibus.] *Olim lex uni ſoli populo Iudaico data eſt, nec ad eam obſervandam reliquæ nationes adſtringebantur, neque erat neceſſaria ad ſalutem. At lex Evangelica omnibus gentibus data eſt, & omnes ex æquo obligat, injunctum Apoſtolis ut totum orbem perluſtrarent, prædicarent Evangelium omni creaturæ. Sic enim apud Iſaiam pater cæleſtis.* Dedi eum cœleſtem populis, & doctorem gentibus. *&*, parùm eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob; *&*, dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea usque ad extremum terræ. *&*, Deus Iſrael, Deus univerſæ terræ vocabitur. *&*, Legem ejus inſulæ expectabunt. *Eandem doctrinam omnes, qui verè nomine Chriſtiano cenſentur, per totum orbem amplectuntur, eundem Deum trinum & unum agnoſcunt, eundem Chriſtum profitentur, eodem ſacrificio iisdemque ceremoniis eum colunt, unde fides, doctrina Chriſtiana* Catholica *ritè nominatur,* quod omni ætate, ubique terrarum in eadem Eccleſia omnes populi fideles eam amplectantur, *& ea eſt univerſalis via animæ liberandæ, fides implicita in antiquis, nunc autem explicita Chriſti.*

ε Prudentiam quippe divinam.] *Non dubitabat Porphyrius aliquam eſſe divinitus ordinatam viam animæ liberandæ, id enim ad providentiam divinam ſpectare judicabat generi humano talem viam providere, verùm quænam eſſet, cæcus non videbat; videtur non abſimilis infœlicibus Judæis, qui Meſſiam exſpectabant, præſentem tamen non agnoſcebant,* medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. *Ita Porphyrius religionem Chriſtianam florere, propagari, & nihil obſtantibus impiis & irritis conatibus tyrannorum augeri indies videbat, eam non niſi ſalutaria & cæleſtia planè documenta continere cernebat, nec tamen præ ſuperbia aut faſtu ſapientiæ vanæ, quam ſibi vindicabat, eam videre potuit eſſe illam viam utilem animæ liberandæ. Ex eorum numero eſt Porphyrius, de quibus D. Auguſtinus Epiſt. 49.* Multos nunc videmus, cùm tanta manifeſtatione de illo complcantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humana aſtutiæ reſiſtere, quàm tam claræ atque perſpicuæ tanquam ſublimi & ſublimiter diffamatæ divinæ credere authoritati. *Myſterium incarnationis ad Dei providentiam refert Dionyſius Areopagita cap. 3. hierarch. Eccleſiaſticæ.* Divinæ *(inquit)* bonitatis infinita clementia benigniſſimè omnino providentiam noſtri, nec ſic quidem poſt peccatum omiſit operari per ſeipſam, noſtrorum omnium veraciter ſine peccato particeps facta, noſtræque humilitati inſerta.

ζ Tunc enim Porphyrius erat in rebus humanis.] *Vixit enim Impp. Diocletiano & Maximiano, qui præ cæteris Romanis principibus ſævierunt in Chriſtianos, & nihil omiſerunt quod conducere putarent ad delendum è terris Chriſtianum nomen.*

η Oppugnari permittebatur ab Idolorum Dæmonumque cultoribus.] *Tunc tempo-*

temporis enim adhuc implebatur, quod Pſaltes regius longè antea prævidemt Pſal. 2. Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania. Erant priora tempora ſignificata per priora tempora regni Nabuchodonoſor; quibus coegit edicto populum Dei ad ſtatuæ inanimæ adorationem, priora inquam, tempora, quibus Reges propter Idola perſecuti ſunt Chriſtum. *D. Auguſtinus epiſt. 48.*

h Hoc eſt teſtimonium veritatis.] Martyr *enim Latinè* teſtis, *&* martyrium teſtimonium. *Ita Tertullianus lib. de Coron. militis cap. 9. voce Græca* tabernaculum martyrii *vocat pro eo quod Latinè dicitur* tabernaculum teſtimonii.

i Nec debebit ei dici, quare modò & quare ſerò.] *Refert D. Auguſtinus epiſt. 49. ad Deogratias quæſt. 2. id à Porphyrio & Gentibus inter cætera objectum fuiſſe Chriſtianis.* Si Chriſtus ſe (*inquiunt*) ſalutis viam dicit, gratiam & veritatem, in ſeque ſolo ponit animis ſibi credentibus reditum, quid egerunt tot ſæculorum homines ante Chriſtum? *Eandem difficultatem attingit D. Chryſoſtomus Homil. 27. in epiſt. ad Romanos circa illud cap. 14.* Juxta revelationem myſterii temporibus æternis taciti. Si quæſieris (*inquit*) qua ratione nunc tandem apparuit, periculoſam rem facies myſteria Dei curioſè examinans & rationem illorum exigens. Neque enim talia curioſè inquirenda; ſed diligenda ſunt & amplectenda; obedientiam enim fides exigit, non curioſitatem. *Certè ad eos, qui curioſius quam par eſt inquirunt hujuſmodi tempora à Deo ordinata, reſponderi poteſt cum Irenæo lib. 4. cap. 76.* Non enim tu Deum facis, ſed Deus te facit; Si ergo opera Dei es, manum artificis tui expecta opportunè omnia facientem. *Conveniens fuit tunc filium mitti, & viam utilem animæ liberandæ omnibus gentibus revelari cùm venit plenitudo temporis, ut docet Apoſtolus Galat. 4. & D. Auguſtinus tractat. in Joannem.* Multi dicunt, quare non antea venit Chriſtus? reſpondendum eſt, quia nondum venerat plenitudo temporis moderante illo per quem facta ſunt tempora. Sciebat enim quando venire debebat: primo per multam ſeriem temporum & annorum prædicendus fuit: non enim aliquid parvum venturum fuit, diu fuerat prædicendus, ſemper tenendus: quanto major judex veniebat, tanto præconum longior ſeries præcedebat. *Cur neque fuerit conveniens Deum incarnari ab initio mundi, neque incarnatio ad finem mundi differri debuerit, vide D. Thom 3. p. q. 1. art. 5. & 6.*

k Fidelis Abraham dum accepit oraculum in ſemine tuo.] *Semen illud Chriſtus eſt, ut ſcribit Paulus Galat. 4. Neque enim alius à Chriſto potuit eſſe benedictionis author omnibus gentibus, nec ab alio gentes benedictionem ſperare potuerunt. De eo enim antiquiſſima illa exſtabant & illuſtriſſima Prophetarum Vaticinia, Geneſ. 49.* Ipſe erit exſpectatio Gentium. *Iſai. 11.* Ipſum Gentes deprecabuntur. *Aggæi 2.* Veniet deſideratus Gentibus cunctis, *juxta Hebr.* Venient deſideria Gentium. *& licet pſalm. 71. prænotetur in Salomonem, propriè tamen de Chriſto myſtico Salomone agit, in quem veriùs quam in Salomonem multa illius Pſalmi quadrant, ut illud inter cætera,* Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnifi-

gnificabunt eum, *& hæc promiſſio primùm Abrahæ facta eſt, quod in Chriſto illi promiſſo, ex & eo naſcituro benedicendæ eſſent omnes nationes terræ.*

λ Qui fuit quidem gente Chaldæus.] *Abraham tam ortu quàm genere Chaldæum fuiſſe ſcribit Joſephus, Philo, aliíque tùm Hebræi, tùm Gentiles authores, quos citat ipſe Ioſephus lib. 1. Antiquit. & Euſebius lib. 9. de præparat. Evang. cap. ult. & cum D. Auguſtino hoc loco Epiphanius, Hieronymus. Id etiam Moyſes non obſcurè ſignificat cùm ait Geneſ. 11. Aram filium Thare, & fratrem Abrahæ mortuum eſſe in terra nativitatis ſuæ, hoc eſt, in* Vr *civitate Chaldæorum, & inde Thare ſecum eduxiſſe Abrahamum, ut irent in terram Chanaam; quo ſignificatur eos ab initio habitaſſe in Chaldæa, eamq́; fuiſſe patriam eorum ac natale ſolum. Id etiam manifeſtiùs docet liber Iudith cap. 2. Ubi dicitur populus Hebræus fuiſſe ex progenie Chaldæorum, & patres Hebræorum habitaſſe ab initio in Meſopotamia, & inde veniſſe in civitatem Aram ſive Charan; quæ verba præcipuè ſpectant ad Abraham parentem ac ſatorem gentis Hebræorum. Præterea Geneſ. 15. & Act. 7. ſcribitur, Abrahamum fuiſſe à Deo evocatum & eductum ex Chaldæa. Unus Burgenſis in additione ſua ad Poſtillas Lyrani ſuper caput 12. Geneſ. affirmat patriam nativitatis Abrahæ non fuiſſe Chaldæam ſive* Vr *Chaldæorum. Argumenta illius & ſolutiones vide apud Pererium prima diſputatione ad cap. 12. Geneſ. verùm idem Burgenſis in quadam ſua additione cap. 28. lib. Deuter. apertè ſcriptum reliquit Abrahamum natum eſſe in Chaldæa, & inde eductum juſſu Dei.*

μ A Chaldæorum ſuperſtitionibus liberatus.] *An Abrahamus aliquando fuerit ſuperſtitioni Chaldæorum, vel Idololatriæ addictus, fuſiùs diſſeremus lib. 16. cap. 11.*

ν Erit in noviſſimis diebus.] *Hæc eadem verba habentur Iſaiæ 2. & Michea 4. Verùm aliis locis etiam ſcriptura ſacra vocat tempus incarnationis Chriſti dies noviſſimos, ut Geneſ. 49. Daniel. 2. & Joel. 2. & totum hoc tempus novi teſtamenti vocatur tempus noviſſimum 1. can. Ioan. cap. 2.* Filioli jam noviſſima hora eſt. *1. Corinth. 10. dicitur* finis ſæculorum. *Sic verò appellatur, vel quia in hoc tempore data lex eſt gratiæ; cui altera ſucceſſura non eſt, cùm ſit lex perfectionis immediatè introducens in gloriam, vel quia in hoc tempore implentur omnes Prophetiæ & prædictiones Dei; vel quia hæc eſt ætas mundi ultima, quæ licet diuturnior ſit, una tamen ſemper cenſetur, cùm non fiat in ea aliqua notabilis mutatio, ſed duret ſemper ſitque duratura eadem Eccleſia, idem modus regiminis in ea, & eadem gratiæ communicatio.*

ξ Manifeſtus mons domus Domini.] *Ita legunt ſeptuaginta,* ἐμφανὲς τὸ ὄρος τοῦ Κυρίου, *videtur certè Prophetia Iſaiæ valdè conſonare illud Pauli Coloſſ. 1.* Myſterium, quod abſconditum eſt à ſæculo, nunc autem manifeſtatum ſanctis ejus, *ut ſit ſenſus noviſſimis temporibus. i. e. præviis, ad quæ ſpectant Prophetiæ, manifeſtabitur mons ille Chriſtus, & Chriſti myſterium, quod abſconditum erat, à ſæculo, vox Hebraica* נכון *vertitur* præparatus. *D. Auguſtinus orat. contra Iudæos.* Mons domini (*inquit*) Chriſtus eſt ſecundum carnem paratus ſuper cacumen montium, quod omnes celſitudines eorum ejus celſitudo tranſcendat. Nam mon-

tes

ites Prophetæ & Patriarchæ appellantur, ſuper quos poſitus dicitur Dominus, quòd ab his prænuntiatus, & quod tanto intervallo Chriſtus ſecundùm carnem exſuperavit Moſem omnium Prophetarum maximum, quanto majorem honorem habet dominus familiæ, qui fecit ipſam domum, ſervo, qui præeſt familiæ. *Quod verò cum vulgata editione ſic habet D. Auguſtin.* mons domus Domini. *i. e.* mons Eccleſiæ Domini, *utpote caput ipſius Eccleſiæ, ſeptuaginta reddunt,* τὸ ὄρος Κυρίου καὶ ὁ οἶκος τοῦ θεοῦ, mons Domini, & domus Domini, *ut mons ſit Chriſtus, domus, Eccleſia. Leo de Caſtro tam Hebraicè* הרביתה *quam in vulgata editione,* mons domus Domini *κατ' ἀσυνδετον vult dictum eſſe. i. e.* mons & domus Domini. *Montem hunc Chriſtum interpretantur Tertullian. lib. 3. contra Marcionem & Origenes lib. 5. contra Celſum. Cur Chriſtus dicatur mons, egregiè declarat Procopius in hunc locum Iſaiæ.* Deſcenſus Dei in terram (*inquit*) monti ſimilis eſt, quia ſuper terram mons eſt excelſus, & hæc natura montis eſt, ut in terra ſitus ſe ad ſidera usque attollere videatur, & caro Domini pro conditione humana terra erat, & quod verbo unita erat, cœlos omnes tranſcendebat.

o Venient ad eam univerſæ gentes.] *Probat his verbis Evangelium non unius gentis eſſe, ſed univerſarum gentium, neque eccleſiam jam amplius Iudææ finibus coarctandam, ſed per orbem terrarum diffundendam. Orig. lib. 5. contra Celſum.* In hanc Dei domum. *i. e. in Eccleſiam,* Gentes omnes conveniemus, & gentes tam multæ ambulabimus, & ad divinum cultum, qui per Jeſum nobis illuxerit, nos hortabimur. *Tertullianus adverſus iudaos.* Ex domo Jacob, ex populo fidelium, qui credidere Chriſto, legem proceſſuram annuntiat dicens: De Sion exibit lex, hæc erit via novæ legis Evangelii, & novi ſermonis in Chriſto. *Eodem ſenſu explicat lib. 3. contra Marcionem, & initio lib. 4. Cyprianus lib. 1. adverſus Iudaos hoc Vaticinio ſignificatum ait, quod lex nova deberet dari. Euſebius lib. 1. demonſtr. Evang. cap. 2. explanans hunc locum inquit, legem latam à Moſe in Eremo latam eſſe in monte Sina, aliam ergò eſſe hanc, quæ non prodijt ex monte Sinâ, ſed ex Sion & Hieruſalem. Unde manifeſtum inquit eſſe Chriſti legem hanc, quæ ex Sion prodijt & Hieruſalem, & percurrit omnes gentes.* Lex ergo nova hæc eſt (*inquit*) & Evangelii prædicatio. Euntes docete omnes gentes (inquit Dominus) *& jubet incipere ab Hieruſalem. Iuſtinus Apolog. 2. pro Chriſtianis,* Verbum Domini ait Propheta exiiſſe ex Hieruſalem: quòd ſic factum eſſe videmus. Ab Hieruſalem enim viri duodecim numero perfecti, idiotæ, dicendi imperiti & rudes, ſed nixi ope divina convertere totum orbem; miſſi enim ſunt à Chriſto, ut docerent omnes Gentes ſermonem Dei.

π Exceptis ipſius Salvatoris propriis, ſingularibusque miraculis.] *Idem epiſt. 3. ad Voluſianum de miraculis Chriſti locutus.* Quodque eadem, quæ Prophetæ, facere debuit, ne eſſet abſurdum, quæ per illos faceret ſi ipſe non faceret. Sed tamen (*inquit*) aliquod proprium facere debuit, naſci de virgine, à mortuis reſurgere, in cœlum aſcendere.

ρ Cum jam facta nuntiantur per Apoſtolos.] *Vetus enim teſtamentum occultatio*

Digitized by Google

tatio eſt novi, & novum revelatio veteris, & nihil in novo teſtamento impletur, vel in Chriſto, vel in Eccleſia, quod jam antea in veteri teſtamento non eſſet prædictum à Prophetis.

σ Nemo liberatus eſt.] *Nemo unquam etiam ab initio mundi ſalvari potuit vel etiam liberari à peccato, niſi per fidem unius mediatoris Chriſti; hæc via ordinata à Deo purgandæ animæ*, Non eſt in alio ſalus niſi in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, non aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat eos ſalvos fieri. *Iuſtitia Dei, qua ſcilicet juſtificamur à Deo, per fidem Ieſu Chriſti, qua in eum creditur, in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum. Rom. 3.* Ipſe unus propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam totius mundi. *1. Ioan. 3.*

τ Nam vel inferiorum fiunt præſenſione cauſarum.] *Docet quam rectè contemnantur prædictiones ſeu vaticinationes, quæ ut plurimùm fiunt dæmone ipſo hominibus imponente, & quantum diſtent à prædictionibus Prophetarum, quæ cùm Deo revelante fiant, qui nec fallere nec falli poteſt, certiſſimæ ſunt, nec aliquid falſi habent admixtum: quibus etiam modis fiant divinationes dæmonum, nempe vel naturalibus ſignis futura præcognoſcendo, vel prænuntiando quæ ipſi facturi ſunt, vel etiam variè afficiendo mentes atque cupiditates hominum, ut in hoc vel illud eas inducat, quin & corpora ipſa ad morbum vel valetudinem diſponendo, ut iſta poſtmodum prænuntient, quæ illis mira videantur; qui præviam diſpoſitionem hujuſmodi non noverint. De hoc fuſiùs D. Auguſtinus lib. de divin. dæmon. cap. 5. & ſeq. & lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 17.*

υ Chriſtus quippe in carne venturus.] *Paucis verbis complectitur præcipua myſteria novi teſtamenti in veteri prænuntiata, & eadem fere his verbis habet Epi. 3. ad Voluſianum, Chriſtum Dei verbum, Dei filium, Deum in carne venturum, moriturum, reſurrecturum, in cœlum aſcenſurum, præpollentiſſimo ſuo nomine in omnibus gentibus dicatos ſibi populos habiturum, inq; illo remiſſionem peccatorum ſalutemque æternam futuram eſſe credentibus, omnia gentis illius promiſſa, omnes Prophetiæ, ſacerdotia, ſacrificia. templum, & cuncta omnino ſacramenta ſonuerunt.*

φ Culturæ ſimulacrorum, dæmonumque ſubverſio.] *Idem loco citato.* Templa & ſimulacra dæmonum, ritusque ſacrilegi paulatim atque alternatim ſecundùm prædicta prophetica ſubvertuntur. *Multa Theodoretus ſerm. 10. θεραπευτ.*

χ Ut recta pietate futura eſſe.] *Idem epiſt. 3. citata.* Hæc omnia ſicut leguntur prædicta, ita cernuntur impleta, atque ex his jam tot & tantis, quæ reſtant, expectantur implenda.

(o)

DIVI

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI
AD MARCELLINUM
DE CIVITATE DEI
LIBER XI.
CAP. I.

De ea parte operis, qua duarum civitatum, id eſt cæleſtis, ac terrenæ initia & fines incipiunt demonſtrari.

CIVITATEM Dei dicimus, cujus ea ſcriptura teſtis eſt, quæ non fortuitis motibus animorum, ſed planè ſummæ diſpoſitione providentiæ α ſuper omnes omnium gentium literas, omnia ſibi genera ingeniorum humanorum divina excellens autoritate ſubjecit. Ibi quippe ſcriptum eſt: β Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei. Et in alio Pſalmo legimus: Magnus dominus, & laudabilis nimis: in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, dilatans exultationes univerſæ terræ. Et paulo poſt in eodem Pſalmo: Sicuti audivimus, ita & vidimus, in civitate domini virtutum, in civitate Dei noſtri, Deus fundavit eam in æternum. Item in alio: Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, ſanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus, Deus in medio ejus non commovebitur. His atque hujuſmodi teſtimoniis, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, didicimus eſſe quandam civitatem Dei, γ cujus cives eſſe concupiſcimus, δ illo amore, quem nobis illius conditor inſpiravit. Huic conditori ſanctæ civitatis, cives terrenæ civitatis deos ſuos præferunt, ignorantes eum eſſe Deum deorum, ε non deorum falſorum, hoc eſt, impiorum, & ſuperborum, qui ejus incommutabili, omnibuſque communi luce privati, & ob hoc ad quandam egenam poteſtatem redacti, ſuas quodammodo privatas potentias conſectantur, honoreſque divinos à deceptis ſubditis quærunt, ſed deorum piorum, atque ſanctorum, qui potius ſeipſos uni ſubdere, quàm multos ſibi, potiuſque Deum colere, quàm pro Deo coli delectantur. Sed hujus ſanctæ civitatis inimicis, decem ſuperioribus libris quantum potuimus domino & rege noſtro adjuvante reſpondimus. Nunc verò quid à me expectetur agnoſcens, meique non immemor debiti, de duarum civitatum, terrenæ ſcilicet & cœleſtis, quas in hoc interim ſeculo perplexas quodammodo diximus invicemque permixtas, exortu & excurſu & debitis finibus quantum valuero diſputare, ejus ipſius domini, & regis noſtri ubique opitulatione fretus aggrediar: primumque dicam quemadmodum exordia duarum iſtarum civitatum in angelorum diverſitate præceſſerint.

Pſ. 86. *Pſ. 47.* *Pſ. 45.*

α Super omnes omnium gentium literas.] *Quemadmodum contendit Ioſephus lib. contra Appionem, Moyſem reliquis legislatoribus longe eſſe præferendum, & legem ejus reliquis gentium legibus: ita ſcripturam ſacra ſi confeſatur cum profanis* *F.L.C.1.*

ſcripturis, infinitis partibus dignitate illas antecellit. D. Auguſtin. libr. 2. de doctr. Chriſti. c. 42. Quantum minor eſt auri, argenti veſtisque copia, quam de Ægypto ſecum ille populus abſtulit, in comparatione divitiarum, quas poſtea Hieroſolymæ conſecutus eſt, quæ maximè in Salomone Rege oſtenduntur, tanta fuit cuncta ſcientia, quæ quidem fuit collecta de libris gentium, ſi divinarum ſcripturarum ſcientiæ comparetur.

β Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei.] *Hoc cap. oſtendit ex multis locis ſcripturæ commendari civitatem Dei. Non autem eſt alia quàm Eccleſia, non ex calce & lapidibus, ſed ex hominibus divino lavacro ablutis exſtructa, quibus Paulus 1. Cor. 3.* Dei ædificatio eſtis. *Et Petr. 1. epiſt. 2.* Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini. *Certè ſi conferatur ſynagoga cum hac civitate, inſtar pagi obtinere videatur. Quo refertur illud Pſal. 86. quod hic citat D. Auguſtinus,* glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei. *Ubi Propheta per apoſtrophem convertit ſe ad Sionem: Glorioſa & præclara, cæleſtia non terrena prædicta ſunt de te à divinis vatibus, civitas Dei. i. Eccleſia è Sione oritura. Iſai 52. dicitur Ieruſalem* civitas ſancti, & civitas ſancta. *Hanc civitatem Chriſtus in hoc mundo ex hominibus extruxit, eam firmiſſimè munivit, ut nunquam diruenda ſit ab hoſtibus quantumvis potentiſſimis & omni telorum genere in eam armatis, quod ſignificat etiam Ieremias cap. 31.* Sanctum Dei non evelletur & non deſtruetur ultrà in perpetuum, *cæleſtibus præterea divitiis locupletavit, quod eodem Pſ. 86. canit vates cum ait,* Ipſe fundavit eam altiſſimus. *Ad hanc civitatem incolendam univerſum hominum genus è Babylonica civitate vocat & adducit, quod ſignat Iſaias cap. 54. his verbis:* Ipſe ædificabit civitatem meam, *ſcilicet Eccleſiam,* & captivitatem meam dimittet. *i.e. captivos homines è ſervitute dæmonis redimet,* non in pretio, neque in muneribus, ſed gratis. *Ut enim ait Paulus Rom. 3.* Juſtificati ſumus gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem poſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, *& Pſal. citato Propheta regius.* Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. *Quanta foret multitudo civium hujusce civitatis Zach. cap. 2. expreſſit dicens, hanc civitatem absque muro habitandam; Tàm enim ampla eſt, ut iidem ſint & hujus urbis & orbis fines. Huic civitati, cujus conditor eſt Chriſtus, cujus cives ſunt omnes fideles non juſti modo, verùm etiam improbi, cùm ſit ſignificata per arcam Noe, in quam ingreſſa ſunt animalia munda & immunda, oppoſita eſt civitas terrena, cujus conditor diabolus, cujus cives omnes infideles à nomine Chriſti alieni.*

γ Cujus cives eſſe concupiſcimus.] *Quilibet enim fidelis dicat,* Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum; *quod ſi civitatem cæleſtem intelligimus, eò omnia deſideria noſtra debent ferri.*

δ Illo amore, quem nobis illius conditor inſpiravit.] *Amor hic divinus eſt aſim faciens & totos nos in Deum rapiens, per quàm non ſinimur eſſe noſtri, charitas hæc eſt, qua ferimur in Deum,* quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

ε Non deorum falſorum, i. e. impiorum & ſuperborum, ſed deorum piorum atque

Atque ſanctorum.] *Eſt quidem omnium Deus per potentiam & dominium quod habet etiam in dæmones ipſos, in quos etiam ſuam juſtitiam exercet, verùm piorum atque ſanctorum Deus eſt ſpeciali quadam ratione, ut in quibus per gloriam vel gratiam habitat, ita quantumvis univerſi creator ſit ab initio, omnia ab eo conſervarentur, & illius providentiâ regerentur, & omnes populi illius ſubjicerentur imperio, ſpecialiter tamen Deus Abraham, Iſaac, Jacob, & populi Iſrael dictus eſt, ſic eorum, qui vocati ſunt ad fidem & gratiam Evangelij tam ex Iudæis quàm ex Gentibus Deus ſpeciali ratione vocatur. Eorum enim certè Deus eſt, qui debitum ei honorem deferunt, non verò aliis divinum cultum tribuunt. Rectè igitur dicit non eſſe conditorem ſanctæ civitatis Deum deorum falſorum, qui ſibi divinos honores vendicant, ſed piorum & ſanctorum, qui potiùs Deum colere, quàm dij ipſi haberi volunt.*

Cap. II.

De cognoſcendo Deo, ad cujus notitiam nemo hominum pervenit, niſi per Mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum.

MAgnum eſt & admodum rarum, univerſam creaturam corpoream & incorpoream conſideratam compertamque mutabilem intentione mentis excedere, atque incommutubilem Dei ſubſtantiam pervenire, & illic dicere ex ipſo, quod cunctam naturam quæ non eſt, quod ipſe, non fecit niſi ipſe. *a* Sic enim Deus cum homine, non per aliquam creaturam loquitur corporalem, corporalibus inſtrepens auribus, ut inter ſonantem & audientem aerea ſpatia verberentur, *β* neque per ejuſmodi ſpiritalem quæ corporum ſimilitudinibus figuratur, ſicut in ſomnis, vel quo alio tali modo. Nam & ſic velut corporeis auribus loquitur, quia velut per corpus loquitur, & velut interpoſito corporalium locorum intervallo. *γ* Multum enim ſimilia ſunt talia viſa corporalibus. Sed loquitur ipſa veritate, ſi quis ſit idoneus ad audiendum mente non corpore. Ad illud enim hominis ita loquitur, quod in homine cæteris, quibus homo conſtat eſt melius, & quo ipſe Deus ſolus eſt melior. Cùm enim homo rectiſſimè intelligatur, vel ſi hoc non poteſt, *δ* ſaltem credatur factus ad imaginem Dei: profectò ea ſui parte eſt propinquior ſuperiori Deo: qua ſuperat inferiores partes ſuas, quas etiam cum pecoribus communes habet. *a* Sed quia ipſa mens, cui ratio & intelligentia naturaliter ineſt, vitiis quibuſdam tenebroſis & veteribus invalida eſt, non ſolùm ad inhærendum fruendo, *b* verum etiam ad perfruendum merendo incommutabile lumen, donec de die in diem renovata atque ſanata fiat tantæ fœlicitatis capax, fide primum fuerat imbuenda atque purganda. *ε* In qua ut fidentius ambularet ad veritatem, ipſa veritas Deus Dei filius *ζ* homine aſſumpto, non tamen Deo conſumpto, eandem conſtituit atque fundavit fidem, *c* ut ad Deum iter eſſet homini per hominem Deum. Hic eſt enim mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. *d* Chriſtus per id quod eſt mediator, eſt homo, & via perveniendi ad Deum. Per hoc enim mediator, per quod & homo, per

Deus quo modo cũ homine loquatur

Digitized by Google

hoc & via. Quia ſi inter eum qui tendit, & illud quò tendit, via media eſt, ſpes eſt perveniendi. Si autem deſit, aut ignoretur quà eundum ſit? quid prodeſt noſſe quò eundum ſit? Sola eſt autem adverſus omnes errores via munitiſſima, ut idem ipſe ſit Deus & homo, quò itur Deus, quà itur homo.

L.Vives. *a* SEd quia ipſa mens.] *Mentem hominis præſtantiſſimam & puriſſimam in animo partem vocamus, qua intelligimus, qua etiam arguimus, colligimus, ratiocinamur, ita ut per eam tum ſimplices ſoláq; res accipiantur, tum conſerantur, ac velut comparentur, unde artes omnes, diſciplinæ, ac totus vitæ uſus conſtat, inventaque ſunt, quæcunq; in vita ſunt admirabilia.*

b Verum etiam ad perfruendum merendo.] *Alibi, ad perferendum incommutabile lumen.*

c Ut ad Deum.] *Alibi, ut ad hominis Deum iter eſſet homini per hominem Deum, hoc eſt figuratius & elegantius.*

d Chriſtus per id quod eſt media. eſt hom. & via perven. ad Deum.] *Totum hoc eſt addititium.*

F.L.Coc. *α* SIc enim Deus cum homine non per aliquam creaturam loquitur corporalem.] *Deus enim docet intus hominem ſcientiam, & ſi aliquando loquitur per creaturas, mediantibus etiam vocibus efformatis in aere, nihilominus intus etiam ſine medio aere, ſine ſtrepitu aliquo immediate homini loquitur. Quomodo Deus variis modis hominibus loquatur, aliquando intrinſecus, nonnunquam per creaturas variis etiam modis, docet idem Auguſt. 11. de Geneſ. ad Lit. c. 33. ad ea verba,* Et audierunt vocem Domini Dei ambulantis in paradiſo; Fortaſſe *(inquit)* in aliis intrinſecus, vel effabilibus, vel ineffabilibus modis Deus cum illis antea loquebatur, ſicut etiam cum Angelis loquitur ipſa incommutabili veritate illuſtrans mentes eorum, ubi eſt intellectus noſſe ſimul quæcunque etiam per tempora non fiunt ſimul, forte inquam ſic cum eis loquebatur, & ſi non tanta participatione divinæ ſapientiæ, quantam capiunt Angeli; tamen pro humano modulo quantumlibet majus, ſed ipſo genere uſitatius & locutiones, fortaſſis etiam illo qui fit per creaturam ſive in ecſtaſi ſpiritus corporalibus imaginibus, ſive ipſis ſenſibus corporis aliqua ſpecie præſentata; vel ad videndum, vel ad audiendum, ſicut in Angelis ſuis ſolet videri Deus, vel ſonare per nubem. *Legi poteſt & D. Gregorius lib. 28. Moral. cap. 2. Ita D. Thomas qu. 18. de Verit. art. 3. duplicem diſtinguit locutionem, aliam exteriorem, qua Deus nobis per Prophetas vel prædicatores loquitur; aliam interiorem, qua loquitur nobis per inſpirationem internam. Dicitur autem ipſa inſpiratio interior locutio quædam ad ſimilitudinem exterioris locutionis. Sicut enim in exteriori locutione proferimus ad ipſum audientem non ipſam rem, quam notificare cupimus, ſed ſignum illius rei, ſcilicet vocem ſignificativam, ita Deus interius inſpirando non exhibet eſſentiam ſuam ad videndum, ſed aliquod eſſentiæ ſuæ ſignum, quod eſt aliqua ſpiritualis ſimilitudo ſuæ ſapientiæ.*

β Neque per hujuſmodi ſpiritualem, quæ corporum ſimilitudinibus] *Nam ſi Deus immittat hujuſmodi viſa ſeu ſimilitudines rerum corporalium in phantaſiam,*

niſi

niſi tamen illuſtret mentem, quò intelligat quid ſibi velint illæ viſiones, non dicitur loqui, cur verò non modò corporum ſimilitudines immittit, verùm etiam quid ſignificent, aperit, tunc loqui dicitur, ita non loquebatur Deus Pharaoni cùm illius ſpiritus informatus eſt, ut ſeptem ſpicas, & ſeptem boves videret, ſed Ioſepho cum illius mens illuminata eſt, ut intelligeret, nec Nabuchodonoſor cum illi ſomnium immiſit, ſed Danieli, in cujus ſpiritu expreſſæ ſunt imagines illæ corporales, & earum intellectus revelatus in mente, ut conſtat ex D. Auguſtino lib. 12. de Geneſi ad Lit. cap. 9.

γ Multum enim ſimilia ſunt talia viſa corporibus.] *Inde fit, ut in viſione ſpirituali i. e. in corporum ſimilitudinibus, quæ ſpiritu videntur, fallatur anima, cum ea, quæ ſic videt, ipſa corpora eſſe arbitratur, ut obſervavit etiam lib. 12. de Geneſi ad Liter. cap. 25. & cap. 26. cum rapitur anima in ea viſa, quæ ſpiritu cernuntur ſimilia corporalibus, divinæ admonitionis eſſe ait & adjutorij, ut ſe non corpora, ſed viſa corporum ſpiritualiter noverit cernere. D. Petrus cum ab Angelo è vinculis reipſa ſolutus eſſet & iret in corpore ambulans, putabat ſe viſum videre, & cum illa eſtaſi Actu. 10. reſpondit,* Nunquam manducavi omne commune & immundum, *putabat ea, quæ in diſco demonſtrabantur tanquam vera animalia, quia multùm ſimilia viſa ſunt corporibus. Eodem lib. c. 19. quod anima viſa non diſcernat an corpora, an ſimilitudines ſint corporum, aliquando à corpore, aliquando à ſpiritu accidere docet. & c. 20. quàm difficile ſit hæc diſcernere oſtendit.*

δ Saltem credatur factus ad imaginem Dei.] *Neque enim Philoſophi ratione naturali ſatis intelligere potuerunt hujuſmodi Dei imaginem in homine, verùm ex ſcripturis ſacris novimus hominem eſſe factum ad Dei imaginem, non modo ut unus eſt in eſſentia, verùm etiam ut trinus in perſonis, ut docet D. Thomas 1. p. q. 93. art. 5. poſt D. Auguſtinum paſſim libris de Trinit. & alios patres.*

ε In qua ut fidentius ambulare ad veritatem.] *Ubi enim veritas ipſa, quæ mentiri non poteſt, Chriſtus incarnatus, nobis revelavit quæ credimus, certum eſt ea infallibilia eſſe & infallibilem veritatem continere: neque tantam authoritatem haberent ea, quæ credimus, ſi per creaturam aliquam locutus eſſet Deus hominibus, quantam alioquin habent, ubi immediatè à Deo ſunt revelata.* Unigenitus enim ipſe nobis ea revelavit. *Ita D. Thomas 3. p. q. 1. art. 2. neceſſariam fuiſſe incarnationem hominis in bonum. Primò quantum ad fidem, quæ magis ex hoc certificatur; quod ipſi Deo loquenti credit, & citat hunc locum D. Auguſtini,* Ut homo fidentius ambularet ad veritatem, ipſa veritas Dei filius homine aſſumpto conſtituit atque fundavit fidem. *Secundò quantum ad ſpem, quæ per hoc maximè erigitur. Unde D. Auguſtinus dicit 13. de Trinit. cap. 10.* Nihil tam neceſſarium fuit ad erigendam ſpem noſtram, quàm ut demonſtraretur nobis quantum diligeret Deus: quid verò hujus rei iſto judicio manifeſtius, quam quod Dei filius naturæ noſtræ dignatus eſt inire conſortium? *Tertio quantum ad charitatem, quæ maximè per hoc excitatur. unde dicit D. Auguſtinus lib. de Catecheſ. rudibus cap. 4.* Quæ major eſt cauſa adventus Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis, *ac poſtea ſubdit,* ſi amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat.

Digitized by Google

ζ Homine aſſumpto, non tamen Deo conſumpto.] *Inconfuſæ enim remanſerunt naturæ in Chriſto divina & humana, ut contra Eutichem definit Concilium Chalced. act. 5. in Symbolo fidei.* Confitemur in noviſſimis temporibus filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum nunquam ſublata differentia naturarum propter unionem. Unio enim hujusmodi facta eſt ineffabilis non converſioue divinitatis in carnem, ſed aſſumtione humanitatis in Deum. *Sic enim ajunt patres Concilij Epheſini cap. 13.* Non dicimus quod Dei natura converſa vel immutata facta ſit caro, nec quia in totum hominem, qui eſt ex anima & corpore, transformata ſit; ſed magis, quod carnem animatam anima rationali ſibi copulaverit, verbumque ſubſtantialiter, ineffabiliter, & incomprehenſibiliter factus ſit homo, *quod ſcribit Baſilius* εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν. τίνα τρόπον ἐν σαρκὶ ἡ θεότης, ὡς τὸ πῦρ ἐν σιδήρῳ οὐ μεταβατικῶς, ἀλλὰ μεταδοτικῶς.

η Ut ad Deum iter eſſet homini per hominem Deum.] *Idem ſermone quodam de nativitate domini.* Homo ſequendus non erat, qui videri poterat; deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini & qui videretur ab homine, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo! *D. Baſilius.* εἰς τὴν ἁγίαν Χριστοῦ γέννησιν διὰ τῆς συγγενείας ἡμῶν σαρκὸς αὐτοῦ πρὸς ἑαυτὸν ἐπανάγων τὴν ἀνθρωπότητα,

Cap. III.

De autoritate canonica ſcripturæ, divino ſpiritu conditæ.

HIc α prius per Prophetas, β deinde per ſeipſum, γ poſtea per Apoſtolos quantum ſatis eſſe iudicavit locutus, etiam δ ſcripturam condidit, quæ canonica nominatur eminentiſſimæ autoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per noſmetipſos noſſe idonei ſumus. Nam ſi ipſa ſciri poſſunt teſtibus nobis, quæ remota non ſunt à ſenſibus noſtris, *a* ſive interioribus, ſive etiam exterioribus: unde & præſentia nuncupantur, *b* quod ita ea dicimus eſſe præſentibus, ſicut præ oculis quæ præſto ſunt oculis: profectò ea quæ remota ſunt à ſenſibus noſtris, quoniam noſtro teſtimonio ſcire non poſſumus, de his alios teſtes requirimus, eisque credimus, à quorum ſenſibus remota eſſe vel fuiſſe non credimus. Sicut ergo de viſibilibus, quæ non vidimus, eis credimus, qui viderunt, atque ita de cæteris, quæ ad ſuum quenque ſenſum corporis pertinent: ita de his quæ animo ac mente ſentiuntur, quia & ipſe rectiſſimè dicitur ſenſus, unde & ſententia vocabulum accepit, *c* hoc eſt, ε de inviſibilibus, quæ à noſtro ſenſu exteriore remota ſunt, iis nos oportet credere, *d* qui hæc in illo incorporeo lumine diſpoſita didicerunt, *e* ζ vel manentia contuentur.

L. Vives. Senſus. *a* SIve interioribus, ſive etiam exterioribus.] *Quicquid in homine aut in animali alio eſt, quo aliquid percipitur ſentiturque, eſt ſenſus. Hinc ſenſus illi exteriores quinque & interiores mens animusque, unde eſt ſenſus doloris, ſenſus rei viſæ vel auditæ, de exterioribus, tum lætitiæ, laudis, gloriæ, virtutis, vitij, ſpei, metus: ſenſus de interioribus, ecquid de hoc vino ſentis? quid de cantu, quid de ornatu, ſplendore*que

dore*que*

doreq́, cultus? adde etiam quid de prudentia, & judicio illius, quid de philoſophia, quid de theologia, quid de reipublicæ adminiſtratione? Quæ paulò pluribus dixi verbis, quoniam Philoſophi noſtrates mentem dici ſenſum non patiuntur, cùm Auguſtinus diſertè ſenſum eſſe dicat, tametſi quid philoſopho noſtri temporis cum notitia ſermonis, hoc eſt, ut ipſi interpretantur, cum Grammatica?

b Quod ita ea dicimus eſſe præſentibus.] *Potius legendum eſt, præ ſenſibus.* *Videris*

c Hoc eſt de inviſibilibus.] *Videre ad omnes ſenſus pertinet, ut apud Græcos* ἰδεῖν *ut, Vidiſti quàm incondita eſt hæc oratio, quàm inſuave hoc vinum. Sic inviſibile hic Auguſtinus pro eo, quod ſub nullum exteriorem cadit ſenſum, poſuit.*

d Qui hæc in illo incorporeo lumine diſpoſita.] *Sancti viri præceptore uſi Deo ipſo.*

e Vel manentia.] *Angeli Dei.*

α HIc prius per Prophetas.] *Amoſ. 3.* Non faciet dominus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus. Spiritus domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam. *2. Petri 1.* Non enim humana voluntate allata eſt aliquando Prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. *Propterea ex perſona Dei loquebatur.* Hæc dicit Dominus, *vel* verbum Domini quod factum eſt. *Hebræ. 1.* multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis. *F. L. Cog.*

β Deinde per ſeipſum.] *Ita Apoſtolus ſequitur loco citato.* Noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio. *Perinde enim eſt, ſive dicamus patrem* in filio, *ſeu* per filium *locutum, ſive filium* per ſeipſum locutum, *qui prius per Prophetas, cùm opera trinitatis ad extra ſint indiviſa. Chriſtus Ioan. 5.* Pater in me manens facict opera, *quæ erunt tamen etiam filij.* ſicut enim pater ſuſcitat mortuos, ita filius quos vult vivificat; *Quod autem qui prius per Prophetas, poſtea per ſe ipſum in novo teſtamento locutus eſſet, teſtatur Iſaia 52.* Ecce ego, qui loquebar, ecce adſum. *Quæ verba citans Tertull. lib. 4. contra Marcionem cap. 13.* Tunc ipſe erat, *inquit,* qui in Prophetis loquebatur filius creatoris. *Euſebius lib. 6. de demonſt. Evang. cap. 24. probat his verbis eundem eſſe Chriſtum, qui prius per Prophetas, deinde tandem ipſe in hac vita apparuit. Verùm infideles Iudæi nolunt jam eum audire loquentem, adhuc Moyſem audiunt, vel ſe audire putant. Si enim Moyſi crederent, utique Chriſto crederent, cùm de illo ſcripſerit. Moyſi dicunt,* loquere tu nobis, non loquatur nobis dominus: *non poſſunt intendere in gloriam vultus ejus.*

γ Poſtea per Apoſtolos.] *Verbum incarnandum per Prophetas in veteri teſtamento, verbum incarnatum per Apoſtolos in novo teſtamento. D. Paulus Hebræ. 2. de ſalute per Chriſtum peracta loquens,* quæ cum interim, *inquit,* accepiſſet enarrari per dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt.

δ Scripturam condidit quæ canonica nominatur.] Canonica *dicitur ſcriptura,* quæ divinitus inſpirata eſt, *cujus author eſt Spiritus ſanctus, in qua ne minimum quidem falſitatis aut mendacij continetur, ut talis approbata communi conſenſu*

ſenſu totius Eccleſiæ & Patrum. Scripturæ ſacræ ſunt, ſcripturæ populorum & principum horum, qui fuerunt in ea. *i. e. Prophetarum & Apoſtolorum, & licet liber aliquis ex ſe ſit canonicus vel Apocryphus, & ſic ſcriptum aliqua ſacra vel prophana*; *(*ut tamen tantam apud nos habeat auctoritatem, pendet ex judicio Eccleſiæ; Ita D. Auguſtinus.* Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ auctoritas commoveret,)* Canonica *etiam* ſcriptura *dicitur, quæ publicè in Eccleſia proponitur legenda & ex qua ſumi poteſt veluti regula fidei, & ex qua præterea certiſſima duci poſſunt argumenta ad aliquod dogma fidei ſtabiliendum. Ut enim habet D. Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad liter. cap. 5.* major eſt ſcripturæ ſacræ auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas; *& tanta quidem eſt ſcripturæ canonicæ authoritas, ut de illius veritate dubitare nefas ſit, nec aliorum quantumvis ſanctiſſimorum hominum cum iſtis ſunt conferendæ ſcripturæ, ut de ſuis profitetur D. Auguſtinus: Et de Cypriano loquens, cujus authoritate nitebantur Donatiſtæ ut rebaptizarent*, nos, *inquit*, nullum Cypriano facimus injuriam, cum ejus quaslibet literas à canonica divinarum ſcripturarum authoritate diſtinguimus, *lib. 2. contra Creſconium grammaticum cap. 31.*

ε De inviſibilibus, quæ à noſtro ſenſu exteriore remota.] *Hujuſmodi ſunt divina myſteria, quæ non niſi à divina revelatione cognoſcuntur, & quæ ipſi ex teſtimonio Eccleſiæ habemus, ſiquidem Eccleſia edocta eſt ab Apoſtolis, Apoſtoli ipſi à Chriſto, quem loquentem & docentem audierunt. 1. Ioan. 1.* quod vidimus, quod audivimus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, hoc annuntiamus vobis. Unigenitus ille, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarravit. *Egregiè Irenæus lib. 5. cap. 1.* non aliter nos diſcere poteramus, quæ ſunt Dei, niſi magiſter noſter verbum exiſtens, homo factus fuiſſet. Neque enim alius poterat enarrare nobis quæ ſunt patris niſi proprium ipſius verbum. Quis enim alius cognovit ſenſum domini? aut quis alius ejus conſiliarius factus eſt? neque rurſus nos aliter diſcere poteramus, niſi magiſtrum noſtrum videntes, & per auditum noſtrum vocem ejus percipientes.

ζ Vel manentia contuentur.] *Ut Angeli Dei, qui homines illuminant, & inſtituunt de divinis myſteriis, eiſque divinam voluntatem patefaciunt. Nam per Angelos (authore Dionyſio cap. 4. de cæle. hier.) nobis donatæ ſunt divinæ revelationes, & Angeli primùm quidem docentur à Deo, deinde homines edocent. Ut enim docet idem Dionyſ. cap. 5. de Eccleſi. Hierarch.* Hæc lex eſt divinitatis immobiliter firmata, ut inferiora reducantur in Deum per ſuperiora.

Cap. IV.

De conditione mundi, quòd nec intemporalis ſit, nec novo Dei ordinata conſilio, quaſi poſteà voluerit quod anteà noluerit.

Viſibilium omnium maximus eſt mundus, inviſibilium omnium maximus eſt Deus. Sed mundum eſſe conſpicimus, Deum eſſe credimus. Quod autem Deus mundum fecerit, nulli tutius credimus quàm ipſi Deo. Ubi eum audivimus? Nuſquam interim nos melius quàm in ſcripturis ſanctis, α ubi dixit propheta ejus: In principio fecit Deus cælum & terram. β Nunquid

Gen. 1.

nam

nam ibi fuit iſte propheta, quando fecit Deus cœlum & terram? Non γ Sed ibi fuit ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, quæ in animas etiam ſanctas ſe transfert, amicos Dei & prophetas conſtituit, eiſque opera ſua ſine ſtrepitu intus enarrat. δ Loquuntur eis quoque angeli ſancti Dei, qui ſemper vident faciem patris, voluntatemque ejus, quibus oportet annunciant. Ex his unus erat iſte propheta, qui dixit & ſcripſit: In principio fecit Deus cælum & terram. ε Qui tam idoneus teſtis eſt, per quem Deo credendum ſit, ut eodem ſpiritu Dei quo hæc ſibi revelata cognovit, etiam ipſam fidem noſtram futuram tanto antè prædixerit. ζ a Sed quid placuit Deo æterno tunc facere cælum & terram, quæ antea non feciſſet? b Qui hoc dicunt, ſi mundum fuiſſe æternum ſine ullo initio, & ideo nec à Deo factum videri volunt, η nimis averſi ſunt à veritate, & lethali morbo impietatis inſaniunt. Exceptis enim propheticis vocibus, c θ mundus ipſe ordinatiſſima ſua mutabilitate & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie quodammodo tacitus, & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo ineffabiliter atque inviſibiliter magno, & ineffabiliter atque inviſibiliter pulchro fieri ſe potuiſſe proclamat. ι Qui autem à Deo quidem factum fatentur, non tamen eum volunt temporis habere, ſed ſuæ creationis initium, ut modo quodam vix intelligibili ſemper ſit factus, dicunt quidem aliquid, unde ſibi Deum videntur, velut à fortuita temeritate defendere, ne ſubitò illi veniſſe credatur in mentem, quod nunquam ante veniſſet, facere mundum, & accidiſſe illi voluntatem novam, cùm in nullo ſit omnino mutabilis. Sed non video, quomodo eis poſſit in cæteris rebus ratio iſta ſubſiſtere, d maximeque in anima, quam ſi Deo coæternam eſſe contenderint, unde illi acciderit nova miſeria, quæ nunquam anteà per æternum, nullo modo poterunt explicare. Si enim alternaſſe ſemper ejus miſeriam & beatitudinem dixerint, neceſſe eſt dicant etiam ſemper alternaturam, * unde illa eos ſequetur abſurditas, ut etiam cùm beata dicitur, in hoc utique non ſit beata, ſi futuram ſuam miſeriam & turpitudinem prævidet. Si autem non prævidet, nec ſe turpem ac miſeram fore, ſed beatam ſemper exiſtimat, falſa opinione ſit beata: quo dici ſtultius nihil poteſt. Si autem ſemper quidem per ſecula retro infinita cum beatitudine alternaſſe animæ miſeriam putant: ſed nunc jam de cætero cùm fuerit liberata, ad miſeriam non eſſe redituram, nihilominus convincuntur, nunquam eam fuiſſe verè beatam, ſed deinceps incipere eſſe nova quadam nec fallaci beatitudine, ac per hoc fatebuntur accidere illi aliud novi, & hoc magnum atque præclarum, quod nunquam retro per æternitatem accidiſſet. Cujus novitatis cauſam ſi Deum negabunt in æterno habuiſſe conſilio, ſimul eum negabunt etiam beatitudinis ejus autorem, quod nefandæ impietatis eſt. Si autem dicent, ipſum novo conſilio excogitaſſe, ut de cætero ſit anima in æternum beata, quomodo eum alienum ab ea, quæ illis quoque diſplicet, mutabilitate monſtrabunt? Porrò ſi ex tempore creatam, ſed nullo ulterius tempore perituram, f tanquam verum habere initium, ſed non habere finem fatentur, & ideo ſemel expertam miſerias, ſi ab eis fuerit

Marg.: Mat. 18. — Ioh. 1. — al. alternaſſe narrata. — * al. nunc rem.

Nnnnn

rit liberata, nunquam miſeram poſtea futuram, non utique dubitabunt hoc fieri, manente incommutabilitate conſilii Dei. Sic ergo credant, & mundum ex tempore fieri potuiſſe, nec tamen ideo Deum in eo faciendo æternum conſilium voluntatemque mutaſſe.

L. Vivus. *a* SEd quid placuit Deo.] *Quæſtio Epicuri, quam Cicero Velleij verbis primo de natura deorum tractat.*

b Qui hoc dicunt ſi mundum fuiſſe æternum.] *Dubitatio hæc eſt multorum diſputationibus ſcriptisq; exagitata, variasq; in partes magnis ingeniorum viribus converſa atq; jactata, quibuſdam mundum neq; genitum unquam, neq; interiturum affirmantibus, ut Peripateticis, quibus Latini multi ſuffragantur, ut Plinius & Manlius. Cato ſenior opinionem Ægyptiam eſſe hanc dicit, aliis gentium quidem affirmantibus, ſed negantibus interiturum unquam: cujus ſententiæ ſunt qui volunt Platonem fuiſſe, ut ſuperiore libro dixi. Sunt, quibus nunquam inceperit mundus, deſinet tamen aliquando. Sunt qui genitum à Deo corruptibilemq; aſſerunt, ſed nunquam tamen interiturum Nam divinæ naturæ vi continetur atq; ſervatur. Ex horum numero ſunt Pythagorici. Alij & initium accepiſſe, & finem habiturum autumant, ut Epicurei. Anaxagoras, Empedocles, & Stoici, de queis omnibus Plutarchus in Placitis naturalibus. Galenus in Hiſtoria philoſophi, modò ejus ſit is liber, Cenſorinus in natali die, Macrobius, ac plerique alij. Alexander Aphrodiſæus Ariſtoteli accedit, quòd ejus ſententia minus diſputantium ictibus ſit expoſita. Galenus ex ſenſuum teſtimonio de totalite pronunciari debere aſſeverat, qui cùm eundem & eodem modo procedere ſemper mundum cernant, ingenitum, & æternum fateri par eſt. Nam ut Manilius inquit, Non alium videre patres, aliumve nepotes aſpicient. Et inter eos qui æternum faciunt mundum, alij à Deo genitum volunt, alij nullam ejus cauſam ponunt, ſed ipſum potius ſui & cæterorum cauſam eſſe, quod Ariſtoteli placuit libro primo de cælo & mundo.*

f Mundus ipſe ordinatiſſima.] *Caſu aut fortuito credibile non eſt factam eſſe rem maximi ordinis & rationis, nec alium quàm ſummum potuiſſe ſummi operis, aut alium, quàm pulchrum pulcherrimi parentem eſſe. Omnes philoſophorum ſcholæ quæ divinius aliquid ſapuerunt, nihil eſſe quod tam arguat & factum eſſe à Deo mundum, & ejus cura adminiſtrari, conſenſu unico affirmant, quàm aſpectum ipſum mundi totius conſiderationemq; decoris ejus atq; ordinis. Plato, Stoici, Cicero, Plutarchus, & Ariſtotelis hac de re argumentum refert à Cicerone 2. De natura deorum.*

d Maximeque in anima.] *Plato animas hominum æternas eſſe voluit detruſas in corpus humanum, hoc eſt, in carcerem propter ſcelera ab ipſis commiſſa.*

e Si enim alternaſſe.] *Neq; enim aliter dici poteſt, quàm quod fuerint æternum, aut beatæ, aut miſeræ, vel certè alternis beatæ miſeræq;, quod ita ſi fiat, ex varietate quadam & alternatione naturæ animæ proficiſci neceſſe eſt. Quæ enim poſſet iſta eſſe in tot animarum millibus infinita æternitate tam conſtans facinorum admiſſionis, expiationiſq; viciſſitudo, unde modò beatæ eſſent, modò miſeræ.*

f Tanquam verum habere initium.] *In aliis exemplaribus legitur, Tanquam nume-*

numerum habere initium. Numerus enim ab unitate incipit, nec eſt ubi ſiſtat: nam quantocunq; addito numero, major adhuc adjici poteſt, nec finis erit, etiam ubi jam finis non poterit inveniri, quod infinitum dicitur. P.I.C.q.

α UBi dixit propheta ejus, In principio fecit Deus.] *Prophetia de præterito eſt ut docet D. Gregor Hom. 1. in Ezechiel. de illo enim tempore dixit homo, quo non erat homo. Mundi novitatem non poſſe phyſicis rationibus demonſtrari, docet D. Thom. 1. p. q. 46. art. 2. & l. 2. contra Gentes c. 38.*

β Num quidnam ibi fuit iſte Propheta.] *Ad eum ferè modum dominus Iob. 38.* Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras ejus ſi noſti, vel quis tetendit ſuper eum lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem ejus? *Scribit & quid ſimile Cicero l. 1. de nat. deo. ex perſona Velleij Epicurei.* Quibus enim oculis intueri potuit veſter Plato fabricam illam tanti operis, qua conſtrui à Deo atque ædificari mundum ſcribit? quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machinæ, qui miniſtri tanti muneris fuerunt? Id quærere ſolet Epicureus *(ait Lactantius l. 2. c. 9.)* qui non vult à Deo factum eſſe mundum, videre fortaſſe, ſi eo tempore potuiſſet eſſe, quo Deus fecit. Nemo Deo adfuit in creatione mundi ne Angeli quidem, neque quis novit æternum Dei conſilium de creando mundo. Nonniſi igitur ex ipſius teſtimonio ſeu revelatione id habemus. *D. Ambr. l. 1. in Hexameron. c. 2.* Moyſes aperuit os ſuum, & effudit quæ in eo dominus loquebatur ſecundùm quod ei dixerat, cùm eum ad Pharaonem Regem dirigeret, vade & aperiam os tuum & inſtruam te quid debeas loqui. Etenim ſi quod de populo dimittendo diceret, à Deo acceperat, quanto magis quod de cœlo loqueretur? Denique non in perſuaſiòne humanæ ſapientiæ, nec in Philoſophiæ ſimulatoriis diſputationibus, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis tanquam teſtis divini operis auſus eſt dicere, In principio fecit Deus cœlum & terram. *D. Auguſt. l. 11. confeſſ. c. 3.* Qui ſervo tuo dediſti hæc dicere, da & mihi hæc intelligere.

γ Sed ibi fuit ſapientia Dei.] *Nempe verbum æternum patris cum eo, & Sp. S. omnia ex nihilo producens, Prov. 8. eadem Sapientia id teſtatur.* Quando præparabat cœlos, aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum. *Poſt.* Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.

δ Loquuntur quoque Angeli ſancti Dei.] *Dionyſius c. 4. cæleſtis Hierarch.* divinas viſiones glorioſi patres noſtri adepti ſunt per medias cœleſtes virtutes, *ubi loquitur de viſionibus propheticis. D. Thom. 2. 2. q. 172. art. 2.* Habet, *inquit*, hoc divinitatis ordo, ſicut Dionyſius dicit, ut inſima per media diſponat. Angeli autem medii ſunt inter homines & Deum, utpote plus participantes de perfectione divinæ bonitatis, quàm homines; & ideò illuminationes & revelationes divinæ à Deo ad homines per angelos deferuntur; Prophetica autem cognitio fit per illuminationem, & revelationem divinam, unde manifeſtum eſt, quod fiat per Angelos.

ſ Qui tàm idoneus teſtis eſt.] *Ignorabat id Galenus, cùm eos, qui in Moyſi & Chriſti ſcholam impingerent, ſcriberet, leges audire nulla conſtitutas demonſtratione, ubi minimè deceret, lib. 2. de differ. pulſuum c. 4. Chriſto enim ac Moyſi certius ac firmius credimus, quàm omnibus Philoſophorum aut Mathematicorum demonſtrationibus. Moyſi fides adhibenda de præteritis loquenti, ſiquidem quæ futura prædixit, videmus omnino impleri, quæ non niſi Prophetico ſpiritu prædixiſſe putandus eſt; ſi quo eodem ſpiritu præterita enuntiaſſe credendum eſt, ſi quidem ex futurorum impletione de præteritis etiam judicium ferendum eſt. Ita docet Divus Gregorius homil. 1. in Ezechielem.* Sciendum, *inquit*, eſt, quia prophetia tempora invicem ſibi concinunt ad probationem, ut aliquando ex futuris ris præterita, aliquando verò ex præteritis probentur futura. Dixerat enim Moyſes: In principio creavit Deus cœlum & terram. Sed quis crederet, quòd verum de præterito diceret, ſi de futuro etiam aliquid non dixiſſet? In ipſius etenim libri fine, in cujus exordio illa de præterito dixerat, aliquid prophetia per Jacob vocem de venturus permiſcuit dicens; non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femoribus ejus, donec veniat, qui mittendus eſt; Cur ego præteritis ventura permiſcuit, niſi ut dum implentur ea, quæ de futuro prædiceret, oſtenderet etiam quia de præterito vera dixiſſet.

ζ Sed quid placuit Deo æterno.] *Hanc eandem quæſtionem Vellejus apud Ciceronem lib. 1. de natur. deorum proponit.* Cur mundi ædificatores repente extiterint, innumerabilia ante ſæcula dormierint; *Et Manichæi ut ſcribit Divus Auguſtinus lib. 1. de Geneſ. contra Manich. cap. 2.* Quid Deo ſubito placuit facere quod nunquam antea fecerat per tempora æterna? *Idem lib. 11. confeſſ. cap. 10.* nonne ecce pleni ſunt vetuſtatis ſuæ qui nobis dicunt, Quid faciebat Deus antequam faceret cœlum & terram? ſi enim vacabat (*inquiunt*) & non operabatur aliquid, cur non ſic ſemper & deinceps, quemadmodum ſemper retrò ceſſavit ab opere? ſi enim ullus motus in Deo novus exſtiterit & voluntas nova ut conderet creaturam, quam nunquam ante condiderat, quomodo jam vera æternitas, ubi oritur voluntas, quæ non erat? *& cap. 11.* Si voluntas Dei ſempiterna erat, ut eſſet creatura, cur non ſempiterna & creatura? Qui hæc dicunt (*inquit*) nondum te intelligunt, ô ſapientia Dei, lux mentium, nondum intelligunt quomodo fiant, quæ per te atque in te fiunt, & conantur æterna ſapere, ſed adhuc in præteritis & futuris rerum motibus cor eorum volitat & adhuc vanum eſt. *& cap. 30.* Non patiar (*inquit*) quæſtiones hominum, qui pœnali morbo plus ſitiunt, quàm capiunt, & dicunt, Quid faciebat Deus antequam faceret cœlum & terram? Aut quid ei venit in mentem, ut aliquid faceret, cùm ante nunquam aliquid fecerit? *Certè Deus æternus eſt, & æterna illius voluntas nullo modo mutabilis, itaque æterna voluntate creavit mundum in tempore, nec enim ab æterno ſtatuerat eum creare niſi in tempore, neque tum cùm creavit, nova ei voluntas creandi acceſſit, aliud enim eſt mutare voluntatem, & aliud eſt velle aliquarum rerum mutationem, poteſt enim aliquis eadem voluntate immobili permanente, velle quod aliquid nunc fiat, quod antea nolebat ut fieret. Cur verò*

non

non prius vel poſtea Deus creavit mundum, tota ratio facti eſt voluntas facientis.

η Nimis averſi eſſent à veritate.] *Iſtiuſmodi philoſophantes, qui unà cum Deo ab æterno mundum exſtitiſſe aſſerunt, vanos & ſtultos vocat D. Baſil. hom. 1. in Hexamer.*

θ Mundus ipſe ordinatiſſima ſua mutabilitate.] *Gregorius Nazianzenus, orat. 2. de Theolog. & D. Athanaſius, orat. contra Idola, utuntur exemplo cytharæ;* Quando enim audimus concentum alicujus cytharæ, ſtatim cogitamus, aliquem eſſe, à quo illa harmonia & ſuavis concentus procedit: ſic quando videmus admirabilem hunc ordinem univerſi, concentum & harmoniam omnium partium, debemus exiſtimare eſſe aliquem veluti inviſibilem cytharœdum & gubernatorem, qui eſt cauſa hujus concentus & harmoniæ mundi. *Damaſcen. lib. 1. de Fide Orthodox. cap. 3.* Jam verò ipſa rerum conditarum compages & conſervatio atque gubernatio, Deum eſſe, qui univerſam hanc rerum molem coagmentavit, eamque tueatur ac conſervet, eique perpetuo proſpiciat, nos docet non modò ordo ipſe partium univerſi, in quo conſiſtit ejus perfectio, verùm etiam omnes ipſæ partes ſigillatim has voces emittunt. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. *D. Auguſtin. lib. 11. confeſſ. cap. 4.* Ecce ſunt cœlum & terra, & clamant quod facta ſunt, mutantur enim atque variantur. Quicquid autem factum non eſt, & tamen eſt, non eſt in eo quicquam quod ante non erat, quod eſt mutari atque variari. Clamant enim quod ſeipſa non fecerint, ideo ſumus quia facta ſumus; non ergo eramus antequam eſſemus, ut fieri poſſemus à nobis. Et vox dicentium eſt ipſa evidentia.

ι Qui autem à Deo quidem factum.] *Ariſtoteles quidem ex omnium ſententia exiſtimavit, mundum eſſe æternum, idq́ perſpicuè docet lib. 8. Phyſic. Eſt tamen diſputatio & controverſia inter illius interpretes, an exiſtimaverit, Deum eſſe cauſam mundi efficientem; nec enim deſunt ex Theologis, qui exiſtiment, mundum ab æterno potuiſſe à Deo creari; cujus ſententia eſt D. Thom. 1. p. qu. 46. art. 2. & opuſcul. 27. In contrariam ſententiam videtur hic magis propendere D. Auguſtinus, cùm ait, modum vix eſſe intelligibilem quo ſemper intelligatur factus.*

CAP. V.

Tam non eſſe cogitandum de infinitis temporum ſpatiis ante mundum, quàm nec de infinitis locorum.

DEinde videndum eſt, iſtis qui Deum conditorem conſentiunt, & tamen quærunt de mundi tempore, quid reſpondeamus, quid ipſi reſpondeant de mundi loco. Ita enim quæritur, cur potius tunc & non anteà factus ſit, quemadmodum α quæri poteſt, cur hîc potius ubi eſt, & non alibi? Nam ſi infinita ſpatia temporis ante mundum cogitant: in quibus eis non videtur Deus ab opere ceſſare potuiſſe, ſimiliter ergo cogitent extra mundum infinita ſpatia locorum: β in quibus ſi quiſquam dicat non potuiſſe vacare omnipotentem, nonne conſequens erit, γ ut innumerabiles mundos a cum Epicuro ſomniare cogatur: ea tantum differentia, quòd eos ille b fortuitis motibus atomorum

rum gigni aſſerit, & reſolvi, iſti autem opere Dei factos dicturi ſunt, ſi eum per interminabilem immenſitatem locorum extra mundum circunquaque patentium vacare noluerint, nec eoſdem mundos, quod etiam de iſto ſentiunt, ulla cauſa poſſe diſſolvi? *c* Cum his enim agimus qui & Deum incorporeum, & omnium naturarum, quæ non ſunt quod ipſe, creatorem nobiſcum ſentiunt. Alios autem nimis indignum eſt ad iſtam diſputationem religionis admittere, *d* maximè quod apud eos, qui multis diis ſacrorum obſequium deferendum putant. Iſti Philoſophi cæteros nobilitate atque authoritate vicerunt, non ob aliud, niſi quia longo quidem intervallo: veruntamen reliquis propinquiores ſunt veritati. An fortè ſubſtantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec diſtendunt loco, ſed de ea ſicut de Deo ſentire dignum eſt fatentur, incorporea præſentia ubique totam *δ* à tantis locorum extra mundum ſpatiis abſentem eſſe dicturi ſunt, & uno tantùm, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco in quo mundus eſt occupatam? Non opinor, eos in hæc vaniloquia progreſſuros. *ε* Cùm igitur unum mundum ingenti quidem mole corporeo, finitum tamen & loco ſuo determinatum, & operante Deo factum eſſe dicant, quo reſpondent de infinitis extra mundum locis: cur in eis ab opere Deus ceſſet, hoc ſibi reſpondeant, de infinitis ante mundum temporibus, cur in eis ab opere Deus ceſſaverit. Et ſicut non eſt conſequens, ut fortuitu potius, quàm ratione divina Deus non alio, ſed iſto, in quo eſt, loco nunquam conſtituerit, cum pariter infinitis ubique patentibus *ζ* nullo excellentiore merito poſſet hic eligi, quanvis eandem divinam rationem, qua id factum eſt, nulla poſſit humana comprehendere mens: * ita non eſt conſequens, ut Deo aliquid exiſtimemus accidiſſe fortuitum, quod illo potius quàm anteriore tempore condidit mundum, cùm æqualiter anteriora tempora per infinitum retro ſpatium præteriſſent, nec fuiſſet aliqua differentia unde tempus tempori eligendo præponeretur. Quòd ſi dicunt, inanes eſſe hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cùm locus nullus ſit præter mundum, reſpondetur eis, iſto modo inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, *η* cùm nullum tempus ſit ante mundum.

al. natura.

L. Vives. *a* Cum Epicuro.] *Hic non multos modò mundos, ſed infinitos quoque eſſe voluit, ut alibi oſtendi. Metrodorus ſic abſurdum eſſe ait, ſi unicus infinito mundus ſit genitus, ac ſi unica in latifundio ſpica naſceretur. Hunc errorem & Ariſtoteles & Stoici multis argumentis retuderunt, unicumque cum Platone cæteriſque ſapientibus poſuêre mundum, quod τὸ πᾶν dixere, hoc eſt, univerſum.*

b Fortuitis motibus atomorum.] *De principiis rerum naturæ magna & permoleſta eſt inter Philoſophos diſceptatio. Democritus corpuſcula dixit eſſe per inane infinitum temere volitantia, quibus ineſſet forma & magnitudo, eſſentque inſecabilia, ideo ἀτόμους dicta. Epicurus hunc ſecutus pondus addidit. Ita individua illa ramenta variis formis prædita, variis magnitudinibus tum etiam ponderibus multum diverſis, jactatione fortuita per vacuum immenſum agitata, non ſimplici caſu inter ſe commiſta & coagmentata, infinitos ſubinde mundo progignere, infinitos interime-*

perimere arbitratus eſt: ſine certa cauſa, ſine conſilio ullo natos, auctos, extinctos: & cùm de loco extra cælum loquimur, non ſic locus eſt intelligendus, ut hic noſter, qui corpore definitur, & terminatur: ſed quemadmodum durationem quandam ante mundum genitum animo comprehendimus, in qua res multæ & creari, & vivere potuerunt: ita extra mundum hunc etſi nihil eſt, mens tamen ſpatium quoddam intelligit, in quo à Deo non modò multi, ſed infiniti quoq; mundi locari poſſunt.

c Cum his enim agimus.] *Cum Platonicis.*

d Maximè quòd apud eos.] *Maxima erat Platonicorum & Stoicorum autoritas apud veteres etiam vulgo. Cicero verbis Catonis & Lælij.*

α QUæri poteſt, cur potius hic ubi eſt, & non alibi.] *Superiori cap. proponebat eorum ſententiam, qui videbantur ambigere, qua ratione Deus in tempore novo conſilio feciſſet cœlum & terram, nunc illis reſpondet, non eſſe magis quærendum cur tunc & non antea fecit cœlum & terram, cùm antea imaginari poſſimus infinita tempora anteceſſiſſe, quàm cur in hoc ſpatio tanto & non in alio mundum crearit, cùm procul dubio extra hunc mundum poſſimus imaginari infinita ſpatia, & abſurdum ſit hoc ſpatio finito, in quo eſt mundus, Deum circumſcribere. Eſt enim ille & æternus & immenſus: quemadmodum ergò propter ſuam æternitatem longè antecedit omnia tempora, & quæcumque ante hunc mundum creatum tempora imaginemur præcedere, Dei æternitatem minimè adæquant, ita non modo hic mundus, qui ſpatio finito comprehenditur licet maximus, verùm ne ſpatia quidem infinita, quæ extra eum imaginemur, ejus immenſitatem comprehendunt. Ut igitur ratio, cur mundum in hoc tanto ſpatio crearit, ſola voluntas eſt creatoris, ſic ratio cur non priùs eum produxerit, non alia quàm voluntas Dei exiſtimanda eſt.* F L. Cap.

β In quibus eis non videtur Deus ab opere ceſſare potuiſſe.] *Irenæus lib. 2. c. 47. hujuſmodi quæſtionem,* Antequam mundum faceret Deus, quid agebat, *ſtultam & ſine diſciplina blaſphemam prolationem appellat. Origen. lib. 3.* περὶ ἀρχῶν *teſtatur, id ſolitos gentiles quærere ex Chriſtianis,* Quid faciebat Deus antequam mundus fieret. *D. Auguſtinus lib. 11. confeſſ. cap. 12. quærenti,* Quid faciebat Deus antequam faceret cœlum & terram, *iocul ariter reſponſum refert,* Alia ſcrutantibus gehennas parabat. Libenter, *inquit,* reſponderim, neſcio quod neſcio, quam illud, unde irridetur, qui alta interrogavit, & laudatur qui falſa reſpondit. Si cœli ac terræ (*inquit*) nomine omnis creatura intelligitur, audenter dico, antequam Deus faceret cœlum & terram, non faciebat aliquid. Si enim faciebat, quid niſi creaturam faciebat? *cap. 13.* At ſi cujuſque volatilis ſenſus vagatur per imagines retrò temporum, & te Deum omnipotentem & omnicreantem & omnitenentem, cœli & terræ artificem, ab opere tanto antequam id faceres innumerabilia ſæcula ceſſaſſe miratur, evigilet atque attendat, quia falſa miratur. Nam unde poterant innumerabilia ſæcula præterire, quæ ipſe non feceras, cùm ſis omnium ſæculorum conditor & author? Aut quæ tempora fuiſſent, quæ abs te condita non eſſent? aut quomodo præteriiſſent, ſi nunquam fuiſſent? Cùm ergo ſis operator omnium temporum, ſi fuit aliquod

tempus

tempus antequàm faceres cœlum & terram, cur dicitur, quod ab opere ceſſabas? Idipſum enim tempus tu feceras, nec potuerunt præterire tempora, antequam faceres tempora? Si autem ante cœlum & terram nullum erat tempus, cur quæritur, quid tunc faciebas? non enim erat tunc ubi non erat tempus, nec tu tempore tempora præcedis, alioqui non omnia tempora præcederes; ſed præcedis omnia tempora præterita celſitudine ſemper præſentis æternitatis, & ſuperas omnia futura, quia & illa futura ſunt, & cùm venerint, præterita erunt; Tu autem idem ipſe es & anni tui non deficient. *Certè productio & conſervatio mundi actiones ſunt liberæ, ex quibus illi nihil accedit, ſed tantùm creaturis ipſis, verùm intelligere & velle perfectiones ſunt ipſius Dei, producere verbum & ſpirare amorem divinum, qui eſt tertia perſona, actiones ſunt neceſſariæ, adeoq; Deo coæternæ.*

γ Ut innumerabiles mundos cum Epicuro ſomniare.] *Non modo Epicurus innumerabiles mundos invexit, verùm etiam Democritus, qui in his magnam ponebat diverſitatem, in quibusdam aſſerens, neque Solem eſſe neque Lunam; in aliis ſplendidiora aſtra lucere quàm in noſtro, quosdam præterea animalibus eſſe deſtitutos & plantis & omni humore vacuos. Infinitos mundos præterea excogitarunt Metrodotus, Anaximander, Anaximenes, Archilaus, Ariſtarchus, Xenophanes, Diogenes, Leucippus. Refert Plutarchus lib. de Tranquillit. animi,* Cùm Alexander de mundorum infinitate diſſerentem audiviſſet Anaxarchum, illacrymaſſe, rogantibusque amicis, num aliquid ei dignum lachrymis accidiſſet, reſpondiſſe, An indignum eſt nos flere, ſi cum infiniti mundi eſſe perhibeantur, nondum unius Domini ſimus? ſic unus Peleo juveni non ſufficit orbis. *Hujusmodi autem infinitos mundos generari volebat Epicurus ex fortuito concurſu atomorum, ut hic D. Auguſtin. & Laertius in ejus vita ſcribunt. Nonnullos etiam hæreticos cum iſtis philoſophis ſenſiſſe refert hæreſi 77. idem Auguſtinus.*

δ A tantis locorum extra mundum ſpatiis abſentem.] *Vaniloquium eſſe cenſet, Deum circumſcribi mundo. Solent Theologi quærere,* An Deus ſit non modò in omnibus veris & realibus locis mundi: verumetiam in locis imaginariis extra mundum, *aliis affirmantibus, aliis verò negantibus, certè tota controverſia videtur potius eſſe in modo loquendi, quàm in re ipſa. Si enim ſit ſenſus, Deum extra mundum eſſe revera in aliquibus rebus, ſeu locis actu, certè conſtat, nullam rem neque ullum locum actu eſſe extra mundum, & etiam ſpatia, quæ dicimus imaginaria extra mundum, non eſſe revera aliquid actu extra mundum, ubi ſit Deus, ſed tantum habere quoddam eſſe in imaginatione eorum, qui animo concipiunt velut quoddam ſpatium extra mundum: Si verò ſit ſenſus, Deum habere ſuam entitatem etiam extra mundum non quidem in aliquibus rebus aut locis, quæ ibi ſint actu præter Deum, ſed in ſeipſo, ad eum ſcil. modum, quo Deus ſuam in ſeipſo habuit entitatem antequam crearet hunc mundum, ut docet Auguſtin. lib. 3. contra Maximianum, cap. 21. cùm non eſſet tunc in hoc mundo, certum eſt, ita Deum eſſe extra hunc mundum. Dei enim entitas non concluditur mundo, cùm ſit infinita; & mundus finitus; Dicitur verò eſſe extra mundum in ſeipſo. Certè ſcriptura ſacra ſatis indicat*

cat nullum locum finitum adæquatum eſſe poſſe immenſitati divinæ Job. 11. Excelſior cœlo eſt. 22. Nonne cogitas quàm Deus excelſior ſit cœlo, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur. *Iſai. 40.* Qui menſus eſt pugillo aquas, & palmo cœlos ponderavit: *3. Regum 8.* Cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt. *D. Auguſtinus orat. contra Gregales Sabellij.* Cœli cœlorum non ſufficiunt tibi, inquit Salomon ad Deum verba faciens, magno argumento mortales docens nihil locorum deitatis eſſe capax: Manus, *inquit*, mea fecit hæc omnia. Non igitur opera intra ſe continent opificem ſuum, qui & ante opera exiſtebat. *Iuſtinus Martyr Apolog. 1. ſcribit Deum in univerſo, & extra univerſum eſſe. D. Auguſtin. lib. 1. confeſſionum, c. 2. & 3. & lib. 7. c. 5. Facit Deum eſſe inſtar maris cujusdam immenſi, mundum autem ſpongiam in eo incluſam.*

ε Cum igitur unum mundum.] *De fide, id eſt, unum mundum à Deo productum quamvis certum ſit eum innumeros poſſe producere. Plato in Timæo ex unitate exemplaris deducit unitatem mundi quaſi exemplari. Ariſtoteles ex ipſa unitate materiæ, ex qua tota conſtat hic mundus; ſed in hoc deceptus eſt, quod non exiſtimarit & materiam à Deo eſſe productam, proindeq; alias poſſe produci.*

ζ Nullo excellentiore merito poſſet hic eligi.] *Id enim totum pendet ex voluntate divina, ut tota ratio facti ſit voluntas facientis, & quod in hoc ſpatio potius quàm in alio imaginario, & quod non antea mundum produxerit.*

η Cum nullum tempus ſit ante mundum.] *De tempore plura Ariſtoteles lib. 3. & 4. Phyſic. & D. Auguſtinus lib. 11. confeſſio. Si quis objiciat Apoſtolum Roman. 16. nominare* tempora æterna, *ubi dicit*, myſterium Chriſti temporibus æternis tacitum, *quod patefactum eſt in novo teſtamento per ſcripturas prophetarum, reſpondetur facilè, vel* æterna tempora *appellare æternitatem ipſam, quæ virtute continet univerſa tempora, vel certè* tempora æterna *appellat ſæcula omnia à mundi creatione, ac ſi dixiſſet perpetuis temporibus. Etſi enim myſterium hoc in æternitate delituerit, cùm tamen ante mundi creationem non fuiſſent, quibus denuntiaretur, non dicitur adeò propriè tunc, vel tacitum, vel occultum fuiſſe.*

CAP. VI.

Creationis mundi & temporum unum eſſe principium, nec aliud alio præveniri.

SI enim rectè diſcernuntur æternitas & tempus, *α a* quod tempus ſine aliqua mobili mobilitate non eſt, *b* in æternitate autem nulla mutatio eſt, quis non videat β quòd tempora non fuiſſent, niſi creatura fieret, quæ aliquid aliqua motione mutaret, cujus motionis & mutationis cùm aliud atque aliud, quæ ſimul eſſe non poſſunt, cedit atque ſuccedit in brevioribus vel productioribus morarum intervallis tempus ſequeretur? Cùm igitur Deus, in cujus æternitate nulla omnino eſt mutatio, creator ſit temporum & ordinator, quomodo dicatur poſt temporum ſpatia mundum creaſſe, non video: niſi dicatur ante mundum jam aliquam fuiſſe creaturam, cujus motibus tempora currerent. Porrò ſi literæ ſacræ, maximeque veraces ita dicunt, γ in principio *Gen. 1.*

cipio feciſſe Deum cælum & terram, ut nihil antea feciſſe intelligatur, quia hoc potius in principio feciſſe diceretur, ſi quid feciſſet ante cætera cuncta quæ fecit, proculdubiò non eſt mundus factus in tempore, ſed cum tempore. Quod enim fit in tempore & poſt aliquod fit, & ante aliquod tempus, poſt id quod præteritum eſt, ante id quod futurum eſt. Nullum autem ante mundum poſſet eſſe præteritum, quia nulla erat creatura, cujus mutabilibus motibus ageretur. Cum tempore autem factus eſt mundus, ſi in ejus conditione factus eſt mutabilis motus, ſicut videtur ſe habere etiam ordo ille primorum ſex vel ſeptem dierum, in quibus mane & veſpera nominantur, donec omnia quæ his diebus Deus fecit, ſexto perficiantur die, ſeptimoque in magno myſterio DEi vacatio commendetur. Qui dies cujuſmodi ſunt, aut perdifficile nobis, aut etiam impoſſibile eſt cogitare, quantò magis dicere.

L.Vives. *a* QUod tempus ſine aliqua mobili.] *Ariſtoteles menſuram motus dixit eſſe tempus: ita ut ſine motu tempus non percipi ullum exiſtimet. Sunt ex philoſophis, qui motum ipſum tempus eſſe definiant, ſicut Stoici.*

b In æternitate autem nulla mutatio eſt.] *Sic Auguſtinus multis locis, ſic Bœotius, ſic Gregorius Nazianzenus, ſic alij permulti: & quoniam hi omnes ex Platone hoc ſumpſerunt, afferam Platonis verba ex Timæo: Ubi verò mobile vivenſq; æternum hoc deorum ſimulachrum is parens qui fabricatus eſt, conſideravit, lætitia perfuſus ſimilius adhuc exemplari facere conſtituit. Ita quemadmodum hoc animal eſt ſempiternum, ſic & mundum ille, quantum ejus natura capere ac ſuſtinere poſſet, ſempiternum eſt aggreſſus efficere: at illius natura æterna eſt, idcirco facto id operi congruere non poterat. Imaginem verò commentus eſt mobilem æternitatis, & ſimul cæli ſtructuram adornans, in uno eodemq; manentis ævi progredientem ſuis numeris imaginem gignit, ſed æternam. Hanc nominavit tempus, parteſque hujus dies, noctes, menſes & annos, cùm ante cælum nullæ fuiſſent, unà cum cælo prodire jubet. Sic Plato: niſi quis eam ſententiam mavult Apuleij verbis audire. Is enim ſic inquit in dogmate Platonis: Tempus verò ævi eſſe imaginem, ſiquidem tempus movetur, & perennitas fixa & immota eſt natura, & ire in eam tempus & in ejus magnitudinem finiri ac diſſolvi poſſe, ſi quando hoc decrevit fabricator mundi ejus.*

F.L.Coq. *a* SI enim rectè diſcernuntur æternitas & tempus.] *Æternitatem & tempus differre nemini dubium eſt. Conſtat ſiquidem Deum æternum fuiſſe antequàm ulla eſſent tempora, & Deum æternitate menſurari; inferiora, quorum eſſe in quadam tranſmutatione conſiſtit, ipſo tempore. Diſtinguit hæc D. Auguſt.* quod in æternitate nulla ſit mutatio, tempus verò non ſit ſine aliqua mobili mobilitate. *D. Thom. etiam 1. p. q. 10. art. 4. æternitatem à tempore diſtinguens ait,* quod æternitas ſit duratio tota ſimul & invariabilis, quemadmodum & ipſum eſſe Dei æternum. Tempus autem ſit duratio variabilis & ſucceſſiva, quemadmodum & ipſum eſſe rei temporalis, nempe corruptibilis & motus ipſius. Nam duratio ipſa rei non differt ab exiſtentia ſeu eſſe rei, & quemadmodum ſi imaginemur nunc fluens, concipimus tempus, ita ſi imaginemur nunc ſtans, concipimus æternitatem. *D. Auguſtin. lib. 11. confeſſionum cap. 14.* Præſens ſi ſemper eſſet præſens, nec

nec in præteritum tranſiret, jam non eſſet tempus, ſed æternitas. *D. Dionyſius cap. 10. de divin. nominibus*, ἰδιότης αἰῶνος ἐστὶν τὸ ἀρχαῖον καὶ ἀναλλοίωτον, χρόνον δὲ καλεῖ τὴν ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ καὶ ἀλλοιώσει καὶ ἄλλως ἔχουσαν. *Id etiam Plato in Timæo rectè intellexit*. Erat, *inquit*, & erit non rectè æternæ ſubſtantiæ aſſignamus. τό τ' ἦν τό τ' ἔσται χρόνου γεγονότος εἴδη, φέροντες λανθάνομεν ἐπὶ τὴν ἀΐδιον οὐσίαν, οὐκ ὀρθῶς λέγομεν γὰρ δὴ ὡς ἦν. ἔστι τε καὶ ἔσται, τῇδε τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον προσήκει. τὸ δὲ ἦν τό δ' ἔσται περὶ τὴν ἐν χρόνῳ γένεσιν ἰοῦσαν πρέπει λέγεσθαι. κινήσεις γάρ ἐστον. *Sic Gregor. Nazianzenus orat. 42. in Paſcha*. Deus & erat ſemper, & eſt & erit, vel ut rectius loquar ſemper eſt. Nam erat & erit huius noſtri temporis fluxæque & caducæ naturæ ſegmenta ſunt, ille autem ſemper eſt. *D. Auguſtin. lib. de vera religion. cap. 49.* nihil præterit in æternum, & nihil futurum eſt, quia & quod præterit, eſſe deſinit, & quod futurum eſt, nondum eſſe cœpit; Æternitas autem tantummodo eſt, nec fuit quaſi jam non ſit, nec erit quáſi adhuc jam non ſit. *Eadem ſcribit in Pſal. 2.* Ego hodie genui te, *& concio. 2. in Pſalm. 101.* In generatione & generationem anni tui.

β Quod tempora non fuiſſent niſi creatura.] *Idem lib. 5. de Geneſ. ad liter. c. 5.* ante creaturam fruſtra tempora requiruntur, quaſi poſſint inveniri ante creaturam tempora: Motus enim ſi nullus eſſet vel ſpiritualis vel corporalis creaturæ, quo per præſens præteritis futura ſuccederent, nullum eſſet tempus omninò. Moveri autem creatura non utique poſſet ſi non eſſet; potius ergo tempus à creatura, quàm creatura cœpit à tempore; utrumque autem à Deo.

γ In principio feciſſe Deum cœlum & terram.] *Certè per* principium, *intelligi* initium temporis, ante quod mundus non eſſet, *definitum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocent. 3. & habetur in cap. firmiter de ſumma Trinitate & ſide Catholica. Et hæc interpretatio Patrum communis, Ambroſij lib. 1. Hexamer. cap. 3. & 4. Baſilij hom. 1. in Hexameron. Chryſoſtomi Homil. 2. in Geneſim. Athanaſij orat. in illud dictum*, omnia mihi tradita ſunt à patre *D. Baſi. duo ex his verbis elici obſervavit, alterum nempe ex hac doctrina Moſis perſpicuè intelligi mundum non eſſe æternum, ſed aliquando ortus ſui habuiſſe initium: alterum etiam cognoſci inde antiquitatem mundi, ut ratio iniri queat inveniendi, quantum à noſtra ætate mundi diſtet exordium, ab exordio creationis eius ad nos omnes retroactos annos computando, unde deprehenditur error Ethnicorum & eorum qui cenſuerint eſſe mundum æternum, & præterea eorum, qui exiſtimarunt quidem habuiſſe initium, quam plurimas tamen muriadas & prope innumera retro lapſa ſæcula finxerunt.*

CAP. VII.

De qualitate primorum dierum, quia antequam ſol fieret, veſperam & mane traduntur habuiſſe.

VIdemus α quippe ipſos dies notos non habere veſperam, niſi de ſolis occaſu: nec mane, niſi de ſolis exortu. Illorum autem priores tres dies ſine ſole peracti ſunt, qui quarto die factus refertur. Et primitus quidem lux verbo Dei facta, atque inter ipſam & tenebras Deus ſeparaſſe narratur, & eandem Gen. 1.

dem lucem vocaſſe diem; tenebras autem noctem. β Sed qualis illa ſit lux, & quo alternante motu, qualemque veſperam & mane fecerit, remotum eſt à ſenſibus noſtris: nec ita ut eſt, intelligi à nobis poteſt, γ quod tamen ſine ulla hæſitatione credendum eſt. *b* δ Aut enim aliqua lux corporea eſt, ſive in ſuperioribus mundi partibus longè à conſpectibus noſtris, ſive unde ſol poſtmodum accenſus eſt. *c* ε Aut lucis nomine ſignificata eſt ſancta civitas, in ſanctis angelis & ſpiritibus beatis, de qua dicit Apoſtolus: Quæ ſurſum eſt Hieruſalem, mater noſtra æterna in cælis. Ait quippe & alio loco: Omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diei, non ſumus noctis neque tenebrarum. *d* ζ Fit tamen & veſpera diei hujus & mane aliquatenus, *e* quoniam ſcientia creaturæ in comparatione ſcientiæ creatoris quodammodo veſperaſcit. Itemque luceſcit, & mane fit, cùm & ipſa refertur ad laudem dilectionemque creatoris. Nec in noctem vergitur, ubi non creator creaturæ dilectione relinquitur. Denique ſcriptura cùm illos dies dinumeraret ex ordine, nuſquam interpoſuit vocabulum noctis. Non enim ait alicubi, facta eſt nox, ſed facta eſt veſpera, & factum eſt mane dies unus. Ita dies ſecundus, & cæteri. Cognitio quippe creaturæ in ſeipſa decoloratior eſt, ut ita dicam, quàm cùm in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte qua facta eſt. Ideo veſpera congruentius quàm nox dici poteſt, quæ tamen, ut dixi, cùm ad laudandum & amandum refertur creatorem, recurrit in mane. Et hoc cùm fit in cognitionem ſuiipſius, dies unus eſt. Cùm in cognitionem firmamenti, quod inter aquas inferiores & ſuperiores cælum appellatum eſt, fit dies ſecundus. Cùm in cognitionem terræ ac maris omniumque gignentium, quæ radicibus continuata ſunt terræ, dies tertius. Cùm in cognitionem luminarium majoris & minoris omniumque ſyderum, dies quartus. Cùm in cognitionem omnium ex aquis animalium natatilium atque volatilium, dies quintus. Cùm in cognitionem omnium animalium terrenorum atque ipſius hominis, dies ſextus.

Gal. 4. 1. Theſ. 5 — *Gen. 1.*

L. Vives. *a* Videmus quippe iſtos dies notos non habere veſperum.] *In Colonienſi libro legitur: Noctis non habere veſperam.*

b Aut enim aliqua lux corporea.] *Super hac quæſtione diſputantur à recentioribus theologis complura, libro Sententiarum ſecundo; diſtinctione decimaquarta. Et hic non ſignificat Auguſtinus lucem eſſe corpus: ſed ait, vel creatum à Deo corpus aliquod illuſtre, qualis eſt ſol, vel lucem aliquam ſine corpore fuiſſe, quæ extenſa diem faceret, contracta noctem, ut Baſil. ait, viaque ſolis progrederetur, & cùm accederet matutinum eſſet tempus, decedens veſperum relinqueret, ut imaginatur Hugo ſancti Victoris, libro de ſacramentis primo.*

c Aut lucis nomine ſignificata eſt ſancta civitas.] *Sic primo ſuper Geneſin ad literam idem Auguſtinus.*

d Fit tamen & veſpera.] *Alibi ſic: ſi tamen & veſper diei hujus & mane aliquatenus congruenter intelligere valeamus, quoniam, &c.*

e Quoniam ſcientia creaturæ.] *De his ipſe libro quarto de Geneſi ad literam, quo loco mane appellat, cùm angeli ex creatarum rerum in eis ipſis cognitarum a-*

ſpectu

ſpectu, ubi tenebræ ſunt & nox altiſſima, ad charitatem Dei ſe ſuſtollunt: quòd ſi Deum diligentes & ſpectantes omnia in ipſo noſcant, quæ eſt certior rerum omnium ſcientia, quàm ſi ipſa penitus perſpicerentur, tunc dies eſt. Vergit autem in ſerum, cùm à Deo ſe convertit angelus ad res creatas, intueturq́ illas non in Deo, ſed in ipſis: nec tamen hic veſper in noctem abit, quoniam nunquam angeli artifici ſuo præponunt opus ac potius habent, quæ eſſet obſcuriſſima nox. Tantum ex Auguſtino, qui primus ſcientias matutinas & veſpertinas induxit.

a Illorum autem tres dies ſine ſole.] *Libr. 4. de Geneſ. ad liter. cap. 18. & 26. exiſtimat probabilius eſſe illos tres dies, qui ante condita luminaria commemorati & numerati ſunt, non eam viciſſitudinem præbuiſſe, quam iſti præbent per ſolis circuitus. Et certè cum ſol die quarto productus dicatur, magna difficultas eſt, unde tres illi dies præceſſerint, qui ſolis productionem anteceſſerunt. Verùm reſpondetur ſolem quidem ſcribi productum quarto die, ſed lux primo die producta eſt; de qua Dionyſ. 4. de div. nomin.* Ipſa eſt illa lux, quæ primò diſtinxit noſtrorum dierum Trinitatem. *D. Thom. 1. p. qu. 67. art. 4. & 2. exiſtimat etiam lucem illam, quam corporalem fuiſſe docet, & quidem qualitatem ipſius ſolis ex authoritate Dionyſij loco citato, fuiſſe lucem Solis, ſed adhuc informem quantum ad hoc quod jam erat ſubſtantia ſolis, & habebat virtutem illuminativam in communi, ſed poſtmodum data eſt ei ſpecialis & determinata virtus ad particulares effectus. Poterat itaque illa lux efficere diverſitatem dierum & noctium, & ibidem, ad 3.* Dicendum, *inquit*; quod duplex eſt motus in cœlo; unus communis toti cœlo, qui facit diem & noctem, & iſte videtur inſtitutus primo die; alius autem eſt, qui diverſificatur per diverſa corpora, ſecundum quos motus fit diverſitas dierum adinvicem & menſium & annorum. Et ideò in prima die fit mentio de ſola diſtinctione noctis & diei, quæ fit per motum communem; In quarta autem die fit mentio diverſitatis dierum & temporum: & annorum cùm dicitur, ut ſint in tempora & dies & annos, quæ diverſitas fit per motus proprios. *Et quæſt. 70. art. 1. ad 2.* Si lux primo die facta intelligitur lux corporalis, oportet dicere quod lux primo die producta fuit ſecundùm communem lucis naturam: quarto autem die attributa eſt luminaribus determinata virtus ad determinatos effectus, ſecundùm quod videmus alios effectus habere radium Solis, & alios radium Lunæ, ſicque de aliis. Et propter hanc determinationem virtutis dicit D. Dionyſius cap. 4. de divin. nom. quod lumen Solis, quod primo die erat informe, quarto die formatum eſt. *& art. 2. ad 3.* In prima die facta eſt communis diſtinctio temporis per diem & noctem ſecundum motum diurnum, qui eſt communis totius cœli, qui poteſt intelligi cœpiſſe primo die: ſed ſpeciales diſtinctiones dierum & temporum, ſecundum quod dies eſt calidior die, & tempus tempore, & annus anno, fiunt ſecundum ſpeciales motus ſtellarum, qui poſſunt intelligi quarto die cœpiſſe. *Eandem ſententiam ſequitur Perer. lib. 1. in Geneſim* in explicatione operis primi diei, *& Gregor. de Valentia 1. p. d. ſpur. 5. qu. 3. punct. 1. ubi probat maximè hanc ſententiam D. Thomæ. Non aliunde ergo ante quartum diem extitit dies & nox, quàm per motum Solis ab Oriente in Occidentem,*

F. L. Coq.

dentem, quem motum jam tunc Sol habebat ad raptum primi mobilis: Fuerunt autem illi tres dies & noctes æquales. Inæqualitas enim poſtea cœpit eſſe 4. die per motum proprium Solis. Primi ergo illi dies habuerunt & veſperam de Solis occaſu, & mane de Solis exortu. Licet enim Sol ante quartum diem non habuerit proprium ſuum motum, quo movetur ab Occidente in Orientem, per quem efficit dies & noctes inæquales, & tempora anni diverſa, ſcil. Ver, Æſtatem, Autumnum, Hyemem, & quo etiam mediante vim habet ſua luce agendi determinate hos aut illos effectus, habuit tamen motum, quo rapitur à primo mobili ab Oriente in Occidentem, per quem motum fecit illo primo triduo dies & noctes æquales.

β Sed qualis ſit illa lux.] *De illa luce primo die producta diverſas ſententias D. Thom. refert 1. p. q. 67. art. 4.*

γ Quod tamen ſine ulla hæſitatione credendum eſt.] *Quemadmodum D. Auguſtin. lib. 2. ſuper Geneſ. ad lit. c. 5. diſputans de aquis quæ ſupra firmamentum, quomodo & qualeslibet aquæ ibi ſint minimè dubitandum eſſe ſcribit*, quia major eſt huius ſcripturæ authoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas, *ſic etiam licet ignoraremus, qualis fuerit illa lux primo die producta, & quo alternante motu, qualemq; veſperam & mane fecerit, quia tamen in ſcriptura ſacra proditum eſt, indubitata fide tenendum eſt.*

δ Aut enim lux aliqua corporea.] *Ita ſentiunt D. Dionyſ. c. 4. de divin. nom. D. Baſil. hom. 1. in Hexamer. D. Ambroſ. lib. 1. Hexameron, cap. 9. D. Chryſoſtom. Homil. 2. in Geneſim, D. Thom. 1. p. q. 67. art. 4. ad ſecundum, & Theologi 2. ſent. diſt. 13.*

ε Aut lucis nomine ſignificata eſt ſancta civitas.] *De nomine lucis utrum propriè in ſpiritualibus dicatur, ita reſpondet D. Thom. qu. 67. art. 1. quod licet ſpectata prima inſtitutione vocabuli ſola lux corporalis, quæ ſcilicet reddit aliquid cognoſcibile per ſenſum viſus, propriè lux nominetur, ſi tamen ſpectetur uſus loquentium, omne illud, quod quovis modo reddit aliquid cognoſcibile, propriè lux nominatur. Hac ratione D. Dionyſius cap. 4. de divin. nomin. vocabulum luminis recenſet inter nomina intelligibilia, quæ Deo propriè conveniunt; & in ſcripturis dicitur lux, & pater luminum. D. Auguſtin. etiam lib. 4. de Geneſ. ad lit. c. 28. ait lucem in ſpiritualibus non figuratè, ſed propriè dici. Neq; enim (inquit) Chriſtus dicitur lux, quomodo dicitur lapis, ſed illud propriè, hoc utiq; figuratè. Dubitat igitur hoc capit. an lux illa, quæ primo die producta dicitur in Geneſ. lux corporalis intelligenda ſit, an verò lux ſpiritualis. infra c. 9. probabilius cenſet nomine cœli, quod in principio ſcribitur creatum, ſignificatam eſſe naturam Angelicam, & nomine lucis primo die productæ confirmationem Angelorum in gratia: ſed de hoc ibi fuſius.*

ζ Fit tamen & veſpera diei huius & mane aliquatenus.] *Idem primus invexit cognitionem veſpertinam & matutinam in Angelis, & voluit ſignificari per mane & veſpere quæ deſcribuntur c. 1. Geneſ. voluit enim omnia ſimul ab initio condita, non per intervallum ſed dierum, in qua opinione eſt etiam Philo Judæus, lib. de alleger. legis & Procopius. Diſtinct. ergo illam ſex dierum retulit ad diſtinctionem operum Dei, quæ duplici cognitione ab Angelis cognoſcuntur, nempe cognitione matutina*

tutina rerum creatarum in verbo, & cognitione veſpertina earundem in proprio genere, & per proprias ſpecies. Primum ergo diem ducet eſſe ex cognitione Angelica. Cognoverunt enim Angeli ſeipſos primum. Secundum diem vocat cognitionem firmamenti dividentis aquas ab aquis. Sicq́, deinceps ex diſtinctione rerum creatarum, quæ repræſentantur intellectui Angelico, diſtinguit ſex dies creationis: quilibet autem dies habet mane & veſpere, quatenus res qualibet creata poteſt cognoſci vel in verbo, quod eſt primordiale quoddam rerum principium, ſicut mane eſt principium diei, vel in propria natura, & dicitur cognitio veſpertina. Effluxus enim hic terminatur ad eſſe rerum, quod in propria natura habet. Neq́, hæc interpretatio diſplicet D. Thomæ 1. p. q. 58. art. 6. Eſt etiam D. Auguſtin. lib. 4. ſup. Geneſ. ad lit. cap. 22. 26. & 31. Ingenioſa quidem & ſubtilis, verùm contraria longe probabilior eſt, & textui ſcripturæ & communi ſententiæ Patrum & Theologorum magis conſentanea, ut nimirum illi dies propriè ſint intelligendi. Quam etiam ob rem D. Auguſt. hanc opinionem ut certam & indubitatam non aſſerit, ſed tantum ut probabilem, ut patet ex 4. de Geneſ. ad lit. c. 28.

Cap. IIX.

Quæ qualiſve intelligenda ſit Dei requies, qua poſt opera ſex dierum requievit in ſeptimo.

CUm verò in die ſeptimo requievit Deus ab omnibus operibus ſuis, & ſanctificavit eum, nequaquam eſt accipiendum pueriliter, *a* tanquam Deus laboraverit operando, qui dixit, & facta ſunt *a β* verbo intelligibili & ſempiterno, non ſonabili & temporali. Sed requies Dei requiem ſignificat eorum qui requieſcunt in Deo, ſicut lætitia domus lætitiam ſignificat eorum qui lætantur in domo, etiamſi non eos domus ipſa, ſed alia res aliqua lætos faciat. Quantò magis ſi eadem domus pulchritudine ſua faciat lætos habitatores, ut non ſolùm eo loquendi modo læta dicatur, quo ſignificamus per id quod continet id quod continetur, ſicut theatra plaudunt, prata mugiunt, cùm in illis homines plaudant, in his boves mugiant: ſed etiam illo quo ſignificatur per efficientem id quod efficitur, ſicut læta epiſtola dicitur, ſignificans eorum lætitiam, quos legentes efficit lætos. Convenientiſſimè itaque cùm Deum requieviſſe prophetica narrat authoritas, ſignificatur requies eorum, qui in illo requieſcunt, & quos facit ipſe requieſcere. Hoc etiam hominibus quibus loquitur, & propter quos utique conſcripta eſt, promittente prophetia, quod etiam ipſi poſt bona opera, quæ in eis, & per eos operatur Deus, ſi ad illum prius in iſta vita per fidem quodammodo acceſſerint, in illo habebunt requiem ſempiternam. Hoc enim & ſabbati vacatione ex præcepto legis in vetere Dei populo figuratum eſt, unde ſuo loco diligentius arbitror differendum.

a VErbo intelligibili & ſempiterno.] *Vocem illam voluntatis momentum dicit eſſe Baſilius, quo melius nos intelligamus.* L. Vivel.

a TAnquam Deus laboravit in operando.] *Eadem ſcribit lib. 4. de Geneſ. ad lit. cap. 8.* Carnales (*inquit*) hominum ſuſpiciones à noſtris mentibus abi- F.L. Cogſ.

gamus

gamus. Nunquid enim dici aut credi fas eſt Deum laboraſſe in operando, cùm ea, quæ ſupra ſcripta ſunt, condidit, quando dicebat, fiant, & fiebant? Ita quippe nec homo laborat, ſi aliquid faciendum mox ut dixerit, fiat: Quamvis enim humana verba ſonis adminiculata ita proferantur ut ſermo diuturnus fatiget: tamen cùm tam pauca ſint quàm pauca legimus in eo, quod ſcriptum eſt cum dixit Deus, fiat lux, fiat firmamentũ, & cætera uſque in finem operum, quæ ſexto die conſummavit, nimis abſurdi deliramenti iſtum vel hominis nedum Dei laborem putare. An forte quis dixerit dicendo quidem ut fierent, quæ continuò facta ſunt, Deum non laboraſſe, ſed forte cogitando quid fieri debuiſſet, qua veluti cura rerum perfectione liberatus, requieverit, & eo merito diem, quo primo factus ab hac animi intentione ſecurus, benedicere & ſignificare voluerit? Quod ſi hæc ſapere, multum deſipere eſt. Rerum enim condendarum tam facultas quam facilitas incomparabilis atque incomprehenſibilis eſt apud Deum. *Ariſtobulus ut eſt apud Euſebium, lib. 13. de præpar. Evang. c. 6. prodidit ideò dictum eſſe ſeptimo die Deum quieviſſe*, quod conditis à ſe rebus quietem indidit i.e. ſtabilitatem permanentem, perpetuitatem, ordinemque ratum, fixum & immutabilem, vel quod quæcunque facere decreverat, ita prorſus ut deſtinarat, perfecta fuerunt: *Ne verò quis ſuſpicaretur ita ceſſaſſe Deum ab operando, ut nihil deinceps operaretur, ſignificatè dixit Moyſes ceſſare illum*, ab omni opere quod patraverat, *prima fabrica & molitione mundi, quam ſex diebus abſolvit, ut nihil quod ad integritatem & ornatum mundi pertineret ultra ſex illos dies factum ſit. Quapropter ita die ſeptimo deſtitiſſe fabricare amplius mundum. Nam alioquin ſemper operatur omnia ab illius influxu & gubernatione & conſervatione pendent. Ioan. 5.* Pater meus uſque modo operatur, & ego operor. *Obſervat D. Auguſtinus lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 15. ſcripturam dicere Deum quieviſſe die ſeptimo ab operibus ſuis*, ut intelligamus Deum nulla eſſe adductum neceſſitate vel indigentia ad res creandas, ſed ſua duntaxat bonitate ac munificentia, ut ſcil. bonitatem ſuam in alia etiam diffunderet, non ergo requievit in opere ſuo ex illo utilitatem ullam, vel voluptatem capiens, ſed requievit ab opere. *i.* perfecto opere requievit, in ſeipſo ſcil. ſicut ante creationem mundi, & ex omni æternitate in ſeipſo beatus, & ſe ſolo finiens erat. Inſinuatur nobis (*inquit Auguſtin.*) per hanc ſcripturam, qua dicitur requieviſſe Deus ab omnibus operibus ſuis quæ fecit, nullo opere ſuo delectatus quaſi faciendi eius eguerit, vel minor futurus, niſi feciſſet, vel beatior cum feciſſet.

B Verbo intelligibili & ſempiterno, non ſociabili & temporali.] *Idem lib. 1. de Gen. ad lit. c. 2.* quomodo dixerit Deus, fiat lux, an temporaliter, an in verbi æternitate, *concludit hoc ipſum pertinere ad naturam verbi huius, de quo dicitur,* In principio erat verbum, *&c.* Cùm enim de illo dicitur, Omnia per ipſum facta ſunt, ſatis oſtenditur & lux per ipſum facta cùm dixit Deus, fiat lux. Quod ſi ita eſt, æternũ eſt quod dixit Deus, fiat lux. Quia verbũ Dei Deus apud Deum, filius unicus Dei Patri coæternus eſt: quamvis Deo hoc in æterno verbo dicente creatura temporalis facta ſit. Cùm enim verba ſint temporis cum dicitur

quando

quando & aliquando, æternum tamen eſt in verbo DEI, quando debeat aliquid fieri: & tunc fit quando fieri debuiſſe in illo verbo eſt, in quo non eſt quando & aliquando, quoniam illud totum verbum æternum eſt. *Eadem ſententia eſt Baſilij, hom. 2. in Hexam. c. 9. unus Hieronymus ab Oleaſtro affirmavit Deum à mundi initio formam humanam induiſſe, ſermoneq; externo per eam effigiem prolato dixiſſe,* fiat lux, *qua ſententia puerilis eſt, nec eget refutatione, nec eius argumenta talia ſunt, ut digna ſint reſponſione.*

γ Significatur requies eorum, qui in illa requieſcunt.] *Idem interpretatur lib. de Geneſ. ad lit. cap. 9. ſicut (inquit) rectè Deus dicitur facere quicquid ipſo in nobis operante fecerimus, ita rectè Deus dicitur requieſcere cùm eius munere requieſcimus. Hoc quidem rectè intelligimus, quia & verum eſt, & non magna intentione indiget, ut videamus ita dicere Deum quieſcere cùm nos requieſcere facit, ſive dicitur cognoſcere cum efficit ut cognoſcamus. Neq; enim Deus temporaliter cognoſcit quod antea non noverat, & tamen dicit ad Abraham; nunc cognovi quod times Deum, ubi quid aliud accipimus niſi nunc feci, ut cognoſceretur?*

Cap. IX.

De angelorum conditione, quid ſecundum divina teſtimonia ſentiendum ſit.

NUnc quoniam de ſanctæ civitatis exortu dicere inſtitui, & prius quod ad ſanctos angelos attinet dicendum putavi, α quæ hujus civitatis & magna pars eſt, β & eò beatior, α quòd nunquam peregrinata, quæ hinc divina teſtimonia ſuppetant, quantum ſatis videbitur, Deo largiente explicare conabor. Ubi de mundi conſtitutione ſacræ literæ loquuntur, γ non evidenter dicitur, utrum vel quo ordine creati ſint angeli: ſed ſi prætermiſſi non ſunt, vel cæli nomine, ubi dictum eſt: *In principio fecit Deus cælum & terram*, vel potius Gen. 1. lucis hujus, de qui loquor, ſignificati ſunt. Non autem prætermiſſos eſſe hinc exiſtimo, quod ſcriptum eſt, requieviſſe Deum in ſeptimo die ab omnibus operibus ſuis quæ fecit, cùm liber ipſe ita ſit exorſus: In principio fecit Deus cælum & terram, ut ante cælum & terram nihil aliud feciſſe videatur. Cùm ergo à cælo & terra cœperit, atque ipſa terra quam primitus fecit, ſicut ſcriptura conſequenter eloquitur, inviſibilis & incompoſita, nondumque luce facta, utique tenebræ fuerint ſuper abyſſum, id eſt, ſuper quandam terræ & aquæ indiſtinctam confuſionem: ubi enim lux non eſt, tenebræ ſint neceſſe eſt: deinde cùm omnia creando diſpoſita ſint, quæ per ſex dies conſummata narrantur, quomodo angeli prætermitterentur, tanquam non eſſent in operibus Dei, à quibus die ſeptimo requievit? Opus autem Dei eſſe angelos: hic quidem etſi non prætermiſſum, non tamen evidenter expreſſum eſt: ſed alibi hoc ſancta ſcriptura clariſſima voce teſtatur. Nam & in hymno trium in camino virorum cùm prædictum eſſet: Benedicite omnia opera Domini Dominum: in Dan. 3. executione eorundem operum, etiam angeli nominati ſunt. Et in Pſalmo canitur, Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis. Laudate eum o- Pſ. 148.

Digitized by Google

mnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus. Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini. Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Etiam hic apertiſſimè à Deo factos eſſe angelos divinitus dictum eſt, cùm eis inter cætera cæleſtia commemoratis, infertur ad omnia: Ipſe dixit, & facta ſunt. Quis porrò audebit opinari, poſt omnia iſta, quæ ſex diebus enumerata ſunt, angelos factos? Sed & ſi quiſquam ita deſipit, redarguit iſtam vanitatem illa ſcriptura paris autoritatis, ubi Deus dicit: *b* Quando facta ſunt ſydera, laudaverunt me voce magna omnes angeli mei. Iam ergo erant angeli quando facta ſunt ſydera. Facta ſunt autem quarto die. Nunquid nam ergo die tertio factos eſſe dicemus? Abſit. In promptu eſt enim, quid illo die factum ſit. Ab aquis utique terra diſcreta eſt, & diſtinctas ſui generis ſpecies duo iſta elementa ſumpſerunt: & produxit terra quicquid ei radicitus inhæret. Nunquid nam ſecundo? Nec hoc quidem. Tunc enim firmamentum factum eſt inter aquas ſuperiores & inferiores, cælumque appellatum eſt: in quo firmamento facta ſunt ſydera quarto die. *c* Nimirum ergo ſi ad iſtorum dierum opera Dei pertinent angeli, ipſi ſunt lux illa, quæ diei nomen accepit, cujus unitas ut commendatur, non eſt dictum dies primus, ſed dies unus. Nec alius eſt dies ſecundus, aut tertius, aut cæteri, ſed idem ipſe unus ad implendum ſenarium vel ſeptenarium numerum repetitus eſt, propter ſenariam vel ſeptenariam cognitionem: ſenariam ſcilicet operum quæ fecit Deus, & ſeptenariam quietis Dei. Cùm enim dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux, ſi rectè in hac luce creatio intelligitur angelorum, profectò facti ſunt participes lucis æternæ, quæ eſt ipſa incommutabilis ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, quem dicimus unigenitum Dei filium, ut ea luce illuminati, qua creati fierent lux, & vocarentur dies participatione incommutabilis lucis & diei, quod eſt verbum Dei, per quod & ipſi, & omnia facta ſunt. Lumen quippe verum quod illuminat omnem hominem in hunc mundum
Ioh. 1. venientem, hoc illuminat & omnem angelum mundum, ut ſit lux non in ſeipſo, ſed in Deo, à quo ſi avertitur angelus fit immundus, ſicut ſunt omnes, qui vocantur immundi ſpiritus, nec jam lux in domino, ſed in ſeipſis tenebræ, privati participatione lucis æternæ. Mali enim nulla natura eſt, ſed amiſſio boni, mali nomen accepit.

L. Vives. *a* Quod nunquam peregrinata.] *Semper enim in patria fuit, Angeli enim ſemper vident faciem patris, qui in cælis eſt.*

b Quando facta ſunt ſydera.] *Iob. 38. ὅτε ἐγεννήθησαν ἄστρα, ᾔνεσάν με φωνῇ μεγάλῃ πάντες ἄγγελοί μου.*

c Nimirum ergo ſi ad iſtorum.] *Theologi Græci res ſpiritales præceſſiſſe corporeas volunt, eiſque veluti miniſtris uſum eſſe mundi genitorem in reliquis procreandis: quam opinionem Plato in opificio mundi ſecutus eſt. Divus Hieronymus, Gregorium magiſtrum, ſuóſque ſecutus Græcos, ſpiritalia corporalibus priora fuiſſe cenſuit. Baſilius verò & Dionyſius Græci & Latini prope omnes, Ambroſius, Beda,*

Caſſio-

Caſſiodorus, & hic Auguſtinus, cuncta ſimul à Deo progenita eſſe perhibent, quod cum illo congruere videtur Eccleſiaſtici decimooctavo; Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul.

α QUæ huius civitatis & magna pars eſt.] *Certè magnum eſſe numerum Angelorum Dei, qui ſint cives cœleſtes, ſcriptura apertè ſignificat, Dan. 7.* millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. *Apoc. 3.* Audivi vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium. *Job. 25. Nunquid eſt numerus militum eius?* Gregor. lib. 17. moral. c. 9. conferens hunc locum cum illo Daniel citato. Numerus (*inquit*) ſuperiorum civium infinitus eſt & definitus exprimitur, ut qui Deo eſt numerabilis eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur. *Dionyſius lib. de cœleſt. hierarchi. cap. 14. An verò major pars civium cœleſtium ſit ex Angelis vel hominibus, licet varij varia ſenſerint, quandoquidem alij tot ex hominibus prædeſtinatos eſſe voluerunt, quot ex Angelis ceciderunt, quod ſuaderi poteſt ex illo, Pſalm. 109.* Implevit ruinas Angelorum. *Scilicet qui corruerunt ex hominibus prædeſtinatis ad gloriam, ſed neq; eſt certa expoſitio illius loci, & licet ex eo colligeretur tot ex hominibus ſalvari, quot ex Angelis ceciderunt, non tamen ſequitur præcisè in eo numero ſalvari homines, & Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo, capit. 18. affirmat plures ſalvos fieri ex hominibus quàm ex Angelis corruerint, quia non ſolùm in eum finem homines ſunt conditi, ſed etiam ut per ſe complerent numerum prædeſtinatorum prædefinitum à Deo Gregor. hom. 34. in Evangelia, tot putavit ex hominibus ſalvari, quot remanſerunt Angeli in cœlo.* Suprema illa civitas (*inquit*) ex Angelis & hominibus conſtat, ad quam tantùm credimus humanum genus aſcendere, quantos illic contigit electos remanſiſſe Angelos: *Alij deniq; voluerunt tot ex hominibus eſſe prædeſtinatos, quot fuere Angeli creati; nihil tamen certi ſtatui poteſt.* Solus enim dominus numerat multitudinem ſtellarum, ſolus novit, qui ſunt eius. *Ita ſentit D. Auguſtin. in Enchirid. c. 29.* P.L.Coq.

β Eo beatior quod nunquam peregrinata eſt.] *At angeli fuere viatores, habuere aliquando fidem, non ſtatim à creatione adepti ſunt beatitudinem, aliqua fuit mora inter eorum creationem & collationem gloriæ, ut docet etiam D. Thom. 1. p. q. 62, art. 1. quia tamen illa mora fuit breviſſima, ideò dicit,* non eſſe peregrinatos, *cùm ſtatim admiſſi ſint in civitatem Dei.*

γ Non evidenter dicitur utrum vel quo ordine creati ſint Angeli.] *Certè Angelos eſſe creatos à Deo, & eſſe Dei opus, etſi non evidenter expreſſerit Moſes in Geneſi. ex aliis tamen locis ſcripturæ ut hic docet D. Auguſtin. evidenter colligitur, ut nefas ſit id negare. Pſalm. 148. David inter Dei opera recenſet Angelos; in Cantico trium puerorum inter opera Dei connumerantur. Apoc. 4. & 10. Deum ait Joannes creaſſe cœlum, & quæcunq; ſunt in cœlo. Paulus Coloſſ. 1. apertiſſimè docet omnia in Chriſto condita eſſe, ſive viſibilia, ſive inviſibilia, principatus, thronos, poteſtates & dominationes; In Symbolo Niceno dicitur Deus creator viſibilium & inviſibilium. Concilio Lateranenſi ſub Innocent. 3.* Deus ab initio temporis utramq; de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem. *An verò Moſes omiſerit*

ſerit creationem Angelorum in deſcribenda rerum aliarum creatione, meritò quæritur. Certè D. Auguſtinus non modo hoc loco, verùm etiam lib. 12. confeſſio. & lib. 1. de Geneſi ad lit. cenſet minimè fuiſſe à Moſe prætermiſſam Angelorum creationem, ſed eum per creationem cœli *&* lucis *figuratè eam inſinuaſſe. Eadem eſt Bedæ ſententia in Exameron, Cyrill. lib. 2. contra Julianum, Gregor. lib. 27. moral. cap. 25. D. Thom. 1. p. qu. 61. art. 1. ad 1. Huic ſententiæ merito opponi poteſt, quod narratio Moſis ſit hiſtorica, non aliam ſententiam propriè reddens, niſi quam eius verba exprimunt ſecundum propriam & uſitatam eorum ſignificationem accepta: & ea eſt ratio interpretandi ſcripturam, ut cum verba patiuntur propriam interpretationem, minimè ad figuras vel metaphoras recurramus: Cùm ergo* cœli *&* lucis *nomine in proprio ſenſu cœlum ipſum & lux corporea intelligi poſſit, & verè à Deo creatum ſit initio cœlum, quemadmodum terra & lux producta, non ſunt metaphoricè interpretandi Angeli. Baſilius, Ambroſius, Damaſcenus ideo exiſtimant à Moſe prætermiſſam eſſe Angelorum creationem, quòd voluerit tantum deſcribere originem huius mundi corporei, & earum rerum omnium, quæ ſimul cum mundo conditæ ſunt, Angelos verò multò ante hunc mundum corporeum & viſibilem eſſe creatos. Verùm de eo diſſeritur infr. ad cap. 32. Alij volunt ideo eſſe prætermiſſam Angelorum creationem à Moſe, quod veritus ſit ne ſi cœleſtium mentium dignitatem & præſtantiam Hebræis aperiret, hinc illi occaſionem caperent exiſtimandi Angelos eſſe deos & divinis honoribus colendos, cùm eſſent ad idola valde proclives; hanc rationem improbat Toſtatus hoc argumento. Quia antequam Moſes ſcriberet hunc librum, Judæi ex traditione majorum habebant Angelorum notitiam, & pervulgatum erat apud eos Angelos ſæpe patribus apparuiſſe, ut Abrahæ, Iacob, Loth, imò verò ob ipſam eandem rationem, quam adferunt cur Moſes prætermiſerit creationem Angelorum, eam maximè debuit exponere, ut omnem Iudæis idololatriæ occaſionem præcideret. Non enim erat periculum ut Angelos crederent eſſe deos, & divinis honoribus afficerent, quos ex Moyſe didiciſſent ex nihilo ab initio conditos & in numerum creaturarum redactos, imò cum certò cognoſcerent Angelos eſſe nobiliſſimas quaſdam ſubſtantias, prætermiſſa creatione eorum magis poterant ſuſpicari deos eſſe, nec in numerum reliquarum creaturarum eſſe cogendos. Probabile valde eſt Moſem voluiſſe ſeſe accommodare captui Hebræorum, qui rudes erant & ſpiritualium rerum doctrinæ minimè capaces. Itaq; rerum tantummodo corporearum & quæ ſub aſpectum cadunt effectionem voluiſſe docere, in qua ſententia eſt D. Hieronym. ep. 139. ad Cyprianum his verbis.* Moſis ore creationem mundi & eorum duntaxat, quæ viſibilia ſunt, conditionem hominis & omnis retrò hiſtoriæ didicimus veritatem. *Quod verò argumentatur hoc loco non eſſe prætermiſſos Angelos à Moſe, quod ſcriptura dicat requieviſſe Deum die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, certè convincit Angelos illo intervallo dierum, quibus reliqua à Moyſe creata deſcribuntur, à Deo etiam conditos fuiſſe, non tamen neceſſarium eſt item fuiſſe commemoratos. Rectè enim convincit argumentum Auguſtini, ſi prætermiſſi non ſunt, ſed nominibus rerum corporalium ſignificati, eos certè ſtatim initio. i. primo die creatos, & ſignificatos non per aliud quam nomine* cœli *&* lucis. *Abſurdum enim*

enim eſt dicere poſt reliqua opera eſſe factos Angelos, quod probat ex ſcripturis. Iob 38. Quando facta ſunt ſidera, laudaverũt me voce magna omnes Angeli mei. *Sic enim ſeptuaginta habent, ὅτε ἐγενήθησαν ἄστρα ᾔνεσάν με φωνῇ μεγάλῃ πάντες ἄγγελοί μου. Chryſoſtomus, οἱ δὲ ἄλλοι ἅμα υἱοὶ θεοῦ. Hebr.* ויריעו כלבני אלהים *cui vulgata editio reſpondet.* Cùm me lauderent aſtra matutina & jubilarent omnes filii Dei.

δ Non eſt dictum dies primus, ſed dies unus.] *Sex enim illos dies creationis mundi non per intervalla temporum diſtinxit Auguſtinus, ſed unum diem ſexies vel ſepties repetitum voluit pro diſtinctione operum, quæ creata ſunt, & cognoſcuntur ab Angelo cognitione matutina, vel veſpertina. Verùm quia ut dictum eſt eam ſententiam, ut probabilem tantum & non ut certam protulit, & probabiliorem cenſemus eam, quæ verè illos dies diſtinguit, ideò diximus Moyſem unum dixiſſe pro primo phraſi Hebraica, qua etiam uſus eſt Daniel cap. 9. initio*, uno, *inquit*, anno Darii Regis, בשנאחת. *Baſil. homil. 2. in Examer. docet ideo non dixiſſe Moſem factum eſſe diem* primum, *ſed* unum, ut indicaret ſtatum futuræ vitæ poſt reſurrectionem, qui per primum diem mundi. *i.* dominicum ſignificetur, unum, & eundem futurum ſine ſecundo, nulla ſcil. tunc nocte ſucceſſura.

ε Mali enim nulla natura eſt, ſed amiſſio boni mali nomen accepit.] *idem docet, & in Enchiridio cap. 11. 12. & 13. l. de natura boni contra Manich. cap. 4. & lib. contra epiſtolam fundamenti cap. 33. & Dionyſ. cap. 4. de divin. nomin. malum non eſſe aliquid exiſtens. D. Baſil. hom. quod Deus non ſit author malorum* non ſubſiſtit (*inquit*) velut animal pravitas, neque eſſentiam ipſius ſubſiſtentem producere poſſumus. Privatio enim boni eſt malum. *Plotinus Ennead. 3. l. 2 c. 5. malum definit ἔλλειψιν ἀγαθοῦ,* defectum boni. *Damaſcen. lib. 2. fidei Orthodox. c. 4.* neque enim aliud quicquam eſt malum, quàm boni privatio, haud ſecus nimirum ac tenebræ nihil aliud ſunt quàm luminis orbitas. *Et hoc conſtat.* Omnis enim res quatenus eſt, eſt bona, & ens ac bonum convertuntur, itaque malum non niſi privatio entis cenſeri debet. *D. Thom. 1. p. q. 48. art. 1.*

CAP. X.

De ſimplici & incommutabili trinitate, patris & filii, & ſpiritus ſancti, unius Dei: cui non eſt aliud qualitas, aliud ſubſtantia.

EST itaque α bonum ſolum ſimplex, & ob hoc ſolum incommutabile, quod eſt Deus. Ab hoc bono creata ſunt omnia bona, ſed non ſimplicia, & ob hoc mutabilia. Creata ſanè, inquam, id eſt, facta, non genita. Quod enim de ſimplici bono genitum eſt, pariter ſimplex eſt: & hoc eſt quod illud de quo genitum eſt, quæ duo patrem & filium dicimus, & utrunque hoc cum ſpiritu ſuo unus eſt Deus: qui ſpiritus patris & filii, β ſpiritus ſanctus propria quadam notione hujus nominis in ſacris literis nuncupatur. *a* Alius eſt autem quàm pater & filius, quia nec pater eſt, nec filius: ſed γ alius dixi, non aliud: quia & hoc pariter ſimplex pariterque bonum eſt incommutabile & coæternum. Et hæc trinitas unus eſt Deus: δ nec ideo non ſimplex, quia trinitas. Neque enim

propter hoc naturam iſtam boni ſimplicem dicimus, quia pater in ea ſolus, aut ſolus filius, aut ſolus ſpiritus ſanctus. Non enim ſola eſt iſta nominis trinitas ſine ſubſiſtentia perſonarum, *b* ſicut Sabelliani hæretici putaverunt. *c* Pater qui genuit, ſimplex eſt, & filius qui genitus eſt, pariter ſimplex eſt: & hoc eſt illud de quo genitus eſt. Sed ideo ſimplex dicitur, *s* quoniam quod habet, hoc eſt: excepto quod relativè quæque perſona ad alteram dicitur. Nam utique pater habet filium, nec tamen ipſe eſt filius: & filius habet patrem, nec tamen ipſe eſt pater. In quo ergo ad ſeipſum dicitur, non ad alterum, hoc eſt quod habet, ſicut ad ſeipſum dicitur vivens, habendo utique vitam, & eadem vita ipſe eſt. Propter hoc itaque natura dicitur ſimplex, cui non ſit aliquid habere, quod vel poſſit amittere: vel aliud ſit habens, aliud quod habet: ſicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut aer lucem ſive fervorem, aut anima ſapientiam; nihil enim horum eſt id, quod habet. Nam neque vas liquor eſt, nec corpus color, nec aer lux ſive fervor, neque anima ſapientia eſt. Hinc eſt quod etiam privari poſſunt rebus quas habent, & in alios habitus, vel qualitates verti atque mutari, ut & vas evacuetur humore, quo plenum eſt, & corpus decoloretur, & aer tenebreſcat ſive frigeſcat, & anima deſipiat. *d* ζ Sed ſi ſit corpus incorruptibile, quale ſanctis in reſurrectione promittitur, habet quidem ipſius incorruptionis inamiſſibilem qualitatem, ſed manente ſubſtantia corporali, non hoc eſt, quod ipſa incorruptio. Nam illa etiam per ſingulas partes corporis tota eſt, nec alibi major, alibi minor. Neque enim ulla pars eſt incorruptior, quàm altera. Corpus verò ipſum majus eſt in toto, quàm in parte: & cùm alia pars eſt in eo amplior, alia minor, non ea quæ amplior eſt incorruptior, quàm ea quæ minor. *e* Aliud eſt itaque corpus, quod non ubique ſui totum eſt: alia incorruptio, quæ ubique ejus tota eſt: quia omnis pars incorruptibilis corporis etiam cæteris inæqualis æqualiter incorrupta eſt. Neque enim, verbi gratia, quia digitus minor eſt quàm tota manus, ideo incorruptibilior manus quam digitus. Ita cum ſint inæquales manus & digitus, æqualis eſt tamen incorruptibilitas manus & digiti. Ac per hoc quanvis à corpore incorruptibili inſeparabilis incorruptibilitas ſit, aliud tamen eſt ſubſtantia, qua corpus dicitur, aliud qualitas ejus, qua incorruptibile nuncupatur. Et ideo etiam ſic hoc non eſt, quod habet anima quoque ipſa, etiam ſi ſemper ſit ſapiens, ſicut erit cùm à præſenti miſeria liberabitur in æternum: quia licet tunc ſapiens ſit in æternum, participatione tamen incommutabilis ſapientiæ ſapiens erit, quæ non eſt quod ipſa. Neque enim ſi aer infuſa luce unquam deſeratur, ideo non aliud eſt ipſe, aliud lux qua illuminatur. Neque hoc ita dixerim, *f η* quaſi aer ſit anima: quod putaverunt quidam, *g* qui non potuerunt incorpoream cogitare naturam. Sed habent hæc ad illa etiam in magna diſparilitate quandam ſimilitudinem, ut non inconvenienter dicatur, ſic illuminari animam incorpoream luce incorporea ſimplicis ſapientiæ Dei, ſicut illuminatur aeris corpus luce corporea, & ſicut aer tenebreſcit iſta luce deſertus. Nam nihil ſunt aliud *h* quæ dicuntur locorum quorumcunque corporalium θ tenebræ, quàm aer carens luce,

ce, ita tenebreſcere animam ſapientiæ luce privatam. Secundum hoc ergo dicuntur illa ſimplicia, quæ principaliter vereque divina ſunt, quod *i* non aliud eſt in eis qualitas, aliud ſubſtantia, nec aliorũ participatione, vel divina, vel ſapientia, vel beata ſunt. Cæterùm *κ* dictus eſt in ſcripturis ſanctis, ſpiritus ſapientiæ multiplex, eo quod multa in ſe habeat: ſed quæ habet, hæc & eſt & ea omnia unus eſt. Neque enim multæ, ſed una ſapientia eſt, in qua ſunt immenſi quidem atque infiniti *k* theſauri rerum intelligibilium: *λ* in quibus ſunt omnes inviſibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam viſibilium & mutabilium, quæ per iſtam factæ ſunt: quoniam Deus non aliquid neſciens fecit, *l* quod nec de quolibet homine artifice recte dici poteſt. Porrò ſi ſciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum, ſed tamen verum, quod iſte mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet? *m μ* Deo autem niſi notus eſſet, eſſe non poſſet.

a ALius eſt autem quàm pater & filius.] *Haud equidem verba permultum ad rationis pietatem facere crediderim, ſed illud tamen ſervandum eſt inprimis, ne à receptis uſu autorum, conſenſuq; eccleſiæ, illius præſertim veteris, formulis recedatur. Nam cùm divinæ res ſupra humanum omnem ſint captum ſitæ, ne verbis quidem propriis poſſunt à nobis enunciari. Sunt enim verba omnia & ab hominibus, & ad humana explicanda inventa, quominus confingere ſibi quenq;, aut nova inducere, aut abuſu trita atq; approbata repudiare aſcitis aliis decet. Nam cum propria nulla poſſint ingenij humani vi excogitari, illa erunt maximè ad rem eloquendam accommodata, quæ ab illis tradita fuerint, quorum ſcriptis magna pars pietatis noſtræ conſtat: quæ dixi propter impiam quorundam argutulorum temeritatem, qui contemptis ſpretiſq; veterum loquendi formulis, oſtentandi ſui cauſa periculoſo exemplo, novi verborum magiſtri videri affectant, quum ſint cum rerum aliarum omnium, tum verò verborum ſermoniſq; univerſi imperitiſſimi: & volunt licere ſibi arbitratu ſuo atq; adeò libidine, veterum ſcriptorum de religione loquendi leges, ceu mollem quampiam & ductilem ceram, modo in arctum, modò in extenſum fuſumq; difformare.* *L. Vives. Verba religiosè servanda.*

b Sicut Sabelliani.] *Dixi de hæreſi iſtorum, qui perſonas in trinitate nullas ponebant.*

c Pater qui genuit, ſimpl. eſt, & filius qui genitus eſt, pari. ſimp. eſt: & hoc eſt illud de quo genitus eſt.] *Hoc totum in codice Burgen. deeſt.*

d Sed & ſi ſit corpus.] *Non modò quod ſejungi ab alio probat non illud eſſe à quo ſeparatur, ſed quod affixum illi eſt hærenſq; perpetuo.*

e Aliud eſt itaque corpus.] *Fuſa eſt corporis ratio per partes omnes: nec ipſa conſtat, niſi partes tum adſint, tum conjunctæ coagmentatæq; ſint. Nec manus ſuum corpus eſt, vel ei magnitudine par: at incorruptio, quæ eſt in manu, non pars eſt incorruptionis corporis: neq; enim ſparſa hæc eſt ita per corpus, ut modo corporis liceat eam metiri: ſed ſic inſectili conſideratione attributa, ut cùm in toto ſit corpore tota, in quavis etiam corporis parte non pars aliqua eſſe intelligatur, ſed ipſa quoq; tota, quæ natura eſt rerum ſpiritalium: velut animæ, angeli, Dei, qui non ſic*

locum

Digitized by Google

locum tenent, ut aliquid prius, aliud poſterius, dextrum hoc, illud ſiniſtrum ſit: aut inferius quicquam, cujus ſuperius ſit è regione ſitum: ſed in ſingulis quamlibet minutis locis tenuibuſq; particulis ſint toti; nec tamen loco ipſi toti deſint, quæ dictune an intellectu faciliora ſint, dubites.

f Quaſi aer ſit anima.] *Hoc dixit Anaximenes Mileſius, & ejuſdem philoſophiæ Diogenes Apolloniates. Anaxagoras ceu aerem quendam eſſe vult animam. Heraclitus à reſpiratione animam viventium progigni cenſebat. Unde dicta ſit* ψυχὴ, *ut inquit Plato in Cratylo,* ἀπὸ τοῦ ψύχω, *quod eſt refrigero. Veteres aerem illum, qui eſt in anhelitu, videntur animam putaſſe: unde eſt apud Poetam, fatere uxoris animam, quin & aerem omnem animam dixerunt. Verg. Semina terrarum animæq; mariſq; fuiſſent.*

g Qui non potuerunt incorpoream cogitare naturam.] *Cicero primo Tuſc. quæſt. animos enim per ſeipſos viventes non poterant mente complecti, formam aliquam figuramq; quærebant.*

h Quæ dicuntur, &c. tenebræ.] *Sic ab Ariſtotele tenebræ finiuntur ſecundo libro de Anima, abſentia lucis ex diaphano corpore, quod eſt luminis capax, & per quod cernimus.*

i Non aliud eſt in eis qualitas, aliud ſubſtantia.] *Qualitates vocat, quas Græci* ποιότητας. *Tametſi hæ pro corporibus accipi à Cicerone videntur in Academicis. Hic videtur Auguſtinus qualitates dicere, quicquid ſubſtantiæ adhæret: quod philoſophi recentiores accidens nominant, & qualitatis generale nomen, cùm Quintilianus aliiq; permulti oſtendunt, tum quale ipſum declarat, quod ad omne accidentis genus accommodatur.*

k Theſauri.] *Reconditiora, aut ipſæ opes reconditæ.*

l Quod nec de quolibet.] *Quamlibet inſcio & abjecto, hoc enim eſt quodlibet, ut alibi dixi.*

m Deo autem niſi notus eſſet.] *Cura Dei ſtat mundus, alioqui ſtatim ruiturus. Atqui quod neutiquam Deus noſſet, curare non poſſet, neq; enim artifex opus vel facit vel ſuſtinet, quod ignorat.*

F.L.Coq. *α* Bonum ſolum ſimplex & ob hoc ſolum incommutabile.] *Licet enim omnia attributa ſunt quid unum in Deo ſimpliciſſimum, imò ipſa divina eſſentia, unum tamen ut rationem alterius concipimus, & apprehendimus. Ex eo enim dicimus Deum eſſe* æternum, *quia eſt* immutabilis, & immutabilem, *quia eſt* ſimpliciſſimus, *quia ſi* æternitas *aliquam haberet cauſam in Deo, non aliam certè quàm* immutabilem *ipſam, nec* immutabilitas *aliam quàm* ſimplicitatem *haberet.*

β Spiritus ſanctus propria quadam notione huius nominis.] Hoc nomen (*ut docet D. Thom. 1. p. qu. 36. art. 1. ad 1.*) prout ſumitur in virtute duarum dictionum eſſentialiter, eſt commune toti Trinitati, quia nomine ſpiritus ſignificatur immaterialitas divinæ ſubſtantiæ, per hoc verò quod dicitur ſanctus, ſignificatur puritas divinæ bonitatis; prout verò ſumitur in virtute unius dictionis, notionale eſt, ſive ex uſu Eccleſiæ accommodatum eſt ad ſignificandam tertiam perſonam, quæ procedit per modum amoris. *D. Auguſtinus lib. 5. c. p. 11. de*

u. de Trinitat. Spiritus ſanctus ineffabilis eſt quædam patris filiique communio, & ideò fortaſſe ſic appellatur, quia patri & filio poteſt eadem appellatio convenire. Nam hoc ipſe propriè dicitur, quod illi communiter, quia pater ſpiritus, & filius ſpiritus, & Pater ſanctus, & Filius ſanctus. Ut ergò ex nomine quod utrique convenit utriusque communio ſignificetur, vocatur donum amborum ſpiritus ſanctus; *& lib. 15. cap. 9. rationem reddit,* quia enim communis eſt ambobus, id vocatur ipſe propriè, quod ambo communiter. *D. Baſil. lib. 5. contra Eunomium aliam rationem reddit, nempe,* ut intelligamus divinitatem in hac veluti perſona conſiſtere, nec longiùs ſe diffundere. Si enim ut prima perſona dicitur pater, & ſecunda filius, ita tertia haberet aliquod nomen ſimile, videri poſſet etiam alicui tertiam perſonam alterius originem eſſe debere. *Aliam præterea cauſſam eſſe voluit,* Quod tertia perſona, quæ ex duabus procedit, videri poſſet alicui magis compoſita, ideò nomen Spiritus S. illi impoſitum eſt, ut intelligatur eandem cum reliquis habere ſimplicitatem.

γ Sed aliu. dixi, non aliud.] *D. Thom. 1. p. qu. 31. art. 2. hoc inter genus maſculinum & neutrum tradit diſcrimen,* Quod genus neutrum ſignificat aliquid confuſum & indiſtinctum: maſculinum autem aliquid definitum & certum. Unde quando quæritur de aliqua re in neutro genere, accommodatè reſpondetur, per aliquod nomen generale & confuſum, ut ſi de aliquo homine quæratur, quid ſit, accommodatè reſpondemus, eſt homo, eſt animal: quando verò interrogatio fit in genere maſculino, non accommodatè reſpondemus niſi alicuius rei certa aſſignatione, ut ſi de aliquo homine quæratur, quis eſt, non convenienter reſpondetur niſi aſſignando aliquam certam proprietatem, ut ſi dicamus talem eſſe hominem. Inde fit quia divina eſſentia una eſt in omnibus perſonis, ut eam neutro nomine ſoleamus ſignificare. *Ratio verò perſonæ, quia cuiq; propria eſt, ſignificari ſolet maſculino genere. Quærenti ergo an pater ſit* aliud *à filio, reſpondetur non eſſe* aliud, *quia una eſt utriusq; eſſentia: ſi verò quæramus an ſit* alius, *reſpondetur eſſe* alium, *quia alia eſt perſona patris, alia filij. Gregorius Nazianzen. tract. 49. ad Cledonium obſervat eadem ratione in myſterio incarnationis nos dicere,* aliud & aliud *quia in Chriſto ſunt diſtinctæ naturæ, non etiam in maſculino genere,* alium atque alium, quia eſt unicum ſuppoſitum, & unica perſona verbi, contra quam in Trinitate (*inquit*) res habet. Illic enim alius atque alius ne perſonas confundamus, non autem aliud atque aliud, quoniam tria quoad divinitatem, unum idemque ſunt. *Hilar. lib. 2. de Trin.* Aliis (*inquit*) ab alio, quia pater & filius, non natura divinitatis alia atque alia, quia ambo unum. *Fulgent. lib. de fide ad Petrum.* Una eſt patris, & filii, & ſpiritus ſancti eſſentia, quam Græci οὐσίαν vocant: in qua non eſt aliud pater, aliud filius, aliud ſpiritus ſanctus, quamvis perſonaliter ſit alius pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus. *Chriſtus in Evangelio dixit:* Ego & pater unum ſumus, *non tamen* unus ſumus, *quia per neutrum genus ſignificatur unitas eſſentiæ, per maſculinum ſignificatur unitas perſonæ.*

δ Nec ideo non ſimplex quia Trinitas.] *Eſt enim ibi numerus & diſtinctio perſonarum*

ſonarum ſine compoſitione, & tres perſonæ ſunt ipſamet divina eſſentia, & divina eſſentia eſt tres perſonæ, & una ac eadem ſimpliciſſima entitas eſt, eſſentia una abſoluta, & tres perſonæ relativæ.

ε Quod habet hoc eſt, excepto quod relativè quæque perſona ad alteram dicitur.] *Id eſt in his quæ dicuntur ad ſe ſeu in abſolutis & eſſentialibus nulla eſt diſtinctio, ſed tamen in relativis ſeu perſonis ut pater habet vitam ſeu ſapientiam, & ipſa vita & ſapientia eſt. Verum pater ita habet filium, ut non ſit ipſe filius.*

ζ Sed ſi ſit corpus incorruptibile.] *In rebus creatis oſtendit aliud eſſe habens, aliud quod habetur, ut in eis intelligatur eſſe compoſitio, & non omnimoda ſimplicitas quemadmodum in Deo, nec id tantum verum eſſe oſtendit ubi ea quæ habentur ſeparabilia ſunt ab habentibus, ut liquor à vaſe, lumen ab aere, ſapientia ab anima, quæ dicuntur accidentia ſeparabilia Logicis, verùm etiam ubi ea, quæ habentur hærent perpetuò, ſicq́; affixa ſunt habentibus, ut ab eis non poſſint ſejungi, quemadmodum corpus incorruptibile reſurget, non tamen eſt ſubſtantia corporis ipſa incorruptio: nam etiam accidentia inſeparabilia alia ſunt à ſubjectis.*

η Qualis aer ſit anima, quod putaverunt quidam.] *Hanc opinionem tribuit Ariſtoteles lib. 1. de anima, cap. 2. Diogeni & aliis quibusdam, & Tertullianus libr. de anima, cap. 9. eam tribuit Anerdemo & Anaximeni, cui etiam eadem attribuit Macrobius in ſomnium Scipionis, Marſilius Ficinus Theologiæ Platonicæ lib. 6. c. 1. & Franciſcus Picus, lib. de vanit. gentium. Fortaſſe inducti ſunt aliqui Philoſophi in eam ſententiam, quod aer materia ſit reſpirationis, quæ eſt maximè neceſſaria ad vitam, cuius anima eſt principium, & præterea vocabulum animæ ductum videtur, ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, quod Græcè ſignificat* ventum, *ſive* aerem, *& Græcè vocant ψυχὴν ἀπὸ τοῦ ψύχω, quod eſt* refrigero, *ut ſcribit Plato in Cratylo, quæ refrigeratio ſit ſpirando & reſpirando aerem.*

θ Tenebræ quàm aer carens luce.] *Ut enim malum eſt privatio boni, ita tenebræ non aliud ſunt quàm privatio luminis. Manichæi exiſtimabant eſſe naturam quandam poſitivam oppoſitam ipſi Deo, genitum à ſeipſo malum, ut eos redarguit Baſil. hom. 2. in Examer. Auguſt. lib. 1. de Geneſi contra Manichæos, c. 4. & 9. ubi explicat quomodo Iſai. 45. dicitur Deus facere tenebras.*

ι Non eſt aliud in eis qualitas, aliud ſubſtantia.] *Nempe in perſonis divinis quod eleganter etiam docet. lib. 5. de Trin. c. 1.* Intelligamus Deum ſi poſſumus, quantum poſſumus ſine qualitate bonum: ſine quantitate magnum, ſine intelligentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco ubique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine ulla mutatione ſui mutabilia omnia facientem.

κ Dictus eſt in ſcripturis ſanctis ſpiritus ſapientiæ multiplex.] *Ut Iſa. 11.* Replebit eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. *Ubi certè operationes & dona Spiritus ſancti ſpiritus appellat: ita Gregor. Nazianzen. in ſanctam Pentecoſten. Baſil. lib. 5. contra Eunomium, Auguſt. lib. 12. contra Fauſtinum, c. 15. Iſichius lib. 1. in Lev. c. 4.* Septem, *inquit*, operationes Spiritus

ritus ſancti, ſeptem ſpiritus nominavit Iſaia. 5. *Ita Apoſtolus.* Alii per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii fides in eodem Spiritu, unus tamen & idem dividit ſingulis prout vult.

λ In quibus ſunt inviſibiles atque incommutabiles rationes rerum.] *Divinas ideas intelligit, ad quarum imitationem omnia fiunt, quæ tùm in eſſentia divina, tùm peculiari ratione in verbo, ſeu ſapientia divina eſſe dicitur. Omne enim agens à propoſito, & per intellectum habet rationem operis faciendi apud ſe, Deus autem omnia operatur per intellectum, eſtq́; velut artifex comparatione omnium quæ producit.*

μ Deo autem niſi notus eſſet, eſſe non poſſet.] *Diſtinguit eleganter ſcientiam noſtram de rebus à Deo productis ab ipſa Dei ſcientia, quod ſcientia Dei ſit cauſa rerum, ſcientia verò noſtra cauſetur à rebus. Idem docet & lib. 13. Confeſſ. c. ult.* nos iſta, quæ feciſti, videmus, quia ſunt, tu autem quia vides, ea ſunt, *& libr. 6. de Trinit. c. ult.* hæc quæ facta ſunt, non ideò ſciuntur à Deo, quia facta ſunt, ſed potius ideò facta ſunt mutabilia, quia immutabiliter ſciuntur à Deo, *& libr. 15. c. 13.* univerſas creaturas & ſpirituales & corporales, non quia ſunt ideò novit Deus, ſed ideò ſunt quia novit. *D. Thom. idem docet 1. p. qu. 14. art. 8.* Sic enim, *inquit*, ſcientia Dei ſe habet ad omnes res creatas, ſicut ſcientia artificis ſe habet ad res artificiatas: Scientia autem artificis eſt cauſa artificiatorum, eo quod artifex operatur per ſuum intellectum. *& reſponſione ad 3.* Res naturales, *inquit*, ſunt mediæ inter ſcientiam Dei & ſcientiam noſtram: nos enim accipimus ſcientiam à rebus naturalibus, quarum Deus per ſuam ſcientiam cauſa eſt: unde ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora quam ſcientia noſtra & menſura eius, ita ſcientia Dei eſt prior quàm res naturales & menſura ipſarum: ſicut aliqua domus eſt media inter ſcientiam artificis, qui eam fecit, & ſcientiam illius, qui eius cognitionem ex ipſa jam facta capit. *Vide Gregor. Niſſen. lib. Examer. non longe ab initio.*

Cap. XI.

An ejus beatitudinis, quam ſancti angeli ab initio ſui ſemper habuerunt, etiam illos ſpiritus qui in veritate non ſteterunt, participes fuiſſe credendum ſit.

Quæ cum ita ſint, *a* nullo quidem modo ſecundum aliquod temporis ſpatium prius erant illi ſpiritus tenebræ, quos angelos dicimus. *a* Sed ſimul ut facti ſunt, lux facti ſunt, non tamen ita tantum creati, ut quoquo modo eſſent, & quoquo modo viverent, ſed etiam illuminati, ut ſapienter beateque viverent. Ab hac illuminatione averſi quidam angeli, non ſolum non obtinuerunt excellentiam ſapientis beatæq; vitæ, quæ proculdubio nonniſi æterna æternitatiſq; ſuæ eſt certa atque ſecura: *b* ſed & rationalem vitam licet inſipientem ſic habent, ut eam non poſſint amittere, nec ſi velint. Quatenus autem antequam peccaſſent, illius ſapientiæ fuerint participes, definire quis poteſt? β In ejus tamen participatione æquales fuiſſe iſtos illis, qui propterea

verè pleneque beati ſunt: quoniam nequaquam de ſuæ beatitudinis æternitate falluntur, quomodo dicturi ſumus: quandoquidem ſi æquales in ea fuiſſent, etiam iſti in ejus æternitate manſiſſent pariter beati, quia pariter certi? Neque enim ſicut vita quandiucunque fuerit, ita æterna vita veraciter dici poterit, ſi finem habitura ſit. Siquidem vita tantummodo vivendo, æterna verò finem non habendo nominata eſt Quapropter quanvis γ non quicquid æternum continuò beatum ſit, dicitur enim etiam pœnalis ignis æternus: tamen ſi verè perfecteque beata vita non niſi æterna eſt, non erat talis iſtorum vita beata, quia quandoque deſitura, & propterea non æterna, ſive id ſcirent, ſive neſcientes aliud putarent; quia ſcientes timor, neſcientes error beatos eſſe utique non ſinebat. Si autem hoc ita neſciebant, ut falſis incertiſve non fiderent, ſed utrum ſempiternum, an quandoque finem habiturum eſſet bonum ſuum, in neutram partem firma aſſenſione ferrentur, ipſa de tanta fœlicitate cunctatio eam beatæ vitæ plenitudinem, quam in ſanctis angelis eſſe credimus, non habebat. ε Neque enim beatæ vitæ vocabulum ita contrahimus ad quaſdam ſignificationis anguſtias, δ ut ſolum Deum dicamus beatum: qui tamen ita verè beatus eſt, ut major beatitudo eſſe non poſſit. In cujus comparationem, quòd angeli beati ſunt, ſua quadam ſumma beatitudine, quanta eſſe in angelis poteſt, quid aut quantum eſt?

L. Vives. * SEd ſimul ut facti.] *Hic ſtatim ne mutæ videantur ſcholæ inſtantibus & tricis horrentes adſunt, magniſq; clamoribus vèlut æs ſuum efflagitant reſponderi ſibi, potuerintne angeli bene de Deo mereri in primo illo momento, quo ſunt ab opifice rerum omnium progeniti: an potuerunt ut ipſi dicunt, demereri. Nam niſi impropriè dicatur, non conſtabit Theologica proprietas, quòd inſtans fuerit creationis, quòd in quo manſerunt quod in quo ceciderunt alij, alij ſteterunt. Et hic multa ceu in conſilio fuerint naturæ principi, cùm mundũ hunc conderet, magno ſupercilio definiunt, tantoq; tã aſſeveranter, ut jures illos ſeriò dicere, & aliquid omnino dicere nec nugas eſſe meras. Vix humana ipſa plenè uti cognoſceremq ingratis mortalibus permiſit Deus. Neſcimus quid illud erat, quod habebat ante principẽ noxã homo ille hominũ parens: neſcimus quando peccarit, ubi, qua ratione totã illã humanæ gentis tragœdiam invexerit: initium, & ſeminarium malorum omnium celatum eſt: quia ſcire non meremur: & jam iſti quaſi humanis omnibus exploratis, negotiis ſeſe angelorum ardeliones immiſcent, non quibuslibet, nec quæ vulgari ſapientiæ magiſter juſſit, ſed quæ veriſimile eſt, ne angelos quidem ipſos noſſe. Nam origines rerum, & quid in illis ſit factum, autor novit, non id quod gignitur. Accedit his, quòd cùm de inſtantibus magna ſit inter homunculos controverſia, utraq; factione rem totam pertumultuosè ad ſe ſuoſq; vindicante: iſti per hoc tanquam rem apertam jam & certam de incertiſſimis & altiſſima caligine merſis inquirunt. Quantum ergo & ex ipſius ſapientiæ ſchola licet colligere, & ex diſcipulis ejus ſanctis illis autoribus, qui non contentioſa diſputatione ex pertinacia humaniſq; affectibus de ſacroſanctis definiêre rebus, ſed modeſtè ac verecundè: quæ vel in libro vitæ legerunt, vel à patribus per manus tradita acceperunt, reliquêre: vel ipſi certè eodem ſpiritu*

aliqua

*aliqua ſunt libris auſi mandare, quo innocenter ac piè vivebant. Hoc enim modo tractari myſteria illa divina debent, adorata potius ſilenter, quàm rapta & diſcerpta clamoribus adravim contentioſis: nec exiſtimare nihil referre, ſive de humana philoſophia ſit ſermo ſive de rebus non ad diſquiſitionem mortalium à Deo ſobriè revelatis, ſed ad admirationem venerationemq́. Ex his igitur ſic opinor, angeli omnes, & hi qui perpetuò ſunt boni beatiq́, & hi qui perpetuò mali & miſeri, ſimul ſunt à Deo generati, atq́ illuſtrati luce quadam, qua facilè tum ſeipſi poſſent cognoſcere, tum res alias: ipſum verum Deum, quantum rei creatæ per Deum liceret, gradatim tamen. Non enim omnes paribus ſunt ingenij potentiaq́ viribus præditi. Cum in illis propoſita eſt optio, utrum mallent juſſis parere architecti omnium & parentis, nec latum unguem ab illis diſcedere, an potius facere ipſos ſibi viam, qua inſiſterent. Momenta temporum qualia ſint apud angelos, humana mens capere nequit, multo minus qualia apud Deum: qualia tamen cumq́ ſint, quod modeſtè pieq́ ſemper dictum velim, prius ſeipſos ſuumq́ inſpexere patrem, prius ſuo ingenio arbitratuiq́ relicti ſunt, & velut emancipati, quàm à partibus Dei vel defecerint, vel ſteterint. Fieri quid potuerit, in neutram partem habeo quod credam, iſtud certè factum ita credo. Simul & illud credo, ubi excellentiſſimam ſuæ naturæ partem omnes cognoverunt, quantaq́ ſibi ad inæſtimabilem beatitudinem aperta eſſet janua, ſpe ac fiducia tantæ beatitudinis præcipientes jam tum gaudia lætos fuiſſe: & quanvis tenuiter, prægustaſſe tamen venturam fœlicitatem, & quadamtenus beatos fuiſſe. Cæterum, ut eventus docuit, ſceleſtos nefarioſq́ ductos falſo gaudio: bonos autem pioſq́ vero. Immodicè enim ac inſolenter ſuam tulere ſortem: & quaſi parum fuiſſet in partem poſſeſſionis admitti, ex æquo dividi totam voluerunt. Quod fuit inſipientiæ caput, neq́ ſe, neq́ patrem Deum bene agnoſcere, ac inter ſeſe comparare. Orbati ergo ſapientia, vana ſpe aliquandiu ſunt acti, & ſtulta lætitia fatui inſaniq́ perfuſi, quòd de regno cum Deo contenderent: quoad nulla jam amplius in eis melioris mentis ſpe reſidua de patria ſua ingratiſſimi atq́ impientiſſimi deturbati ſunt: quæ omnia non aſſeveranter velim à me putari dicta, tranſituro facilè in ſententiam veriſimilius dicentis.)**

Angelorum conditio.

b Sed & rationalem vitam licet inſipientem.] *Habent quidem dæmones acuta ingenia & vafra, ſapientes tamen non ſunt. Nam neq́ ſeipſos, nec parentem ſuum ut oportebat norunt, & mens eorum invidia & ſuperbia occæcata præceps in mille ſcelera inſipientiſſimè fertur. Deniq́ ſi ſapientes eſſent, eſſent & boni. Nec ullus eſt malus, in quo ignorantia non dominetur: ſicut Plato, & eum ſecutus Ariſtoles docent.*

c Neque enim beatæ vitæ vocabulum.] *Beatitudinem definiere veteres ſtatum perfectum, & numeris omnibus bonorum abſolutum, qui in ſolum videtur Deum cadere, cujus participatione & angeli beati ſunt, & homines ſancti.*

a NUllo modo ſecundum aliquod temporis ſpatium.] *Videtur itaq́ hic apertè docere Angelos ab initio fuiſſe in gratia creatos, de quo fuſiùs infra lib. 12. cap. 9. Videtur tamen ſibi contrarius lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 15. & 17. ubi ait materiam prius informem fuiſſe quàm eſſet formata; quod etiam ad Angelos refert,* F L. Cap.

 in

Digitized by Google

in quibus ait prius fuiſſe tenebras quàm lucem. Verùm D. Auguſtin. eo loco ſatis explicat informitatem illam materiæ præceſſiſſe natura non tempore; ita formatio Angelorum intelligi poteſt vel per gratiam, vel per gloriam: ſi de priore loquamur, præceſſit natura non tempore ipſam formationem. Ex ſe enim & natura ſua tenebræ erant, & gratia non erat illis connaturalis, verùm adventitia & aliunde communicata. Magna eſt concertatio inter ſcholaſticos Theologos, an Angeli fuerint creati in gratia: *nec deſunt qui contrariam ſententiam tueantur, ut Hugo de ſancto Victore, lib. 1. de ſacram. p. 1. c. 19. & 22. Rupertus lib. 1. de operib. Trin. c. 16. Magiſter 2. diſt. 5. Alexander 2. p. quæſt. 19. membro 2. D. Bonaventura 2. diſt. 4. art. 1. qu. 2. Ægidius, Argentinas, Marſilius 2. qu. 4. art. 1. verùm contraria ſententia eſt magis conſentanea ſanctis Patribus. In primis Auguſtin. hoc loco eam apertiſſimè profitetur, cùm dicit Angelos nullo modo ſecundùm aliquod temporis ſpatium prius fuiſſe tenebras. & poſtea:* Simul (*inquit*) ut facti ſunt, lux facti ſunt, non ita tamen creati, ut quoquomodo eſſent, & quoquomodo viverent, ſed etiam illuminati, ut ſapienter beateque viverent, *quod certè de illuminatione per gratiam intelligendum; & infr. lib. 12. c. 9.* Deus, *inquit*, in angelis erat ſimul condens naturam & largiens gratiam. *Baſil. in Pſal. 32. ait minimè exiſtimandum eſſe angelos creatos fuiſſe tanquam infantes, ſed exornatos fuiſſe gratia ſpiritus ſancti tanquam tinctura quadam; qua in bono ſtabiles eſſent, & à malo declinarent. Sic D. Hieron. in c. 5. Oſeæ dicit omnes Angelos creatos fuiſſe in magna pinguedine Spiritus ſancti, quoſdam tamen per ſuperbiam fuiſſe arefactos. Damaſcenus lib. 2. de Orthodox. fid. cap. 3. vult omnes ſanctificatos fuiſſe per gratiam. Cyrill. lib. 2. in Joan. c. 6. ait diabolum prolapſum eſſe à veritate, nec voluiſſe manere in ſua originis ſanctitate. Idem docet D. Gregor. moral. lib. 5. cap. 27. & lib. 32. cap. 24. & 25. Eam etiam plerìq; Scholaſtici ſequuntur, D. Thom. 1. p. quæſt. 62. art. 3. & alij in 2. ſententiar. diſt. 3. & 4.*

β In eius tamen participatione æquales fuiſſe iſtos illis.] *Quemadmodum Angeli, qui Deo adhæſerunt, non ſtatim ab initio fuere beati, ita mali Angeli, qui à Deo averſi ſunt, nunquam fuere beati, imò eodem inſtanti, quo boni perſeverantes in gratia & per meritum adepti ſunt beatitudinem, iſti è cœlo Empyreo dejecti ſunt.*

γ Non quicquid æternum continuò beatum ſit.] *Nam licet æternitas propriè ſit* duratio Dei & interminabilis vitæ tota ſimul ac perfecta poſſeſſio, *& eadem cum beatitudine, & ſi æternitatem propriè intelligamus, nonniſi Deo conveniat, quia eſt ipſamet beatitudo, nihilominus aliqua per participationem veræ æternitatis dicuntur æterna, ut vita æterna, quæ eſt beatitudo Dei electorum, quæ nunquam habitura eſt finem, nec præterea ſucceſſiva eſt & aliqua per quandam ſimilitudinem, qua ratione dicitur ignis inferni æternus, ut qui nunquam finem eſt habiturus.*

δ Ut ſolum Deum dicimus beatum.] *Soli quidem illi naturalis eſt beatitudo reliquis ſupernaturalis. ſ[illegible]us ſe ipſo beatus eſt, ut docet D. Thom. 1 contra Gentes c. ult. & 1. p. quæſt. 26. art. 4.* Quicquid eſt deſiderabile in quacumque beatitudine

ne vel vera; vel falſa, totum eminentibus in divina beatitudine præexiſtit: de contemplativa enim fœlicitate habet continuam & certiſſimam contemplationem ſui & omnium aliorum; de activa verò gubernationem totius univerſi, de terrena verò fœlicitate, quæ conſiſtit in voluptate, divitiis, poteſtate, dignitate, & fama ſecundùm Boetium 3. de conſolat. habet gaudium de ſe & de omnibus aliis pro delectatione: pro divitiis habet omnimodam ſufficientiam quam divitiæ promittunt, pro poteſtate omnipotentiam, pro dignitate omnium regimen, pro fama adminiſtrationem totius creaturæ. *Dicitur beatus naturaliter, & per eſſentiam & ſeipſo, creaturis convenit non niſi per participationem, & quatenus Deo fruuntur, illisq; ſupernaturalis eſt; & quemadmodum eſſe creaturæ, ſi cum divino eſſe conferatur, eſt veluti non eſſe,* ita beatitudo Angeli creata cum divina & increata collata quid, *inquit*, aut quantum eſt?

Cap. XII.

De comparatione beatitudinis juſtorum, necdum tenentium promiſſionis divinæ præmium, & primorum in paradiſo hominum ante peccatum.

NEc *a* α ipſos tantùm, quod attinet ad rationalem vel intellectualem creaturam, beatos nuncupandos putamus. β Quis enim primos illos homines in paradiſo negare audeat beatos fuiſſe ante peccatum: γ quanvis de ſua beatitudine quàm diuturna, vel utrum æterna δ eſſet incertos? Eſſet autem æterna niſi peccaſſent, cùm hodie non imprudenter beatos vocemus, *b* ε quos videmus juſtè ac piè cum ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere *c* ζ ſine crimine vaſtante conſcientiam, facilè impetrantes peccatis hujus infirmitatis divinam miſericordiam. Qui licet de ſuæ perſeverantiæ præmio certi ſint, η de ipſa tamen perſeverantia ſua reperiuntur incerti. Quis enim hominum ſe in actione profectuque juſtitiæ perſeveraturum uſque in finem ſciat, niſi aliqua revelatione ab illo fiat certus, θ qui de hac re juſto latentique judicio, non omnes inſtruit, ſed neminem fallit. Quantum itaque pertinet ad delectationem præſentis boni, beatior erat primus homo in paradiſo, quàm quilibet juſtus in hac infirmitate mortali: ι quantum autem ad ſpem futuri boni, beatior quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis, cui non opinione, ſed certa veritate manifeſtum eſt, ſine fine ſe habiturum omni moleſtia carentem ſocietatem angelorum in participatione ſummi Dei, quàm erat ille homo ſui caſus incertus in magna illa fœlicitate paradiſi.

a NEc ipſos enim huic tantæ beatitudini.] *In alio exemplari legitur: Nec ipſos tantùm beatos, quod attinet ad rationalem vel intellectualem creaturam, nuncupandos putamus, melius ſic, aliter nullus conſtare poteſt ſenſus, ſignificat Auguſtinus angelos omnes, etiam cùm nondum de ruina vel confirmatione ſui certi eſſent, quodammodo fuiſſe beatos, vel eo ſolo quòd tam præſtanti eſſent ſublimique natura conditi, quemadmodum & Adam ipſe tot muneribus animi corporiſq; ante crimen à Deo cumulatus.* L. Vives

b Quos

b Quos videmus juſtè ac piè.] *Chriſtus bujuſmodi homines beatos appellat, Matth. 5.*

c Sine crimine vaſtante.] *Nulla eſt hic major beatitudo, quàm mens ſibi conſcia recti. Et ut Horatius inquit:*

Nihil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Ut contrà, nulla eſt major crux, quàm conſcientia ſcelerum. Has Cicero contra Piſonem, & pro Roſcio furias dicit à poetis nominatas eſſe.

E.L.Coq. α Nec ipſos tantùm quod attinet ad rationalem vel intellectualem creaturam.] *Senſus eſt non modo Angelos, quod ſuperiori capite dixerat, beatos exiſtimandos, verùm quemadmodum homo ut Angelus creatus eſt intellectualis, & ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ita etiam & beatitudinis capax, & ordinatus fuit in eundem finem ſupernaturalem. Eadem enim eſt menſura Angeli & hominis Apoc. 21. & quemadmodum Angeli in Dei gratia creati ſunt, & in tanta perfectione naturæ etiam ante confirmationem & conſecutionem viſionis divinæ, quodammodo beati erant, ut filij adoptivi, Deo uniti per gratiam, jus habentes ad hæreditatem cœleſtem, ſic etiam primus homo in ſtatu innocentiæ non modo in magna perfectione naturæ, ſed etiam cum dono juſtitiæ originalis, & in gratia juſtificante productus eſt.*

β Quis enim primos illos homines in paradiſo.] *Idem lib. de corrept. & grat. cap. 10. Hominem, inquit, Deus fecit beatum, quia & non mori & non miſerum fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat. Nec enim fuit creatus homo qualis nunc naſcitur pronus ad malum, infirmus & ignorans, ſed rectus, juſtus, ſapiens, ſine concupiſcentia & difficultate, quam ipſi in nobis experimur. De beatitudine hominis in paradiſo, vide D. Thomam 1. p. qu. 94.*

γ Quamvis de ſua beatitudine quam diuturna, vel utrum æterna eſſet incertos.] *An Adamus fuerit præſcius caſus ſui, vide eundem lib. 11. ſuper Geneſ. ad lit. cap. 18. & lib. de corrept. & gratia, cap. 10. docet Adamum non fuiſſe præſcium caſus ſui D. Thom. 2. 2. quæſt. 2. artic. 7. docet Adamum habuiſſe fidem explicitam de Chriſti incarnatione, prout ordinabatur ad conſummationem gloriæ, non prout ordinabatur ad liberationem à peccato per paſſionem & reſurrectionem, quia homo non fuit præſcius peccati futuri, 3. p. quæſt. 1. art. 3. ad 5. ſcribit potuiſſe homini revelari myſterium incarnationis abſq; hoc quod eſſet præſcius ſui caſus, quia nihil prohibet alicui revelari effectum, & non cauſam.*

δ Eſſet autem æterna niſi peccaſſet.] *Ita ſcribit lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. c. 2.* Quamvis ſecundum corpus terra eſſet primus homo, & corpus, in quo creatus eſt, animale geſtaret, tamen ſi non peccaſſet, in corpus fuerat ſpirituale mutandus, & in illam incorruptionem, quæ fidelibus & ſanctis promittitur ſine mortis periculo tranſiturus. *Poſt,* proinde ſi non peccaſſet Adam, non erat expoliandus corpore, ſed ſuperveſtiendus immortalitate & incorruptione, ut abſorberetur mortale à vita. *i.* ab animali in ſpiritualem tranſiret.

ε Quos videmus juſtè ac piè.] *Ita lib. 11. de Gen. ad lit. c. 18. ſpe fœlicitatis æternæ gaudentes non incongruè dici poſſe jam beatos docet.*

ζ Sine

ζ Sine crimine vaſtante conſcientiam.] *Sine peccato mortali, quo deperditur gratia Dei. Neq; enim juſtus, qui in hac vita beatus dicitur, vivere poteſt abſq; peccatis venialibus, quæ vocat* peccata huius infirmitatis. *Solent autem diſtinguere inter crimen & peccatum, quod crimen dicat graviſſimum peccatum & mortale, peccatum autem etiam veniale & facilè remiſſu intelligitur infr. li. 14. cap. 9.*

η De ipſa tamen perſeverantia ſua reperiuntur incerti.] *Quemadmodum nemo novit an ſit de numero prædeſtinatorum quandiu hic vivit, verùm cum timore & tremore ſalutem noſtram operari debemus, & qui ſtat, videat ne cadat: ita etiam an ſit perſeveraturus in finem, nemo certò novit. lib. 2. de dono perſeverant. cap. 22.* de vita æterna, quam filiis promiſſionis promiſit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi conſummata fuerit iſta vita, quæ tentatio eſt ſuper terram, *Idem docuerat ſupra cap. 13. lib. item de corrept. & grat. cap. 13. D. Hieronymus lib. 2. adverſus Pelag.* ne beatum dixeris quempiam ante mortem, quandiu enim vivimus, in certamine ſumus, quandiu in certamine, nulla eſt certa victoria. *Gregor. lib. 6. in 1. Reg.* Quia judicium omnipotentis Dei imperſcrutabile eſt, unde veniat, & quò vadat homo neſcit, quia ſciri non poteſt an quis in gratia, quam recipit, perſeverare in perpetuum debeat. *Proſper. lib. 2. de vocat. gent. cap. ult.* In remotiſſimo ab humana cognitione ſecreto præfinitio huius electionis abſcondita eſt, & de nullo ante finem ipſum prænuntiari poteſt, quod in electorum gloria ſit futurus, ut perſeverantem humilitatem utilis metus ſervet, & qui ſtat videat, ne cadat. *D. Bernhardus ſerm. 1. in ſeptuageſ.* Quis poteſt dicere, ego de electis ſum? Ego de prædeſtinatis ad vitam? Ego de numero electorum? certitudinem utique non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos. Propoſitiones quidem univerſales in ſcriptura pertinent ad fidem, ut, Omnis qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit, verùm quod ſim perſeveraturus, non mihi conſtat ex fide. *in quo plurimum hallucinantur hæretici,* non mihi revelavit Deus in ſcriptura me perſeveraturum usque ad finem, ſicut revelavit eos omnes habituros vitam æternam, qui perſeveraverint.

θ Qui de hac re juſto latentique judicio non omnes inſtruit.] *Libro de corrept. & grat. cauſas adfert, cur expediat hoc eſſe incertum.*

ι Quantum ad ſpem futuri boni beatior quilibet.] *Ex hoc loco nonnulli colligunt Adamum minimè fuiſſe in gratia creatum, idq; ſentire Auguſtinum hoc loco, cùm ſcribit, quod* quantum ad delectationem præſentis boni beatior erat primus homo in paradiſo quibuscunque juſtis in hac vita: ſed quantum ad ſpem futuri boni beatior eſt quilibet juſtus in hac vita, quàm primi parentes, *quod non eſſet, ſi primi parentes creati fuiſſent in gratia, ut argumentatur Ægidius lib. 2. ſent. diſtinct. 4. 1. artic. quia cum non haberent ſic impulſiva ad peccandum, ut nos, ſi habuiſſent gratiam per quam poſſent proficere, plus potuiſſent ſperare de futura beatitudine, quàm juſti in hac vita. Verùm ſatis conſtat ex aliis locis Auguſtini, ut alibi oſtendimus, eum ſenſiſſe primum hominem fuiſſe creatum in gratia,*

Digitized by Google

neq; hic ſibi eſt contrarius. Senſus itaq; eſt multo majorem gratiam conferri per Chriſtum modò juſtis in lege Evangelica quàm Adamo in ſtatu innocentiæ, quia collata fuit Adamo gratia, qua perſeverare poſſet: verùm illis etiam gratia confertur, qua perſeverent. Itaq; cum certò ſciant ſe ad Angelorum ſocietatem perventuros, quam certitudinem Adamus non habebat, & detur illis tanta gratia, qua omnibus tentationibus & cruciatibus reſiſtant, ut nullis terroribus vel minis ab amore Dei & charitate excidant, certè quantum ad ſpem futuri boni, beatiores ſunt Adamo in primo ſtatu innocentiæ, qui alioquin quantum ad delectationem præſentis vitæ ſtatus erat fœliciſſimus. Ex quo patet longè majorem gloriam nos adeptos per Chriſtum, quam in Adamo perdidemmus. Nam & ſi fœlicitas illius ſtatus reſtituta non ſit, & difficultatem ad bene operandum ac propenſionem ad malum experiamur, quam tùm non experiebatur Adamus, verùm (quod eſt longè præcipuum) gratiam ipſam & quidem longe copioſiorem adepti ſumus, de quo vide eundem D. Auguſtinum lib. de corrept. & gratia, cap. 11. & 12. & certè hoc loco conſtat eum loqui non de quibuslibet juſtis, ex quibus certum eſt nonnullos in dies excidere à gratia, ſed de his, quibus tantas vires gratiæ Deus confert, ut ab ea nec excidant vi quorumlibet tormentorum, ut certa veritate jam intelligant ſibi conferendam vitam æternam in conſortio beatorum.

Cap. XIII.

An ita unius fœlicitatis omnes angeli ſint creati, ut neq; lapſuros ſe poſſent noſſe, qui lapſi ſunt: & poſt ruinam labentium perſeverantiæ ſuæ præſcientiam acceperint qui ſteterunt.

Quocirca cuivis jam non difficulter occurrit utroque conjuncto effici beatitudinem, quam recto propoſito intellectualis natura deſiderat: hoc eſt, ut bono incommutabili, quod Deus eſt, ſine ulla moleſtia perfruatur, & in eo ſe in æternum eſſe manſurum, nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur. Hanc habere angelos lucis, pia fide credimus: hanc nec antequam caderent habuiſſe angelos peccatores, qui ſua pravitate illa luce privati ſunt, conſequenti ratione colligimus: α habuiſſe tamen aliquam etſi non præſciam beatitudinem, α β ſi vitam egerunt ante peccatum, profectò credendi ſunt. Aut ſi durum videtur, quando facti ſunt angeli: γ alios credere ita factos, ut non acciperent præſcientiam vel perſeverantiæ vel caſus ſui: alios autem ita factos, ut veritate certiſſima æternitatem ſuæ beatitudinis noſſent: ſed æqualis fœlicitatis omnes ab initio creati ſunt: & fuerunt, donec iſti qui nunc mali ſunt ab illo bonitatis lumine ſua voluntate cecidiſſent: proculdubio δ multò eſt durius nunc putare angelos ſanctos æternæ ſuæ beatitudinis incertos, & ipſos de ſemetipſis ignorare, quod nos de illis per ſcripturas ſanctas noſſe potuimus. Quis enim catholicus Chriſtianus ignorat nullum novum diabolum ex bonis angelis ulterius futurum: ſicut nec iſtum in ſocietatem bonorum angelorum ulterius rediturum? Veritas quippe in Evangelio (Mat. 22.) ſanctis fidelibus promittit, quòd erunt æquales angelis Dei: quibus etiam promitti-

mittitur, quòd ibunt in vitam æternam. Porrò autem ſi nos certi ſumus, nunquam nos ex illa immortali fœlicitate caſuros: illi verò certi non ſunt, jam potiores non æquales eis erimus: ſed quia nequaquam veritas fallit, & æquales eis erimus, profectò etiam ipſi certi ſunt ſuæ fœlicitatis æternæ. Cujus illi alii, quia certi non fuerunt: non enim erat eorum æterna fœlicitas, cujus certi eſſent, quæ finem fuerat habitura: reſtat ut aut impares fuerint, aut ſi pares fuerunt, poſt iſtorum ruinam illis certa ſcientia ſuæ ſempiternæ fœlicitatis acceſſerit. Niſi fortè quis dicat id quod Dominus ait de diabolo in Evangelio: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: ſic eſſe capiendum, ut non ſolum homicida fuerit ab initio, id eſt, in initio humani generis: ex quo utique homo factus eſt, quem decipiendo poſſet occidere: verumetiam ab initio ſuæ conditionis in veritate non ſteterit: & ideo nunquam beatus cum ſanctis angelis fuerit, ſuo recuſans eſſe ſubditus creatori, *b* & ſua per ſuperbiam velut privata poteſtate elatus, ac per hoc falſus & fallax: quia nec unquam poteſtatem omnipotentis evadit. Et qui per piam ſubjectionem noluit tenere quod verè eſt, affectat per ſuperbiæ elationem ſimulare quod non eſt: ut ſic intelligatur etiam quod beatus Joannes Apoſtolus ait: Ab initio diabolus peccat, hoc eſt, ex quo creatus eſt juſtitiam recuſavit, quam niſi pia Deoque ſubdita voluntas habere non poſſit. Huic ſententiæ quiſquis acquieſcit, *c* non cum illis hæreticis ſapit, id eſt Manichæis: & ſi quæ aliæ peſtes ita ſentiunt, quòd ſuam quandam propriam tanquam ex adverſo quodam principio diabolus habeat naturam mali, qui tanta vanitate deſipiunt, ut cùm verba iſta Evangelica in autoritate nobiſcum habeant: non attendant non dixiſſe Dominum, à veritate alienus fuit, ſed, in veritate non ſtetit: ubi à veritate lapſum intelligi voluit, in qua utique ſi ſtetiſſet, ejus particeps factus, beatus cum ſanctis angelis permaneret.

Mat.25. Ioh.8. 1.Ioh.3.

a SI vitam egerunt ante peccatum.] *Tam exiguum illud temporis fuit, quod prius quam à Deo deficerent, interfluxit, ut nihil eſſe videatur.* L.Vives.

b Et ſuperbia ſua.] *In aliis codicibus, & ſua per ſuperbiam velut privata poteſtate elatus ac per hoc falſus & fallax.*

c Non cum illis hæreticis ſapit, id eſt Manichæis.] *Cùm audirent dæmonem ab initio peccaſſe, exiſtimarunt malum eſſe dæmonem à Deo progenitum, idcirco natura potius eſſe malum quàm voluntate: nam id in unoquoq; naturale eſt, non voluntarium, quod in eo creavit rerum conditor, cùm id in mundum proferret.*

a HAbuiſſe tamen aliquam, & ſi non præſciam beatitudinem.] *Angelos malos docet ante lapſum in tanta perfectione naturæ & gratiæ non præſcios ſui caſus habuiſſe aliquatenus beatitudinem, non eam tamen, quæ poſtmodum Angelis ſanctis collata eſt, quorum beatitudo in his duobus conſiſtit, ut & Deo ſummo bono immobiliter adhæreant, & præterea certi ſint ſe nunquam ab ea beatitudine caſuros. Idem docet lib. de corrept. & gratia, cap. 10.* Diabolus & Angeli eius (*inquit*) etſi beati erant antequàm caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini; ſi per liberum ar- F.L.Coq.

 bitrium

Digitized by Google

bitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent. *i.* ut magna per ſpiritum ſanctum data abundantia charitatis Dei cadere ulterius omnino non poſſent, & hoc de ſe certiſſimè noſſent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant, ſed quia neſciebant ſuam futuram miſeriam minore quidem, ſed tamen beatitudine ſine ullo vitio fruebantur. *Ex quo conſtat, Angelos non ſolùm fuiſſe conditos in beatitudine tàm morali quàm contemplativa naturali, ſed etiam in ſupernaturali inſra beatam, idq; propter habitus ſupernaturales tàm fidei & ſapientiæ ex parte intellectus, quàm ſpei & charitatis & gratia ex parte voluntatis. Et hæc fœlicitas in Lucifero deſcribitur Ezechiel 28. ſub perſona Regis Tyri.* Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia. *Unde Gregor. lib. 32. moralium cap. 18. infert tanto abundantiora & præſtantiora dona collata fuiſſe Lucifero in ſua prima inſtitutione, quàm Adamo, quanto plus eſt creatum eſſe ſignaculum ſimilitudinis Dei, quàm factum eſſe ſolum ad imaginem & ſimilitudinem Dei.* Quid (*inquit*) non habuit, qui ſignaculum Dei ſimilitudinis fuit?

β Si vitam egerunt ante peccatum.] *Id dicit, quod breviſſima mora interceſſerit inter creationem & lapſum Angelorum. Hanc quæſt. tract. lib. 11. de Gen. ad Liter. c. 16. & ſequentibus.*

γ Alios credere ita factos.] *An Angeli mali præſcii fuerint ſui caſus, & an boni certò ſciverint ſe perſeveraturos, diſputat D. Auguſtin. lib. 11. de Geneſ. ad Lit. cap. 16. & 17. & deinceps, vide Ægidium 2. ſent. diſt. 4. q. 1. art. 2. & 3. Certè neq; exiſtimo Angelos malos præſciviſſe ſuum caſum, neq; etiam Angelos, qui remanſerunt & Deo adhæſerunt certos fuiſſe de ſua perſeverantia; quæ eſt ſententia quoq; D. Auguſtini ſuprà citatis locis.*

δ Multo durius eſt nunc putare Angelos ſanctos.] *Eadem ſcribit lib. de corrept. & gratia cap. 10.* Si nos de ſcripturis ſacris noſſe potuimus, ſanctos Angelos jam nullos eſſe caſuros, quanto magis hoc ipſi revelata ſibi ſublimius veritate noverint? nobis quippe vita ſine fine promiſſa eſt, & æqualitas Angelorum. Ex qua promiſſione certi ſumus cùm ad illam vitam poſt judicium venerimus, non inde nos eſſe lapſuros: quod ſi de ipſis Angeli neſciunt, non æquales; ſed beatiores erimus, veritas autem eorum nobis promiſit æqualitatem. Certum eſt igitur hoc eos noſſe per ſpeciem, quod nos per fidem, nullam ſcilicet jam ruinam cuiusquam ſancti Angeli futuram *Lib. 11. de Geneſ. ad Liter. cap. 17.* Neque enim ſancti Angeli æternæ ſuæ vitæ ac beatitudinis incerti ſunt: nam quomodo beati ſi incerti ſint. *Et in Enchiridio cap. 28. 29. & 57.* De illa Eccleſia quæ in cœlis eſt affirmare quid poſſumus, niſi quod nullus in ea malus eſt, nec quisquam deinceps de illa cecidit, aut caſurus eſt, ex quo Deus Angelis peccantibus non pepercit. *Fulgentius de Fide ad Petrum.* Firmiſſime tene & nullatenus dubites omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo immutabili factam, nec tamen poſſe quemlibet ſanctorum Angelorum in deterius mutari, quia ſic acceperunt æternam beatitudinem, qua ideo ſtabiliter perfruuntur, ut ea carere non poſſint. *Vide D. Thomam 1. p. q. 62. art. 8.*

ſ Sua velut per ſuperbiam privata poteſtate elatus.] *Itaq; ex ſententia D. Auguſtini ſuperbia fuit primum peccatum diaboli lib.11. de Geneſ. ad Liter. cap.14. cùm citaret nonnullorum ſententiam, qui volebant eò cecidiſſe diabolum*, Quod inviderit homini facto ad imaginem Dei, *eam reprobat*, quod invidia ſequitur ſuperbiam, non præcedit; non enim cauſa ſuperbiendi eſt invidia, ſed cauſa invidendi ſuperbia. Cùm enim ſuperbia ſit amor excellentiæ propriæ, invidia verò ſit odium fœlicitatis alienæ, quid unde naſcatur ſatis in promptu eſt. Amando enim quiſque excellentiam ſuam vel paribus invidet quod ei coæquantur, vel inferioribus ne ſibi coæquentur, vel ſuperioribus quòd eis non coæquetur: Superbiendo igitur invidus, non invidendo quiſque ſuperbus eſt, *qua ratione merito ſcriptura definivit initium omnis peccati eſſe ſuperbiam. Atq; hæc eſt ſententia Patrum communis. D. Baſilij hom. Quod Deus non ſit author malorum. D. Ambroſii in Pſalm.118. D. Hieronym. in c.14. Iſai. D. Gregor. l.34. Moral. c.18. Damaſcen. lib. 2. c.4. Anſelmi l. de caſu diaboli c.4. Eſt præterea D. Thom. 1. p. q.63. art.2. & 3. contra Gentes cap. 109. & Scholaſtici 2. ſent. diſt.5. & 6. idem docent.*

ζ Non cum illis hæreticis ſapit. *i.* Manichæis.] *Diſputant Theologi, An diabolus in primo inſtanti ſuæ conditionis peccaverit, vel etiam potuerit peccare, quæ fuſiùs tractare non eſt hujus loci. Verùm longe intereſt, utrum dicamus diabolum ab initio fuiſſe malum natum ſua, vel ex naturali aliqua inclinatione mala ad peccandum peccaſſe, an verò ex libertate voluntatis. Nam qui primum aſſereret, cùm Manichæis ſentiret, qui volebant diabolum natura ſua eſſe malum, cujus ſententiæ meminit, eamq; improbat l.11. de Geneſ ad Liter. c.20.* Nonnulli (*inquit*) eum non in hanc malitiam libero voluntatis arbitrio eſſe deflexum, ſed in hac omnino creatum putant, quamvis à Domino Deo ſummo & vero naturarum omnium creatore. *& cap. 21* Hæc opinio quomodo non ſit adverſa ei, quod ſcriptum eſt, fecit Deus omnia bona valde, ubi invenitur diabolus non propria voluntate depravatus, ſed ab ipſo Domino Deo factus malus valde. *Leo primus epiſt. 91. ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum c.6. impugnat hæreſes Priſcillianiſtarum, qui inter cætera aſſerebant, diabolum nunquam fuiſſe bonum nec naturam ejus opificium Dei eſſe, ſed eum ex Chao & tenebris emanaſſe, quia nullum ſui habeat authorem, ſed omnis mali ſit ipſe principium atq; ſubſtantia. Vide Alphonſum à Caſtro V. Diabolus, hæreſi 1. Prateolum V. Manichæi, n.8. & V. Priſcillianus, num.5. Idem V. Calviniſta, inter alias blaſphemias in Deum impij Calvini, quas ex Stmphylo colligit, hæc una eſt, quod diabolus jubente & volente Deo mentiatur in cordibus humanis, quod ſi cæteras illius hæreſes ibidem enumeratas expendas, facilè colliges, eum adſcripſiſſe ipſi Deo primum peccatum diaboli. Etſi igitur aſſeramus diabolum ab initio peccaſſe, non tamen ſentimus cum hæreticis Manichæis, neq; enim ex perverſa aliqua inclinatione illa innata, ſed ex libertate voluntatis peccaſſe, & à Deo incommutabili bono defeciſſe aſſerimus. Ità etiam ſcribit ipſe D. Auguſt. lib. 11. de Gen. ad Liter. cap.23.* Quod putatur nunquam diabolus in veritate ſtetiſſe, nunquam cum Angelis beatam duxiſſe vitam, ſed ab ipſo ſuæ conditionis initio

Digitized by Google

tio defeciſſe, non ſic accipiendum eſt, ut non propria voluntate depravatus, ſed malus à bono Deo creatus putetur, alioquin non ab initio cecidiſſe diceretur. Neque enim cecidit ſi talis eſt factus; ſed factus continuo, ſi à luce veritatis avertit ſuperbia tumidus & propriæ poteſtatis delectatione corruptus; *Et hoc loco obſervat, non dicere ſcripturam Evangelicam* à veritate diabolum alienum fuiſſe, *ſed* in veritate non ſtetiſſe, *ut ſignificaret lapſum à veritate, in qua ſi ſtetiſſet cum ſanctis Angelis, beatus permanſiſſet; quod notavit etiam Theodoret. in Epit. divin. decreti. c. de diabol. & dæmonibus, Dæmones non eſſe natura malos, ut qui ſint boni creati à Deo. Docet etiam D. Dionyſ. lib. de divin. nomin. c. 4. D. Thom. 1. p. q. 63. art. 4. 3. contra Gentes c. 107. & q. 16. de Malo art. 2. & Theologi in 2. ſent. diſt. 7.*

Cap. XIV.

Quo genere locutionis dictum ſit de diabolo, quòd in veritate non ſteterit: quia veritas non eſt in eo.

SUbjecit autem judicium, quaſi quæſiſſemus, unde oſtendatur, quòd in veritate non ſteterit, atque ait: Quia non eſt veritas in eo. Eſſet autem in eo, ſi in illa ſtetiſſet. *a* Locutione autem dictum eſt minus uſitata. Sic enim videtur ſonare: In veritate non ſteterit, quòd in eo veritas non ſit: cùm potius ea ſit cauſa, ut in eo veritas non ſit, quòd in veritate non ſtetit. Sed iſta locutio eſt & in Pſalmo, ubi ait: Ego clamavi, quoniam exaudiſti me Deus: cùm dicendum fuiſſe videatur, Exaudiſti me Deus, quoniam clamavi: tanquam ab eo quæreretur, unde ſe clamaſſe monſtraret, ab effectu exauditionis Dei clamoris ſui oſtendit affectum, tanquam diceret: Hinc oſtendo clamaſſe me, quoniam exaudiſti me.

F. L. Coq. *a* LOcutione autem dictum eſt minus uſitata.] *Hæc quæſtio qua ratione dictum ſit à Chriſto Joan. 8. de diabolo*, Quod in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo, *multos vexavit interpretes, ut ad eum locum ſcribit Maldonatus, præſertim Auguſtinum, Bedam, & Rupertum: Hanc verò quæſtionem ita hic rectè decidit Auguſtinus, ut dictio*, quia, *non cauſam, ſed effectum & judicium ſignificet: neq; enim cauſa eſt, ut in veritate non ſteterit, quod in eo veritas non ſit, cùm potius ea ſit cauſa, ut in eo veritas non ſit; quod in veritate non ſteterit. Eſſet enim in eo, ſi in ipſa ſtetiſſet. Eſt argumentum itaq; à poſteriori ſeu ab effectu ad cauſam; in eo enim veritatem non eſſe argumento eſt eum in veritate non ſtetiſſe. Huiusmodi enim particulas* quia, quoniam, *non cauſam aliquando, ſed effectum ſignificare, neq; inuſitatam omnino hanc eſſe locutionem in ſcriptura probat ex loco Pſalm. 6.* Ego clamavi, quoniam exaudiſti me Deus: *non enim propterea clamavit, quia exauditus eſt, ſed propterea exauditus eſt, quia clamavit. Similis eſt locutio illa ibid. Joan. 8,* Qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quia ego, quæ placita ſunt ei, ſemper facio; *ubi particula*, quia, *non cauſam, ſed effectum potius aut indicium ſignificat. Non enim quia Chriſtus faciebat, quæ patri placita erant, ideò cum illo erat pater, non futurus niſi faceret, ſed quia pater cum illo erat, & quicquid*

quid ille agebat, agebat pater, neq; faciebat, neq; poterat facere, niſi quæ patri placita eſſent. Per veritatem verò rectè intelligitur illa rectitudo & juſtitia, in qua fuerat creatus. Auguſtin. tract. 42. in Joan. veritatem Chriſtum intelligit, quæ eſt interpretatio Origenis, Bedæ, & Ruperti, ut in veritate non ſteterit, *i.* in Chriſto, *quia ſenſus minus eſt literalis.*

CAP. XV.

Quid ſentiendum ſit de eo quod ſcriptum eſt, Ab initio diabolus peccat.

ILlud etiam quod ait de diabolo Joannes: *a* Ab initio diabolus peccat: *b* *α* 1. Ioh. 3. non intelligunt ſi naturale eſt, nullo modo eſſe peccatum. Sed quid reſpondetur propheticis teſtimoniis, ſive quod Eſaias ait ſub figurata perſona princi- Eſ. 14. pis Babyloniæ, diabolum notans: Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur: *β* Sive quod Ezechiel: In deliriis paradiſi Dei fuiſti omni lapide preci- Eze. 28. oſo ornatus? Ubi intelligitur fuiſſe aliquando ſine peccato. Nam expreſſius ei paulò pòſt dicitur: Ambulaſti in diebus tuis ſine vitio. Quæ ſi aliter conve- 1. Ioh. 3. nientius intelligi nequeunt, oportet etiam illud quod dictum eſt, *γ* In veritate non ſtetit, ſic accipiamus, quòd in veritate fuerit, ſed non permanſerit. Et illud, quòd ab initio diabolus peccat, non ab initio ex quo creatus eſt, peccare putandus eſt, ſed ab initio peccati, quod ab ipſius ſuperbia cœperit eſſe peccatum. Nec illud quod ſcriptum eſt in libro Job, cùm de diabolo ſermo eſſet: *δ* *c* Hoc eſt initium figmenti Domini, quod fecit ad illudendum Iob. 40. ab angelis ſuis. Cui conſonare videtur etiam Pſalmus, ubi legitur: Draco Pſ. 103. hic quem finxiſti ad illudendum ei: ſic intelligendum eſt, ut exiſtimemus talem ab initio creatum, cui ab angelis illuderetur, ſed in hac pœna poſt peccatum ordinatum. Initium ergo ejus figmentum eſt Domini. Non enim eſt ulla natura etiam in extremis infimiſque beſtiolis, quam non ille conſtituit: à quo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo: *ε* ſine quibus nihil rerum inveniri vel cogitari poteſt: quanto magis angelica creatura, quæ omnia cætera, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit.

a AB initio Diabolus.] *Non ſunt ad anxias illas morularum inquiſitiones ſacra hæc Evangelij revocanda verba, ſeu trahenda potius. Unum aut alterum momentum non impedit, quo minus ab initio aliquem aliquid feciſſe pronunciemus, ut ſi quis dicat ab initio mundi fuit fratrum invidia, pauxillum temporis impedimento non eſt, quo minus effatum hoc ſit verum.* L. Vit.

b Qui inde volunt aſſerere peccati naturam.] *Tales ſunt Manichæi. D. Thomas, & qui cum eo negant in momento, quo angelus conditus eſt, potuiſſe peccare, hac ratione utuntur, quòd in crimen non tam operi imputandum eſſet, quàm autori, qui tale opus produxit. Quod ſentire videtur Origenes ſuper Ezechielem, dicens: Serpens hoſtis contrarius veritati non à principio, nec ſtatim ſupra pectus & ventrem ſuum ambulavit. Sicut Adam & Eva non ſtatim peccaverunt, ita & ſerpens aliquando non fuit ſerpens, cùm in paradiſo delitiarum moraretur. Deus enim malitiam non fecit: nec Auguſtinus aliud ſentit, qui docet, non ſimul ac primùm creati fuerunt peccaſſe.*

c Hoc

Digitized by Google

c Hoc eſt initium figmenti Domini.] *Iob quadrageſimo vulgò habemus: Ipſe eſt principium viarum Domini. Nec legimus, quòd fecit ad illudendum angelis ſuis: ſed hac ex interpretatione Lxx.*

F.L.Coq. *α* NOn intelligunt ſi naturale eſt.] *Non eſt ſenſus D. Auguſtini, quòd ſi ab initio diabolus peccarit, naturale ſit illi peccatum, vel quia non potuerit peccare ab initio, quia naturale videtur illi peccare, verum agit contra Manichaos, qui volebant ex inclinatione naturali ab initio diabolum peccaſſe, quod certè repugnat. Non enim naturalibus actionibus vel provenientibus ex inclinatione ab authore natura indita peccamus, ſed tantum actionibus liberis. Hoc verò cap. docet, ut probabilius diabolum ab initio bonum fuiſſe, & expertem omnis culpa, quod etiam docet lib. de corrept. & grat. c. 10. Idem aſſerunt alij Patres. Tertullian. lib. 2. contra Marcionem c. 10. Theodoret. lib. de divin. decret. cap. de Diabol. & Dæmonibus. Gregorius lib. 32. Moral. cap. 24. Anſelm. lib. de caſu diaboli cap. 3. D. Thom. 1. p. quaſt. 63. artic. 3. Ex ſcriptura id probat D. Auguſtinus, qua etiam loca citantur ab aliis. Nam de diabolo ſub perſona Regis Babylonis dicitur Iſai. 14.* Quomodo cecidiſti de cœlis Lucifer, qui mane oriebaris? *quem locum lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 37. cum ſeptimam Tyconnij regulam explicat, interpretatur de diabolo, & eius corpore.* Eſt enim diabolus caput impiorum, qui ſunt quodammodo eius corpus, licet non eadem ratione, qua Chriſtus dicitur caput juſtorum & Eccleſia eius corpus. Nam Chriſtus influit gloriam & gratiam in omnia membra Eccleſiæ, & bonorum operum eſt author: non ſic diabolus cauſſa peccatorum, neque influere dicitur malitiam. *Multa etiam in hunc locum dicit lib. 11. de Geneſ. ad Liter. cap. 24. ubi in figura Regis Babylonis de diabolo vult eſſe dicta. D. Hieronym. etiam interpretatur de dæmone ſub figura Regis Babylonis, quam interpretationem ſequuntur multi ex ſanctis Patribus, & D. Thom. 1. p. qu. 63. art. 5. Leo de Caſtro in eum locum, vult intelligi non de Rege Babylonis, qui fuit typus Sathana, ſed de ipſa veritate, hoc eſt de ipſo Sathana ſine ulla figura, circuitione, aut anigmate ullo. Origen. περὶ ἀρχῶν lib. 3. cap. 2. negat hoc poſſe intelligi de Rege Babylonis.* Quomodo poſſibile eſt (*inquit*) in Iſaia intelligere de homine dicta eſſe, quæ illic dicuntur? nec enim homo eſt, qui dicitur cecidiſſe de cœlo, vel fuiſſe Lucifer, vel qui dicitur mane exoriri; *& perpetuo eſt in hac ſententia, ut hom. 9. & 10. in Num. & in cap. 10. ad Rom. lib. 8. Tertull. lib. 5. contra Marcionem c. 17. Euſeb. lib. 4. de demonſtr. Evang. c. 9. Proſper in dimidio temporis cap. 1. & 2. eodem modo intelligunt.*

β Sive quod Ezechiel: in deliciis paradiſi Dei fuiſti.] *Citatur à Tertull. lib. 2. contra Marcion. c. 10.* Si evolvas (*inquit*) Ezechelis Prophetiam, facilè animadvertes tam inſtitutione bonum Angelum illum, quàm ſponte corruptum, *& à Proſpero loco citato, ab Auguſt. l. 11. de Geneſ. ad Lit. c. 25. ſub figura principis Tyri, per Ezechielem Prophetam in Diabolum dicta intelliguntur.* Tu es ſignaculum ſimilitudinis, & corona decoris, in deliciis Paradiſi fuiſti, omni lapide pretioſo ornatus es. *Puta tamen non tàm in ipſum Principem nequitia, quàm in eius corpus eſſe dicta; Rectè tamen ad literam hac intelliguntur dicta de diabolo, in quem*

melius

melius quadrant, quam vel in regem Tyri. Quæ ad ſugillationem Angeli(*ait Tertullianus*) non ad illius principis propriè pertinere manifeſtum eſt, eoque nemo hominum in paradiſo natus ſit, ne ipſe quidem Adam, translatus potius illuc; nec enim Cherub poſitus in monte ſancto Dei. i. e. in ſublimitate cœleſti, de qua Sathanam Dominus quoque decidiſſe teſtatur; nec inter lapides igneos demoratus, inter gemmantes ardentium ſiderum radios, unde etiam quaſi fulgur dejectus eſt Sathanas, ſed ipſe author delicti in perſona peccatoris viri devocabatur retrò quidem invituperabilis à die conditionis ſuæ, & à Deo in bonum conditus, ut à bono conditore invituperabilium conditionum & excultus omni gloria Angelica, & apud Deum conſtitutus, quia bonum apud bonum: poſtea verò à ſemetipſo translatus in malum. *Ex his duobus propheticis locis conſtat diabolum priusquam caderet, aliquando fuiſſe in gratia.*

γ In veritate non ſtetit ſic accipiamus.] *Idem lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 16. videtur dubitare, an ſtatim ab initio Angeli peccaverint propter duo illa loca D. Joan. alterum ex c. 8. Evangelij.* Ille ab initio homicida fuit, *& alterum ex cap. 3. 1. epiſt.* Ab initio diabolus peccat, *nihil tamen illic definit: ſed duo loca illa ſic interpretatur, vel quod ob brevitatem temporis dicitur ab initio peccaſſe: parva enim mora interceſſit inter creationem & lapſum, ab initio. i. ſtatim poſt initium, quo ſenſu dicimus aliquam legem vel conſuetudinem viguiſſe ab initio regni, ſi ſit ſtatim poſt initium condita vel introducta, vel ut ſit ſenſus, non ab initio creationis, ſed ab initio peccati, quia ſcilic. nunquam à peccato ſuo receſſit. Ita etiam D. Thom. 1. p. qu. 63. art. 5. ad 1.*

δ Hoc eſt initium figmenti.] *Job. 40. ita ex interpretatione ſeptuaginta qui ita legunt.* ἀρχὴ πλάσματος κυρίου πεποιημένον ἐγκαταπαίζεσθαι ὑπὸ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ, *vulgata verò editio ſic habet.* Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit ei gladium eius. *quaſi dicat, Poteſt Deus facilè eum interimere, alioquin nemo eum audeat aggredi, quod maximè quadrat in diabolum. Ita ſcil. vulgata editio vertit ex Hebr. text. convenit cum illo. Pſalm. 103.* Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei. *Hoc teſtimonio Job nitebantur aliqui ad probandum, diabolum ab initio adeò malum creatum, non autem voluntate eſſe poſtea depravatum, ut refert D. Auguſtin. lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 20. & 22. ita interpretatur, initium figmenti Domini dictus eſt, quod fecit ut illudatur ab Angelis eius, non quia ipſum primitus condidit, vel quia malum initio condidit, ſed quia cum ſciret eum ad hoc propria voluntate malum futurum ut bonis noceret, creavit eum ad hoc, ut de illo bonis ipſe prodeſſet: Hoc eſt enim ut illudatur ab Angelis, quoniam ſic illuditur, cum ſanctis proſunt tentationes eius, quibus depravare conatur, ut malitia, in qua ipſe eſſe voluit, eo nolente ſit utilis ſervis Dei, qui hoc prævidens eum finxit, ideo initium ad illudendum, quia & mali homines vaſa ſunt eiusdem diaboli, & tanquam capitis corpus, quos futuros malos Deus prævidens, creavit tamen ad utilitatem ſanctorum: ſemper illuduntur, cùm & ipſis nocere volentibus præſtatur ſanctis ex eorum comparatione cautela, & pia ſub Deo humilitas, & intelligentia gratiæ, & exercitatio ad tolerandos malos, & probatio ad diligendos inimicos. Sed ille eſt*

 initium

initium figmenti, quod ſic illuditur, quia præcedit iſtos & temporis antiquitate & principatu malitia. Sic etiam hic interpretatur, ut non exiſtimemus talem ab initio creatum, cui ab Angelis illuderetur, ſed in hanc pœnam per peccatum ordinatum, quemadmodum etiam non creavit Pharaonem Deus, ut rebellis eſſet Deo, neq; prima intentione, ut in eo oſtenderet virtutem ſuam eum mirabiliter aquis ſuffocando, ſed præſciens eum propria voluntate rebellem ei futurum, in eo voluit oſtendere virtutem ſuam, ut innoteſceret omnibus, quanta facilitate Deus in impios & ſceleratos poſſit animadvertere. Ambroſ. in cap. 9. ad Rom. Deum ait idem feciſſe cum Pharaone, quod ſolent medici aliquando facere cum his, qui ſunt morti adjudicati, ſolent enim ex corporibus variorum morborum periculum facere, ut pœna morientis utilis ſit in ſalutem viventis.

α Sine quibus nihil rerum inveniri vel cogitari poteſt.] *Idem docet lib. 4. ſuper Geneſim ad lit. cap. 3. & lib. de natur. boni, c. 3. & D. Thomas 1. p. qu. 5. art. 5. nempe quod omne bonum creatum conſiſtat in modo, ſpecie & ordine; per modum D. Thom. ex D. Auguſtini ſententia intelligit commenſurationem, quam habet effectus in ordine ad ſuam cauſam, ut habeat ſcilic. eum modum & limitem, quem ei cauſa præfixit; per ſpeciem intelligit ipſam formam, ſive cauſam formalem effectus: per ordinem perfectionem accidentalem, quatenus hæc ordine quodammodo ex forma ſequitur. Hæc tria eadem ſunt cum illis tribus, quæ Sapientiæ 11. enumerantur.* Omnia feciſti in numero & pondere & menſura. *D. Thomas numerum eſſe ait idem cum ſpecie, quia ut adjectione vel detractione unitatis ſpecies numeri mutatur, ita ſpecies cuiusq; rei in indiviſibili veluti conſiſtit: qua ratione dictum eſt ab Ariſtotele ſpecies eſſe ſicut numeros: modus idem eſt cum menſura; pondus idem cum ordine, quia nihil aliud ſignificat quàm inclinationem & propenſionem cuiusque rei in proprium finem. Vide eundem Thomam quæſt. 21. de verit. artic. 6.* Unaquæque res etiam dicitur habere modum, quatenus habet naturam finitam & limitatam; ſpeciem quatenus habet accidentia, à quibus perficitur & ornatur, & ordinem quatenus in certum aliquem finem ab authore ſuo ordinatur.

CAP. XVI.

De gradibus & differentiis creaturarum, quod aliter pendet utilitatis uſus, aliter ordo rationis.

IN his enim quæ quoquo modo ſunt, & non ſunt quod Deus eſt, à quo facta ſunt, α præponuntur viventia non viventibus: ſicut ea quæ habent vim gignendi vel etiam appetendi his, quæ iſto motu carent. Et in his quæ vivunt, præponuntur ſentientia non ſentientibus: ſicut arboribus animalia. Et in his quæ ſentiunt, præponuntur intelligentia non intelligentibus, ſicut homines pecoribus. Et in his quæ intelligunt, præponuntur immortalia mortalibus: ſicut angeli hominibus, ſed iſta * præponuntur naturæ ordine. β Eſt autem alius atque alius pro ſuo cujuſque uſu æſtimationis modus: quo fit, ut quædam ſenſu carentia, quibuſdam ſentientibus præponamus, in tantum, ut ſi

* al. ita.

poteſtas

poteſtas eſſet, ea prorſus de natura rerum auferre vellemus: ſive quem in ea locum habeant ignorantes, ſive etiam ſi ſciamus, noſtris ea commodis poſtponentes. Quis enim non domi ſuæ panem habere quàm mures, nummos quàm pulices malit? Sed quid mirum, cùm in ipſorum etiam hominum æſtimatione, quorum certè natura tantæ eſt dignitatis, plerunque carius comparetur equus, quàm ſervus, gemma quàm famula? Ita in tali libertate judicandi plurimum diſtat ratio conſiderantis à neceſſitate indigentis, ſeu voluptate cupientis, cùm iſta quid per ſeipſum in rerum gradibus pendat, neceſſitas autem quid propter quid expetat, cogitet: & iſta quid verum luci mentis appareat, voluptas verò quid jucundum corporis ſenſibus blandiatur, exquirat. Sed tantum valet in naturis rationalibus quoddam veluti pondus voluntatis & amoris, ut cum ordine naturæ angeli hominibus tamen lege juſtitiæ boni homines malis angelis præferantur.

α PRæponuntur viventia non viventibus.] *Sunt varij gradus entis, & prout qualibet res creata obtinet perfectiorem gradum, etiam perfectior eſt. aliqua habent tantummodo eſſe; aliqua præterea vivere, quædam etiam ſentire: nonnulla moveri loco & appetere, alia deniq; intellectu prædita ſunt: quolibet tamen gradu multæ etiam ſpecies comprehenduntur, quæ nec ſunt eiuſdem perfectionis. non enim omnia, quæ ſunt tantum, in eadem perfectione continentur: nam corpora cœleſtia præſtantiora ſunt elementis, & elementum unum altero præſtantius, & mixta ipſa ſunt elementis perfectiora: & inter mixta eſt latitudo perfectionum, & inter metalla unum eſt longè altero perfectius. Sic inter viventia, quibus ipſum vivere eſt eſſe: nam una planta perfectior erit altera: eodem modo inter animalia, quæ præterea ſentiunt, certum eſt unam ſpeciem perfectione alteram antecedere: Ita gradu intelligendi participant cum Angeli tùm homines, illi tamen longe perfectius intelligunt, & quidem ſine diſcurſu; neq; Angeli ipſi eiuſdem ſunt perfectionis tùm in natura, tùm in intelligendo, & quo ſuperiores, eò per pauciores & ſuperiores ſpecies intelligunt.* F.L.Cop.

β Eſt autem alius, atque alius.] *Si res exiſtimemus ex perfectione & ordine naturæ, certum eſt quidem eas præponendas, quæ perfectiorem gradum eſſendi participant, ſi tamen eas conſideremus prout veniunt in uſum noſtrum, quæ ſuapte natura inferiora ſunt, aliquando præeliguntur, quia ſcil. uſui noſtro ſunt magis neceſſaria, ita licet veſtis ex auro pretioſior ſit veſte ex panno, hyeme tamen aliquis præeliget veſtem ex panno.*

Cap. XVII.

Vitium malitiæ non naturam eſſe, ſed contra naturam, cui ad peccandum non conditor cauſa eſt, ſed voluntas.

PRopter naturam igitur, non propter malitiam diaboli, dictum rectè intelligimus. Hoc eſt initium figmenti domini: quia ſine dubio α ubi eſſet vitium malitiæ, natura non vitiata præceſſit. *a* β Vitium autem contra naturam eſt, ut non poſſit niſi nocere naturæ. *b* Non itaque eſſet vitium, recedere à Deo,

Deo, niſi naturæ, cujus id vitium eſt, potius competeret eſſe cum Deo. *c* Quapropter, etiam voluntas mala grande teſtimonium eſt naturæ bonæ. Sed Deus ſic ut naturarum bonarum optimus creator eſt, ita malarũ voluntatum juſtiſſimus ordinator, ut cùm malè illæ utuntur naturis bonis, ipſe bene utatur etiam voluntatibus malis. Itaque fecit, ut diabolus inſtitutione illius bonus, voluntate ſua malus, in inferioribus ordinatus illuderetur ab angelis ejus, id eſt, ut proſint tentationes ejus ſanctis, quibus eas obeſſe deſiderat. Et quoniam Deus cùm eum conderet, futuræ malignitatis ejus non erat utique ignarus, & prævidebat quæ bona de malo ejus eſſet ipſe facturus: propterea Pſalmus ait, Draco hic, quem finxiſti ad illudendum ei: ut in eo ipſo, quod eum finxit, licet per ſuam bonitatem bonum, jam per ſuam præſcientiam præparaſſe intelligatur, quomodo illo uteretur & malo.

L. Vives. *a* Vitium autem contra naturam.] *Virtutem Socrates & Stoici ex natura dicebant eſſe, vitium verò contra naturam. Nunquam enim peccaremus, ſi naturam ſequeremur ducem illam puram rectamq́; nec pravis opinionibus corruptam, & detortam.*

b Non itaque eſſet vitium.] *Nam ſi utilius id eſſet natura ejus, qui vitium committit, non vitium eſſet, nec error, ſed potius ſapienter electum, & rectè executum.*

c Quapropter etiam voluntas mala.] *Ex voluntate mala vitia proficiſcuntur: quæ quoniam naturæ obſunt, iis natura contrà nititur, quæ fit, ut voluntatem juvet malè facere, naturam lædat, voluntas ſua ſponte ſit mala, natura ad malum invita trahatur, & reluctans, quæ ſi ſuo relinqueretur arbitratui, optima quæque ſemper ſequeretur: nam his demum delectatur, & ea ingrederetur via, quæ ad autorem ſuum tenderet, & aliquando perveniret.*

F. L. Coq. *a* Ubi eſſet vitium malitiæ, natura non vitiata præceſſit.] *Malum enim quatenus malum eſt, habet materialem cauſam, quod ſemper aliquod bonum eſt, quod aliis verbis dici ſolet,* malum eſſe in bono tanquam in ſubjecto, *non tanquam ponens aliquid in illo, ſed potius ut removens ulteriorem perfectionem ei debitam. Sic loquitur idem Auguſtin. in Enchirid. cap. 13. & 14. ubi inter alia dicit non poſſe eſſe malum niſi in bono, quia ſi eſſet purum malum, ſeipſum deſtrueret, quod etiam D. Thom. 1. p. q. 48. art. 3. Ratio eſt, quia malum pro formali, nec res purè poſitiva eſt, nec omnino negatio, eſt itaq; privatio debitæ perfectionis, ergo requirit ſubjectum, cui talis perfectio debeatur. Ergò illud ſubjectum debet eſſe neceſſario aliquod bonum, in quo malum ſeu malitia ineſſe intelligatur. Certè Auguſtin. ipſe lib. 1. contra Julian. c. 3. & in Enchirid. cap. 12. ac ſæpe alias ex ipſo malo, quod interdum naturæ vel voluntate accedit, probat ipſam naturam vel voluntatem bonam eſſe, quia fit mala dum bonitate debita privatur, & non omninò deſtruitur, alioqui jam omnino non eſſet mala; ſed omnino non eſſet. Si malum igitur ponamus in natura Angelica, certè ipſa natura bona, in qua eſſet malum; quod igitur dicitur* initium figmenti Domini, *dicitur ratione naturæ; & de natura*

tura ipſa intelligendum eſt, cuius plaſtes & fictor eſt Deus, non autem de vitio malitiæ, quod in natura minimè finxit.

β Vitium autem contra naturam eſt.] *Idem lib. 3. de libero arbitrio, cap. 14.* non aliunde malum eſt, niſi quia naturę adverſatur eius ipſius rei cuius vitium eſt. *& cap. 13.* Omne vitium eo ipſo quod vitium eſt, contra naturam eſt. Ut enim virtus eſt homini naturalis, ita vitium rectè contra naturam cenſetur. *Dicitur verò virtus naturalis non quod ſit congenita à natura, ſed quia ad eam propenſionem quandam naturalem habeamus. Ut enim bonum honeſtum eſt proprium hominis bonum, ita ad illud à natura propenſionem quandam accepit. Si verò quis objiciat, in alijs rebus ea quæ ſecundam naturam conveniunt ſolere, vel omnibus vel certè pluribus illius ſpeciei adeſſe, inter homines autem pauciſſimi ſunt, qui honeſtè & ſecundum rationem vivant, facilè reſpondetur, non inde id naſci, quod non ſit homini quadam propenſio ad bonū honeſtum, ſed quod appetitꝰ ſentiens rationi adverſetur, bona autem, in quæ fertur appetitus ſentiens, ſunt nobis magis familiaria & univerſam ferè vitam comitantur, deinde multo melius à nobis cognoſcuntur: Deniq; maximè nos afficiunt, quod delectationem afferant, & triſtitiam depellant: bona verò honeſta, quæ ſunt rationis, non niſi longo temporis progreſſu cognoſcuntur: dedeinde non cognoſcuntur perfectè, poſtremò non nos tantopere movent. Ex quibus cauſis naſcitur, ut cùm homines potius ſentientē appetitum, quàm rationem ſequantur, ut plurimum virtute præditi non ſint. Vide D. Thom. 1. 2. quæſt. 21. art. 2.*

γ Ipſe bene utitur etiam voluntatibus malis.] *Ita ferè loquitur, lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 4. quærens enim cur permiſerit Deus hominem tentari, quem conſenſurum eſſe præſciebat:* Cur, *inquit,* tentari non ſineret, quem conſenſurum eſſe ipſe præſciebat, cùm id facturus eſſet propria voluntate per culpam, & ordinandus eſſet illius æqualitate per pœnam: Ut etiam ſic oſtenderet animæ ſuperbæ ad eruditionem futurorum ſanctorum, quàm rectè ipſe uteretur animarum voluntatibus etiam malis, cùm illæ perversè uterentur bonis naturis.

δ Prævideat quæ bona de malo eius eſſet ipſe facturus.] *Idem lib. 11. de Geneſi ad lit. c. 22.* Præſciens, *inquit,* eum diabolum propria voluntate malum futurum, fecit tamen, non abſtinens bonitatem ſuam in præbenda vita atque ſubſtantia futura etiam noxiæ voluntati, ſimul prævidens, quanta de illo bona eſſet mirabili bonitate ac poteſtate facturus. *Ex peccato itaq; & voluntate mala dæmonum multa etiam bona Deus in univerſo elicit, adeoq; omnes tàm boni quàm mali ſerviunt ipſius providentiæ, quod eleganter idem ſcribit lib. de agone Chriſtiano, cap. 7.* Omnes divinæ providentiæ ſerviunt, ſed alii obediunt tanquam filii, & faciunt cum ea quod bonum eſt, alii verò ligantur tanquam ſervi, & fit de illis quod juſtum eſt. Ita Deus omnipotens Dominus univerſæ terræ, qui fecit omnia ſicut ſcriptum eſt bona valde, ſi ea ordinavit, ut de bonis & de malis benefaciat. *Ibidem.* Si fit ut malus homo & malus Angelꝰ divinæ providentiæ militent, ſed neſciunt quid boni de illis operetur Deus. *Quemadmo um Geneſ. 50. Joſeph dixit fratribus ſuis, vos cogitaſtis de me malum, Deus verò vertit illud in*

 bonum

bonum ut ſalvaret multos populos, ita voluntates malas, & inſidias, & tentationes dæmonum vertit in bonum, ut eo amplius exerceantur in illo certamine ſpirituali, & magis apud Deum mercantur. Ita Deus pro infinita ſua bonitate ex malis novit efficere maxima bona, ut veriſſima ſit illa Boetij ſententia de providentia Dei. Sola eſt divina vis, cui mala quoque bona ſunt. *Ita dæmonum inſidias ac tentationes ac impiorum conatus, quibus putant ſe juſtos ac Deo gratos præcipitaturos in damnationem, convertere ſolet in eorum maximum bonum, ut eo magis eluceſcat in eis, quanta ſit vis Dei gratiæ, & amplioribus præmiis eos tandem coronet. quod fuſius docet auctor noſter, lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 6. & 7.*

Cap. XIIX.

De pulchritudine univerſitatis, quæ per ordinationem Dei etiam ex contrariorum ſit oppoſitione luculentior.

NEQUE enim Deus ullum, non dico angelorum, ſed vel hominum crearet, quem malum futurum eſſe præſciſſet, *a* niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum uſibus commodaret, atque ita ordinem ſeculorum *β* tanquam pulcherrimum carmen etiam *γ* ex quibuſdam quaſi antithetis honeſtaret. *a* Antitheta enim quæ appellantur in ornamentis elocutionis ſunt decentiſſima, quæ Latinè appellantur oppoſita: vel quod expreſſius dicitur, contrapoſita. Non eſt apud nos hujus vocabuli conſuetudo, cum tamen eiſdem ornamentis locutionis etiam ſermo Latinus utatur, imò linguæ omnium gentium. *b* His antithetis etiam Paulus Apoſtolus in ſecunda ad Corinthios epiſtola, illũ locum ſuaviter explicat, ubi dicit: Per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut ſeductores & veraces: ut qui ignoramur & cognoſcimur, quaſi morientes & ecce vivimus: ut coerciti, & non mortificati: ut triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egeni multos autem ditantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Sicut ergo iſta contraria contrariis oppoſita ſermonibus pulchritudinem reddunt: *δ* ita quadam non verborum, ſed rerum eloquentia, contrariorum oppoſitione ſeculi pulchritudo componitur. Apertiſſimè hoc poſitum eſt in libro Eccleſiaſtico, hoc modo: Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic contra pium peccator. Et ſic intuere in omnia opera altiſſimi, bina & bina, unum contra unum.

L. Vives. *a* ANtitheta enim quæ appellantur.] *Hæc ad verbum contrapoſita dicuntur, quæ & in verbis ſunt, & in ſententia: ut docet autor Rhetoricorum ad Herennium lib. 4. eamq; figuram contentionem nominat. Sed præſtabit Quintiliani verba ex lib. 9. adſcribere: Contrapoſitum autem, vel ut quidam vocant, contentio, ἀντίθετον dicitur, non uno ſit modo. nam & fit, ſi ſingula ſingulis opponuntur, ut in eo quod modo dixi: Vicit pudorem libido, timorem audacia: & bina binis, non noſtri ingenij, veſtri auxilij eſt: & ſententiæ ſententiis, dominetur in concionibus, jaceat in judiciis. Hæc ibi, & alia eadem de re. Quare neſcio cur Auguſtinus dicat non eſſe apud nos hujus vocabuli conſuetudinem.*

b His

b His antithetis etiam Paulus.] *Auguſtinus aliquid ex arte rhetorica eſſe in Paulo ait:**(*Tolerabile eſt, quia Auguſtinus dicit. Si quis noſtrûm diceret, non flagitium tantùm, ſed hæreſim clamarent, tam ſunt illis hæreſes ad manum. nihil citius jaculantur, neq; facilius, nempe illarum referti.*)*

α NIſi pariter noſſet quibus eos bonorum viribus.] *Cur Deus creaverit, quos malos eſſe prævidit, vel Angelos, vel homines, vide eundem lib. 11. de Geneſ. ad liter. c.8.9.10. & 15. & Damaſcenum in Dialogo adverſus Manichæos circa medium; & quomodo ad providentiam Dei ſpectet permittere aliqua mala & defectus in univerſo, vide D. Thomam 1. pag. qu. 22. artic. 2. ad 2. & 3. contra Gentes cap. 71.* F L. Cap.

β Tanquam pulcherrimum carmen.] *Etiam epiſt. 5. & 28. mundum comparat carmini, quod ſyllabis brevibus ac longis concinne ac numeroſè conſtat, in quem ſenſum citat illud ex Iſaia 40. juxta editionem Septuaginta,* qui profert numeroſè ſæculum. *Et Plotinus lib. 2. Ennea. 3. comparat cuidam poemati, quod non erit pulcrum, ſi quis inde tollat deteriores, quodve ex cunctis impletur; nec enim quis Tragœdiam aut Comœdiam vituperet, quod omnes in ea non ſunt heroes, ſed interſit & ſervus & ruſticus aliquis rudiori voce pronuntians.*

γ Ex quibuſdam quaſi antithetis.] Antitheton *figura eſt, cùm contrariis opponuntur contraria. Cicero ad Brutum,* Semper hæc quæ Græci antitheta nominant, quum contrariis opponuntur contraria, numerum oratorium neceſſitate ipſa efficiunt etiam ſine induſtria. Hoc genere antiqui jam ante Iſocratem delectabantur & maximè Gorgias, cujus in oratione plerunque numerum efficit ipſa concinnitas, nos etiam in hoc genere frequentes fuimus, ut illa ſunt in quarto accuſationis. Conferte hanc pacem cum illo bello; hujus Prætoris adventum cum illius Imperatoris victoria; ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc qui conſtitutas accepit. captas dicetis Syracuſas. *Et ut ſcriptura ſacra figuratis locutionibus plerunq; utitur, ut docet etiam in libris de doctrin. Chriſt. ita ab hoc genere locutionis non abhorrere hic docet ex loco Apoſtol. 2. Cor. 6. Hunc mundum ergo confert cum pulcherrimo carmine, quod ex antithetis & oppoſitis aut contrariis concinnatum eſt. Ita enim ad perfectionem hujus univerſi non modo bona creavit, ſed etiam his oppoſita mala permiſit, quatenus ejus ſapientia non uno, ſed multis modis reluceret in univerſo; ita enim alia vaſa ex mera ſua gratia & bonitate creavit in honorem, alia verò permiſit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, in his quidem juſtitiam & potentiam ſuam, in aliis bonitatem, & miſericordiam & divitias gloriæ ſuæ oſtendit, ut quamvis melius eſſet huic eſſe vas in honorem, quàm in contumeliam, perfectio tamen univerſi requirat, & manifeſtatio divinæ ſapientiæ, ut alia vaſa ſint in honorem veluti prædeſtinati ad gratiam & gloriam, & alia ſint vaſa iræ, ut reprobati à Deo propter peccata præſcita, ſicq; peccata permiſſa à Deo & ſi non ſecundum ſe, per accidens tamen, & quatenus à Deo in ordinem reducuntur per pœnam. Suntq; occaſio manifeſtationis divinæ potentiæ & juſtitiæ, quodamq; modo pertinent ad decorem & perfectionem univerſi; quod ſi tantùm miſericordia & gratia Dei in univerſo reluceret*

ceret eſſent, ſolummodo electi ac prædeſtinati, non ita inſtar pulcherrimi carminis ex antithetis componeretur. Idem lib. de natur. boni c. 15. Sicut nos continendo vocem decenter interponimus in loquendo ſilentium, quanto magis ille ſcil. Deus quarundam rerum privationes decenter eſſe facit, ſicut omnium rerum perfectus artifex? *Ex quo oſtenditur quod ſicut ſermonis decentia major eſt ex interpoſitione ſilentij quàm ſi continuè proferretur; ſic univerſitatis pulchritudo major eſt ex interpoſitione benè ordinatorum malorum. Ubi tamen obſervandum, duplicem poſſe conſiderari in univerſo decorem & perfectionem, aliam quidem eſſentialem, aliam verò accidentalem; perfectio & decor eſſentialis univerſi in hoc conſiſtit, quod habeat omnes partes eſſentiales & integrales permanentes in univerſo, ut ſunt cœli, elementa, Angeli & homines: perfectio & decor accidentalis in hoc conſiſtit, quod mundus habeat aliquas partes accidentales, vel aliqua accidentia ipſarum partium, quæ non faciunt ad ſubſtantiam & integritatem mundi, verùm poſſunt adeſſe & abeſſe præter illius corruptionem, ut animalia, plantæ, mixta corruptibilia ſine quibus mundus ipſe conſiſteret. Mala igitur & peccata nec per ſe nec per accidens faciunt ad perfectionem per eſſentialem univerſi, cùm neq; eſſentiales, neq; integrales ſint partes ipſius: faciunt tamen per accidens ad perfectionem accidentalem univerſi ratione boni, ad quod à Deo ipſo ordinantur. Ita D. Bonaventura in 1. diſt. 46. art. 5. & D. Thom. eadem diſt. 41. art. 3. qua ratione mala faciunt ad decorem univerſi diſputat etiam D. Auguſtin. lib. 3. de lib. arb. cap. 9. & deinceps.*

δ Ita quadam non verborum ſed rerum elegantia.] *Peccata itaq; non faciunt ad perfectionem univerſi, quæ non ſunt res aliquæ, nec inter exiſtentia reponuntur, verùm peccatores & mali Angeli ac homines, in quibus puniendis relucet juſtitia ac potentia Dei. Unde ex doctrina Alexandri Halenſis 1. pag. qu. 38. memb. 3. art. 1. Etſi hæc propoſitio vera ſit quod* mundus eſt pulchrior & perfectior cum malis hominibus & Angelis quam ſine illis, *(quæ etiam eſt doctrina D. Auguſtini hoc loco.) Hæc tamen altera minimè vera eſt,* mundus eſt pulchrior & perfectior cum peccatis, quam ſine illis. *Peccatum enim dicit ſolam privationem & deformitatem, ſed peccator dicit naturam bonam cum privatione; perfectio univerſi cônſiſtit in ordine; natura & ſi privata poteſt ordinari in aliquem finem, verùm peccatum ipſum minimè.*

CAP. XIX.

Quid ſentiendum videatur de eo quod ſcriptum eſt: Diviſit Deus inter lucem & tenebras.

QUanvis itaque divini ſermonis obſcuritas etiam ad hoc ſit utilis, α quòd plures ſententias veritatis parit, & in lucem notitiæ producit, dum alius eum ſic, alius ſic intelligit: ita tamen β ut quod in obſcuro loco intelligitur, vel atteſtatione rerum manifeſtarum, vel aliis locis minimè dubiis aſſeratur: ſive cùm multa tractantur, γ ad id quoque perveniatur, quod ſenſit ille qui ſcripſit: ſive id lateat, ſed ex occaſione tractandæ profundæ obſcuritatis, alia quæ-

quædam vera dicantur, non mihi videtur ab operibus Dei abſurda ſententia. Si cùm lux illa prima facta eſt, angeli creati intelligantur, & inter ſanctos angelos & immundos fuiſſe diſcretum, ubi dictum eſt: Et diviſit Deus inter lucem & tenebras: & vocavit Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem. Solus quippe ille iſta diſcernere potuit, qui potuit etiam prius quàm caderent præſcire caſuros, & lumine privatos veritatis in tenebroſa ſuperbia remanſuros. Nam inter iſtum nobis notiſſimum diem & noctem, id eſt, inter hanc lucem & has tenebras, vulgatiſſima ſenſibus noſtris luminaria cæli, ut dividerent, imperavit. Fiant, inquit, luminaria in firmamento cæli, ut luceant ſuper terram, & dividant inter diem & noctem. Et paulò poſt: Et fecit, inquit, Deus duo luminaria magna: *a* *ε* luminare majus ζ in principia diei, & luminare minus in principia noctis, & ſtellas: & poſuit illa Deus in firmamento cæli, *b* lucere ſuper terram, & præeſſe diei & nocti, & dividere inter lucem & tenebras. η Inter illam verò lucem, quæ ſancta ſocietas angelorum eſt, illuſtratione veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, id eſt, malorum angelorum averſorum à luce juſtitiæ teterrimas mentes, ipſe dividere potuit: cui etiam futurum non naturæ, ſed voluntatis malum occultum, aut incertum eſſe non potuit.

a LUminare majus in principia diei.] *Lxx. ſic verterunt:* καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τοὺς δύο φωστῆρας τοὺς μεγάλους. τὸν φωστῆρα τὸν μεγάλον εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, καὶ τὸν φωστῆρα τὸν ἐλάσσω εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτὸς, καὶ τοὺς ἀστέρας. *Et fecit Deus duo illa luminaria magna. Luminare magnum in principatum diei. nam* ἀρχὴν *& principium vertimus, & principatum: & principium pro initio, & interim vertunt pro principatu, ut in Pſalmo centeſimonono: Tecum principium in die virtutis tuæ.* μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεώς σου, *quaſi, tuus erit principatus in die fortitudinis tuæ.* L. Vives.

b Lucere ſuper terram.] *Græcè eſt infinitivus Græcus:* ὡς τὸ φαίνειν ἐπὶ τῆς γῆς. *ſed per ſubjunctivum venit ad Latinos, ut luceant. Ea eſt enim natura* τοῦ ὡς. *Latinorum quidam infinito ſunt uſi abſque ut, quemadmodum Verg. Peſtis acerba boum pecorique aſpergere virus.*

a QUod plures ſententias veritatis parit.] *Id vult D. Auguſtin. unum & eundem locum ſcripturæ habere nonnunquam plures ſenſus literales, quæ eſt ejus doctrina pluribus aliis locis, ut 12. confeſſ. cap. 20. 24. & 26. & potiſſimum 31. lib. 3. de doctrina Chriſt. cap. 27. ait id maximè ſpectare ad divinam providentiam, ut ex eodem loco ſcripturæ varii ſenſus colligantur.* Nam quid divinis eloquiis potuit largius & uberius divinitus provideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina conteſtantia faciunt approbari? *Eadem eſt doctrina D. Thom. 1. p. q. 1. art. 10. & quolib. 7. art. 16 & de potentia Dei qu. 4. art. 1. & Abulenſis in illud Matth. 2.* Ex Ægypto vocavi filium meum, *& q. 28. in c. 13. Matth. Lyrani in ca. 8. Daniel. Driedonis de Eccleſiaſt. dogmatibus c. 2. Cani l. 2. de locis Theologicis c. 11. Quid enim prohibet Spiritum ſanctum, qui author eſt Scripturæ, & quo inſpirati locuti ſunt ſancti homines Dei, non unum,* F. L. Coq.

verùm plures intendiſſe ſenſus ſcripturæ; Et ex ſcriptura ipſa facile conſtat. nam Hebræor. 1. citat D. Paulus illa verba ex 2. Pſalm. Ego hodie genui te, *ad ſignificandum æternam Chriſti generationem in ſenſu literali.* Cui, *inquit,* Angelorum dixit aliquando, Ego hodie genui te. *Idem tamen D. Paulus Actor. 13. eadem verba citavit ad ſignificandam Chriſti reſurrectionem.* Reſuſcitans eum à mortuis, quemadmodum ſcriptum eſt *Pſ.2.* Ego hodie genui te. *Illa etiam verba Geneſeos:* In principio creavit Deus cœlum & terram, *duobus modis à D. Auguſtino exponuntur, ſc.* in principio temporis, *vel* in principio i. in filio; *ex quibus primum literalem eſſe conſtat ex concilio Lateran.2. c. firmiter. de ſumma Trinit. de fide Catholica: ſecundum conſtat etiam eſſe literalem ex Paulo Hebr. 1.* per quem fecit & ſæcula, *& Coloſſ.1.* In ipſo creata ſunt omnia quæ in cœlis & in terra ſunt. *Addo id maximè ſpectare ad dignitatem & fœcunditatem ſcripturæ ſacræ, ut in eodem loco plures habeat literales ſenſus. Si quis objiciat, hinc magnam fore amphibologiam ſcripturæ, quia ſemper dubitabimus, in quo ſenſu locus aliquis ſit accipiendus ob multitudinem ſenſuum quam patitur. Certè nulla ſequetur amphibologia, cùm ſcriptura ſacra eos omnes ſenſus contineat, ut liberum ſit cuiq; ex quo velit, illius ſenſu argumentari. Explodenda itaq; Michaelis Medinæ ſententia l.6. de recta in Deum fide c.25. ubi negare videtur ſcripturam eandem habere plures ſenſus literales.*

β Ut quod in obſcuro loco intelligitur.] *Ut plurimùm ſenſum obſcurum unius loci eruimus ex alio loco, ubi illud idem docetur manifeſtius, ut etiam docet lib.3. de doctr. Chriſti. cap.26.*

γ Ad id perveniatur quod ſenſit ille, qui ſcripſit.] *An verò ſenſus ille ſcripturæ ſacræ ſit, quem intendit qui eam ſcripſit? Eſt enim author ſcripturæ ſacræ, & quidem primarius ipſe Spiritus ſanctus. Meritò ergò quæritur, utrùm ſenſus Scripturæ ſacræ peti debeat ex intentione ſcriptoris, an ex intentione Spiritus ſancti: Et quidem D. Auguſtinus videtur velle his verbis ſumendum eſſe ex intentione ipſius ſcriptoris; In hac re nihil eſt difficultatis, quin is ſit verus ſenſus ſcripturæ, qui intentus eſt à Spiritu ſancto, nihil tamen incommodi eſt fateri etiam eum eſſe verum ſenſum, quem ſibi ſcriptor ipſe proponit, cùm ſenſus illius non poſſit eſſe alius à ſenſu Spiritus ſancti; quicumq; enim ſcripturam ſacram conſcripſere, vel ea ſcripſerunt quæ ſibi fuêre divinitus revelata, vel quæ audierant, aut viderant, in quibus tamen ſcribendis fuerunt adjuti à Spiritu ſancto, ita ut nulla ratione poſſent errare; ſed utroq; modo neceſſe eſt fateamur illos ea quæ ſcripſerunt intellexiſſe. Erat igitur ille ſcripturæ ſacræ ſenſus, quem nobis verbis ſuis ſignificare voluerunt, neq; enim ſcriptores ſacri fuere velut inſtrumenta inanimata, qui moverentur à Spiritu ſancto nec intelligerent ea quæ ſcriberent. Intelligentia enim opus eſt in viſione: Et quod hæc ſit ſententia D. Auguſtini, non ſolùm colligitur ex hoc loco, ſed etiam multo apertiùs ex 12. Confeſſ. cap. 30. & 31. ubi poſtquam variè interpretatus fuiſſet verba Geneſ.* In principio creavit Deus cœlum & terram, *concludit tandem, eum eſſe verum ſenſum illius loci, quem Moyſes ſcriptor Geneſeos ſibi propoſuit, & libr. 2. de doctr. Chriſt. cap. 6. & lib. 3. cap. 27. ait eos, qui ſcrutantur divinas literas nibil aliud conari,*

quàm

quàm ut agnoſcant eorum voluntatem, à quibus fuerunt conſcriptæ, & ex eorum voluntate divinam voluntatem agnoſcant. *Quod tamen diligenter obſervandum eſt, diſtinguit inter ſenſum ſcripturæ quem proponit Spiritus ſanctus, & eum ſenſum, quem ipſemet Spiritus ſanctus prævidet ex illis verbis poſſe elici: nonnunquam enim fit, ut aliquis ſenſus cohæreat cum antecedentibus & conſequentibus, & ex ipſis etiam verbis elici poſſit, non ſit tamen verus ſenſus ſcripturæ, eo quod noluerit Spiritus ſanctus illud ſignificare, unde ſumma naſcitur obſcuritas in ſcripturis ſacris intelligendis: quantumvis enim ſenſus nobis veriſimilis videatur, non tamen certò conſtare poterit eum eſſe verum ſenſum ſcripturæ, vel eum ſenſum, quem ſibi Sanctus ſpiritus propoſuit. Obſervavit etiam, ſi Spiritus ſanctus multa eiſdem verbis ſignificare voluerit, multiplicem fore ſenſum ſcripturæ; quamvis ergo ſcriptoris ipſius ſenſus, ſi quem ſibi proponit, nunquam diſcrepet à ſenſu Spiritus ſancti, Spiritus tamen ſanctus poteſt multa alia velle ſignificare, quæ ſacer ſeu canonicus ſcriptor non intellexit: quod idem docet lib. 12. Confeſſio. cap. 18. & 32. quod tamen nihil aliud probat quàm non omnem ſcripturæ ſenſum petendum eſſe ſemper ex intentione ipſius ſcriptoris,* [cùm multos præterea alios ſenſus potuerit intendere Spiritus ſanctus, quos ipſi Eccleſiæ tandem revelat.]

δ Si cum lux illa facta eſt, Angeli creati intelligantur.] *Non eſt hæc expoſitio D. Auguſtini hoc loco tantùm, verùm pluribus in locis ut libr. 3. ſuper Geneſ. ad lit. cap. 3. & lib. 4. cap. 22. & ſeq. & lib. 12. confeſſ. cap. 9. & Rupertus Abbas lib. 1. de operibus Trinitatis cap. 10. illam lucem primò creatam ita interpretantur bonos Angelos in gratia confirmatos, & à malis diviſos tanquam à tenebris, nec tamen ut ſupra dictum eſt D. Auguſtinus hunc, ut certum & neceſſarium ſenſum ſcripturæ proponit. Verum eſt quidem, cùm ſcripturam in proprio ſenſu literali poſſumus explicare, minimè recurrendum ad metaphoras. Eſt autem vera lux, ſunt & tenebræ; diviſio autem lucis à tenebris non niſi metaphoricè, ſeparatio bonorum Angelorum à malis intelligi poteſt, quia tamen ex fide certa conſtat & ex aliis ſcripturæ locis colligitur, alios quidem Angelos à principio mundi remanſiſſe in cœlo, & beatitudinem conſecutos, alios verò à Deo fuiſſe averſos & è cœlo deſcendiſſe. Apocal. 12.* factum eſt prælium magnum in cœlo, *hic ſenſus non incongruè elicitur ex eo loco ſcripturæ, an verò fuerit hic intentus ſenſus à Spiritu ſancto, vel etiam à Moyſe ſcriptore, non ſatis certò conſtat: Equidem idem D. Auguſtin. lib. 12. Confeſſ. ubi plures ſenſus huius loci Geneſ.* In principio creavit Deus cœlum & terram, *propoſuiſſet, cap. 30. tandem concludit,* ſi quis quærat ex me, quid Moſes ille famulus Dei ſenſerit, neſcio, & ſcio tamen veras eſſe illas ſententias. *Sufficit mihi interpretationem D. Auguſtini fidei Catholicæ eſſe maximè conſentaneam: Ut autem monet ille lib. 1. de Geneſ. ad liter. cap. 21.* Cùm divinos libros legimus in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur & ſanitate fidei Catholicæ muniuntur, id potiſſimum eligamus, quod certum aparuerit eum ſenſiſſe, quem legimus. Si autem hoc latet, id certè quod circunſtantia ſcripturæ non impedit, & cum ſana fide concordat; ſi autem ſcripturæ concordantia pertractari ac diſcuti non poteſt, ſaltem id ſolum, quod fides ſana præſcribit. Aliud

enim eſt quod potiſſimum ſcriptor ſenſerit, non dignoſcere, aliud autem à regula pietatis errare. Si utrumque vitetur, perfectè ſe habet fructus legentis: ſi verò utrumque vitari non poteſt, etſi voluntas ſcriptoris incerta ſit, ſanæ fidei congruam non inutile eſt eruiſse ſententiam.

ε Luminare majus.] *Ita vulgata editio habet. Græcè legitur,* τὸν φωστῆρα τὸν μέγαν. Luminare illud magnum.

ζ In principio diei.] Εἰς ἀρχὰς, *alij* in principatus. *Vox enim Græca utroq; modo reddi poteſt. D. Auguſtin. lib. 2. de Geneſ. ad literam cap. 15. videtur legiſſe* ἀρχὴν, *& interpres Origenis* in principatum; *quo etiam verbo utitur D. Ambroſ. lib. 2. citato de Geneſ. ad lit. cap. 13. interpretatur* in inchoationem diei & noctis, *dictio Hebraica quæ hoc loco verſa* εἰς ἀρχὰς. *Pſalm. 135. vertitur* εἰς ἐξουσίας, in poteſtatem, *& Ambroſius loco citato docet idem eſſe quod ſcribitur Geneſ. 1.* Solem creatum eſſe ut præeſſet diei, & Lunam ut præeſſet nocti, *& quod dicitur Pſal. 135.* Solem in poteſtatem diei, & Lunam in poteſtatem noctis.

η Inter illam vero lucem, quæ ſocietas Angelorum.] *Hoc argumento probat diviſionem lucis à tenebris congruè intelligi ſeparationem bonorum Angelorum à malis, quod hanc diviſionem ſcriptum dicat Deum feciſſe, utpotè qui præſcius fuit caſus malorum Angelorum, & novit ab æterno qui perſiſterent in bono, qui ab eo deficerent: diviſionem autem huius lucis corporeæ à tenebris ſcriptura docet quarto die factam eſſe creatione Solis qui præeſſet diei, & Lunæ, quæ præeſſet nocti.* Solus verò hanc diviſionem efficit, qui ſolus novit, qui ſunt eius. *lib. 13. Confeſſ. cap. 18. id docet.* Sumus, *inquit,* filii lucis & filii Dei, non filii noctis neque tenebrarum, quod tamen fuimus; inter quos & nos adhuc incertos humanæ notitiæ tu ſolus dividis, qui probas corda noſtra, & vocas lucem diem & tenebras noctem; quis enim nos diſcernit niſi tu? quid autem habemus quod non accepimus à te ex eadem maſſa vaſa in honorem, ex qua & alia vaſa ſunt in contumeliam.

Cap. XX.

De eo quod poſt diſcretionem lucis atq; tenebrarum, dictum eſt: Et vidit Deus lucem, quia bona eſt.

Gen. 1. Denique, nec illud prætereundum eſt ſilentio, quòd ubi dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux: *a a* continuò ſubjunctum eſt: Et vidit Deus lucem, quia bona eſt: non poſtea quàm ſeparavit inter lucem, & tenebras, & vocavit lucem diem, & tenebras noctem, ne ſimul cum luce, etiam talibus tenebris teſtimonium placiti ſui perhibuiſſe videretur. Nam ubi tenebræ inculpabiles ſunt, inter quas & lucem iſtam his oculis conſpicuam luminaria cæli dividunt, non ante, ſed poſt infertur: Et vidit Deus, quia bonum eſt: & poſuit, inquit, illa in firmamento cæli lucere ſuper terram, & præeſſe diei & nocti, & ſeparare inter lucem & tenebras. Et vidit Deus, quia bonum eſt. Utrunque placuit, quia utrunque ſine peccato eſt. Ubi autem dixit Deus: Fiat lux: ſtatim ſequitur, Et vidit Deus lucem, quia bona eſt. Et poſtmodum infertur: Et ſepara-

paravit Deus inter lucem & tenebras: vocavitque Deus lucem diem, & tenebras noctem, non hoc loco additum eſt, Et vidit Deus quia bonum eſt: ne utrunque appellaretur bonum, cùm eſſet horum alterum malum, vitio proprio, non natura. Et ideo ſola ibi lux placuit conditori: tenebræ autem angelicæ, & ſi fuerant ordinandæ, non tamen fuerant approbandæ.

a Continuò ſubjunctum eſt.] *Cùm de luce illa ſpiritali, hoc eſt angelis ſcriptura loqueretur, antequam pars lucis, hoc eſt, pars angelorum in tenebras abiret, lucem approbavit Deus, angelos ſcilicet omnes, quos ipſe bonos crearat, ac lucem. Cùm verò de luce noſtra corporibus ſubſiſtente iiij. die loqueretur, & lucem probari à Deo fecit, & tenebras. quippe cùm tenebræ, quas Deus tales fecit, non mala ſint, ut ſunt dæmones poſtquam in tenebras ſunt verſi, ideo illas tenebras primi diei non comprobavit, ut tenebras quarti.* L. Vives.

a Continuò ſubjunctum eſt, & vidit Deus lucem.] *Altero argumento probat lucem illam primò creatam intelligi congruè admodum naturam angelicam, quæ primo omnium creata eſt, de ea enim ſubjunxit ſcriptura.* Vidit lucem, quod bona eſt, *tota ſcil. ipſa natura ab initio creata, idq; ante ſeparationem lucis à tenebris, ubi verò ſeparatio deſcribitur facta illius lucis à tenebris, non dicitur vidiſſe Deum, quia bonum eſt, ne ſimul cum luce talibus tenebris ſui placiti teſtimonium perhibuiſſe videretur. Boni enim Angeli remanſerunt lux, verùm mali averſione à Deo verò ſole & ſplendore tenebræ facti ſunt, atq; Deus primo diviſit inter hujusmodi lucem, & tenebras præmio vitæ æternæ & pœna ignis æterni. Ubi verò in opere 4. diei ſcriptura loquitur de ſeparatione lucis huius corporeæ à tenebris, ſubjungit poſtea.* Vidit Deus quod bonum eſt, *utrumq; placuit, cum utrumq; ſit ſine peccato. Vult itaq; hoc argumento oſtendere primam illam lucem & primas illas tenebras, quæ primo loco ponuntur, aliter intelligendas eſſe quàm lucem & tenebras, quæ quarto die ab invicem Sole & Luna & nominibus diei & noctis diſterminatæ ſunt; & rectè quidem poſt ſeparationem inter lucem corpoream & haſce tenebras additum eſt,* Et vidit Dominus quia bonum eſt, cum utrumque culpa vacet, non autem id additum eſt poſt diviſionem lucis primævæ à tenebris, cùm tenebræ illæ, quæ mali angeli intelliguntur, culpa non vacent, & ne utrumque bonum intelligeretur. F. L. Coq.

Cap. XXI.

De æterna & incommutabili ſcientia Dei, ac voluntate, qua ſemper illi univerſa quæ fecit, ſic placuerunt facienda quemadmodum facta.

Quid eſt enim aliud intelligendum a in eo quod per omnia dicitur, Vidit Deus, quia bonum eſt: niſi operis approbatio ſecundùm artem facti, quæ ſapientia Dei eſt? Deus autē uſq; adeò β non cùm factū eſt, tunc dicit bonū, ut nihil eorū fieret, ſi ei fuiſſet incognitum. Dum ergo videt, quia bonū eſt, quod niſi vidiſſet, antequam fieret, non utique fieret: docet bonum eſſe, non diſcit. a γ Et Plato quidem plus auſus eſt dicere: elatum eſſe, ſcilicet, Deum gaudio,

 mundi

mundi univerſitate perfecta. Ubi & ipſe non uſque adeò deſipiebat, ut putaret Deum *a* ſui operis novitate factum beatiorem: ſed ſic oſtendere voluit, artifici ſuo placuiſſe jam factum, quod placuerat in arte faciendum: *a* non quòd ullo modo Dei ſcientia varietur, ut aliud in eo fiant, quæ nondum ſunt, aliud quæ jam ſunt, aliud quæ fuerunt. Non enim more noſtro ille, vel quod futurum eſt proſpicit, vel quod præſens eſt aſpicit, vel quod præteritum eſt reſpicit: ſed alio modo quodam à noſtrarum cogitationum conſuetudine longè lateque diverſo. Ille quippe, non ex hoc in illud, cogitatione mutata, ſed omnino incommutabiliter videt: ita, ut illa quidem quæ temporaliter fiunt, & futura nondum ſint, & præſentia jam ſint, & præterita jam non ſint: ipſe verò hæc omnia ſtabili, ac ſempiterna præſentia comprehendat: nec aliter oculis, aliter mente: non enim ex animo conſtat & corpore. Nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter poſtea: quoniam non ſicut noſtra, ita & ejus quoque ſcientia trium temporum, præſentis videlicet, & præteriti, vel futuri varietate mutatur: *b* apud quem non eſt immutatio, nec momenti obumbratio. Neque enim ejus intentio de cogitatione in cogitationem tranſit, in cujus incorporeo contuitu ſimul adſunt cuncta quæ novit. Quoniam tempora ita novit nullis ſuis temporalibus notionibus, quemadmodum temporalia movet nullis ſuis temporalibus motibus. Ibi ergo vidit bonum eſſe, quod fecit, ubi bonum eſſe vidit, ut faceret. Nec quia factum vidit, ſcientiam duplicavit, vel ex aliqua parte auxit, tanquam minoris ſcientiæ fuerit priuſquam faceret, quod videret, qui tam perfectè non operaretur, niſi tam perfecta ſcientia, cui nihil ex ejus operibus adderetur. Quapropter, ſi tantummodo nobis inſinuandum eſſet, quis fecerit lucem, ſufficeret dicere: Fecit Deus lucem. Si autem non ſolùm quis fecerit, verùm etiam per quid fecerit, ſatis eſſet ita enunciari: Et dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux: ut non tantùm Deum, ſed etiam per verbum lucem feciſſe noſſemus. Quia verò tria quædam maximè ſcienda de creatura nobis oportuit intimari, quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit: Deus dixit, inquit: Fiat lux, & facta eſt lux: & vidit Deus lucem, quia bona eſt. Si ergo quærimus, quis fecerit, Deus eſt. Si per quid fecerit, dixit fiat, & facta eſt. Si qua re fecerit, quia bona eſt. *ζ* Nec autor eſt excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec cauſa melior, quàm ut bonum crearetur à bono Deo. *c* Hanc etiam Plato cauſam condendi mundi juſtiſſimam dicit, ut à bono Deo bona opera fierent: ſive iſta legerit, ſive ab his qui legerant forte cognoverit, ſive acerrimo ingenio inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpexerit, ſive ab his qui iſta conſpexerant, & ipſe didicerit.

L. Vives. *a* ET Plato quidem auſus eſt dicere.] *Platonis in Timæo hæc ſunt verba:* ὡς δὲ κινηθέν τε αὐτὸ καὶ ζῶν ἐνενόησε τῶν ἀϊδίων θεῶν γεγονὸς ἄγαλμα ὁ γεννήσας πατὴρ, ἠγάσθη τε, καὶ εὐφρανθείς. *Cùm verò mobile vivenſq́ æternorum deorum ſimulacbrum animadvertit, is pater qui fecerat approbavit, & lætatus eſt.*

b Apud quem.] *Iacobi 1.* παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα: *hoc eſt,*

eſt, Nihil ei converſione aliqua abſconditur, & tenebris operitur atq; ignoratione. παραλλαγὴν Hieron. contra Iovinianum differentiam vertit: τροπὴν verò momentum Auguſt. transfert, quod haud ſcio ad tempusne referat, an ad rei exiguitatem. Nec enim ullo vel minimo tempore tranſit ad umbram ex ſplendore Deus, nec ejus luci aliqua admiſcetur umbella. Eſt etiam momentum, converſio, mutatio, à movendo: unde & inclinatio, ut in ſtateris. Intelligi quoq; poteſt, non eſſe obſcurationem quampiam viciſſitudinis & converſionis à contrario in contrarium, qualis eſt in nobis.

c Hanc enim Plato cauſam.] *Plato in Timæo, Cicerone interprete: Quæramus igitur cauſam, quæ eum impulerit, qui hæc machinatus ſit, ut originem rerum, & molitionem novam quæreret; probitate videlicet præſtabat, probus autem invidet nemini. Itaq; omnia ſibi ſimilia generavit, hæc nimirum gignendi mundi cauſa juſtiſſima.*

α IN eo quod per omnia dicitur vidit Deus.] *Obſervat lib. 13. confeſſio. cap. 28. ſepties reſcriptum eſſe vidiſſe Deum, quia bonum eſt quod fecit.*

β Non cùm factum eſt tunc diſcit bonum.] *Ita objiciebant Manichæi, ut refert lib. 1. de Geneſ. contra Manichæos, c. 8.* Illud, *inquit*, reprehendunt: Et vidit Deus lucem, quia bona eſt. Dicunt enim: Ergo non noverat Deus lucem, aut non noverat bonam: miſeri homines, quibus diſplicet quod Deo placuerint opera ſua, cum videant etiam hominem artificem, v.g. lignarium fabrum, quamvis in comparatione ſapientiæ ac potentiæ Dei nullus ſit, tamen tamdiu lignum cædere, atque tractare, dolando, aſciando, tornando, vel planando atque poliendo, quouſque ad artis regulam perducatur, quantum poteſt & placeat artifici ſuo. Nunquid id ergo quod placet ei quod fecit, ideo non noverat bonum prorſus noverat intus in animo, ubi ars ipſa pulchrior eſt, quàm illa, quæ arte fabricantur. Sed quod videt artifex intus in arte, hoc foris probat in opere, & hoc perfectum, quod artifici ſuo placet. Vidit ergo lucem, quia bona eſt. Eodem modo intellige de cæteris operibus; quibus verbis non oſtenditur eluxiſſe Deo in ſolitum bonum, ſed placuiſſe perfectum. *Hucuſq; Auguſtin. Vidit Deus omnia in ſe ipſo antequam fierent, & in arte ſua, quam omnia facta ſunt; habet enim apud ſe æternas rerum creatarum rationes.* F. L. Cog.

γ Et Plato quidem auſus eſt dicere.] *Verba Platonis ſunt in Timæo.* ὡς δὲ κινηθέντι αὐτὸ καὶ ζῶν ἐνενόησε τῶν ἀιδίων θεῶν γεγονὸς ἄγαλμα ὁ γεννήσας πατήρ, ἠγάσθη τε καὶ εὐφρανθεὶς, ἔτι δὴ μᾶλλον ὅμοιον πρὸς τὸ παράδειγμα ἐπενόησεν ἀπεργάσασθαι, *id eſt*, cùm hoc à ſe factum ſempiternum deorum pulchrum ſimulacrum moveri & vivere pater ille qui genuit, animadverteret, delectatus eſt opere, & hac ductus lætitia opus ſuum multo magis etiam primo illi exemplari ſimile reddere cogitavit. *Plotinus Ennea. 5. lib. 8. cap. 8. docet, Platonem per hoc oſtendere voluiſſe ipſam exemplaris ideæq; pulchritudinem velut amabilem: quoties enim aliquis admiratur opus ad exemplar aliud fabricatum, exemplar ipſum potiſſimum admiratur.* Quod autem, *inquit*, ad divinum exemplar Plato referat, quod dicit architectum mundi opus adamaviſſe, ipſo ſpectaculo delecta-

tum, declarat, ubi dedita opera ita ſubjungit, ait enim delectatus eſt quidem opificio ſuo, atque etiam magis ad exemplar ipſum reddere ſimile voluit, hoc ipſo demonſtrans qualis ſit pulchritudo exemplaris: propterea quod, *inquit*, opus hoc ex illo pulchrum eſſe, quia ſit illius imago.

δ Sui operis novitate factum beatiorem.] *Nihil enim ex mundi creatione Deo acceſſit lib. 13. confeſſ. cap. 4.*

ε Non quod ullo modo ſcientia Dei varietur.] *Etiam ſi ea, quæ cadunt ſub Dei ſcientiam ſint mutabilia & variationi obnoxia & tempori ſubjiciantur, ut aliquando præterita ſint, aliquando futura, nonnunquam præſentia, ipſa tamen Dei ſcientia immutabilis eſt, invariabilis & æterna: nec alio modo novit futura, quàm præterita & præſentia. Nec enim ſubjicitur ulli mutationi ullisve temporis differentiis. Et hæc eſt doctrina Auguſtini hoc loco & lib. 11. Confeſſ. cap. ultim. & lib. de prædeſt. Sanctorum, cap. 5. & lib. ſexto de Trinitat. cap. ultim. & lib. 2. ad Simplic. quæſt. 2. ubi id confirmat.* Quod non aliter Deus intuetur futura cum in ſuo tempore ſunt, quàm antequam ſint, quia in divina cognitione non poteſt eſſe unus atque alius cognitionis modus, ſed ſemper idem. *Roman. 4.* vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. *Etſi enim res non coexiſtant intellectui divino ſecundùm ſuam realem exiſtentiam ab æterno, ſunt nihilominus objectivè præſentes intellectui divino, & cum ſcientia ſua nihil dependeat à rebus ipſis nec ab exiſtentia rerum, tàm perfectè novit eas, quando futura ſunt, quam perfectè novit ipſa præſentia. Hanc perfectionem divinæ ſcientiæ pulchrè explicat Proſper lib. 2. de vocat. gent. cap. ult.* Scientia Dei, *inquit*, quæ & præterita & præſentia & futura complectitur, tempore non tenetur, & tam in eius conſpectu adſtant ea quę gerenda ſunt, quàm illa quæ aut geruntur aut geſta ſunt. Quod cùm veriſſimum ſit, non indiget mora cernendi & diſcernendi illa virtus, quæ perpetuo veroque contuitu creata & creanda, orta & oritura, acta & agenda ſimul aſpicit; & quicquid in univerſitate rerum per ſæcula præfinita evolvitur, ac multimodis varietatibus explicabitur, id totum in eo jam ordine comprehendit, quem ex ipſius ſummo illo perfectoque judicio mundi huius finis accipiet. *Quemadmodum enim Dei æternitas una & eadem exiſtens citra ullam ſui mutationem coexiſtit omnibus differentiis temporis, ita ſcientia Dei æterna licet ea complectatur, quæ tempore mutantur, ipſa nihilominus immutabilis & invariabilis permanet. Nam Deus omnia uno & eodem ſimpliciſſimo actu intelligendi cognoſcit, & quidem non per diverſa media, verùm per unum & idem medium, ſcilicet eſſentiam ſuam, quæ ei ſimul omnia repræſentat. Ita docet D. Dionyſius, quod Deus videndo ſe videt omnia ſimul in ſeipſo,*

ζ Nec author eſt excellentior Deo.] *Mundus non potuit fieri à meliore agente, neq; ob meliorem finem. Etſi enim hic lucem dicat factam, quia bona eſt, quo ſignificat ea ratione creaturas à Deo conditas eſſe, ut participes eſſent divinæ bonitatis, nihilominus finis præcipuus eſt ipſe Deus.* Univerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt dominus. *Conditus eſt enim mundus, ut per eum Dei ſapientia, bonitas & potentia innoteſceret. Unde rectè dictum eſt Eccleſ. 1. Deum effudiſſe ſapientiam ſuam*

ſuam ſuper omnia opera ſua, quod in illis ſapientia Dei maximè reluceat; qua ratione non incongruè dictum eſt à quibuſdam, mundum eſſe velut Deum explicatum, quòd univerſum eo fine conditum ſit, ut in eo repræſentaretur bonitas & perfectio Dei. Licet igitur finis intrinſecus ipſius lucis & cujuslibet rei creatæ ſit ipſius bonitas & perfectio, extrinſecus tamen & ultimus & potiſſimus finis tam ſingularum partium quàm univerſi totius Deus ipſe eſt, ſeu divina bonitas, ad quam exprimendam conditum eſt univerſum: nec meliori arte potuit condi univerſum, ars enim qua conditum eſt, ipſa eſt ſapientia & verbum patris; de quo Joan. 1. Omnia per ipſum facta ſunt. *Hebr. 1.* per quem fecit & ſæcula. *Coloſſ. 1.* In ipſo condita ſunt univerſa in cœlis & in terra viſibilia & inviſibilia. *Ne verò qui creavit mundum, & per quem creavit, alterius naturæ eſſe putes. Nam & Deus pater & ars patris verbum, eiusdem ſunt naturæ, & eadem virtute & actione omnia extra ſe producunt; quod enim omnia per verbum ſuum feciſſe dicatur Deus in ſcriptura, Arriani particulam illum,* per, *ſignificare volebant inſtrumentum & miniſterium, ut* per verbum *tanquam miniſterium & inſtrumentum Deus omnia feciſſe intelligatur, atq; ita concludebant, Patre longè inferiorem eſſe filium. Meminit huius blaſphemiæ Arrianorum Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 5. Cyrillus lib. 1. in Joannem cap. 5. Chryſoſtom. homil. l. 4. & alij Patres. Verùm non niſi hæretico ſenſu filius dicetur inſtrumentum ſeu miniſter Patris, & in ſcriptura particula illa,* per, *ſignificat etiam cauſam principalem. Proverb. 8.* per me reges regnant, *& quemadmodum de patre, ita de filio rectè dicitur, quod omnia creaverit. Verùm licet ſint eiusdem eſſentiæ & naturæ, eandem præterea virtutem agendi habeant, & eadem actione operentur, quia tamen filius habet eſſentiam & virtutem à patre, & quod creet:* Ego à meipſo facio nihil, *ideo dicitur Pater per filium operari. Baſilius lib. de Spiritu ſanct. cap. 8.* Omnia per ipſum facta ſunt, non quod inſtrumentali ac ſervili quodam miniſterio fungatur, ſed quia tanquam conditor paternam impleat voluntatem.

n Hanc etiam Plato cauſam condendi mundum.] *Ita loquitur Plato in Timæo,* λέγομεν δὴ δι' ἣ αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν, ἀγαθὸς ἦν· ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίνεται φθόνος· τούτου δ' ἐκτὸς ὢν πάντ' ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια αὐτῷ. ταύτην δὲ γενέσεως κόσμου. μάλιστ' αὐτὴς ἀρχὴν κυριωτάτην παρ' ἀνδρῶν φρονίμων ἀποδεχόμενος ὀρθότατα ἀποδέχοιτ' ἄν. *Cicero ita interpretatur lib. de Univerſitate.* Quæramus igitur cauſam, quæ cum impulerit, qui hæc machinatus ſit, ut origenem rerum & molitionem novam quæreret, probitate videlicet præſtabat, probus autem invidet nemini. Itaque omnia ſui ſimillima generavit; hæc nimirum gignendi mundi juſtiſſima cauſa. *Hanc eandem rationem mundi condendi adfert D. Dionyſius cap. 4. cœleſt. hierarch. & D. Damaſcen. libr. 2. fidei orthodoxæ cap. 2. Neque tamen ſi Deus creaturas non produceret, invidia in eum caderet. Etſi enim poſſit producere optima, id tamen vult pro infinita ſua ſapientia & bonitate, nec tenetur communicare eſſe rebus ipſis.*

Cap. XXII.

De his, quibus in univerſitate rerum à bono creatore bene conditarum quædam diſplicent, & putant nonnullam eſſe naturam malam.

Hanc tamen cauſam, id eſt, ad bona creanda bonitatem Dei. Hanc inquam cauſam tam juſtam atque idoneam, quæ diligenter conſiderata & piè cogitata, omnes controverſias quærentium mundi originem terminat, quidam hæretici non viderunt: quia egenam carnis hujus fragilemque mortalitatem, jam de juſto ſupplicio venientem, dum ei non conveniunt plurima, offendunt: ſicut ignis, aut frigus, aut fera beſtia, aut quid hujuſmodi. *a* Nec attendunt, quàm vel in ſuis locis naturiſque vigeant, pulchroque ordine diſponantur: quantumque univerſitati rerum pro ſuis portionibus decoris tanquam in communem rempubl. conferant, vel nobiſipſis ſi eis congruenter atque ſcienter utamur, commoditatis attribuant: ita ut venena ipſa, quæ per inconvenientiam pernicioſa ſunt, convenienter adhibita in ſalubria medicamenta vertantur: quamque à contrario etiam hæc quibus delectantur, ſicut cibus & potus & iſta lux immoderato & importuno uſu noxia ſentiantur. Unde nos admonet divina providentia, non res inſipienter vituperare, ſed utilitatem rerum diligenter inquirere, & ubi noſtrum ingenium vel infirmitas deficit, ita credere occultam, ſicut erant quædam quæ vix potuimus invenire: quia & ipſa utilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio eſt, aut elationis attritio, *a* cùm omnino natura nulla ſit malum, nomenque hoc non ſit niſi privationis boni: ſed à terrenis uſque ad cæleſtia, & à viſibilibus uſque ad inviſibilia ſunt aliis bonis alia bona meliora, ad hoc inæqualia ut eſſent omnia. Deus autem ita eſt artifex magnus in magnis, *b* β ut minor non ſit in parvis: quæ parva non ſua granditate, nam penè nulla eſt, ſed artificis ſapientia metienda ſunt ſicut in ſpecie viſibilis hominis, ſi unum radatur ſupercilium, quàm propemodum nihil corpori, & quàm multum detrahitur pulchritudini: quoniam non malè conſtat, ſed parilitate ac dimenſione membrorum. *c* Nec ſanè multum mirandum eſt, γ quòd hi qui nonnullam malam putant eſſe naturam ſuo quodam contrario exortam, propagatamque principio: nolunt accipere iſtam cauſam creationis rerum, ut bonus Deus conderet bona, credentes eum potius ad hæc mundana molimina rebellantis adverſum ſe mali extrema neceſſitate perductum, ſuamque naturam bonam malo coercendo ſuperandoque miſcuiſſe, quam turpiſſimè pollutam & crudeliſſimè captivatam, & oppreſſam labore magno vix mundet, ac liberet: non totam tamen, ſed quod ejus non potuerit ab illa inquinatione purgari, tegmen, ac vinculum futurum hoſtis victi & incluſi. Sic autem Manichæi non deſiperent, vel potius inſanirent, ſi Dei naturam, ſicuti eſt, incommutabilem, atque omnino incorruptibilem crederent, cui nocere nulla res poſſit: animam verò quæ voluntate mutari in deterius & peccato corrumpi potuit: atque ita incommutabilis veritatis luce privari, non Dei partem, nec ejus natu-

naturæ quæ Dei eſt, ſed ab illo conditam longe imparem conditori, Chriſtiana ſanitate ſentirent.

a CUm omnino natura nulla ſit malum.] *Sæpe hoc Auguſtinus repetit, nullam eſſe naturam malam, omnia eſſe bona. In quo & conſentiunt cum eo ſcriptores noſtræ religionis omnes, & ipſe Platoni, Ariſtoteli, Ciceroni, multiſq; aliis philoſophis ſuffragatur. Plato in Timæo, cùm omnia ſint ab optimo Deo facta, nefas exiſtimari putat aliquid malum eſſe. Probus enim invidet nemini, idcirco omnia ſui ſimilia generavit. Et in 2. De repub. Deum bonum eſſe ait, nullius mali, nullius noxiæ rei cauſam, ſed tantum rerum bonarum: idcirco Heſiodum, & Homerum vituperat, qui Iovem fecerint malorum cauſam. Cumq; univerſitatis parentem, & cauſam Deum eſſe fateatur, fit, ut nihil in ea malum eſſe putet. Ego, ut paucis quid ſentio aperiam, bonum eſſe dico, ut Ariſtoteles in Rhetoricis, quod vel propter ſeipſum, vel in uſum alterius volumus: malum quod vel propter ipſum, vel propter aliud fugimus, & adverſamur. Itaq; in mundo judiciis humanis alia bona ſunt, ut quæ nobis proſunt: alia mala, quæ obſunt: neutra, quæ nec proſunt, nec obſunt, & inter homines alia aliis mala, aliis bona ſunt: & eidem homini variis temporibus, locis, rationibus, idem & bonum eſt, & malum, & neutrum. Hæc omnia ex opinionibus noſtris, & imbecillitate judiciorum, cumq; ad noſtra commoda cuncta referimus, fiunt. Eſt autem mens, ac judicium unum divinum illud, quod ſic res univerſas ſtatuit, ut omnes ſibi in adminiſtratione mundi ſint uſui. Ille ergo omniſcius, qui falli non poteſt, omnia videt eſſe bona, quod ſuis locis, opportunitatibuſq; ſint utilia. Idq; ſapiens ſignificat inquiens, omnia eſſe à Deo ſuo quodq; tempore bona creata. Hæc eſt cauſa, cur omnia ſacrarit, cur creſcere augerique juſſerit. Nam ſi aliquid eſſet parum ſibi per occaſionem utile, id ne punctum quidem temporis duraret, ſed nec eſſet progenitum.* L.Vivis.

b Ut minor non ſit in parvis.] *Ariſt. ait, non minus eſſe naturam in minutiſſimis animalculis, velut formicis, culicibus, apibus, araneolis, quàm in maximis equis, bobus, cetis, elephantis admirabilem. Eſt & caput apud Plin. l. 11. De ſubtilitate naturæ in exiguis beſtiolis.*

c Nec ſanè multum mirandum.] *Hunc Manichæorum errorem Auguſtinus explicat in hæreſibus, ad Quodvultdeum, & contra Fauſtum Manichæum, & de Geneſi adverſus Manichæos.*

a NEc attendunt quam vel in ſuis locis naturiſque vigeat.] *Movent hanc objectionem Manichæi apud D. Auguſtinum lib. 1. de Geneſ. cont. Manichæos cap. 16.* Quid opus erat, ut tam multa animalia Deus faceret ſive in aquis, ſive in terra, quæ hominibus non ſunt neceſſaria, multa etiam pernicioſa ſunt & timenda. *Egregiè reſpondet huic objectioni, & docet qua ratione omnia maximè faciant ad decorem univerſi, cuius verba quia doctrinæ huius capitis maximè conſonant, apponam.* Sed cùm iſta dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra ſunt conditori & artifici ſuo, qui omnibus utitur ad gubernationem univerſitatis, cui ſumma lege dominatur. Si enim in alicuius opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa inſtrumenta, quorum cauſas ignorat, & ſi multum eſt inſipiens, ſuperflua putat. Jam verò ſi in fornacem incautus F.L.Coq.

cautus ceciderit, aut ferramento aliquo accuto, cum id malè tractat, ſeipſum vulneraverit, etiam pernicioſa & noxia exiſtimabit ibi eſſe multa. Quorum tamen uſum quoniam novit artifex, inſipientiam eius irridet, & verba inepta non curans officinam ſuam conſtanter exercet. Et tamen tam ſtulti ſunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant, ſed cum ea viderint credunt eſſe neceſſaria, & propter uſus aliquos inſtituta; in hoc autem mundo, cuius conditor & adminiſtrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum cauſas non vident, & in operibus atque inſtrumentis omnipotentis artificis volunt ſe videri ſcire, quod neſciunt. Ego verò fateor me neſcire mures & ranæ quare creatæ ſint, aut muſcæ aut vermiculi, video tamen omnia in ſuo genere pulchra eſſe, quamvis propter peccata noſtra multa nobis videantur adverſa.

β Ut minor non ſit in parvis.] *Certè Ariſtoteles ipſe docet lib. 1. de partibus animalium cap. 5. nullum eſſe vel minimum opus in natum, in quo non liceat ſummoperè admirari artem & ingenium ſummi illius artificis, & ipſe D. Auguſtinus lib. 3. de Geneſi ad Lit cap. 14.* Ineſt omnibus quoddam naturæ ſive generis decus, ſic ut in his ſit major admiratio benè conſiderantis, & laus uberior omnipotentis artificis, qui omnia in ſapientia fecit, qui à fine uſque ad finem pertendens & ſuaviter cuncta diſponens nec ea ipſa rerum noviſſima, quæ pro ſui generis ordine diſſolvuntur, & quarum diſſolutionem ex pœna noſtra mortalitatis horremus, relinquit informia; ſed creat minima corpore, acuta ſenſu animantia, ut majore attentione ſtupeamus agilitatem muſcæ volantis, quam magnitudinem jumenti gradientis, ampliusque miremur opera formicarum, quam onera camelorum. *Eleganter etiam Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 14. in minutiſſimis animalculis Dei ſapientiam admirandam proponit.* Cùm animalia (*inquit*) irrides minutiora, quæ maximus artifex de induſtria ingeniis aut viribus amplicavit, ſic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate ſecundum Apoſtolum; imitare ſi potes, apis ædificia, formicæ ſtabula, araneæ retia, bombycis ſtamina. *Meritò igitur dicit non minorem eſſe artificem Deum in parvis quàm in magnis, ſi quidem æquè ſapientiam ſuam nobis proponit admirandam in minutiſſimis quibusque animalibus atque in magnis.*

β Quod hi qui nonnullam malam putant eſſe naturam.] *Manichæos intelligit, qui duo prima rerum principia ſtabiliebant, unum bonarum, alterum malarum, atque ita nonnullas naturas ex ſe malas ſtatuebant, quos paſſim refellit Auguſtinus. Eorum etiam alteram hæreſim aut potiùs blaſphemiam plusquàm diabolicam nominatim hîc perſtringit, quod vellent minimè Deum in eum finem condidiſſe mundum, ut bonitatem ſuam in creaturas diffunderet, ſed ut rebellantem adverſum ſe malam naturam comprimeret, atque ita neceſſitate quadam adactum Deum mundum creaſſe. Vide eundem de hæreſ. ad Quodvult deum hæreſi 46. Epiphan. hæreſ. 66. Prateolum lib. 11. contra hæreſes, verbo Manichæi.*

CAP. XXIII.

De errore, in quo Origenis doctrina inculpatur.

SEd multò eſt mirandum amplius, quod etiam quidam, qui unum nobiſcum credunt, omnium rerum eſſe principium, nullamque naturam, quæ non eſt quod Deus eſt, niſi ab illo conditore eſſe non poſſe: noluerunt tamen iſtam cauſam fabricandi mundi, tam bonam ac ſimplicem bene ac ſimpliciter credere, ut Deus bonus conderet bona, & eſſent poſt Deum, quæ non eſſent, quod eſt Deus: bona tamen quæ non faceret, niſi bonus Deus. *a α* Sed animas dicunt, non quidem partes Dei, ſed factas à Deo: peccaſſe à conditore recedendo, & diverſis progreſſibus pro diverſitate peccatorum, à cœlis uſque ad terras, diverſa corpora quaſi vincula meruiſſe. Et hunc eſſe mundum, eamq; cauſam mundi fuiſſe faciendi, non ut conderentur bona, ſed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes jure culpatur. β In libris enim quos appellat περὶ ἀρχῶν, id eſt, de principiis, hoc ſenſit, hoc ſcripſit. Ubi plus quàm dici poteſt, miror γ hominem in eccleſiaſticis literis tam doctum & exercitatum, non attendiſſe, primùm quàm hoc eſſet contrarium ſcripturæ hujus tantæ autoritatis intentioni, quæ per omnia opera Dei ſubjungens. Et vidit Deus, quia bonum eſt: completiſque omnibus, inferens: Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde: nullam aliam cauſam faciendi mundi intelligi voluit, niſi ut bona fierent à bono Deo. Ubi ſi nemo peccaſſet, δ tantummodo *b* naturis bonis eſſet mundus ornatus, & plenus. Et quia peccatum eſt, non ideo cuncta ſunt impleta peccatis, ε cùm bonorum longè major numerus in cæleſtibus ſuæ naturæ ordinem ſervet. Nec mala voluntas, quia naturæ ordinem ſervare noluit, ideo ζ juſti Dei leges omnia bene ordinantis effugit. Quoniam ſicut pictura cum colore nigro, loco ſuo poſito, ita univerſitas rerum, ſi quis poſſit intueri, etiam cum peccatoribus pulchra eſt, quamvis per ſeipſos conſideratos ſua deformitas turpet. Deinde videre debuit Origenes, & quicunque ita ſapiunt, η ſi hæc opinio vera eſſet, mundum ideo factum, ut animæ pro meritis peccatorum ſuorum θ tanquam ergaſtula, quibus pœnaliter includerentur, corpora acciperent, ſuperiora & leviora quæ minus, inferiora verò & graviora quæ amplius peccaverunt: dæmones, quibus deterius nihil eſt, terrena corpora, quibus inferius & gravius nihil eſt, potius quàm homines etiam malos habere debuiſſe. Nunc verò ut intelligeremus animarum merita non qualitatibus corporum eſſe penſanda, *c* aereum poſſidet peſſimus dæmon: homo autem & nunc licet malus, longè minoris mitiorisque malitiæ, & certè ante peccatum tamen luteum corpus accepit. ι Quid autem ſtultiùs dici poteſt quàm iſtum ſolem, ut in uno mundo unus eſſet, non decori pulchritudinis, vel etiam ſaluti rerum corporalium conſuluiſſe artificem Deum, ſed hoc potius eveniſſe, quia una anima ſic peccaverat, ut tali corpore mereretur includi? Ac per hoc ſi contigiſſet, ut non una ſed duæ, imò non duæ ſed decem, vel centum, ſimiliter æqualiterque peccaſſent, centum ſoles haberet hic mundus. Quod ut non fieret, non opificis proviſione mirabili ad rerum

corporalium ſalutem decoremque conſultum eſt, ſed contigit potius tanta unius animæ progreſſione peccantis, ut ſola corpus tale mereretur. Non planè animarum, de quibus neſciunt quid loquantur, ſed eorum ipſorum, qui talia ſapiunt, multum longè à veritate & merito eſt coercenda progreſſio. Hæc ergo tria, quæ ſuperius commendavi, cùm in unaquaque creatura requiruntur, quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit, ut reſpondeatur Deus, per verbum, quia bonus eſt, utrum altitudine myſtica nobis ipſa Trinitas intimetur, hoc eſt, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, an aliquid occurrat, quod hoc loco ſcripturarum id accipiendum eſſe prohibeat, multi ſermonis eſt quæſtio, nec omnia uno volumine ut explicemus urgendum eſt.

L. Vives. *a* SEd animas dicunt non quidem partes Dei.] *Origenes Adamantius in 1. lib. Principiorum, quem* περὶ ἀρχῶν *inſcripſit, incorporalia primum à Deo facta eſſe putat, quæ ſignificantur per ea nomina, quæ poſtea corporeis ſunt rebus attributa, cælum videlicet, & terram: inter eas ſubſtantias ſpiritales mentes quoq; noſtras eſſe creatas, quæ de ſtatu & dignitate ſua declinantes, utar enim Rufini interpretatione, effectæ vel nuncupatæ ſunt animæ, quarum nomen* ψυχὴ *Græcè ſonat à frigeſcendo de ſtatu diviniore & meliore: dictum & translatum inde, quòd ex calore illo naturali & divino refrixiſſe mens videatur, & ideo in hoc quoque nunc & ſtatu & vocabulo ſita eſt, quæ ſi reparata fuerit & correcta, redit in hoc ut ſit mens. Quod ſi ita eſt, deceſſus ipſe mentis ac devolutio videtur mihi non æqualis omnium ſentiendus, ſed vel plus vel minus in animam verti, & aliquas quidem mentes ſervare quidem mentes, ſervare aliquid etiam prioris vigoris, aliquas verò aut nihil, aut exiguum aliquid. Hæ animæ propter nimios defectus mentis craſſioribus & ſolidioribus indiguere corporibus propter quas etiam mundus iſte viſibilis conſtitutus eſt, tantus ut omnes facilè caperet, quas in eo exerceri ſtatutum erat. Cumq; non omnes æquè à bono receſſiſſent, ſemina quædam & cauſas varietatis & diverſitatis ille omnium conditor cepit, ut pro diverſitate peccatorum varium ac diverſum mundum efficeret. Hæc ſententia Origenis, quam eandem Hieronymus ad avitum ponit.*

b Naturis bonis.] *Nulli malo, nulli incommodo nobis futuris Deo gratis.*

c Aereum poſſidet peſſimus dæmon.] *De hoc loquar pòſt.*

P. L. Coq. *α* SEd animas dicunt.] *Reprehendit Origenem, cuius inter cæteros errores (quos videre licet apud Epiphanium hæreſ. 64. & Epiſt. ad Joannem Hieroſolymitanum, apud Auguſtinum de hæreſ. ad Quodvult deum hæreſ. 45. Hieronym. Epiſt. 59. ad Avitum, & 61. ad Pammachium adverſus errores Joannis Hieroſolymitani, & Apologia contra Rufinum, & epiſt. 65. ad Pammachium & Oceanum de errorib. Origenis) hic unus fuit, quòd exiſtimarit animas longè ante mundum corporeum fuiſſe creatas, & eiusdem cum Angelis naturæ ob diverſa verò peccata vel merita in nobiliora vel viliora corpora fuiſſe detruſas, atq; hac occaſione mundum hunc viſibilem, diverſis corporibus conſtantem fuiſſe creatum, non autem ea ſola ratione ut Deus extra ſe ſuam bonitatem creaturis communicaret. Hanc Origenis ſententiam refellit multis rationibus D. Thom. 2. contra Gentes cap. 44. 1. par. qu. 47. art. 2.*

β In

β In libris quos appellat περὶ ἀρχῶν.] *Hi libri Origenis referti ſunt multis erroribus ut non modo legenti patebit, verùm etiam ex teſtimonio Hieronymi Epiſt. 59. ad Avitum conſtabit. Avito enim poſtulanti ut translatos à ſe eos libros ad eum mitteret;* Accipe, *inquit*, quod petiſti. Sed ita ut ſcias deteſtanda in eis tibi eſſe quam plurima, & juxta ſermonem domini inter ſcorpiones & colubros incedendum; *& ne videatur imponere Origeni, eadem Epiſtol. plurima citat ex libris illius: Illius errores damnati ſunt in 5. Synodo generali, ut videre eſt apud Nicephorum lib. 16. cap. 27. Theophilus Alexandrin. Epiſt. Paſchali 1. tom. 3. Biblioth. ſanctorum,* qui Propheta ſentire docuit propter ruinam & lapſus de cœlis animarum Deum eſſe compulſum corpora fabricare? *Ubi & pluribus Originem ipſum exagitat.*

γ Hominem in eccleſiaſticis literis tàm doctum & exercitatum.] *De ingenio & doctrina Origenis in ſcripturis ſacris ita Hieronymus Epiſtol. 6. ad Pammachium & Oceanum.* Scripturas memoriter tenuit, & in ſtudio explanationis eorum diebus deſudavit ac noctibus, mille & eo amplius tractatus in Eccleſia locutus eſt; edidit innumerabiles præterea Commentarios, quos ipſe appellat τόμους; quis noſtrum poteſt tanta legere, quanta ille conſcripſit? quis ardentem in ſcripturis animum non miretur? *De Origenis exercitio & laboribus in ſacris ſcripturis etiam Epiphanius hæreſi 64. Vincentius Lirinenſis libello contra hæreſes cap. 23. de eiusdem ingenio & doctrina & ſacrarum literarum cognitione mirè fusè ſcribit, vide etiam Sixtum Senenſem in bibliothec. Sanctor. V. Origenes. Mirari verò ſe dicit Auguſtinus hominem in ſacris literis adeò eruditum & exercitatum in eum errorem contra expreſſum ipſius ſcripturæ teſtimonium lapſum eſſe.* Verùm (*ut Vincentius loco citato ſcribit*) hic Origenes tantus ac talis dum gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingenio ſuo nimium indulget, ſibique ſatis credit, cum parvi pendit antiquam Chriſtianæ religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas traditiones & veterum magiſteria contemnens quædam ſcripturarum teſtimonia interpretatur novo more, meruit, ut de ſe quoque Eccleſia Dei diceretur, Si ſurrexerit in medio tui Propheta, &c. *Et paulò poſt*, non audies, *inquit*, verba Prophetæ illius. Mirandum quidem tantum virum in tam abſurdos errores incidiſſe, verùm qui ſtat, videat ne cadat, & noli altum ſapere, ſed time. Cùm tibi in mentem venit Salomonem illum omnium mortalium ſapientiſſimum excidiſſe à gratia Dei & blanditiis mulierum delinitum ad idola convertiſſe animos, cùm Origenem, Tertullianum Eccleſiaſticos magiſtros, & plures alios, dum plus æquo ſapere volunt, à fide defeciſſe, & idola mentis ſuæ, i.e. vanas ac futiles opiniones vulgò ſparſiſſe vides, videne & tu excidas.

δ Tantummodo naturis bonis eſſet mundus ornatus & plenus.] *Et quidem prima intentione Deus voluit dumtaxat naturas bonas & perfectas creare, neque mala aut peccata quæ ſubſecuta ſunt fuère à Deo ipſo bonorum omnium non malorum authore intenta; verum ubi vidit ipſas naturas intellectuales, aut rationales ſua ſpontè & arbitrij libertate lapſuras in peccatum, voluit ex malis aut peccatis ſecutu-*

cuturis multa bona ad decorem, & perfectionem univerſi, vel etiam ad ſalutem electorum, ſi quidem omnia propter electos, inde elicere. An verò quæret aliquis, ſi naturæ bonæ tantùm eſſent in univerſo & nullum peccatum eſſet, perfectius eſſet univerſum, quàm nunc ſine peccatis? certum equidem eſt, peccatum ipſum quod nihil eſt, nihil etiam conferre ad perfectionem univerſi, ſi tamen peccata deeſſent univerſo, multa etiam deeſſent bona, non peccata deeſſent univerſo, multa etiam deeſſent univerſo, multa etiam deeſſent bona, non peccante Adamo, ex probatiſſima magnorum Theologorum ſententia, minimè incarnatus fuiſſet Chriſtus, non eum prodente Iuda nec ſævientibus odio, ac ita frementibus in eum Iudæis, tam acerbam crucis mortem minime perpeſſus fuiſſet; quod verò majus bonum unquam exiſtit Incarnatione & morte Chriſti? Inde D. Gregorius fœlicem eam appellat, quæ tamen meruit habere redemptorem. Ita Cajetanus putat univerſum nunc longè perfectius eſſe quàm ſi nullum fuiſſet peccatum.

ε Cùm bonorum longè major numerus in cæleſtibus.] *Etſi enim in cælo plures Angeli ſuperbiendo à Deo defecerunt, vult tamen majorem eorum numerum remanſiſſe, quæ eſt ſententia D. Thomæ 1. p. q. 63. art. 9. & Theologorum communis 2. diſt. 6. & confirmari poteſt ex ſcriptura. Apocalypſ. 12. dicitur Draco traxiſſe ſecum tertiam partem Stellarum cœli, id eſt, Angelorum. Deinde conſentaneum erat maximè, ut plures Angeli eum finem conſequerentur, ad quem erant creati, quam eo privarentur. Addo quod gratia & miſericordia Dei exſuperat juſtitiam, in plures itaq; debebat diffundere bonitatem ſuam eos beatitudine donando, quàm illi eſſent, in quos exerceret ſuam juſtitiam. Dicit autem bonos Angelos in cœlo ſuæ naturæ ordinem ſervare, quod eo ſenſu intelligitur, quia non ſuperbierunt neq; defecerunt à ſuo creatore, cui naturaliter ſubeſſe debent. Inde Damaſcenus lib. 2. fidei Orthodox. cap. 4. dicit, Angelos qui ceciderunt, mutatos eſſe* ab eo ſtatu qui ſecundum naturam, in eum, qui præter & contra naturam.

ζ Ideo juſti Dei leges omnia benè ordinantis effugit.] *Ita videre eſt nihil recedere poſſe ab ordine divinæ providentiæ, & qui una ratione ab eo recedit, altera via in eundem recidit, ut qui recidit ab ordine divinæ miſericordiæ relabitur in ordinem divinæ juſtitiæ, qui aliquid committit contra Dei voluntatem antecedentem, Deus voluntate conſequente ei pœnam infligit. Exemplo valdè accommodato id oſtendit D. Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo, cap. 5.* Si corpus aliquod nollet in hoc mundo inferiori ſub concavo orbis Lunæ contineri, ſi propterea recederet ab ea parte, eò magis accederet ad partem illi oppoſitam, nec poſſet unquam ſubterfugere ordine divinæ miſericordiæ, ut qui non vult facere quod Deus præcipit faciendum, eo magis accedit ad ordinem divinæ juſtitiæ, nec poterit unquam effugere ordinem divinæ voluntatis & providentiæ: *Ita dæmones, qui ſuperbiendo à Deo averſi ſunt, juſti Dei leges omnia benè ordinantis non effugerunt, ſiquidem ſubduntur ordini divinæ juſtitiæ ulciſcentis & juſtè pœnam infligentis ob eorum peccata. Id quod ſuprà egregiè docet Divus Auguſtinus libro de Spirit. & litera capit. triceſimo tertio.* Infideles, *inquit*, contra legem Dei faciunt cum eius Evangelio non credant; nec ideò tamen eam vincunt, verùm ſeipſos

fraudant

fraudant magno & ſummo bono, malisque pœnalibus implicant experturis in ſuppliciis poteſtatem eius, cuius in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt, vinceretur autem, ſi non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo poſſent evadere, quod de talibus ille conſtituit. Qui enim dicit verbi gratia, volo ut hi omnes ſervi mei operentur in vinea mea, & poſt laborem requieſcentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in piſtrinô ſemper molat; videtur quidem quicunque contempſerit, contra voluntatem domini ſui facere, ſed tunc cum vincet, ſi & priſtinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate. *Idem lib. de natur. boni cap. 15.* Quia, *inquit*, nemo ſuperat leges omnipotentis creatoris, non ſinitur anima non reddere debitum: aut enim reddit benè utendo quod accepit, aut reddit amittendo id, quo uti noluit. Itaque aut reddit faciendo juſtitiam, aut patiendo miſeriam.

η Si hæc opinio vera eſſet mundum ideò factum.] *Ita refellit Auguſtinus doctrinam Origenis de cauſa creationis mundi. Si enim propter lapſum & ruinam animarum è cælis mundum Deus fabricavit, ut eſſent corpora, quibus tanquam ergaſtulis & carceribus pœnaliter includerentur dæmones, certè ipſi longè peiores & qui gravius in Deum deliquerunt, debuere ignobilioribus corporibus includi, terrenis ſcilicet, non vero aereis, quæ ſunt & ſuperiora & nobiliora, è contrario hominum animæ, quorum non adeò grave fuit peccatum, non debuere includi luteis & terrenis corporibus. An verò D. Auguſtinus exiſtimarit dæmones eſſe corporeos, & aereo corpore conſtare tanquam parte ſui, quemadmodum homines ipſi terreno conſtant, alibi ſupra à nobis quæſitum eſt. Etſi non omnino affirmet, non videtur tamen alienus à ſententia exiſtimantium eos eſſe corporeos. Certè Origenes ipſe hoc ut Platonicus ſenſit.*

θ Tanquam ergaſtula quibus pœnaliter includerentur corpora.] *Appoſitè* ergaſtulum *appellat corpus, ex ſententia Origenis exiſtimantis, animas noxias pœnæ nomine in corpora detrudi. Erat enim* ergaſtulum locus ſubterraneus ac depreſſus tenebris horrens, in quem ſervi facinoroſi ob ſcelera in ſe admiſſa à dominis ut plurimum damnabantur. *Iſidorus*, Ergaſtula, *inquit*, ubi deputantur noxii ad aliquod opus faciendum, ut ſolent gladiatores & exſules, quas marmora ſecant, & tamen vinculorum cuſtodiis alligati ſunt. *De ergaſtulis plura, ſi ſcire aves, vide quæ congeſſit de iis Lipſius lib. 2. cap. 15. Electo. Porrò ipſe Origenes vafrè hæreſim ſuam confirmabat ex eo quod σῶμα, id eſt,* corpus *quaſi σῆμα. id eſt,* carcer *ſeu* ergaſtulum *appellaretur, ut teſtatur Epiphanius epiſt. ad Joan. Epiſcop. Hieroſolymit.*

ι Quid autem ſtultius dici poteſt quàm ipſum ſolem.] *Alterum argumentum contra doctrinam Origenis. Longè veroſimilius eſt unicum Solem à Deo creatum, quia ita requirebat decor & perfectio univerſi, ut ſi duo vel plures ſoles eſſent, alter ſuperfluus foret nec adeo mundus eſſet perfectus, nec ſuum decorem retineret, ut ſcribebat Alexander ad Darium, quàm quia una tantum anima ab initio creata uno peccati genere creatorem ſuum offenderit, ut propterea mereretur tali corpore*

 includi,

includi, ut ſi fortè plures ſic offendiſſent animæ, plures etiam ſoles creari debuiſſent; quid igitur abſurdius hac ſententia, ex qua tot tamq; abſurda ſeqvuntur? pro arbitrij enim libertate plures animæ ita peccare potuere, ergo fortuitum fuit & caſuale, quod unicus Sol & non plures ſint in ipſa fabrica mundi à Deo conditi. Eodem argumento utitur lib. contra Priſcillaniſtas cap. 8.

x Utrum altitudine myſtica nobis ipſa Trinitas intimetur.] *Equidem ex creatione univerſi, licet ad eam tres perſonæ concurrerint, ſi quidem opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa, minimè venimus in cognitionem ſanctiſſimæ Trinitatis. Eſt enim omnis huiusmodi effectus ad extra ex tribus perſonis, quatenus ſunt quid unum eſſentia, & unus Deus, non verò ut diſtinguitur à ſe invicem relationibus originis. Nihilominus ubi jam per fidem nobis innoteſcit ineffabile illud & incomprehenſibile myſterium, jam facilè intelligimus in creaturis quædam eſſe illius veſtigia, & cùm in rerum creatione Deus oſtendit potentiam, ſapientiam, ac bonitatem ſuam, ipſam potentiam quodammodo Patri ipſi propriam dicimus, ut ſapientiam filio, qui procedit per intellectum & bonitatem ac amorem Spiritui S. qui procedit per voluntatem; ita quando ait Apoſtolus,* Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo eſſe omnia, *altitudine quadam myſtica tres perſonas inſinuavit. Sic in fabrica mundi Deus dicitur creaſſe mundum ut patrem intelligamus, per verbum ſuum, ita intelligitur ſecunda perſona, & propter bonitatem ſuam, peculiari quadam ratione intelligimus tertiam perſonam ſubſiſtentem in divinis, nempè Spiritum ſanctum.*

Cap. XXIV.

De Trinitate divina, quæ per omnia opera ſua ſignificationis ſuæ ſparſit indicia.

CRedimus a α & tenemus, & fideliter prædicamus, b β quòd pater genuerit verbum, γ hoc eſt, ſapientiam, per quam facta ſunt omnia, δ unigenitum filium, unus unum, ε æternus coæternum, ſummè bonus æqualiter bonum, & ζ quòd ſpiritus ſanctus ſimul & patris & filii ſit ſpiritus, & η ipſe conſubſtantialis & coæternus ambobus. Atque hoc totum & θ trinitas ſit propter proprietatem perſonarum, & unus Deus propter inſeparabilem divinitatem, ſicut unus omnipotens propter inſeparabilem omnipotentiam: ita tamen ut etiam cùm de ſingulis quæritur, unuſquiſque eorum & Deus & omnipotens eſſe reſpondeatur: cùm verò de omnibus ſimul, non tres dii, vel tres omnipotentes, ſed unus Deus omnipotens: tanta ibi eſt in tribus inſeparabilis unitas, quæ ſic ſe voluit prædicari. Utrum autem boni patris, & boni filii, ſpiritus ſanctus, quia communis ambobus eſt, rectè bonitas dici poſſit amborum, x c non audeo temerariam præcipitare ſententiam. Veruntamen amborum λ eum dicere ſanctitatem, facilius auſus fuero, non amborum quaſi qualitatem, ſed ipſum quoque ſubſtantiam, & tertiam in trinitate perſonam. Ad hoc enim me probabilius ducit, quòd cùm ſit & pater ſpiritus, & filius ſpiritus, & pater ſanctus, & filius ſanctus, propriè tamen ipſe vocatur ſpiritus ſan-

ſanctus tanquam ſanctitas ſubſtantialis & conſubſtantialis amborum. Sed ſi nihil aliud eſt bonitas divina quàm ſanctitas, profecto & illa diligentia rationis eſt, non præſumptionis audacia, ut in operibus Dei ſecreto quodam loquendi modo, quo noſtra exerceatur intentio, eadem nobis inſinuata intelligatur trinitas, unamquamque creaturam quis fecerit, per quid fecerit, propter quid fecerit. Pater quippe intelligitur verbi, quidixit ut fiat. Quod autem illo dicente factum eſt, proculdubio per verbum factum eſt. In eo verò quod dicitur, vidit Deus quia bonũ eſt: ſatis ſignificatur Deũ nulla neceſſitate, nulla ſua cujuſquam utilitatis indigentia, ſed ſola bonitate feciſſe quod factum eſt, *d* id eſt, quia bonum eſt. Quod ideo poſteaquam factum eſt dicitur, ut res quæ facta eſt congruere bonitati, propter quam facta eſt, indicetur. Quæ bonitas ſi ſpiritus ſanctus rectè intelligitur, univerſa nobis trinitas in ſuis operibus intimatur. Inde eſt civitatis ſanctæ, quæ in ſanctis angelis ſurſum eſt, & origo, & informatio, & beatitudo. Nam ſi quæratur unde ſit, Deus eam condidit. Si unde ſit ſapiens, à Deo illuminatur. Si unde ſit fœlix, à Deo quo fruitur, ſubſiſtens modificatur, contemplans illuſtratur, inhærens jucundatur, eſt, videt, amat, in æternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet.

a CRedimus, & tenemus, & fideliter prædicamus.] *Credamus ergo & taceamus, teneamus, non inquiramus, fideliter prædicemus, non contentioſè diſputemus.* L.Vives.

b Quod pater genuerit.] *Quid hîc ego aliud poſſum facere, quàm adorare: quid dicere convenientius, quàm per ſilentium admirabundè dictum illud Pauli recolere: O altitudo divitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei?*

c Non audeo temerariam præcipitare ſententiam.] *Neq; nos audebimus, & ſi bona theologorum manus patris bonitatem eſſe contendat, ut filium patris ſapientiam. Sed quis auſit de tam arcanis rebus intrepidus aliquid pronunciare?*

d Id eſt, quia æqualiter.] *Alibi, quia bonum eſt. Quod ideo, &c.*

α CRedimus & tenemus.] *Adeo enim ſublime & ineffabile myſterium non niſi fide tenetur, cùm non niſi revelatione innoteſcat divina, cui fides ipſa nititur.* Hoc certè fuit ſacramentum abſconditum ſæculis, unigenitus autem, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarravit. Nemo enim novit patrem niſi filius, & cui voluerit filius revelare. Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus. F.L.Coq.

β Quod pater genuerit verbum.] *Siquidem productio verbi in divinis eſt generatio, ut eadem ſecunda perſona, quatenus procedit tanquam conceptus paternæ mentis, dicatur* verbum, *ut verò procedit ex vi ſuæ proceſſionis in ſimilitudinem naturæ, dicitur* filius. *Nonnulli olim hæretici filium Dei negarunt eſſe* verbum. *unde Evangelium Joannis & Apocalypſim reprobarunt, quòd ibi frequens eſſet mentio verbi divini. Epiphanius hæreſ. 51. eos vocat ἀλόγυς, quaſi ſine verbo. Divus Auguſtin. hæreſi 30. vocat Alogianos. Durandus ſolus inter Scholaſticos 1. Sentent. diſtinct. 27. quæſt. 3. voluit nomen verbi in divinis eſſe potius eſſentiale quàm perſonale, & per attributionem tantùm filio convenire, eo modo, quo potentia tribui-*

tur patri, & bonitas Spiritui ſancto: quæ ſententia meritò rejicitur. Verbum enim ſuaptè natura id dicitur quod ab intelligentia emanat, eſtq; ipſius intellectionis terminus, quòd certè neq; in patrem neq; in Spiritum ſanctum convenit. Deinde in Scripturis ſacris nomen verbi filio tribuitur, nunquam Patri vel Spiritui ſancto. Poſtremò verbum in ſe relationem continet ad dicentem, erit ergo propriè nomen perſonale, non eſſentiale in divinis. Addo hanc eſſe expreſſam doctrinam. Divus Auguſtinus lib. ſexto de Trinitat. cap. ſecundo, & libr. ſeptimo cap. primo & cap. 3. Verbum (*inquit*) relativè dicitur ſicut filius, qui utique non eſt pater, *& cap. 2 diſtinguit inter alia nomina quæ ſunt eſſentialia & nomen verbi.* Pater, *inquit*, & filius ſimul una eſſentia, & una magnitudo & una veritas & una ſapientia; ſed non pater & filius ſimul ambo unum verbum, quia non ſunt ſimul ambo unus filius. Sicut enim filius ad patrem refertur, non ad ſeipſum dicitur, ita & verbum ad eum, cujus eſt, refertur, cùm dicitur verbum. Eò quippe filius, quo verbum, & eò verbum, quo filius. *An verò nomine* ſermonis *ita congruè ut nomine* verbi *poſſimus uti? Certè veteres authores utroq; nomine uſi videntur. Cyprianus l. 2. cont. Iudæos c. 3. Ambroſ. l. 2. de fide contra Arrianos c. 2. Prudentius hymno 6. & alij. Nihilominus* ſermo *non ita ſignificat emanationem ſeu proceſſionem ab alio ſicut nomen verbi: nec tàm ſignificare videtur unam aliquam dictionem quàm integram orationem, verbum & emanationem exprimit, & rei etiam ſimpliciſſimæ convenire poteſt, & eo frequentius utuntur Patres & Scholaſtici Theologi.*

γ Hoc eſt ſapientiam per quam facta ſunt omnia.] *Dicitur quidem ſapientia Dei patris ab Apoſtolo appropriatè, non quod ita ſit proprium filij nomen, ut nomen verbi, quemadmodum egregiè docet idem l. de Trinit. 7. c. 2.* Non eo, *inquit*, verbum, quo ſapientia, quia verbum non ad ſe dicitur, ſed tantùm relativè ad eum, cujus verbum eſt, ſicut filius ad Patrem, ſapientia verò eo, quo eſſentia. Et ideo quia una eſſentia, una ſapientia. Quoniam v. & verbum, & ſapientia eſt, ſed non eo verbum, quo ſapientia. Verbum enim relativè, ſapientia verò eſſentialiter intelligitur. Id dici accipiamus cum dicitur verbum ac ſi dicatur nata ſapientia, ut ſit & filius & imago. *Et nominatur etiam à Patribus Verbum* Sapientia Patris, *quia Pater unico verbo quicquid novit dicit. Si homo quicquid ſcit unico verbo ſive conceptu poſſet exprimere, illud verbum eſſet illius ſapientia, ideò ergo verbum ſapientia Patris dicitur. Ita Euſebius lib. 5. de demonſtr. c. 5.* verbum earum omnium rerum, quæ facta ſunt, rationes in ſe fert, quare & ſapientia & Dei verbum appellatur. *Eadem ferè Gregorius Nazianz. orat. 5. quæ eſt 2. de filio. D. Thomas contra Gentes c. 12.* Manifeſtum, *inquit*, ex dictis, quod filius Dei eſt verbum & conceptio Dei intelligentis ſeipſum. Sequitur ergo quod ipſum verbum tanquam ſapienter mente divina conceptum propriè concepta, ſive genita ſapientia dicatur.

δ Unigenitum filium, unus unum.] *Videri poteſt D. Thom. 1. pagina quæſt. 41. articul. 6. D. Auguſtin. libr. 15. de Trinitat. capit. 14. & libr. 83. quæ. quæſt. 63. ait, verbum divinum procedere ex ſcientia æterni patris perfectiſſima,*

per

per quam ſcilicet omnia cognoſcit; itaq; non niſi unum verbum in divinis poteſt producere.

ε Æternus coæternum.] *Id eſt de fide, & definitum eſt in Concil. Nicen. contra impium Arrium, quam etiam propoſitionem probat D. Thom. 1. p. qu. 42. art. 2. quòd cum id, quod producitur, coæternum non ſit principio producenti, non procedit aliunde, quàm vel quia principium liberè producit, eaq; ratione erit in poteſtate illius eligere tempus ad producendum, nec ſtatim producere, vel quia principium ipſum non habet à principio perfectam vim ad producendum, ſed temporis ſucceſſu illi advenit, qua ratione videmus viventia obnoxia corruptioni non ſtatim ſibi ſimilia producere, vel deniq; quia productio ipſa non eſt tota ſimul, ſed ſucceſſiva, ut calefactio, qua ignis producitur. Verùm pater æternus producit filium non liberè, ſed naturaliter, & ſtatim habet vim perfectam ad producendum filium, & productio ipſa ſeu generatio æterna non eſt ſucceſſiva, oportet ergo filium ipſum coæternum eſſe patri. Arriani ſolebant illud objicere: Vel pater genuit filium exiſtentem, vel non exiſtentem. Primum videtur dici non poſſe, quia quod exiſtit, non gignitur. Si verò filius non exiſtens, genitus eſt, aliquando igitur non exiſtit, proindeq; æternus non eſt. Reſpondet egregiè D. Baſilius lib. 2. contra Eunomium genuiſſe exiſtentem, non tamen exiſtentem niſi à patre & ex vi generationis. Addo filium eſſe verbum & ſapientiam Patris, nunquam fuit ſine ſapientia, & ut ſcribit Damaſcenus lib. 1. cap. 6.* nunquam fuit ſine verbo, ſemper habens ſui ipſius verbum ex ſe genitum. *Poſtremò in divinis perſonis non eſſe aliud quam eſſentia & relationes quibus conſtituuntur. Si eſſentiam ipſam ſpectemus, eadem eſt Patris & Filij, ut ratione eſſentiæ ſint coæternæ divinæ perſonæ, imo quid unum & idem: ſi relationes, relata ipſa ſunt ſimul natura, non unum prius altero: æternus igitur coæternum genuit.*

ζ Quod Spiritus ſanctus ſimul & Patris & Filii ſit Spiritus.] *Si quidem ab utroq; æquè & tanquam ab uno principio procedit, ut eſt definitum in Concilio Lugdunenſi celebrato ſub annum Dei 1272. ſub Gregorio X. & poſtea in Concil. Florentino ſub Eugenio IV. in Concil. Ephesino etiam id habetur in Epiſtola Cyrilli, quæ confirmata fuit à toto Concilio; Et quemadmodum in Scriptura dicitur* Spiritus Patris, *ut Matth. 10.* Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis, *ita vocatur* Spiritus Filii. *Rom. 8. & Galat. 4.* Miſit Deus Spiritum Filii ſui, *ubi genitivus ille non poteſt ſignificare poſſeſſionem, neq; denominationem, cùm Spiritus ſanctus non ſit creatura, neq; minor filio, ergo neceſſario ſignificare debet originem. Joan. 15.* Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, *non poteſt certè Spiritus ſanctus aliquid aliud à filio accipere, quàm ipſam naturam. Dicitur præterea mitti à filio, dicitur Filius dare Spiritum ſanctum; quæ certè omnia indicant Spiritum ſanctum ab eo procedere; In ea ſententia fuêre omnes Patres Græci antè ſchiſma exortum. Ignatius Epiſtol. ad Burdegalenſes id apertè docet. Baſilius libr. 5. contra Eunomium circa medium; Epiphanius hæreſi 73. ait hanc eſſe proprietatem Spiritus ſancti, ut à patre & filio ſimul procedat. Chryſoſtom. in explicatione Symboli in illa verba,* Credo in Spiritum ſanctum: *Didymus lib. 2. de Spiritu ſancto interpretatus illa verba,* non loquetur à ſemetipſo, quia, *inquit,* non eſt à ſemetipſo, ſed à Patre & Filio. *Cy-*

 rillus

rillus lib 13. Theſauri, cap. 1. & epiſt. ad Neſtorium citata. Rationibus etiam ex fidei principijs petitis id facilè probatur. In filio enim omnia ſunt, quæ in patre, præter hoc quod eſt eſſe patrem: ergo ut Pater eſt principium Spiritus ſancti, ita Filius. Deinde Spiritus ſanctus procedit ut mutuus amor Patris & Filij; eſt enim amborum amor; ergò ab utroq; procedit. Addo quod perſonæ divinæ non niſi relationibus originis diſtinguuntur, ergo ut Spiritus ſanctus ſit tertia perſona diſtincta à Patre & Filio, ab utroq; debet procedere.

η Ipſe conſubſtantialis & coæternus ambobus.] Ὁμούσιος. *Ita definitum eſt in Concilio Conſtantinopolitan. contra Eunomium & Macedonium impugnatores divinitatis Spiritus ſancti. Ut enim refert Gregorius Nazianzen. orat. 6. de Theolog. Macedonianorum & Eunomianorum vox fuit Spiritum ſanctum non verum, ſed peregrinum & adſcriptitium eſſe Deum. Eos* πνευματομάχους *Græci dicunt, ut ſcribit Auguſtin. hæreſi 52. & Nicephor. lib. 9. cap. 47. id eſt,* oppugnatores Spiritus. *Eunomium* ἄθεον *vocat Hieronymus in Epiſtol. ad Pammachium contra error. Joan. Hieroſolymitani.*

θ Et Trinitas ſit propter proprietatem perſonarum & unus Deus.] *Quod eleganter Gregorius Nazianz. paucis verbis orat. 6.* Tria unum ſunt divinitate ac unum tria proprietatibus. Ita enim dicimus, tres perſonæ ſunt una eſſentia, & una eſſentia eſt tres illæ perſonæ, & nulla eſt prorſus diſtinctio inter eſſentiam & perſonas, atque hoc eſt myſterium, quod eadem ſimpliciſſima & infinita entitas in ratione entis abſoluti non multiplicetur, in ratione entis reſpectivi & rationum multiplicetur. Id certa fide tenendum, non de Deo ſentiendum pro more noſtro; nihil ſimile in tota natura. *Egregiè loco citato Nazianzen.* Quod ſi Deus unus eſt, una natura illa ſuprema. Unde tibi ſimilitudinem repræſentabo? Num quæris aliquod rurſus de rebus inferis ac tuis? perquam turpe fuerit, ac non turpe modo, ſed vehementer etiam ſtultum; ex rebus inferis ſuperarum imaginum ſumere, itemque immobilium de natura fluxa, & quod Iſaias ait, exquirere viva in mortuis.

ι Non adeò temerariam præcipitare ſententiam.] *Equidem Scripturæ ſacræ, & Patres paſſim nominant filium Patris Dei ſapientiam, non ita tamen Spiritum ſanctum bonitatem Patris & Filij, etſi bonitatem attribuant per appropriationem quandam ipſi Spiritui ſancto, & quod non auſus eſt aſſerere Theologorum ille anteſignanus Auguſtinus,* θεολογώτατος καὶ πολὺς τὰ θεῖα, *abſit ut nos homunciones de eo ſententiam feramus.*

κ Amborum enim dicere ſanctitatem facilius auſus fuero.] *Ita vocat Nazianzenus orat. 6. de Theologia, ubi imperfectam fore Deitatem aſſerit, ſi ab ea Spiritum ſanctum excludas;* quis deitatis (*inquit*) uſus fuerit niſi perfecta ſit? At qui perfecta erit, cui quid ad perfectionem deeſt? Deeſt autem aliquid, ſi ſanctitatem non habeat. Quî verò poſſit habere, ſi non habeat ſpiritum?

λ Non amborum quaſi qualitatem.] *Id ex quorundam ſententia Macedonianis tribuit de hæreſ. ad Quodvult deum hæreſ. 52. qui nomine Spiritus ſancti intelligebant Deitatem ipſam Patris & Filij, & nullam propriam volebant habere ſubſtantiam.*

Cap.

CAP. XXV.

De tripertita totius philoſophiæ diſciplina.

QUantum intelligi datur hinc philoſophi ſapientiæ diſciplinam tripertitam eſſe voluerunt, imò verò tripertitam eſſe animadvertere potuerunt. Neque enim ipſi inſtituerunt, ut ita eſſet, ſed ita eſſe potius invenerunt, cujus una pars appellaretur Phyſica, altera Logica, tertia Ethica. Quarum nomina Latina jam multorum literis frequentata ſunt, ut naturalis, rationalis, moralisque vocarentur, quas etiam in octavo libro breviter perſtrinximus. Non quòd ſit conſequens, ut iſti in his tribus aliquid ſecundum Deum de Trinitate cogitaverint. Quanvis Plato primus iſtam diſtributionem repeririſſe, & commentaſſe dicatur, cui neque naturarum omnium autor, niſi Deus viſus eſt, neque intelligentiæ dator, neque amoris, quo benè beateque vivatur inſpirator. Sed certè cùm de natura rerum, & de ratione indagandæ veritatis, & de fine boni, ad quem cuncta quæ agimus referre debemus, diverſi diverſa ſentiant, in his tamen tribus magnis & generalibus quæſtionibus, omnis eorum verſatur intentio. Ita ut cùm in unaquaque earum quid quiſque ſectetur, multiplex ſit diſcrepantia opinionum, eſſe tamen aliquam naturæ cauſam, ſcientiæ formam, vitæ ſummam nemo cunctetur. Tria etiam quæ ſunt in unoquoque homine artifice ſpectantur, ut aliquid efficiat, natura, doctrina, uſus. Natura ingenio, doctrina ſcientia, *a a* uſus fructu dijudicandus eſt. *b* Nec ignoro, quòd propriè fructus fruentis, uſus verò utentis ſit: atque β hoc intereſſe videatur, quòd ea re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per ſeipſam delectat: uti verò ea re, quam propter aliud quærimus. unde temporalibus magis utendum eſt, quàm fruendum, ut frui mereamur æternis. Non ſicut perverſi qui frui volunt nummo, uti autem Deo: quoniam non nummũ propter Deum impendunt, ſed Deum propter nummum colunt. Verumtamen eo loquendi modo, quem plus obtinuit conſuetudo, & fructibus utimur, & uſibus fruimur. Nam & fructus jam propriè dicuntur agrorum, quibus utiq; omnes temporaliter utimur. Hoc itaq; more uſum dixerim in his tribus, quæ in homine ſpectanda commonui, quæ ſunt natura, doctrina, uſus. Ex his propter obtinendam beatam vitam, tripertita, ut dixi, à philoſophis inventa eſt diſciplina, naturalis propter naturam, rationalis propter doctrinam, moralis propter uſum. Si ergo natura noſtra eſſet à nobis, profectò & noſtram nos genuiſſemus ſapientiam, nec eam doctrina, id eſt, aliunde diſcendo percipere curaremus, & noſter amor à nobis profectus, & ad nos relatus, ad beatè vivendum ſufficeret, nec bono alio, quo frueretur ullo, indigeret. Nunc verò quia natura noſtra, ut eſſet, Deum habet autorem, proculdubiò ut vera ſapiamus ipſum debemus habere doctorem, ipſum etiam ut beati ſimus, ſuavitatis intimæ largitorem.

a USus fructu dijudicandus eſt.] *Abuſus videtur uſus, vocabulo. Nam cùm dicitur tribus rebus conſtare artificium, natura, doctrina, uſu, uſus conſuetudo eſt: detorſit ergo ad rem ſuam, ut ſit ſenſus, pretium & æſtimationem aſſuefactionis.* L.Vives.

nis in quaque arte ex fructu atq; utilitate illius attendi ac conſiderari.

b Nec ignoro, &c.] *Quoniam frui dicimur re, qua propter ipſam delectamur, uti quam in aliud referimus: idcirco Auguſt. Deo ſolo nos debere frui dicit, rebus aliis uti. De hac re multa Auguſt. idem in libro de Doctr. Chriſt. & 80. quæſt. & de tri. ubi frui ſempiternæ fælicitati attribui vult, uti verò rebus hujus vitæ. Ex Auguſt. Petrus Lombar. in Centonibus theologicis vol.1. ſat multa, & quæſtionarij ad ſatietatem, propemodum ad faſtidium dixeram.*

F.L.Coq. α QUamvis Plato primus illam diſtributionem.] *Lib. octavo, cap. quarto, diximus ex Euſebio Platonem hanc diviſionem ab Hebræis accepiſſe.*

β Hoc intereſſe videatur, quod ea re frui dicimur.] *Ita quoq; lib. 1. de doctr. Chriſtian. cap. 3. & 4. diſtinguit inter res quibus* fruendum eſt, *& quibus* utendum eſt, *& inter* frui *&* uti; Illa enim (*inquit*) quibus fruendum eſt, beatos nos faciunt, iſtis, quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem adjuvamur & quaſi adminiculamur, ut ad illas, quæ nos beatos faciunt pervenire, atque his inhærere poſſimus. Nos verò qui fruimur & utimur, inter utraſque conſtituti, ſi eis, quibus utendum eſt, frui voluerimus, impeditur curſus noſter, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus quibus fruendum eſt, obtinendis vel retardemur, vel etiam revocemur inferiorum amore præpediti. *Huiusmodi autem perverſi ut hic ſcribit, qui fruuntur temporalibus: & utuntur Deo, cùm Deum propter temporalia colant; & hoc eſt* uti fruendis, & frui utendis. Frui eſt amore alicui rei inhærere propter ſe ipſam: uti *autem*, quod in uſum venerit, ad id, quod amas, obtinendum referre, ſi tamen amandum eſt, *& cap. 5.* Res quibus fruendum eſt, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, *& 10. de Trinit. cap. 10.* utimur eis, quæ ad aliud referimus, quo fruendum eſt. *Bernardus libr. de dilig. Deum, docet quod multi diligunt Deum propter ſeipſos, quod eſt uti re quā fruendum eſt. Sed de fruitione & uſu, & quomodo differant à ſe invicem ſatis copioſè Scholaſtici initio primi ſentent. cum Magiſtro, & D. Thomas 1. 2.*

Cap. XXVI.

De imagine ſummæ trinitatis, quæ ſecundum quendam modum in natura eſt, nec dum beatificati hominis.

ET nos quidem in nobis tametſi non æqualem, imò valde longeque diſtantem, neque coæternam, & quo brevius totum dicatur, α non ejuſdem ſubſtantiæ cujus eſt Deus, tamen β qua à Deo nihil ſit in rebus ab eo factis natura propius, γ imaginem Dei, hoc eſt, ſummæ illius trinitatis agnoſcimus, adhuc reformatione perficiendam, ut ſit etiam ſimilitudine proxima. δ Nam & ſumus, & nos eſſe novimus, & noſtrum eſſe ac noſſe diligimus. In his autem tribus quæ dixi, nulla nos falſitas veriſimilis turbat. Non enim ea ſicut illa, quæ foris ſunt, ullo ſenſu corporis tangimus, velut colores videndo, ſonos audiendo, odores olfaciendo, ſapores guſtando, dura & mollia contrectando ſentimus, a quorum ſenſibilium etiam imagines eis ſimillimas, nec jam corporeas cogitatione verſamus, memoria tenemus, & per ipſas in iſtorum

rum deſideria concitamur, *b* ſed ſine ulla phantaſiarum, vel phantaſmatum imaginatione ludificatoria, mihi eſſe me, idque noſſe & amare certiſſimum eſt. Nulla in his veris *c* Academicorum argumenta formido, dicentium: Quid ſi falleris? Si enim fallor, ſum. Nam qui non eſt, utique nec falli poſſunt, ac per hoc ſum, ſi fallor. Quia ergo ſum, qui fallor, quomodo eſſe me fallor, quando certum eſt me eſſe ſi fallor? Qui igitur eſſem qui fallerer, etiam ſi fallar, proculdubio in eo quod me novi eſſe, non fallor. Conſequens eſt autem, ut etiam in eo quod me novi noſſe, non fallar. Sicut enim novi me eſſe, ita novi etiam hoc ipſum noſſe me. Eaque duo cùm amo, eundem quoque amorem quiddam tertium nec imparis æſtimationis eis, quas novi rebus adjungo Neque enim fallor amare me, cùm in his quæ amo non fallar, quanquam etſi illa falſa eſſent, falſa me amare verum eſſet. Nam quo pacto rectè reprehenderer, & rectè prohiberer ab amore falſorum, ſi me illa amare falſum eſſet? Cùm verò illa vera atque certa ſint, quis dubitet quin eorum quæ amantur, & ipſe amor verus & certus eſt? Tam porrò nemo eſt qui eſſe ſe nolit, quam nemo eſt, qui non beatus eſſe velit. Quomodo enim poteſt beatus eſſe, ſi nihil ſit?

a QUorum ſenſibilium etiam imagines.] *Nam cujuſmodi vel album ſit vel dulce, cogitatione comprehendimus etiam clauſis oculis, & nihil guſtantes. unde & de illis multa per quietem occurrunt viſa, & cùm procul dulcia omnia candidaq́; abſint, de illis judicamus. Sed hæc ſunt in iis partibus animæ, quos noſtri ſenſus exteriores vocant, ut quem ſenſum communem dicunt, & quam imaginativam, tum etiam æſtimativam, & memoriam, quæ omnes nobis ſunt cum belluis communes, & in quibus multa temerè obverſantur, quibus ſi aſſentiamur, nos fallunt. Magiſtris enim ſenſibus non aliter omnia cognoſcunt: qui cùm imbecilli ſint & hebetes, facilè eis imponitur, hi diſcipulos ſuos partes illas, quas modo percenſui falſa, quæ pro veris acceperunt, docent. At in mente ratio eſt unius hominis propria, quæ omnia expendit, & quantum cavere poteſt præſtat, ne adhibita in conſilium fucata, ſimulata, falſa pro veris, germanis, expreſſis ſinat obrepere, ſed admoneat nos omnium, & quale quidq́; ſit ſcrutetur, atq́; judicet.* L. Vives.

b Sine ulla phantaſiarum.] *Dixi alibi quid ſit phantaſia.*

c Academicorum arg.] *Hi fidem ſenſuum elevabant, ſeu potius tollebant, nihilq́; ſciri arbitrabantur, quod ſi te diceres ſcire hunc lapidem moveri, quòd id videas, vel tangas. ſcrupum injiciebant, quid ſi falleris? an non unquam viſus tibi es aliquid videri moveri, quod ſtaret, ut cum vehiculo aut navi veherere, & tactui aſſenſus putaſti aliquid concitari, quod quieſceret? ut ergo alias es falſus, ita & nunc falli potes. Cohibe aſſenſum, nam nihil eſt minus hominis ſapientis, quàm aſſentiri, ubi certum aliquid & perfectè exploratum non habes.*

d Si enim fallor ſum.] *Idcirco certiſſimum eſſe hoc pronunciatum philoſophi noſtri ajunt in Poſteriora Ariſtotelica, & evidens evidentia, ſicuti vocant, ſumma.*

P.3.609. α Non eiuſdem ſubſtantiæ cuius eſt Deus.] *Nam ſolus filius perfecta eſt imago patris, ut ſcribit Paulus ad Coloſſ. 1.* Qui eſt imago Dei inviſibilis. *Dicitur ea ratione Hebr. 1.* Splendor gloriæ & figura ſubſtantiæ Patris, *quo nomine docet filium eſſe perfectiſſimam & expreſſiſſimam imaginem Patris, ut docent Damaſcenus libr. 1. de fide, cap. 9. & Baſilius epiſt. 43. ad Gregor. Nyſſenum. Propterea notarunt aliqui ex Patribus, & ex Theologis nonnulli, filium dici* imaginem, non ad imaginem patris, *hominem verò dici* ad imaginem vel ſimilitudinem Dei factum: *quod putent* eſſe ad imaginem vel ſimilitudinem Dei *denotare imperfectam divinæ ſimilitudinis participationem, qualis in homine reperitur: verùm quia filius eſt perfectiſſima patris imago, ideo non poſſe dici eſſe* ad imaginem, *quod illud,* ad, *ſignificet acceſſum ad aliquid, à quo tamen diſtat. Hanc diſtinctionem docet Auguſtinus lib. 38. Quæſt. qu. 51. quod tamen retractavit, lib. 1. retract. c. 26. motus authoritate Pauli 1. Corinth. 11. ubi virum appellat* imaginem Dei, *& libr. 7. de Trinitate, cap. ult. docet hominem, quia ſimilitudinem Dei gerat, appellari* imaginem Dei: *quia verò ea ſimilitudo imperfecta eſt, ad id oſtendendum dici eum* ad imaginem Dei eſſe factum, *quod tamen nuſquam de filio Dei dictum reperitur: & certè non videtur ea diſtinctio perpetuo ſervari in ſcriptura: Siquidem aliquis dicitur eſſe* ad imaginem *alterius, qui habet illius perfectiſſimam ſimilitudinem, eiuſdemq; ſecum eſt naturæ. Ita Geneſ. 5. ſcribitur Adam genuiſſe filium Seth ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Ita Auguſt. loco citato.* Quia non omnino æqualis fiebat illa imago Dei tanquam non ab illo nata, ſed ab eo creata, huius rei ſignificandæ cauſa ita imago eſt, ut ad imaginem ſit, *id eſt*, non æquatur parilitate, ſed quadam ſimilitudine accedit. *Notat idem Auguſtinus quando dicitur homo* ad imaginem Dei creatus, *non quaſi* ad Filium dici, *quæ imago eſt æqualis patri. alioquin non diceret ad imaginem noſtram, ut intelligatur homo eſſe ad imaginem totius ſacræ Trinitatis, cùm filius ſit ſolius patris imago.*

β Qua Deo nihil ſit in rebus ab eo factis natura propius.] *Objiciet aliquis. An non natura Angelica propius accedit ad Dei naturam homine ipſo, nonne in Angelo perfectior eſt Dei imago quàm in homine? Certè ita aſſerit Divus Thom. 1. p. q. 93. art. 3. ex ſententia D. Gregorij homil. 74. in Evangelia.* Eſt enim etiam Angelus intellectuali natura præditus & quidem perfectiori quàm homo: quia tamen ſecundum eandem rationem, & ratione eiuſdem gradus eſſendi in natura Angelus & homo, quia nimirum ſunt intellectuales, creati dicuntur ad imaginem Dei, licet intra eundem gradum ſit præterea latitudo perfectionis, rectè docet nihil propius in natura creata poſſe reperiri quod accedat ad Deum, quam eſſe ad illius imaginem, ut quemadmodum Deus eſt natura intellectualis, qui eſt veluti gradus ſpecificus & perfectiſſimus eſſendi, creatura intellectualis dicatur propius ad eum accedere.

γ Imaginem Dei, hoc eſt, ſummæ illius Trinitatis cognoſcimus.] Homo quatenus intellectu præditus eſt & natura intellectualis, Dei imago eſt, non modo ut Deus eſt natura unus, ſed etiam ut eſt perſonis trinus. *Idem docet lib. 7. de Trinit. cap. ult. D. Thom. 1. p. q. 93. art. 3. probat ex ſcripturæ verbis*, faciamus

mus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, *ubi pater intelligitur locutus cum filio & ſpiritu ſancto, ſicq́ hominem ad imaginem & ſimilitudinem trium perſonarum divinarum facere decrevit, & Gregor. Nyſſenus orat. in illa verba* Scriptum eſt (*inquit*) faciamus, ut cognoſcamus Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. *Idem docet D. Ambroſius lib. 6. Hexamer. cap. 8. D. Auguſtin. lib. 12. de Trinit. cap. 6.* Dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem noſtram, *paulò poſt autem dictum eſt.* Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei: noſtram certè, quod pluralis eſt numerus, non rectè diceretur, ſi homo ad unius perſonæ imaginem fieret ſive Patris, ſive Filii, ſive Spiritus ſancti. Sed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum eſt ad imaginem noſtram. *Eadem eſt doctrina D. Thom. q. citata, art. 5. Ratio etiam accedit, ſiquidem Trinitas divinarum perſonarum eſt ſecundum proceſſionem verbi intelligibilis ab intelligente & amoris ab utroq́: Atqui homo ſecundum mentem intelligendo producit verbum, & ex ipſo intelligente, & verbo ſeu notitia producit amorem in ſeipſo. Vide D. Auguſtin. lib. 9. de Trinit. cap. 5. & lib. 14. c. 7. & ſequentibus. Errarunt itaq́ illi, qui exiſtimarunt hominem ad ſolius filij imaginem fuiſſe factum, non autem ad imaginem totius ſanctiſſimæ Trinitatis, quos redarguit Auguſt. lib. de Geneſ. ad lit. imperfecto, cap. ult.* quia Deus Pater non ait Filio loquens, faciamus hominem ad imaginem tuam, ſed pluraliter, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: à qva pluralitate Spiritum ſanctum ſeparare quis audeat?

d Nam & ſumus, & nos eſſe novimus.] *Dei imaginem in homine eo ponit,* quod & ſumus & nos eſſe novimus & noſtrum eſſe ac noſſe diligamus, *quod & ait lib. 13. Confeſſ. cap. 11. & lib. 10. de Trinit. cap. 11. ponit in eo hanc imaginem, quod* memoria, intelligentia & voluntas pertinent ad unam, & eandem vitam & ſubſtantiam animæ. *Solent etiam Patres explicare hanc præſtantiam imaginis Dei in homine ſecundum mentem. D. Auguſtinus ipſe 9. de Trinit. cap. 4. aſſignat imaginem Dei in anima ſecundùm hæc tria, quæ ſunt* mens, notitia & amor: *quomodo verò eſſe noſtrum ad imaginem Dei pertineat, quod vult hic Auguſtinus, docet D. Thom. 1. p. quæſt. qu. 93. art. 7. ad 1.* Eſſe noſtrum, *inquit*, ad imaginem Dei pertinet, quod eſt nobis proprium ſupra alia animalia: quod quidem eſſe competit nobis in quantum mentem habemus, & ideò eadem hæc eſt trinitas cum illa, quam ponit Auguſtin. libr. 9. de Trinit. quæ conſiſtit in mente, notitia & amore.

e Quorum ſenſibilium etiam imagines.] *Hic adfert ſententiam Peripateticorum & ferè Philoſophorum communem, ſpecies aliquas ab objectis ſenſibus ipſis imprimi, quæ ſint ſimilitudines ipſorum objectorum, & quibus eadem percipiuntur à facultatibus ipſis ſenſitivis, easq́ dicit eſſe jam non corporeas, & lib. 12. ſuper Geneſ. ad lit. cap. 16. ſpecies ſenſuum* ſpirituales *vocat, eo modo quo Ariſtoteles eas appellat* formas abſque materia. *2. lib. de anima, text. 121. & 124. Non modo hoc loco, verùm etiam alibi huiusmodi ſpecies aſſerit D. Auguſt. ut lib. 10. Confeſſ. cap. 10. & 15. & lib. 12. ſup. Geneſ. cap. 11. & 17. & lib. 11. de Trinit. c. 2. Alia loca citata habes ex D. Auguſtino à Capreolo 2. diſtinct. 3. 4. 2. art. 3. ut falsò Henricum dixiſ-*

ſe oſtendat, quòd magna ignominia, vel incuria fuit credere quod Auguſtinus poneret ſpecies. Anſelmus monol. cap. 36. & Damaſcen. lib. 2. fidei Orthodox. cap. 20. eandem doctrinam de ſpeciebus tuentur: ut & D. Thom. 1. p. q. 55. art. 1. & 3. contra Gentes, cap. 49. & alibi.

ζ Nulla his veris Academicorum argumenta.] *q. d. Ita mihi id certum eſt & exploratum, ut quicquid opponant & diſputent Academici, aſſenſum cohibere nequeam. Volebant enim hominem ſemper cohibere aſſenſum, quicquid illi proponeretur, quicquid videret, quia interdum decipitur, ita fieri poſſe ut tunc cum putat ſe maximè certum eſſe de re aliqua, tum verò decipi.*

Cap. XXVII.

De eſſentia & ſcientia, & utriuſq; amore.

a Ita verò α vi quadam naturali ipſum eſſe jucundum eſt, ut non ob aliud & hi qui miſeri ſunt nolint interire *b* & cum ſe miſeros eſſe ſentiant, non ſeipſos de rebus, ſed miſeriam ſuam potius auferri velint. Illis etiam qui & ſibi miſerrimi apparent, & planè ſunt, & non ſolùm à ſapientibus *b* quoniam ſtulti, verumetiam ab his, qui ſe beatos putant, miſeri judicantur, quia pauperes atque mendici ſunt, ſi quis immortalitatem daret, quia nec ipſa miſeria moreretur, propoſito ſibi, quòd ſi in eadem miſeria ſemper eſſe nollent, nulli & nuſquam eſſent futuri, ſed omni modo perituri, profectò exultarent lætitia, & ſic ſemper eligerent eſſe quàm omnino non eſſe. Hujus rei teſtis eſt notiſſimus ſenſus eorum. Unde enim mori metuunt & malunt in illa ærumna vivere, quàm eam morte finire, niſi quia ſatis apparet quàm refugiat natura non eſſe? Atque ideo cum ſe noverint eſſe morituros, pro magno beneficio ſibi hanc impendi miſericordiam deſiderant, ut aliquanto productius in eadem miſeria vivant, tardiusque moriantur. Procul dubio ergo indicant immortalitatem, ſaltem talem quæ non habeat finem mendicitatis, quanta gratulatione ſuſciperent. Quid animalia etiam irrationalia, quibus datum non eſt iſta cogitare, ab immenſis draconibus uſque ad exiguos vermiculos? Nonne ſe eſſe velle, atque ob hoc interitum fugere omnibus quibus poſſunt motibus indicant? Quid arbuſta omneſque frutices, quibus nullus eſt ſenſus ad vitandam manifeſta motione perniciem nonne ut in auras *c* tutum culminis germen e-
Alias altius. mittant, * aliud β terræ radices affigunt, quò alimentum trahant, atque ita ſuum quodammodo eſſe conſervent? γ Ipſa poſtremò corpora, quibus non ſolum ſenſus, ſed nec ulla ſaltem ſeminalis eſt vita: ita tamen vel exiliunt in ſuperna, vel in ima deſcendunt, vel librantur in mediis, ut eſſentiam ſuam, ubi ſecundum naturam poſſunt eſſe, cuſtodiant. Jam verò noſſe quantum ametur, quamque falli nolit humana natura, vel hinc intelligi poteſt, *d* quòd lamentari quiſque ſana mente mavult, quàm lætari in amentia. Quæ vis magna atque mirabilis mortalibus præter homines animantibus nulla eſt, licet eorum quibusdam iſtam lucem contuendam, multò quàm nobis ſit acrior ſenſus oculorum: δ ſed lucem illam incorpoream contingere nequeunt, qua mens noſtra

noſtra quodammodo irradiatur, ut de his omnibus rectè judicare poſſimus. *e* Nam inquantum eam capimus, intantum id poſſumus. Veruntamen ineſt ſenſibus irrationalium animantium, etſi ſcientia nullo modo, at certè quædam ſcientiæ ſimilitudo: cætera autem rerum corporalium non quia ſentiunt, ſed quia ſentiuntur, ſenſibilia nuncupata ſunt. Quorum in arbuſtis hoc ſimile eſt ſenſibus, quòd aluntur & gignuntur. * Veruntamen & hæc & omnia corporalia latentes in natura cauſas habent, ſed formas ſuas varias, quibus mundi huius viſibilis ſtructura formoſa eſt, ſentiendas ſenſibus præbent, ut pro eo quod noſſe non poſſunt, quaſi innoteſcere velle videantur. Sed nos ea ſenſu corporis ita capimus, ut de his non ſenſu corporis judicemus. Habemus enim alium interioris hominis ſenſum iſto longè præſtantiorem, quo juſta & injuſta ſentimus, *f* juſta per intelligibilem ſpeciem, injuſta per eius privationem, ad huius ſenſus officium, non acies pupillæ, non foramen auriculæ, non ſpiramen narium, non guſtus faucium, non ullus corporeus tactus accedit. Ibi me & eſſe, & hoc noſſe certus ſum, & hoc amo, atque amare me ſimiliter certus ſum.

al. gignunt.

a ITa verò vi quadam.] *Diſputatio ex Academicis & Stoicis deſumpta, quam Cicero in primo Off. & iij. De fin. Stoicè, & v. De fin. Academicè perſequitur.* *L. Vives.*

b Quoniam ſtulti.] *Hæc eſt ſumma miſeria, ut ſummum bonum ſapere, ut Stoici dicebant.*

c Tutum culminis.] *Alibi totum cacuminis germen emittatur altius terra.*

d Quod lamentari quisque ſana mente.] *Sic Antiſthenes Cynicæ ſectæ autor mærere ſe malle dicebat, quàm voluptate affici. Propterea quòd hoc turpe exiſtimabat, & quòd mentem de ſtatu dimoveret ſuo. Alcibiadi Socrates apud Platonem manifeſtò declarat, poſſeſſionem omnium rerum ſine prudentia non modò nihil prodeſſe, ſed eſſe quoq; noxiam.*

e Nam inquantum eam capimus.] *Non ergo vel ſtudiis vel acumine naturæ contingit nobis cognitio maximarum rerum, & judicium illud acre, atq; exactum, ſed illuſtratione Dei quam cum boni viri majorem habeant, quàm mali, profectò eos ſapientiores quoq; eſſe neceſſe eſt, quamtumvis mali literati ſint, & ad popularem ſententiam acuti. Hoc eſt, quod ſapiens dicit: In malam animam non intraturam ſapientiam. Hoc quod Socrates ſemper affirmavit, Solos bonos viros eſſe ſapientes.*

f Juſta per intelligibilem ſpeciem.] *Per formam quandam & imaginem in mente mea, ex juſtitia ipſa impreſſam, quod vidi æquitatem, & congruentiam rerum, qualis debet eſſe in virtute illa, quæ ſi abſit, quocunq; modo id fiat, injuſtitiam intelligo, quoniã temperamentũ illud magna pulchritudine concinnum abeſſe video: nec tam expulſatione hominis, aut ereptione pecuniæ, aut convitiis, aut raptatione vidq; alia ſimili & injuria injuſtitiam intelligo, quæ certè privationes non ſunt, ſed juſtè etiam fieri poſſunt, ut ſi magiſtratus jubeat, vel bona mente fiant, quàm quod cerno decentiam illam & concinnitatem abeſſe virtutis pulcherrimæ. Porrò ſpecies hic aliud eſſe exiſtimare, quàm formas, facies, imagines, ſimulachra rerum in anima,*

ma, quas notitias vocant, videtur mihi hominum vel ingenio defectorum, vel ſcientia. & quoniam ex rebus, quæ ſunt, admirationem ſibi parare nequeant, res quæ nuſquam ſunt, quærere, ut earum novitate audientes in ſe convertant: quod fit paſſim in ſcholis hac tempeſtate.

F.L.Coq. α VI quadam naturali ipſum eſſe jucundum eſt.] *Cicero 1. offic.* Id cuique animantium tributum eſt à natura. *Hic quæri poteſt,* an quis recta ratione poſſit appetere non eſſe; *circa illud non ſe ipſos de rebus, ſed miſeriam ſuam auferri velint, v. g. damnati qui ſunt in perpetua miſeria ſine ulla ſpe evadendi, an ſecundum rectam rationem mallent potius non eſſe quàm eſſe? Equidem D. Auguſtinus loquens de miſeria paupertatis & mendacitatis, qua multi laborant in præſenti vita, dicit expeti potius eſſe cum tali miſeria, quam non eſſe, ut privetur quis huiuſmodi miſeria. Verùm alia quæſtio eſt de miſeria damnatorum, quæ conſiſtit in maximis tormentis ſecluſa omni ſpe liberationis. Nonnulli enim exiſtimant, damnatos ſi illis optio daretur etiam ſecundùm rectam rationem electuros potius non eſſe quàm eſſe in illis perpetuis miſeriјs. D. Auguſt. tamen lib. 3. de libert. arbit. c. 7. & 8. Videtur docere omnino, præeligi eſſe ſecundùm rectam rationem. Primo ſic argumentatur;* quoties quis aliquid eligit ſecundùm rectam rationem, ſi id aſſequatur, fit melior: At ſi damnati acquirerent non eſſe, non ideo fierent meliores, quia non eſſe, ut non eſt bonum, ita non poteſt eſſe melius aliqua alia re. *Deinde quia* ens & bonum apud Philoſophos reciprocantur. Eſt enim bonum affectio entis, at non eſſe nullam habet rationem entis: Ergo neque boni, *& quod conſequens eſt,* non poteſt cadere ſub objecto appetitus quod eſt bonum. *Poſtremò,* cum malum in privatione bóni conſiſtat, quo quid continet majorem privationem boni, eo eſt majus malum, & ex conſequenti magis fugiendum: At non eſſe eſt privatio omnis boni, eſſe miſerum ſeu damnatum non privat omni bono. Ergo majus malum eſt omnino non eſſe quam eſſe miſerum vel damnatum. *Ex Scholaſticis non deſunt, quibus contrarium videatur probabilius, ut videre eſt in 4. ſentent. diſt. 49. & 50.*

β Terræ radices affigunt quo alimentum trahant.] *Radix* os plantæ *dicitur, & quemadmodum ſcribit Ariſtoteles, quam habet rationem in animalibus vocatum os, eam ſubeunt in plantis radices.* Nam illa ore cibum è terra capiunt, hæ radicibus.

γ Iſta poſtremo corpora.] *Gravia & levia intelligit, quæ moventur à medio vel ad medium, & in ſuis locis naturalibus melius conſervantur, unde proprietates loci aſſignat Ariſtoteles attrahere ad ſe locatum, continere & conſervare.*

δ Sed lucem illam incorpoream.] *Cuius certè contuitus longè pluris exiſtimandus, quàm lucis corporeæ, quam & reliquis animantibus intueri licet, quo mens ipſa, quæ divinum lumen intuetur, dignitate longè ſuperat vim & aciem oculorum. Athanaſius in vita ſancti Antonij. Hieronymus epiſt. 33. ad Caſtrutium: Nicephorus libr. 9. cap. 17. referunt præclarum dictum Antonij monachi ad Didymum, qui cùm cæcus eſſet, maximam tamen eruditionem ſibi compararat, & exactiſſimam cognitionem tum artium liberalium, tum etiam ſacrarum literarum,* non eſt Didyme, quod

te

te ipſe mœrore conficias propterea, quod oculis careas, quos mures, lacertæ & vilia animalia habent, voluptate potius & lætitia te efferri convenit, qui itidem ut Angeli internis maxime vigeas oculis, quibus clarè immortalem & divinam cognitionem percipis, veritatemque ipſam exactè perſpicis.

ε At certè quædam ſcientiæ ſimilitudo.] *Quemadmodum etiam in animantibus deprehenditur quædam ſimilitudo prudentiæ, licet non vera prudentia: Ita docet D. Baſilius orat. de odio & invid. cancros ut intercipiant oſtrea & conchilia aperta in ſole, accepto lapillo ſenſim accedere, ac illum injicere ne concha claudi poſſit, & in Orat. de miſericordia docet, formicas tempore ſereno ad Solem exponere omnia grana collecta æſtate, ut exſiccentur & ne intra terrã germinent, ſolentq́ detrahere germen cuivis grano. Plura huiusmodi adduci poſſunt, ex quibus conſtat, nonnihil eſſe prudentiæ in animalibus. Videndus ea de re Plinius lib. 8. natur. hiſt. cap. 12. & ſeq. & Plutarchus in libello, quòd animalia ratione utantur.*

ζ Non quia ſentiunt, ſed quia ſentiuntur ſenſibilia.] *Quemadmodum lib. 12. de Geneſ. ad lit. cap. 10. ex quorundam ſententia ſic intelligibile & intellectuale diſtinguit, ut* intelligibilis ſit res ipſa, quę ſolo intellectu percipi poteſt, intellectualis autem mens, quæ intelligit; *quæ quia videre poteſt intellectualis, quia videri intelligibilis eſt, ſecundùm illam diſtinctionem.*

CAP. XXVIII.

An etiam ipſum amorem, quo & eſſe & ſcire diligimus, diligere debeamus, quo magis divinæ trinitatis imagini propinquemus.

SEd de duobus illis, eſſentia ſcilicet & notitia quantum amentur in nobis, & quemadmodum etiam in cæteris rebus quæ infra ſunt, eorum reperiatur etſi differens quædam tamen ſimilitudo, quantum ſuſcepti huius operis ratio viſa eſt poſtulare, ſatis diximus. De amore autem quo amantur, α utrum & ipſe amor ametur, non dictum eſt. Amatur autem. Et hinc probamus, quòd in omnibus quæ rectius amantur; ipſe magis ametur. β Neque enim vir bonus merito dicitur qui ſcit quod bonum eſt, ſed qui diligit. Cur ergo & in nobiſipſis non & ipſum amorem nos amare ſentimus, quo amamus, quicquid boni amamus? *a* Eſt enim γ & amor, quo amatur, quod amandum non eſt, & δ iſtum amorem odit in ſe, qui illum diligit, quo id amatur, quod amandum eſt. Poſſunt enim ambo eſſe in uno homine, ε & hoc bonum eſt homini, ut illo proficiente quo bene vivimus, iſte deficiat quo malè vivimus, donec ad perfectum ſanetur, & in bonum commutetur omne quod vivimus. Si enim pecora eſſemus, carnalem vitam, & quod ſecundum ſenſum ejus eſt amaremus, idque eſſet ſufficiens bonum noſtrum, & ſecundum hoc *b* cum eſſet nobis bene nihil aliud quæreremus. Item ſi arbores eſſemus, nihil quidem ſentiente motu amare poſſemus, veruntamen id quaſi appetere videremur, quo feracius eſſem⁹ uberiuſq; fructuoſæ. Si eſſem⁹ lapides, aut fluct⁹ aut ventus, aut flamma, vel quid ejuſmodi, ſine ullo quidem ſenſu atque vita, non tamen nobis deeſſet quaſi ζ quidam *c* noſtrorum locorum atque ordinis appetitus. Nam velut amores.

amores corporum *d* momenta ſunt ponderum, ſive deorſum gravitate, ſive ſurſum levitate nitantur. η Ita enim corpus pondere, ſicut animus amore fertur, quocunque fertur. Quoniam igitur homines ſumus, ad noſtri creatoris imaginem creati, cujus eſt vera æternitas, æterna veritas, æterna & vera charitas, eſtque ipſe æterna & vera & chara trinitas, neque confuſa, neque ſeparata, in iis quidem rebus quæ infra non ſunt, quoniam nec ipſa nec aliquo modo eſſent, nec aliqua ſpecie continerentur, nec aliquem ordinem vel appeterent, vel tenerent, niſi ab illo facta eſſent qui ſummè eſt, qui ſummè ſapiens eſt, qui ſummè bonus eſt: tanquam per omnia quæ fecit mirabili ſtabilitate
Luc 15. currentes, *e* quaſi quædā ejus alibi magis, alibi minus impreſſa veſtigia colligamus: in nobis autem ipſis ejus imaginem contuentes, *f* tanquam minor ille Evangelicus filius, ad noſmetipſos reverſi ſurgamus, & ad illum redeamus, à quo peccando receſſeramus. Ibi eſſe noſtrum non habebit mortem, ibi noſſe noſtrum non habebit errorem, ibi amare noſtrum non habebit offenſionem. Nunc autem iſta tria noſtra quanvis certa teneamus, nec aliis ea credamus teſtibus, ſed noſipſi præſentia ſentiamus, atque interiore veraciſſimo cernamus aſpectu, tamen quandiu futura, vel utrum nunquam defutura: & quò ſi bene, quò autem ſi malè agantur perventura ſint, quoniam per noſipſos noſſe non poſſumus, alios hinc teſtes vel quærimus, vel habemus, de quorum fide cur nulla debeat eſſe dubitatio, non eſt iſte, ſed poſterior erit diligentius diſſerendi locus. In hoc autem libro De civitate Dei, quæ non peregrinatur in hujus vitæ mortalitate, ſed immortalis ſemper in cælis eſt, id eſt, de angelis ſanctis Deo cohærentibus, qui nec fuerunt unquam, nec futuri ſunt deſertores, inter quos & illos qui æternam lucem deſerentes, tenebræ facti ſunt, Deum primitus diviſiſſe jam diximus, illo adjuvante quod cœpimus, ut poſſumus explicemus.

L. Vives. *a* EſT enim & amor quo amatur.] *Eſt in nobis ex ſarcina & fece corporis voluntas quædam, quam ratio non tam ducit, ut illam meliorem, quàm trahit & raptat: hæc bona ſemper averſatur, mala expetit, ut delitias corporis, & voluptates, quas duas Paulus vocat legem carnis, & legem mentis, interim carnem & ſpiritum: illam fœdam, tetram, brutalem boni homines oderunt: & cùm expellere nequeant, coercent quantum poſſunt: atq; illi ſuperiori ſanctiorią; dicto audientem eſſe, licet reluctantem & reclamantem, cogunt: nam ex ea oritur amor, quo amamus quod minimè oportet.*

b Cum eſſet nobis bene.] *Aut eſſet in hac vita, aut nobis, hoc eſt corpori.*

c Noſtrorum locorum atque ord.] *Imitatio Terentiana in Eunucho, mei loci atq; ordinis, per ordinem intelligeres ejuſdem generis & naturæ, quarum conſervationem omnia expetunt, ita ut cùm vis ſit, ſubveniant, ſi non impediantur.*

d Momenta ſunt pon.] *Dicebam paulò antè de momentis librarum, quæ vocantur ῥοπαὶ, quibus in alterutram partem propendit libra.*

e Quaſi quædam ejus alibi magis.] *Mens & ratio in nobis præſtat, ut imago ſit potius in nobis Dei quàm veſtigium. Homini enim recto cælum intueri eſt datum,* &

& Deum noſſe, cætera in terram abjecta jacent. Quocirca percurrens divinus ſpiritus cuncta, quæ creavit, in nobis erectis ſublimioribusq́; imaginem ſui reliquit: in cæteris rebus, quas velut pedibus contigit, nempe proſtratas, veſtigia tantum impreſſit: ſit hoc velut figura quadam dictum.

f Tanquam minor ille Evangelicus filius.] *Nota eſt hiſtoria ex Evangelio Lucæ 15.*

α UTrum & ipſe amor ametur.] *Non ſolùm alia amamus ipſo amore, verùm etiam ipſum amorem: Eſt enim actus voluntatis, qui reflectitur ſupra ſeipſum: Ex hoc enim quod aliquis amat, amat ſe amare. Ita ferè libr. 8. de Trinit. cap. 7.* Qui diligit fratrem, *inquit*, neceſſe eſt ut dilectionem diligat. *Ita docet D. Thomas 2. 2. q. 25. art. 2. charitatem ipſam, qua diligimus Deum & proximum, ex charitate etiam eſſe diligendam.* F. L. Cog.

β Neque enim vir bonus meritò dicitur.] *Cùm ſint duo genera virtutum, aliæ quidem* intellectuales, *aliæ verò* morales, *ut diſtinguit Ariſtoteles 2. Ethic. cap. 1. & D. Thom. 1. 2. q. 58. art. 2. id inter eas diſcriminis eſt, quod* virtutes intellectuales conferunt aliquam propenſionem ad rem aliquam efficiendam, non tamen conferunt bonum uſum ſive voluntatis inclinationem, ut quis ex illis habitibus operetur; virtutes autem morum conferunt bonum uſum ſive eam voluntatis propenſionem, ut quis agat ex ea virtute, quam ſibi comparavit. *Deinde à virtutibus intellectualibus nemo dicitur bonus vel malus ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, à virtutibus morum ſolemus aliquem ſimpliciter bonum nuncupare; ut qui tenet aliquam artem, eum dicimus bonum artificem, non abſolutè virum bonum; qui verò ſibi juſtitiam comparavit, vel aliquam aliam virtutem, virum bonum abſolutè vocamus. Hoc diſcrimen videtur inſinuare D. Auguſtinus hoc loco, cùm ait,* virum bonum eſſe non qui ſcit quod bonum eſt, ſed qui diligit, quod eſt voluntatis, ad quam pertinent virtutes morales. *Rectè enim afficimur ad id quod bonum eſt rectæ rationi conſentaneum ex eo quod virtutem aliquam nobis comparavimus, ut quis diligit & amplectitur id quod juſtum eſt, ex eo quod ſibi habitum juſtitiæ comparavit.*

γ Amor, quo amatur quod amandum non eſt.] *Ut mundanus & carnalis, qui alibi cupiditas dicitur ab Auguſtino, & eſt venenum charitatis, & quo in nobis magis intenditur, eo magis amittitur charitas.*

δ Iſtum amorem odit in ſe qui illum diligit.] *Pugnant enim inter ſe quemadmodum apud D. Paulum lex fomitis ſeu carnis, quæ ad illicita fertur à lege mentis.* Invenio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, & non quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum, hoc facio.

ε Illo proficiente quo benè vivimus, iſte deficiat.] *Ut enim docet in Enchirid. cap. penult.* minuitur cupiditas charitate creſcente, *& l. 83. quæſt. q. 36.* Charitatis venenum eſt ſpes adipiſcendorum aut retinendorum temporalium: nutrimentum ejus eſt diminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas: *non quod formaliter ipſum argumentum charitatis vel amoris honeſti ac divini ſit diminutio*

cupiditatis ſeu amoris mundani, in quo nulla erit cupiditas aut deſiderium temporalium, poterit nihilominus augeri ipſa charitas, quæ eſt amor DEi & proximi; verùm intelligitur per concomitantiam. Cùm enim ambo poſſint eſſe in uno homine charitas & cupiditas, amor divinus, qui nos conjungit Deo, & amor mundanus, certè quo magis conjungimur ipſi Deo, eo magis elanguet in nobis amor ille mundanus.

ζ Quidam noſtrorum locorum atque ordinis appetitus.] *Feruntur enim appetitu quodam naturali corpora omnia in ſua loca naturalia, & in iiſdem naturaliter quieſcunt.*

θ Ita enim corpus pondere.] *Ita ſcribit l.3. Confeſſionum cap. 9.* Amor meus, pondus meum. *Sicut corpori pondus eſt ipſa inclinatio, qua propendet in locum ſuum naturalem, ita amor inclinatio voluntatis qua fertur in bonum amatum: & ſicut corpus quieſcit naturaliter in loco, ad quem pondere ferebatur, ita voluntas in bono ſemel obtento, ad quem amore ferebatur.*

ι Quaſi quædam ejus alibi magis, alibi minus impreſſa veſtigia.] *Eſt differentia inter* veſtigium, & imaginem, *quod* veſtigium ducat in cognitionem rei confusè & valde imperfectè, imago rem ipſam diſtinctè exprimit, & ad ejus cognitionem longè perfectiorem nos ducit. *In reliquis creaturis inferioribus reperitur veſtigium aliquot Trinitatis, rectè tamen Dionyſius l. de divin. nom. c.5. creata omnia* exiles *vocat* imagines, per quas ad Deum aſcendimus. *Nec hoc loco tantùm, verum etiam lib.6. de Trinitat. cap.10. expreſſè docet in creaturis reperiri aliquod veſtigium Trinitatis. Certè in omni creatura reperitur eſſentia unitas, & tria quædam, quæ quodammodo licet confusè correſpondent tribus perſonis divinis, ſiquidem omnis creatura procedit à Deo, per potentiam ſecundùm ordinem ſapientiæ, & propter bonitatem divinam; quæ tria appropriantur tribus perſonis, & omnis creatura habet modum, qui correſpondet potentiæ patris, habet ſpeciem, quæ correſpondet ſapientiæ filij, & habet ordinem qui correſpondet bonitati Spiritus ſancti. Et ſi verò in nobis ſit imago ſanctiſſimæ Trinitatis, & in reliquis creaturis veſtigium, id tamen ita eſſe non intelligimus niſi ſuppoſita fide ac revelatione ſanctiſſimæ Trinitatis: alias enim nunquam conciperemus animo in nobis aut imaginem, aut in reliquis creaturis veſtigium aliquod ſanctiſſimæ Trinitatis, quemadmodum Cæſarem niſi prius ex vultu agnoſcerem, vel ex aliorum relatione impreſſa mihi eſſet ſpecies illius, nunquam dicerem illam eſſe imaginem Cæſaris.*

Cap. XXIX.

De ſanctorum angelorum ſcientia, qua trinitatem in ipſa ejus deitate noverunt, qua operum cauſas prius in operantis arte quàm in ipſis operibus artificis intuentur.

ILli quippe angeli ſancti α non per verba ſonantia Deum diſcunt, ſed per ipſam præſentiam immutabilis veritatis, hoc eſt, verbum ejus unigenitum. Et ipſum verbum & patrem & eorum ſpiritum ſanctum, eamque eſſe inſeparabilem trinitatem; ſingulaſque in ea perſonas eſſe ſubſtantiam: & tamen

omnes

omnes non tres deos eſſe, ſed unum Deum ita noverunt, *a* β ut eis magis iſta ſint nota, quàm noſipſi nobis cogniti ſumus. *b* γ Ipſam quoque creaturam melius ibi, hoc eſt, in ſapientia Dei tanquam in arte qua facta eſt, quàm in ea ipſa ſciunt, ac per hoc & ſeipſos ibi melius, quàm in ſeipſis. Veruntamen & in ſeipſis ſciunt. Facti ſunt enim, & aliud ſunt quàm ille qui fecit. Ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in ſeipſis autem tanquam in veſpertina, ſicut ſuprà jam diximus. Multum autem differt, utrum in ea ratione cognoſcatur aliquid ſecundum quam factum eſt, an in ſeipſo. *c* δ Sicut aliter ſcitur rectitudo linearum ſeu veritas figurarum cùm intellecta conſpicitur, aliter *d* cùm in pulvere ſcribitur. Et aliter juſtitia deſcribitur in veritate incommutabili, aliter in anima juſti. Sic deinde cætera, ſicut firmamentum inter aquas ſuperiores & inferiores, quod cælum vocatum eſt: ſicut deorſum aquarum congeries terræque nudatio, & herbarum inſtitutio atque lignorum, ſicut ſolis & lunæ ſtellarumque conditio: ſicut ex aquis animalium, volucrum ſcilicet atq; piſcium beluarumque natantium: ſicut quorumcunque in terra gradientium atque repentium, & ipſius hominis, qui cunctis in terra rebus excelleret. Omnia hæc aliter in verbo Dei cognoſcuntur ab angelis, ubi habent cauſas rationeſque ſuas, id eſt, ſecundum quas facta ſunt incommutabiliter permanentes, aliter in ſeipſis, illic clariore, hic obſcuriore cognitione, velut artis atque operum: quæ tamen opera cùm ad ipſius creatoris laudem venerationemque referuntur, tanquam mane luceſcit in mentibus contemplantium.

a UT eis magis iſta ſint.] *Et ſunt illi acutioribus, quàm nos ingeniis: & lux, qua ad cognoſcendam ſacroſanctam trinitatem illuminantur, major multò eſt, quàm qua nos, ut nos norimus.* L.Viv.

b Ipſam quoque creaturam melius ibi.] *Nempe effectum in cauſa expreſſum, melius, quàm in ſeipſo.*

c Sicut aliter ſcitur rectitudo.] *Certius meliusq; ſcitur tota ratio linearum, ſuperficierumq; ex dogmatis mathematicis, quàm ex pictura, quæ nunquam tam exacta eſt, ut ante oculos rem ipſam, ut ſe habet, exponat: meliusq; intelligitur rectam eſſe lineam, quæ à nota in notam eſt breviſſima, ut inquit Euclides. Aut lineas omnes à cento ad circum eſſe pares. Et præceptis geometriæ, quàm ex deſcriptione non modò pulveris, ſed ne Parrhaſij quidem aut Apellis. Nulla enim perfectè recta linea pingi poteſt, nullus circulus exactè rotundus, qui nihil habeat recti.*

d Cùm in pulvere ſcribitur.] *Olim mathematici figuras in pulvere radio deliniabant, ut facilè quæ vellent, deſcribere, & delere poſſent. Sic Archimedes, cùm Syracuſæ caperentur, in pulvere deſcriptas conſiderabat formas. Apud Livium in ſecundo bello Punico. Et Cicero pulverem illum eruditum vocat ſecundo de natura deorum. Et Perſius Sat. 1.*

- Et ſecto in pulvere metas.

a NOn per verba ſonantia Deum diſcunt.] *Sunt enim intellectus immateriales, qui auditu ſpirituali à Deo diſcunt. Modum quo Deus angelis loquitur ineffabilem eſſe ſcribit infra lib. 16. cap. 6.* docet verò Deus aliquid in intellectum P.L.Coq.

imprimendo, ita ſuam eſſentiam manifeſtandam, lumen gloriæ imprimit, dum loquitur, revelando myſteria lumen Propheticum vel fidei infundit: Sic ad cognitionem rerum naturalium lumen naturale indidit: *Angeli ergo quemadmodum ſunt à Deo creati, ita ſpecies ab eodem ſibi congenitas habent & ſcientiam, quæ illis naturalis dici poteſt: Verùm altiſſimum myſterium Trinitatis non niſi per revelationem ab initio & mediante lumine fidei, ac in ænigmate cognoverunt, ut mediante lumine gloriæ illis poſtea manifeſtata divina eſſentia, lib. 13. Confeſſ. cap. 15.* vident ſupercœleſtes populi Angelorum bonorum faciem tuam ſemper, & ibi legunt ſine ſyllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt, & diligunt. Eligendo enim & diligendo legunt ipſam incommutabilitatem conſilii tui, non clauditur codex eorum, nec plicatur liber eorum, quia tu ipſe illis hoc es, & es in æternum.

β Ut eis magis iſta ſint nota.] *Quia à Deo immediatè docentur, qui fallere nequit, & certiori ac perfectiori lumine nempè gloriæ cognoſcunt, non tamen ita intelligas, ut Deum ipſum comprehendant, quemadmodum nos ipſos perfectè poſſumus cognoſcere. Eſſe enim noſtrum & natura, noſtræ mentis ſeu intellectus facultatem non excedit, verùm divina eſſentia cuiuslibet intellectus quantumvis beati & lumine gloriæ illuſtrati vires in infinitum ſuperat, ut quantumvis clariſſimè videatur, minimè tamen unquam comprehendatur. Intelligit itaq; de cognitione* quod res ſit, *non de cognitione* quidditativa rei, *ut certius & notius ſit Angelis beatis eſſe tres perſonas in unitate eſſentiæ quàm alioquin nos eſſe noverimus: Et ſi verò adhuc quid ſit Deus perfectius cognoſcant quam cognoſcamus quæ ſpectant ad nos, quia de perfectiori objecto & per lumen certius ac perfectius, quantum tamen ad modum cognoſcendi fieri poteſt, ut perfectè & comprehenſivè ut ita loquar, ipſum eſſe noſtrum ac naturam perfectè cognoſcamus, quod de beatis minimè dici poteſt comparatione Dei infiniti. Ea ferè ratione dictum eſt ab Apoſtolo 1. Corinth. 12.* Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum: *quod non de perfectione quidem, ſed de evidentia cognitionis intelligendum, ut quemadmodum manifeſtè me & evidenter Deus novit, ita eum tunc in patria agnoſcam, ubi fidei viſio ſuccedit, non ita tamen, ut quemadmodum ipſe me comprehendit, ita eum ſim comprehenſurus: quo ſenſu illud Joannis etiam intelligitur 1. 3.* cùm apparuit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicut eſt, *ut ſimilitudo illa ratione actus & objecti beatitudinis intelligatur, ut quemadmodum Deus ſeipſum videt manifeſtè, & ſe ipſo beatus eſt, ita eam viſuri, & eius viſione futuri beati.*

γ Ipſam quoque creaturam melius ibi.] *Vult. D. Auguſtinus res creatas non modo in ſeipſis per proprias ſpecies naturaliter cognoſci, verùm etiam in verbo ſeu eſſentia divina à beatis ipſis, adeò ut Angeli ſeipſos melius norint in eſſentia divina, quàm in ſeipſis. Eſt enim eſſentia divina ſpeculum voluntarium referens omnes creaturas, & Deus cognoſcendo ſuam eſſentiam omnia vidit in ſua eſſentia perfectiſſimè, & per eam tanquam per ſimilitudinem rerum omnium expreſſiſſimam omnia cognovit: quia itaq; beatitudo increata Dei exemplar eſt omnis beatitudinis, fit etiam ut beati illi intellectus non modo divinam eſſentiam videant, verùm etiam in ea*

velut

velut in ſpeculo pro ratione luminis gloriæ, quo vident, plures aut pauciores creaturas intuentur, adeò ut in utraq; cognitione eadem res ſit cognita, nempe creatum, ut Angelus ipſe etiam ſecundum ſuum proprium eſſe & formale. Ut docet hic Auguſtinus, & lib. 4. de Geneſ. ad liter. cap. 24. & 25. Verùm in altera medium cognitionis eſt eſſentia ipſa divina, quæ intellectui beati unitur, non modo in ratione objecti, verùm etiam inſtar ſpeciei cuiusdam & ſimilitudinis objectivæ, quæ primò ſeipſam, deinde alia refert intellectui creato, in cognitione verò, qua Angelus ſeipſum, & alia naturalia cognoſcit, medium cognoſcendi eſt ipſa ſubſtantia Angeli comparatione ſui ipſius, ut comparatione reliquorum objectorum ipſæ ſpecies ab initio impreſſæ menti Angelicæ. D. Auguſtinus cognitionem, qua Angeli ſe cognoſcunt in ſapientia Dei tanquam in arte, vocat hic cognitionem divinam, *& aliàs* matutinam, *ut ſup. cap. 7. & lib. 4. ſuper Geneſ. ad Liter. cap. 23. & ſequentibus. & libr. 5. cap. 5. cognitionem verò, qua ſe ipſos cognoſcunt per propriam ſubſtantiam, & res à ſe diſtinctas per ſpecies ipſis concreatas, vocat* cognitionem veſpertinam. *Quæ verò ſint ea, quæ Angeli vident in verbo tanquam in arte ceu reliqui beati, non ita facilè eſt definire, & variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Legi poteſt D. Thomas 1. p. q. 12. art. 8. & 3. contra Gentes, cap. 59. & Scholaſtici in 4. ſent. diſtinct. 49. Certè quo aliquis perfectius videbit divinam eſſentiam, eo etiam plura in ea viſurus eſt, quemadmodum quo quis aliquid principium cognoſcit perfectius, plures etiam concluſiones in eo cognoſcit.*

δ Sicut aliter ſcitur rectitudo linearum.] *Nunquam enim ita perfectè deſcribuntur lineæ vel circuli in materia, ut mente ipſa concipiuntur, nec perfectè correſpondent rationibus ipſis, quæ ſunt in mente: & quidem intellectus concipit lineam ſine omni latitudine, cum tamen in materia ſeu pulvere deſcripta latitudinis non ſit omnino expers. Alia itaq; ratio ejus eſt in mente, & alia in materia; ita Mathematicus, ut perfectè concipiat lineam vel circulum, vel quamlibet figuram, abſtrahit eam ab omni materia; nec tamen ita putes de creaturis productis à Deo comparatione rationum, quæ ſunt in mente divina, nam creaturæ perfectè modo ſuo imitentur artem divinam & reſpondent exemplaribus ipſis, quæ ſunt in mente divina, ſiquidem ab artifice ſummo producuntur.*

ε Ubi habent cauſas rationesque ſuas.] *Ita l. 4. de Geneſ. ad Lit. c. 24.* In ipſo verbo Dei æternas omnium rerum, quæ temporaliter fiunt, rationes tanquam in eo per quem facta ſunt omnia, *eſſe dicit l. de Geneſ. ad Lit. c. 18. vocat æternas, atq; incommutabiles & ſtabiles rationes.*

Cap. XXX.

De ſenarij numeri perfectione, qui primus partium ſuarum quantitate completur.

α HÆc autem α propter ſenarii numeri perfectionem, β eodem die ſexies repetito, ſex diebus perfecta narrantur: non quia Deo neceſſaria fuerit mora temporum, quaſi qui non potuerit creare omnia ſimul, quæ deinceps congruis motibus peragerent tempora: ſed quia per ſenarium numerum eſt

operum ſignificata perfectio. *b γ* Numerus quippe ſenarius primus completur ſuis partibus, id eſt, ſexta ſui parte, & tertia, & dimidia: quæ ſunt unum, & duo, & tria: quæ in ſummam ducta, ſex fiunt. Partes autem in hac conſideratione numerorum illæ intelligendæ ſunt, *c* quæ quotæ ſint, dici poteſt: ſicut dimidia, tertia, quarta: & deinceps ab aliquo numero denominatæ. Neque enim exempli gratia, quia in novenario numero quatuor pars aliqua eius eſt, ideo dici poteſt, quota eius ſit: unum autem poteſt, nam nona eius eſt: & tria poteſt, nam tertia eius eſt. Conjunctæ verò iſtæ duæ partes eius, nona ſcilicet atque tertia, id eſt, unum & tria, longè ſunt à tota ſumma eius, quod eſt novem. Itemque in denario quaternarius eſt aliqua pars eius: ſed quota ſit, dici non poteſt. unum autem poteſt, nam decima pars eius eſt. habet & quintam, quæ ſunt duo: habet & dimidiam, quæ ſunt quinque. Sed hæ tres partes eius: decima & quinta, & dimidia, id eſt, unum, & duo, & quinque ſimul ductæ non complent decem, ſunt enim octo. Duodenarii verò partes numeri in ſummam ductæ, tranſeunt eum: habet enim duodecimam, quod eſt unum: habet ſextam, quæ ſunt duo: habet & quartam, quæ ſunt tria: habet tertiam, quæ ſunt quatuor: habet & dimidiam, quæ ſunt ſex: unum autem, & duo, & tria, & quatuor, & ſex: non duodecim, ſed amplius, id eſt, ſedecim fiunt. Hoc breviter commemorandum putavi ad commendandam ſenarii numeri perfectionem: qui primus, ut dixi, partibus ſuis in ſummam redactis ipſe perficitur: in quo perfecit Deus opera ſua: *d* Unde ratio numeri contemnenda non eſt, quæ in multis ſanctarum ſcripturarum locis, quàm magni æſtimanda ſit, elucet diligenter intuentibus. Nec fruſtra in laudibus Dei dictum eſt. Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.

L. Viv. *a* HÆc autem propter ſenari numeri perfectionem.] *Omnia numeris conſtare exiſtimavit Pythagoras Samius, quem Plato ſecutus eſt. Numerorumq; myſteria tam myſteriosè tradiderunt, ut etiam initiatos ipſos videantur voluiſſe celare, nedum profanum vulgus. Scriptores noſtræ pietatis, Græci Latiniq; ſacramenta in numeris eſſe permulta exiſtimarunt. Hieronymus inter omnes plurium tribuit religioni numerorum, qui etiam nonnullos progenitores eſſe in ſtemmate Chriſti ab Evangeliſta prætermiſſos ait, ut ad numerum omnia congruerent.*

b Numerus quippe ſenarius p. c. ſ. p.] *Hæc eſt perfectio numeri, ut ſuis omnibus partibus compleatur. Quales arithmetici pauciſſimos invenerunt, talis eſt ſenarius intra x. & xxviij. intra centum. Hic enim conſtat xiiij. & vij. & iiij. & ij. & unitate. Hieronym. in Ezechielem ſenarium numerum ſacramentum creaturarum continere ſcribit,*

c Quæ quotæ ſ. d. p.] *Medietas, an quarta, an tertia, an quinta, ſexta ſeptima, &c. Quatuor enim ex novem, neq; medietas eſt, neq; tertia, neq; quarta, & ſic usque ad nonam, quò ulterius nonarius numerus non progreditur. Minima enim pars, quæ quota ſit, dici poteſt, eſt denomine ipſius numeri dicta, ut duodecima in xij. viceſima in xx. & ea ſemper eſt unitas. Hoc genus partis, aliquotam noſtri vocant. Euclides lib. 7. ſic diſtinguit, ut partem aliquotam partem tantum nominet, non aliquotam*

aliquotam

aliquotam verò partes. Duæ enim eius definitiones hæ ſunt, tertia, & quarta. Pars eſt numerus numeri minor majoris, quando dimetitur majorem. Partes autem quando non metitur. Sic ſunt uſi veteres his hominibus.

α PRopter ſenarii numeri perfectionem.] *De ſenarij numeri perfectione diſſerit etiam l.4. de Trinitate, capite quarto, & lib.4. de Geneſi ad Liter. c.2.* P.L.c.19.

β Eodem die ſexies repetito.] *Exiſtimavit itaq; non per ſex dies diſtinctos, ſed ſimul eodem momento condita fuiſſe à Deo omnia, quæ narrat Moyſes ſex diebus fuiſſe producta. Hanc ſententiam ſuam ſuperiùs expreſſit, c.9. & l.1. de Geneſ. ad Liter. c.15. l.4. cap.34. & l.5. c.4. & ſæpè alias; neq; aliud eſſe interpretatur illos ſex dies niſi cognitionem Angelicam, ſex illis rerum generibus repræſentatam, ut unus dies intelligatur cognitio Angelica, prout ad unum rerum ordinem uno die à Moyſe commemoratum terminabatur, & mane diei ſit eadem cognitio Angelica rerum in ipſo verbo divino; veſpere autem cognitio rerum in ſeipſis per proprias ſpecies ipſi intellectui Angelico infuſas. Philo l. de Allegorijs legis cum D. Auguſtino hoc loco putat non aliud Moyſem per ſex illos dies voluiſſe ſignificare quàm conditarum rerum perfectionem, quæ ſenario numero ſolet denotari. Procopius in c.1. Geneſ. ait Moyſem ideò per intervalla ſex dierum adumbraſſe rerum productionem,* ut facilius à rudi populo intelligeretur. *Cajetanus ſcribit id feciſſe Moyſem,* ut ea re oſtenderet naturalem ordinem & conſequentiam rerum productarum talem eſſe, ut ſi ſucceſſivè fuiſſent producenda, commodiſſimè per intervalla hujuſmodi ſex dierum potuiſſent produci. *D. Thomas 1.p.q.74. nihil de ea re certi definit, & probabilem exiſtimat D. Auguſtini ſententiam.*

γ Numerus quippè ſenarius primus completur ſuis partibus.] *Perfectus numerus ex Euclide lib.7. Element. definit.22. dicitur,* qui ſuis ipſius partibus eſt æqualis, *ita ſenarius numerus ſuis ipſius partibus completur, talibus nempè partibus,* quæ multiplicatæ poſſent conſummare numerum, cujus partes ſunt. *Talis enim pars numeri dici poteſt* quota *ſit. Senarius tres* quotas *habet, ſextam tertiam, dimidiam: ſexta ejus unum, tertia duo, dimidia tria: quæ partes in ſummam ductæ, id eſt, unum, & duo & tria ſimul eundem perficiunt* ſenarium. *Eadem ſcribit & D. Gregorius l.35. Moral. c.11. & 12. & Macrobius l.1. in ſomnium Scipionis, c.6. Quod verò docet Auguſtinus hoc loco, per ſenarium numerum ſignificatam eſſe Dei operum perfectionem, eadem ſcribit & l.4. de Geneſ. ad Lit. c.2. ubi eadem, quæ hoc loco, de numeri ſenarij perfectione, & aliorum numerorum compoſitione ex partibus ſuis ſcribit. Et Hugo de Sancto Victore, l. de Sacramentis,* Senarius qua ex partibus ſuis conſtat ſignum perfectionis eſt, & idcirco voluit ſex diebus complere opera ſua, ut oſtenderet ſe in his quæ fecerat nec ſupervacaneum aliquid poſuiſſe, nec imperfectum reliquiſſe. *vide Cœlium Rhodiginum l.22. lect. antiq. c.11.*

δ Unde ratio numeri contemnenda non eſt, quæ in multis ſanctarum Scripturarum locis.] *Non ſolum Pythagoras & Plato numerorum multa myſteria conſiderarunt, verùm etiam & ſacri Doctores, atq; in primis D. Auguſtinus ex nu-*

mero-

meris ipſis in exponendis ſacræ Scripturæ locis multa myſteria inveſtigat, l. 2. de doctr. Chriſtian. cap. 16. Numerorum imperitia multa facit non intelligi translatè ac myſticè poſita in ſcripturis. *& l.3.c.35. ita aliquot numeros explicat myſticè tandem concludit,* Unde apparet non ſolas temporum quæſtiones iſtis numeris eſſe ſolvendas, ſed latius patere ſignificationes eorum & in multa proſerpere. *in Pſ. enarrat. myſteria quamplurima ad ſacros numeros pertinentia allegoricè proſequitur, quæſt. 152. in Geneſ. numeros in ſcripturis ait eſſe,* ſacratiſſimos & myſteriorum pleniſſimos. *Ita Hieronymus dicit magnam vim ineſſe numeris ad plura myſteria ſcripturæ intelligenda, & D. Gregorius lib. 35. Moral. capit. 12. & 13. aliquot myſteria per numeros ex ſacra ſcriptura colligit. De ſenſu myſtico, quem ſolent habere numeri in ſacris Scripturis; plura Salmeron. tom. primo proleg. 20.*

Cap. XXXI.

De die ſeptimo, in quo plenitudo & requies commendatur.

In ſeptimo autem die, *a* id eſt *a* eodem die ſepties repetito, qui numerus etiam ipſe alia ratione perfectus eſt, Dei requies commendatur, in qua primum ſanctificatio ſonat. Ita Deus noluit iſtum diem in ullis ſuis operibus ſanctificare, ſed β in requiè ſua, quæ non habet veſperam. Neque enim ulla creatura eſt, ut etiam ipſa aliter in Dei verbo, aliter in ſe cognita, faciat aliam velut diurnam, aliam velut veſpertinam notitiam. De ſeptenarii porrò numeri perfectione dici quidem plura poſſunt, ſed & liber iſte jam prolixus eſt, & vereor ne occaſione comperta, ſcientiolam noſtram leviter magis quàm utiliter jactare velle videamur. Habenda eſt itaque ratio moderationis atque gravitatis, ne forte cùm de numero multum loquimur, *b* menſuram & pondus negligere judicemur. *c* Hoc itaque ſatis ſit admonere, *d* quòd totus impar primus numerus ternarius eſt, totus par quaternarius, ex quibus duobus ſeptenarius
Prov. 24. conſtat. *e* δ Ideo pro univerſo ſæpe ponitur, ſicuti eſt: Septies cadet juſtus, & reſurget: id eſt, quotieſcunque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquita-
Pſ. 118. tibus, ſed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit. Et ſepties in die laudabo te: quod alibi alio modo dictum eſt, ſemper laus eius
Pſal. 33. in ore meo. Et multa huiusmodi in divinis autoritatibus reperiuntur, in quibus ſeptenarius numerus, ut dixi, pro cuiusque rei univerſitate poni ſolet. Propter hoc *f* eodem ſæpe numero ſignificatur ſpiritus ſanctus, de quo dominus
Ioh. 16. ait: Docebit vos omnem veritatem. Ibi requies Dei, qua requieſcitur in Deo.
1. Cor. 13. In tota quippe, id eſt, in plena perfectione requies, in parte autem labor. Ideo laboramus, quandiu ex parte ſcimus: ſed cum pervenerit quod perfectum eſt, quod ex parte eſt evacuabitur. Hinc eſt quod etiam ſcripturas iſtas cum labore rimamur. Sancti verò angeli, ad quorum ſocietatem & congregationem in hac peregrinatione laborioſiſſima ſuſpiramus, ſicut habent permanendi æternitatem, ita cognoſcendi facilitatem, & requieſcendi fœlicitatem. Sine difficultate quippe nos adjuvant, quoniam ſpiritualibus motibus puris & liberis non laborant.

a Id

a ID eſt, eodem die ſepties repetito.] *Significat omnia ſimul fuiſſe creata.* L.Vives.

b Menſuram & pondus negligere jud.] *Luſit in eo quod prius dictum eſt, Deum omnia feciſſe numero, pondere, & menſura: quòd ſi nimis multa dicat de numero, neglexiſſe videbitur & pondus ac menſuram ſuam, & pondus ac menſuram, de quis ſapiens loquitur.*

c Hoc itaque ſatis ſit adm.] *Numerum ſeptenarium magnæ religionis myſteriiq; fuiſſe oſtendunt Judæi, qui propter diem ſabbati multum eum venerabantur: ut Hieron. ſcribit in Eſaiam. Et gentiles, cuius potentiam A. Gell. lib. 3. & æmulus eius Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis perſecuti ſunt, quantum in cælo, quantum in mari, quantum in hominibus valeat. Pythagorici hunc numerum, ut Chalcidius inquit, laudabant tanquam optimum & naturaliſſimum, & ſufficientiſſimum: & in Chriſtiana religione magna ſunt myſteria ſeptenario numero concluſa.*

d Quod totus impar primus num.] *Par numerus, inquit Euclides, eſt qui bifariam dividitur, impar qui bifariam non dividitur. Ternarius non modo non bifariam, ſed nec in ullos poteſt numeros dividi. Unitas enim numerus non eſt. Quaternarius in geminos diſtinguitur, qui etiam per unitates ſectionem recipiunt: & primus quaternarius duas medietates nactus eſt, ut ait Macrobius, qui eadem ratione ſeptenarium commendat, qua Auguſt. ex duabus partibus.*

e Ideo pro univerſo ſæpe ponitur.] *Idem in Epiſt. ad Galat.*

f Eodem ſeptenario numero ſignificatur ſpiritus ſanctus.] *Idem dicit in ſermone de verbis domini in monte. Hoc ex donis oſtenditur, quorum Eſaias meminit quarto capite.*

α EOdem die ſepties repetito.] *Unicum diem ſepties eſſe repetitum aſſerit etiam l.4. de Geneſ. ad lit. c. 20. & l.5. c.1.* F.L.Coq.

β In requie ſua quæ non habet veſperam.] *Quare ſeptimus dies veſperam non habeat, multa allegoricè adducit libro quarto de Geneſ. ad Literam capitul. 18. & 19.*

γ Ex quibus duobus ſeptenarius.] *Idem quæſt. 42. in Deuter. in hoc conſiderat perfectionem numeri ſeptenarij,* quod ex ternario numero primo impari toto conſtet, & ex quaternario primo pari toto.] *Religioni erat apud Iudæos numerus ſeptenarius propter diem ſabbathi, quem magna religione colebant. De ſeptenarij numeri myſteriis multa D. Baſilius homil. 11. in Examer. Eum Philo ἐν κοσμοποιΐᾳ μυστικώτατον, omnium numerorum eſſe oſtendit. Gentiles etiam in eo numero virtutem quandam peculiarem eſſe agnoverunt, ut teſtatur D. Hieronym. in c. 5. Amos, & videre eſt apud Agellium l.3. c.10. & Macrobium l. 1. in ſomnium Scipionis, cap.6. & Cælium Rhodiginum, l.22. lectio. antiq. c.12. quin & hunc numerum dixit Pythagoras plenum eſſe myſteriis.*

δ Ideo pro univerſo ſæpe ponitur.] *Idem obſervat. l. 3. de doctrina Chriſtiana. cap. 35. q. 42. in Deuter. in expoſitione epiſtolæ ad Galatas, ferè circa principium, & in Pſ. 118. Concil. 31. in ea verba,* Septies in die laudem dixi tibi, *& D. Gre. l.1. Moral. c. 7.*

Cap. XXXII.

De opinione eorum, qui angelorum creationem anteriorem volunt eſſe quàm mundi.

NE quis autem contendat, & dicat non ſanctos angelos eſſe ſignificatos, in eo quod ſcriptum eſt: *Fiat lux, & facta eſt lux*, ſed quamlibet *a* α lucem tunc primum factam eſſe corpoream, aut opinetur, aut doceat: angelos au-
Gen. 1. tem prius eſſe factos, non tantum ante firmamentum; quod inter aquas & aquas factum, appellatum eſt cœlum, ſed ante illud quod dictum eſt, *In principio fecit Deus cœlum & terram:* atque illud quod dictum eſt in principio, non
Joh. 8. ita dictum tanquam primum hoc factum ſit, cùm ante fecerit angelos, ſed quia omnia in ſapientia fecit, quod eſt verbum eius, *b* β & ipſum ſcriptura principium nominavit, ſicut ipſe in Evangelio Judæis quærentibus quis eſſet, reſpondit ſe eſſe principium: non ècontrariò referam contentionem, maximè quia
Gen. 1. hoc me delectat plurimum, quod etiam in ſummo exordio ſancti libri Geneſ.
Pſ. 103. trinitas commendatur. Cùm enim ita dicitur: In principio fecit Deus cœlum & terram: γ ut pater feciſſe intelligatur in filio, ſicut atteſtatur Pſalmus, ubi legitur: Quàm magnificata ſunt opera tua, domine, omnia in ſapientia feciſti: convenientiſſimè paulò poſt commemoratur etiam ſpiritus ſanctus. Cùm enim dictum eſſet, qualem terram Deum primitus fecerit, vel quam molem materiamvé futuræ conſtructionis mundi cœli & terræ nomine nuncupaverit ſubjiciendo & addendo: δ Terra autem erat inviſibilis & incompoſita, & tenebræ ſuper abyſſum: mox ut trinitatis commemoratio completur, *c* & ε ſpiritus, inquit, Dei ferebatur ſuper aquas. Proinde ut volet unuſquiſque accipiat, quod ita profundum eſt, ut ad exercitationem legentium à fidei regula non aberrantes plures poſſit generare ſententias: dum tamen angelos ſanctos in ſublimibus cœli ſedibus, non quidem Deo coæternos, ſed tamen de ſua ſempiterna & vera fœlicitate ſecuros & certos eſſe, nemo ambigat. Ad quorum
Matt. 22. ſocietatem pertinere parvulos ſuos dominus docens, non ſolum illud ait: *Erunt æquales angelis Dei:* verùm ipſi quoque angeli qua contemplatione fruan-
Matt. 18 tur oſtendit, ubi ait: Videte, ne contemnatis unum ex puſillis iſtis. Dico enim vobis, quia angeli eorũ in cælis ſemper vident faciẽ patris mei, qui in cælis eſt.

L. Vives *a* [Lucem, &c. corpoream.] *Quæ corpori adhæreat.*

b [Et ipſum ſcriptura principium nominavit.] *Non reprobo ſententiam theologorum dicentium Chriſtum eſſe principium. Nam is eſt, per quem facta ſunt ſecula, & caput omnium, quæ pater progenuit. Sed id ex reſponſione Chriſti ad Judæos, parum mihi videtur aptè colligi. Satius eſt dicere, ſic eſt, quia verum eſt, quàm quia Joannes ſcripſit, cùm hoc non ſenſerit. Nam hæc genera argumentorum expoſita ſunt doctis hæreticis ad ſubſannationem, quibus anſam, vel calumniandi noſtri vel deridendi non præberi oportet. Quid verò de loco illo: In principio creavit Deus cœlum & terram, Hieronymus ſentiat, homo circumſpecta & libera pietate, adſcribam. Pleriq; exiſtimant, ſicut in altercatione quoq; Jaſonis, & Papiſci ſcriptum eſt, & Tertul. in lib. contra Praxeam diſputat, nec non Hilarius in expoſitione cuiusdam Pſalmi affirmat, in Hebræo haberi: In filio fecit Deus cœlum & terram, quod falſum*

falſum eſſe, ipſius rei veritas comprobat. Nam & lxx. interpretes, & Symmachus
& Theodotion in principio tranſtulerunt, & in Hebræo ſcriptum eſt Breſith, quod
Aquila interpretatur, in capitulo. Et non habem, quod interpretatur in filio. Magis
itaq; ſecundum ſenſum, quàm ſecundum verbi translationem de Chriſto accipi pot-
eſt, qui tam in ipſa fronte Geneſeos, quæ caput librorum omnium eſt, quàm etiam
in principio Joannis Evangeliſtæ, cœli & terræ conditor approbatur. Unde & in
Pſalterio de ſeipſo ait: In capite libri ſcriptum eſt de me: id eſt, in principio Gene-
ſeos. & in Evangelio: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Sed
& hoc ſciendum, quòd apud Hebræos liber hic Breſith vocatur, hanc habentes con-
ſuetudinem, ut voluminibus ex principiis eorum, nomina imponantur. Tantum Hi-
eronymus, ad verbum transſcriptum.

c Et ſpiritus, inquit, Dei ferebatur ſuper aquas.] *Huic loco multum congru-*
ent Hieronymi verba, pro eo quod in noſtris, inquit, codicibus ſcriptum eſt, fereba-
tur, in Hebræo habetur merabefet, quod nos appellare poſſumus incubabat, ſive
confovebat, in ſimilitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligitur non
de ſpiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, ſed de ſpiritu ſancto, qui & ipſe vi-
viſicator omnium à principio dicitur. Si autem viviſicator, conſequenter & con-
ditor: quòd ſi conditor, & Deus: Emitte enim, ait, ſpiritum tuum, & creabuntur. F L. Coq

a ANgelos autem prius eſſe factos.] *Angelos ante mundum corporeum fuiſſe*
creatos crediderunt Chryſoſtomus, Baſilius in 1. c. Geneſ. Gregorius Nazian.
orat. de natal. Origenes l. περὶ ἀρχῶν, & Homil. 4. in Iſaiam Hieronymus in Epiſt.
ad Titum c. 1. Ambroſ. l. 1. in Hexamer. c. 5. Hilarius l. 12. de Trinit. & in l. contra
Auxentium ad calcem, Iſidorus l. 1. de ſummo bono c. 12. Damaſcen. l. 2. fidei Ortho-
dox. c. 3. aſſerens ſe in hoc ſequi Gregorium Nazianzenum. Caſſianus collatio 8. c. 7.
Auguſtinus non probat, ſed neq; contradicit huic ſententiæ hoc cap. Genebrardus in
Chronolog. ſequitur ſententiam Græcorum, Epiphanius hæreſi 65. contra Paulum
Samoſatenum oſtendit hanc quæſtionem valde eſſe difficilem, quia in ſacris literis
nuſquam legitur, quando Angeli fuerint creati; & Ambroſius l. de Incarnat. dom.
ſacramento, ait certum eſſe Angelos non ſemper fuiſſe, ſed quo tempore cæperint,
dubium eſſe & incertum. Hilarij verba ſunt l. 2. de Trinit. circa med. non, *inquit,*
magnum eſt, quod ante cœlum & terram Pater & Filium genuerit, cùm crea-
tio Angelorum terræ origine reperiatur antiquior. *Nec ſatisfecit nonnullorum*
reſponſio, nomine terræ aridam intellexiſſe, quæ tertio die facta eſt, quaſi nihil vo-
luerit aliud quàm Angelos factos fuiſſe primo die, quia ſæpè repetit contra Ar-
rianos, nihil peculiare concedi filio Dei. Si dicatur genitus ante mundum & non
ab æterno. Quid (*inquit*) magnum eſt, ſi ante ſæcula genitus dicatur, cum id
diabolo & Angelis ejus negandum non ſit? *D. Thom. 1. pag. quæſt. 61. art. 3. licet*
contrariam ſententiam exiſtimet probabiliorem, hanc tamen erroneam non repu-
tat maximè propter authoritatem D. Gregorij Nazianzeni. Nihilominus nunc ſen-
tentia communis, quam amplectitur D. Auguſtinus ſupra c. 9. hujus libri & infra l.
12. cap. 5. quæ eſt etiam Epiphanij hæreſi 61. Theodoreti q. 3. in Geneſ. Gregorij l. 32.
Moral. c. 10. Bedæ in c. 1. Geneſ. & ferè omnium Latinorum poſt D. Auguſtinum eſt,

Angelos fuiſſe ſimul creatos cum mundo corporeo. Licet Auguſtinus non reprobet hic ſententiam contrariam, tamen l.12. Confeſſ. & l.1. & 4. de Geneſ. ad Liter. & aliàs apertiſſimè docet Angelos ſimul cum mundo corporeo eſſe factos. Pererius etiam l.1. in Geneſim diſputatione ſuper ea re, etſi maximè probet ſententiam Auguſtini & aliorum, qui volunt Angelos eſſe creatos ſimul cum mundo corporeo, non tamen habendum quaſi indubitatum & certum fidei Catholicæ dogma aſſerit. Ad fidem enim Catholicam tantùm pertinet credere Angelos eſſe Dei creaturas, & quidem non ab æterno eſſe à Deo productas. Ita præclarè Theodoretus, qu.3. in Geneſim cum ſententiam, quæ eſt Auguſtini, & jam ferè communis, aliquot argumentis comprobaſſet, ſubdit illud: Porrò ſcire neceſſe eſt omnia, quæcunque exſtant excepta ſancta Trinitate naturam habere creationi obnoxiam. Hoc autem conceſſo, ſi quis Angelorum turbas ante cælum & terram conditas eſſe dixerit, non offendet verbum pietatis. *Etſi verò Concilium magnum Lateranenſe ſub innocentio III. prætulerit ſententiam Auguſtini & aliorum qui eum ſequuntur, alteri; quomodo tamen non faciat certum, & indubitatum fidei dogma, videri poteſt D. Thomas, opuſc.23. in expoſitione illius decretalis, & Cajetan. in q. 61. 1. p. art.3.*

β Ipſum ſcriptura principium nominavit.] *Non modo Chriſtum eſſe principium rerum omnium una cum Patre & Spiritu ſancto ex fide certum eſt, cùm ſit is* in quo condita ſunt omnia, per quem Deus fecit & ſæcula, *verum etiam id optimè aſſeritur ex loco Ioannis quem hic citat, & l.1. de Geneſ. contra Manichæos, c.2. & l.5. de Trinit. c.13. & l.11. Confeſſ. c.8. & l.1. de Geneſ. ad Lit. c.5. & l. de Geneſi ad Liter. imperfecto. c.3. Ambroſius item lib.3. de fide c.4. & l.5. c.5. & l.1. Hexam. cap.4. Quid ergò ſibi vult hic Ludovicus Vives ex reſponſione Chriſti ad Iudæos, parum videri ſibi colligi, quod Chriſtus ſit principium? Illi enim patres locis citatis id colligunt: quodq́; dicat hæc genera argumentorum doctis hæreticis expoſita eſſe ad ſubſannationem?* Sinamus illos, cæci ſunt cæcorum duces, *ne recedamus à modo argumentandi quo utuntur Patres, neq; à ſenſu, quo ſcripturas interpretantur. Quid ad nos ſi ſubſannent hæretici, qui ſolent præferre ſenſum ſuum non minus impiè quam impudenter authoritati Patrum? Non eſt dubium locum ipſum Ioannis obſcurum eſſe ob voces duas τὴν ἀρχὴν* principium, *&* ὅτι quod, *verùm non eſt hic locus diſſerendi de germano ſenſu illius loci, de quo videri poſſunt interpretes. Satis eſt mihi monuiſſe non Auguſtinum modo, verùm & alios Patres, quibus plurimum tribuendum eſt, ex eo loco oſtendiſſe Chriſtum eſſe* principium.

γ Ut pater feciſſe intelligatur in filio.] *Hanc expoſitionem, quod Deus* in principio, i.e. in filio *creavit cælum & terram non modo hic probat D. Auguſtinus, verum etiam l.11. Confeſſ. c.9. & 12. c.28. & 13. c.5.* Tu pater in principio, quod eſt tua ſapientia de te nata, æqualis tibi & coæterna, i.e. in filio tuo feciſti cælum & terram. *& l.1. de Geneſ. ad Lit. c.2. Hierony. q. Hebr. in Geneſ. Ambroſ. l.1. Hexamer. c.3. & 4.*

δ Ter-

d Terra autem erat inviſibilis & compoſita.] *Sic legit l. 1. de Geneſi contra Manichæos, c. 3. & l. de Geneſ. ad Lit. imperfecto. c. 4. Sic enim tranſtulerunt Septuag. quorum verſione ut plurimum utitur Auguſtin.* ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος. *Vulgata editio*, inanis & vacua, *magis ſequitur germanum ſenſum textus Hebraici* תוהו ובוהו *Aquila legit* κένωμα καὶ οὐδὲν inanitas & nihil. *Symmachus* ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον iners & indiſcretum quiddam. *Theodotio* κενὸν καὶ οὐδὲν inane & nihil.

e Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.] *D. Hieronymus de Quæſtionibus Hebraicis in Geneſim*, pro eo quod ſcriptum eſt (*inquit*) ferebatur, in Hebræo habetur ורוח אלהים מרחפת על פני המים quod nos appellare poſſumus incubabat ſive confovebat in ſimilitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligitur non de ſpiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, ſed de Spiritu ſancto, qui & ipſe vivificator omnium à principio dictus, ſi autem vivificator & conſequenter conditor; quod ſi conditor, & Deus. *Baſilius ait nihil aliud eſſe*, Ferebatur, quam fovebat & vivificabat aquas, præparans eas ad mox futuram fœcunditatem. *Certè omnes ferè Patres tam Græci quàm Latini per ſpiritum domini hoc loco vel ſolum, vel præcipuè ac principaliter ſignificari volunt Spiritum ſanctum, & hanc ſententiam ſecuta eſt Eccleſia in benedictione fontium.* Tu per aquas foturus eas ferebaris. *Quò ſcribit D. Auguſtin. ut Trinitatis commemoratio compleretur. Idem ſcribit & D. Ambroſius, l. 1. Hexamer. c. 8. ut in principio mundi operatio Trinitatis eluceat.*

CAP. XXXIII.

De duabus angelorum ſocietatibus, diverſis, atq; diſparibus, quæ non incongruè intelliguntur lucis & tenebrarum nominibus nuncupatæ.

PEccaſſe autem quoſdam angelos, & *a* in huius mundi ima detruſos, qui eis vel ut carcer eſt, uſque ad futuram in die judicii ultimam damnationem, Apoſtolus Petrus apertiſſimè oſtendit, dicens, quòd Deus angelis peccantibus non pepercerit, *α* ſed *β* carceribus caliginis inferni detrudens tradiderit in judicio puniendos reſervari. Inter hos ergo & illos, Deum, vel præſcientia, vel opere diviſiſſe quis dubitet, illoſque lucem merito appellari, quis contradicat? Quandoquidem nos adhuc in fide viventes, *γ* & eorum æqualitatem adhuc ſperantes, utique nondum tenentes, jam lux dicti ab Apoſtolo ſumus? *Fuiſtis enim*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino.* Iſtos verò deſertores, tenebras apertiſſimè nuncupari, profecto advertunt, qui peiores eſſe eos hominibus infidelibus ſive intelligunt, ſive credunt. Quapropter etſi alia lux in iſto huius libri loco intelligenda eſt, ubi legimus: Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux, & aliæ tenebræ ſignificatæ ſunt in eo quod ſcriptum eſt: Diviſit Deus inter lucem & tenebras: nos tamen has duas angelicas ſocietates, *a* unam fruentem Deo, *b* alteram tumentem typho: unam cui dicitur: Adorate eum omnes angeli eius: aliam cuius princepsdicit: Hæc omnia tibi dabo, ſi pro-

2. Pet. 2. *Eph. 5.* *Gen. 1.* *Pſ. 96.*

[illegible] [illegible]ratus adoraveris me: unam Dei ſancto amore flagrantem, alteram propriè celſitudinis immundo amore fumantem: & quoniam, ſicut ſcriptum eſt, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: Illam in cœlis cœlorum habitantem, iſtam inde dejectam in hoc infimo aereo cœlo tumultuantem. Illam luminoſa pietate tranquillam: iſtam tenebroſis cupiditatibus turbulentam. Illam Dei nutu clementer ſubvenientem, *c* & juſtè ulciſcentem: iſtam ſuo faſtu ſubdendi & nocendi libidine exæſtuantem. Illam, ut quantum vult conſulat, Dei bonitatis miniſtram: *d* & iſtam, ne quantum vult, noceat Dei poteſtate frænatam. Illam huic illudentem, ut nolens proſit perſecutionibus ſuis, hanc illi invidentem, cum peregrinos colligit ſuos. Nos ergo has duas ſocietates angelicas inter ſe diſpares atque contrarias: unam & natura bonam, & voluntate rectam: aliam verò natura bonam, ſed voluntate perverſam, aliis maniſeſtioribus divinarum ſcripturarum teſtimoniis declaratas, quod in hoc libro, cui nomen eſt Geneſis, lucis tenebrarumque vocabulis ſignificatas exiſtimavimus, etiam ſi aliud ſenſit hoc loco fortè qui ſcripſit non eſt inutiliter obſcuritas huius pertractata ſententiæ, quia etſi voluntatem autoris libri huius indagare nequivimus, à regula tamen fidei, quæ per alias eiusdem autoritatis ſacras literas ſatis fidelibus nota eſt, non aberravimus. Etſi enim corporalia hic commemorata ſunt opera Dei, habent procul dubio nonnullam ſimilitudinem ſpiritalium, ſecundum quam dicit Apoſtolus: Omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii dei, non ſumus noctis neque tenebrarum. Si autem hoc ſenſit etiam ille qui ſcripſit ad perfectiorem diſputationis finem noſtra pervenit intentio, ut homo Dei tam eximiæ divinæque ſapientiæ, imò per eum ſpiritus Dei in commemorandis operibus Dei, quæ omnia ſexto die dicit eſſe perfecta, nullo modo angelos prætermiſiſſe credatur, ſive in principio, quia primò fecit: ſive quod convenientius intelligitur in principio, quia in verbo unigenito fecit, ſcriptum ſit: In principio fecit Deus cœlum & terram: quibus nominibus univerſalis eſt ſignificata creatura, vel ſpiritualis & corporalis, quod eſt credibilius vel magnæ duæ mundi partes, quibus omnia, quæ creata ſunt continentur, ut primitus eam totam proponeret, ac deinde partes eius ſecundum myſticum dierum numerum exequeretur.

Iac. 4.
1. Pet. 2.
1. Theſ. 5.
Gen. 1.

L. Vives

a SEd carceribus caliginis inferni.] *Græcè ſic eſt in Epiſtola Petri 2.* εἰ γὰρ ὁ θεὸς ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένους. *Si enim Deus angelis, qui peccarunt, culpam non remiſit, ſed vinculis caliginis in tartaros coercitos dedit in judicium aſſervatos: vel, ut alij legunt, aſſervandos,* τηρουμένους. *Simile eſt quod Judas ait in Epiſtola ſua: Angelos verò, qui non ſervaverunt primigeniam ſuam naturam, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni divi vinculis æternis ſub caligine reſervavit. Auguſtinus hic carceres pro clauſtris poſuit, quibus exire probibentur, quales erant illi in circo, quibus equi antequàm currerent, coercebantur.*

b Alteram tumentem typho.] τῦφος *ſuperbia eſt. & Typhonem pro dæmone ignito uſurpant Græci à* τυφόομαι *ſuperbio, &* τύφομαι *comburo, fumo: qualem ſuiſſe*

fuiſſe Typhonem illum Oſiridis fratrem ſcribit Plutarchus, dæmonem, qui actus invidentia terras & maria turbarit, graveſq; luerit pœnas, maluit Græco verbo Auguſtinus uti quàm Latino ſuperbiæ & arrogantiæ & jactantiæ, ſed generalius eſt Græcum illud, & multum habet virium. Erat etiam vocabulum illius ſeculi quo utitur Philippus presbyter in Commentariis lib. Job.

c Juſtè ulciſc.] *Per angelos enim bonos velut miniſtros exequitur Deus juſtas vindictas, cui in Pſalmo 103. dicitur: Qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.*

d Iſtam ne quantum vult, noceat.] *Non eſt poteſtas quæ comparetur diabolicæ ſuper terram, teſtatur Job quòd ſi quantum oderunt, quantumq; poſſunt nocere, ſinerentur, incenderent urbes, vaſtarent agros, flumina & maria in regiones immitterent, venena cibis poculiſq; diffunderent, homines & beſtias torquerent, ac interimerent, & tametſi homini cognitu difficile eſt, quanta poſſint natura ſua dæmones liberi ac ſoluti, quantum non poſſint: magnas tamen inferre humano generi clades poſſe irreparabilia noſtris viribus damna certum eſt. De potentia angelorum diſputat Auguſt. lib. 3. De trin.*

a IN hujus mundi ima detruſos.] *Non quod omnes detruſi ſint in infernum: certum enim eſt, nec Dæmones omnes nunc puniri in inferno, verùm etiam aliquos in hoc aere caliginoſo verſari, prout docet Apoſtolus ad Epheſ. 6. verum ut habet idem Auguſtin. q. 20. in Numer. poſt commemoratam hiſtoriam ex Numer. 16. Chore, Datham & Abiron, qui dicuntur viventes deſcendiſſe ad inferos,* Manifeſtum eſt inferiores partes terræ inferorum vocabulo nuncupatas in comparatione hujus ſuperioris terræ, in cujus facie vivitur, ſicut in comparatione cæli ſuperioris, ubi ſanctorum demoratio eſt Angelorum, peccantes Angelos in hujus aeris caliginem detruſos ſcriptura dicit tanquam carceribus inferni puniendos reſervari. *Idem in Pſ. 148.* Ad iſtum caliginoſum aerem tanquam ad carcerem damnatus eſt diabolus, de apparatu ſuperiorum Angelorum lapſus cum Angelis ſuis. Nam Apoſtolus de illo dicit: Secundùm principem poteſtatis aeris hujus; & alius Apoſtolus dicit, Carceribus caliginis inferni detrudens Angelos peccantes tradidit in judicio puniendos ſervari, infernum hoc appellans, quod inferior pars mundi ſit. *Idem l. de nat. boni, cap. 33.* Quia & ipſi mali Angeli non à Deo mali ſunt conditi, ſed peccando facti ſunt mali; *Sic Petrus in Epiſtola dicit, Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, oſtendens adhuc eis ultimi judicij ſententiam deberi, de qua Dominus dicit, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus, quamvis jam pœnaliter hunc infernum, hoc eſt inferiorem caliginoſum aerem tanquam carcerem acceperint. Certè dici poteſt dæmones, qui in hoc jam aere verſantur, eodem ſupplicio affici, quo afficerentur ſi jam eſſent in inferno, quia ſemper ante oculos habent illum ſupplicij locum cui ſe reſervari, & in quem velut in perpetuum carcerem relegandos ſe eſſe certiſſimè norint: Quemadmodum enim Angeli beati, qui nobiſcum verſantur, fruuntur nihilominus eadem beatitudine qua hi, qui ſunt in cælo: ita & de dæmonibus eſt exiſtimandum, nihil eorum pœnam imminui, quod non jam ſint in inferno, ſed adhuc in hoc caliginoſo aere verſentur.*

F. l. Coq.

β Sed carceribus caliginis inferni.] *Simile ſcribit Iudas Apoſtolus in ſua Canonica,* Angelos verò, qui non ſervaverunt principatum ſuum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni Dei vinculis æternis ſub caligine reſervavit.

γ Eorum æqualitatem adhuc ſperantes.] Erant enim ſicut Angeli Dei in cœlo. *Matth. 22.* Eadem erit menſura hominis & Angeli. *Apocal. 20. & homines aſſumendi ſunt ad omnes ordines Angelorum, ita ut quemadmodum Angelorum alij in beatitudine ſunt ſuperiores, alij inferiores, ita de hominibus ſit ſentiendum; quo ſenſu dictum eſt;* In domo patris mei ſunt manſiones multæ, & ſtella differt à ſtella in claritate.

δ Unam fruentem Deo, alteram tumentem typho.] *Pulchra antitheſi deſcribit utramq; ſocietatem Angelorum, utpotè prædeſtinatorum, qui cum Deo fruuntur æterna beatitudine, & reproborum, qui cum Diabolo ſunt ejecti è cælo ab initio, & à beatitudine in æternum excluſi.*

ε Juſte ulciſcentem.] *Deus enim utitur etiam miniſterio bonorum Angelorum ad impiorum hominum ultionem, quemadmodum cum perdidit impios Sodomitas, cùm tot plagas ad internecionem uſque in Ægyptum immiſit, cum Sennacherib exercitum delevit, cùm ob peccatum David peſtem immiſit in populum.*

ζ Iſtam ne quantum vult noceat Dei poteſtate frænatam.] *Equidem magna eſt poteſtas Dæmonis, ut ſi ea uti prohibito à Deo permitteretur, facilè præcipites homines ageret, nec vitæ modo, verùm etiam animæ ſaluti potiſſimum adferret perniciem. Totus enim in hoc vigilat, ut animas Chriſti ſanguine redemptas in barathrum inferni demergat, verùm Deus pro ſua in nos benignitate non patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, neq; permittit Diabolum ſævire in nos pro libito, nec poteſt quantum vult, ſed quantum permittit Deus. Ita legimus tantum in Iob potuiſſe quantum illi à Deo conceſſum erat, neq; potuit ſine peculiari Dei facultate gregem illum porcorum in mare præcipitem agere. Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8. Tertull. l. de Fuga in perſecut. c. 2. id oſtendit ex aliquot locis Sacræ ſcripturæ. D. Aug. ipſe ſuper lib. 2. de Civitate Dei, c. 23. de Dæmon.* Tantum *(inquit)* poſſunt, quantum ſecreto Dei arbitrio permittitur. *& l. 7. c. ult.* Non poſſunt quod nō ſinuntur facere: *quod idem docuit l. 18. c. 18. & Cyprianus l. 3. teſtimon. ad Quirinum, c. 80. & ſermon. de orat. Dominic. ad illud,* & ne nos inducas in tentationem, *& Gregorius l. 2. Moral. c. 6. ubi etiam ſcribit non eſſe Diabolum formidandum,* Qui nihil niſi permiſſus valeat. *Damaſcen. etiam l. 2. c. 4. eadem tradit.*

η Etſi aliud ſenſit hoc loco fortè qui ſcripſit.] *Idem l. 12. Confeſſ. c. 30. & 31. docet, ſibi quidem non rectè conſtare, an aſſecutus fuerit mentem ſcriptoris qui ſcripſit librum Geneſeos, ipſius nempè Moyſis, ſpiritum tamen ſanctum potuiſſe alios ſenſus intendere; ſatis tamen eſt, ſi quemcunq; ſenſum ex ſcriptura eruamus, modo ille à fide Catholica non abhorreat, & ex aliis ſcripturæ locis poſſit manifeſtius veritas illius oſtendi, ut ſupra demonſtratum eſt.*

CAP. XXXIV.

De eo quod quidam putant in conditione firmamenti aquarum diſcretarum nomine angelos ſignificatos, & quod quidam aquas exiſtimant non creatas.

QUanquàm *a α* nonnulli putaverint aquarum nomine *b* ſignificatos quodammodo populos angelorum, & hoc eſſe quod dictum eſt: Fiat firmamentum inter aquam & aquam, ut ſupra firmamentum angeli intelligantur, infra verò vel aquæ iſtæ viſibiles, vel malorum angelorum multitudo, vel omnium hominum gentes. Quòd ſi ita eſt, non illic apparet ubi facti ſunt angeli, ſed ubi diſcreti. *c* Quanvis & aquas, *β* quod perverſiſſime atque impiæ vanitatis eſt, negent quidam factas à Deo, quoniam nuſquam ſcriptum eſt, dixit Deus fiant aquæ. Quod poſſunt ſimili vanitate etiam de terra dicere, nuſquam enim legitur: Dixit Deus, fiat terra. Sed, inquiunt, ſcriptum eſt: In principio fecit Deus cœlum & terram. Illic ergo & aqua intelligenda eſt, uno enim nomine utrunque comprehenſum eſt. Nam ipſius eſt mare, ſicut in Pſalmo legitur: Et ipſe fecit illud, & aridam, id eſt, terra manus eius finxerunt. Sed hi qui in nomine aquarum, quæ ſuper cœlos ſunt, angelos intelligi volunt, *d γ* ponderibus elementorum moventur, & ideo non putant aquarum fluidam gravemque naturam in ſuperioribus mundi locis potuiſſe conſtitui, qui ſecundùm rationes ſuas, ſi ipſi hominem facere poſſent, non ei pituitam, quòd Græcè φλέγμα dicitur *e* & *δ* tanquàm in elementis corporis noſtri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent. *f ε* Ibi enim ſedes eſt phlegmatis, ſecundùm Dei opus utique aptiſſimè: ſecundùm iſtorum autem conjecturam tam abſurdè, ut ſi hoc neſciremus, & in hoc libro ſimiliter ſcriptum eſſet, quòd Deus humorem fluidum & frigidum, ac per hoc gravem in ſuperiore omnibus cæteris humani corporis parte poſuerit, iſti trutinatores elementorum nequaquam crederent. Et ſi autoritati eiuſdem ſcripturæ ſubditi eſſent, aliquid aliud ex hoc intelligendum eſſe cenſerent. Sed, quoniam ſi diligenter ſingula ſcrutemur, atque tractemus, quæ in illo divino lib. De conſtitutione mundi ſcripta ſunt, & multa dicenda, & à propoſito inſtituti operis longe digrediendum eſſet. Jamque de duabus iſtis diverſis inter ſe atque contrariis ſocietatibus angelorum, in quibus ſunt quædam exordia duarum etiam in rebus humanis civitatum, de quibus deinceps dicere inſtitui, quantum ſatis eſſe viſum eſt, diſputavimus, hunc quoque librum aliquando claudamus.

a QUanquam nonnulli putaverint aquarum nomine.] *Hoc putavit Origenes. Epiphanius ad Jo. Hieroſolymitanum epiſcopum, dicente Origene, de aquis, quæ ſuper firmamentum ſunt, non eſſe aquas, ſed fortitudines quaſdam angelicæ poteſtatis: & rurſum aquas, quæ ſuper terram ſunt, hoc eſt firmamento, eſſe virtutes contrarias, id eſt dæmones.* L.Vives.

b Significatos quodammodo populos angelorum.] *Juxta illud Apoc. Populi*

li ſicut aqua multa. Et de his aquis exiſtimabant illud eſſe dictum: Et aquæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen domini. Nam hoc ad creaturas rationales pertinet.

c Quanvis & aquas q. per a. im. v. e. negent quidem factas à Deo.] *Inter hæreſes numerat Auguſt. & hanc dicentium, aquas eſſe Deo coæternas, ſed autores non nominat. Credo ex illo chao Heſiodico, & ex Homeri de aquis omnium rerum parentibus natam.*

d Ponderibus elementorum moventur.] *Omnia hæc video in controverſiam trahi, ſint ne aquæ ſuper cœlos, ſint ne elementares, ſint eadem, qua inter nos ratione. De primo minus dubitatur. Nam & ſi per firmamentum aerem poſſe intelligi credant nonnulli, ita ut cum dicitur: ſeparavit aquas, quæ ſunt ſub firmamento, ab iis quæ ſuper firmamentum ſunt: ſeparatum putent, à nubibus mare. Sanctorum tamen hominum opinio obtinuit, conformior dictis ſacrarum literarum, ſuper firmamentum, in quo ſunt ſydera, aquas eſſe ſublatas. Equidem conjectura in re tanta ducor, craſſiorem nebulam inter cœlum & terram circunfuſam fuiſſe, aeri commiſtam, atq; complexam, quæ obſcurius redderet medium iſtud ſpatium inter ſuperos & nos, partemq; eius quandam denſatam ad id marinæ molis, quod nunc cernimus, ſejunctam ab ea parte terræ, quam terreſtribus animantibus parens univerſitatis relinquebat, cæteram partem ſublatam, incognita nobis mente ad extima mundi. Hinc factum, ut cùm ſuperius elementum undiq; inferius ambiat, & complectatur, cœlum ignem, ignis aerem, hic aquam, hæc non totam capiat terram, & obruat, quoniam non tota eſt in ſublunari mundo aqua, ut totus aer, totus ignis. Jam cuius ſint naturæ, Origenes, ut ab antiquiſſimis incipiam, reſolutas cenſet in tenuiſſimas auras. quod D. Thomæ parum probatur: nam corpora tam tenuia, nec ignis ſphæram, nec cœleſtem potuiſſent penetrare. Nimis eſt Ariſtotelicus, & res omnem naturæ vim captumq; excedentes cogit naturalibus parêre legibus. Ceu verò opus id fuerit huius naturæ certis limitibus arcta & conſtituta, & non potius illius omnipotentiæ Dei, nullis terminis, finibusq; concluſæ: ceu verò quamlibet denſæ ſua vi & natura, ignem evaſiſſent, cœlos perrupiſſent. Aliis elementum eſſe ſupra cœlos, abſurdum videtur, ideò cryſtallinum cœlum ponunt, quod ſit aquarum, ſed diverſæ quàm elementum naturæ, alterius ingenij, & ſi nonnulla ſimilitudine teneantur, perſpicuæ ſunt aquæ iſtæ noſtræ, & illæ cœleſtes: frigidæ utraq;: at graves hæ, non illæ. Baſilius fervorem cœli frigiditate harum aquarum temperari putat. Ex noſtris qui deditiores ſunt noſcendis aſtris, Saturni ſydus frigeſieri arbitrantur aquis ſuperioribus: ridiculum, tanquam non magis aſtra omnia, quæ ſunt in octava ſphæra, frigeſierent, & gelidioris eſſent, quàm Saturnus naturæ, Beda in lib. De nat. rer. Aquas ſuper firmamentum poſitas cœlis quidem ſpiritualibus humiliores, ſed tamen omni creaturæ corporali ſuperiores quidam ad minitationem diluvij ſervatas: alij verò rectius ad ignem ſyderum temperandum ſuppenſas affirmant. Sic ille. Sed nec eſt admodum firma conjectum hæc. Verùm ſententia Auguſt. ſuper Gen. pro clauſula addatur, quomodo & quales ibi aquæ ſunt, incertum, eſſe tamen non dubitamus, quia major eſt huius ſcripturæ autoritas, quàm omnis ingenij humani capacitas.*

e Et tanquam in elementis cor.] *Altera quæſtio, non minus priore ambigua, &*

va-

variè tractata, quemadmodum corpora noſtra elementis conſtentur, & componantur. Nam alij tenuiſſimas uniuſcuiuſq; elementi particulas, & velut ramenta compingunt, dum corpus conſtituunt. Quam opinionem ſecuti ſunt veteres, Anaxagoras, Democritus, Empedocles, Plato, Cicero: & ex recentioribus Peripatetici complures, Arabibus, Averroi, & Avicenna aſſenſi: alij non venire particulas cenſent in corpus, ſed naturas tantùm, quod nunc vulgò ſchola cum principibus ſuis Joanne Scoto, & Guilielmo Occamo ſentit. Nam Ariſtotelis opinio incerta, ut ferè eſt, quamvis eſſe in miſtis elementa dicat. & ex iis, qui crebros illos velut cuneolos infarciunt, ſunt qui confundi omnia, & unum ex illis corpus conſurgere dicant, ſolis reſiduis inhærentibus, alij manere ſubſtantias uniuſcuiuſq; volunt: utcunq; ſit, in corpore humano vires elementorum ſentimus, calorem ſicco miſtum in flavabili, quod eſt ex igne: humido in ſanguine, quod eſt ex aere: frigus humido adjunctum, aquea vis in pituita: ſicco terrena in atra bili, & partes ipſæ in corpore oſſium, & nervorum ſoliditas terrea eſt: cerebrum & medullæ aqueæ: ſanguis aereus: tenuiſſimi ſpiritus, præcipuè illi circa cor, ignei: tametſi hæc quoq; licet ex uno aliquo plus quàm ex aliis, ex omnibus tamen elementis aliquid habent.

f Ibi enim ſedes eſt phlegmatis.] *Atq; hinc omnis per reliquum corpus defluit pituita, qua vexamur, artificioſè, ut reliqua, ſitum eſt ibi cerebrum, quo calor ſemper aſpirat. Nam ſi in imis eſſet locatum partibus, quò non pervadit tantus calor, torperet brevi atque concreſceret: nunc verò agitatur ſemper vi temporis, vegetaturq;, & ſic vivit.*

a NOnnulli putaverunt aquarum nomine.] *Id videtur ſenſiſſe l. 13. Confeſſio. c. 15. his verbis.* Sunt aliæ aquæ ſuper hoc firmamentum credo immortales & à terrena corruptione ſecretæ: laudent nomen tuum, laudent te ſuper cœleſtes populi Angelorum tuorum. *Nec abſurdum eundem ſenſum reputat c. 32. Verùm l. 2. retract. c. 6. revocat quòd ibi dixerat:* Quod dixi *(inquit)* l. 13. Confeſſionum, firmamentum factum inter aquas ſpirituales ſuperiores, & corporales inferiores, non ſatis conſideratè dictum eſt. *Origenes illarum aquarum nomine Angelos intellexit: In quo notatur ab Epiphanio Epiſt. ad Joan. Hieroſolymitanum.* Illas verò, *inquit*, præſtigias quis non ſtatim abjiciat atque contemnat, dicente Origene de aquis, quæ ſuper firmamentum ſunt, non eſſe aquas, ſed fortitudines quaſdam Angelicæ poteſtatis, & rurſum aquas, quæ ſuper terram ſunt, hoc eſt ſub firmamento, eſſe virtutes contrarias, i.e. Dæmones? *Et D. Hieronymus, ad Pammachium adverſus errores Ioannis Hieroſolymitani, id ſeptimo loco inter Origenis errores recenſet,* Quod aquas, quæ ſuper cælos in ſcripturis eſſe dicuntur, ſanctas ſuperasque virtutes, quæ ſuper terram, & infra terram, contrarias & Dæmoniacas eſſe arbitretur. *Baſilius Homil. 3. in Hexam. eam ſententiam refert & tanquam anilem fabulam rejicit. Neque Origenis argumentum ullius eſt momenti, quod dicantur* Aquæ, quæ ſuper cælos ſunt, laudare nomen domini; *Ut enim ibidem ſcribit Baſilius,* Neque ulla anima cæli informantur, aut naturæ ſunt ratione præditæ, quia gloriam Dei narrant, neque firmamentum animans ſenſu præditum eſſe cenſemus, quod effectio-

g. L. Coq.

nem manuum ipſius ibidem annuntiat, ut aſtruat aliquis & interpretetur poſſe cælos virtutes eſſe quaſdam contemplationi concreatas: ſecundùm enim hanc interpretandi formulam ros, pruina, frigus & æſtus quòd apud Danielem juſſa ſunt concelebrare hymnis univerſorum opificem, mentes quædam erunt nimirum intellectu præditæ ſimul & inviſibiles natura. Aquæ itaque & ea, quæ ratione carent, ad laudem Dei invitantur tanquam ea, in quibus reſplendet bonitas, ſapientia, & potentia Dei. *Ut verò illius loci varias interpretationes omittamus, certè per cælum vel etiam firmamentum cæli, aerem intelligimus, per aquas verò non alias, quam quæ in ſuperiori parte, utpote in media regione aeris generatæ per imbres ſeu pluvias ad refrigerandam ſeu fœcundandam terram inde defluunt. Neque huic interpretationi obſtat, quòd numero plurali dicuntur eſſe aquæ quæ ſuper cælos, quaſi cæli nomen non item cælorum poſſit aeri adaptari. In eo enim ſervatur uſus & proprietas linguæ Hebraicæ, in qua vocabulum* cæli שמים *caret numero ſingulari.*

β Aquas negant quidam factas à Deo.] *Hujus etiam hæreſis meminit lib. de hæreſ. c.76. nec tamen autorem nominat. Hanc hæreſin Audianis tribuit Theodor. l.4. hæreſ. fabul. Epiphanius contra hæreſim 53. quæ eſt Sampſæorum, inter cæteros hos hæreticos notat, quod colerent aquam, & hanc veluti Deum putarent. Qui verò exiſtimarunt aquam non eſſe à Deo creatam, non ſatis conſtat unde occaſionem tanti erroris ſumpſerint, niſi fortè quod in libro Geneſeos, ubi de rerum creatione agitur, Moyſes creationis aquæ nuſquam meminiſſe videatur, ſed ſolum dixerit quod* Spiritus domini ferebatur ſuper aquas: *Verum ex aliis locis ſcripturæ facilè convincitur, Pſ.88.* Tui ſunt cœli, & tua eſt terra, orbem terræ & plenitudinem ejus fundaſti, aquilonem & mare tu creaſti. *Pſ.134.* Omnia quæcunque voluit, dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. *Ionæ 1.* Dominum Deum cœli & terræ timeo, qui fecit mare & aridam. *Deinde cùm dixit Moſes Deum creaſſe cælum & terram, certè media etiam inter hæc corpora intellexit, & ut hic docet Auguſtinus, nomine terræ etiam aquam complexus eſt.*

γ Ponderibus elementorum moventur, & ideo non putant.] *Hanc eandem rationem refert l.2. de Geneſ. ad lit. c.1.* Multi (*inquit*) aſſerunt iſtarum aquarum naturam ſuper ſidereum cælum eſſe non poſſe, quod ſic habeant ordinatum pondus ſuum, ut vel ſupra terram fluitent, vel in aere terris proximo vaporaliter ferantur. *Certum quidem eſt, nihil obſtante pondere & gravitate aquas poſſe divina poteſtate etiam ſupra cælos conſiſtere.* Nihilominus, *ut ibidem ſubjungit,* non eſt quod quiſquam debeat iſtos refellere, ut dicat ſecundùm omnipotentiam Dei, cui cuncta poſſibilia ſunt, oportere nos credere, aquas etiam tàm graves, quàm novimus atque ſentimus, cœleſti corpori, in quo ſunt ſidera, ſuperfuſas. Nunc enim quemadmodum Deus inſtituit naturas rerum ſecundum ſcripturas ejus, nos convenit quærere, non quid in eis vel ex eis ad miraculum ſuæ potentiæ velit operari. Neque enim ſi vellet Deus ſub aqua oleum aliquando manere non fieret, non ex eo tamen olei natura nobis eſſet incognita, quod ita facta ſit, ut appetendo ſuum locum, etiamſi ſubterfuſa

ſa

ſa fuerit, perrumpat aquas, eiſque ſe ſuperpoſitam collocet.

δ Tanquam in elementis corporis noſtri.] *Quomodo corpora noſtra adeoq; omnia mixta ex elementis conſtent, & an elementa actu ſint in mixto, & ſecundùm proprias formas, an verò tantum poteſtate & ſecundùm proprias qualitates, & quomodo quatuor humores in corpore noſtro reſpondeant quatuor elementis, pituita quidem aqua, ſanguis aeri, melancholia terra, & cholera igni, diſputant Philoſophi & Medici. Phlegma autem ſeu pituita dicitur in nobis aquæ elementi vicem obtinere, quia frigida eſt & humida, quemadmodum cholera ignis dicitur, quia calida eſt & ſicca, & ſanguis aeris, quia humidus & calidus, melancholia terra, quia frigida eſt & ſicca. Hæc ex Damaſceno l. 2. de fide orthodox. c. 12.*

ε Ibi enim ſedes eſt phlegmatis.] *Non quia tantum in cerebro generetur phlegma: ut enim volunt tùm Philoſophi, tùm Medici, generatur aliquando in ventriculo, ut plurimum verò in hepate, ut tradit Galenus l. 2. de nat. facultatibus, cap. 1. & ita ſentiunt Medici, in quo etiam ex eodem chylo, non tantum ex eadem chyli portione volunt omnes quatuor humores generari, bilem quidem ex calida & tenui, pituitam ex frigida cruda, ſanguinem ex mediocri, melancholicum humorem ex frigida & terrena portione: verùm dicitur in capite ſedem habere, fortaſſe ob frigiditatem cerebri, & quia ibi magis abundat.*

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI
AD MARCELLINUM
DE CIVITATE DEI
LIBER XII.
CAP. I.
De una bonorum malorumq; angelorum natura.

ANtequam de inſtitutione hominis dicam, ubi duarum civitatum, quantum ad rationalium mortaliumque genus attinet, apparebit exortus: ſicut ſuperiore libro apparuiſſe in angelis jam videtur, prius mihi quædam de ipſis angelis video eſſe dicenda: quibus demonſtretur quantum à nobis poteſt, quàm non inconveniens neque incongrua dicatur eſſe hominibus angeliſque ſocietas: α ut non quatuor, duæ ſcilicet angelorum, totidemque hominum, ſed duæ potius civitates, hoc eſt, ſocietates, meritò eſſe dicantur, una in bonis, altera in malis, non ſolùm angelis, verum etiam hominibus conſtitutæ. Angelorum bonorum & malorum inter ſe contrarios appetitus non naturis principiiſque diverſis, cùm Deus omnium ſubſtantiarum bonus autor & conditor utroſque creaverit: ſed voluntatibus & cupiditatibus extitiſſe, dubitare fas non eſt: dum alii conſtantes in communi omnibus bono, quod ipſe illis Deus eſt, atque in eius æternitate, veritate, charitate perſiſtunt. β Alii ſua poteſta-

Digitized by Google

te potius delectati, velut bonum ſuum ſibiipſi eſſent, à ſuperiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt: & habentes elationis faſtum, pro excelſiſſima æternitate vanitatis faſtum, pro certiſſima veritate ſtudia partium, pro individua charitate ſuperbi, fallaces, invidi effecti ſunt. Beatitudinis igitur illorum cauſa eſt, adhærere Deo. Quocirca iſtorum miſeriæ cauſa ex contrario eſt intelligenda, quod eſt non adhærere Deo. Quamobrem ſi cùm quæritur, quare illi beati ſint, rectè reſpondetur, quia adhærent Deo. Et cùm quæritur, cur iſti ſint miſeri: rectè reſpondetur, quia non adhærent Deo. Non eſt creaturæ rationalis vel intellectualis bonum, quo beata ſit, niſi Deus. Itaque quanvis γ non omnis beata poſſit eſſe creatura, neque enim hoc munus adipiſcuntur, aut capiunt feræ, ligna, ſaxa, & ſi quid huiusmodi eſt: ea tamen quæ poteſt, non ex ſeipſa poteſt, quia ex nihilo creata eſt, ſed ex illo, à quo creata eſt. Hoc enim adepto beata eſt, quo amiſſo miſera eſt. Ille verò qui non alio, ſed ſeipſo bono beatus eſt, δ ideò miſer non poteſt eſſe, quia non ſe poteſt amittere. Dicimus itaque immutabile bonum non eſſe, niſi unum verum Deum beatum: ea verò quæ fecit bona quidem eſſe quòd ab illo: veruntamen mutabilia, quòd non de illo, ſed de nihilo facta ſunt. Quanquam ergo ſumma non ſint, quibus eſt Deus majus bonum: magna ſunt tamen ea mutabilia bona, quæ adhærere poſſunt, ut beata ſint, immutabili bono: quod uſq; adeò bonum eſt eorum, ut ſine illo miſera eſſe neceſſe ſit. Nec ideò cætera in hac creaturæ univerſitate meliora ſunt: quia miſera eſſe non poſſunt: neque enim cætera membra corporis noſtri, ideò dicendum eſt oculis eſſe meliora, quia cæca eſſe non poſſunt. Sicut autem melior eſt natura ſentiens, & cùm dolet, quàm lapis, qui dolere nullo modo poteſt: ita rationalis natura præſtantior eſt etiam miſera, quàm illa quæ rationis ſenſus eſt expers: & ideò in eam non cadit miſeria. Quod cùm ita ſit, huic naturæ, quæ in tanta excellentia creata eſt, ut licet ipſa ſit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id eſt ſummo Deo, beatitudinem conſequatur: nec expleat indigentiam ſuam, niſi utique beata ſit: ε eique explendæ non ſufficiat, niſi Deus: profecto non illi adhærere vitium eſt: Omne autem vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam eſt. Ab illa igitur quæ adhæret Deo, non natura differt iſta, ſed vitio, quo tamen vitio etiam valde magna multùmque laudabilis oſtenditur ipſa natura. Cuius enim rectè vituperatur vitium, proculdubio natura laudatur. Nam recta vitii vituperatio eſt, quòd illo dehoneſtatur natura laudabilis. Sicut ergo cùm vitium oculorum dicitur cœcitas, id oſtenditur quod ad naturam oculorum pertinet viſus: & cùm vitium aurium dicitur ſurditas, ad earum naturam pertinere demonſtratur auditus. Ita cùm vitium creaturæ angelicæ dicitur, quod non adhæret Deo: hinc apertiſſimè declaratur, eius ζ naturæ, ut Deo adhæreat, convenire. Quàm porrò magna ſit laus adhærere Deo, ut ei vivat, inde ſapiat, illo gaudeat, tantoque bono ſine morte, ſine errore, ſine moleſtia perfruatur, quis cogitare dignè poſſit aut eloqui? Quapropter etiam vitio malorum angelorum, quo non adhærent Deo: quoniam omne vitium naturæ nocet,

nocet, ſatis manifeſtatur Deum tam bonam eorum creaſſe naturam, cui noxium ſit, non eſſe cum Deo.

α UT non quatuor, ſed duæ potius.] *Una & eadem eſt velut Reſpublica, civitas ac ſocietas ſeu mavis Eccleſia, quæ complectitur electos ex Angelis & hominibus, ut non alia ſit Angelorum, alia hominum ſocietas, etſi natura ſint differentes, in his ſpectandum tamen quod eſt gratiæ, quod in eundem finem beatitudinis & gloriæ ſint à Deo ordinati; quod homines aſſumendi ſint pro varietate meritorum ad omnes Angelorum ordines, quod futuri ſunt ſicut Angeli Dei in cælo, quod eadem futura ſit menſura Angeli & hominis, quod electi homines dicantur cives ſanctorum & domeſtici Dei, & in ſcriptura filij Dei, quemadmodum & Angeli. & idem Chriſtus etiam ratione naturæ humanæ caput eſt Angelorum & hominum; ad idem itaque corpus myſticum pertinent, ſic Angeli & homines reprobant eandem ſocietatem, & veluti πονηρόπολιν efficiunt.* F. L. Coſt.

β Alii poteſtate ſua potius delectati.] *Evertitur & hoc loco ſententia Peripateticorum, qui putarunt in æternis, cujuſmodi intelligentias exiſtimabant, non poſſe eſſe aliquod malum, & Manichæorum ac quorundam Platonicorum, qui voluerunt quoſdam Angelos natura eſſe bonos, & alios natura malos. Verùm hic docet Auguſtinus, non niſi utroſque bonos à Deo bono authore & conditore creatos: verùm alios pro libera voluntate perſtitiſſe in bono; & Deo adhæſiſſe, alios verò deflexiſſe in malum, & à Deo receſſiſſe. Si quæras, qua ratione poſſint peccare Angeli, D. Thomas 1. p. q. 63. art. 1. rationem reddit,* quod voluntas Angeli non ſit regula ſuæ actionis, verùm pendeat ex aliqua ſuperiori regula; ubicunque autem aliquid non eſt actionis ſuæ regula, poteſt in agendo deficere ab eo, quod bonum eſt & rectum, *quod Cajetanus ibidem explicat doctiſſimè, quemadmodum in ipſa actione duo ſunt, ipſa ſubſtantia actionis & rectitudo illi adjuncta; ita in principio actionis duo neceſſe eſt conſideremus, & id quod eſt actionis principium, ipſam nempe voluntatem, & quod eſt illius regula: quoties autem principium & regula ſimul conjunguntur, vel unum ſunt & idem, tum neceſſe eſt rectitudinem cum ſubſtantia actionis conjungi. Quando verò diſtinguuntur vel ſeparantur ab invicem, ut adeò voluntate, quæ eſt principium actionis, debeat in agendo à ſuperiori aliqua regula dirigi, tum fit etiam, ut rectitudo ab ipſa ſubſtantia actionis ſeparari poſſit, unde efficitur, ut Dei ſolius proprium ſit non peccare, ut fusè diſputat Divus Hieronymus l. 2. contra Iovinianum, & Anſelmus l. 2. Cur Deus homo c. 10. ait,* nihil aliud eſſe Deum facere creaturam imprecabilem, quàm facere creaturam eſſe Deum. *D. Auguſtinus creaturas etſi bonas, mutabiles tamen in malum docet hoc cap. ex eo, quod ſunt ex nihilo. & certè in diſputationibus ſuis contra Manichæos malum ſeu peccatum tanquam in originem retulit ſemper in liberum arbitrium ea ex parte qua eſt ex nihilo, quod hoc ſenſu intelligendum eſt, quia enim voluntas creata ſeu liberum arbitrium eſt ex nihilo, & aliunde ſuum eſſe accipit, poteſt non eſſe & deficere ab eo quod eſt: Eſt igitur capax alicujus mutationis, igitur eadem ratione poterit etiam in actionibus ſuis deficere, defectus autem humanarum actionum peccatum eſt. Prima itaq; origo peccati*

eſt,

eſt, quod liberum arbitrium ſit ex nihilo, proxima verò ratio eſt, quia in actionibus ſuis poſſit deficere. D. Aug. attigit hoc loco primam originem & remotam ipſius peccati, D. Thomas proximam.

γ Non omnis beata poſſit eſſe creatura.] *Homo & Angelus quatenus voluntate præditi & intellectu, & ad Dei imaginem conditi, capaces ſunt beatitudinis.*

δ Ideo miſer non poteſt eſſe, quia ſe non poteſt amittere.] *Quemadmodum Deus, quia ſibiipſi eſt regula agendi, non poteſt peccare, ita quia ſibiipſi beatitudo eſt, non poteſt non beatus eſſe, & quæ aliis ſupernaturalis eſt beatitudo, illi eſt naturalis.*

ε Eique explendæ non ſufficit niſi Deus.] *Certè unicum bonum noſtrum noſtræ indigentiæ explendæ ſufficientiſſimum Deum eſſe docent ſcripturæ ſacræ, præterquam quod ipſa compertum ſit experientia ſatis. Geneſ. 15. Abrahæ dixit Deus:* Ero merces tua magna nimis. *Exod. 33. promiſit Moyſi ſe oſtenſurum illi omne bonum, id eſt ſeipſum, quo viſo nihil aliud ab homine expetitur Pſ. 72.* Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? *quaſi dicat, nihil præter te volui in terra, te unum expeto, te ſolo frui cupio, te mihi omne bonum, nihil aliud ac tu explet meum appetitum. Pſal. 102.* Qui replet in bonis deſiderium tuum, *ſeipſo nempe qui inſtar eſt omnium bonorum. &,* ſatiabor cùm apparuerit gloria tua. *unde Cyprianus libr. 2. contra Iudæos cap. 6. probat Chriſtum eſſe Deum, quia dicit ipſe Apocalyp. 21.* Ego ſum α & ω, principium & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vivæ, Dei ſiquidem unius proprium eſt mentem noſtram explere & ſatiare, *quod egregiè D. Auguſtinus docuit lib. 1. confeſſio. c. 1.* Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. *Unde hac ratione poteſt dici Deus finis hominis naturalis, quatenus explet ipſius appetitum naturalem. Quod explendæ indigentiæ noſtræ Deus ſufficiat, ideo in nullo bono creato exiſtimandum eſt conſiſtere noſtram beatitudinem. D. Thomas, 1. 2 q. 2. art 8. hac ratione ſcribit, impoſſibile eſſe hominis beatitudinem conſiſtere in aliquo bono creato,* Quod beatitudo ſit bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum. Objectum autem voluntatis, quæ eſt appetitus humanus, eſt univerſale bonum, ſicut objectum intellectus univerſale verum, unde nihil poteſt quietare voluntatem hominis niſi bonum univerſale, quod in ſolo Deo reperitur, quia omnis creatura habet bonitatem participatam. In ſolo igitur Deo hominis beatitudo conſiſtit. *Vide eundem 1. pag. quæſt. 12. articul. 1. & 3. contra Gentes, cap. 63.*

ζ Ejus naturæ ut Deo adhæreat, convenire.] *Deo adhærere naturæ Angelorum maximè convenire hoc argumento probat, ſiquidem non adhærere Deo vitium eſt naturæ Angelicæ, vitium autem contra naturam eſt, & conſequenter contrarium, quod eſt Deo adhærere, naturæ Angelicæ maximè conveniet: quemadmodum quia cæcitas, quæ viſui eſt contraria, vitium eſt oculorum, certè videre erit perfectio maximè conveniens ipſi organo. Verum objiciet aliquis, ſi naturale eſt Angelo, vel homini Deo adhærere, quod docet hic Auguſtinus, ad id igitur non erit*

erit neceſſarium aliquod donum ſupernaturale & gratuitum, vel fidei vel gratiæ, vel in patria luminis gloriæ. Sed facilè reſpondetur, D. Auguſtinum docere quidem id maximè convenire naturæ Angelicæ vel in univerſum intellectuali ad Dei imaginem creatæ, ut Deo adhæreat, non tamen ſeipſa, vel ſecluſo omni dono ſupernaturali, ſed vult diſtinguere naturam Angelicam à naturis ratione carentibus, quibus non convenit, ut beata eſſe poſſint, aut Deo per charitatem adhæreant, cùm non ſint capaces vel doni alicujus gratuiti vel actionis ſupernaturalis, adeoq; de Angelis eodem ſenſu dixit, naturæ eorum convenire adhærere Deo, *qui de hominibus dixit l. de prædeſtin. ſancto. c. 8.* Poſſe habere fidem & charitatem & naturæ eſſe hominum, habere autem gratiæ eſſe fidelium. *Neque enim ſenſus eſt fidem & charitatem naturaliter hominibus convenire, ſed homines ejus eſſe naturæ, ut capaces ſint hujuſmodi donorum ſupernaturalium: itaque neq; adhærere Deo, quatenus eſt bonum ſupernaturale & ſeipſo beatificans, erit naturale, ejus tamen ſunt naturæ, & quidem adeo perfectæ, ut capaces ſint charitatis & gratiæ, per quam Deo ipſi adhæreant, & immobiliter conjungantur, atq; ita notavit & interpretatus eſt hunc locum Cardinalis Bellarminus l. de gratia primi hominis c. 7. & Cajetanus 1. p. art. 1. explicans locum citatum Auguſtini ex lib. de prædeſtin. ſancto. c. 8.* Non dixit Auguſtinus (*inquit*) quod poſſe habere fidem ſit naturali homini, ſed quod ſit naturæ hominum; aliud enim eſt potentiam eſſe naturæ, & aliud eſſe naturalem: primum enim ſignificat ſubjectum potentiæ, ſecundum, modum potentiæ; ideò primum eſt verum, ſecundum falſum. Potentia ſiquidem illa obedientialis ad fidem & charitatem eſt in natura hominum, cum ſit intellectiva, non verò in natura aliqua inferiori.

CAP. II.

Nullam eſſentiam Deo eſſe contrariam, quia ab eo qui ſummè eſt, & ſemper eſt, hoc totum videtur diverſum eſſe quod non eſt.

HÆc dicta ſint, ne quiſquam *a* α cùm de angelis apoſtatis loquimur, exiſtimet eos aliam velut ex alio principio habere potuiſſe naturam, *b* β nec eorum naturæ autorem Deum. Cuius erroris impietate, tanto quiſque carebit expeditius & facilius, quanto perſpicacius intelligere potuerit, quod per angelum dixit Deus, quando Moyſen mittebat ad filios Iſrael, *c* γ *Ego ſum qui ſum.* Cùm enim Deus ſumma eſſentia ſit, hoc eſt, ſummè ſit, & ideò immutabilis ſit, rebus quas ex nihilo creavit, eſſe dedit, δ ſed non ſummè eſſe ſicut ipſe eſt, *d* & ε aliis dedit eſſe amplius, aliis minus, atque ita naturas eſſentiarum gradibus ordinavit. Sicut enim ab eo quod eſt ſapere vocatur ſapientia, ſic ab eo quod eſt eſſe vocatur eſſentia: *e* ζ novo quidem nomine, quo uſi veteres non ſunt Latini ſermonis autores, ſed jam noſtris temporibus uſitato, ne deeſſet etiam linguæ noſtræ, quod Græci appellant οὐσίαν: hoc enim verbum è verbo expreſſum eſt, ut diceretur eſſentia. Ac per hoc ei naturæ, quæ ſummè eſt, qua faciente ſunt quæcunque ſunt contraria natura non eſt, niſi quæ non eſt. *f* Ei quippe quod eſt, non eſſe contrarium eſt. Et propterea Deo, id eſt, ſum- *Exod. 3.*

Digitized by Google

mæ eſſentiæ, & autori omnium qualiumcunque eſſentiarum eſſentia nulla contraria eſt.

L. Vives. a Cum de angelis apoſtatis.] *ἀποστάτης, defector ab ἀφίστημι. Dæmones tales ſunt, qui à Deo defecerunt. Theodoretus de diis & angelis, Satan Hebraicè, ἀποστάτην Græcè dici tradit. Hieronymus adverſarium ſive transgreſſorem vertit.*

b Nec eorum naturæ.] *Nec exiſtimet quis eorum naturæ non eſſe autorem Deum.*

c Ego ſum qui ſum.] *De hoc lib. 8.*

d Et aliis dedit eſſe amplius aliis minus.] *Sic veteres, Ariſt. lib. De mundo, dicam verbis Apuleij. Deniq; propiores quoſq; de poteſtate eius amplius trahere corpora cœleſtia. Illa quanto finitima ſunt ei, tanto amplius de Deo capere, multoq; minus quæ ab illis ſunt ſecunda. Et ad hæc uſq; terrena pro intervallorum modo indulgentiam Dei ad nos uſq; beneficiaq; pervenire. Sed cùm credamus Deum per omnia permeare, & ad nos & ultra poteſtatem ſui nominis tendere, quantum abeſt, vel imminet, tantùm exiſtimandum eſt, cum amplius minusve rebus utilitatis dare, quibus verbis oſtendit philoſophus, quid intelligatur, cùm dicimus, variè rebus gradatimq; communicatam eſſentiam Dei. Nam in libris Categoriarum docet, in eſſentiis non eſſe magis aut minus. Nec minus dicitur eſſe lapis, quàm angelus. Itaq; hoc ad præſtantiam eſſentiæ muneraq; illi additæ referendum eſt, ſecundùm quæ aliud alio magis eſſe videatur, aut minus.*

e Novo quidem nomine.] *Non ita novo, quin ante Quintilianum Flavius Sergius dixerit: ſed receptum non eſt uſq; ad poſteros, cùm Latinis literis plura ſunt de philoſophia ſcribi cœpta.*

f Ei quippe quod non eſt eſſe.] *Subſtantiæ, inquit Ariſtoteles, nihil eſt contrarium: ſed contraria putat, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, velut album, & nigrum ſub colore: nam privantia, vel contradicentia inter contraria non numerat, ut liquet ex diviſione oppoſitorum in quatuor formas.*

F.L.Coq. α Cum de Angelis apoſtatis.] ἀποστάτης defector, transfuga. *ſic Angeli illi dicuntur* Apoſtatæ, *qui defecerunt à Deo. Dionyſius illos vocat* ἀποστατικὸν πλῆθος, *Gregorio dicuntur* ἀποστατικαὶ δυνάμεις.

β Nec eorum naturæ authorem Deum.] *Hæreticorum quorundam, qui Angelici dicebantur, meminit Auguſtinus lib. de hæreſ. c. 39. qui videntur exiſtimaſſe Angelos non eſſe creaturas, ſed potius quædam numina. Qui tamen fuerint errores hujuſmodi hæreticorum circa Angelos, & cur Angelici ſint dicti, affirmat Epiphanius hæreſi 60. non ſatis conſtare. Verùm de hoc dictum ſupra ca. 9.*

γ Ego ſum qui ſum.] *Unde intelligimus Deum per eſſentiam, reliqua habere eſſe per participationem, quæ ab ipſo ente per eſſentiam eſſe habeant neceſſe eſt. Div. Dionyſ. l. de divin. nomin. c. 1. Deum vocat* univerſum ens, *imo* ſuper ens. *Grego. Nazianzenus, orat. 2. in Paſcha vocat* pelagus eſſentiæ. *Damaſcenus l. 1. cap. 4. ait:* ipſum nihil eſſe eorum, quæ ſunt, adeoque eſſe ſupra ipſum eſſe & ſupra eſſentiam.

δ Non

δ Non ſumus eſſe ſicut ipſe eſt Deus.] *Deus enim reſpectu operum ad extra eſt velut artifex, & producit aliquid non ſimile ſibi, ſed forma concepta ſeu idea, quam habet in mente. Quemadmodum autem artifex operatione naturali & agens, ut homo producit ſibi ſimile in natura, agens autem ut artifex & per intellectum, aliquid non quidem ſibi ſimile in natura, ſed ideæ, quam habet in mente, ita de Deo cogitandum eſt, ab æterno eum quidem per actionem immanentem naturalem producere verbum, & utrumque Spiritum ſanctum, in tempore autem inſtar artificis extra ſe & longè diverſæ naturæ, prout perfectio univerſi requirebat, & repræſentatio ſuæ bonitatis ac ſapientiæ tot diſtinctas res produxit, neque fieri poteſt, ut ſumma ſint, quæ extra ſe producit,* Quis enim æquabitur Deo, aut quis ſimilis erit Deo in filiis Dei?

ε Aliis dedit eſſe amplius, aliis minus.] *Quod Ariſtoteles dixit, omnibus communicatum eſſe & vivere his quidem clarius, aliis verò obſcurius. Ita enim requirebat ordo & perfectio univerſi, ut quædam eſſent ſuperiora, alia inferiora corpora, quædam mixta, alia ſimplicia, & quemadmodum non poſſet conſiſtere Reſpublica, niſi diſtincti eſſent ordines, nec corpus humanum, ſi omnes partes eſſent ipſe oculus, ita nec mundus, ſi quæ ſunt in eo productæ perfectione, omnino eſſent æqualia: Sic etiam oportebat variis modis in creaturis relucere bonitatem illam & ſapientiam, & perfectionem, quæ in Deo eſt infinita & ſimplex. Et hac ratione & multitudo rerum & earum diſtinctio & inæqualitas eſt à Deo ipſo. Non enim eſſet univerſum perfectum, ſi tantum unus bonitatis gradus in rebus conſpiceretur. Vide D. Thomam 1. p. q. 47. art. 1. & 2.*

ζ Novo quidem nomine.] *Græcis quidem familiaris erat & ſatis uſitata vox* ὀσία, *non ita Latinis vox* eſſentia, *quam Cicero vertit* materiam, *aliàs* naturam *vel* ſubſtantiam, *non oratoribus quidem, ſed Theologis & Philoſophis vox eſt ſatis familiaris. Aliquando enim nova cogimur invenire nomina, & fatetur Quintilianus l. 3. c. 6. nomini Græco* ὀσία *nullum aliud nomen Latinum reſpondere.*

η Eſſentia nulla contraria eſt.] *Eſt enim creatura qualibet bona & ens per participationem. Nec enim rebus poteſt dari ſummum aliquod malum, quod ſit omnino contrarium ſummo bono; & hæreſis fuit Manichæorum, duo eſſe rerum principia omnino contraria, aliud bonum & aliud malum. Tertull. l. de præſcr. hujus hæreſis primum authorem facit Marcionem. Epiphanius hæreſi 41. & 42. Auguſtinus hæreſi 21. & 22. non illum, ſed Cerdonem voluit fuiſſe primum hujus hæreſis authorem.*

Cap. III.

De inimicis Dei, non per naturam, ſed per contrariam voluntatem: quæ cum ipſis nocet, bona utiq; naturæ nocet: quia vitium, ſi non nocet, non eſt.

Dicuntur autem in ſcripturis inimici Dei, qui non natura, ſed vitiis adverſantur eius imperio *a* nihil ei valentes nocere, ſed ſibi. Inimici enim ſunt reſiſtendi voluntate, non poteſtate lædendi. Deus namque immutabilis eſt, &

Digitized by Google

omni modo incorruptibilis. Idcirco vitium quo reſiſtunt Deo, qui eius appellantur inimici, non eſt Deo, ſed ipſis malum: neque hoc ob aliud, β niſi quia corrumpit in eis naturæ bonum. Natura igitur non eſt contraria Deo, ſed vitium: quia quod malum eſt, contrarium eſt bono. Quis autem neget Deum ſummè bonum? Vitium ergo contrarium eſt Deo, tanquam malum bono. Porrò autem bonum eſt, & natura quam vitiat: unde & huic bono utique contrarium eſt: ſed Deo tantummodo tanquam bono malum, naturæ verò quam vitiat, non tantum malum, ſed etiam noxium. Nulla quippe mala Deo noxia, ſed mutabilibus corruptibilibusque naturis, bonis tamen ipſorum quoque teſtimonio vitiorum. Si enim bonæ non eſſent, eis vitia nocere non poſſent. Nam quid eis nocendo faciunt, niſi adimunt integritatem, pulchritudinem, ſalutem, virtutem, & quicquid boni * naturæ per vitium detrahi ſive minui conſuevit? Quòd ſi omnino deſit, nihil boni adimendo non nocet, γ ac per hoc nec vitium eſt. Nam eſſe vitium, & non nocere non poteſt. Unde colligitur, quanvis non poſſit vitium nocere incommutabili bono, non tamen poſſe nocere niſi bono: quia non ineſt, niſi ubi nocet. Hoc etiam iſto modo dici poteſt, vitium eſſe, nec in ſummo poſſe bono, δ nec niſi in aliquo bono. Sola ergo bona alicubi eſſe poſſunt, ſola mala nuſquam: quoniam naturæ etiam illæ, quæ ex malæ voluntatis vitio* vitiatæ ſunt, inquantum vitiatæ ſunt, malæ ſunt: inquantum autem naturæ ſunt, bonæ ſunt. Et cùm in pœnis eſt natura vitioſa, excepto eo quòd natura eſt, etiam hoc ibi bonum eſt, quòd impunita non eſt. Hoc enim eſt juſtum, & omne juſtum proculdubio bonum. *a* Non enim quiſquam ε de vitiis naturalibus, ſed de voluntariis pœnas luit. Nam etiam quod vitium conſuetudine nimiové progreſſu roboratum, *b* velut naturaliter inolevit, à voluntate ſumpſit exordium. De vitiis quippe nunc loquimur eius naturæ, cui mens ineſt capax intelligibilis lucis, qua diſcernitur juſtum ab injuſto.

al. bona.

al. initio

L. Vives.

a NOn enim quiſquam de vitiis naturalibus.] *Vitium eſt in univerſum omnis aberratio à rectitudine. Unde ſunt vitia naturæ, cùm ab illa recta ſui generis ſpecieiq; ratione, & natura aliquid diverſum naſcentes traximus, ut plura, vel pauciora habere membra, quàm eſt opus. Tarditatem linguæ, cæcitatem, ſurditatem, aliquid abſonum, & à perfectis diſcrepans: quod non modo in hominibus contingit, ſed in cæteris quoq; animantibus, ſtirpibus, lapidibus, & quicquid in mundum natura producit. Eſt vitium morum, eſt vitium artis, cùm ab artis præceptis regulisq; deflectimus.*

b Velut naturaliter, inolevit.] *Adolevit & confirmatum eſt: unde jam propemodum in naturam verſum violentam poſſidet in homine tyrannidem, ac cogere quadam tenus videtur. Unde multi non poſſe ſe illi obniti queruntur, ceu excuſationem vitio prætendentes, cùm tamen & arbitrio ſumptum & fotum ibi ſit: & poni poſſit, ſi annitaris. Et quanquam non adeò facilè, ut cùm admittebas, ita ejicias; pelli tamen impoſſibile non eſt, ac niſi pellas quoniam potes, culpa non vacabis.*

a Nihil

α Nihil ei valentes nocere, ſed ſibi.] Quid enim prodeſt Deo juſtitia tua, aut quid ei oberit iniquitas tua? *Quid meditantur tales inimici inania adverſus Dominum? Certè* qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos, *qui bellum gerunt adverſus Deum, contra ſtimulum recalcitrant,* ſuper quem ceciderit lapis iſte Chriſtus, conteret eum, & qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur. *Quid tot Tyranni, quid tot hæretici hactenus potuerunt adverſus Deum, nonne ſibi ipſis pœnas ſempiternas, & æterni ac inextinguibilis ignis ſupplicium meruerunt ac compararunt? Iſaiæ 41.* Ecce confundentur, & erubeſcent omnes adverſarii tui. Erunt enim quaſi non ſint, & peribunt omnes inimici tui. *Michea 5.* Exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui peribunt. *Iob. 35.* Si peccaveris, quid ei nocebis? Etſi multiplicatæ fuerunt iniquitates tuæ, quid facies contra eum?

β Niſi quia corrumpit in eis bonum naturæ.] *Non tamen omnino naturæ bonum per peccatum corrumpitur, ut docet D. Thom. 1. p. q. 48. art. 4. & 1. 2. qu. 85. art. 2. & 4. & 3. contra Gentes c. 12. & quæ. 2. de malo art. 11. & 12. Nam triplex eſt bonum rei ſeu naturæ ipſius, primum, bonum ipſum, cui privativè malum opponitur, & hoc omnino per malum tollitur, quemadmodum lumen per tenebras, & viſus per cæcitatem, & gratia in homine per peccatum. Secundum bonum eſt ſubjectum ipſius mali, & hoc neque tollitur, neque minuitur per malum. Per tenebras enim nihil de ſubſtantia aeris vel tollitur vel minuitur, & nec per peccatum de hominis ſubſtantia, & in Dæmonibus etiam naturalia ipſa integra remanſerunt, ait D. Dionyſius, neque quicquam detractum eſt de bonitate naturæ. Tertium bonum eſt inclinatio ad bonum honeſtum, ut etiam habilitas ſeu aptitudo ſubjecti ad quædam bona, ut ad rectas operationes, ad bonum virtuoſi habitus vel etiam ad bonum gratiæ, cujuſmodi bonum & ſi per malum minuatur, non omnino tamen tollitur, neque tolli poteſt. Etſi enim eo minor ſit ſubjecti habilitas ad bonum, quò per plura & majora mala impeditur & retardatur ab aſſecutione boni, quamdiu tamen ſubjectum ipſum manet, tamdiu etiam in illo remanet habilitas aliqua ad bonum, ſiquidem hæc imminutio habilitatis ad bonum non eſt intelligenda per ſubtractionem, ſed per amiſſionem extrinſecorum impedimentorum boni, quæ licet in infinitum multiplicentur, ſemper tamen manet habilitas ad bonum in ſubjecto ipſo tanquam in quadam ſui radice, ut licet homo ſit peccatis onuſtus, nihilominus ſemper in eo maneat habilitas ad gratiam. Hinc patet qua ratione dicat D. Auguſtinus,* malum in inimicis Dei corrumpere bonum naturæ.

γ Ac per hoc nec vitium eſt.] *Ut enim habetur l. 3. de Trinit. c. 14.* Vitium non aliunde malum, niſi quia naturæ adverſatur ejus ipſius rei, cujus vitium eſt.

δ Nec niſi in aliquo bono.] *Ita enim aſſerit in Enchiridio cap. 13. & 14. adeò ut nullum poſſit eſſe malum, ubi nullum eſt bonum.* Quia omnis (*inquit*) natura in quantum natura eſt, nihil aliud dici videtur cum vitioſa natura mala eſſe natura dicitur, niſi malum eſſe quod bonum eſt, nec malum eſſe, niſi quod bonum eſt, quia omnis natura bonum eſt, nec res aliqua mala eſſet, ſi natura non eſſet. Non igitur poteſt eſſe malum, niſi

aliquod bonum, *& c.14.* Cùm bona & mala nullus ambigat eſſe contraria, non ſolùm ſimul eſſe poſſunt, ſed etiam omninò mala ſine bonis, & niſi in bonis eſſe non poſſint, quamvis bona ſine malis eſſe poſſint, *& ratione id conſtat. Malum enim non eſt aliquid per ſe ſubſiſtens, nec aliud eſt quàm privatio boni. Idem eſt autem ſubjectum formæ & privationis ejuſdem ut lucis & tenebrarum, ſed ſubjectum cujuſque formæ bonum eſt, ergo & ſubjectum mali, quod eſt privatio talis formæ, & Philoſophus ipſe 4. Metaph. text. 4. ait privationem eſſe negationem in ſubjecto; cùm ergo omne malum ſit quædam privatio, & omne ſubjectum ſit quoddam bonum, omne malum erit in bono tanquam in ſubjecto. Vnde dicitur malum habere ſubjectum eo modo, quo entia rationis dicuntur habere ſubjectum. vide D. Thomam 1. p. q. 48. art. 3. imò non modo hoc loco, verum etiam l. 1. contra Iulianum c. 3. & in Enchirid. c. 12 ex ipſo malo, quod ipſi naturæ vel voluntati accidit, probat ipſam naturam vel voluntatem bonam eſſe, quia fit mala, dum bonitate debita privatur, & non omninò deſtruitur; alioquin jam mala non eſſet, ſed omnino non eſſet. Ut ergo mala ſit, oportet ut natura aliqua ſit debita perfectione privata. Dicitur verò malum eſſe in bono tanquam in ſubjecto, non tanquam ponens aliquid in illo, ſed potius ut removens perfectionem ei debitam, quo ſenſu intelligendum etiam illud, quod habet D. Dionyſius 4. cap. de divin. nominib.* malum non eſſe in his, quæ ſunt, *intelligit enim non eſſe tanquam verum ens aliquid ponens in ipſis.*

ε De vitiis naturalibus.] *Ita ſcribit l. de nat. boni cap. 9.* Quod naturæ deeſſe conſpexeris, id voca vitium, monſtra & ægritudines vitia ſunt naturæ; & quilibet defectus & peccatum dicitur vitium, *& lib. 3. de lib. arb. c. 14.* Quod naturæ perfectioni deeſſe perſpexeris, id vocas vitium.

Cap. IV.

De natura irrationalium, aut vita carentium, quæ in ſuo genere atq; ordine ab univerſitatis decore non diſcrepat.

Cæterum vitia pecorum & arborum, aliorumque rerum mutabilium atque mortalium, vel intellectu, vel ſenſu, vel vita omnino carentium, quibus eorum diſſolubilis natura corrumpitur, damnabilia putare ridiculum eſt, cum iſtæ creaturæ eum modum nutu creatoris acceperint, ut *a* cedendo, ac ſuccedendo peragant infimam pulchritudinem temporum in genere ſuo iſtius mundi partibus congruentem. Neque enim cœleſtibus fuerant terrena coæquanda: *α* aut ideo univerſitati deeſſe iſta debuerunt, quoniam ſunt illa meliora. Cùm ergo in his locis ubi talia eſſe competebat, aliis alia deficientibus oriuntur, & ſuccumbunt minora majoribus: *b* *β* atque in qualitates ſuperantium ſuperata vertuntur, rerum eſt tranſeuntium. Cuius ordinis decus propterea nos non delectat: quoniam parti eius pro conditione noſtræ immortalitatis intexti: univerſum cui particulæ quæ nos offendunt, ſatis aptè decenterque conveniunt, ſentire non poſſumus. Unde nobis, in quibus eum contemplari minus idonei ſumus, rectiſſimè credenda præcipitur providentia conditoris, *γ* ne

ne tanti artificis opus in aliquo reprehendere vanitate humanæ temeritatis audeamus. Quanquam & vitia rerum terrenarum non voluntaria neque pœnalia: naturas ipſas, quarum nulla omnino eſt, cuius non ſit autor & conditor Deus, ſi prudenter attendamus, eadem ratione commendant: quia & in eis hoc nobis per vitium tolli diſplicet, quod in natura placet: niſi quia hominibus etiam ipſæ naturæ plerunque diſplicent, cùm eis fiunt noxiæ: non eas conſiderantibus, ſed utilitatem ſuam: *c* ſicut illa animalia, quorum abundantia Ægyptiorum ſuperbia vapulavit. Sed iſto modo poſſunt ipſi & ſolem vituperare: *d* quoniam quidam peccantes, vel debita non reddentes, poni à judicibus jubentur ad ſolem. Non itaque ex commodo vel incommodo noſtro, ſed per ſeipſam conſiderata natura dat artifici ſuo gloriam. Sic eſt & natura ignis æterni ſine ulla dubitatione laudabilis, quamvis damnatis impiis futura pœnalis. Quid enim eſt igne flammante, vigente, atque lucente pulchrius? Quid calefaciente, curante, coquente utilius? quanvis eo nihil ſit urente moleſtius? Idem igitur ipſe *e* pœnaliter appoſitus pernicioſus eſt, qui convenienter adhibitus commodiſſimus invenitur. *f* Nam eius in univerſo mundo commoda verbis explicare quis ſufficit? *g* Nec audiendi ſunt, qui laudant in igne lucem, ardorem autem vituperant: videlicet non ex ſui natura, ſed ex ſuo commodo, vel incommodo. Videre enim volunt: ardere nolunt. Sed parum attendunt eam ipſam lucem, quæ certè & illis placet, oculis infirmis per inconvenientiam nocere: & in illo ardore, qui eis diſplicet, nonnulla animalia per convenientiam ſalubriter vivere.

a Cedendo.] *Alia aliis, ut hæ habeant, illæ ſuccedant.*

b Atque in qualitates ſuperantium.] *Tangit perpetuas elementorum, & eorum quæ ex his fiunt pugnas: ubi in eodem genere, & ſunt quæ ad contraria tranſeant ipſa victa, & quæ ad ſedem contrariis trahant vincentia. Aliquid ſemper aqua demit aeri, hic viciſſim aquæ, & aer igni, & hic aeri, ſed aliis atque aliis locis.* L.Vives.

c Sicut illa animalia.] *Ranæ & cyniphes.*

d Quoniam quidam peccantes, vel debita non reddentes poni à judicibus jubentur ad ſolem.] *Genus hoc eſt pœnæ, quod ad infamiam ſpectat potius, quàm ad cruciatum ſupplicij, etſi nec deeſt ſuus cruciatus. Eo afficiuntur in Hiſpania lenæ numellis affixæ. & perunctæ melle, quò muſcæ, & apes, & veſpæ advolant.*

e Pœnaliter appoſitus pernicioſus eſt.] *In vetuſtis libris legitur: Alter appoſitus.*

f Nam eius in univerſo mundo commoda.] *Unde proverbium de re, quæ in uſus venit frequentiſſimos, non aqua & igne pluribus locis utimur: quod Cicero ad amicitiam accommodat in Lælio. Unde eſt etiam interdicere aqua & igne, duabus rebus in primis neceſſariis vitæ, quaſi ex conſortio generis humani ejicere. Vitruvius lib. 2. ex acceſſu ad ignem cœpiſſe homines inter ſe colloqui, & communicare ſcribit, natáque eſſe commercia convictus, & civitates. Lactantius divinum animal probat eſſe hominem, quòd ſolus inter omnia animalia igne utatur.*

g Nec audiendi ſunt, qui laudant in igne lucem, ardorem autem vituperant.]

Digitized by Google

rant.] *Edocti videlicet à Satyro illo, quem Plutarchus ſcribit tantopere delectatum recens à Prometheo invento igne, ut complexus ſit, & oſculatus: cumq́; combureretur, abjeciſſe illum protinus & fugiſſe. Simile quiddam Mela tradit de gentibus in ima Africa ora ad Oceanum, quibus ignem Eudoxus invexit.*

b Nonnulla animalia per convenientiam ſalubriter vivere.] *Ariſtoteles lib. De hiſtoria animalium 5. ſcribit in Cypro inſula in arariis fornacibus, ubi calcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiolas naſci pennatas, magnis muſcis paulò grandiores, qua in igne victitant. Salamandram ferunt in igne vivere, & non modo non abſumi ab eo, ſed ignem potius ab illa extingui contactum.*

F.L.Coq. *α* Ut ideò univerſitati deeſſe iſta debuerunt.] *Ne minima quidem res vel adeò ignobilis, qua non conferat ad decorem & perfectionem univerſi; ſiquidem authore Philoſopho l.1. de part. animal. c.5.* nulla res eſt naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur; *& quod Heraclytum dixiſſe ferunt ad eos, qui cùm alloqui eum vellent, quod forte in caſa furnaria quadam caloris gratia ſedentem vidiſſent, accedere temperarunt, ut ingrederentur, ſiquidem ne huic loco quidem deeſſe Deos immortales: ſic in omnibus natura numen honeſtum, pulchrumq́; ineſt ingenium. Certum eſt in animalibus oculum eſſe præſtantiſſimum organum & membrum propter officium nobiliſſimum inſtitutum, reliqua tamen non ideo contemnenda ſunt, vel etiam non neceſſaria, & inter partes officiales, licet cor præſtantiſſimam teneat ſedem, non ideo tamen alia ſunt contemnenda. Et quemadmodum ſcribit Apoſtolus, 1. Cor. 12.* Quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt. Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, iis honorem abundantiorem circumdamus, *ita proportione quadam conſiderandum eſt in rebus naturalibus, ut hac terrena & infima licet dignitate ſuperioribus corporibus longe ſint inferiora, nihilominus etiam ſpectant ad decorem & perfectionem univerſi. Id docet enim egregiè Plotinus Ennea. tertia libr. ſecundo, c.11.*

β Atque in qualitates ſuperantium ſuperata vertuntur.] *Intelligit continuam illam mutuam actionem elementorum in ſe invicem, qua fit, ut unum mutetur in alterum ratione qualitatum contrariarum.*

γ Ne tanti artificis opus in aliquo reprehendere.] *Alphonſus X. Rex Hiſpaniæ, cujus exſtant tabulæ; non impune tulit tantam audaciam, qua auſus eſt dicere, ſi Deo adſuiſſet in creatione mundi, ſeq́; conſultore uſus fuiſſet, melius ordinandum fuiſſe. Author Rodericus Toletanus lib 4. cap. 5. In operibus à Deo factis & in conditione mundi quantum ſapientiam creatoris debeamus admirari, docet Iob. 38. & 39. cap.*

δ Sunt illa animalia, quorum abundantia.] *Ranas & cyniphes intelligit, de quibus Exod. cap 8.*

ε Non itaque ex commodo vel incommodo noſtro.] *Ita reſpondet Manichæis l.1. de Geneſ. contra Manichæos c. 16 qua ratione Deus tam multa animalia faceret ſive in aquis, ſive in terra, quæ hominibus non eſſent neceſſaria, imò multa pernicioſa & timenda.* Non intelligunt, *inquit*, quemadmodum omnia pulchra ſunt

ſunt conditori & artifici ſuo, qui omnibus utitur ad gubernationem univerſitatis, cui ſumma lege dominantur. *paulò poſt*. Ego verò fateor me neſcire, mures & ranæ quare creatæ ſunt, aut muſcæ aut vermiculi, video tamen omnia in ſuo genere pulchra eſſe, quamvis propter peccata noſtra multa nobis videantur adverſa. Non enim animalis alicujus corpus & membra conſidero, ubi non menſuras, numeros & ordines inveniam ad unitatem concordiæ pertinere. Quæ omnia unde veniant non intelligo, niſi à ſumma menſura, numero & ordine, quæ in ipſa Dei ſublimitate incommutabili atque æterna conſiſtunt. Quod ſi cogitarent iſti loquaciſſimi & ineptiſſimi, non nobis tædium facerent, ſed ipſi conſiderando omnes pulchritudines & ſummas & infimas, Deum artificem ubique laudarent; & quoniam nuſquam offenditur ratio ſicubi forte ſenſus carnalis offenditur, non rerum ipſarum vitio, ſed noſtræ mortalitatis meritis imputarent: & certè omnia animalia aut utilia nobis ſunt, aut pernicioſa, aut ſuperflua. Adverſus utilia non habent quid dicant. De pernicioſis autem vel punimur, vel exercemur, vel terremur, ut non vitam iſtam multis periculis & laboribus ſubditam, ſed aliam meliorem, ubi ſecuritas ſumma eſt, diligamus & deſideremus, & eam nobis pietatis meritis comparemus. De ſuperfluis verò quid nobis eſt quærere? Si tibi diſplicet, quod non proſunt, placeat quod non obſint; quia & ſi domui noſtræ non ſunt neceſſaria, eis tamen completur hujus univerſitatis integritas, quæ multo major eſt quàm domus noſtra, & multo melior. Hanc enim multo melius adminiſtrat Deus, quàm unuſquiſque noſtrum domum ſuam. Uſurpa ergo utilia, cave pernicioſa, relinque ſuperflua; In omnibus tamen cùm menſuras, numeros & ordinem vides, artificem quære. *Baſilius etiam homilia quinta in Hexamer. egregiè eos refellit, qui reprehendebant aliqua Dei opera, quod homini eſſent noxia, & plura in hanc rem ſcribit Euſebius libro octavo, de præparat. Evangelic. cap. 5.*

* ξ Nam ejus in univerſo mundo utilitas.] *Certè præter dignitatem & excellentiam ignis ſupra reliqua elementa facile conſiderari poteſt, quantæ ſint illius utilitates & commoda. Plurimum enim confert tum ad opera naturæ, tum etiam ad ea quæ arte efficiuntur. Atque ita in uſu eſt, ut non ob aliam cauſam videatur ignis, qui caloris fons habetur, dictus* artium magiſter; *naturæ enim adeò inſeruit*, ut Zeno, *teſte Cicerone l.2. de nat. deor.* crediderit naturam nihil aliud eſſe quàm ignem artificioſum. *Lactantius l.2. c.10. quoniam cæleſte ac immortale ſumus animal, dicit nos igne uti, qui nobis in argumentum immortalitatis datus eſt, quoniam ignis è cœlo eſt, cujus natura quia mobilis eſt, & ſurſum nititur, vitæ continet rationem; & antiquitùs cùm adhuc nefas videretur, homines quamvis malos ſupplicio capitis afficere, interdicebatur illis aqua & igne: ſiquidem interdicto uſu earum rerum, quibus hominum vita conſtat, perinde habebatur ac ſi eſſet qui eam ſententiam exceperat, morte mulctatus. De ignis neceſſitate etiam Baſil. hom. 3. in Hexamer.*

n Nonnulla animalia per convenientiam ſalubriter vivere.] *Quæſtio eſt hoc loco, utrum aliquod animal in igne poſſit vivere; quod hic tradit Auguſtinus, quod etiam lib. 21 de Civit. Dei cap. 4. de Salamandra ſcribit. Certè beſtiolas nonnullas in igne naſci & vivere, quas Pyrauſtas vocant ſeu Pyrales, ſcripſit Ariſtoteles lib. 5. de hiſtor. anim. cap. 19.* In Cypro inſula *(inquit)* ærariis fornacibus, ubi Chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiolæ in medio igne naſcuntur, pennatæ, paulo muſcis grandibus majores, quæ per ignem ſaliunt atque ambulant, & cum ab eo receſſerint, emoriuntur. *Quod confirmat Plinius lib. 11. natur. hiſtor. cap. 37. & quædam animalia igne generari affirmat. Seneca lib. 5. natural. quæſt. cap. 6. quod etiam Salamandra per ignem inambulans eum extinguat, tradit Ariſtot. loco citato. Plin. lib. 10. cap. 67. Nihilominus probabilius eſt nullum corpus ex quatuor elementis conflatum, & conſtitutum poſſe diu in igne verſari omnino ab eius incendio illæſum. Id docet Ariſtoteles 2. lib. de generat. & cor. text. 21. & 4. lib. Meteo. & lib. 2. de generat. animal. cap. 3. affirmans nullum animal aut poſſe naſci, aut vivere in igne, & quod de Salamandra dixit lib. 5. de hiſtor. animal. cap. 19. non ex propria, ſed ex aliorum ſententia dixit, quod clarè ſignificant verba, quibus utitur, ut ajunt. Idem de Salamandra tradit Galenus lib. 3. de temperam. & Dioſcorides lib. 2. cap. 54. D. Thom. 4. Senten. diſtinct. 44. q. 3. art. 1. quæſt. 3. ad 3. quia tamen ſit adeo perhumida & frigida natura, ut ſuo attactu nonnunquam prunas extinguat, ideò creditum eſt vivere poſſe in igne; Cuius tamen contrarium inde concludendum eſt: cum enim habeat qualitatem omninò contrariam ipſi igni, certè ignis in ipſam aget, & cùm calor ſit qualitas præſtantior & magis activa quàm frigiditas, etiamſi Salamandra ſit frigida in ſummo gradu, quia tamen ignis etiam in ſummo gradu calidus eſt, eam tandem, licet contraria qualitate maximè inſiſtat, abſumet.*

Cap. V.

Quòd in omni naturæ modo ac ſpecie laudabilis ſit creator.

NAturæ igitur omnes quoniam ſunt, & ideo habent modum ſuum, ſpeciem ſuam, *a* & *a* quandam ſecum pacem ſuam, profectò bonæ ſunt. Et cùm ibi ſunt, ubi eſſe per naturæ ordinem debent, quantum acceperunt, ſuum eſſe cuſtodiunt. Et quæ ſemper eſſe non acceperunt, pro uſu motuque rerum quibus creatoris legi ſubduntur, in melius deteriusvé mutantur, in eum divina providentia tendentes exitum, quem ratio gubernandæ univerſitatis includit: ita *b* ut nec tanta corruptio, quanta uſque ad interitum naturas mutabiles mortaleſque perducit: ſic faciat non eſſe quod erat, ut non inde fiat conſequenter, quod eſſe debebat. Quæ cùm ita ſint, Deus qui ſummè eſt, atque ob hoc ab illo facta eſt omnis eſſentia, quæ non ſummè eſt: quia neque illi æqualis eſſe deberet, quæ de nihilo facta eſſet, neque ullo modo eſſe poſſet, ſi ab illo facta non eſſet: nec ullorum vitiorum offenſione vituperandus, & omnium naturarum conſideratione laudandus eſt.

α ET quandam ſecum pacem ſuam.] *Ut ſecum unaquaq; & inter ſe omnes non diſſideant, & pugnent, interitumq; ſibi afferant: ideo veteres multi amore conſtare mundum dixerunt.* L. Viv.

α QUandam ſecum pacem ſuam.] *Mutuam concordiam & ſympatiam, qua continetur hoc univerſum: Etſi enim ex contrariis elementis conſtet, ſi tamen ordinem & ſitum, quem ſervant, conſideremus, qualitatibus conveniunt: ut enim in cæleſtibus Job dixit Deum facere concordiam, ita etiam in inferioribus judicandum.* F.L.Coq.

β Ut nec tanta corruptio quanta uſque ad interitum.] *Etſi enim elementa ipſa tranſmutentur ad invicem ſecundum partes, & corrumpantur, omnino tamen & ſecundùm ſe tota nunquam poſſunt corrumpi.*

CAP. VI.

Quæ cauſa ſit beatitudinis angelorum bonorum, & quæ cauſa ſit miſeriæ angelorum malorum.

PRoinde cauſa beatitudinis angelorum bonorum ea veriſſima reperitur, quòd ei adhærent, qui ſummè eſt. Cùm verò cauſa miſeriæ malorum angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quòd ab illo qui ſummè eſt averſi, ad ſeipſos converſi ſunt, qui non ſummè ſunt: & α hoc vitium α quid aliud quàm ſuperbia nuncupatur? Initium quippe omnis peccati ſuperbia. Noluerunt ergo ad illum cuſtodire fortitudinem ſuam: & qui magis eſſent, ſi ei qui ſummè eſt, adhærent: ſe illi præferendo, id quod minus eſt, prætulerunt. Hic primus defectus, & prima inopia, primumque vitium eius naturæ, quæ ita creata eſt, ut nec ſummè eſſet: & tamen ad beatitudinem habendam eo qui ſummè eſt, frui poſſet: à quo averſa non quidem nulla, ſed tamen minus eſſet, atque ob hoc miſera fieret. β Huius porrò malæ voluntatis cauſa efficiens ſi quæratur, nihil invenitur. Quid eſt enim quod facit voluntatem malam, cùm ipſa faciat opus malum? Ac per hoc mala voluntas efficiens eſt operis mali: malæ autem voluntatis efficiens eſt nihil. Quoniam ſi res aliqua eſt, aut habet, aut non habet aliquam voluntatem. Si habet, aut bonam profectò habet, aut malam: ſi bonam, quis ita deſipiat ut dicat, quòd bona voluntas faciat voluntatem malam? Erit enim, ſi ita eſt, bona voluntas cauſa peccati, quo abſurdius putari nihil poteſt aut dici. Si autem res iſta, quæ putatur facere voluntatem malam, ipſa quoque habet voluntatem malam: etiam eam, quæ fecerit res, conſequenter interrogo: atque ut ſit aliquis inquirendi modus, cauſam primæ voluntatis malæ inquiro. Non eſt enim prima voluntas mala, quam nulla fecit voluntas etiam mala: ſed illa prima eſt, quam nulla fecit. Nam ſi præceſſit à qua fieret, illa prior eſt, quæ alteram fecit. Si reſpondeatur, quòd eam nulla res fecerit, & ideo ſemper fuerit, quæro utrum in aliqua natura fuerit. Si enim in nulla fuit, omnino non fuit: ſi autem in aliqua vitiabat eam & corrumpebat, eratque illi noxia, ac per hoc bono privabat. Et ideo in mala natura voluntas mala eſſe non poterat, ſed in bona mutabili tamen, cui viti-

Eccl. 10. Pſ. 58.

Digitized by Google

um hoc poſſe nocere. Si enim non nocuit, non utique vitium fuit: ac per hoc nec mala voluntas fuiſſe dicenda eſt. Porrò ſi nocuit, bonum auferendo vel minuendo utique nocuit. Non igitur eſſe potuit ſempiterna voluntas mala, ea in re, in qua bonum naturale præceſſerat, quòd mala voluntas nocendo poſſet adimere. Si ergo non erat ſempiterna, quis eam fecerit quæro? Reſtat, ut dicatur, quòd ea res fecerit malam voluntatem, in qua nulla voluntas fuit. Hæc utrum ſuperior ſit, requiro: an inferior, an æqualis? Sed ſi ſuperior, utique melior: quomodo ergo nullius ac non potius bonæ voluntatis? Hoc idem profectò, & æqualis ſi fuerit, dici poteſt. Duo quippe quandiu ſunt pariter voluntatis bonæ, non facit alter in altero voluntatem malam. Relinquitur ut inferior res, cui nulla voluntas eſt, fecerit angelicæ naturæ, quæ prima peccavit, voluntatem malam. Sed etiam res ipſa quæcunque eſt inferior uſque ad infimam terram, quoniam natura & eſſentia eſt, procul dubio bona eſt, habens modum & ſpeciem ſuam in genere atque ordine ſuo. Quomodo ergo res bona efficiens eſt voluntatis malæ? Quomodo inquam bonum eſt cauſa mali? Cùm enim ſe voluntas relicto ſuperiore ad inferiora convertit, efficitur mala: non quia malum eſt, quò ſe convertit, ſed quia perverſa eſt ipſa converſio. Idcirco non res inferior voluntatem malam fecit, ſed rem inferiorem pravè atque inordinatè ipſa quæ * facta eſt appetivit. Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant unius corporis pulchritudinem, qua viſa unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret, quid putamus eſſe cauſæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala, quæ illam res fecit, in quo facta eſt? Neque enim pulchritudo illa corporis, nam eam non fecit in ambobus? quandoquidem amborum non diſpariliter occurrit aſpectibus. An caro intuentis in cauſa eſt? Cur non & illius? An verò animus? Cur non utriusque? Ambos enim & animo & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus. An dicendum eſt, alterum eorum occulta maligni ſpiritus ſuggeſtione tentatum, quaſi non eidem ſuggeſtioni & qualicunque ſuaſioni propria voluntate conſenſerit? Hanc igitur conſenſionem, hanc malam, quam malè ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit, quærimus. Nam ut hoc quoque impedimentum ab iſta quæſtione tollatur, ſi eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque conſentiat: alter idem qui fuerat, perſeveret: quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Unde niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animæ affectio, amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo: ambobus pariter inſtitit occulta tentatio? Propriam igitur in uno eorum voluntatem malam, quæ res fecerit ſcire volentibus, ſi benè intueantur, nihil occurrit. Si enim dixerimus, quod ipſe eam fecerit, quid erat ipſe ante voluntatem malam niſi natura bona: cuius autor Deus, qui eſt incommutabile bonum? Qui ergo dicit eum qui conſenſit tentanti atque ſuadenti, cui non conſenſit alius, ad illicitè utendum pulchro corpore, quod videndum ambobus pariter affuit, cùm ante illam viſionem ac tentationem ſimile-

al. quia.

miles ambo animo & corpore fuerint: ipſum ſibi feciſſe voluntatem malam, qui utique bonus ante voluntatem malam fuerit: quærat cur eam fecerit, utrum quia natura eſt, an quia ex nihilo facta eſt: & inveniet voluntatem malam non ex eo eſſe incipere, quia natura eſt, ſed ex eo quòd de nihilo natura facta eſt. Nam ſi natura cauſa eſt voluntatis malæ, quid aliud cogimur dicere, niſi à bono fieri malum, & bonum eſſe cauſam mali: ſiquidem à natura bona fit voluntas mala? Quod unde fieri poteſt, ut natura bona, quanvis mutabilis, antequam habeat voluntatem malam, faciat aliquid mali, hoc eſt, ipſam voluntatem malam:

a QUid aliud quàm ſuperbia.] *Scoto non placet peccatum angelorum fuiſſe ſuperbiam: credo ob id ſolum, quòd D. Thomæ placuerat, ſequenti veterum ſcriptorum ſententiam.* L.Vives

b Et qui magis eſſent.] *Præſtantiores & perfectiores eſſent.*

a HOc vitium quid aliud quàm ſuperbia?] *Primum peccatum, quo Angeli à Deo defecerunt ſuperbiam fuiſſe, ſcriptura paſſim docet ex 1. cap. Eccleſiaſt. qui locus hic citatur.* Initium omnis peccati ſuperbia. *Nullum igitur ante ſuperbiam fuit commiſſum peccatum. Iſaiæ 14. inducitur Lucifer loquens.* Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis altiſſimo; *quæ verba maximam ſuperbiam continent. Quæ enim major ſuperbia, quàm ſimilitudinem creatoris expetere creaturam, quæ de nihilo eſt & in nihilum reduci poteſt? Lucæ 10.* Videbam Sathanam ſicut fulgur cadentem de cœlo, *quod Chriſtus dixit ad reprimendam diſcipulorum ſuperbiam eo exemplo, ne & ipſi punirentur propter illam ut & ipſe diabolus, 1. Timoth. 3.* non neophytum, ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli: *quod dicitur diabolum ob ſuperbiam fuiſſe damnatum. Iob. 41.* Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, *omnium ſcilic. primus & anteſignanus. Eodem referri poſſent & alia ſcripturæ teſtimonia. D. Auguſtinus perpetuò eſt in hac ſententia, & in hoc cap. & ſupra lib. 11. cap. 13. ut eo loci dictum eſt, ubi & alij patres citati in hanc ſententiam. In quo verò conſiſteret illa Angeli ſuperbia, non convenit inter omnes. Superbia certè* eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ cum contemptu ſubiectionis divinæ. *Aliqui volunt eos in ſeipſis voluiſſe conquieſcere, & ſua naturali perfectione contentos non ulteriorem appetiiſſe finem, neq; beatitudinem ſupernaturalem, quæ eis à Deo propoſita erat, & in hoc fuiſſe contemptum Dei. quod ei ſeipſos prætulerint, & in ſeipſis potius quàm in eo voluerunt conquieſcere. Alij verò volunt appetiiſſe beatitudinem naturalem ſpreta tamen divina regula, quia debebant eam appetere, ut ſibi ex gratia conferendam, eam verò ſibi appetierunt ut naturaliter debitam, vel etiam ut alij volunt, nihil conſiderarunt de auxilio & gratia Dei, tum eam appetiverunt, & in hoc ſpreverunt regulam divinam. Tenebantur enim conſiderare, & hoc modo fortaſſe intelligitur Auguſtinus hoc loco eum ſcribit, Noluerunt ad illum cuſtodire fortitudinem ſuam. Hanc ſententiam probabilem putat D. Thom. eamq; aſſerit Albertus Magnus 2. diſt. 5. art. 3. verum hæc pluribus examinare, quæ fusè à Scholaſticis tractantur, inſtituti noſtri ratio non permittit. Ut ut ſit, graviſſimum fuit peccatum Angelorum,* F.L.Coq.

in quod tam celeriter tamq́; graviter animadverſum eſt: Certè ſpecialis ratio ſuperbiæ Angelorum in hoc conſiſtere videtur, quod elati contemplatione ſuæ perfectionis noluerunt ſubeſſe imperio Dei, quæ fuit maxima ſuperbia; ut licet quoad naturam quidem voluerint à Deo dependere, quatenus id erat neceſſarium, ut in ſuo eſſe naturali conſervarentur: Subtracto enim influxu primæ cauſæ ſciebant omnia facile redigi in nihilum; Ei tamen in hoc voluerunt eſſe ſimiles, ut quemadmodum ipſe nulli paret tamquam ſuperiori, ita nec illi tamquam inferiores ſubeſſent alicujus imperio. Hanc ſententiam docuit ſupra lib.11. cap.13. & hoc loco & in Pſalm.70. Id ſenſit D. Gregor. lib.34. moral. c 17. Ei à quo conditus fuerat, ſubeſſe deſpexit, ita enim Deus ſuper omnia eſt, ut ipſe ſub nullo ſit. Leviathan verò iſte ejus celſitudinis culmen aſpiciens jus perverſæ libertatis appetit, ut & præeſſet cæteris, & nulli ſubeſſet dicens: Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis altiſſimo. *Eadem eſt ſententia Anſelmi l. de caſu Diaboli c. 4. Unde licet non appetierit æqualitatem Dei ſimpliciter, appetiſſet enim non eſſe creaturam, & per conſequens omnino non eſſe; in hoc tamen appetiit, quod regulæ ſuperiori ſubeſſe noluerit, neque cujuſquam regi imperio, quod in Deum ſolum quadrat.*

β Hujus porrò malæ voluntatis cauſa efficiens.] *An poſſit dari aliqua cauſa efficiens illius malæ voluntatis, qua Angeli à Deo averſi ſunt, & in univerſum malæ voluntatis, qua natura rationalis ab eo avertitur, quærit. Certum enim eſt, operis mali ſeu peccati cauſſam eſſe liberum arbitrium à regula ſibi præſcripta deficiens, vel etiam voluntatem malam, quæ verò malæ ſit voluntatis cauſa, non ita conſtat. Porrò voluntas mala dicitur non ipſa facultas voluntatis, quæ bona eſt, verum actio ipſa voluntatis ſeu volitio, qua fertur ad illicita, ut dicatur ipſa voluntas mala: quando peccat & deficit à recto,* Eatenus autem eſt deficiens, quatenus *(inquit auctor noſter)* eſt ex nihilo, & averſa à bono incommutabili convertitur ad commutabile bonum. *Idem l. de gratia Chriſti contra Pelagium & Cæleſtinum c.19.* Malam *(inquit)* arborem homo facit, quando ſeipſum malum facit, quando à bono incommutabili deficit: Ab hoc quippe bono defectus eſt origo voluntatis malæ, qui defectus non alia in naturam malam initiat, ſed eam, quæ bona eſt condita, vitiat.

γ Non quia malum eſt quo ſe convertit.] *Eſt enim peccatum converſio ad commutabile bonum, ſed inordinata & cum averſione à bono incommutabili. Itaque converſio non ſemper eſt peccatum: nam in genere naturæ fieri poteſt, ut idem actus ſit, qui eſt bonus & malus, quia circa idem objectum verſatur. Verum quia unus actus eſt contra legem divinam vel rectam rationem; dicitur malus, quia alius conſonat rectæ rationi, ſit bonus. Ita maritus cùm propria uxore actum exercet legitimum matrimonij, qui poteſt eſſe & honeſtus, & actus virtutis, cum qua eadem ſi alius rem haberet, contra divinam legem & rectam rationem mortaliter delinqueret: cùm tamen ſi objectum ipſum ſpectes in genere naturæ idem ſit bonum commutabile, ita eadem mulier cum proprio viro exercebit legitimum matrimonij actum, cum alieno verò adulterij actum lege divina & humana damnatum, non quia unum objectum ſit pejus altero in genere naturæ, ſed quia indebitè convertitur ad*

unum

unum, & debitè ad alterum; imò ſi habeat rem cum proprio marito, putans ſe cum alieno exercere actum carnalem, & ad alium habens affectum, peccabit, & ſi rem cum alieno habeat putans bona fide ſuum eſſe, non peccabit. Non ergo quia malum eſt illud vel bonum, ad quod quis convertitur, mala eſt vel bona converſio, ſed quia ordinatè, vel inordinatè juxta vel præter regulam ſibi præſcriptam in tale bonum commutabile convertitur. Ita ſi Angelus peccavit appetendo beatitudinem naturalem, vel etiam ſupernaturalem tanquam ſibi debitam, vel etiam nihil conſiderando de divina gratia, certè non fuit inordinata illa converſione ex eo, quod converteretur ad aliquod malum: ſed quia indebitè & inordinatè convertebatur.

δ Si enim duo aliqui æqualiter affecti animo.] *Hoc exemplo vult oſtendere voluntatem, & nihil aliud præter illam, cauſam eſſe malitiæ, vel mali affectus, quod ſuperius inductione demonſtravit, quia non eſt natum aliqua ſuperior, neque inferior, nec etiam Diabolus per ſuggeſtionem abſque proprio conſenſu: & concludit tandem ipſam facultatem voluntatis non quatenus natura eſt, & bona, ſed quatenus eſt ex nihilo, cauſam eſſe mali effectus. Ponamus igitur, duos ſimiliter affectos tentari ex intuitu alicujus pulchritudinis, etiam ſi cætera paria ſint, & eodem modo afficiantur, fieri poterit, ut unus ſequatur rationem rectam, & non conſentiat tentationi, quia bonum honeſtum ſibi proponit, alius verò ſequatur paſſionem, & delectabile ſibi bonum proponat, & conſentiat tentationi, certè in illo, qui conſentit tentationi, non aliunde voluntas mala efficitur, quam ex ſeipſa, & cum ponatur indifferens ad conſentiendum, vel non conſentiendum, quod oſtendit, quia uterque ponitur eodem modo affectus, & unus conſentit, alter reſiſtit tentationi, certè non aliunde quam ex ſeipſa voluntas determinatur ad conſenſum. Cùm enim ratio proponat fornicationem, v.g. ut peccatum & actum contrarium legi divinæ ac rectæ rationi; paſſio verò eandem proponat ut bonum delectabile, in voluntate ſitum eſt ſeſe ad utrumlibet determinare. Poteſt autem, fornicatio v.g. conſiderari vel quatenus repugnat divinæ legi & ſaluti animæ perniciem affert, vel quatenus repugnat bono honeſto & rectæ rationi: poteſt item, homo non conſentire tentationi vel ex virtute temperantiæ, vel etiam ex divino auxilio, quòd interdum neceſſarium eſt ad ſuperandas aliquas vehementes tentationes, ut ex ſe ſint valde infirmæ vires liberi arbitrij ſecluſa gratia: quod ſi ponamus hominem non conſentire tentationi ex gratia divina, & quatenus illa præjudicat ſaluti animæ, certè majus à Deo beneficium acceperit, qui non conſentit, & alius quidem culpandus eſt & pœna dignus, qui conſenſerit, hic verò Deo gratias agat, quod ſimili oblato objecto & occaſione peccandi non conſenſerit: poteſt tamen aliquis non conſentire etiam ſolis viribus naturæ ex virtute temperantiæ, quæ inclinat in bonum honeſtum, & nullum eſt objectum creatum, quod neceſſario determinat ipſam voluntatem, neque etiam cogitur à paſſione: poterit itaque ſecluſa omni gratia & auxilio Dei non conſentire tentationi. Certè cùm magna hoc tempore verſetur quæſtio inter Theologos doctiſſimos,* An fieri poſſit ut ex duobus æqualiter affectis, æquale gratiæ auxilium habentibus unus convertatur, & alius non convertatur, an verò quoties unus convertitur & alius non convertitur, illi majus auxilium gratiæ conceſ-

ſ: ni

ſum fuerit: *Fruſtrà mihi videntur uti hoc loco Auguſtini, ut probent ex duobus æquali auxilio gratiæ unum poſſe converti, & alium non, ex libertate arbitrij, adeo ut nunquam auxilium divinum determinet voluntatem, ſed ſemper libera maneat, ut conſentiat vocationi Dei, vel non conſentiat. Hic enim non agit de vocatione ad bonum, neque de impulſu voluntatis ad opus aliquod pium & ſalutis, ad quod ſit opus auxilio ſupernaturali, ſed de tentatione ad malum, quæ in hoc caſu propoſito ſine gratia ſuperari poterit. Etſi enim tentationes omnes & longo tempore quis in ſtatu naturæ corruptæ non poſſit vincere, nihilominus hanc vel illam & hoc tempore ſecluſa gratia vincere poterit; quemadmodũ & ſi peccatũ mortale ſecluſa Dei gratia aliquis non poſſit longo tempore vitare, nihilominus hoc vel illud peccatum hoc vel illo tempore vincere poterit. Non defuerunt ex Gentilibus, qui præclara nobis reliquerunt exempla temperantiæ.*

s Alterum eorum occulta maligni ſpiritus ſuggeſtione tentatum.] *Idem l. de patien. c.24.* Non ideò etiam voluntas mala ſine inſtigatione alterius immundi ſpiritus, ſicut voluntas bona ſine adjutorio Spiritus ſancti non poteſt eſſe. Nam eſſe poſſe voluntatem malam etiam ſine aliquo ſpiritu vel ſeducente, vel incitante, in ipſo Diabolo ſatis oſtenditur, qui per nullum alium Diabolum, ſed propria voluntate factus Diabolus invenitur; *Nec ipſe Diabolus poteſt homini inducere neceſſitatem ad peccandum, nec omnino peccata ſunt ex ſuggeſtione Diaboli; quod Origenes l.3. περὶ ἀρχῶν, ex eo oſtendit*, Quia etiam ſi Diabolus non eſſet, homines haberent appetitum ciborum & venereorum & ſimilium, qui poſſet eſſe inordinatus, ſicque peccatum *D.Thomas 1.2. quæſt.80. art.3. & 4.*

Cap. VII.

Cauſam efficientem malæ voluntatis non eſſe quærendam.

NEmo ergo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis. *a* Non enim eſt efficiens, ſed deficiens: quia nec illa effectio eſt, ſed defectio, deficere namque ab eo quod ſummè * eſt, ad id quod minus eſt, hoc eſt, incipere habere voluntatem malam. Cauſas porrò defectionum iſtarum cùm efficientes non ſint, ut dixi, ſed deficientes velle invenire, tale eſt, ac ſi quiſquam velit videre tenebras, vel audire ſilentium, quod tamen utrunque nobis notum eſt, *a* neq; illud niſi per oculos, neque hoc niſi per aures, non ſanè in ſpecie, ſed in ſpeciei privatione. Nemo ergo ex me ſcire quærat, quod me neſcire ſcio, niſi fortè ut neſcire diſcat, quod ſcire non poſſe ſciendum eſt. Ea quippe quæ non in ſpecie, ſed in eius privatione ſciuntur, ſi dici aut intelligi poteſt, quodammodo neſciendo ſciuntur, ut ſciendo neſciantur. Cùm enim acies etiam oculi corporalis currit per ſpecies corporales, nuſquam tenebras videt, niſi ubi cœperit non videre. Ita etiam non ad aliquem alium ſenſum, ſed ad ſolas aures pertinet ſentire ſilentium, quod tamen nullo modo niſi non audiendo ſentitur. Sic
Pſ 18. ſpecies intelligibiles mens quidem noſtra intelligendo conſpicit, ſed ubi deficiunt, neſciendo condiſcit. Delicta enim quis intelligit? Hoc ſcio, *β* naturam Dei

Dei nunquam, nuſquam, nulla ex parte poſſe deficere, & ea poſſe deficere, quæ ex nihilo facta ſunt. Quæ tamen quanto magis ſunt, & bona faciunt, tunc enim aliquid faciunt, cùm cauſas habent efficientes: inquantum autem deficiunt, & ex hoc mala faciunt, quid enim tunc faciunt niſi vana, cauſas habent deficientes.

a NEque illud niſi per oculos.] *Contrariorum idem eſt ſenſus & eadem diſciplina, ut eſt in philoſophorum ſchola: neq; aliter privans cognoſcitur, quàm ſemota ponentis cognitione.* L.Vive.

a NOn enim eſt efficiens, ſed deficiens.] *Peccatum non eſt tam effectio quàm defectio: illius itaq; non tam inquirenda cauſa eſt aliqua efficiens, quam deficiens. Unde ſi ad unum aliquem effectum cauſæ multæ concurrant, illæ ſolæ dicendæ erunt cauſæ peccati, quæ in agendo deficiunt. Deus itaq; & ſi concurrat ad omnes malas, actiones generali concurſu, quo ſubtracto creatura non poſſent operari, impius tamen erit, qui eum dicat authorem vel cauſam peccati; quemadmodum claudicatio tibiæ, quæ eſt ambulatio quædam defectuoſa, refertur quidem quatenus ambulatio in virtutem motricem ipſius tibiæ, quatenus verò talis ambulatio, ſcilic. defectuoſa, in curvitatem ipſius tibiæ, adeò ut neque Deus, neque virtus motrix, quæ eſt in muſculis & nervis, ſed ſola tibia quæ curva eſt, ſit cauſa claudicationis. Ita in peccato conſiderandum eſt, id nullo modo in Deum, qui cauſa efficiens eſt, & nullo modo deficiens referri debere, verum tantum in liberum hominis arbitrium, quod cauſa eſt deficiens, quemadmodum & peccatum ipſum eſt defectus.* F.I.Coq.

β Naturam Dei nuſquam, nulla ex parte poſſe deficere.] *In ſolum Deum non poteſt cadere defectus aut peccatum, & quia omnis creatura quatenus ex nihilo eſt, poteſt deficere, quemadmodum impoſſibile eſt creaturam aliquam non habere eſſe à Deo ex nihilo, ita impoſſibile eſt non poſſe ſuapte natura peccare, adeo ut impeccabilitas ſoli Deo ſit naturalis, nulli verò creaturæ naturalis eſſe poſſit. Ita docet D. Auguſtinus expreſſè lib. 3. contra Maximium c. 12.* Cuicumque creaturæ rationali præſtatur, ut peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ. Ac per hoc ſolus Deus habet immortalitatem, qui non cujuſque gratiæ, ſed natura ſua nec potuit, nec poteſt aliqua mutatione peccare. *Ita Gregorius Nazianzenus orat. in ſanctum Baptiſmum, omni peccati labe carere Dei eſſe ait prima & ſimplicis natura. Idem docet Ambroſius l. 3. de fide ad Gratianum c. 2. Hieronymus in c. 6. Epiſt. ad Galatas. Fulgentius l. de fide ad Petrum ca. 3. Gregorius l. 5. moral. c. 2. & l. 25. c. 5. Anſelmus l. 2. cur Deus homo, c. 10. & l. de caſu Diaboli cap. 4. & 5. Damaſcen. lib. 2. cap. 12.* μόνον τὸ θεῖον ἁμαρτίας ἐστὶν ἀνεπίδεκτον.

CAP. VIII.

De amore perverſo, quo voluntas ab incommutabili bono ad bonum commutabile deficit.

ITemque ſcio in quo fit mala voluntas, id in eo fieri: quod ſi nollet, non fieret: & ideo non neceſſarios, ſed voluntarios defectus juſta pœna conſequitur.

tur. *a* Deficitur enim non ad mala, ſed malè: id eſt, non ad malas naturas, ſed ideo malè; *a* quia contra ordinem naturarum ab eo quod ſummè eſt ad id quod minus eſt. Neque enim auri vitium eſt avaritia, ſed hominis perversè amantis aurum, juſtitia derelicta, quæ incomparabiliter auro debuit antéponi. Nec luxuria eſt vitium pulchrorum ſuaviumque corporum, ſed animæ perversè amantis corporeas voluptates: neglecta temperantia, qua rebus ſpiritaliter pulchrioribus & incorruptibiliter ſuavioribus coaptamur. Nec jactantia vitium eſt laudis humanæ, ſed animæ perversè amantis laudari ab hominibus, ſpreto teſtimonio conſcientiæ. Nec ſuperbia vitium eſt dantis poteſtatem, vel ipsius etiam poteſtatis, ſed animæ perversè amantis poteſtatem ſuam, potentioris juſtitia contempta. Ac per hoc qui perversè amat cuiuslibet naturæ bonum, etiam ſi adipiſcatur, ipſe fit in bono malus, & miſer meliore privatus.

F.L.Coq. *a* Deficitur enim non ad mala, ſed malè.] *Hoc eſt quod Plato dicebat, in actionibus non eſſe vitium, ſed in earum ratione ac qualitate.*

L.Vives. *a* Contra ordinem naturarum ab eo quod ſumme eſt.] *Peccator enim qui à Deo avertitur, conſtituit ſibi ultimum finem in creatura, & creatura ſeu bono commutabili Deum poſtponit, inde dicuntur in ſcriptura peccatores Deum contemnere, derelinquere, deſerere, 1.Reg.2.* Qui contemnunt me, erunt ignobiles. *Iſaiæ 1.* Ipſi autem ſpreverunt me. *Ibidem:* derelinquerunt Dominum. *Divus Chryſoſtomus hom.2. in Matth. avaros dicit recedentes à Deo rege mitiſſimo ſe huic ſæviſſimo Tyranno dedere. Deinde cùm peccator ſciat, ſe non poſſe ſimul adhærere Deo & bono commutabili, praelegit bonum ipſum creatum, in quo conquieſcat Deo poſthabito. An non qui propter parentem offendit Deum, pluris facit ipſum parentem, quàm ipſum Deum. Et certè D. Auguſtinus l.10. de Trinit. c.10. & l.83. quæſt. q.30. docet omnem perverſitatem, quæ etiam vitium vocatur, eſſe, fruendis uti velle, & utendis frui, & velle frui creatura tamquam ultimo fine, cùm ea deberet ſolum uti tamquam medio propter Deum, quo ſolum ut ultimo fine fruendum eſt. Addo avaritiam in ſcriptura rectè appellari,* Idolorum ſervitutem, *quod avarus omnia eò referat, ut congerat opes, Epheſ.5. & intemperatis Deus dicitur* venter. *Chryſoſtomus hom.13. in epiſt. ad Philip. ad ea verba,* quorum Deus venter eſt, Vides, *inquit,* quantum malum ſit delitiæ? Aliis quidem pecuniæ, aliis venter Deus eſt, non quidem eo ſenſu, quod avarus pecunias, aut guloſus ventrem Deum ſuum reputet, quemadmodum idololatra ſuum idolum, ſed quia ob auri vel ventris amorem Dei præcepta nihili facit, & potius in hoc ſervit nummo aut ventri, quàm Deo. *Itaque judicio quidem & cognitione non habet creaturam pro Deo ſuo & ultimo fine tanquam idololatra, habet tamen affectu & æſtimatione, eo ipſo quod mavult frui bono creato, quam Deo adhærere, ut ſibi per gratiam bonum eſt. Hoc ſenſu ergo dicit Auguſtinus deficere peccatorem ab eo, qui ſummè eſt, id eſt incommutabili bono, ad id quod minus eſt, quod eſt bonum creatum. Notandum & illud D. Baſilij in c.1. Iſaiæ ad ea verba,* Confundentur ab idolis ſuis, quæ ipſi voluerunt. Omnis voluptatum *(inquit)* aſſectator cuicumque

que

que tandem ſervierit eorum, quæ interdicta ſunt fieri, hoc ſibi demùm faciens velut idolum quoddam, retinet illud in templo prophano, in corde nimirum ſuo ſeſſitans ſemper cum eo per imaginationem præſens, & ſimilitudinem rei concupitæ ſecum circumferens, verbi gratia avidus, congerendarum opum, ubi theſaurus eſt, eò intendit cor, ut latriam exhibeat idolo ſuæ inexplebilis avaritiæ præſidi, helluo ventri deditus, cùm ſerviat concupiſcentiæ epularum deum ſibi præſtituit ventrem.

CAP. IX.

An ſancti Angeli quem habent creatorem, natura eundem habeant bona voluntatis autorem per ſpiritum ſanctum in eis charitate diffuſa.

CUm ergo malæ voluntatis efficiens naturalis, *a* vel, ſi dici poteſt, eſſentialis nulla ſit cauſa: ab ipſa quippe incipit ſpirituum mutabilium malum, quo minuitur atque depravatur naturæ bonum: nec talem voluntatem facit niſi defectio, qua deſeritur Deus: cuius defectionis etiam cauſa utique deficit, ſi dixerimus *α* nullam eſſe efficientem cauſam etiam voluntatis bonæ, cavendum eſt, ne voluntas bona bonorum angelorum non facta, ſed Deo coæterna eſſe credatur. Cùm enim ipſi facti ſint, quomodo illa non eſſe facta dicetur? Porro quia facta eſt, utrum cum ipſis facta eſt, an ſine illa fuerunt prius? Sed ſi cum ipſis, non dubium quod ab illo facta ſit, à quo & ipſi: *b β* ſimulque ut facti ſunt, ei à quo facti ſunt, amore cum quo facti ſunt, adhæſerunt. Eoque ſunt iſti ab illorum ſocietate diſcreti, quòd hi in eadem voluntate bona manſerunt, illi ab ea deficiendo mutati ſunt, mala ſcilicet voluntate: hoc ipſo quòd à bono defecerunt, à quo non defeciſſent, ſi utique voluiſſent. *γ* Si autem boni angeli fuerunt prius ſine bona voluntate, eamque in ſeipſis Deo non operante fecerunt: ergo meliores à ſeipſis, quàm ab illo facti ſunt? Abſit. Quid enim erant ſine bona voluntate, niſi mali? Aut ſi propterea non mali, quia nec mala voluntas eis inerat: neque enim ab ea, quam nondum cœperant habere, defecerant, certè nondum tales, nondum tam boni, quàm eſſe cum voluntate bona cœperunt. At ſi non potuerunt ſeipſos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit: profectò & bonam voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adjutorio creatoris, habere non poſſent. Et cùm id egit eorum voluntas bona, ut non ad ſeipſos, qui minus erant, ſed ad illum qui ſummè eſt, converterentur, eique adhærentes magis eſſent, eiusque participatione ſapienter, beateque viverent: quid aliud oſtenditur, niſi voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram: niſi ille, qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, *c* ex ſeipſo faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem? Nam & hoc diſcutiendum eſt, ſi boni angeli ipſi in ſe fecerunt voluntatem bonam, utrum aliqua eam, an nulla voluntate fecerunt? Si nulla, utique nec fecerunt. Si aliqua, utrum mala, an bona? Si mala, quomodo eſſe potuit mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? Si bona, jam ergo habebant. Et iſtam quis fecerat, ni-

Digitized by Google

ſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent: creavit, δ ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam? Unde ſine bona voluntate, hoc eſt, Dei amore, nunquam ſanctos angelos fuiſſe credendum eſt. Iſti autem qui cùm boni creati eſſent, tamen mali ſunt, mala propria voluntate, quam bona natura non fecit, niſi cùm à bono ſponte defecit, ut mali cauſa non ſit bonum, ſed defectus à bono: *d* ε aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi, qui in eadem perſtiterunt: aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus; ζ illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, η unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt: ſicut jam etiam in libro, quem ſequitur iſte, tractavimus. Confitendum igitur cum debita laude creatoris, non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verum etiam θ de ſanctis angelis poſſe dici, quòd charitas Dei diffuſa ſit in eis per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt eis: nec tantum hominum, ſed primitus, præcipueque angelorum bonum eſſe, quod ſcriptum eſt: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Hoc bonum, quibus commune eſt, habent & cum illo cui adhærent, & inter ſe ſocietatem ſanctam, & ſunt una civitas Dei, eademque vivum ſacrificium eius, vivumque templum eius. ι Cuius pars quæ conjungenda immortalibus angelis ex mortalibus hominibus congregatur, & nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui morte obierunt, *ex* ſecretis animarum receptaculis, ſedibusque requieſcit, eodem Deo creante, quemadmodum exorta ſit, ſicut de angelis dictum eſt, jam video eſſe dicendum. λ Ex uno quippe homine, quem primum Deus condidit, genus humanum ſumpſit exordium, ſecundum ſanctæ ſcripturæ fidem, quæ mirabilem autoritatem non immeritò habet in orbe terrarum: atque in omnibus gentibus, quas ſibi eſſe credituras inter cætera quæ dixit, vera divinitate prædixit.

L. Vi. *a* VEl ſi dici poteſt eſſentialis.] *Quaſi ens & eſſentiam habens.*

b Simulque ut facti ſunt, ei à quo facti ſunt, amore cum quo facti ſunt, adhæſerunt.] *Apertè fatetur, angelos omnes creatos eſſe in gratia gratum faciente. Quod idem ait lib. De correptione & grat. Antequam caderent, inquit, gratiam habuerunt. Conſentit & Hieronymus ſuper Oſee, qui dæmonas ſcribit in magna pinguedine ſpiritus ſancti creatos eſſe. Aliter ſentire idem Auguſtinus videtur de Geneſi ad literam, cùm angelicam naturam primo informem creatam dicit. Secuit ſe familia theologorum in duas, ceu factiones, & alij aſſenſi Petro Lombardo diſt. 5. libri ſecundi, & Alexandro Halen. & Bonaventuræ, in gratia creatos angelos negant. D. Thomas contrarias partes ducit. Ego nec inter tantos, nec de tanta re quid pronunciem, habeo. Auguſtinus certè pluribus in locis, verbiſque diſertioribus, in gratia conditos videtur affirmare, cui dictum illud Ezechielis creditur ſuffragari: Plenus ſapientia ad dæmonem loquitur, & perfectus decore in delicijs paradiſi Dei fuiſti.*

c Ex ſeipſo faceret implendo meliorem.] *Oſtendit copioſius illis refuſam gratiam, cùm ſe Deos parituros profeſſi ſunt, quod non video dubitari. Et fuit tanta illa gratia, ut firmos, certoſque de tanta fœlicitate redderet.*

*(d Aut

*(d Aut minorem acceperunt amoris divini gratiam.] *Si data eſt gratia angelis omnibus, reſpectus eſſet perſonarum, aliis majorem, aliis duntaxat ex eodem ordine minorem dare. Gradatim ergo diſtinctéq; data eſt gratia, non per ſingulos angelorum, ſed per ordines. Ut cùm ex eodem ordine alij præcipites abierint, ſteterint alij. nihilominus tamen parem acceperint utriq; gratiam.*)*

e Secretis animarum receptaculis.] *Non dubitat de earum gloria etiam ante judicium, ſed de loco gloriæ. Nam ubiq; poſſunt beatæ eſſe, cùm ubiq; ſit Deus, cuius fruitione ſiunt beatæ.*

α NUllam eſſe efficientem cauſam etiam voluntatis bonæ.] *Vult hoc capite oſtendere longè diſparem eſſe rationem voluntatis bonæ & malæ. ſi quidem in Angelis defectoribus nulla fuit cauſſa malæ voluntatis, at in Angelis bonis voluntatis bonæ Deum fuiſſe authorem.* P.L.Coſ.

β Simulque ut facti ſunt ei à quo facti ſunt amore cum quo facti ſunt adhæſerunt.] *Non de amore naturali, quo ferantur in Deum tanquam in authorem naturæ, & finem naturalem intelligit, ſed de amore ſupernaturali, quò Deum amabant, tanquam bonum ſupernaturale & objectum beatitudinis ſupernaturalis, quem noverant ab initio per fidem ſibi eſſe propoſitum, unde apertiſſimè vult Angelos ab initio fuiſſe creatos in gratia, quod dilucidè teſtatur hoc eodem cap. cùm dicit, ſimul in eis Deum condidiſſe naturam, & largitum eſſe gratiam, & non tantùm ad homines pertinere, verum etiam de Angelis dici poſſe, quod* Charitas Dei diffuſa ſit in eos per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis. *Amor enim ille, quo ab initio Deo adhæſerunt, non alius erat à charitate diffuſa in eis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis. Verùm de hac quæſtione fuſius tractavimus ſuperiore l. ad c.11. imò apertiſſimè docet omnes, cùm bonos, tum malos Angelos cum eodem amore eademq; gratia creatos, cùm ait bonos in eadem bona voluntate manſiſſe malos ab ea defeciſſe. In ea igitur bona voluntate, qua Deo adhærebant, fuerant creati. Neque verò ſi illa bona voluntas & charitas ab initio fuit in Angelis, ideo in eis erat naturalis, ſiquidem liberè infundebatur à Deo, neque reſultabat ex principiis naturæ inſtar proprietatis cujuſdam naturalis, neque conſequebatur ipſam naturam; & debemus concipere aliam actionem, qua Deus crearet naturam Angelicam, aliam verò qua infunderet charitatem, quemadmodum primo homini ab initio infuſa fuit juſtitia originalis, & ſcientia omnium rerum perfectiſſima, quæ tamen non erant illi naturalia, ſed gratuita dona.*

γ Si autem boni Angeli fuerint prius ſine bona voluntate.] Non eſt *(inq.)* exiſtimandum, Angelos bonos habere naturam à Deo, bonam autem voluntatem à ſeipſis: ſic enim meliores eſſent à ſeipſis quàm à ſuo auctore, quod valdè abſurdum eſt. *Eadem ſcribit ſerm.10. de verbis Dom.* Fecit (*inquit*) nos & homines & ſalvos. Nam ſi ille nos fecit homines, nos autem ipſi nos fecimus ſalvos, aliquid illo melius fecimus. Melior enim eſt ſalvus homo; quàm quilibet homo. Si ergo te Deus fecit hominem, & tu te feciſti bonum hominem, quod tu feciſti melius eſt, noli te extollere ſuper Deum, ſubde te Deo, adora, proſterne, confitere illi, qui fecit te, quia nemo recreat, niſi qui creat, nemo reficit, niſi qui fecit. *paulò poſt,* Deus eſt, qui operatur in vobis velle, & operari

Digitized by Google

rari bona voluntate, quia ut haberes bonam voluntatem, illius vocatio præceſſit. *In Enchirid. ad Laurentium c.32.* Præcedit voluntas hominis multa DEI dona, ſed non omnia: quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa. *Lib. de Spirit. & lit. c.3. l. de patient. c.24. dicit in nobis quidem poſſe eſſe voluntatem malam ſine inſtigatione alterius immundi ſpiritus; non tamen voluntatem bonam ſine adjutorio Spiritus ſancti. & c.25.* Voluntas bona, qua diligitur Deus, in homine non poteſt eſſe, niſi in quo Deus operatur & velle. Hæc igitur voluntas bona, id eſt, voluntas Deo fideliter ſubjecta, voluntas ſanctitate ſuperni ardoris accenſa, voluntas, quæ diligit Deum, & proximum propter Deum, charitas Dei eſt, quæ non diffunditur in cordibus noſtris, niſi per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. *Non minus verò in Angelis quàm in nobis bona voluntas erat à Deo, quodque mali defecerint à bona illa voluntate, occulto quidem judicio, juſtiſſimo tamen, Deus permiſit; quod verò boni perſtiterint, gratia Dei factum eſt, quæ & prævenit voluntatem ut velit, & volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit. Illud enim de Angelo perſiſtente in gratia, & beatitudinem adepto dici non minus poteſt quàm de homine per gratiam Dei à maſſa corruptionis ſeparato. Quid habes quod non acceperis, ſi autem acceperis, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Et non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. (Et quia hi potius, quam illi perſtiterunt, ex gratia prædeſtinationis æternæ factum eſt,) atque licet exclamare cum Apoſtolo: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut conſiliarius ejus fuit? quis prior dedit ei, & retribuetur? Hæc fuit hæreſis Pelagianorum ab Auguſtino fuſiſſimè & doctiſſimè impugnata. Volebant enim, à Deo quidem eſſe voluntatem ſeu liberum arbitrium, velle autem credere, & credere bonam illam voluntatem, de qua hic & locis citatis differit, eſſe à nobis ipſis, qua ratione certè aliquid in nobis ipſis melius eſſet quàm à Deo, quod abſurdum, imò blaſphemum eſt dicere: Non omninò tamen eandem rationem intelligit eſſe Auguſtinus de natura Angelica & de bona voluntate. Siquidem nullo modo concurrunt ad creationem naturæ ſuæ, verùm non infundit vel creat in eis bonam voluntatem, niſi accedente eorum conſenſu & propria diſpoſitione, ut eſt majorum Theologorum ſententia, primas partes tamen damus ipſi Deo: & in creatione non cooperatur natura ipſi Deo, in juſtificatione tamen ei cooperatur.*

δ Simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.] *Ex mente D. Auguſtini ſatis conſtat eum intelligere gratiam illam ſupernaturalem, quam Theologi vocant* Gratum facientem, *quæ eſt donum ſupernaturale, & habitus infuſus homini conferens eſſe quoddam ſupernaturale & divinum, qua efficitu filius Dei adoptivus: unde non mihi placet eorum ſententia, qui cum nolint Angelos eſſe creatos in gratia, nec tamen videri velint contrarij Auguſtini doctrinæ, ita eum interpretantur, ut amor ipſe naturalis prout erat innocens & purus, quo omnes Angeli in inſtanti ſuæ creationis Deum dilexerunt, quædam gratia dici poſſit*; Et amor, *inquit*, ille erat quædam inclinatio naturalis, qua in Deum tenderent, quæ licet naturam conſequeretur, ſicut gravitas naturam lapidis, quia tamen erat

quid

quid additum naturæ, poterat dici quædam gratia. *Hæc interpretatio facile refellitur. primò quia gratia apud Patres, & potiſſimum Auguſtinum, non intelligitur inclinatio aliqua naturalis ſequens ipſam naturam, ſed vel auxilium Dei ſpeciale, indebitum, vel donum aliquod divinum & ſupernaturale, quo formaliter quis juſtus & filius Dei efficitur. Deinde quia quod nunc dicit, Deum ſimul in Angelis condidiſſe naturam, & largitum eſſe gratiam, id eſt, quod prius dixerat Angelos factos eſſe cum bona voluntate, & eam bonam voluntatem à mala diſtinguit, quia hæc ſit à nobis, illa à Deo, & per hanc illa deſtruatur, at per malam voluntatem ſeu peccatum non deſtruitur natura, neque amor ille naturalis, quo creatura in Deum fertur naturaliter tanquam in authorem naturæ. Ergo per bonam voluntatem non inclinatio quædam naturalis, ſed ſupernaturalis intelligenda eſt, adeoq; per gratiam intelligendum donum aliquod infuſum ſupernaturale. Tertiò bona illa voluntas non remanſit in Angelis malis; Ab ea enim, inquit, deficiendo mutati ſunt ſc. mala voluntate; verùm in Angelis naturalia remanſerunt teſte Dionyſio; nomine ergo gratiæ vel bonæ voluntatis non aliqua naturalis inclinatio accipienda eſt. Quartò contendit, ſine bona voluntate, hoc eſt Dei amore nunquam fuiſſe ſanctos Angelos credendum eſſe; quid verò contentione opus eſſet in aſſerendo eos ab initio fuiſſe cum amore quodam naturali, quo in Deum tanquam in authorem naturæ ferrentur? quid verò magnum Angelis concederet præter naturam ipſam?*

ε Aut minorem acceperunt amoris divini gratiam.] *Si ex omnibus ordinibus Angelorum aliqui ceciderunt, ut eſt ferè communis opinio, & docet D. Thom. 1. p. q. 63. art. 9. ad 2. Angeli autem conſecuti ſunt gratiam ab initio ſecundùm quantitatem ſuorum naturalium, quemadmodum idem docet q. 62. art. 6. ut perfectioribus Angelis in natura perfectior etiam gratia collata fuerit, certum erit quoſdam ex his qui ceciderunt, majorem habuiſſe gratiam, quàm nonnulli ex his qui ſteterunt, quamvis alioquin ſtetiſſe novum ſit beneficium iſtis collatum, quod aliis non eſt conceſſum, neq; contrarium aſſerit Auguſtinus. Verùm præterea eſt, Angelis malis cadentibus bonos toto affectu converſos fuiſſe in Deum, adeoq; conſecutos fuiſſe longè majorem gratiam & abundantiorem ea, quam antea habuerant, & etiam majorem gloriam ei reſpondentem.*

ζ Illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem.] *Ea ratione intelligitur majus beneficium gratiæ collatum Angelis bonis quàm malis. Etſi enim gratiam æqualem habitualem ab initio ſunt conſecuti, ita tamen efficax fuit motio divina, & auxilium Dei ſpeciale in Angelis ſanctis, ut in Deum toti converterentur, perſiſterent in bono, & beatitudinem tandem aſſequerentur, non ex vi libertatis arbitrij certè factum eſt, ut ita differenter afficerentur, & quod gratia fuerit efficax in his & non in iſtis, Deo maximè tribuendum, & ex duobus hominibus æqualiter affectis ſi unus ſalvetur, alius verò damnetur, intelligò ſemper majus auxilium gratiæ collatum ei, qui ſit ſalvus, idq; cum Auguſtino hoc loco & paſſim ubi de hac materia diſputat; neq; totum id refero in libertatem arbitrij, quod unus velit conſentire, vel reſpondere gratiæ; alius non. Facit enim etiam ut velimus & conſentiamus, neque infallibilem iſtam noſtram conſenſionem puto tantùm ex infallibili præſcientia*

De i

Dei, imo ſi per impoſſibile ſecludamus omnem præſcientiam Dei, ipſa gratia ex ſe infallibiliter movet hominem, vel etiam Angelum, ut licet non neceſſitate coactionis, neceſſitate tamen immutabilitatis efficax ex ſe ſit, & gratia Dei magis in uno quàm in altero, & quod unus convertatur, alius non, quod uni detur auxilium efficax, in alio ſit quidem ſufficiens, minimè tamen conſequatur ſuum effectum, myſterium eſſe ubiq; docet Auguſtinus, at ſi poſita æquali gratia quo unus converteretur, alius non, id ex ſolo conſenſu vel diſſenſu liberi arbitrij penderet, nullum certè myſterium ineſſe mihi videretur. Neq; hic reddit Auguſtinus cauſam, cur ex Angelis alij ſalvati fuerint, alij minimè, quod hos Deus præſcierit ſalvandos, vel cooperaturos ſuæ gratiæ, alios minimè cooperaturos, ſed quia qui ſalvati ſunt, vel majorem acceperunt divini amoris gratiam, vel certè ſi æqualiter boni creati ſint, id eſt inæquali gratia, illi amplius adjuti fuêre, adeò ut negotium ſalutis Angelorum bonorum in majus auxilium gratiæ referat, ut quod alij cadant & non reſpondeant gratiæ divinæ, eiq; non cooperentur, id quidem adſcribendum ſit libero eorum arbitrio; quòd verò in aliis gratia ſit efficax, adeoq; illi cooperentur, ipſi Deo potiſſimum tribuendum ſit.

η Unde ſe nunquam caſuros.] *Idem ſcribit in Enchirid. ad Laurentium c. 28.* Eo qui diabolus factus eſt, cum ſociis impietatis elato, & ipſa cum eis electione proſtrato cæteri piæ obedientiæ Domino cohæſerunt, accipientes etiam quod illi non habuerunt certam ſcientiam, qua eſſent de ſua ſempiterna, & nunquam caſura ſtabilitate ſecuri. *Docet idem c. 29. & l. ſuperio. ad c. 13. egimus ea de re.*

θ De ſanctis Angelis dici poſſe, quod charitas Dei diffuſa ſit in eis.] *Quod ab initio adhæſerint Deo, id factum eſſe docet per charitatem diffuſam in eis, at charitas eadem, quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in nobis,* diffuſa eſt *(inquit)* in Angelis; *hanc autem charitatem quis dubitat eſſe donum aliquod ſupernaturale & divinum? Neque in ſcriptura ſacra vel apud Patres perfectiones naturæ unquam videmus attribui Spiritui ſancto; Neque D. Paulus id intellexit de dono aliquo vel perfectione naturali. Vel enim charitas eſt ipſa gratia divina, vel certè nunquam eſſe poteſt ſejuncta à gratia.*

ι Cujus pars quæ conjungenda immortalibus animis ex mortalibus.] *In quemlibet ordinem Angelorum veroſimile eſt aſſumendos eſſe quoſdam homines ad inſtaurandas eorum ruinas. In Enchirid. ad Laurentium cap. 29.* Alia verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque ſuppliciis & originalibus, & propriis tota perierat, ex ejus parte reparata, quod Angelicæ ſocietati ruina illa diabolica minuerat, ſuppleret. Hoc enim promiſſum eſt reſurgentibus ſanctis, quod erunt æquales angelis Dei. Itaque ſuperna illa Hieruſalem, mater noſtra, civitas Dei, nulla civium ſuorum numeroſitate fraudabitur, ſed uberiore etiam copia fortaſſe regnabit. *quod dictum eſt, quia fortaſſe plures homines ſalvabuntur quàm Angeli ceciderunt, quod indicat ſequentibus verbis.* Neque enim numerum aut ſanctorum hominum, aut immundorum dæmonum novimus, in quorum locum ſuccedentes filii ſanctæ matris

matris Eccleſiæ, quæ ſterilis apparebat in terris, in ea pace, ϑ qua illi ceciderunt, ſine ullo temporis termino permanebunt; *Non tamen exiſtimandum eſt occaſione ruinæ Angelorum homines tantùm prædeſtinatos ad gloriam, ita ut ſi non prævidiſſet Deus ab æterno caſum Angelorum, homines nullos prædeſtinaſſet. Per ſe enim & primum intenta fuit à Deo & ordinata prædeſtinatio omnium ſanctorum tam Angelorum quàm hominum, neq; homines ſuffecti ſunt in locum Angelorum, qui ceciderunt, immò in locum ſuum illis à Deo ab æterno prædeſtinatum & ordinatum; verùm quia ceciderunt Angeli ex quolibet ordine, & homines in quemlibet ordinem Angelorum ſunt aſſumendi, ideò dicuntur implere ruinas Angelorum, & in locum Angelorum aſſumi.*

κ Secretis animarum receptaculis.] *In Enchirid. ad Laurentium c. 18. vocat* abdita animarum receptacula, *ubi non de ſtatu animæ beatæ poſt mortem dubitavit Auguſtinus, ſed fortaſſe de loco, ubi fruitur ipſa beatitudine uſq; ad diem judicij. nam loco citato ita ſcribit:* Tempus quod inter hominis mortem & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas ſubditis receptaculis continet.

λ Ex uno quippe homine.] *Id conſtat ex Geneſi, Act. 20.* Fecitque ex uno omne hominum genus inhabitare ſuper terram. *Lactant. l. 6. c. 10.* Si ab uno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certè conſanguinei ſumus: & ideo maximum ſcelus putandum eſt odiſſe hominem vel nocentem. *Idem lib. 7. c. 4. & D. Auguſtinus l. 1. de morib. Eccleſ. Cathol. c. 30. apoſtrophe ad Eccleſiam utens,* Tu cives civibus, gentes gentibus, & prorſus hominibus homines primorum parentum recordatione, non ſocietate tantùm, ſed quadam etiam fraternitate conjunges.

CAP. X.

De falſitate eius hiſtoriæ, quæ multa millia annorum præteritis temporibus adſcribit.

OMittamus *a* igitur conjecturas hominum neſcientium quid loquantur de natura vel inſtitutione generis humani. Alii nanque ſicut de ipſo mundo crediderunt, ſemper fuiſſe homines opinantur. Unde & Apuleius, cùm hoc animantium genus deſcriberet: *a* Sigillatim, inquit, mortales, cunctim * tamen univerſo genere perpetui. *b* β Et cùm illis dictum fuerit, ſi ſemper humanum genus fuit, quonam modo verum eorum loquatur hiſtoria, narrans qui fuerint, quarumque rerum inventores, qui primi liberalium diſciplinarum aliarumque artium inſtitutores, vel à quibus primùm illa vel illa regio parsq; terrarum illa atque illa inſula incoli cœperit. γ Reſpondent diluviis & conflagrationibus per certa * intervalla temporum, non quidem omnia, ſed plurima terrarum ita vaſtari, ut redigantur homines ad exiguam paucitatem: ex quorum progenie rurſus multitudo priſtina reparetur: ac ſic identidem reparari & inſtitui, quaſi prima cùm reſtituantur potius quæ fuerant illis nimiis vaſtationibus interrupta & extincta, cæterum hominem niſi ex homine exiſtere omnino

al. cuncti

al. incerta.

omnino non poſſe. Dicunt autem quod putant, non quod ſciunt. *δ* Fallunt etiam eos quædam mendaciſſimæ literæ, quas perhibent in hiſtoria temporum multa annorum milia continere. Cùm ex literis ſacris ab inſtitutione hominis *c* nondum completa annorum ſex milia computemus. Unde ne multa diſputem, quemadmodum illarum literarum, in quibus longè plura annorum milia referuntur, vanitas refellatur: & nulla in illis rei huius idonea reperiatur autoritas, *d ε* illa epiſtola Alexandri Magni ad Olympiadem matrem ſuam, quam ſcripſit, narrationem cuiuſdam Ægyptii ſacerdotis inſinuans, quam protulit ex literis, quæ ſacræ apud illos haberentur: continet etiam regna, quæ Græca quoque novit hiſtoria. *e ζ* In quibus regnum Aſſyriorum in eadem epiſtola Alexandri quinque milia excedit annnorum. *η* In Græca verò hiſtoria, mille fermè & trecentos habet ab ipſius Beli principatu: quem regem & ille Ægyptius in eiuſdem regni ponit exordio. Perſarum autem & Macedonum imperium, uſque ad ipſum Alexandrum cui loquebatur, plus quàm octo milium * annorum ille conſtituit, *θ* cùm apud Græcos Macedonum uſque ad mortem Alexandri quadringenti octoginta quinque reperiantur anni: Perſarum verò donec ipſius Alexandri victoria finiretur, ducenti & triginta tres computentur. Longè itaque hi numeri annorum illis Ægyptiis ſunt minores: nec eis etiam ſi ter tantùm computarentur, æquarentur. *f* Perhibentur enim Ægyptii quondam tam breves annos habuiſſe, ut quaternis menſibus finirentur. Unde annus plenior & verior, qualis nunc & nobis & illis eſt, tres eorum annos complectebatur antiquos. Sed ne ſic quidem, ut dixi, Græca Ægyptiæ numero temporum concordat hiſtoria. Et ideò Græcæ potius fides habenda eſt: quia veritatem non excedit annorum, qui literis noſtris, quæ verè ſacræ ſunt, continentur. Porrò ſi hæc epiſtola Alexandri, quæ maximè innotuit, multum abhorret in ſpatiis temporum à probabili fide rerum: quanto minus credendum eſt illis literis, quas plenas fabuloſis velut antiquitatibus proferre voluerunt contra autoritatem notiſſimorum divinorumque librorum, quæ totum orbem ſibi crediturum eſſe prædixit, & cui totus orbis, ſicut ab ea prædictum eſt, credidit: quæ vera ſe narraſſe præterita, ex his quæ futura prænuntiavit, cùm tanta veritate implentur, oſtendit.

al. milia.

L. Viv. *a* Sigillatim, inquit, mortales, cuncti tamen univerſo genere.] *Legendum, cunctim. Et ſic apud eum libello De Socratis deo: adverbium eſt à cunctus ſicut à ſinguli ſigillatim: multitudinem totam ſimul capit: ut in 2. Florid. Non ſingulatim, at diſcretim, ſed cunctim & concertatim.*

b Et cùm illis dictum fuerit, ſi ſemper humanum genus fuit.] *Argumentum hoc multis verbis perſequitur Macrobius in Somnium Scipionis: quod eo modo quo Auguſtin. recenſet, depellere ſe putat: atq; huic reſponſioni originem dediſſe videtur Plato, qui in Timæi initio collocutionem Solonis & Ægyptij ſacerdotis referre faciens Critiam, ait, ea quæ multis annis anteà fuerunt, ignorari ab hominibus, quòd in novas regiones tranſeant, prioribus qui illas incolebant, incendiis, aut illuvionibus partim pulſis, partim abſumptis: quas humani generis pernicies, certis evenire tempori-*

temporibus neceſſe eſt. Quam reſponſionem confutare non eſt difficile. Nam cùm univerſalis terrarum, vel conflagratio, vel aquarum demerſio contingere non queat, ut Ariſtoteles in libris Meteororum docet, profectò reliquiæ nominis vetuſtiſſimorum hominum unius gentis ſaltem apud aliam ſervata eſſent incolumes: atq; in hunc modum ad nos perducta, quod Ariſtoteles, ut eſt in præcipiendo vafer, ſemper ſui memor, ſibiq; conſtans, libro Primæ philoſophiæ duodecimo, reliquias antiquiſſimæ illius philoſophiæ manere adhuc dicit. Cur igitur nulla eſt memoria rerum, tribus ante memoriam tuam annorum millibus?

c Nondum completa annorum ſex milia.] *Euſebius, quem in digeſtione temporum Auguſtinus ſequitur, à condito mundo, ad Romam à Gotthis captam, quinquies mille ſexcentos undecim annos computat, idq; ex ſupputatione Septuaginta interpretum. Nam ex Hebræa Beda uſq; ad principatum Honorij & Theodoſij junioris, quo tempore urbem ceperunt Gotthi, quater mille trecentos ſeptuaginta ſeptem annos ponit. De hac annorum diſcrepantia loquar in ſequentibus libris.*

d Illa epiſtola Alexandri Magni.] *Libro octavo meminimus.*

e In quibus regnum Aſſyriorum.] *De his regnis lib. 18. commodius. in numerandis tamen annis mira apud veteres libertas, & liberalitas. Plin. lib. 11. ex Eudoxo, Zoroaſtrem tradit ſex milibus annorum ante Platonis mortem fuiſſe: cui Ariſtoteles eſt aſſenſus, Hermippus quinq; milibus annorum ante bellum Trojanum tradit Zoroaſtrem fuiſſe. Chaldæos ſcribit Cicero 1. De divin. ccccl xx. M. ann. ut ipſi dicunt, monumentis comprehenſa continere. Idem ferè Diodorus lib. 3. refert, Chaldæos, ex quo aſtra obſervant, uſq; ad Alexandrum quadraginta tria annorum millia chronicis numerare.*

f Perhibentur enim Ægyptij quondam.] *Et hi non pauca de annis ſuis mentiti. Plato ex narratione Ægyptij ſacerdotis res geſtas Sais Ægyptiis octo millia annorum literis eſſe mandatas inquit: Atticas verò Athenas mille annis ante Ægyptias illas Saias eſſe conditas. Diogenes Laertius Nili Ægyptij filium Vulcanum fuiſſe ſcribit, ab eo ad Alexandrum Macedonem interceſſiſſe annorum quadragintaocto millia octingentos ſexagintatres. Quo toto tempore ſolis defectus contigerunt trecenti & ſeptuagintatres: Lunæ verò octingenti trigintaduo. Mela modeſtius eſt mentitus. Sic enim ait de Ægyptiis: Ipſi vetuſtiſſimi, ut prædicant, hominum, trecentos triginta reges ante Amaſim, & ſupra tredecim milium annorum ætates, certis annalibus referunt. Sed hoc quod ſequitur deerat mendacio: mandatumq; literis ſervant, dum Ægyptij ſunt, quater curſus ſuos vertiſſe ſydera, ac ſolem bis jam occidiſſe, unde nunc oritur. Diodorus quoq; lib. 1. inter Oſirim & Iſim Alexandrumq; Macedonem, qui ibi Alexandriam condidit, ab aliis annorum decem millia, ab aliis tria & viginti millia numerari ſcribit, nonnulloſq; fabulari deos primùm & heroas, in Ægypto paulò minꝰ decem & octo milia regnaſſe annos, deorumq; poſtremũ Orum Iſidis regno potitum: homines verò paulò minꝰ annorum quindena milia, uſq; ad cẽteſimam octuageſimã Olympiadem, quo tempore in Ægypto regnavit primus Ptolemæus. Sed vanitas & jactantia Ægypti fuit incredibilis. Cumq; ſtudent ſe primos mortalium omnium videri, annos innumeros comminiſcuntur. Quæ cauſa fuit*

Digitized by Google

multis, in originibus mundi, & falli, & fallere ſcriptis ſuis alios. Nam Cicero innumerabilia ſecula tribuit Aegypto, ſecutus Platonem. Eandem ſamam ſecutus eſt Ariſtoteles ſeptimo De repub.

g Perhibentur enim Ægyptii quondam.] *Plinius libro ſeptimo annum menſtruum Aegyptiis fuiſſe ait, ſic ſcribens: Annum alij unum æſtate determinabant, & alterum hyeme: alij quadripertitis temporibus, ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuêre: quidam lunæ ſenio, ut Aegyptij. Itaque apud eos aliqui & ſingula milia annorum vixiſſe produntur. Hæc ille Cenſorinus in die natali, in Aegypto quidem, antiquiſſimum, inquit, ferunt annum bimeſtrem fuiſſe. Poſt deinde à Piſone rege quadrimeſtrem factum, noviſſimò ad tredecim menſes & dies quinq; produxiſſe. Diodorus narrat, cùm traditum à veteribus eſſet, regnaſſe priſcos illos reges, deosq; mille & ducentis annis ſingulos, fidemq; ſumma non admitteret, pro certo habitum eſſe à plerisq; curſus lunares ſolaribus nondum plenè inventis, annos confeciſſe. Ita mirabiles non erunt veteres fabulæ, alios quatuor anni temporibus, quatuor annos definiſſe, ſicut à nonnullis eſt Græcis factitatum. Idem autor, Chaldæos annos menſtruos olim fuiſſe perhibet. Sed ut ego conjecturam quoq; meam de tanto annorum apud gentes illas numero non celem, exiſtimo homines motibus cœlorum, ſyderumq; deditiſſimos uniuscuiusq; erronis aſtri converſionem pro anno computaſſe, ita, ut in triginta annis ſolaribus ſit unus Saturni, quinq; Jovis, ſex Martis, plures triginta Mercurij & Veneris, Lunares ferè quadringenti. Ita ſunt plus minus quingentis.*

R.L.Coq. α Mittamus igitur conjecturas.] *Qui enim de conditione & initio mundi loquuntur, vel etiam exortu generis humani non adjuti ſacris literis, conjecturis certè tantùm agunt, & neceſſe eſt ut in multos errores labantur. Unde Baſilius Hom. 1. in Hexam.* Prophanorum hominum alii naturam humanam æternam aſſeruerunt, alii primùm in Attica natos fuiſſe homines, alii in Arcadia, alii in Ægypto. *Theodoret. lib. 5. θεραπευτ. aliis* præterea in provinciis & urbibus incredibilis eſt quædam de primatu originis jactantia & ambitio. *Apud Iuſtinum l. 2. Ægyptij & Scythæ contendunt de gentis antiquitate, & utriq; apud ſe primum homines natos affirmant. Ægyptij tredecim millium annorum hiſtoriam ſe literis comprehenſam habere finxerunt, & barbara quædam nomina excogitaverunt. Alij, ut Indi (ut ex ipſorum Chronicis profert Corzas Hebræus authore Genebrardo) Adami patrem & præceptorem etiam nominarunt.*

β Et cùm illis dictum fuerit.] *Præter authoritates ſcripturæ ſacræ, ex quibus apertè conſtat mundum in tempore à Deo conditum, hoc argumentum & ſi morale ſit, vires tamen habet non exiguas, quod ex artium inventione ſumitur, cujus meminit hoc loco. Si enim mundus eſt æternus, & homines ſemper fuerint, ut illi ſentiunt, cur artes etiam ante ab omni æternitate, aut ſaltem ante centena millia annorum non extiterunt? Illi enim authores, qui mundum faciunt æternum, quo tempore quæq; ars inventa fuerit tradiderunt. Hoc argumentum eſt efficaciſſimum. Plato & Ariſtoteles ſubolfecêre, proindeq; illud ipſum diſſolvere conati ſunt. Ajunt enim, prout videre eſt in Timæo & in 1. μετεωρ. c. ult. mundum certis quibuſdam*

cæli

cœli converſionibus omnino perire, certiſq; temporum intervallis ita extingui memoriam antiquitatis, ut quamvis artes multis ante ſæculis inventæ fuerint, opus tamen ſit ut ipſæ de integro inveniantur. Verùm hæc converſio futilis eſt omnino & inanis. Illud enim quod aſſumunt primo, omnino falſum eſt, ſc. certis quibuſdam temporibus propter aſtrorum concurſum penitus mundum interire. Deinde verò ipſimet Plato & Ariſtoteles non modo fatentur, verum etiam confirmant, Aegyptum propter montium altitudinem nunquam vel illuvionibus, vel incendio periiſſe, quemadmodum reliquæ univerſi partes ab iisdem illis periiſſe ponuntur; Cur ergo ſaltem Aegyptij artes non invenerunt, & ante multa ſæcula veluti per manus reliquis tradiderunt? Conſtat enim, qui quæ ætate artium inventores exſtiterunt, ut legere eſt apud Athanaſium orat. contr. Idola. Clementem Alexandrinum l.1. ϛρωμ. Ioſephum 1. Antiq. c. 2. Heliodorum l.2. Strabonem ultimo ſuæ Geographiæ, Plinium l.7. natur. hiſtor. c.56. Polydorum l. de inventio. rerum. Diodorum l. Antiquit. c.2. Non eſt autem probabile infinita antecedentium annorum ſerie abſque artibus vixiſſe genus humanum, quod teſte Ariſtotele 1. Metaphyſ. arte vivit & ratione.

γ Reſpondent diluviis & conflagrationibus.] *Lege Senecam l.5. natur. q. c. 27. & 29. & Tullium l.2. de natur. deor. Certè hæc reſponſio minimè ſatisfacit argumento. Etſi enim provinciales cataclyſmi exſtiterint, ut Niliaca, Attica, Theſſalica, licet etiam excitato interdum in materia ſulphurea ſubterraneis locis incendio, aliqui terrarum tractus perierint, fictitium tamen eſt exiſtimare ullam eſſe in natura vim, quæ toti terræ inundationem aut incendium poſſit invehere, ut lib.1. μετεω. c.14. obſervat Ariſtot.*

δ Fallunt etiam eos quædam mendaciſſimæ literæ.] Chaldæi, *ut refert Cicer. l.1. de divin. & Lactant. l.7. c.14.* quadringenta ſeptuaginta millia annorum monimentis comprehenſa ſe habere delirant; in quo *(ait eleganter Lactantius)* qui ſe poſſe argui non putabant, liberum ſibi eſſe crediderunt mentiri. Plato etiam & multi alii Philoſophi *(ait ibidem Lactantius)* cùm ignorarent originem rerum, ſupremumque illud tempus, quo mundus eſſet effectus, multa millia ſæculorum fluxiſſe dixerunt, ex quo hic pulcherrimus mundi hujus extiterit ornatus, *ubi certè alludit ad locum Platonis in Timæo, ubi inducit ſacerdotem Aegyptium cum Solone colloquentem qui inter cætera ait, Athenas Græcorum, & Sain Aegyptiorum urbem ab eadem Pallade conditas, illam novem, hanc octo annorum millibus ante ſua tempora. Mirum quo modo Plato inſeruerit illi Dialogo, in quo præclariſſimam omnium de mundo diſputationem agitabat, hujuſmodi fabulas, cùm non potuerit ignorare, id quod à multis Græcis ſcriptoribus erat literis proditum, Cecropem fuiſſe primum Athenarum conditorem, qui Solonis ætatem vix mille annis anteceſſit. Teſtantur Laertius, Diodorus, Pomponius Mela, à prima origine ſua finxiſſe Aegyptios, quater ſuos curſus vertiſſe ſidera, & bis ſolem occidiſſe, unde nunc oritur, Regeſq; Aegyptiorum partim ex Diis, partim ex hominibus uſq; ad noviſſimum Regem Ptolemæum patrem Cleopatræ ſupra ſeptuaginta annorum millia regnaſſe in Aegypto; poſtquam autem ſiderum rationem compre-*

Digitized by Google

bendit Aegyptus, amplius quàm centum annorum millia numerari. Plin. l.35. cap.13. refert Aegyptios gloriari ſolitos, artem pingendi ſex millibus annorum floruiſſe in Aegypto, priuſquam ea in Græciam tranſiret. Fabulæ etiam loco habendum eſt, quod narrat Plin. l.6. eſſe proditum monimentis Indorum à Libero patre, qui primus in Indiam arma intulit, ad Alexandrum magnum fuiſſe reges Indorum centum quinquaginta tres per annos ſex mille quadringentos & duos, additis præterea tribus menſibus.

ε Illa Epiſtola Alexandri Magni ad matrem ſuam.] *Illius meminit ſupra l. 8. cap. 5.*

ζ In quibus regnum Aſſyriorum in eadem Epiſtola.] *Fabulæ loco habendum eſt, ut reliqua figmenta Aegypti; ſi quidem conſtat vel ab ipſo mundi exordio ad Alexandrum Magnum minus quàm 3000. & 800. annos præteriiſſe.*

η In Græca verò hiſtoria mille ferme & trecentis.] *Quamdiu ſteterit Aſſyriorum monarchia, non ſatis convenit inter ſcriptores tum prophanos, tum etiam Eccleſiaſticos. Ioſephus lib. 1. Antiquitat. tradit vivente Abrahamo penes Aſſyrios fuiſſe Aſiæ Imperium, & idem li.10. ſcribit, regnum Aſſyriorum circa Regis Ezechiæ tempora fuiſſe everſum. Si quis autem ab ortu Abrahæ ad primordia uſq; regni Ezechiæ ſacram Chronologiam temporum recenſeat, annos comperiet mille ducentos & ſeptuaginta quinq;, quibus ſi addantur quadragintaduo anni Nini Regis ante ortum Abrahæ (conſentiunt quippe fere omnes, Abrahamum natum eſſe anno quadrageſimo ſecundo Imperij Nini) colliget ex Ioſephi ſententia, Aſſyriorum monarchiam ſtetiſſe annis mille trecentis & decem ac ſeptem. Sed idem li. 10. ſcribit, Ioathan in Iudæa regnante Nahum prophetaſſe excidium Aſſyriorum, idq; eveniſſe poſt id tempus annis centum quindecim, quò fit ut ſteterit illud imperium annis circiter mille trecentis quinquaginta. Hæc omnia obſervavit Pererius l. 15. in Geneſ. ad c.10. Diſput.7. Herodotus l.1. ſcribit Aſſyrios, Imperio Aſiæ per quingentos annos eſſe potitos. Diodorus Siculus l.5. aſſignat annos mille trecentos & ſexaginta. Paterculus l.1. Imperio Aſſyriorum attribuit mille ſeptuaginta annos, Iuſtinus l.1. mille trecentos. Euſebius, quem ſequitur Auguſtinus, Hieronymus, Cyrillus, Iſidorus, Beda durationem Imperij Aſſyriorum mille ducentis & quadraginta annis definierunt. Oroſius l. 2. c. 3. huic imperio attribuit annos mille centum & ſeptuaginta quatuor.*

θ Cùm apud Græcos Macedonum uſque ad mortem Alexandri.] *Iuſtinus l.33. ſcribit Macedoniam à Carrano, qui primus in ea regnavit, uſq; ad Perſeum triginta Reges habuiſſe, & ſub regno eorum fuiſſe annis nongentis, & 23. rerum tamen ſumma potitam fuiſſe nonniſi centum, & 92. annis. Certè ab Alexandro Magno Perſeus ſeptimus regnavit in Macedonia circa tempora Oziæ Regis Iudæ, qui & Azarias dictus eſt, cœpit regnum Macedonum per Carranum 16. ab Hercule, à quo Alexander Magnus fuit decimus ſeptimus. Ita Genebrardus in Chronolog. ex Velleio l.1. & Solino c.13. A Carrano ad Machabæos uſque vult duraſſe annis circiter ſexcentis. Alij à Carrano ad mortem Alexandri Magni colligunt annos circiter quadringentos nonaginta.*

ι Per-

… Perſarum verò ducenti & triginta tres.] *De numero annorum Imperii Perſici variant auctores. Dionyſius Halicarnaſſeus l.1. non ultra ducentos annos ſtetiſſe Perſarum Imperium ſcribit. Darius apud Q. Curtium l. 4. militari more ſuos ad dimicandum cohortans Perſarum Imperium ſecundo curſu per ducentos triginta annos ad ſummum faſtigium à Diis evectum fuiſſe prædicat. Cui conſentiens Div. Hieronymus ad c.9. Danielis continua quatuordecim Regum ſerie regnatum in Perſide per ducentos triginta annos notat. Strabo l.15. permixtis Perſarum Macedonumq; temporibus Imperij illius annos paulo longius profert. Clemens Alexandrinus l.1. ςρωμα. colligit annos regni Perſarum ducentos triginta quinque. Sulpitius Severus lib. 2. ſacræ hiſtor. annos ducentos & quinquaginta. Georgius Cedrenus in ſuis Annalibus non niſi ducentos quatuordecim annos Perſarum Imperio adſcribit. Agathias l.2. annos ducentos octodecim Perſarum Monarchiæ tribuit.*

CAP. XI.

De his, qui hunc quidem mundum non ſempiternum putant, ſed aut innumerabiles, aut eundem unum certa concluſione ſeculorum ſemper naſci & reſolvi, opinantur.

Alii verò α qui mundum iſtum non exiſtimant ſempiternum: a β ſive non eum ſolum, ſed innumerabiles opinantur: b ſive ſolum quidem eſſe, ſed certis ſeculorum intervallis innumerabiliter oriri & occidere, neceſſe eſt fateantur hominum genus prius ſine hominibus gignentibus extitiſſe. c Neque enim ut alluvionibus incendiisque terrarum, quas illi non putant toto prorſus orbe contingere: & ideo paucos homines ex quibus reparetur multitudo priſtina, ſemper remanere contendunt: ita & hi poſſunt putare, quod aliqui hominum pereunte mundo relinquantur in mundo, ſed ſicut ipſum mundum ex materia ſua renaſci exiſtimant, ita in illo * ex elementis eius genus humanum, ac deinde à parentibus progeniem pullulare mortalium ſicut aliorum animalium. *al. mundo.*

a Sive non eum ſolum.] *Dixi hoc eſſe opinionis Democriti & Epicuri.* *L.Vives*

b Sive ſolum quidem.] *Ut Heraclitus, Hippaſus, & Stoici, qui conflagratione periturum arbitrabantur mundum: qui cùm deflagrarit, denuò condetur.*

c Neque enim ut alluvionibus.] *Plato & Ariſtoteles negant univerſale ſive incendium, ſive diluvium contingere unquam poſſe. Stoici verò eventurum putabant, ſicut inquit Cicero, ut ad extremum omnis mundus igneſceret, cùm humore conſumpto neq; terra ali poſſet, neq; remeare aer: cuius ortus, aqua omnis exhauſta eſſe non poſſet. Itaq; Plato & Ariſt. aliquos ſemper homines in perpetuitatem mundi relinquebant ad ſemen: alij cuncta abſumebant, ut nova procrearentur.*

α Qui mundum iſtum non exiſtimant ſempiternum.] *Omnes Philoſophi ante Ariſtotelem, ut ipſemet teſtatur l.1. de cœlo c.10. vide Lactant. libro ſecundo cap.9.* *F.L.Coq.*

β Sive

β Sive non eum ſolum, ſed innumerabiles.] *An unus tantum ſit mundus, vel etiam plures, varia exſtitere Philoſophorum placita, quæ commemorat D. Ambroſius, l.1. Hexamer. c.1. Theodoretus l. de mater. & mun. D. Auguſtinus infra lib.18. c.41. Philo Iudæus l.de mundi incorruptibilitate. Plutarchus l.1. de placitis cap.5. Cicero l.2. Academic. q. & l.1. de finibus..*

Cap. XII.

Quid reſpondendum ſit his, qui primam conditionem hominis tardam eſſe cauſantur.

QUod autem reſpondimus, cùm de mundi origine quæſtio verteretur, eis qui volunt credere non eum ſemper fuiſſe, ſed eſſe cœpiſſe: α ſicut etiam Plato apertiſſimè confitetur: β quanvis à nonnullis contra quàm loquitur, ſenſiſſe credatur: hoc etiam de prima hominis conditione reſponderim, propter eos qui ſimiliter moventur: cur homo per innumerabilia, atque infinita retro tempora creatus non ſit, tamque ſero ſit conditus, ut minùs quàm ſex milia ſint annorum, ex quo eſſe cœpiſſe in ſacris literis invenitur? Si enim brevitas eos offendit temporis, quod tam paucis eis videntur anni, ex quo inſtitutus homo in noſtris autoritatibus legitur: α conſiderent nihil eſſe diuturnum, in quo eſt aliquid extremum, & omnia ſeculorum ſpatia definita, ſi æternitati interminæ comparentur, non exigua exiſtimanda eſſe, ſed nulla. Ac per hoc, ſi non quinque vel ſex, verumetiam ſexaginta milia, vel ſexcenta, aut ſexageſies aut ſexcenties milies dicerentur annorum, aut itidem per totidem toties multiplicaretur hæc ſumma, ubi jam nullum numeri nomen haberemus, ex quo Deus hominem fecit: ſimiliter quæri poſſet, cur antè non fecerit. Dei quippe ab hominis creatione ceſſatio retrorſus æterna, ſine initio tanta eſt, ut ſi ei conferatur quamlibet magna & ineffabilis numeroſitas temporum, quæ tamen ſine concluſa certis ſpatiis terminetur: nec ſaltem tanta videri debeat, γ quanta ſi humoris breviſſimam guttam univerſo mari, etiam quantum Oceanus circumfluit, comparemus: quoniam iſtorum duorum unum quidem perexiguum eſt, alterum incomparabiliter magnum, δ ſed utrumque finitum. Illud verò temporis ſpatium, quod ab initio aliquo progreditur, & aliquo termino coercetur, magnitudine quantacunque tendatur comparatum illi, quod initium non habet, neſcio utrum pro minimo an potius pro nullo deputandum eſt. Huic enim ſi à fine vel breviſſima ſigillatim momenta detrahantur, decreſcente numero, licet tam ingenti, ut vocabulum non inveniat retrorſum redeundo: tanquam ſi hominis dies ab illo, in quo nunc vivit, uſque ad illum, in quo natus eſt detrahas: quandoque ad initium illa detractio perducetur. Si autem detrahantur retrorſus in ſpatio, quod à nullo cœpit exordio: non dico ſigillatim minuta momenta vel horarum: aut dierum, aut menſium, aut annorum etiam quantitates: ſed tam magna ſpatia, quanta illa ſumma comprehendit annorum, quæ jam dici à quibuslibet computatoribus non poteſt: quæ tamen momentorum minutatim detractione conſumitur: & detrahantur

hæc

hæc tanta ſpatia, non ſemel atque iterum ſæpiuſque, ſed ſemper, quid fit, quid agitur, quando nunquam ad initium, quod omnino nullum eſt, pervenitur? δ Quapropter quod nos modò quærimus poſt quinque milia, & quod amplius excurrit annorum, poſſent & poſteri etiam poſt annorum, ſexcenties milies eadem curioſitate requirere, ſi in tantum hæc mortalitas hominum exoriendo, & occumbendo, & imperita perſeveraret infirmitas. Potuerunt & qui fuerunt ante nos, ipſis recentibus hominis creati temporibus, iſtam movere quæſtionem. Ipſe denique primus homo, vel poſtridie, vel eodem die poſtea quàm factus eſt, potuit inquirere, cur non antè ſit factus. Et quandocunque antea factus eſſet, non vires tunc alias, & alias nunc, vel etiam poſtea iſta de initio rerum temporalium controverſia reperiret.

a CONſiderent nihil eſſe diuturnum] *Dictum Ciceronis in Catone Majore. Quando enim extremum advenit, inquit, tum illud quod præteriit, effluxit.* L.Vivu.

b Sed utrunque finitum.] *Ideo inter ea eſt aliqua proportio, cùm inter finitum & infinitum nulla ſit.*

a SIcut etiam Plato apertiſſimè confitetur.] *Certè Plato in Timæo diſertis verbis mundi ortum aſſerit, & eam ejus fuiſſe ſententiam, quod mundus inceperit, ſcribit Ariſtoteles l.8. Phyſic. c.1. text.10. & l.1. de cælo c.10. ejus ſententiam refutat, quod mundum aſſereret genitum, nunquam tamen interiturum.* F.L.Coq.

β Quamvis à nonnullis, contra quam loquitur ſenſiſſe credatur.] *De ſententia Platonis circa mundum, an fuerit æternus, vel habuerit principium, non omnino inter illius ſectatores conſtat. Volunt enim aliqui eandem fuiſſe Platonis & Ariſtotelis ſententiam, & Platonem mundum æternum feciſſe. Ita ſentiunt Proclus & Porphyrius initio Comment. in Timæum; Alcinous in l. de doct. Platonis c.12. Plotinus Ennea. 3. l.2. c.1. Apuleius initio l. de dogmate Platonis, Laertius in vita Platonis. Ex recentioribus Foxius commentar. in Timæum. Beſſario Cardinalis l. 2. contra calumniat. c.4. His verò utuntur argumentis primò, quod Plato ſtatim initio duo rerum generalia principia conſtituat ſibi invicem coæterna, materiam ſc. & cauſam efficientem; verùm nomine materiæ non videtur potuiſſe intelligere materiam primam, tùm quia abſurdum eſſet materiam primam tanto tempore ſine forma exſtitiſſe, tum quia ſcribit materiam illam, quam alterum rerum principium ſtatuit, moveri atq; agitari motu quodam tumultuario; ſed omnis motus eſt à forma; ſupereſt igitur ut per materiam ipſas mundi partes intellexerit. Secundo vult ea eſſe pulchra dumtaxat, quorum exemplaria ſunt æterna; Concludit autem mundum eſſe pulchrum, illius itaque exemplar æternum, cum ergo effectus ſuo reſpondeat exemplari, mundus etiam erit æternus. Tertiò negat Plato mundum interire ac diſſolvi poſſe, verùm quod hujuſmodi eſt, principio careat neceſſe eſt, ſiquidem omne quod incæpit, poteſt etiam deſinere. Poſtremo ipſemet Plato ſcribit ad finem l.6. de Repub. homines ſemper extitiſſe, ut alij alios ſemper anteceſſerint, quod idem de univerſo neceſſe eſt ſenſiſſe. Quod ſi his objicias Platonem diſertis verbis in Timæo mundi ortum aſſerentem, reſpondent Plotinus & Proclus mundum ideò dici à Platone genitum, quod ſemper gignatur, fiatq; à Deo veluti lumen*

à ſole. Contrariam ſententiam, nempe quod Plato ſenſerit mundum olim initium habuiſſe, ut probabiliorem ſequuntur ex Philoſophis multi & Ariſtoteles ipſe locis citatis. Philoponus l. de æternit. mund. adverſus Proclum, Philo Iudæus l. de æternit. mundi, Cicero 1. Tuſculana. ubi hac etiam in quæſtione, Platonem ab Ariſtotele diſtinguit. Ex Chriſtianis vero Iuſtinus martyr in Dialogo cum Tryphone, Clemens Alexandrinus l.5. ςρωμ. Lactant. l.2. c.11. Ambroſius l.1. in Hexamer. ca.1. Epiphanius l. de hæreſ. hæreſi 6. D. Auguſtinus ſupra l.10. c.31. Cyrillus Alexandrinus l.3. contra Iulianum. Hi certe videntur propius attigiſſe mentem Platonis: Nam ſub finem Dialogi de ente verbis expreſſiſſimis aſſerit, Deum fuiſſe cauſam plantarum & animalium, cum antea non fuiſſent, credidit ergo plantas & animalia initium habuiſſe. In principio Timæi ſtatim hanc quæſtionem proponit; An mundus ſit genitus, *cui reſpondet diſertè genitum eſſe. Eo autem loco inquiſivit mundi originem. Poſtremò ut argumentatur Philoponus, nunquam inveniemus apud Platonem mundum eſſe ſempiternum, inveniemus tamen mundum eſſe genitum, & tempus una cum mundo eſſe cœpiſſe, probabilius ergo eſt Platonem ita ſenſiſſe.*

γ Quanta ſi humoris tenuiſſimam guttam univerſo mari.] *Ita li. 7. Confeſſ. c.5. concipit Deum tanquam mare immenſum, mundum vero inſtar parvæ ſpongiæ in medio illius, ita ſi conferamus quantamlibet durationem rerum creatarum cum Dei æternitate, erit inſtar minutiſſimæ guttæ aquæ comparatione cujuſdam maris immenſi. Et rectè ſimiliter, dixit Plato hanc rerum machinam habere ſe inſtar puncti, ſi cum Dei immenſitate comparetur. Iſaiæ 40.* Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt. Ecce inſulæ quaſi pulvis exiguus. *Et rectè monet Auguſtinus adhuc eſſe diſparem rationem. Nam ſi comparetur gutta aquæ cum immenſo mari, quia utrumque finitum eſt, aliqua interea proportio eſt: verùm quia infinita eſt æternitas, nulla omninò proportio eſt quantulacunque rerum durationis ad ipſam Dei æternitatem.*

δ Quapropter quod nos modo quærimus poſt quinque millia.] *Vanum oſtendit eſſe & nimis curioſum perſcrutari, qua tandem ratione homo non prius vel poſterius creatus ſit, & quod nunc id quærunt aliqui poſteri tranſacto quantocumque temporum intervallo, id itidem poſſent quærere, & Adamus ipſe ab initio ſuæ conditionis eandem quæſtionem movere potuiſſet. Placuit Deo, ex cujus beneplacito & voluntate res omnes productæ ſunt, non prius nec poſterius hominem creare. Huc referri poſſunt quæ ſcribit Lactantius l.2. c.9. Sciat quàm inepte faciat, qui res inenarrabiles quærit. Hoc eſt enim modum conditionis ſuæ tranſgredi, nec intelligere quouſque homini liceat accedere. Denique cum aperiret homini veritatem Deus, ea ſola nos ſcire voluit, quæ interfuit hominem ſcire ad vitam conſequendam; quæ verò ad prophanam & curioſam cupiditatem pertinebant, retinuit, ut arcana eſſent. Quid ergo quæris, quæ nec potes ſcire, nec, ſi ſcias, beatior fias? Perfecta eſt in homine ſapientia, ſi & Deum unum eſſe, & ab ipſo eſſe facta univerſa cognoſcat. Homo igitur agnoſcat Deum originis ſuæ authorem, ejus bonitatem, ſapientiam, ac potentiam prædicet, non verò curioſè ac omninò infructuoſè ſciſcitetur, cur non prius ſit creatus, cùm tota ratio facti ſit voluntas facientis.*

CAP.

Cap. XIII.

De revolutione ſeculorum, quibus certo ſine concluſis univerſa ſemper in eundem ordinem eandemq; ſpeciem reditura, quidam philoſophi crediderunt.

HAnc autem ſe philoſophi mundi huius non aliter putaverunt poſſe vel debere diſſolvere, *a* niſi ut *a* circumitus temporum inducerent, quibus eadem ſemper fuiſſe renovata, atque repetita in rerum natura: atque ita deinceps fore ſine ceſſatione aſſeverarent *b* volumina venientium, prætereuntiumque ſeculorum: ſive in mundo permanente iſti circumitus fierent: ſive certis intervallis oriens & occidens mundus eadem ſemper quaſi nova, ea quæ tranſacta & quæ ventura ſunt, exhiberet. A quo ludibrio prorſus immortalem animam, etiam cùm ſapientiam perceperit liberare non poſſunt, euntem ſine ceſſatione ad falſam beatitudinem, & ad veram miſeriam ſine ceſſatione redeuntem. Quomodo enim vera beatitudo eſt, de cuius nunquam æternitate confiditur, dum anima venturam miſeriam, aut imperitiſſimè in veritate neſcit, aut infæliciſſimè in beatitudine pertimeſcit? At ſit ad miſerias nunquam ulterius reditura ex his ad beatitudinem pergit: fit ergo aliquid novi in tempore, quod finem non habet temporis. Cur non ergo & mundus? Cur non & homo factus in mundo? Ut illi, neſcio qui, falſi circumitus à falſis ſapientibus fallacibusque comperti, in doctrina ſana tramite recti itineris evitentur. *β* Nam quidam & illud quod legitur in libro Salomonis, qui vocatur Eccleſiaſtes: *Eccl. 1.* Quid eſt, quod fuit? Ipſum quod erit. Et quid eſt, quod factum eſt? Ipſum quod fiet, *d* & non eſt omne recens ſub ſole, nec quiſquam loquitur, & dicit: ecce hoc novum eſt, jam fuit in ſeculis quæ fuerunt ante nos. Propter hos circumitus in eadem redeuntes, & in eadem cuncta revocantes, dictum intelligi volunt, quod ille, aut de his rebus dixit, de quibus ſuperius loquebatur: hoc eſt, de generationibus aliis euntibus, aliis venientibus: de ſolis anfractibus, de torrentium lapſibus: aut certè de omnium rerum generibus, quæ oriuntur, atque occidunt. Fuerunt enim homines ante nos, ſunt & nobiſcum, & erunt poſt nos, ita quoque animantia, vel arbuſta. Monſtra quoque ipſa, quæ inuſitata naſcuntur, quanvis inter ſe diverſa ſint, & quædam eorum ſemel facta narrentur, tamen ſecundum id quod generaliter miracula & monſtra ſunt, & utique fuerunt, & erunt: nec recens & novum eſt, ut monſtrum ſub ſole naſcatur. Quanvis hæc verba quidam ſic intellexerint, tanquam in prædeſtinatione Dei jam facta fuiſſe omnia, ſapiens ille voluiſſet intellligi, & ideo nihil recens eſſe ſub ſole. Abſit autem à recta fide, ut his Salomonis verbis illos circumitus ſignificatos eſſe credamus, quibus illi putant, ſic eadem temporum, temporaliumque rerum volumina repeti: ut, verbi gratia, ſicut in iſto ſeculo Plato philoſophus in urbe Athenienſi, in ea ſchola, quæ Academia dicta eſt, diſcipulos docuit, ita per innumerabilia retro ſecula, multum prolixis quidem intervallis, ſed tamen certis, & idem Plato, & eadem civitas, eademque

Digitized by Google

Rom.6. ſchola, iidemque diſcipuli repetiti, & per innumerabilia deinde ſecula repe-
1.Thes.4. tendi ſint. Abſit, inquam, ut nos iſta credamus. γ Semel enim Chriſtus mor-
Pſal.11. tuus eſt pro peccatis noſtris: reſurgens autem à mortuis jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, & nos poſt reſurrectionem ſemper cum domino erimus, cui modo dicimus, quod ſacer admonet Pſalmus: Tu domine ſervabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum. Satis autem iſtis exiſtimo convenire quod ſequitur: In circumitu impii ambulant, non quia per circulos, quos opinantur, eorum vita eſt recurſura, ſed quia modo tális eſt erroris eorum via, id eſt, falſa doctrina.

L.Vives. a Circumitus temporum inducerent.] *Platonici hæc, qui redeuntibus eiſdem cauſis, eosdem quoq; redituros effectus arbitrantur: confectisq; curſibus omnibus ſiderum cælorumq;, cùm ad idem ex quo diſceſſerant, punctum ſint reverſi, annus ille vertens expletus erit, rurſusq; eadem producentur.*

b Volumina venientium.] *Apertiſſimè volumina dixit, ceu involverent modo evolverent ſecula.*

c Nam quidam.] *Origenes lib.2.* περὶ ἀρχῶν, *utar interpretatione Hieronymi, quem in citandis opinionibus ex eiſdem libris* περὶ ἀρχῶν *ſequar potius, in epiſtola ad Avitum, quàm Ruffinum interpretem, nec ſine magna cauſa. Nobis autem, inquit, placet & ante hunc alium fuiſſe mundum, & poſt iſtum alium futurum. Vis diſcere quòd poſt corruptionem huius mundi alius ſit futurus? Audi Eſaiam loquentem: Erit cælum novum, & terra nova, quæ ego facio permanere in conſpectu meo. Vis noſſe, quòd ante fabricam huius mundi, alij mundi in præterito fuerint? auſculta Eccleſiaſten: Quid eſt, quod non fuit? ipſum quod erit: & quid eſt, quod factum eſt? ipſum quod futurum eſt, & non eſt omne novum ſub ſole, quod loquatur & dicat, ecce hoc novum eſt. Jam enim fuit in ſeculis priſtinis, quæ fuerunt ante nos. Hæc ille. Dubitabat tamen, an iſti mundi futuri ſint inter ſe omnia ſimiles, an aliqua erit inter eos differentia.*

d Et non eſt omne recens ſub ſole.] *Hieronymus ſuper eo loco: Et non eſt omne recens ſub ſole. Eſt ne verbum de quo dicatur, vide hoc novum eſt? jam fuit in ſeculis, quæ fuerunt ante nos. Aptius hoc Symmachus tranſtulit, putas ne quis poſſit dicere vide hoc novum eſt? at jam factum eſt in ſeculo, quod fuit ante nos, qui rem ad præſcientiam Dei refert, ut omnia jam antea fuerint in mente & notitia rectoris mundi, tametſi paulò antea, ut hic Auguſtinus, de generalitate rerum cenſet intelligi, & tangit hanc quoq; Hieronymi expoſitionem.*

F.L.Coq. α Niſi ut circuitus temporum inducerent.] *Ita commenti ſunt Platonici eadem ſæpiùs reditura & confectis ſiderum ac cælorum curſibus, ac magno anno peracto eaſdem cauſas & eoſdem effectus redituros. Cum enim ſtatueret Plato ex nonnullorum ſententia mundum eſſe æternum, & ab initio diceret animas eſſe creatas & omnes longe præexſtitiſſe ante generationem corporum, ex conſequenti ſtatuit etiam eaſdem animas ad ſua eadem corpora redituras.*

β Nam quidam & illud quod legitur in libro Salomonis.] *Ita Origenes hunc locum Eccleſiaſt. interpretatur l.3.* περὶ ἀρχῶν *c.5. ut velit hunc mundum alios præceſ-*

præceſſiſſe, & alios ſubinde ſucceſſuros. Ad hanc enim objectionem, quæ ut ibidem ſcribit, à quibuſdam movebatur, ſi cœpit mundus ex tempore, quid ante faciebat Deus, antequam mundus fieret? otioſam enim dicere naturam Dei otioſum eſt ſimul & abſurdum, vel putare, quod bonitas aliquando non fecerit, & omnipotentia aliquando non egerit potentatum, Hoc nobis, *inquit,* objicere ſolent dicentibus mundum hunc ex certo tempore cœpiſſe, & ſecundùm quoque ſcripturæ fidem annos quoque ætatis ipſius numerantibus. Reſpondent igitur, non tunc primum, cum viſibilem iſtum mundum fecit Deus, cœpiſſe operari, ſed ſicut poſt corruptionem hujus erit & alius mundus, ita & antequam hic eſſet, fuiſſe alios credimus: *quod utrumq; probat ſcripturæ authoritate. Nam quod erit poſt hunc alius mundus Iſaias docet dicens:* Erit cœlum novum & terra nova. *Quod autem ante hunc mundum fuerunt & alij, Eccleſiaſtes oſtendit dicens:* Quid eſt quod factum eſt? id ipſum quod futurum eſt. Et quid eſt quod creatum eſt? hoc ipſum quod creandum, & nihil eſt omninò recens ſub ſole, ſed quis loquetur & dicet: Ecce hoc novum eſt? jam fuit id in ſæculis, quæ fuerunt ante nos. *His itaque teſtimoniis utrumq; ſe putat probaſſe, & quod fuerint ante ſæcula, & quod poſtea futura ſint. Eadem ſcribit & 2. περὶ ἀρχῶν. c. 3. D. Hieronymus epiſt. 59. ad Avitum hunc inter cæteros Origenis errorem notat. Alij vero ita hunc locum interpretantur ad mentem Platonis, ut non quidem alium mundum huic ſucceſſurum, ſed eadem numero reditura in hunc mundum putarent. Verùm (ut interpretatur hic D. Auguſtinus, & poſt eum D. Thomas l. 4. contra Gentes ca. 82.) non ſic intelligendus eſt hic locus, quia eadem numero per varias generationes repetantur, ſed ſpecie ſimilia, quod etiam docuit Ariſtoteles ſecundo de generation. cap. ultim.*

γ Ut verbi gratia ſicut in ipſo ſæculo Plato philoſophus.] *Volebant Platonici omnia eadem numero reditura, ut verbi gratia, ſicut Plato philoſophus Athenis in Academiá diſcipulos docuit, ita prolixis temporum intervallis, ſed tamen certis, & idem Plato, eademq; civitas ac eadem ſchola, ijdemque diſcipuli repetiti, & per innumerabilia temporum ſæcula repetendi ſint, eodem ſc. magno anno vertente. Hunc magnum annum nonnulli ex Platonicis triginta ſex millibus noſtrorum annorum concludebant. Origenes etſi in multis nimium Platonicus, hunc tamen reditum rerum numero earundem non probat, quo fit ut dubitet an ſimilis mundus ſit huic ſucceſſurus omni ex parte, ita ut nullo modo diſtare videantur, an verò nunquam mundus alteri mundo ex toto indiſcretus & ſimilis ſit futurus. Quod eum movet, ne admittat omnino ſimilem huic ſucceſſurum, eſt, ne videatur inde ſequi eadem omnino numero, quæ præextiterunt, reditura.* Si enim ſimilis per omnia mundus dicitur, *ait,* erit iterum Adam & Eva, eadem facient, quæ fecerunt, idem iterum erit diluvium, atque idem Moyſes rurſum populum ſexcenta fere millia numero educet ex Ægypto, Iudas quoque bis dominum tradet, Paulus ſecundo lapidantium Stephanum veſtimenta ſervabit.

δ Semel enim Chriſtus mortuus eſt.] *Roman. 6. probat ex ſcriptura vanam*

& futilem eſſe opinionem illam, quæ omnia reditura eadem numero poſt intervalla tot temporum aſſerebat. Nam ita Chriſtus iterum eſſet rediturus, nos ad hanc etiam mortalem vitam iterum reverſuri: utrumque autem cum Scriptura ſacra pugnat, ſiquidem Apoſtolus diſertè docet, Chriſtum ſemel pro peccatis noſtris mortuum eſſe, ut non ſit amplius moriturus. Docet ibidem nos ſemper cum Domino futuros.

Cap. XIV.

De temporali conditione generis humani, quam Deus nec novo conſilio conſtituerit, nec mutabili voluntate.

Quid autem mirum eſt, ſi in his circumitibus errantes, nec aditum, nec exitum inveniunt, quia genus humanum atque iſta noſtra mortalitas, nec quo initio cœpta ſit ſciunt, nec quo fine claudatur: quandoquidem altitudinem Dei penetrare non poſſunt, quia cum ipſe ſit æternus & ſine initio, ab aliquo tamen initio exorſus eſt tempore, & hominem, quem nunquam antè fecerat, fecit in tempore, α non tamen novo & repentino, ſed immutabili æternoque conſilio. β Quis hanc valeat altitudinem inveſtigabilem inveſtigare, & inſcrutabilem perſcrutari, ſecundum quam Deus hominem temporalem, antè, quàm nemo unquam hominum fuit, non mutabili voluntate in tempore condidit, & genus humanum ex uno multiplicavit? Quandoquidem Pſal-
Pſ.11. mus ipſe cùm præmiſiſſet, atque dixiſſet: Tu Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum: ac deinde repercuſſiſſet eos, in quorum ſtulta impiaque doctrina nulla liberationis & beatitudinis animæ ſervatur æternitas, continuò ſubjiciens: In circumitu, inquit, impii ambulant. Tanquam ei diceretur: Quid ergo tu credis, ſentis, intelligis? Nunquid nam exiſtimandum eſt ſubito Deo placuiſſe hominem facere, quem nunquam antea infinita retro æternitate feciſſet, cui nihil novi accidere poteſt, in quo mutabile aliquid non eſt? Et ne nos hæc audientes aliqua fortè turbaret ambiguitas, continuo reſpondit ad ipſum Deum loquens: γ Secundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum. Sentiant, inquit, homines quod putant, & quod eis placet opinentur, & diſputent ſecundum altitudinem tuam, quam nullus poteſt noſſe hominum, multiplicaſti filios hominum. Valde quippe altum eſt, & ſemper Deum fuiſſe, & hominem, quem nunquam antè fecerat, ex aliquo tempore primum facere voluiſſe, nec conſilium voluntatemque mutaſſe.

L.Vives. α Altitudinem inveſtigabilem inveſtigare.] *Inveſtigabilem pro contrario poſuit, hoc eſt, minimè inveſtigabilem, id eſt, non veſtigabilem dixit. Sicut indolere & invocare, utrumque eſt ſive dolere, & non dolere, vocare & non vocare.*

F.L.Coq. α Quis hic valeat altitudinem inveſtigabilem.] *Pro in inveſtigabilem, quod Græci dicunt* ἀνεξιχνίαςον *adeò ut prædicanda ſit ſapientia Dei ut mirabilis non modo in operibus gratiæ, verum etiam in operibus naturæ. Etſi verò res ſubinde mutentur, & etiam Deus leges mutarit, ac primum quidem ſub lege naturæ homines agere diſpoſuerit, deinde legem Moſi dederit, qua gubernaretur pia gens Hebræorum,*

bræorum, ac tandem legem gratiæ mundo promulgandam & obſervandam ſanciverit; ea tamen omnia fiunt ex æterno & immutabili Dei conſilio; Nec in eo, verum in rebus ipſis mutationem eſſe intelligendum eſt, quod itaq; de novo non verò ab æterno mundum crearit, non id nova actione divina aut novo conſilio factum fuiſſe putandum eſt: ſi quidem non aliud quam quod ab æterno ſtatuerat, & ordinarat, in tempore factum eſſe putandum eſt; æternus ille author æternum conſilium, æterna quæ in eo actio, novus tamen & ex tempore effectus. Auguſtinus l.11. confeſ.ca. 8. Omne quod eſſe incipit & eſſe deſinit, tunc eſſe incipit & eſſe deſinit, quando debuiſſe incipere vel deſinere in æterna ratione cognoſcitur, ubi nec incipit aliquid, nec deſinit.

β Ut non tamen novo & repentino, ſed æterno.] *Non potuerunt aſſequi aliqui Philoſophi, qua ratione mundus habuiſſet aliquod initium, cùm Deus ipſe ſit æternus, qui eſt cauſa mundi, & id quidem citra mutationem Dei, verum & ſi mundus ſit ex tempore, voluntas tamen illa producendi mundum & conſilium de eo producendo eſt æternum. De hoc Hugo de ſancto Victor. lib. 1. de ſacramentis part. 2. c.10. & 11.* Voluntas æterna fuit, & opus voluntatis æternum non fuit, ſemper enim voluit ut faceret, & non voluit ut ſemper faceret; ſed ut aliquando faceret, quod ſemper voluit ut faceret aliquando. Itaque æterna bonitate ſemper voluit, & æterna ſapientia ſemper diſpoſuit, quod æterna poteſtate aliquando fecit.

γ Secundum altitudinem tuam.] *i. pro altis tuis conſiliis & decretis.*

CAP. XV.

An ut Deus ſemper, etiam dominus fuiſſe ſemper intelligatur, credendum ſit, creaturam quoque nunquam defuiſſe, cui dominaretur, & quomodo dicatur ſemper creatum, quod dici non poteſt coæternum.

EGo quidem ſicut dominum Deum, *α a* aliquando dominum non fuiſſe dicere non audeo, ita hominem nunquam antea fuiſſe, & ex quodam tempore primum hominem creatum eſſe, dubitare non debeo. Sed cùm cogito, cujus rei dominus ſemper fuerit, ſi ſemper creatura non fuit, affirmare aliquid pertimeſco: quia & meipſum intueor, & ſcriptum eſſe recolo: Quis hominum poteſt ſcire conſilium Dei aut quis poterit cogitare, quid velit dominus? *Rom.11.* Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ adinventiones noſtræ. Corruptibile enim corpus aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Ex his igitur, quæ in hac terrena inhabitatione multa cogito: ideo utique multa, quia unum quod ex illis vel præter illa, quod fortè non cogito, verum eſt invenire non poſſum. Si dixero, ſemper fuiſſe creaturam, cujus dominus eſſet, qui dominus ſemper eſt, nec dominus unquam non fuit, ſed nunc illam, nunc aliam per alia atque alia temporum ſpatia, ne aliquam creatori coæternam eſſe dicamus, quod fides, ratioque ſana conde-

Sap. 9.

Digitized by Google

demnat: cavendum eſt, ne ſit abſurdum, & à luce veritatis alienum, mortalem quidem per vices temporum ſemper fuiſſe creaturam decedentem aliam, aliam ſuccedentem: immortalem verò non eſſe cœpiſſe, niſi cùm ad noſtrum ſeculum ventum eſt. quando & angeli creati ſunt, ſi eos rectè lux illa primum facta ſignificat, aut illud potius cœlum, de quo dictum eſt: In principio fecit Deus
Gen.1. cœlum & terram: cùm tamen non fuerint, antequam fierent: ne immortales ſi ſemper fuiſſe dicantur, Deo coæterni eſſe credantur. Si autem dixero, non in tempore creatos eſſe angelos, ſed ante omnia tempora & ipſos fuiſſe, quorum Deus dominus eſſet, qui nunquam, niſi dominus fuit: quæritur à me etiam, ſi ante omnia tempora facti ſunt: utrum ſemper potuerint eſſe, qui facti ſunt? His reſpondendum fortè videatur, quomodo non ſemper, cùm illud quod eſt omni tempore non inconvenienter ſemper eſſe dicatur. Uſque adeò autem iſti omni tempore fuerunt, ut etiam ante omnia tempora facti ſint, ſi tamen à cœlo cœpta ſunt tempora, & illi jam erant ante cœlum. β At ſi tempus, non à cœlo, verùm ante cœlum fuit, non quidem in horis, & diebus, & menſibus, & annis: nam iſtæ dimenſiones temporalium ſpatiorum quæ uſitatè ac propriè dicuntur tempora, manifeſtum eſt, quod à motu ſyderum cœperint: unde & Deus cùm hæc inſtitueret, dixit: Et ſint in ſigna, & in tempora, & in dies, & in annos: ſed in aliquo mutabili motu, cuius aliud anterius præterierit, aliud poſterius ſucceſſerit, eo quòd ſimul eſſe non poſſunt. γ Si ergo ante cœlum in angelicis motibus tale aliquid fuit, & ideò tempus jam fuit, atque angeli, ex quo facti ſunt temporaliter movebantur; etiam ſic omni tempore fuerunt, quandoquidem cum illis facta ſunt tempora. Quis autem dicat, non ſemper fuit, quod omni tempore fuit? Sed ſi hoc reſpondero, dicetur mihi: Quomodo ergo non ſunt coæterni creatori, δ ſi ſemper ille, ſemper illi fuerunt? Quomodo etiam creati dicendi ſunt, ſi ſemper fuiſſe intelliguntur? Ad hoc quid reſpondebitur? An dicendum eſt, & ſemper illos fuiſſe, quoniam omni tempore fuerunt, qui cum tempore facti ſunt: aut cum quibus facta ſunt tempora, & tamen creatos? Neq; enim & ipſa tempora creata eſſe negamus, quanvis omni tempore tempus fuiſſe nemo ambigat. Nam ſi non omni tempore fuit tempus, erat ergo tempus, quando nullum erat tempus. Quis hoc ſtultiſſimus dixerit? Poſſumus enim rectè dicere: erat tempus, quando non erat Roma: erat tempus, quando non erat Hieruſalem: erat tempus, quando non erat Abraham: erat tempus, quando non erat homo: & ſi quid huiusmodi. Poſtremò ſi non cum initio temporis, ſed poſt aliquod tempus factus eſt mundus, poſſumus dicere: erat tempus, quando non erat mundus. At verò erat tempus, quando nullum erat tempus: tam inconvenienter dicimus, ac ſi quisquam dicat; erat homo quando nullus erat homo; aut, erat iſte mundus, quando non erat iſte mundus. ℓ Si enim de alio atque alio intelligatur, poteſt dici aliquo modo: hoc eſt, erat alius homo quando non erat iſte homo. ε Sic ergo erat aliud tempus quando non erat hoc tempus, rectè poſſumus dicere. At verò erat tempus quando nullum erat tem-

tempus, quis vel inſipientiſſimus dixerit? Sicut ergo dicimus creatum tempus, cùm ideò ſemper fuiſſe dicatur, quia omni tempore tempus fuit: ita non eſt conſequens, ut ſi ſemper fuerunt angeli, ideo non ſint creati, ut propterea ſemper fuiſſe dicantur, quia omni tempore fuerunt: & propterea omni tempore fuerunt, quia nullo modo ſine his ipſa tempora eſſe potuerunt. ζUbi enim nulla creatura eſt *e* cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omnino eſſe non poſſunt. Ac per hoc etſi ſemper fuerunt, creati ſunt, nec ſi ſemper fuerunt, ideo creatori coæterni ſunt. *d* Ille enim ſemper fuit æternitate immutabili, iſti autem facti ſunt. Sed ideo ſemper fuiſſe dicuntur, quia omni tempore fuerunt, ſine quibus tempora nullo modo eſſe potuerunt. *η* Tempus autem quoniam mutabilitate tranſcurrit, æternitati immutabili non poteſt eſſe coæternum. Ac per hoc *θ* etiam ſi immortalitas angelorum non tranſit in tempore, nec præterita eſt quaſi jam non ſit, nec futura quaſi nondum ſit, tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum tranſeunt, & ideo creatori, in cuius motu dicendum non eſt vel fuiſſe quod jam non ſit, vel futurum eſſe, quod nondum ſit, coæterni eſſe non poſſunt. Quapropter ſi Deus ſemper dominus fuit, *e* ſemper habuit creaturam ſuo dominatui ſervientem, *ι* veruntamen non de ipſo genitam, ſed ab ipſo de nihilo factam, nec ei coæternam. *κ* Erat quippe ante illam, quanvis nullo tempore ſine illa, non eam ſpatio tranſcurrente, ſed manente perpetuitate præcedens. Sed hoc ſi reſpondero eis, qui requirunt quomodo * creator ſemper fuit dominus, ſi creatura ſerviens non ſemper fuit, aut quomodo creatura creata eſt, & non potius creatori coæterna eſt ſi ſemper fuit, vereor ne facilius judicer affirmare quod neſcio, quàm docere quod ſcio. Redeo igitur ad id, quod creator noſter ſcire nos voluit: illa verò quæ vel ſapientioribus in hac vita ſcire permiſit, vel omnino perfectis in alia vita ſcienda ſervavit, ultra vires meas eſſe profiteor. Sed ideo putavi ſine affirmatione tractanda, ut qui hæc legunt, videant à quibus quæſtionum periculis debeant temperare, nec ad omnia ſe idoneos arbitrentur, potiusque intelligant, quàm ſit Apoſtolo obtemperandum præcipienti ſalubriter, ubi ait: Dico autem per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt in vobis, non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad temperantiam, ſicut unicuique Deus partitus eſt *f* menſuram fidei. *g* Si enim pro viribus ſuis alatur infans, fiet ut creſcendo plus capiat: ſi autem vires ſuæ capacitatis excedat, deficiet antequam creſcat.

al. ſemper. *Rom. 12.*

a Aliquando dominum non fuiſſe dicere non audeo.] *Nam ſervos non habuit, quorum relatione dominus dicitur. Eſt enim ex numero eorum, quæ ſunt πρός τι, ut Ariſtot. inquit, nam filij & ſpiritus ſancti dominum vocare non convenit.* *L. Vives.*

b Si enim de alio atque alio intelligatur.] *Si Auguſtinus legiſſet parva Logicalia, non id diceret, certæ enim ſunt ſuppoſitiones & diſtributiones, quas illi doctiſſimi magiſtri in ea lingua finxerunt, cuius erant ignariſſimi. Satis oſtendit hic Auguſt. ſermonem ad captum eſſe populi attemperandum, quidni? cùm dominus ſit populus ſermonis.*

c Cuius mutabilibus motibus.] *Quod aliquid præterijt, aliud ſequetur vel in actionibus, vel in eſſentia.*

d Ille enim ſemper fuit æter.] *Eius duratio, in qua ſemper propriè eſſe dicitur, ſed nos abutentes nominibus, & fuiſſe & fore dicimus: æternitas illa eſt, quæ ut infinita capi à finitis noſtris cogitationibus nequit.*

e Semper habuit creaturam.] *Cavillatur hic Auguſtinus, mea ſententia. Nam cùm ſemper ſic explicetur omni tempore, ipſe omni tempore fuiſſe creaturam ait, quia cum tempore & illa ſit facta. Porrò quæſtio eſt, an etiam ante conditum mundum fuerit dominus. At paulò poſt quanto verius theologatur, cum mavult verecundè dicere, quàm imprudenter de tantis rebus affirmare, quæ nec capit, & dubitat: ſatiusq; cenſet eſſe de illis loqui, quæ nos ſcire rerum parens voluit. Atq; utinam quæ nos ille docuit boni conſuleremus, ac eis contenti non curaremus ſcrutari majeſtatem, ne opprimeremur à gloria: ea recoleremus ſubinde, in eis noſcendis nos exerceremus, adorantes quæ accepimus, non ingerentes nos arcanis temerè ac odioſè.*

f Menſura fidei.] *Alibi menſuram fidei: & ſic vulgò legimus ad Rom. 12. Græcè eſt ὡς ὁ θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως: ut Deus diſtribuit menſuram fidei. Sed accuſativi Græci ſæpe pro noſtris ablativis ſeu potius pro ſeptimo caſu ponuntur: ut fortaſſe Pau. velit intelligi diſtributionem illam ſapientiæ uniuscuiusq; factam à Deo ex fidei cuiusq; menſura.*

g Si enim pro viribus.] *Similitudo apud Quintil. aptiſſima libr. 1. Inſtit. quæ aptari huic quoq; rei poteſt. Vaſcula, inquit, oris anguſti ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt, ſenſim autem influentibus, vel etiam inſtillantibus complentur.*

F.L.Coq. *a* ALiquando dominum fuiſſe dicere non audeo.] *Non audet hic dicere, an Deus dicatur dominus ab æterno vel ex tempore, tamen l.5. de Trinitat. c.16. apertè ſcribit, Deo eſſe dominum, convenire ex tempore; his verbis.* Nam & ſi dominus non dicitur, niſi cum jam habere incipit ſervum, etiam iſta appellatio relativa ex tempore eſt Deo. Non enim ſempiterna creatura eſt, cujus eſt ille dominus: *Et qua ratione citra ullam Dei mutationem dicatur Deus ex tempore dominus, exemplo docet.* Nummus, *inquit*, cum dicitur pretium, relativè dicitur, nec tamen mutatus eſt, cum eſſe cœpit pretium, neque cum dicitur pignus, & ſi qua ſunt ſimilia: ſi ergo nummus poteſt nulla ſui mutatione toties dici relativè, ut neque tum incipit dici neque cum deſinit, aliquid in ejus natura vel forma, quæ nummus eſt, mutationis fiat, quando facilius de illa incommutabili Dei ſubſtantia debemus accipere, ut ita dicatur relativè aliquid ad creaturã, ut quamvis temporale incipiat dici, non tamen ipſi ſubſtantiæ Dei aliquid accidiſſe intelligatur, ſed illi creaturæ ad quam dicitur. Domine, *inquit*, refugium factus es nobis. Refugium ergo noſtrum Deus relativè dicitur: ad nos enim refertur, & tunc refugium noſtrum fit cum ad eum refugimus. Nunquid tunc fit aliquid in ejus natura, quod antequam ad eum refugeremus non erat? In nobis ergo fit aliqua mutatio. Deteriores enim fuimus antequam ad eum confugeremus, & efficimur ad eum refugiendo meliores:

in

in illo autem nulla. Sic & pater noſter eſſe incipit cum per ejus gratiam regeneramur, quoniam dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri. Subſtantia itaque noſtra mutatur in melius, cum filii ejus efficimur, ſimul & ille pater noſter eſſe incipit, ſed nulla mutatione ſuæ ſubſtantiæ. Quod ergo temporalis incipit dici Deus, quod antea non dicebatur, manifeſtum eſt relativè dici: non tamen ſecundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, ſed plane ſecundum accidens ejus, ad quod dici aliquid Deus incipit relativè. *Ratio autem quare hujuſmodi nomina, quæ ſignificant relationes rationis in Deo, ut Theologi docent: ut eſſe dominum, creatorem, Deo ex temporè tantùm conveniant, hæc eſt, quia proximum fundamentum iſtarum rationum non ſolum eſt entitas ipſa divina actionis in creaturas, ſed etiam relatio realis creaturarum ad Deum, quæ eſt ex tempore: ergo etiam divina relatio, quæ partim in relatione creaturæ fundatur. Et Ariſtoteles ipſe teſtis eſt, relationem alicui poſſe advenire citra aliquam illius mutationem, neque ex eo, quod Deus de novo producit creaturas, aliquid accedit illi perfectionis, ſed tantùm creaturis ipſis. Et quando operatur ad extra, ut ſuperiori ca. docuit, nullomodo mutatur, ſed eam prorſus voluntate æterna, qua ab æterno voluit mundum in tempore producere, de facto mundum produxit abſq; aliqua mutatione, vel novitate in ipſa cauſa. Ita verbum in myſterio incarnationis, habet relationem rationis ex tempore ad naturam humanam, quæ nihil dicit perfectionis in ipſo verbo. Quod verò hic aſſerit ſe non audere aſſerere Deum aliquando non fuiſſe dominum, certè non deſunt etiam ex Theologis, qui hæc nomina velint Deo ab æterno convenire, inter quos eſt Thomas Argentinas: ſi enim intelligas ab ipſa relatione vel etiam actu dominandi & creandi hæc nomina, Dominus & creator, accipi, certè non niſi ex tempore, ut dictum eſt, Deo convenient; ſi verò ab ipſo fundamento relationis, quæ eſt poteſtas creandi & coercendi ſubditos & veluti pro habitu dominij, ſic quodammodo poſſint dici Deo convenire ab æterno. Vid. D. Thom. q.3. de poten. art. 17. ad 21.*

β At ſi tempus non à cœlo, verum ante cœlum fuit.] *Ariſtoteles ipſe 4. phyſicorum tempus definit:* Numerum motus ſecundum prius & poſterius. *Intelligit autem motum primi mobilis, quod eo ut præſtantiſſimo & maximè æquabili & in tota univerſitate naturæ maximè noto utamur ad menſurandos reliquos motus: & quamquam variæ fuerint opiniones Philoſophorum de tempore, quid ſit, & eam quæſtionem valde difficilem pronuntiet 4. Phyſicorum textu 93. & etiam D. Auguſtinus l.11. confeſſion. c.14 quid ſit explicatu difficile tradat, his verbis,* Si nemo ex me quærat, quid ſit tempus, ſcio, ſi quærenti explicare velim, neſcio. *Hæc tamen Ariſtotelis definitio & explicatio temporis ab omnibus Scholis jam comprobata eſt. Qua ratione igitur ſcribit hic Auguſtinus, ſi Angeli fuere ante cælum creati, in illorum motibus fuiſſe aliquod tempus, cum nimirum tempus ſit menſura motus primi mobilis, ſeu motus primi mobilis numeratus ſeu menſuratus ſecundùm prius & poſterius? Reſpondetur, D. Auguſtinum non hoc loco modo, verùm etiam l.2. de Geneſ. ad l. c.14. & l.8. c.20. agnoviſſe quoddam tempus in motibus Angelorum diſtinctum maximè à tempore hoc uſitato, quod eſt menſura motus primi mobilis,*

quo utimur ob ejus æquabilitatem & præſtantiam ad menſurandos reliquos motus, l.2. de Geneſ. ad liter. c.14. Si quis *(inquit)* vel corporalis vel ſpiritualis motus conditionem iſtorum luminarium præceſſit, ut aliquid à futura expectatione per præſens in præteritum trajiceret, ſine tempore eſſe non potuit. Et quis obtineat non fuiſſe niſi ab exordio ſiderum conditorum? Sed certæ horæ & dies & anni, quos uſitatè novimus, non fierent niſi motibus ſiderum. Itaque ſi hoc modo intelligamus tempora, dies, annos, ut articulos quoſdam quos per horologia computamus, vel in cœlo notiſſimos, cùm ab Oriente uſque ad Meridianam altitudinem ſol inſurgit, atque inde rurſus uſque in Occidentem vergit, ut poſſit deinceps adverti vel luna, vel aliquod ſidus ab Oriente ſtatim poſt occaſum ſolis emergere, quod item cum ad mediam cœli venerit altitudinem, medium noctis judicet tunc ſc. occaſurum, cum ſole redeunte fit mane, dies autem totos ſolis ab oriente uſque ad Occidentem circuitus, annos verò vel iſtos uſitatos ſolis anfractus, non cum ad Orientem quod quotidie facit, ſed cum ad eadem loca ſiderum redit, quod non facit niſi peractis trecentis ſexaginta quinque diebus & ſex horis, id eſt quadrante totius diei, quæ pars quater ducta cogit interponi unum diem, quem Romani Biſſextum vocant, ut ad eundem circuitum redeatur, vel etiam majores & occultiores annos, nam completis aliorum ſiderum ſpatiis majores anni fieri dicuntur. Si ergo ita intelligamus tempora, dies & annos, nemo dubitat, hæc ſideribus & luminaribus fieri. *Hinc colliges, quæ tempora non potuerunt præexiſtere ante cælum. Si tamen Angeli prius producti fuere, certum eſt, fuiſſe in motibus eorum quoddam tempus ſpirituale, quo etiam menſurantur nunc eorum actiones naturales, quibus cognoſcunt & amant res extra ſe, quæ cum ſint ſucceſſivæ, non tamen corporeæ, tempori huic uſitato non ſubjiciuntur. Obſervandum etiam eſt cum D. Thoma 2. diſt. 12. q.1. art.5. & Opuſc.48. Cajetano 1. part. q. 10. art. ultim. Capreolo 2. diſt. 2. q.2. art.3. Alex. 2. part. q.9. membro 9. & aliis bifariam tempus uſurpari. Primo prout eſt numerus ſeu menſura motus ſummè æquabilis ac primi, qualis eſt converſio primi mobilis, ſecundò prout eſt menſura cujuſque motus, & in qualibet re actu mota ſubinde inſidet: ſub prima acceptione tempus unum tantum eſt, ut & unum primum mobile, ſub poſteriori tot ſunt tempora, quot motus: ſub priori tempus eſt menſura propria & interna motus primi mobilis, & ſimul etiam communis ac externa aliorum omnium motuum: ſub poſteriori, tempus per ſe eſt menſura duntaxat motus, cui ineſt: ſub priori acceptione intelligendum eſt illud Apocalypſeos 10. cum Angelus juravit, non futurum amplius tempus, quia poſt diem univerſalis judicij non erit amplius tempus primi mobilis, ceſſante ejus & aliorum cæleſtium corporum converſione, ſecundum quam acceptionem non fuit tempus ante cælum; ſecundùm poſteriorem acceptionem intelligitur doctrina hujus capitis, quo concluditur, ſi ante cælum & terram fuerint Angelici motus, fuiſſe etiam tempus, qua ratione etiam ceſſante motu cæli non ceſſabunt in motibus Angelicis tempora, quibus menſurentur. Et etiam l.11. Confeſſionum c.23. ita ſcribit:* Cur enim non potius omnium corporum motus ſint tempora? An verò ſi ceſſarent cœli

lumina,

lumina, & moveretur rota figuli, non eſſet tempus? *& ibidem:* Nemo mihi dicat cœleſtium corporum eſſe motus tempora, quia & cujuſdam voto cùm ſol ſtetiſſet ut victor Ioſue prælium perageret, ſol ſtabat, ſed tempus ibat.

γ Si ergò ante cœlum in Angelicis motibus.] *Docet l.8. de Geneſ. ad lit. c.20. creaturam ſpiritualem moveri per tempora, corporalem per loca, ergo in Angelicis motibus & ſi præceſſiſſet cælum fuiſſet tempus, aliud itaq; eſt illud tempus ab hoc tempore uſitato, quod eſt menſura motus primi mobilis, de quo tempore ex ſententia Theologorum nonnihil hoc loco dicendum videtur. Motus Angelorum actiones eorum intelligit, in quibus ſucceſſio quædam reperitur. Quadruplices enim exiſtunt Angelicæ actiones.* Prima *adeoque omnium nobiliſſima,* eſt ipſa viſio beatifica: Secunda eſt cognitio naturalis, qua ſe cognoſcunt, vel amor, quo ſe naturaliter amant. Tertia eſt actio, qua cognoſcunt vel amant alias res extra ſe. Quarta eſt actio tranſiens, quâ vel DEI juſſu vel proprio nutu movent aliqua corpora. *Primam illam actionem Angelorum Scotus 2. ſentent. diſtinct.2. quæſt. 4. vult menſurari ævo, quemadmodum & eſſe Angelorum, quia eſt indeficiens & omnino immutabilis; Thomiſtæ volunt eam menſurari æternitate participata, quam ab ævo diſtinguunt, quod illa ſit duratio eſſe rei ſupernaturalis, & quaſi divini ordinis, ævum verò rei naturalis. Verum circa hanc quæſtionem diutius immorari non eſt huius loci. Quarta actio, qua movent aliquod corpus, menſurabitur noſtro tempore. De ſecunda etiam actione nihil eſt difficultatis. Conſentiunt enim ferè Theologi eam ævo menſurari, quemadmodum & eſſe Angelorum, cum ſit omnino permanens & incorruptibilis. De tertia actione difficultas eſt. Scotus 2. ſentent. diſt. 2. arbitrabatur menſurari ævo, ſed errat, quia hæc actio incipit & deſinit, Ævum autem ſuapte natura caret fine, non poteſt igitur eſſe menſura hujus actionis. Probabilior eſt itaque D. Thomæ ſententia 1. ſent. diſt. 37. quæſt. 4. art. 3. & quod lib. 10. art. 4. ſi de ſingulis actionibus Angeli ſermo ſit, eas menſurari* inſtanti temporis diſcreti. *Si verò una aliqua ipſarum actionum collectio ſumatur, duratio totius illius collectionis appellabitur* tempus diſcretum. *Si ergo creatio Angelorum præceſſiſſet productionem cœli & rerum corporalium in motibus Angelicis. i. actionibus Angelorum, quibus reliqua intelligunt, & amant, ſibi invicem ſuccedentibus, fuiſſet tempus illud diſcretum, adeò ut cujuslibet actionis ſeorſim ſumptæ & per ſe ſpectatæ menſura fuiſſet inſtans illius temporis diſcreti; actiones autem multæ ſimul ſumptæ menſuratæ fuiſſent tempore diſcreto, & longe alio à tempore, quod eſt in motu primi mobilis, & nunc temporis & poſt diem judicij ceſſante motu primi mobilis. Nihilominus hujuſmodi actiones Angelorum naturales tempore eo diſcreto menſurabuntur, ſicq; explicata manet doctrina hujus loci. Dicitur autem* tempus diſcretum. *quod quemadmodum ex multis unitatibus conflatur numerus, qui eſt quantitas diſcreta, ita ex multis actionibus Angelorum ſibi ſuccedentibus, vel potius ex durationibus harum actionum conſurgit menſura quædam durationis interna illarum actionum, & hanc vocamus rectè tempus diſcretum, tempus quidem, quia eſt duratio habens prius & poſterius, quod proprium eſt temporis; diſcretum verò, quia illæ actiones Angelorum ex quibus conſurgit hoc tempus, ſuccedunt ſibi non continuè, ſed diſcretè ſicut in numero unitates; & quem-*

admodum conſlatam ex durationibus multarum actionum ſibi ſuccedentium dicitur tempus diſcretum, ita cujuslibet actionis duratio dicitur inſtans temporis diſcreti, etiamſi per integrum annum duret. Unde ſingulæ actiones Angelorum inadæquatè quidem menſurantur hoc tempore, adæquatè verò actiones ipſæ ſibi ſuccedentes. Ratio autem conſtituendi hanc menſuram, hæc fuit, quia illæ actiones Angelorum æternitate menſurari non poſſunt, cum habent principium & finem, & ſubinde varientur, æternitas autem principio caret & fine, eſtq; invariabilis; neq; ævo, caret enim fine & ſucceſſione: In his autem actionibus finis eſt & ſucceſſio: neq; tempore continuo, cum hæ actiones ſit diſcretæ, & ſibi continuo non ſuccedant, neque terminentur termino aliquo communi, quemadmodum partes temporis continui; ſed ſe habeant potius inſtar unitatum in numero. Poſtremò nec poſſunt menſurari inſtantibus temporis continui; tum quia quævis actio Angeli poteſt durare non modo per unum inſtans temporis, ſed etiam per infinita & per tempus; Tum etiam quia poteſt Angelus habere duas intellectiones ſibi immediate ſuccedentes, quæ durent non tantùm per duo inſtantia, ſed & per duas horas: non poſſunt igitur menſurari inſtanti; cum præterea duæ illæ actiones ſibi immediatè poſſint ſuccedere, duo verò inſtantia temporis noſtri non poſſint, ut patet ex Ariſtotele l. 6. Phyſicor. c. 1. ſupereſt igitur, ut aliqua alia menſura ſibi congenea & connaturali menſurentur, & hæc non poteſt eſſe alia tempore diſcreto.

δ Si ſemper ille, ſemper illi fuerint.] *Etſi ſemper intelligantur fuiſſe Angeli, & ſemper Deus ac ſemper illi dicantur exſtitiſſe, non tamē coæterni ſunt ipſi creatori. Quando enim Deus ſemper dicitur fuiſſe, ly* (ſemper) *æternitatē ſignificat, qua ratione in ſcripturis dicitur,* ſempiterna illius virtus & divinitas, *dicitur etiam ſempiterna filij generatio & proceſſio Spiritus ſancti. Quando verò dicuntur Angeli ſemper fuiſſe, ly* (ſemper) *vel deſignat ævum, vel certe tempus, quæ durationes ſunt finitæ & in infinitum diſtant ab æternitate Dei.* Nec enim Deus tempore tempora præcedit, verùm celſitudine ſemper præſentis æternitatis. *Divus Auguſt. libr. 1. de Geneſ. contra Manich. cap. 2.* non enim coævum Deo mundum dicimus, quia non eius æternitatis eſt hic mundus, cuius æternitatis eſt Deus.

ε Si ergo erat aliud tempus, quando non erat hoc tempus.] *Ut ſi prius quam creatum eſſet cœlum, erant motus Angelorum. Tempore enim alio & diverſa ratione menſurabantur.*

ζ UBI enim nulla creatura eſt, cuius mutabilibus motibus.] *Siquidem tempus quodcumq; illud ſit, eſt menſura motus alicuius; ſive ille ſit corporeus & phyſicus, ſive etiam ſpiritualis & incorporeus, cuiusmodi eſt in actionibus Angelorum.*

η Tempus autem quoniam mutabilitate tranſcurrit.] *Etiam ſi tempus ab æterno coexiſteret æternitati, nec haberet principium aut finem, nihilominus adhuc ab ea diſtingueretur, ſi quidem æternitas eſt tota ſimul immutabilis & invariabilis. at tunc tempus adhuc eſſet variationi obnoxium, nec eſſet totum ſimul. Vide D. Tho. 1. p. q. 6. art. 2. ad 5.*

θ Etiam ſi immortalitas Angelorum non tranſit in tempore.] *Propterea menſura-*

menſuratur ævo, quod alıud eſt à tempore, & ſuperioris ordinis duratio, eorum tamen motus. i. actiones ſucceſſivæ alia duratione menſurantur.

ι Verumtamen non de ipſo genitam.] *Impium enim eſſet aſſerere Patrem eſſe dominum filij, qui de ipſius ſubſtantia illi coæternus & coeſſentialis genitus eſt.*

κ Erat quippe ante illam quamvis nullo tempore ſine illa.] *Non enim tempore creaturas præcedit, ſine quibus nullum tempus imaginari poſſumus*, ſed præcedit omnia tempora non ſpatio præcurrente, ſed manente perpetuitate, *& ut ſcribit lib. 11. Confeſſio. cap. 13.* celſitudine ſemper præſentis æternitatis.

CAP. XVI.

Quomodo intelligendum ſit, promiſſa homini à Deo vita æterna ante tempora æterna.

QUæ α ſecula præterierint, antequam genus inſtitueretur humanum, me fateor ignorare β, non tamen dubito nihil omnino creaturæ creatori eſſe coæternum. γ Dicit etiam Apoſtolus tempora æterna, nec ea futura: ſed, qvod magis eſt mirandum, præterita. Sic enim ait: In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit non mendax Deus α ante tempora æterna: manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum. Ecce dicit retrò quòd fuerint tempora æterna, quæ tamen non fuerunt Deo coæterna. Siquidem ille ante tempora æterna non ſolùm erat, verum etiam promiſit vitam æternam, quam manifeſtavit temporibus ſuis, id eſt, congruis, quid aliud quàm verbum ſuum? Hoc eſt enim vita æterna. δ Quomodo autem promiſit, cùm hominibus utique promiſerit, qui nondum erant ante tempora æterna: niſi quia in ipſius æternitate, atque in ipſo eius verbo eidem coæterno, jam prædeſtinatione fixum erat, quod ſuo tempore futurum erat? Tit. 1.

α ANte tempora æterna.] *Primo cap. Epiſt. ad Titum, quem locum ſic Hieronymus enarrat: Sed nec hoc ſilentio prætereundum puto, quomodo non mendax Deus ante æterna ſecula ſpoponderit vitam. Ex quo, juxta hiſtoriam Geneſeos, factus eſt mundus, & per vices noctium ac dierum, menſium pariter & annorum, tempora conſtituta ſunt. In hoc curriculo & rota, mundi tempora labuntur, & veniunt, & aut futura ſunt, aut fuerunt. Unde quidam philoſophorum non putant eſſe tempus præſens: ſed aut præteritum, aut futurum: quia omne quod loquimur, agimus, cogitamus, aut dum ſit, præterit: aut ſi nondum factum eſt, expectamus. Ante hæc igitur mundi tempora, æternitatem quandam ſeculorum fuiſſe credendum eſt. quibus ſemper cum filio & ſpiritu ſancto fuerit pater: &, ut ita dicam, unum tempus Dei eſt omnis æternitas: imò innumerabilia tempora ſunt, cùm infinitus ſit ipſe, qui ante tempora, omne tempus excedit. Sex milia necdum noſtri orbis implentur anni, quantas prius æternitates? quanta tempora, quantas ſeculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt? in quibus angeli, throni, dominationes, cæteræq; virtutes ſervierint Deo, & abſq; temporum vicibus, atq; menſuris, Deo jubente, ſubſtiterint. Ante hæc itaq; omnia tempora, quæ nec ſermo eloqui, nec mens comprehendere, nec cogitatio tacita audet attingere, promiſit Deus pater ſapientiæ ſuæ* L. Hieron.

verbum

verbum ſuum, & ipſam ſapientiam ſuam, & vitam eorum, qui credituri erant mundo eſſe venturam. Ita Hieron. Huius ſententiæ partem contra ſe adducens Petrus Lombardus lib. 2. ſic repellit, ut dicat, Hieronymum id ſcripſiſſe, non quod ſic ſentiat, ſed aliorum opinionem recenſentem. Idem in multis quoq; Auguſtini dictis reſpondet: quod facile dictu eſt, quoties aliquid ex magnis autoribus contra noſtra placita affertur. Auguſtinus contra Priſcillianiſtas hunc locum citans dicit tempora æterna illa vocari, ante quæ nullum fuerit tempus, quaſi à conſtitutione mundi. Vulgò legimus, ante tempora ſecularia. Græcè eſt πρὸ τῶν χρόνων αἰωνίων, *ante tempora æterna: tametſi* αἰὼν *interim ævum, ſæpe æternitas, & aliàs ſeculum, vertatur.*

F.L.Coq. α QUÆ ſæcula præterierint.] *Nulla ſæcula præteriiſſe ante mundum conditum nos imaginari debere ſcribit l.11. Confeſſ. c.13.* Si cujuſquam (*inquit*) voluntarius ſenſus per imagines retrò temporum & te Deum omnipotentem, & omni creantem & omni tenentem, cœli & terræ artificem, ab opere tanto antequam id faceres per innumerabilia ſæcula ceſſaſſe miratur, evigilet, atque attendat, quia falſa miratur. Nam unde poterant innumerabilia ſæcula præterire, quæ ipſe non feceras, cùm ſis omnium ſæculorum author & conditor? Aut quæ tempora fuiſſent, quæ abs te condita non eſſent? Aut quomodo præteriiſſent ſi nunquam fuiſſent.

β Non tamen dubito nihil omnino creaturæ.] *Id eſt ex fide, & conſtat ex ſacris literis.*

γ Dicit etiam Apoſtolus tempora æterna.] *Roman. 16.* Secundùm revelationem myſterii temporibus æternis taciti. *Verùm* tempora æterna *intelligit* ſæcula omnia à mundi creatione, *ac ſi dixiſſet, perpetuis temporibus. Loquitur enim de myſterio incarnationis & redemptionis generis humani, quod ſuperioribus temporibus fuerat tacitum, id eſt, occultum, non revelatum gentibus, & non niſi paucis fidelibus & valdè quidem obſcurè ac adumbratè cognitum, prædicantibus autem Apoſtolis, completis Prophetarum ſcripturis gentibus innotuit. Legitur* χρόνοις αἰωνίοις. *Adfert alium locum ex Epiſt. ad Titum ca. 1.* In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit non mendax Deus ante tempora æterna. *Græcè eſt* πρὸ χρόνων αἰωνίων, *vulgata editio habet,* ante tempora ſæcularia, *ubi* tempora ſæcularia *vocat Apoſtolus ea,* quæ Chriſti adventum præceſſerunt, *& datam dicit gratiam & promiſſam vitam æternam ante ſæcula, quæ Chriſti præceſſerunt adventum, quoniam ab æterno dare eam Deus decrevit, & ejus immutabilis voluntas non minus erat certa quàm promiſſio aut donatio. Divus Auguſtinus hoc loco, & l. 1. de Geneſ. contr. Manich c. 2. & l. 83. q. 72. & l. contra Priſcil. c. 6. legit* tempora æterna, *eaq; interpretatur, ante quæ nulla alia fuerint. i. à conſtitutione mundi.*

δ Quando autem promiſit.] *Explicat qua ratione ab Apoſtolo dicatur Deus promiſiſſe ante tempora æterna vitam æternam, quia ab æternitate ipſa in infinitum excedente omnia tempora prædeſtinavit electos, eos ad gloriam ordinavit, & quæ ſine tempore futurum erat vocatio, juſtificatio & glorificatio filiorum Dei, jam ab æterno prædeſtinatione ipſius omnino fixa erat, ut quicquid circa electos ſtatuerat,*

in-

infallibiliter congruis ac prædefinitis temporibus compleret; Quemadmodum etiam 2. Tim. 1. dicitur gratia nobis in Chriſto Ieſu data, ante tempora ſæcularia, *quia nos in ipſo elegit ante mundi conſtitutionem. Ita enim infallibilis eſt æterna Dei prædeſtinatio, ut prædeſtinaſſe aliquem ad gloriam perinde ſit ac in eum jam illa beneficia contuliſſe. Hoc igitur eſt promiſiſſe, hoc dediſſe ante tempora æterna vitam æternam, prædeſtinaſſe ab æterno meritis Chriſti ad eam quos elegit.*

CAP. XVII.

Quid de incommutabili conſilio aut voluntate Dei fides ſana defendat contra ratiocinationes eorum, qui opera Dei ex æternitate repetita per eosdem ſemper volunt ſeculorum redire circumitus.

ILlud quoque non dubito, antequam primus homo creatus eſſet, nunquam quenquam hominem fuiſſe: *α* nec eundem ipſum, neſcio quibus circumitibus, neſcio quoties revolutum, *β* nec alium aliquem natura ſimilem. *γ* Neque ab hac fide me philoſophorum argumenta deterrent, quorum acutiſſimum illud putatur, *α* quod dicunt, nulla infinita ulla ſcientia poſſe comprehendi. Ac per hoc Deus, inquiunt, rerum, quas fecit, omnium finitarum omnes finitas apud ſe rationes habet, bonitas autem eius nunquam vacua fuiſſe credenda eſt, ne ſit temporalis eius operatio, cuius retro fuit æterna ceſſatio, quaſi pœnituerit cum prioris ſine initio vacationis, ac propterea ſit operis aggreſſus initium. Et ideo neceſſe eſt, inquiunt, eadem ſemper repeti, eademque ſemper repetenda tranſcurrere: vel manente mundo mutabiliter, qui licet nunquam non fuerit, & ſine initio temporis tamen factus eſt: vel eius quoque ortu & occaſu, ſemper illis circumitibus repetito, ſemperque repetendo, ne videlicet, ſi aliquando primum Dei opera cœpta dicantur, priorem ſuam ſine initio vacationem tanquam inertem, ac deſidioſam, & ideo ſibi diſplicentem damnaſſe quodammodo, atque ob hoc mutaſſe credatur. Si autem ſemper quidem temporalia, ſed alia atque alia perhibetur operatus: ac ſi aliquando etiam ad hominem faciendum, quem nunquam antea fecerat, perveniſſe, non ſcientia, qua putant non poſſe quæcunque infinita comprehendi, ſed quaſi ad horam, ſicut veniebat in mentem fortuita quadam inconſtantia videatur feciſſe, quæ fecit. Porrò ſi illi circumitus admittantur, inquiunt, quibus vel manente mundo, vel ipſo quoque revolubiles ortus ſuos & occaſus eisdem circumitibus inſerente, eadem temporalia repetuntur, nec ignavum otium præſertim tam longè ſine initio diuturnitatis Deo tribuitur, nec improvida temeritas operum ſuorum. Quoniam ſi non eadem repetantur, non poſſunt infinita diverſitate variata ulla eius ſcientia vel præſcientia comprehendi. Has argumentationes, quibus impii *δ* noſtram ſimplicem pietatem, ut cum illis in circumitu ambulemus, de via recta conantur avertere, *ε* ſi ratio refutare non poſſet, fides irridere deberet. Huc accedit quod in adjutorio Domini Dei noſtri hos volubiles circulos, quos opinio confingit, ratio manifeſta confringit. Hinc enim maximè iſti errant, ut in circumitu falſo ambulare, quàm vero & recto

recto itinere malint, ζ quod mentem divinam omnino immutabilem cuiuslibet infinitatis capacem, & innumera omnia ſine cogitationis alternatione numerantem, de ſua humana mutabili anguſtaque metiuntur. Et fit illis quod 2. Cor. 10 ait Apoſtolus. *b* Comparantes enim ſemetipſos ſibimetipſis, ſemetipſos non intelligunt. Nam quia illis quicquid novi faciendum venit in mentem, novo conſilio faciunt, mutabiles quippe mentes gerunt, profectò non Deum, quem cogitare non poſſunt, ſed ſemetipſos pro illo cogitantes, non illum, ſed ſeipſos, nec illi, ſed ſibi comparant. Nobis autem fas non eſt credere aliter Deum affici, cùm vacat, aliter cùm operatur: quia nec affici dicendus eſt, tanquam in eius natura fiat aliquid quod non ante fuerit. Patitur quippe qui afficitur, & mutabile eſt omne, quod aliquid patitur. Non itaque in eius vacatione cogitetur ignavia, deſidia, inertia, ſicut nec in eius opere labor, conatus, induſtria. Novit quieſcens agere, & agens quieſcere. Poteſt ad opus novum, non novum, ſed ſempiternum adhibere conſilium, nec pœnitendo, quia prius ceſſaverat, cœpit facere, quod non fecerat. Sed & ſi prius ceſſavit, & poſterius operatus eſt, quod neſcio quemadmodum ab homine poſſit intelligi, hoc proculdubiò quod dicitur prius & poſterius, in rebus prius non exiſtentibus, & poſterius exiſtentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera ſubſequens mutavit aut abſtulit voluntatem, ſed una eademque ſempiterna & immutabili voluntate res, quas condidit, & ut prius non eſſent, egit, quandiu non fuerunt & ut poſterius eſſent, quando eſſe cœperunt: hinc eis qui talia videre poſſunt mirabiliter fortaſſis oſtendens, quàm non eis indiguerit, ſed eas gratuita bonitate condiderit, cùm ſine illis ex æternitate initio carente in non minore beatitudine permanſit.

L. Vives. *a* Quod dicunt nulla.] *Ariſtoteles libro primæ philoſophiæ ſecundo, negat mente ac cogitatione capi infinitum poſſe: & primo Poſteriorum reſolutivorum cùm dixiſſet, tum demum nos exactè ſcire, cùm ad ultimum rei pervenimus ſingularia accedere ad infinitatem, univerſalia ad ſimplicitatem docet. Inde ait quatenus ſint aliqua finita ſciri non poſſe, ſed quæ ſunt finita poſſe. Plato quoq; cùm in dividendo ad ſingularia deventum eſſet, progredi vetabat ulterius, quòd hæc forent infinita. & teneri animo ac ſcientia nequirent.*

b Comparantes enim.] *Secundæ ad Corinthios. In hunc ſenſum hic locus plerunq; Auguſtino citatur, ut Eraſmus annotavit.*

E. L. Coq. *a* NEC eundem ipſum neſcio quibus circumitibus.] *Ut explodat omnino ſententiam Platonicorum, qui volebant omnia longa revolutione temporum eadem omnino numero reſtitui. Ita enim primus homo ſator generis humani creatus fuit ab initio, ut non prius exſtiterit: ſi tamen quis ſemel admittat illam Platonicorum ſententiam, facile ſibi perſuadebit, non tantum primum hominem productum, ſed longa revolutione temporum & multis annorum millibus tranſactis, eundem una reſtitutum fuiſſe.*

β Nec alium aliquem natura ſimilem.] *Quibus verbis notare videtur Originem, qui etſi non omnino eadem numero reſtituit in hoc eodem modo, ſimilia tamen*

in illis, quos præceſſiſſe aſſerebat, præextitiſſe affirmabat, ita non eundem Adamum, ſimiles tamen homines præceſſiſſe affirmare videtur, quod eſt omnino abſurdum, & contra authoritatem ſacræ ſcripturæ excogitatum.

γ Nec ab hac fide me Philoſophorum argumenta deterrent.] *Illud argumentum erat Philoſophorum, Deus habet ſcientiam omnium eorum quæ facit, ſiquidem intelligebant eum ſatis agere per intellectum inſtar ſapientis cujuſdam artificis, & habere rationes rerum apud ſe quas producit; At non poteſt infinita ſcientia ſua comprehendere, ſi quidem infinita nulla ſcientia comprehendi poſſe putabant. Ergo non niſi finita producit. Verùm abſurdum eſt aſſerere, temporalem eſſe ejus operationem, & æternam fuiſſe retrò ceſſationem ab operando, ab æterno igitur producit; verùm ſi non eadem certis revolutis temporibus redirent, infinita forent illius opera; infinita actu dari repugnat, non poſſent vel etiam illa Dei ſcientia comprehendi. Eò igitur deveniendum eſt, ut arguebant illi, ut dicamus eadem ſemper repeti, & revoluto certo annorum ſpatio reſtitui; & certè Philoſophi, qui ponebant æternitatem mundi & animarum rationalium immortalitatem, ut evaderent hoc argumentum, quod videtur repugnare dari infinita actu, hunc animarum circuitum excogitarunt,* ut ſcilicet animæ à corporibus ſeparatæ poſt determinata temporum curricula ad corpora iterum redirent, *ut tradit D. Thom. 2. contra Gentes, c.38. & 1. p. q. 46. art. 2. ad 8. Qui veritatem norunt ex ſcripturis ſacris, nihil moventur rationibus Philoſophorum, quas ut vanas & futiles facile redarguunt, quamq; ſint infirmæ, ſubito deprehendunt; quemadmodum potentiæ divinæ nemo poteſt præſcribere modum, ut non poſſit in infinitum multa producere, eaq; longe diverſa, & plura quàm vel animo poſſimus concipere, ita nec ſapientiæ vel ſcientiæ ejus definitos limites aliquis præſcriberet. Quod etiam afferunt credendum eſſe bonitatem Dei nunquam vacuam fuiſſe, equidem in ſe ſemper fuit perfectiſſima, & eadem neceſſitate ſemper voluit bonitatem ſuam, verum* etſi vellet ab æterno bonitatem ſuam tanquam neceſſarium objectum, non tamen alia à ſe voluit neceſſario ſiquidem ea vult prout ad bonitatem ſuam ordinantur, ut in finem, ea autem quæ ſunt ad finem, non ex neceſſitate volumus volentes finem, niſi ſint hujuſmodi, ſine quibus finis eſſe non poteſt, ut qua ratione volumus cibum ad conſervandam vitam, & navem ad transfretandum mare, non ita verò neceſſaria ea volumus, ſine quibus finis eſſe poteſt: cum igitur bonitas Dei ſit perfecta, & poſſit eſſe ſine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accedat, ſequitur quod alia à ſe non velit neceſſario exiſtere. *Ita philoſophatur D. Thomas 1. p. q. 19. art. 3. & 1. contra Gentes, c. 80. & ſeq. & l. 2. c. 25. & 27. & l. 3. c. 97. & q. 3. de pot. art. 17. ad 14. Pro ſua igitur bonitate & ſumma quidem libertate voluit creaturas, ſed ita tamen ut exiſterent, quando ſecundum conſilium voluntatis ſuæ eas produceret, nec aliquid inde illius bonitati acceſſit, ſed creaturis ipſis, & hominum eſt inſipientium neſcientium virtutem Dei, neq; ſcripturas, argumentari, ſi Deus mundum ex tempore produxit, id vel novo conſilio, & acceſſione nova voluntatis feciſſe, vel pœnitentem prioris vacationis aggreſſum fuiſſe tantum opus: Quod etiam dicunt rerum finitarum finitas eſſe rationes in Deo, im-*

mò, prout eſſentia ſua eſt infinita: ars incomprehenſibilis, apud ſe habet infinitas rationes, & infinitarum rerum exemplaria, ad quorum imitationem quæ velit producat. Falſum enim eſt eorum tantùm quæ fecit, ac non etiam infinitorum, quæ poteſt Deus facere, non habere rationes apud ſe; falſiſſimum etiam quarumlibet rerum effectione poſſe omnino exhauriri infinitam artis illius divinæ perfectionem. ut enim egregiè ſcribit D. Baſilius, homilia 1. in Hexamero. Ὡς ὁ κεραμεὺς ἀπὸ τῆς αὐτῆς τέχνης μυρία διαπλάσας σκεύη, οὔτε τὴν τέχνην, οὔτε τὴν δύναμιν ἐξανάλωσεν, οὕτω καὶ ὁ παντὸς τούτου δημιουργὸς οὐχ ἑνὶ κόσμῳ σύμμετρον ἔχων τὴν ποιητικὴν δύναμιν, ἀλλ' εἰς ἀπειροπλάσιον ὑπερβαίνουσαν τῇ ῥοπῇ τοῦ θελήματος μόνῃ εἰς τὸ εἶναι παρήγαγε τὰ μεγέθη τῶν ὁρωμένων.

δ Noſtram ſimplicem pietatem.] *Ita vocat Chriſtianam doctrinam, quæ non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis nititur, neq; Philoſophorum argumentis fulcitur, quam vocat Apoſtolus ad Tit. 1. veritatem ſecundùm pietatem, quæ etſi Iuliano illi Apoſtatæ* ἀγροικία καὶ ἀλογία *diceretur, ut refert Nazianzenus 2. Invecti. in eum, omnem tamen doctrinam extollentem ſe ſupra eam facile concutit & evertit,* ſimplex eſt, non fucata, quæ tanto præcellit externorum dogmata *(ait D. Baſilius homil. 3. in Hexameron.)* quanto quæ in caſtis fœminis pulchritudo eſt, meritriciam antecedit, eique longe eſt anteponenda. ὅσῳ γὰρ τὸ ἐν ταῖς σώφροσιν κάλλος τοῦ ἑταιρικοῦ προτιμότερον, τοσοῦτον καὶ τῶν ἡμετέρων λόγων πρὸς τοὺς ἔξωθεν τὸ διάφορον.

ε Si ratio refutare non poſſit, fides irridere deberet.] *Certò enim conſtat plurima eſſe falſa, quorum tamen falſitas refutari vel convinci ratione nequit, ſed tantùm fide, ut quod quidam mundum non habuiſſe initium aſſeruerint, id certò nulla ratione evidenti vel demonſtrativa, qua omnino convincatur intellectus, redargui non poteſt, & omnia argumenta, quæ adferemus ad demonſtrandam creationem mundi ex tempore, Philoſophus ſolvet, ut docuit D. Thomas 1. p. q. 46. artic. 2. & l. 2. contra Gentes c. 38. Verùm fides ipſa, quæ perſpicuam & certiſſimam habet veritatem, facile irridet omnia ſapientum hujus mundi dogmata, qui in tenebris verſantur, hæc eſt, quæ perdit ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobat, & etiam poteſt Theologus evidenter ſolvere omnia argumenta, quæ contra ea, quæ ſunt fidei, adducuntur.*

ζ Quod mentem divinam de ſua humana] *Hinc errores de Deo rebuſque divinis naſcuntur, quia naturam divinam non prout eſt, omnia longe excedentem, & ingenij noſtri vires in infinitum ſuperantem cum ſilentio admiramur, ut par eſt, verùm de ea per conjecturas ſententiam ferimus, cumq; per intermedias creaturas eam agnoſcamus, illi etiam quæ in ipſis cernimus, attribuamus, cum alioquin imperfectiones creaturarum ſint ab eo longe removendæ. Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theologia volenti philoſophari de divinæ generationis myſterio pro animi ſententia;* Rejice, *inquit*, fluxiones tuas, & diviſiones & ſectiones, & quod de natura incorporea tanquam de corpore cogitas, ac fortaſſe dignum quiddam Dei generatione cogitabis, ita à mente illa ſuprema omnes noſtræ mentis imperfectiones longe rejiciamus, eamque magis admiremur, quàm ali-

aliquid illa dignum concipere nos poſſe ſperemus, ac cum de illa orthodoxè ſentiemus.

η Fortaſſis oſtendens quàm non eis indiguerit.] *Quare non ab æterno Deus mundum condiderit etſi æterno conſilio, docet etiam D. Thomas 2. contra Gentes c.38. ex fine divinæ voluntatis.* Finis enim divinæ voluntatis in rerum productione eſt ejus bonitas, in quantum per cauſata manifeſtatur; potiſſimùm autem manifeſtabatur divina bonitas & virtus per hoc, quod res aliæ præter ipſum non ſemper fuerunt: Inde manifeſtè apparet, quod res aliæ præter ipſum ab ipſo habent eſſe, quia non ſemper fuerunt. Oſtendit etiam, quod non agit per neceſſitatem naturæ, & quia virtus ſua infinita eſt in agendo. Hoc enim convenientiſſimum fuit divinæ bonitati, ut rebus creatis principium durationis daret, *& 1. p. q.46. art.1. ad 6.* manifeſtius mundus ducit in cognitionem divinæ potentiæ creantis, ſi mundus non ſemper fuit, quàm ſi mundus ſemper fuiſſet. Omne enim quod non ſemper fuit, manifeſtum eſt habere cauſſam, ſed non ita manifeſtum eſt de eo quod ſemper fuit, *& 1. contra Gent. c.13. dicit, viam efficaciſſimam ad probandum Deum eſſe, ſumi ex ſuppoſitione novitatis mundi*, Si enim mundus & motus de novo incœpit, planum eſt quod oportet poni aliquam cauſſam, quæ de novo producat mundum & motum, *de potent. q.3. art.17. ad 8.* Expreſſius Deus manifeſtatur ex creaturis ſi non ſemper ſint, quia in hoc manifeſtè apparet, quod ab alio eductæ ſunt in eſſe, & quod Deus creaturis non indiget, & quod creaturæ omnino divinæ ſubjacent voluntati. *Eædem rationes exſtant etiam apud Eugubinum lib. 7. de perenni philoſophia c.5. ex Philone, cur mundus non ſit æternus.*

Cap. XVIII.

Contra eos qui dicunt ea, quæ infinita ſunt, nec Dei poſſe ſcientia comprehendi.

ILlud autem aliud quod dicunt, *α* nec Dei ſcientia quæ infinita ſunt poſſe comprehendi, reſtat eis ut dicere audeant, atque huic ſe voragini profundæ impietatis immergant, quod non omnes numeros Deus noverit. Eos quippe infinitos eſſe certiſſimum eſt, quoniam in quocunque numero finem faciendum putaveris, idem ipſe non, dico uno addito augeri, ſed quàmlibet ſit magnus, & quàmlibet ingentem multitudinem continens, in ipſa ratione atque ſcientia numerorum, non ſolùm duplicari, verumetiam multiplicari poteſt. Ita verò ſuis quiſque numerus proprietatibus terminatur, *β* ut nullus eorum par eſſe cuiquam alter poſſit. Ergo & diſpares inter ſe, atque diverſi ſunt, & ſinguli quique finiti ſunt, & omnes infiniti ſunt. *b* Ita nec numeros propter infinitatem neſcit omnipotens Deus, & uſque ad quandam ſummam numerorum ſcientia Dei pervenit, cæteros ignorat? Quis hoc etiam vel dementiſſimus dixerit? Nec audebunt iſti contemnere numeros, & eos dicere ad Dei ſcientiam non pertinere: apud quos Plato Deum magna autoritate commendat mundum numeris fabricantem; & apud nos Deo dictum legitur, Omnia in *Sap.11.*

Digitized by Google

menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. De quo dicit Propheta: Qui profert numero ſeculum. Et ſalvator in Evangelio: Capilli, inquit, veſtri omnes numerati ſunt. Abſit itaque, ut dubitemus, quòd ei notus non ſit omnis numerus, cuius intelligentiæ, ſicut in Pſalmo canitur, non eſt numerus. Infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus ſit numerus: non eſt tamen incomprehenſibilis ei, cuius intelligentiæ non eſt numerus. Quapropter, γ ſi quicquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur: profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita eſt, qvia ſcientiæ ipſius incomprehenſibilis non eſt. Quare ſi infinitas numerorum ſcientiæ Dei, qua comprehenditur, eſſe non poteſt infinita, qui tandem nos ſumus homunculi, qui eius ſcientiæ limitem figere præſumamus: dicentes, quòd niſi eisdem circumitibus temporum, eadem temporalia repetantur, non poteſt Deus cuncta quæ fecit vel præſcire ut faciat, vel ſcire cùm fecerit: cuius ſapientia ſimpliciter multiplex, & uniformiter multiformis, tam incomprehenſibili comprehenſione omnia incomprehenſibilia comprehendit, ut quæcunque nova & diſſimilia conſequantur * præcedentibus, ſi ſemper facere vellet, inordinata & improviſa habere non poſſet: δ nec ea prævideret ex proximo tempore, ſed æterna præſcientia contineret.

L.Vives. a UT nullus eorum.] *Nam duo homines, & duo equi, etſi diverſi, idem tamen numerus dicuntur. Nec illud quæro, differatne numerus ab iis rebus, quas numeramus, an idem ſit cum illis, quod in ſcholis magnis utrinq; animis, & clamoribus depugnatur.*

b Ita nec.] *Legendum ſic: Itane numeros propter infinitatem neſcit omnipotens Deus, & usq; ad quandam, &c.*

F.L.Coq. α QUOD dicunt nec Dei ſcientia quæ infinita ſunt.] *Quod Deus per ſcientiam ſuam infinita intelligat, docet D. Thomas 1.p.q.14. art.12. quod etiam multis rationibus probat. 1. contra Gentes, c.69. & q.2. de verit. art.9. & Theologi 1.ſent. diſt.39.*

β Ut nullus eorum par eſſe.] *Propterea Ariſtot.8. metaphyſ. comparat ſpecies rerum ipſis numeris, ut quemadmodum non poſſunt eſſe duæ ſpecies numerorum pares, ſed addita cuilibet numero, vel etiam ſubtracta unitate variatur ſpecies numeri, ita ſpecies rerum conſiſtunt in indiviſibili, ut aliquo addito vel ſubtracto ſubinde varietur ſpecies.*

γ Si quicquid ſcientia comprehenditur ſcientis comprehenſione finitur.] *Ita loquitur lib.83. qq.14. quod id quod comprehendit ſe, finitum eſt ſibi, cum tamen Deus ſeipſum comprehendat, & ex ea ratione quodammodo dicatur ſibi finitus,* Quia ſic ſe habet in non excedendo intellectum ſuum, quemadmodum ſe aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum, *ut loquitur D. Thom. 1.p.q.14.art.3.ad 2.non tamen ita dicitur ſibi finitus quod intelligit ſe aliquid eſſe finitum. Illud autem dicitur,* Comprehendi, quod ita videtur vel intelligitur, ut nihil ejus omnino lateat, *vel* quia tam perfectè cognoſcitur, quàm cognoſcibile eſt, *qua ratione à nullo intellectu creato Deus poteſt comprehendi.*

δ Nec

δ Nec ea præviderit ex proximo tempore, ſed æterna præſcientia contineret.] *Idem l. contra Priſcill. c. 8.* Noverat Deus omnia quæ fecit antequam faceret. Non enim poſſumus dicere eum ignorata feciſſe, & eum nonniſi facta dedici ſſe, neſciſſe quid faceret, ſed ſciſſe quod fecit. Hoc enim ſi de aliquo artifice homine diceremus, inſipientiſſimè ſaperemus. Noverat ergo ea facienda, non facta, noverat ut faceret, non quia fecerat. Proinde quamvis jam nota eſſent, quia niſi à ſciente non fierent, non tamen facta eſſe cœperunt, quæ ut fierent, ſciebantur antequam fierent.

CAP. XIX.

De ſeculis ſeculorum.

QUod utrum ita faciat, & continuata ſibi connexione copulentur, *a* α quæ appellantur ſecula ſeculorum: alia tamen atque alia, ordinata diſſimilitudine procurrentia, eis duntaxat qui ex miſeria liberantur, in ſua beata immortalitate ſine fine manentibus, an ita dicantur ſecula ſeculorum ut intelligantur ſecula in ſapientia Dei inconcuſſa ſtabilitate manentia, iſtorum quæ cum tempore tranſeunt β tanquam efficientia ſeculorum, definire non audeo. Fortaſſis enim poſſit dici ſeculum, quæ ſunt ſecula: ut nihil aliud perhibeatur ſeculum ſeculi, quàm ſecula ſeculorum: ſicut nihil aliud dicitur, cœlum cœli, quàm cœli cœlorum. Nam cœlum Deus vocavit firmamentum ſuper quod ſunt aquæ: γ & tamen in Pſalmo: Et aquæ, inquit, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. Quid ergo iſtorum duûm ſit, an præter hæc duo aliquid aliud de ſeculis ſeculorum poſſit intelligi, profundiſſima quæſtio eſt. Neque hoc quod nunc agimus impedit, ſi indiſcuſſa interim differatur: ſive aliquid in ea definire valeamus, ſive nos faciat cautiores diligentior ipſa tractatio, ne in tanta obſcuritate rerum, affirmare aliquid temerè audeamus. Nunc enim contra opinionem diſputamus, qua illi circumitus aſſeruntur, quibus ſemper eadem per intervalla temporum neceſſe eſſe repeti exiſtimantur. Quælibet autem illarum ſententiarum de ſeculis ſeculorum vera ſit, ad hos circumitus nihil pertinet: quoniam ſive ſecula ſeculorum ſint, non eadem repetita, ſed alterum ex altero connexione ordinatiſſima procurrentia, liberatorum beatitudine ſine ullo recurſu miſeriarum certiſſima permanente: ſive ſecula ſeculorum æterna ſint temporalium, tanquam dominantia ſubditorum circumitus illi eadem revolventes locum non habent, *b* δ quos maximè refellit æterna vita ſanctorum.

Gen. 1.
Pſ. 148.

a QUæ appellantur ſecula ſeculorum.] *Sæpe in ſacris literis hæc duo nomina leguntur conjuncta ſecula ſeculorum. Quid ea ſignificent Hieronym. in Epiſtolam ad Galatas ſic definit: Quærendum, inquit, quoque quid ſit inter ſeculum ſeculi, ſive ſecula ſeculorum, & ubi pro brevi temporis ſpatio, ubi pro æternitate ponatur: quia in Hebræo ſeculum, id eſt* עולם *ubi* ו *literam præpoſitam habuerit: æternitatem ſignificat: ubi verò ſine* ו *ſcribitur, annum quinquageſimum, quem illi Jobileum vocant. Ob hanc cauſam & ille Hebræus qui propter uxorem & liberos amans dominum ſuum aure pertunſa ſervitio ſubjugatur, ſervire jubetur in ſeculum, hoc* L. Vives.

eſt,

eſt, uſq; ad annum quinquageſimum: & Moabitæ & Amonitæ non ingrediuntur eccleſiam Domini, uſq; ad quintam & decimam generationem & uſq; in ſeculum: quia omnis dura conditio Jobilei ſolvebatur adventu. Quidam dicunt eundem eſſe ſenſum in ſeculis ſeculorum, quem in ſanctis ſanctorum, in cœlis cœlorum, in operibus operum, in canticis canticorum: & quam habent differentiam cœli ad eos quorum cœli ſunt, & ſancta quæ ſanctorum comparatione ſunt ſanctiora, & opera quæ operum prælatione meliora ſunt, & cantica quæ inter cantica univerſa præcellunt, eandem habere & ſeculum, quæ ſeculorum collatione ſunt ſecula. Præſens itaq; ſeculum ita ediſſerunt, ut dicant ex eo tempore illud eſſe numerandum, ex quo cœlum & terra ſunt condita, & currere uſq; ad conſummationem mundi, quo Chriſtus judicaturus eſt omnia. Revocant quoq; ultra, & in priora promovent gradum de præteritis & futuris ſeculis diſputantes, bona an mala fuerint ſeu futura ſint, & in tam profundas incidant quæſtiones, ut libros quoq; & infinita volumina ſuper hac diſſertione condiderint. Hæc ille.

b Quos maximè refellit æterna vita ſanctorum.] *Qui ad miſeriam non relabuntur: neq; beatitudo eſſet, ſi certum non haberent ſe ibi ſemper futuros, nec æterna vita ſi morte finiretur.*

F.L.Cer. *α* QUÆ appellantur ſæcula ſæculorum.] *Origenes in 16. caput ad Roman. ad finem ſcribit, moris eſſe divinæ ſcripturæ, per hoc immenſitatem temporum deſignare. & Homil. 6. in Exodum.* Quoties *(inquit)* in ſæculum dicitur, longitudo quidem temporis, ſed eſſe finis aliquis indicatur. Etſi enim aliud ſæculum dicatur, aliquis ſine dubio longior quidem, tamen ponitur finis: & quoties ſæcula ſæculorum nominantur, fortaſſe licet ignotus nobis, tamen ſtatutus aliquis à Deo terminus indicatur. *Verùm l.2. περὶ ἀρχῶν ca.3. hallucinatur, quod velit multa ſæcula hoc præceſſiſſe, in quo Chriſtus paſſus eſt, cum dicat Apoſtolus Hebræor.9. eum* in conſummatione ſæculornm *paſſum eſſe, quod huic ſæculo alia velit eſſe ſucceſſura ejuſdem authoritate nixus, Ephes.2.* Ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus ſuperabundantes divitias gratiæ ſuæ, *adeoq; velit alios modos hunc anteceſſiſſe, & alios ſucceſſuros, cùm nihil aliud per ſæcula illa vel antecedentia vel ſupervenientia intelligatur ab Apoſtolo quàm tempora, quæ præceſſerunt, vel ſecuta ſunt paſſionem Chriſti.*

β Tanquam efficientia ſæculorum.] *Ut quemadmodum bonitas Dei effectiva eſt cauſa & exemplaris bonitatis creaturarum, & rationes exemplares in mente divina productivæ creaturarum, ita æternitas illa divina ſit effectiva ſæculorum ſeu temporum, quæ quia invariabilis ſit, carens principio & fine, intelligatur per ſæcula ſæculorum, id tamen definire non audet. Et certè D.Hieronymus in cap.1. ad Galatas ex quorundam ſententia dicit, eundem eſſe ſenſum in ſæculis ſæculorum, quem in ſanctis ſanctorum, in cœlis cœlorum, in canticis canticorum, ut duratio quædam intelligatur omnium perfectiſſima.*

γ Et tamen Pſalmus, & aquæ, quæ ſuper cœlos.] *Phraſi Hebraica quæ non habet numerum ſingularem, quo cœlum ſignificet, ſed tantum pluralem, ut ſupra dictum eſt.*

δ Quos

d Quos maximè refellit æterna vita ſanctorum.] *Utpote quos abſurdiſſimum ſit & falſum ad has eaſdem miſerias redituros, cùm vita & beatitudo promittatur in ſcripturis ſacris æterna, ut inde argumentum certiſſimum colligatur contra hos circuitus errorum, quibus volebant omnia per circuitus & revolutiones quaſdam eadem redire Matth.25.* Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam, *ubi D. Hieronymus*, prudens lector attende, quod & ſupplicia æterna ſint, & vita perpetua deinceps metum non habeat ruinarum.

CAP. XX.

De impietate eorum qui aſſerunt animas ſummæ veræq; beatitudinis participes, iterum atq; iterum per circumitus temporum ad eaſdem miſerias laboresq; redituras.

QUorum *a* enim aures piorum ferant, poſt emenſam tot tantiſque calamitatibus vitam, ſi tamen vita iſta dicenda eſt, *b α* quæ potius mors eſt, *c* ita gravis ut mors quæ ab hac liberat mortis huius amore timeatur, poſt tam magna mala, tamque multa & horrenda, tandem aliquando per veram religionem atque ſapientiam expiata atque finita ira pervenire ad conſpectum Dei, atque ita fieri beatum contemplatione incorporeæ lucis per participationem incommutabilis immortalitatis eius, cuius adipiſcendæ amore flagramus, β ut eam quandoque neceſſe ſit deſeri, & eos qui deſerunt ab illa æternitate, veritate, fœlicitate dejectos, tartareæ mortalitati, turpi ſtultitiæ, miſeriis execrabilibus implicari: ubi Deus amittatur, ubi odio veritas habeatur, ubi per immundas nequitias beatitudo quæratur: & hoc itidem atque itidem ſine ullo fine priorum & poſteriorum certis intervallis & dimenſionibus ſeculorum factum & futurum: & hoc propterea, ut poſſint Deo circumitibus definitis, euntibus ſemper atque redeuntibus per noſtras falſas beatitudines & veras miſerias alternatim quidem, ſed revolutione inceſſabili ſempiternis nota eſſe opera ſua, quoniam neque à faciendo quieſcere: neque ſciendo poſſit ea quæ infinita ſunt indagare. Quis hæc audiat? Quis credat? Quis ferat? Quæ ſi vera eſſent non ſolum tacerentur prudentius, verumetiam (ut quomodo valeo dicam quod volo) doctius neſcirentur. *d* Nam ſi hæc illic in memoria non habebimus, & ideò beati erimus, *e* cur hic per eorum ſcientiam gravatur amplius noſtra miſeria? Si autem ibi ea neceſſariò ſcituri ſumus, hic ſaltem neſciamus, ut hic fœlicior ſit expectatio, quam illic adeptio ſummi boni, quando hic æterna vita conſequenda expectatur, ibi autem beata, ſed non æterna, quandoque amittenda cognoſcitur. Si autem dicunt neminem poſſe ad illam beatitudinem pervenire, niſi hos circumitus, ubi beatitudo & miſeria viciſſim alternant, in huius vitæ eruditione cognoverit, quomodo ergo fatentur, quantò plus quiſque amaverit Deum, tantò eum facilius ad beatitudinem perventurum, qui ea docent quibus amor ipſe torpeſcat? Nam quis non remiſſius & tepidius amat eum, quem ſe cogitat neceſſario deſerturum, & contra eius veritatem ſapientiamque ſenſurum, & hoc cùm ad eius plenam pro ſua capacitate

Digitized by Google

notitia, beatitudinis perfectione pervenerit, *f* quando nec hominem amicum poſſit quiſque amare fideliter, cui ſe futurum noverit inimicum? Sed abſit ut vera ſint, quæ nobis minantur veram miſeriam nunquam finiendam, ſed interpoſitionibus falſæ beatitudinis ſæpe ac ſine fine rumpendam. Quid enim illa beatitudine falſius atque fallacius, ubi nos futuros miſeros, aut in tanta veritatis luce neſciamus, aut in ſumma fœlicitatis arce timeamus. Si enim futuram ibi calamitatem ignoraturi ſumus, peritior eſt hic noſtra miſeria, ubi futuram beatitudinem novimus. Si autem nos illic clades imminens non latebit, *g* beatius tempora tranſigit anima miſera, quibus tranſactis ad beatitudinem ſublevetur, quam beata, quibus tranſactis in miſeriam revolvatur. *h* Atque ita ſpes noſtræ infœlicitatis eſt fœlix, & fœlicitatis infœlix. Unde fit, ut quia hic mala præſentia patimur, ibi metuimus imminentia, verius ſemper miſeri, quàm beati aliquando eſſe poſſimus. Sed quoniam hæc falſa ſunt clamante pietate, convincente veritate. Illa enim nobis veraciter promittitur vera fœlicitas, cuius erit ſemper retinenda, & nulla infœlicitate rumpenda certa ſecuritas, viam rectam ſequentes, quæ * nobis eſt Chriſtus, eo duce ac ſalvatore à vano & inepto impiorum circuitu iter fidei mentemque avertamus. Si enim de iſtis circumitibus, & ſine ceſſatione alternantibus itionibus & reditionibus animarum, Porphyrius Platonicus ſuorum opinionem ſequi noluit, ſive ipſius rei vanitate permotus, *γ* ſive jam tempora Chriſtiana reveritus. Et quod in lib. x. commemoravi, dicere maluit, animam propter cognoſcenda mala traditam mundo, ut ab eis liberata atque purgata, cum ad patrem redierit, nihil ulterius tale patiatur, quanto magis *δ* nos iſtam inimicam Chriſtianæ fidei falſitatem deteſtari ac devitare debemus? His autem circumitibus evacuatis atque fruſtratis, nulla neceſſitas nos compellet, ideo putare non habere initium temporis, ex quo eſſe cœperit genus humanum, quia neſcio per quos circumitus nihil ſit in rebus novi, quod non & antea certis intervallis temporum fuerit, & poſtea ſit futurum. Si enim liberatur anima non reditura ad miſerias, ſicut nunquam antea liberata eſt, fit in illa aliquid quod antea nunquam factum eſt, & hoc quidem valde magnum, id eſt, quæ nunquam deſinat æterna fœlicitas. Si autem in natura immortali fit tanta novitas futura, nullo repetita, nullo repetenda circumitu, cur in rebus mortalibus fieri non poſſe contenditur? Si dicunt non fieri in anima beatitudinis novitatem, quoniam ad eam revertitur in qua ſemper fuit, ipſa certè liberatio nova fit, cum de miſeria liberatur, in qua nunquam fuit, & ipſa miſeriæ novitas in ea facta eſt, quæ nunquam fuit.. Hæc autem novitas ſi non in rerum, quæ divina providentia gubernantur, ordine venit, ſed caſu potius evenit, ubi ſunt illi determinati dimenſique circumitus, in quibus nulla nova fuit, ſed repetuntur eadem quæ fuerunt? Si autem & hæc novitas ab ordinatione divinæ providentiæ non excluditur, *i* ſive data ſit anima, ſive lapſa ſit, poſſunt fieri nova, quæ neque antea facta ſint, nec tamen à rerum ordine aliena ſint. Et ſi potuit anima facere per imprudentiam ſibi novam miſeriam, quæ non eſſet improviſa divinæ provi-

al. quod.

providentiæ, ut hanc quoque in rerum ordinem includeret, & ab hac eam non improvidè liberaret, qua tandem temeritate humanæ vanitatis audemus negare divinitatem facere poſſe res non ſibi ſed mundo novas, quas neque antea fecerit, nec unquam habuerit improviſas? Si autem dicunt liberatas quidem animas ad miſeriam non reverſuras, ſed cum hoc fit in rebus nihil novi fieri, quoniam ſemper aliæ atque aliæ liberatæ ſunt, & liberantur, & liberabuntur. Hoc certè concedunt, ſi ita eſt novas animas fieri, quibus fit & nova miſeria, & nova liberatio. Nam ſi antiquas eas dicunt eſſe, & retrorſum ſempiternas, *i* ex quibus quotidie novi fiunt homines, de quorum corporibus ſi ſapienter vixerint, ita liberentur, ut nunquam ad miſerias revolvantur, conſequenter dicturi ſunt infinitas. Quantuslibet nanque finitus numerus fuiſſet animarum, infinitis retro ſeculis ſufficere non valeret, ut ex illo ſemper fierent homines, quorum eſſent animæ ab iſta ſemper mortalitate liberandæ, nunquam ad eam deinceps redituræ. Nec ullo modo explicabunt *k* quomodo in rebus, quas Deo notas eſſe, eo quòd ſunt infinitæ, non volunt, infinitus ſit numerus animarum. Quapropter quoniam circumitus illi jam exploſi ſunt, quibus ad eaſdem miſerias neceſſario putabatur anima reditura, quid reſtat convenientius pietati, quàm credere non eſſe impoſſibile Deo, & ea quæ nunquam fecerit, nova facere, & ineffabili præſcientia voluntatem mutabilem non habere? Porrò autem utrum animarum liberatarum, nec ulterius ad miſerias rediturarum numerus poſſit ſemper augeri, ipſi viderint, qui de rerum infinitate cohibenda, tam ſubtiliter diſputant: nos verò ratiocinationem noſtram ex utroque latere terminamus. Si enim poteſt, quid cauſæ eſt, ut negetur creari potuiſſe, quod nunquam antea creatum eſſet? Si liberatarum animarum numerus, qui nunquam antea fuit, non ſolùm factus eſt ſemel, ſed nunquam fieri deſinet? Si autem oportet ut certus ſit liberatarum aliquis numerus animarum, quæ ad miſeriam nunquam redeant, neque iſte numerus ulterius augeatur, etiam ipſe ſine dubio quicunque erit, antè utique nunquam fuit. Qui profectò creſcere, & ad ſuæ quantitatis terminum pervenire, ſine aliquo non poſſet initio. Quod initium quoniam antea nunquam fuit, hoc ergo ut eſſet, creatus eſt homo ante quem nullus fuit.

a QUorum autem aures piorum ferant poſt.] *Non parva eſt inter Platonicos diſſenſio, an anima ita aliquando ad ſuum aſtrum, unde ſumpta eſt, redeat, ut ibi æternum ſit beata, an infinitis revolutionibus, & ad corpus deſcendat, & è corpore alio migret. Plato enim in Phædro & Rep. ſempiternam fœlicitatem animis tribuit. Idcirco Porphyrius & Jamblichus expurgatum omnino animum nolunt corpori reddi. Plotinus & Proclus quamlibet defecatum & purum finita periodo huc reducunt: cumq; Plato ſempiternum nominat, intelligunt non æternitatem temporum, ſed magni anni ſpatium.* L. Vives.

b Quæ potius mors eſt.] *Cicero in ſexto De repub. ex ſententia Platonis vitam noſtram potius mortem eſſe appellandam dicit, in qua jugi malorum fonte circumſepti, ſingulis propè momentis necamur.*

Digitized by Google

c Ita gravis ut mors, quę ab hac liberat.] *Inter omnia mala, quæ vita hæc corporalis ſecum adfert, illud eſt de primis, quòd abſumpto ferè rationis omnis & conſilij vigore ſui dulcedinem charitatemq; immodicam ingerit affectibus. Contrarij verò horrorem ac odium, cùm è diverſo, ſi mente & judicio valeremus, neq; hæc duo obruta eſſent corporis mole, liberari à morte hac, quam nos vitam vocamus, deberemus velle, & cum illo apud Apoſtolum ingemiſcere: Me miſerum, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

d Nam ſi hæc illic in memoria non habet.] *Bibemus enim de fluvio Lethæo, ut dicunt.*

e Cur hic per eorum ſcientiam.] *Timor enim malorum permagna eſt miſeria, ſatiusq; eſt multò mori ſecurum, quàm vivere metuentem.*

f Quando nec hominem amicum poſſit quiſquam amare fideliter.] *Cicero in Lælio: Negabat Scipio ullam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quàm eius, qui dixiſſet ita amare oportere, ut aliquando eſſet oſurus: nec verò ſe adduci poſſe, ut hoc, quemadmodum putaretur, à Biante eſſe dictum crederet, qui habitus eſſet ſapiens, & unus ex ſeptem, ſed impuri potius cuiusquam & ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam revocantis eſſe ſententiam. Quonam enim modo quiſquam amicus eſſe poterit eius, cui ſe putabit inimicum eſſe poſſe? Quare hoc quidem præceptum cuiuscunq; eſt, ad tollendam amicitiam valet: illud potius præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis comparandis, ut ne eum amare inciperemus, quem aliquando odiſſe poſſemus.*

g Beatius tempora tranſigit.] *Quanto melior eſt fœlicitas poſt miſeriam, quàm miſeria poſt fœlicitatem. Senſus enim miſeriæ, quam fœlicitas manet, ſpe fit minor, ut magna pars fœlicitatis adimitur miſeriæ ſecuturæ metu. Puerulo mihi Blancha mater matronarum omnium, niſi me pietas fallit, pudiciſſima narrare ſolebat, Sirenes per tempeſtatem cantare ſuaviter conſueſſe, contrà lamentari ſereno cœlo, quieto mari: quòd nunc immutationem in pejus metuerent, tunc verò tranquillitatem ſperarent.*

h Spes noſtræ fœlicitatis eſt fœlix.] *Non ſpes de infœlicitate, ſed quæ eſt in infœlicitate præſenti de fœlicitate ventura.*

i Sive elata ſit ani.] *Legendum, Sive data ſit anima, ſive lapſa ſit, & ſic eſt in veteribus libris. Attingit duas opiniones Platonicorum, quorum alij animas corporibus à Deo datas volunt, & miſſas, alij ſuapte culpa, & inde pondere per culpam contracto delapſas eſſe de cœlis in corpora, ad luendas pœnas.*

k Quomodo in rebus.] *In aliis libris, aliis verbis, ſed idem valente ſententia: quomodo in rebus, quas ut Deo nota eſſe poſſint, finitas volunt, infinitus ſit numerus animarum.*

F.L.Coq. *a* QUÆ potius mors eſt.] *Id aſtruit Cicero l.6. de Repub. & Macrob. l.1.c.11. ad eum locum ex Pythagoreorũ & Platonicorum ſententia duas eſſe mortes aſſerit, unam animæ, animalis alteram, mori animal, cùm anima diſcedit à corpore, ipſam verò animam mori aſſerentes, cùm à ſimplici & individuo fonte naturæ in membra corporis diſſipatur, ſed melius docet nos ſcriptura, non eſſe aliam vitam, quàm*

quàm æternam. Unde Chriſtus, Si vis ad vitam ingredi, eam definiens vitam quæ fuerit æterna, *ut obſervat Auguſtinus de verbis Domini in Matth.* Ut intelligamus hanc præſentem magis eſſe mortem quàm vitam. *D. Baſilius, Pſalm. 33. ad ea verba,* Quis eſt homo, qui vult vitam, *eam verè vitam eſſet docet,* non communem hanc quam vivunt & bruta, ſed quæ prorſus vera eſt vita, nec ulla interciditur morte. Nunc enim Apoſtolus ait: Mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. *Paulo poſt,* Illius vitæ dies boni ſunt, ſæculi autem hujus dies mali ſunt. Iacob Geneſ. Dies annorum meorum pauci admodum ſunt & mali. Igitur nunc quidem in vita non ſumus, ſed in morte. Idcircò optabat mori Paulus dicens, Quis me liberabit à corpore mortis hujus? Alia autem eſt quædam vita, ad quam nos hic Pſalmus vocat. Nunc quidem dies noſtri mali ſunt, quidam alii boni, quos nulla intercidit nox. *Gregorius Nazianzenus,* Haud ſcio, an hæc vita noſtra mors potius dicenda ſit, ac mors contra vitæ nomine appellanda, tametſi aliter vulgo videatur.

β Ut eam quandoqve neceſſe ſit deſeri, & eos qui deſerunt.] *Fuit error ſeu potius dementia Origenis quaſdam alternationes beatitudinis & miſeriæ comminiſcentis, ita ut tranſactis aliquot annorum curriculis, animas beatas dicat iterum in corpora mortalia reverti, & in eis moleſtias corporis pati, & inde iterum ad beatitudinem revocari, & à beatitudine ad miſeriam rurſum deflecti, ut fiat quidem continuus beatitudinis & miſeriæ circulus. Eodem modo etiam de miſeris ſentit, ut illos dicat aliquando ad hoc ſæculum redituros, & inde rurſus ad beatitudinem evocandos, unde impiè etiam Dæmones opinatur aliquando ſalvandos. Hunc fuiſſe Origenis errorem teſtatur auctor noſter hæreſ. 43. & D. Thomas 1. 2. q. 5. art. 4. Et hic error facile colligitur ex libro περὶ ἀρχῶν, c. 6. qui præterquam quod refutatur hic ab Auguſtino, ſacris etiam literis omnino refellitur, in quibus beatitudo dicitur vita æterna. Ioannis 17.* Hæc eſt vita æterna. *Matth. 25.* Ibunt hi in vitam æternam. Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. *Apoc. 3.* Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. *Hæc eſt ſententia Eccleſiæ & omnium Patrum ac Theologorum, D. Thomas 1. 2. quæſt. 5. art. 4. id probat, & 4. contra Gentes, c. 93. Ad veram certè beatitudinem pertinet, ut expleat omne deſiderium, & excludat omnem miſeriam, ſed beatus maximè appetit perpetuitatem ſuæ beatitudinis, & niſi de ea ſecurus eſſet, vel ſi etiam minimum dubitaret, maximè affligeretur timore amittendi, quæ ſane eſſet maxima miſeria; beatitudo igitur dicenda non eſt, quæ non ſit perpetua, & quam præterea quis non teneat firmiter & citra omnem dubitationem fore perpetuam. Hoc eſt argumentum D. Auguſtini hoc loco,* Quid (*inquit*) illa beatitudine falſius atque fallacius, ubi nos futuros miſeros aut in tanta luce veritatis neſciamus, aut in ſumma fœlicitatis arce timeamus? Si enim ibi futuram calamitatem ignoraturi ſumus, peritior eſt hic noſtra miſeria, ubi futuram beatitudinem novimus. Si autem nos illic clades imminens non latebit, beatius tranſigit tempora anima miſera, quibus tranſactis ad beatitudinem ſublevetur, quàm beata, quibus tranſa-

ctis ad miſeriam revolvatur. *Ex ratione etiam beatitudinis in particulari id probari poteſt, quæ conſiſtit in viſione Dei. Locus Evangelij Lucæ 16. evertit errorem Origenis, qui error certè evertit totum ſtatum beatitudinis. Contra hunc ſcripſit etiam Gregorius l.34. Moralium c.16. D. Auguſtinus, ut notavit Alphonſus à Caſtro loc. cit. in hoc loco ſolum agit rationibus, nullum ſacræ ſcripturæ adferens teſtimonium, quia potiſſimum contra Philoſophos Gentiles agebat comminiſcentes hujuſmodi circuitus & revolutiones rerum in hoc ſeculo, qui magis moveri poterant, & commodius refutari argumentis quam ſacræ hiſtoriæ authoritatibus: Sic enim adverſarios fidei & religionis Catholicæ propriis armis confodere debemus, contra Iudæos ex veteris teſtamenti ſcripturis argumentandum, contra Hæreticos ex novo teſtamento, ſi eas ſcripturas admittant, teſtimonia proferenda: contra Gentiles perperam argumentabimur ex ſcripturis, quas rejiciunt, verum rationes ſunt adducendæ & Philoſophorum teſtimonia, ut fecere primi illi patres, quibus cum eis fuit negotium.*

γ Sive jam tempora Chriſtiana reveritus.] *Quibus nimirum veritas Chriſtiana mundo illuxit, & multi errores Philoſophorum facile innotuerunt, nec certè ipſum Porphyrium latuit, quid ſentirent Chriſtiani de ſtatu animarum poſt mortem, cum nonnulli ſcribant etiam eum à Chriſtiana Religione defeciſſe.*

δ Nos iſtam inimicam fidei Chriſtianæ falſitatem.] Rectum eſt judex ſui & obliqui, *ita nobis veritas Chriſtianæ fidei, cui nihil omnino ſubeſt falſitatis, & à qua quævis doctrina vel minimum diſſentiens, nobis error eſt.*

ε Ex quibus quotidie novi fiunt homines.] *Non ſatis intellexerunt Philoſophi illi modum quo producuntur de novo animæ ipſæ humanæ, & qua ratione Deus creando eas infundit corpori & infundendo creat. Plato exiſtimavit longe antea præceſſiſſe corpora, & in ea demitti tanquam in carcerem quendam. Ariſtoteles qui poſuit mundum æternum, non poſſe dari infinitum actu, aut animam mortalem aſſerere compulſus eſt, aut ſi immortalem, vel* μετεμψύχωσιν *&* μετενσωμάτωσιν, *aſſerere cogitur, vel certè ſibi ipſi contradicit apertè, nobis verò ex ſcripturis ſacris conſtat & animas immortales eſſe, & eas corpora humana minimè præceſſiſſe, & novas ſubinde à Deo creari, cui & earum numerus ab æterno tanquam authori ſit cognitus.*

Cap. XXI.

De conditione unius primi hominis atque in eo generis humani.

HAc igitur quæſtione difficillima, propter æternitatem Dei nova creantis ſine novitate aliqua voluntatis, quantum potuimus explicata, non eſt arduum videre multò fuiſſe melius quod factum eſt, α ut ex uno homine quem primum condidit, multiplicaret genus humanum, quàm ſi id inchoaſſet à pluribus. β Nam cùm animantes alias ſolitarias, & quodammodo ſolivagas, id eſt, quæ ſolitudinem magis appetant, ſicuti ſunt aquilæ, milui, leones, lupi, & quæcunque alia ita ſunt: alias verò congreges inſtituerit, quæ congregatæ atque in gregibus malint vivere, ut ſunt columbi, ſturni, cervi, a damulæ, &

cætera

cætera hujusmodi: utrunque tamen genus non ex ſinguli propagavit, ſed plura ſimul juſſit exiſtere. γ Hominem verò, cuius naturam quodammodo mediam inter angelos beſtiasque condebat, ut ſi creatori ſuo tanquam vero domino ſubditus præceptum eius pia obedientia cuſtodiret, δ in conſortium tranſiret angelicum ſine morte media, beatam immortalitatem ſine ullo termino conſecuturus: ſi autem dominum Deum ſuum libera voluntate ſuperbè atque inobedienter uſus offenderet, morti addictus beſtialiter viveret, libidinis ſervus æternoque poſt mortem ſupplicio deſtinatus, unum ac ſingulum creavit, non utiq; ſolum ſine humana ſocietate deſerendum, ſed ut eo modo vehementius ei commendaretur ipſius ſocietatis unitas vinculumque concordiæ, ſi non tantùm inter ſe naturæ ſimilitudine, verùmetiam cognationis affectu homines necterentur, quando nec ipſam quidem fœminam copulandam viro, ſicut ipsũ creare illi placuit, ſed ex ipſo, ut omne ex homine uno diffunderetur genus humanum.

a Damulæ.] *Sic diminutivè dixit, quia meticuloſum eſt animal, quum nec ferum ſit, nec manſuetum.* L. Viv.

α Ut ex uno homine.] *Hinc deridendæ fabulæ Poetarum & Gentilium circa hominum originem, de quibus videri poteſt Euſeb. l.1. de præpar. Evang. c.4. & Lactantius l.6. c.10.* F.L.Coq.

β Nam cum animantes alias ſolitarias.] *Ariſt. l.1. de hiſtoria animal. c.1. cum greſſilia tùm natatilia diſtinguit, quod alia ſunt gregalia, alia ſolitaria, vitam alia ancipitem degunt, ut modo ſocietate, modò ſolitudine gaudeant, nullum, cui ungues adunci, gregale eſſe ſcribit.*

γ Hominem verò cujus naturam quodammodo mediam inter Angelos beſtiaſque.] *Quia homo media quædam erat natura inter Angelos & animalia, veluti medium quoddam vinculum viſibilis & inviſibilis naturæ, ut poſt Gregorium Nazianzenum dixit Damaſcenus l.2. c.12.* Mediam quodammodo conveniebat eſſe rationem originis humani generis, Angeli omnes ac ſinguli ſunt immediatè à Deo creati, nec unus ex alio productus, nec reliqui ex uno quodam primo. Animalia ex aliis orta ſunt, non tamen omnia etiam quæ ejuſdem ſunt ſpeciei ex uno generata ſunt. Si quidem in exordio mundi Deus cujuſque ſpeciei animalium multos mares ac multas fœminas fecit, è quibus cætera facile ac numeroſè procreari poſſent: In homine medio quodammodo res ſe habuit, ſi quidem primus homo proximè à Deo factus eſt, ex hoc fabricata fœmina, ex utroque cuncta hominum ſoboles exſtitit.

δ Ad conſortium tranſiret Angelicum ſine morte media.] *Contra hæreſim Pelagij, qui (ut author eſt D. Auguſtinus l. de hæreſ. 88. & lib.1. de peccat. meritis & remiſſ. cap.2. & ſequentib.) volebat Adam moriturum fuiſſe, etiamſi non peccaſſet, & quod mortuus eſſet, non ex culpæ detrimento, ſed ex conditione naturæ.*

ε Vehementius ei commendaretur ipſius ſocietatis.] *Idem lib.1. de Moribus Ecleſ. Cathol. c.30.* Cives civibus, gentes gentibus, & prorſus homines hominibus

Digitized by Google

nibus primorum parentum recordatione non ſocietate tantùm, ſed quadam etiam fraternitate conjunctis. *Theodoretus q. 43. in Geneſim.* Voluit Deus ex uno viro & ex una muliere ſubſiſtere univerſas hominum gentes primùm quidem, ut eandem eſſe naturam cognoſcant ex uno genere prognati. Deinde ut in concordiam coirent tanquam ex una radice florentes. Nam ſi cùm Deus hæc omnia adminiſtret, multæ tamen cædes admittuntur, quid non perpetraſſent, ſi è diverſis parentibus ortos ſe eſſe exiſtimaſſent? Hujus rei gratia unũ quidem virum è terra formavit, & ex eo unam creavit mulierem, & ex eorum genere replevit univerſam terram, *& Hugo libro primo de Sacram. p. 6. cap. 34.* ut omnes dum ſe ab uno & unum eſſe cognoſcerent, omnes ſe quaſi unum amarent.

Cap. XXII.

Quòd præſcierit Deus hominem quem primum condidit, peccaturum: ſimulq́; prævideril quantum piorum populum ex eius genere in angelicum conſortium ſua eſſet gratia translaturus.

NEc ignorabat Deus hominem peccaturum, & morti jam obnoxium morituros propagaturũ, eoq́; progreſſuros peccandi immanitate mortales, *a* ut tutiꝰ atq; capacius inter ſe rationalis voluntatis expertes beſtię ſui generis viverent, quarum ex aquis & terris plurimum pullulavit exordium, quàm homines, quorum genus ex uno eſt ad commendandam concordiam propagatum. Neque enim unquam inter ſe leones, aut inter ſe dracones, qualia homines bella inter ſe geſſerunt. Sed prævidebat etiam Deus gratia ſua populum piorum in adoptionem vocandum, remiſsisq́; peccatis juſtificatum ſpiritu ſancto ſanctis angelis in ęterna pace ſociandum, noviſsima inimica morte deſtructa, cui populo eſſet huius rei conſideratio profutura, quòd ex uno homine Deus ad commendandum hominibus quàm ei grata ſit etiam in pluribus unitas, genus inſtituiſſet humanum.

L. Vives. *a* UT tutius atque capacius.] *Alibi, pacatius. Hoc facilius beſtias eiusdem generis capiat aliquis locus ſine diſſidio & pugna, quàm homines. Lupus enim eſt homini homo, ſicut Græco proverbio dicunt. Plin. lib. 7. Deniq; cætera animantia in ſuo genere probè degunt. Congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpentes, ne maris quidem belua ac piſces niſi in diverſa genera ſæviunt. At herclè homini plurima ex homine ſunt mala. Eſt Dicæarchi liber, inquit Cicero, de interitu hominum, Peripatetici magni & copioſi, qui collectis cæteris cauſis eluvionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera eſſe conſumpta. Deinde comparat, quanto plures deleti ſunt homines hominum impetu, id eſt, bellis, ſeditionibus, quàm omni reliqua calamitate. Hoc bellum inter homines volebat auferre CHriſtus, & ardorem alium ſerere non diſcordiæ ſed concordiæ & mutuæ charitatis. Hoc prædicandum, hoc conſuendum eſſet, homines Chriſto initiatos pugnare inter ſe non debere, ſed amare invicem, ferre invicem,*

nec irritandi & accēdendi ſunt humani animi, ſatis ex ſe proclives in cædes & facinora.

α ET morti jam obnoxium morituros propagaturum.] *Si quidem* per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in homines omnes mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. *Romanor. 5.* & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita omnes in Chriſto vivificabuntur. *Si perſtitiſſet in juſtitia originali, & in ſtatu innocentiæ, & in quo à Deo conditus fuerat, nec fuiſſet obnoxius morti; nec etiam filios morti obnoxios procreaſſet, ſiquidem donum illud juſtitiæ & immortalitas ei ſtatui annexa non ei privatim, ſed & in eo omnibus poſteris magna Dei liberalitate conceſſa erant.* I. Cor. 15.

β Ut tutius atque pacatius.] *Adeò verum eſt quod Ariſtoteles dixit 1. de repub. c. 2. & Plato in 6. de ll. hominem perperam educatum eſſe deteriorem omni fera, ut veriſſimum ſit illud proverbium.* Homo homini Deus, homo homini lupus, *& in 7. Ethicor. c. 6. Interrogatus aliquando Anacharſis* τί δῆτα τὸ πολέμιον ἀνθρώποις, αὐτοὶ ἔφη ἑαυτοῖς. *Ita conqueritur Plinius l. 7. c. 1.* Cætera animalia in ſuo genere probe degunt, congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia, Leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpentes, ne maris quidem belluæ ac piſces niſi in diverſa genera ſæviunt. At hercule homini plurima ex homine ſunt mala. *Vide Senecam epiſt. 103.*

CAP. XXIII.

De natura humana anima creata ad imaginem Dei.

FEcit *a* ergo Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Talem quippe illi animam creavit, qua per rationem atque intelligentiam omnibus eſſet præſtantior animalibus terreſtribus, & natatilibus, & volatilibus, quæ mentem huiusmodi non haberent. α Et cùm virum terreno formaſſet ex pulvere, eique animam qualem dixi, *b* β ſive quam jam fecerat ſufflando indidiſſet: ſive potius ſufflando feciſſet, eumque flatum quem ſufflando fecit: nam quid eſt aliud ſufflare, quàm flatum facere, animam hominis eſſe voluiſſet, *c* γ etiam conjugem illi in adjutorium generandi δ ex eius latere oſſe detracto fecit, ut Deus. Neque enim hæc carnali conſuetudine cogitanda ſunt, ut videre ſolemus opifices ex materia quacunque terrena corporalibus membris, quod artis induſtria potuerunt fabricantes: manus Dei potentia Dei eſt, qui etiam viſibilia inviſibiliter operatur. Sed hæc fabuloſa potius quàm vera eſſe arbitrantur, qui virtutem ac ſapientiam Dei, quæ novit & poteſt etiam ſine ſeminibus ipſa certè facere ſemina, ex his uſitatis & quotidianis metiuntur operibus: ea verò quæ primitus inſtituta ſunt, quoniam non noverunt, infideliter cogitant: quaſi non hæc ipſa quæ noverunt de humanis conceptibus atque partubus, ſi etiam inexpertis narrarentur, incredibiliora viderentur: quanvis & ea ipſa plerique magis naturæ corporalibus cauſis, quàm operibus divinæ mentis aſſignent. Gen. 2.

a FEcit ergo Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.] *Imaginem Chriſti putat Origenes eſſe hominem: ideo dictum eſt ad imaginem Dei: nam* L. Vive.

imago Dei filius eſt. Alij per ſimilitudinem ſpiritum ſanctum putant intelligi: ſed profectò ad imaginem & ſimilitudinem nihil aliud ſunt, quàm ut ſit homo imago & ſimilitudo Dei. Vir, inquit Paul. ad Cor. imago eſt Dei: idq; ad naturam poteſt referri: ſimilitudo verò ad ea, quibus eſt dotata natura: immortalitatem, virtutes, ſapientiam, quibus homo ſimilis eſt Dei.

b Sive quam jam fecerat.] *Dubium eſt, feceritne antea, & indiderit poſtea, an crearit cum corpore: nam Auguſt. in Geneſi ad literam lib. 7. progenitam hominis animam cum cæteris ſpiritualibus rebus ait, deinde corpori infuſam. Atq; hoc eſſe, quod ſcribitur: inſufflavit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Quod alij ad diverſum trahunt ſenſum, nempe tum ibi eſſe factam, ut hic quoq; Auguſt. docet.*

c Etiam conjugem illi in adjutorium.] *De creatione fœminæ cur poſt virum, cur de coſta dormientis, quomodo de coſta, diſputat Magiſter lib. 2. diſt. 18.*

α ET cum virum formaſſet ex pulvere.] *Geneſ. 2.* formavit Deus hominem de
F.L.Coq. limo terræ, *Hebraicè legitur*, finxit Deus hominem pulverem è terra, *Septuaginta interpr.* Formavit Deus hominem accipiens pulverem è terra. *Sed de hoc latius infra l. 13. c. 24.*

β Sive quam jam fecerat ſufflando indidiſſet: ſive potiùs ſufflando feciſſet, eumque flatum quem ſufflando fecit: (nam quid eſt aliud ſufflare, quam flatum facere) animam.] *Geneſeos 2.* Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. *An vero ante formationem corporis anima hominis ſit creata, & priuſquam corpori infunderetur producta, an ſimul formato corpore ſit creata & corpori infuſa, diſputandi hic Auguſtini locus anſam præbet. Equidem Plato in Timæo docuit animas à Deo fuiſſe in mundi exordio creatas, poſtea verò ſummum & omnium patrem Deum mandaſſe Diis ſecundis, ut quod reliquum erat hominis corpus & animam alentem atq; ſentientem ipſi fabricarent. Nonnulli etiam in hanc ſententiam tranſeunt, Ariſtotel. diſp. in l. 2. de generat. animal. c. 3.* Utrum omnis anima ſit ante corpus, *tandem decernit, animam rationalem ante corpus eſſe, & extrinſecus advenire, quod ipſa & ejus propria actio ſit incorporea. Lib. tamen 12. Metaphyſic. text. 17. affirmat fieri non poſſe, ut forma ſit ante compoſitum, licet nihil prohibeat aliquam formam poſt compoſitum remanere, cujuſmodi eſt anima non omnis, ſed intellectus. Ex Chriſtianis ſcriptoribus Origenes fuit in eo errore, ut cenſeret omnes animas rationales fuiſſe ab initio ante corpora creatas, & propter peccata, quæ in eo ſtatu admiſerunt, ad perſolvendas eas pœnas in varia corpora tanquam in carcerem pro varietate meritorum fuiſſe detruſas. Hunc errorem etiam beato Hieronymo appingere voluit Ruffinus, immerito tamen. Nam beatus Hieronymus, epiſt. 139. ad Cyprianum, qua Pſalmum 89. explicat, apertiſſimè hoc Origenis dogma ſuppreſſo tamen ejus nomine condemnat. Et Epiſtol. 61. quam ſcripſit ad Pammachium, hunc errorem tribuit Ioanni Hieroſolymitano, eumq; confutat. Et hi quidem ſpeciatim non errarunt circa animam Adami, verùm generaliter circa omnes animas, quas longe ante corpora productas volebant: verùm circa animam primi hominis ſpeciatim Philaſter Brixienſis ſenſit, eam prius eſſe formatam, quàm corpus, ut refert Alphonſus à Caſtro l. 2. contra hæreſ. verb. Adam & Eva, hæreſ. 3. & ad*

ſuam

ſuam ſententiam confirmandam nitebatur text. Geneſ. c. 1. Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam. *Quia enim ſecundum animam homo eſt imago Dei, & non juxta corpus, putavit Philaſter ſolum agi de animæ creatione: cum autem c. 2. ejuſdem libri dicitur,* Formavit igitur Deus hominem de limo terræ, *tum credit de ſola corporis formatione Moſem loqui; Et hac ratione cenſet etiam fide tenendum eſſe, prius animam hominis eſſe creatam, & corpus deinde plaſmatum, verùm ex prava ſcripturæ intelligentia ita ſenſit, ut optimè docet A. à Caſtro loc. cit. Non enim intellexit, quod utroq; illo loco ſcriptura loquitur de totius hominis formatione, & ſcripturæ ſacræ morem eſſe aliqua per anticipationem ſemel ſub compendio dicere, & poſtea ad illa longius differenda redire. Dixerat enim prius hominem à Deo eſſe ad ſui imaginem creatum, ſed unde factus fuerat, an ex nihilo, non dixerat. Ideo 2. c. iterum hominis formationem repetit, ut largius & expreſſius de ea loquatur. Et quod 1. c. non de ſolius animæ, ſed de totius hominis formatione fiat ſermo, indicant ipſamet textus verba.* Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos. *Ubi vides ſexus diſtinctionem, ſexus autem diverſitas in corpore ſita eſt, non in anima. Tunc igitur etiam corporis adeoq; totius hominis formatio deſcribitur, cùm ſexus diſtinctio exprimatur. Sed circa Philaſtri ſententiam hæc ſufficiant. D. Auguſtinus l. 7. de Geneſ. ad l. c. 24. non videtur abhorrere ab hac ſententia, ſiquidem videtur ſentire, animam primi hominis ante corpus cum Angelis eſſe creatam ob eam rationem, quod putet corpus hominis in illis operibus ſex dierum non fuiſſe productum in actu, ſed ſolum ſecundum cauſales rationes, quod de anima dici non poteſt, quia nec ex aliqua materia corporali aut ſpirituali præexiſtente facta ſit, nec ex aliqua virtute creata produci potuit: Ideoq; videtur quod ipſa anima in operibus ſex dierum, in quibus omnia facta fuere, ſimul cum Angelis fuerit creata, & quod poſtmodum propria voluntate inclinata fuerit ad corpus adminiſtrandum: ut tamen ex illius verbis conſtat, id non docet aſſerendo quemadmodum etiam notavit D. Thomas 1. p. q. 90. art. 4. ſubjungit enim:* Credatur, ſi nulla ſcripturarum authoritas ſeu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum ſexto die, ut corporis quidem humani ratio cauſalis in elementis mundi, anima vero jam ipſa crearetur. *Omnino certum eſt, animam primi hominis non ante corpus creatam, ſed ſimul cum corpore, quemadmodum etiam cæterorum hominum animæ ſimul cum ſuis corporibus procreantur, ita docet Damaſc. lib. 2. fide orthodox. c. 12.* ἅμα γὰρ τὸ σῶμα καὶ ἡ ψυχὴ πέπλασται, οὐ τὸ μὲν πρότερον, τὸ δὲ ὕστερον κατὰ τὰ Ὠριγένους ληρήματα. *Syneſius epiſt. cujus initium eſt,* αἰόντος αὖ. *Indicat hanc eſſe rectam omnium Chriſtianorum ſententiam* ἀμέλει τὴν ψυχὴν οὐκ ἀξιώσω ποτὲ σώματος ὑστερογενῆ νομίζειν. *Leo epiſt. 71. apertè ſcribit contra Priſcillianiſtas, animas hominum, priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuiſſe. Divus Hieronymus præfat. epiſt. ad Pammachium, & 139. ad Cyprianum, inter octo Origenis errores hunc ſecundo loco recenſet. D. Auguſtinus etſi utramq; ſententiam hoc loco proponat ut probabilem, tamen in eam propenſior eſt, ut anima non ſit creata ante corporis formationem, his verbis,* Sive potius ſufflando feciſſet. *Et hæc eſt*

 ſenten-

ſententia D. Thomæ 1. part. quæſt. 90. art. 4. & 2. contra Gentes, c. 81. & de potentia, qu. 3. art. 10. & eſt Theologorum communis. Hæc ſententia etiam aliquot argumentis confirmari poteſt; Primo, anima rationalis pars eſt hominis eſſentialis, & proinde ſeparata ſtatum habet imperfectum, ſiquidem homo dicit naturam perfectam conſtantem ex anima & corpore tanquam ex duabus naturis imperfectis, non eſt autem vero ſimile, Deum in prima rerum conditione rem aliquam feciſſe in ſtatu imperfecto, & conſequenter non niſi in corpore & cum corpore hominis animam produxit. Secundo aut naturale eſt animæ rationali eſſe conjunctum cum corpore, aut hoc ei eſt contra naturam, & violentum; ſi eſt naturale & Deus ab initio res condidit prout rei cujuſq; natura poſtulabat, concluditur, animam primi hominis non eſſe creatam ante illius corpus, ſed ſimul cum corpore conjunctam; Si autem animæ rationali violentum eſt & contra naturam eſſe in corpore, generatio hominis erit non naturalis, ſed violenta & contra naturam, quod abſurdum eſt ſentire de excellentiſſima ſpecie inter naturas inferiores, & reſurrectio mortuorum non eſſet naturalis, ſed violenta, nec homini optanda, ſed fugienda, ut D. Hieronymus argumentatur. Tertio & poſtremo, ſtatus hominis ad bene vel male merendum non eſt niſi quandiu anima hominis eſt in corpore, ut conſtat ex D. Paulo 2. Cor. 5. affirmante, relaturum unumquemq; prout geſſit in corpore ſive bonum, ſive malum: ſi vero anima rationalis fuiſſet ante corpus, certè aliquid eo tempore meruiſſet, ut quæ libero arbitrio prædita fuiſſet, nec dum beata aut damnata, ut etiam fingit Origenes, ergo non retuliſſet tantum ſecundum ea, quæ geſſit in corpore contra Apoſtolum; unde fit ut citra ullam dubitationem concludendum ſit, animam Adami, ut & reliquorum hominum, non fuiſſe ante corpus creatam.

γ Etiam illi conjugem in adjutorium generandi.] *Ita Geneſ. 2.* Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus adjutorium ei ſimile ſibi. *D. Auguſtinus l. 9. de Geneſi ad lit. c. 3. ſcribit, non ob aliud videri ſibi viro opus fuiſſe muliere, quàm propter generationem prolis, ſi quidem ad reliqua obeunda munera magis vir à viro alio, quam à muliere juvari potuiſſet. Ita verò ſcribit:* Si quæratur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos, ſicut adjutorium ſemini terra eſt, ut virgultum ex utroque naſcatur. Hoc enim & in prima rerum conditione dictum erat, maſculum & fœminam fecit eos Deus dicens, Creſcite & multiplicamini ſuper terram. Quæ ratio conditionis & conjunctionis maſculi & fœminæ, atque benedictio Dei, nec poſt peccatum hominis, pœnamque defecit. *& cap. 5.* Aut ſi ad hoc adjutorium gignendi filios non eſt facta mulier viro, ad quod ergo adjutorium facta eſt? Si ut ſimul operaretur terram, nondum erat labor, ut adjumento vir indigeret, & ſi opus eſſet, melius adjutorium maſculus fieret, hoc & de ſolatio dici poteſt, ſi ſolitudinis fortaſſe tædebat. Quanto enim congruentius ad convivendum & colloquendum duo amici pariter quàm vir & mulier habitarent. *Ariſt. l. 1. πολιτικῶν c. 1. hanc eandem adfert rationem conjunctionis maris & fœminæ.* Marem & fœminam, *inquit,* quorum alter alterius indiget ſocietate, copulari neceſſe eſt procreandi cauſa: idque non conſi-

lio ſed natura; quemadmodum in cæteris animantibus & ſtirpibus uſu venit, quibus natura inſitus eſt appetitus ſui ſimile relinquendi. *D. Tho. 1. part. q. 92. art. 1. dici poteſt, quod ad opus quidem generationis, tum etiam ad nutriendam & alendam prolem jam genitam fuit abſolutè neceſſaria viro fœmina. Ad officia tamen domeſtica commodè peragenda non quidem neceſſaria erat mulier, ſed perquam utilis. Unde rectè Philoſophus docet 8. Ethic. c. 12.* Quod mas & fœmina conjunguntur in hominibus non ſolum propter neceſſitatem generationis, ut in aliis animalibus, ſed etiam propter domeſticam vitam, in qua aliqua ſunt opera viri & fœminæ.

d Ex ejus latere oſſe detracto fecit, ut Deus. Neque enim hæc carnali conſuetudine cogitanda ſunt, ut videre ſolemus opifices ex materia quacumque terrena corporalibus.] *Idem docet l. 9. de Geneſ. ad liter. c. 15. & eſt aſſertio Catholica, & de fide contra Origeniſtas hæreticos, qui Evam ex Adamo formatam eſſe negarunt, ut refertur in 6. Synodo Generali act. 11. in Epiſtola Sophronij Patriarchæ Hieroſolymitani poſt medium. Et etiam contra Cajetan. qui ad c. 2. Geneſ. contendit narrationem Moyſis de productione Evæ ex coſta Adami Gen. 2. non propriè, ſed per metaphoram & parabolicè intelligendam eſſe; quem latè refutat Alphonſus à Caſtr. l. 2. adverſus hæreſes v. Adam & Eva, hæreſi ſexta. Et mirum eſt Cajetanum id aſſeruiſſe, cùm apertiſſimus ſit ſcripturæ textus, nec ubi conſtat de ſenſu literali proprio, recurrendum ſit ad metaphoras, maximè cùm nulla ſequatur abſurditas interpretando in proprio ſenſu narrationem Moyſis, qua ſcribit Evam ex coſta ſeu latere Adami formatam; nec potuit ignorare Cajetanus, ſuam aſſertionem directè pugnare cum authoritate Sanctorum Patrum & Theologorum, ut Auguſtini hoc loco & l. 9. de Geneſ. ad liter. cap. 15. & 16. Chryſoſtomi homil. 15. ſuper Geneſ. Gregorij l. 30. Moral. c. 24. Theoph. ſuper Paul. Epheſ. 5. & 1. Cor. 11. Anſelmi ad eadem Pauli loca. Eucheri ſuper Geneſ. in c. 20. & 21. Hugonis de ſancto Victore l. 1. de ſacramentis, part. 6. c. 35. eſt etiam D. Tho. 1. part. q. 92. art. 3. & Scholaſticor. in 2. ſent. diſtinct. 18. Ita etiam definivit apertè v. Synodus Conſtantinopol. Art. 13. ubi approbatur Epiſt. Sophronij act. 11. recitata, ubi damnantur Origeniſtæ ex Adamo Evam formatam fuiſſe vituperantes. & Innocent. 3. in c.* Gaudemus, *ext. de divort. ex eo probat abſonum & inimicum Chriſtianæ religioni eſſe habere plures uxores,* quia ab initio *(inquit)* una coſta in unam fœminam fuit converſa, & ſcriptura teſtatur, quod propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, *& in Concil. Viennenſi, ut habetur Clementina unica de ſumma Trinitate & fide Catholic. ſcribitur Evam ex latere primi hominis ſoporati illi in conjugium fuiſſe formatam. Quare autem de coſta viri potius quam de altera parte formata ſit, duas cauſas tradit D. Thomas loc. citato. Prima quidem ad ſignificandum, quod inter virum & uxorem debet eſſe ſocialis conjunctio, neque enim mulier debet dominari in virum; & ideo non eſt formata de capite, neque debet à viro deſpici, ſervi inſtar ſubjecta, & ideo non eſt formata de pedibus. Unde etiam Barbaros reputat Ariſt. 1. Polit. c. 2. qui eodem loco habent mulierem & ſervum. Eandem cauſam adfert magiſter 2. ſent. diſt. 18. & Hugo Victorinus*

loco citato. Secundò propter ſacramentum, quia de latere Chriſti dormientis in cruce fluxerunt ſacramenta, i. ſanguis & aqua, quibus eſt Eccleſia inſtituta.

ſ Quia non noverunt, infideliter cogitant.] *Lib. 9. de Geneſ. ad liter. cap. 16. etſi infidelibus incredibile videatur, quod narrat Moſes de formatione Evæ ex coſta Adami, fidelibus tamen, qui norunt ſcripturas & virtutem Dei & modum, quo primo res omnes à Deo conditæ ſunt, id citra ullam dubitationem creditur, & id ex alio myſterio generationis humanæ Chriſti, ex fœmina ſine ulla opera viri explicat.* Fideliter, *inquit*, credimus factam fœminam ex viro, nullo interveniente concubitu, etiamſi forte coſta hominis miniſtrata ſit per Angelos in opere creatoris, ſicut fideliter credimus etiam virum factum ex fœmina nullo interveniente concubitu, cum ſemen Abrahæ diſpoſitum eſt per Angelos in manu mediatoris: utrumque infidelibus incredibile eſt, fidelibus autem cur ad rei geſtæ proprietatem, quod de Chriſto factum eſt, & tantum ad figuratam ſignificationem, quod de Eva ſcriptum eſt, credibile non videatur? An verò ſine cuiusquam concubitu vir ex fœmina fieri potuit, fœmina ex viro non potuit? & virginalis uterus unde vir fieret, habebat, virile autem latus unde fœmina fieret, non habebat, cum hic dominus de famula naſceretur, ibi de ſervo famula formaretur.

CAP. XXIV.

An ullius vel minimæ creaturæ poſſunt dici angeli creatores.

SEd *a* α cum his nullum nobis eſt in his libris negotium, qui divinam mentem facere vel curare iſta non credunt. *b* β Illi autem qui Platoni ſuo credunt, non ab illo ſummo Deo, qui fabricatus eſt mundum, ſed ab aliis minoribus, quos quidem ipſe creaverit, permiſſu ſive juſſu eius animantia facta eſſe cuncta mortalia, in quibus homo præcipuum diiſque ipſis cognatum teneret locum, ſi ſuperſtitione careant, qua quærunt, unde juſtè videantur ſacra & ſacrificia facere, quaſi conditoribus ſuis, facilè carebunt etiam huius opinionis errore. γ Neque enim fas eſt ullius naturæ quamlibet minimæ mortaliſq; creatorem niſi Deum credere, ac dicere, etiam antequam poſſit intelligi. Angeli autem quos illi deos libentius appellant, *c* etiamſi adhibent vel juſſi vel permiſſi operationem ſuam rebus quæ gignuntur in mundo, tam non eos dicimus creatores animalium, quàm nec agricolas frugum atque arborum.

L. Vives. *a* SEd cum his nullum nobis eſt.] *Ut cum Epicureis, qui omnia fortuito & temerario fieri caſu putant, aut qui naturam ſolam ſine Deo præficiunt huic inferiori mundo & ſublunari, quam opinionem Ariſt. fuiſſe multi prodiderunt: vel qui res corporales à dæmonibus factas eſſe putant, ut quidam hæretici.*

b Illi autem qui Platoni ſuo credunt.] *Plato in Timæo inducit Deum maximum minorum deorum patrem iis, ut animalia minora facerent, nam & ipſi quoq; ſunt animalia, præcipientem: ita ipſos accepiſſe ex aſtris immortale principium, mortalis animantis videlicet animam, imitatos genitorem & effectorem ſui, particulas & terræ & aquæ & aeris à mundo, quas rurſum redderent, mutuatos, eas inter ſe copulaſſe. Haud iiſdem vinculis, quibus ipſi erant colligati, ſed talibus, quæ*

cerni

terni non poſſent propter tenuitatem hærentibus crebris quaſi cuneolis injectis, inde unum corpus effeciſſe. Menander quidam Simonis Magi diſcipulus mundum ab angelis factum aſſeverebat: Saturninus verò ab Angelis ſeptem præter conſcientiam patris.

c Etiamſi adhibent vel juſsi vel permiſsi.] *Præfecti ſunt angeli ipſius Dei & adminiſtri, ſicut inquit Paul. Itaq; juſſu illius multas res in hoc mundo gerunt: nam, ut Auguſt. inquit, unaquæq; res huius mundi viſibilis habet angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam, & Gregorius. in hoc mundo viſibili nihil niſi per creaturam viſibilem diſponi poteſt. Excipiam miracula, ſi quis pergat contentioſè moleſtus eſſe. Verùm Plato in Geneſi mundi Geneſim Moſis eſt ſecutus, ſic hunc locum de animalium creatione ex loco ſacrarum literarum traxit. Nam cùm legiſſet, dixiſſe architectum illum novæ molitionis Deum, faciamus hominem ad imaginem & ad ſimilitudinem noſtram: ad angelos putavit eum loqui, quibus adminiſtris creatum cenſuit hominem, at indignum videbatur miniſterio angelorum uſum illum in nobiliſſimo animante gignendo, & alios per ſe velut ſuis manibus fabricatum: ideo de reliquis etiam idem quod de hominibus cenſuit. Cuius verba ſi quis ut citavi expendat: uſus enim ſum Ciceronis interpretatione, inveniet nec animam conditam niſi à Deo, nempe ex aſtris deſumptam. Quod & Cicero ex Platonicis confirmat in 1. De legib. inquiens animum ingeneratum eſſe à Deo, nec corpus quod ex elementis captum, quæ Deus fecit, minoresq; deos aliud nihil egiſſe, quàm ſubſervire creatori in copulandis coagmentandiſq; jam creatis in formam & rationem animalis. Seneca paulò apertius Platonis ſententiam poſuit. Hic cùm prima fundamenta molis pulcherrimæ jaceret, & hoc ordiretur, quo neq; maius novit natura, nec melius, ut omnia ſub ducibus ſuis irent, ſtatuit, & quanvis ipſe per totum ſe corpus intenderat, tamen miniſtros regni ſui deos genuit.*

α QUi divinam mentem facere vel curare iſta non eredunt.] *Ut qui omnia temerario quodam & fortuito caſu fieri tum etiam adminiſtrari putant, nec ullam eſſe æternam mentem, quæ omnia potentiſſimè producat & ſapientiſſimè adminiſtret.* F.L.Co.

β Illi autem, qui Platoni ſuo credunt, non ab illo ſummo Deo qui fabricatus eſt mundum.] *Plato in Timæo exiſtimavit quidem mundum à Deo factum, ex illius tamen præcepto Angelos, quos Deos minores & ſecundos appellat, condidiſſe cæteras creaturas præter animum hominis. Non defuere Platone ipſo minus religioſi Hæretici, qui mundum ipſum non à Deo, ſed ab Angelis creatum dicerent, ut refert Alphonſus à Caſtro lib. 11. contra hæreſes, v. mundus, hæreſ. & huius hæreſis primus author fuit Simon Magus, quem ſecuti ſunt Menander, Saturninus & alij.*

γ Neque enim fas eſt ullius naturæ quamlibet minimæ mortaliſque.] An ita creatio ſit Dei proprium opus, ut per nullam potentiam vel tanquam inſtrumento poſsit alicui naturæ creatæ communicari diſputant Theologi, *certè ita ſentit Divus Thomas 1 part. quæſt. 45. art 2. & 2. diſtinct. 1. quæſt. 1. art 3. & 4. diſtinct. 5. quæſt. 1. art. 3. & 4. quæſt. 3. & 2. contra Gentes cap. 21. 85. & 96. & lib. 3. cap. 68. & de potent. quæſt. 3. art. 5. & eſt ſententia communis omnium Theologo-*

rum

rum Scholaſticorum atq; adeò Patrum, Divi Auguſtini hic & l.3. de Trinit. cap. 8. & l.9. de Geneſ. ad lit. cap. 15. ubi ait creare naturam tàm nullus Angelus poteſt, quàm nec ſeipſum. *D. Athanaſius ſermon. 3. contra Arrianos.* Adminiſtrare, *inquit*, creaturarum & ſervorum eſt, condere autem & creare ſolius Dei, & ꝗ aſque verbi & ſapientiæ. *D. Cyrillus Alexandrinus l.2. contra Iulianum*, Inacceſſa, *inquit*, naturæ ſunt ea, quæ proprie ſunt ſolius & omnium ſummæ ſubſtantiæ, Quorum unum dicimus eſſe efficaciter operari poſſe, ut creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant. *Baſilius l.4. contra Eunomium & paſſim alij Patres inde probant filium Dei eſſe verum Deum, quod ipſe res creaverit & produxerit ex nihilo: quod certe argumentum non ſatis validum eſſet, ſi creatura per ullam potentiam creare poſſet.*

Cap. XXV.

Omnium naturam & omnium ſpeciem univerſa creatura non niſi opere Dei formari.

Cum α enim alia ſit ſpecies, quæ adhibetur extrinſecus cuicunque materiæ corporali, ſicut operantur homines figuli & fabri, atque id genus opifices, qui etiam pingunt & effingunt formas ſimiles corporibus animalium: alia verò quæ intrinſecus efficientes cauſas habent de ſecreto & occulto naturæ viventis atque intelligentis arbitrio, quæ non ſolùm naturales corporum ſpecies, verumetiam ipſas animantium animas dum non ſint, facit, ſupradicta illa ſpecies artificibus quibusque tribuatur. Hæc autem altera non niſi uni artifici creatori & conditori Deo, qui mundum ipſum & angelos ſine ullo mundo, & ſine ullis angelis fecit. *A* Ab illa enim vi divina, quæ omnium rerum diviſiva, & ut ita dicam, effectiva eſt, quæ fieri neſcit, ſed facere: à qua accepit ſpeciem, cum mundus fieret & rotunditas cœli, & rotunditas ſolis, eadem vi divina & effectiva, quæ fieri neſcit ſed facere, accepit ſpeciem rotunditas oculi, & rotunditas pomi, & cæteræ figuræ naturales, quas videmus in rebus quibusque naſcentibus, non extrinſecus adhiberi, ſed intima creatoris potentia, qui dixit: *Ier. 23.* Cœlum & terram ego impleo: & cuius ſapientia eſt, quæ attingit à fine uſque *Sap. 8.* ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Proinde β facti primitus angeli cuiusmodi miniſterium præbuerint creatori cætera facienti, neſcio, nec tribuere illis audeo, quod fortè non poſſunt, nec debeo derogare quod poſſunt. Creationem tamen conditionemque omnium naturarum, qua fit, ut omnino naturæ ſint, eis quoque faventibus illi Deo tribuo, cui ſe etiam ipſi debere, quod ſunt, cum gratiarum actione noverunt. Non ſolùm igitur γ agricolas, non dicimus fructuum quorumque creatores, cùm legamus: Neque qui plantat eſt *1. Cor. 3.* aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus: δ ſed ne ipſam qui*Ier. 1.* dem terram, quanvis mater omnium fœcunda videatur, quæ germinibus erumpentia permovet, & fixa radicibus continet, cùm itidem legamus: *Deus illi dat* *1. Cor. 15.* *corpus, quomodo voluerit, & unicuiq; ſeminum proprium corpus.* ε Ita nec fœminam ſui puerperii creatricem appellare debemus, ſed potius illum ζ qui cuid m

iuo

ſuo famulo dixit. Prius quàm te formarem in utero, novi te. Et quamvis anima η ſic vel ſic affecta prægnantis valeat aliquibus velut induere qualitatibus fœtum, *b* θ ſicut de virgis variatis fecit Jacob, ut pecora colore varia gignerentur: naturam tamen illam, quæ gignitur, tam ipſa non fecit, quàm nec ipſa ſe fecit. ι Quælibet igitur corporales vel ſeminales cauſæ gignendis rebus adhibeantur, ſive operationibus angelorum aut hominum, aut quorumcunq; animalium, *c* κ ſive marium fœminarumque miſtionibus: *d* λ quælibet etiam deſideria motusvé animæ matris valeant aliquid lineamentorum aut colorum aſpergere, teneris mollibusq; conceptibus, ipſas omnino naturas, quæ ſic vel ſic in ſuo genere efficiantur, non facit niſi ſummus Deus. Cuius occulta potentia cuncta penetrans incontaminabili præſentia facit eſſe quicquid aliquo modo eſt, in quantuncunque eſt: *e* quia niſi faciente illo, ut tale vel tale eſſet, prorſus eſſe non poſſet. Quapropter ſi in illa ſpecie, quam forinſecus corporalibus opifices rebus imponunt, urbem Romam, & *f* urbem Alexandriam non fabros & architectos, ſed reges quorum voluntate, conſilio, & imperio fabricatæ ſunt, illam Romulum, illam Alexandrum habuiſſe dicimus conditores: quanto potius non niſi Deum debemus conditorem dicere naturarum: qui neque ex ea materia facit aliquid, quam ipſe non fecerit, nec operarios habet, niſi quos ipſe creaverit: & μ ſi potentiam ſuam, *g* ut ita dicam, fabricatoriam rebus ſubtrahat: ita non erunt, ſicut antequam fierent, non fuerunt. Sed antè dico, æternitate, non tempore. Quis enim alius creator eſt temporum, niſi qui fecit ea, quorum motibus currerent tempora. *Gen. 30.*

a AB illa enim vi.] *Alibi, Qua enim vi divina, & ut ita dicam, effectiva, quæ fieri neſcit, ſed facere, accepit ſpeciem etiam: nam illa, quæ omnium rerum diviſiva, ſuppoſititium videri poſſit.* *L. Vives.*

b Sicut de virgis variatis fecit Jacob.] *Plinius lib. 8. ſcribit in arietibus ſpectari ora maximè: quia cuius coloris ſub lingva habuere venas, eius & lanitium eſt in fœtu, variumq; ſi plures fuere. & mutatio aquarum potusq; variat. Poſſunt igitur arte lanitia, qualia velimus in pecore effici: quod Jacob non ignarus eſt expertus. Nam cùm verſicolor pecus elegiſſet, coitusq; tempore candidas viridesq; virgas illis in flumine quo potabantur, objecit, ut cum eo viſu concipientes ſimilium colorum ederent fœtus: quod ita ſecutum eſt. Gen. 30.*

c Sive marium fœminarumque miſtionibus.] *Plinius idem lib. 7. ſimilitudinum quidem in mente reputatio eſt: in qua credantur multa fortuita pollere, viſus, auditus, memoriaq;. Hauſtæ imagines ſub ipſo conceptu, cogitatio etiam utriuslibet animo ſubito tranſvolans effingere ſimilitudinem aut miſcere exiſtimatur. Ideoq; plures in homine quàm in cæteris animantibus differentiæ: quoniam velocitas cogitationum, animiq; celeritas & ingenij varietas multiformes notas imprimit. Cùm cæteris animantibus immobiles ſint animi, & ſimiles omnibus ſingulisq; in ſuo cuiusque genere. Hæc ille. Pleni ſunt philoſophorum libri viſa per conceptum magnam in partu vim habere. Unde conjugibus præcipitur, ut elegantes habeant circa lectum genialem imagines. Urbs eſt in Brabantia Buſcunducis, in qua ut in aliis eiusdem*

Digitized by Google

terræſtato anni die, quo ferunt maximum urbis templum dedicatum, publicè ſupplicatur, ludiq; varijs divis exhibentur. Sunt qui tunc perſonas divorum induant: ſunt qui dæmonum. Ex his unum cùm viſa puella exarſiſſet, domum ſaltando ſe recepiſſe, & correptam ut erat perſonatus uxorem ſuam in lectum conjecit, ſe ex ea dæmonium velle gignere dicens, concubuit, concepit mulier: & infans quem peperit, ſimul primùm æditus eſt, ſaltitare cœpit, forma quali dæmones pinguntur. Joannes Lamuzæ. *Hæc Margarita Auguſta, Maximiliani filia, huius Caroli amita narravit Joanni Lamuzæ, homini prudentia incredibili, qui tum erat hic legatus à Ferdinando rege: nunc eſt huius Cæſaris præfectus in Arragonia, vir qui non modò præfecti nomen & perſonam, ſed regis quoq; poſſet ſuſtinere.*

d Quælibet etiam deſideria.] *Mulieres prægnantes multarum rerum deſiderijs tenentur: ſæpe carbones appetunt & cineres. Vidi, quæ morſum cervicis juvenis cuiusdam, & correpta magnis doloribus abortum feciſſet, ni momordiſſet, exanimato penè juvene, tàm avidè infixis dentibus. De his tam abſurdis appetentiis ciborum medici quidem plurima, ſed & apud Philoſophos nonnulla: velut Ariſtot. in lib. de animalibus, idq; fieri dicunt ex humore in ſtomacho vitioſo: qui ſi viris quoq; contingat, non diſſimilia expetent.*

e Quia niſi faciente illo, ut tale vel tale eſſet.] *In antiquis libris ſic legitur, Quia niſi faciente illo, non tale vel tale eſſet, ſed prorſus eſſe non poſſet.*

f Urbem Alexandriam.] *Alexandriæ multæ ſunt: & in Aria, & ad Sogdianos,* Alexandria. *& in Troade, & in Cilicia, & in India, & in Ægypto, omnes à Macedone Alexandro nominatæ. Hic de Alexandria Ægyptia loquitur, quæ eſt omnium celeberrima ad littus noſtri maris, juxta Canopicum Nili oſtium ſita, in Africam vergens.*

g Ut ita dicam fabricatoriam.] *Quæ ad jungendas materias, ad ſecandum addendumq; aliquid pertinet, quæ ex rebus ab ipſo creatis fiunt. Neq; hæc ſunt creationis opera, quæ & ab angelis & hominibus cæteriſq; tum animatis fiunt, tum etiam animæ expertibus.*

a Cum alia ſit ſpecies quæ exhibetur extrinſecus.] *Ars præſupponit opus na-* F.L.Coq. *turæ, & ut artifex operetur, ſubjecto indiget, in quod agat compoſito naturali ex materia & forma, & in quod formam artis inducat, ut lignum formam ſcamni vel ſtatuæ, quæ quidem eſt forma accidentalis & ad quartam ſpeciem qualitatis reducitur, & reſpondet ideæ, quæ eſt in mente artificis: neq; ab initio opus fuit hujuſmodi formas eſſe in rebus, ſed poſtea inductæ ſunt ab artificibus, nec dicuntur creari, verùm ab artifice educuntur de potentia ipſius compoſiti naturalis, ſi quidem lignum vel æs v.g. in potentia eſt ad hujuſmodi formas artificiales. Verùm quæ dicuntur formæ naturales & ſubſtantiales, quibus conſtant & perficiuntur ipſa naturalia compoſita, ab initio concreatæ ſunt ipſi materiæ, & non niſi Deo authori ipſarum productio prima tribuenda eſt. Etſi enim formæ materiales educuntur de potentia materiæ, & compoſita ipſa producantur ab agentibus naturalibus per generationem phyſicam, quæ eſt opus naturæ, cùm ſol & homo, teſte Ariſtotele, generent hominem, & Deus pro ſua benignitate voluerit non modò producere compoſita naturalia ad perfectionem univerſi, verùm etiam eis indiderit vim produ-*

cendi

cendi ſibi ſimile, ab initio tamen omnia genera animalium maximè perfectorum, non niſi à Deo Opt. Max. immediatè producta ſunt, & quæ qualitates etiam rebus conveniunt conſequentes ipſas formas naturales, non niſi in Deum authorem referendæ ſunt, ut quod cœlum ſit rotundum, quod elementorum alia ſint gravia, alia levia, ita figuræ quidem artificiales extrinſecus ab artificibus adhibentur, naturales tamen, cum quibus producuntur res ipſæ, cujuſmodi, verbi gratia, eſt rotunditas pomi, inditæ ſunt primitus rebus ipſis ab authore naturæ, non quidem immediatè producendo ipſos fructus, ſed terræ vim largiendo producendi herbam virentem, & omne virgultum agri, & fructiferas arbores, quæ fructus hujuſmodi producerent, de quo vide D. Auguſtin. l.5. de Geneſ. ad lit. c.4. & D.Thom. 1. part. quæ.69. art. 2.

β Facti primitus Angeli cujuſmodi miniſterium præbuerint creatori cætera facienti.] *Equidem in operibus ſex dierum omnia immediatè à Deo facta eſſe ſine ullo Angelorum miniſterio probabilius eſt. Ita autem loquitur hic Auguſtinus conformiter ad id quod docet l.9. de Geneſi ad liter. c.15. quo loco affirmat quidem, neq; corpus Evæ ex coſta Adami, nec ipſius Adami corpus ex pulvere terræ ab Angelis formatum eſſe, ubi tamen non negat aliquod miniſterium in formatione corporis Adami vel Evæ Angelos exhibere potuiſſe. Quale verò fuerit illud miniſterium, quis audeat (inquit) affirmare? Etſi verò aliquod hujuſmodi qualecumque miniſterium adhibuerint, non tamen ideò formatores corporis humani dici poſſent, ſicut nec Agricola ſegetes & vinum generare dicitur, licet operam ſuam & induſtriam adhibeat, unde ſegetes procreentur, quemadmodum nec medicus aliter ſanitatem inducit quàm applicando remedia, unde expellantur morbi, & ſanitas inducatur. Et certè quemadmodum reſurrectio generalis & reunio ſubſtantialis animarum cum corporibus virtute tantùm divina efficienda eſt; Angeli tamen aliquod fortaſſe exhibebunt miniſterium, ut colligendo pulveres, & ſonitu tubæ in voce Archangeli 1. Cor. 15. ita licet omnes res ab initio virtute divina creatæ ſint; Angelos tamen aliquod miniſterium præſtitiſſe abſurdum non eſt dicere, quod tamen illud ſit, non audet definire Aug. hic, nec loc. cit.*

γ Agricolas non dicimus fructuum.] *Eadem ſimilitudine utitur l.3. de Gen. ad lit. ca.8. Apoſtolus Paulus (inquit) diſcernens interius Deum creantem atq; formantem, ab operibus creaturæ, quæ admoventur extrinſecus, & de agricultura ſimilitudinem aſſumens ait, Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Sicut ergo in ipſa vita noſtram mentem juſtificando formare non poteſt niſi Deus, prædicare autem Evangelium extrinſecus & homines poſſunt, ita creationem rerum viſibilium Deus interius operatur, exteriores autem operationes ſive bonorum ſive malorum, vel Angelorum, vel hominum ſive etiam quorumcumq; animalium ſecundum imperium ſuum, & à ſe impertitas diſtributiones poteſtatum, & appetitiones commoditatum, ita rerum naturæ adhibet, in qua creat omnia, quemadmodum terræ agriculturam. Quamobrem ita non poſſum dicere, Angelos malos magicis artibus evocatos creatores fuiſſe ranarum atq; ſerpentum, ſicut non poſſum dicere homines malos creatores eſſe ſegetis, quam peremorum operam video exor-*

 tam,

tam, ut intelligamus Angelos nullo modo ab initio concurriſſe ad creationem rerum, etſi fortaſſe aliquod miniſterium adhibuerint; quemadmodum neq; angeli mali dicuntur ranas creaſſe applicando cauſas activas & paſſivas, ex quibus ranæ producerentur.

δ Sed ne ipſam quidem terram.] *Habuit enim terra virtutem quidem producendi plantas à Deo ſibi his verbis inditam, ut Moſes more humano de Dei imperio loquens ſcribit;* Producat terra herbam virentem & lignum fructiferum, *illa tamen virtus in terra fuit paſſiva tantum & materialis, non activa, virtus autem creandi eſt activa. Deinde non ex nihilo, ſed ex ipſa hujuſmodi plantas ac arbores producebat, non ergo per creationem, & quemadmodum interea virtus paſſiva, ita in verbo Dei virtus activa hujuſmodi inerat creandorum.*

ε Ita nec fœminam ſui puerperii creatricem.] *Sive concurrat tantum paſſivè ad productionem fœtus, ut vult Ariſtoteles, ſive etiam activè, ut docet Galenus, quæ diſputatio hujus loci non eſt.*

ζ Illum qui cuidam famulo ſuo dixit, Priuſquam te formarem in utero.] *Hierem. 1. Certe formatio fœtus in utero admirabilis eſt, adeò divina & excellens, ut non niſi Dei Optim. Maxim. ſapientiæ ac potentiæ adſcribenda videatur, quod facile agnovit cœleſti numine afflatus regius Propheta David, Pſalm. 115.* Manus tuæ fecerunt me & plaſmaverunt. *Et Iob ſanctiſſimus pene iiſdem verbis, cap. 10. agnovit, corporis univerſi plaſmationem Deo authori tribuens. Imò Galenus ipſe etſi non ſuperiori illo afflatus numine, quæ ſuperiorum partium corporis humani ſtructuram & uſum tractans totus in Deum aſſurgit, humani corporis fabricam admirabilem illi ut authori tribuit, illius in pangendo corpore, in convertendis membris ac diſponendis providentiam, ſapientiam, poteſtatem ubiq; admiratur, ut videre eſt 1. 2. 3. ac 14. l. de uſu partium corpor. humani. Vide etiam Ariſtotelem l. 2. de gener. animal. c. 1.*

θ Anima ſic vel ſic affecta prægnantis.] *Qua ratione imaginatio prægnantis mulieris affecta aliquibus ſpecialibus qualitatibus eas transfundit in fœtum, & ea vis non maribus modo aut fœminis, ſed utriſq; inſit, & maximè cum contigerit utrumq; in ipſo calore coitus de eadem re efficaciter cogitare, vide Valeſium libro de ſacra philoſoph. c. 11. quod etiam matres varias res dum utero gerunt cupientes ſæpe fœtus aliquo ſigno afficiant, experientia comprobatum eſt. Quanta verò ſit vis animæ ad afficiendam, vel mutandam, materiam corporalem, diſputavit etiam lib. 3. de Trinit. c. 8.*

ι Sicut de virgis variatis fecit Iacob.] *Hiſtoria exſtat Geneſ. 30. l. 3. de Trinit. c. 8. docet, quod* quemadmodum Angeli mali non fuere creatores ranarum, vel ſerpentum in Ægypto, nec homines mali creatores ſegetis, quæ per eorum operam exoritur, ſic nec Iacob creator colorum in pecoribus fuit, quia bibentibus in conceptu matribus varias virgas quas intuerentur appoſuit: Sed nec ipſæ pecudes creatrices fuerunt varietatis prolis ſuæ, quia inhæſerat animæ illarum diſcolor phantaſia ex contuitu variarum virgarum per oculos impreſſa; quæ non potuit niſi corpus, quod ſic affecto ſpiritu animabatur, ex com-

compaſſione commixtionis afficere, unde teneris fœtum primordiis colore tenus aſpergeretur. *Paulò poſt*, ut de varietate virgarum pecorum conceptorum color aliquid duceret, fecit hoc animæ gravidæ pecudis per oculos affecta foriɴſecus & interius ſecum pro ſuo modulo formandi regulam trahens, quā de intima ſui creatoris potentia accepit. *Qui locus maximè huic conſentit, nullā in hujuſmodi inductione variorum colorum interceſſiſſe creationem.*

κ Quælibet igitur corporales vel ſeminales cauſæ gignentibus rebus adhibeantur, ſive operationibus angelorum aut hominum.] *Ut enim idem ſcribit l.3. de Trin. c.8.* Omnium rerum, quæ corporaliter, viſibiliterque naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis mundi hujus elementis latent: *Atq; hæc quidem poſſunt adhiberi ab angelis, qui perfectiſſimam habent rerum naturalium cognitionem, & norunt qui effectus, ex quibus cauſis producantur. unde cum tantum applicent cauſas naturales ad productionem effectuum eorum minimè dicentur creatores.*

λ Sine marium fœminarumque mixtionibus.] *Quibus applicatur ſemen virile ſemini, vel etiam menſtruo muliebri, ut inde formetur fœtus.*

μ Quælibet etiam deſideria motuſve animæ matris valeant aliquid lineamentorum aut colorum aſpergere.] *Mulieres prægnantes multarum deſiderio ſæpe tenentur, ut etiam teſte Hippocrate l. de ſuperfœtatione, nonnunquam terram edere concupiſcant, aut carbones, & ſi ea edant, in capite pueri, ubi natus fuerit, ſignum à talibus appareat, quod certe non aliunde proficiſci, quàm à pravitate humorum in ſtomacho exiſtentium; ſibiq; ſimiles appetitus gignentium docuit Alexander 1. Problem. & poſt ipſum alij. Quod verò ibidem docet Hippocrates, ſi ea edat mulier, in capite pueri, ubi natus fuerit, ſignum à talibus apparere, doctiſſimus Mercurialis ad eum locum à nemine proditum ſe invenire, neq; ſe ſatis cauſam aſſequi ſcribit, cur à talibus caput potius quàm aliqua alia pars ſeu corporis membrum inficiatur.*

ν Si potentiam ſuam, ut ita dicam fabricatoriam rebus ſubtrahat, ita non erunt, ſicut antequam fierent, non fuerunt.] *Ea enim eſt differentia primæ cauſæ ac reliquarum, quod reliquæ quidem producunt effectus ipſos & in fieri effectus ab eis dependent, quæ ſi tamen poſtea ſubtrahantur, effectus permanent, ut ab eis in eſſe vel conſervari minimè dependeant, verùm ab ipſa prima cauſa ita dependent tum in fieri, tùm in eſſe, ut ſi ſubtrahat ſuum influxum, ſtatim in nihilum decidant. Quod egregiè docet idem l.4. de Geneſ. ad lit. c.12. his verbis*: Creatoris potentia & omnipotentis atque omnitenentis virtus cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ, quæ virtus ab eis, quæ creata ſunt regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret. Neque enim ſicut ſtructuram ædium cum fabricaverit quis abſcedit, atque illo ceſſante atque abſcedente ſtat opus ejus, ita mundus vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit.

Cap. XXVI.

De Platonicorum opinione, qua putaverunt angelos quidem à Deo conditos, ſed ipſos eſſe humanorum corporum conditores.

Digitized by Google

ITa ſanè Plato minores & à ſummo Deo factos deos effectores eſſe noluit animalium cæterorum, *a* ut immortalem partem ab ipſo ſumerent, ipſi verò mortalem attexerent. Proinde animarum noſtrarum eos creatores eſſe noluit, ſed corporum. Unde quoniam Porphyrius propter animæ purgationem dicit omne corpus fugiendum, ſimulq; cum ſuo Platone aliiſque Platonicis ſentit eos,qui immoderatè ac inhoneſtè vixerint,propter luendas pœnas *β* ad corpora redire mortalia. Plato quidem etiam beſtiarum, Porphyrius tantummodo ad hominum: ſequitur eos ut dicant deos iſtos, quos à nobis volunt quaſi parentes & conditores noſtros coli, nihil eſſe aliud, quàm fabros compedum, carcerumvé noſtrorum: nec inſtitutores,ſed incluſores alligatoreſque noſtros ergaſtulis ærumnoſis, & graviſſimis vinculis. Aut ergo deſinant Platonici pœnas: animarum ex iſtis corporibus comminari: aut eos nobis deos colendos non prædicent, quorum in nobis operationem, ut quantum poſſumus, fugiamus, & evadamus, hortantur: cùm tamen ſit utrunque falſiſſimum. Nam neq; ita luunt pœnas animæ, cùm ad iſtam vitam pœnalem denuò revolvuntur, & omnium viventium ſive in cœlo,ſive in terra, nullus eſt conditor niſi à quo facta ſunt cœlum & terra. Nam ſi ulla cauſa eſt vivendi in hoc corpore, niſi propter pendenda ſupplicia: *a γ* quomodo dicit idem Plato, aliter mundum fieri non potuiſſe pulcherrimum atque optimum, niſi omnium animalium, id eſt, immortalium & mortalium generibus impleretur? Si autem noſtra inſtitutio, qua vel mortales conditi ſumus, divinum munus eſt: quomodo pœna eſt ad iſta corpora, id eſt, ad divina beneficia remeare? *b δ* Et ſi Deus, quod aſſiduè Plato commemorat, ſicut univerſi mundi, ita cunctorum animalium ſpecies æterna intelligentia continebat, quomodo non ipſe cuncta condebat? An aliquorum eſſe artifex nollet, quorum efficiendorum artem ineffabilis eius,& ineffabiliter laudabilis mens haberet? Meritò igitur vera eſt religio, quæ mundi univerſi eum animalium quoque univerſorum, hoc eſt,& animarum & corporum conditorem agnoſcit & prædicat. In quibus terrenis præcipuus ab illo ad eius imaginem homo propter eam cauſam, quam dixi, & ſi qua fortè alia major latet, factus eſt unus, ſed non relictus eſt ſolus. Nihil enim eſt quam hoc genus tam diſcordioſum vitio, *ε* tam ſociale natura. Neque commodius contra vitium diſcordiæ vel cavendum, cùm nondum exiſteret, vel ſanandum cùm extitiſſet, natura loqueretur humana quàm recordationē illius parentis, quem propterea Deus creare voluit unum, de quo multitudo propagaretur: ut hac admonitione etiā in multis concors unitas ſervaretur. Quod verò fœmina illi ex eius latere facta eſt, etiam hinc ſatis ſignificatum eſt, *ζ* quàm chara mariti & uxoris debeat eſſe conjunctio. Hæc opera Dei propterea ſunt utique inuſitata, quia prima. Qui autem iſta non credunt, nulla facta prodigia debent credere. *η* Neque enim & ipſa ſi uſitato naturæ curriculo gignerentur, prodigia dicerentur. Quid autem ſub tanta gubernatione divinæ providentiæ, quanvis eius cauſa lateat,fruſtra gignitur? Ait quidam Pſalmus ſacer: Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Cur ergo ex latere viri fœmina facta ſit, & hoc primum, quodammodo prodigium quid præfiguraverit, alio loco quantum me Deus adjuverit, dicam.

a Quo-

a QUomodo dicit idem Plato.] *Verba Platonis hæc ſunt, ſi quis fortè requirat.* L.Vives.
Νῦν οὖν ὃ λέγω πρὸς ὑμᾶς ἐνδεικνύμενος μάθετε· θνητὰ ἔτι γένη λοιπὰ τρία ἀγέννητα· τούτων δὲ μὴ γενομένων, οὐρανὸς ἀτελὴς ἔσαι· τὸ γὰρ ἅπαντ' ἐν αὐτῷ γένη ζώων οὐχ ἕξει, δεῖ δέ, εἰ μέλλει τέλεος ἱκανῶς εἶναι. *Loquitur maximus Deus minoribus diis: Quid ſentiam igitur, cognoſcite: tria nobis genera reliqua ſunt, eáque mortalia, quibus prætermiſſis cœli abſolutio perfecta non erit. Omnia enim genera animalium complexus non tenebit: teneat autem oportet, ſi quantum ſat eſt, perfectus eſt futurus.*

b Et ſi Deus, quod aſſiduè Plato commemorat.] *In eodem Timæo ait, penes Deum eſſe æternarum & mortalium omnium rerum exemplaria, quæ inſpexit artifex mundi æterna, cùm res nunquam interituras: temporalia, cùm res ſine caſuras eſſet facturus: Non diſputo, ſitne Deus ipſe ſua ideæ, an aliquid ſint aliud hæ, quàm Deus, quod inter Platonicos non ſatis conſtat.*

c Quàm chara mariti & uxoris.] *Quoniam fœmina non de aliena parte ſumpta eſt, ſed de ipſo viro ceu filia, ut vir in uxorem affectu ſit paterno. Hæc in illum filiæ pietate, & de latere ſumpta ceu ſocia, non de capite ut domina, nec de pedibus ut ancilla.*

α UT immortalem partem ab ipſo ſumerent, ipſi verò mortalem.) *Plato in Timæo Deum inducit creato hominis animo loquentem cum Diis ſecundis. i. Angelis, eiſque mandantem ut opificium ejus imitati procreent ipſi cæteras animantes, & hominis corpus forment, quem ſecutus eſt Philo, l. de opific. 6. dierum. & l. de profugis, affirmans hominis animum à Deo eſſe creatum, corpus autem & partes animi alentis atque ſentientis ab Angelis eſſe formatas, in quo certè Philo magis Platonis mentem ſecutus eſt quam Moſis, apud quem non Angeli, ſed Deus ipſe corpus hominis de limo terræ formaſſe dicitur.* F.L.Coq.

β Ad corpora redire mortalia Plato etiam beſtiarum.) *An Plato & alii Philoſophi ita reverà ſenſerint, an verè hujuſmodi animorum tranſitum non in corporum membra & effigiem, ſed in pecorum affectus ſignificarint, quod qui perditè vivunt, pecorum fiant ſimiles, jam ſuprà diſſeruimus: ita fortaſſe metu pœnæ & futuræ poſt mortem conditionis voluerunt homines à ſceleribus deterrere, vel etiam eos inducere ad conſiderationem ſuæ dignitatis, ne ita facilè morum perverſitate degenerarent in belluas. D. Auguſt. hoc loco in ea eſt ſententia, quod Platonem propriè intellexerit tranſitum animarum etiam in corpora beſtiarum; aliter ſentire videtur lib. 7. de Geneſ. ad lit. c. 9. ut ſuprà citavimus.*

γ Quando dicit idem Plato aliter mundum fieri non potuiſſe.) *Verba Platonis extant in Timæo.*

δ Etſi Deus quod aſſiduè Plato commemorat.) *Vult Plato exemplaria ſeu ideas rerum eſſe in Deo non æternorum modò, verum etiam mortalium, quæ inſpexit ille artifex ſummus, cum res quaſcunque condere vellet. Eſt autem omnium artifex, quorum habet apud ſe ideas, nec ars ipſius ſe extendit latius quam potentia productiva, nec rurſus hæc latior eſt ipſius arte, quæ continet rerum omnium producendarum exemplaria, omnia enim ſumma arte per intellectum operatur.*

ε Tam ſociale natura.) *Homo certè natus eſt in ſocietate vivere, unde dictus eſt* ζῶον πολιτικὸν *animal civile, Ariſt. 1. politic. ubi etiam ſcribit eum, qui longè vivit à civitate. i. remotus ab hominum conſortio propter naturam & non propter caſum aliquem, aut improbum eſſe, aut certè meliorem quàm homo ſit.* ἀπόλιτας *&* ἀζύγας *vocat eos Ariſtoteles, qui non libenter junguntur cum cæteris hominibus.*

ζ Quàm chara mariti & uxoris debeat eſſe dilectio.) *Viris diligendas eſſe uxores, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, monet Apoſtolus Epheſ. 5. D. Thom. 2. 2. q. 26. art. 11. ſcribit quoad*

amorem

amoris intentionem magis diligendam eſſe uxorem quam parentes, licet alioquin ſcribat in extrema neceſſitate potius ſubveniendum eſſe parentibus. Sunt enim vir & uxor duo in carne una. Matt. 19. Geneſ. 2. Propter hoc derelinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.

n Neque enim & ipſa ſi uſitato naturæ curriculo gignerentur prodigia dicerentur.) *Quomodo duplex ſit modus, quo res producuntur, unus quidem ſecundum uſitatum naturæ curſum rebus ipſis ab authore maximo naturæ inditum, alius verò præter hunc, ut ſecundum omnipotentiam ſuam præter uſitatum curſum naturæ Deus faciat in rebus quid velit, docet. Auguſtinus noſter l. 9. de Geneſ. ad liter. c. 17. ubi etiam diſputat.* Utrùm jam illa ratio, quam mundi primis operibus indidit atque concreavit Deus, id habebat, ut ſecundum eam neceſſe eſſet ex viri latere fœminam, fieri, an hoc verò tantum habebat, ut fieri poſſet, ut autem ita fieri neceſſe eſſet, non ibi jam conditum, ſed in Deo eſſet abſconditum, *v. g. ad curſum uſitatum naturæ ſecundum rationes ſeminales rebus inditas pertinet, ut de grano tali non naſcatur niſi granum,* Ut illa herba ſic germinet, illa ſic, illa ætas pariat, illa non pariat: homo loqui poſſit, pecus non poſſit. Horum & talium modorum rationes non tantum in Deo ſunt, ſed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque concreatæ, *& quæ ita generantur, dicuntur naturaliter produci.* Ut verò lignum de terra exciſum, aridum, perpolitum ſine radice ulla, ſine terra & aqua repente floreat & fructum gignat, ut per juventam ſterilis fœmina in ſenectute pariat, ut Aſina loquatur, & ſi quid hujuſmodi eſt, dedit quidem naturis quas creavit, ut ex eis & hæc fieri poſſent. verum tamen alio modo dedit, ut non hoc haberent in motu naturali, ſed in eo quod ita creata eſſent, ut eorum natura voluntati potentiori amplius ſubjaceret. *c. 8. immediatè ſequenti.* Habet ergo Deus in ſeipſo abſconditas quorundam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit, eaſque implet non illo opere providentiæ, quo naturas ſubſtituit ut ſint, ſe illo, quo eas adminiſtrat, ut voluerit, quas ut voluit condidit. *Hoc eſt quod Theologi dicunt in rerum natura,* alia quædam produci ſecundum naturalem rerum potentiam, *ut quod naturales ſecundùm potentiam ſibi inditam ab authore naturæ effectus ſibi ſimiles producant:* alia vero ſecundum potentiam obedientialem, *prout omnia ſunt in potentia obedientali ad Deum, & de eis ac in eis præter naturæ uſitatum ordinem producere poteſt. Ad hunc modum pertinet productio corporis humani, ab initio de limo terræ, & mulieris formatio de coſta Adami Neque enim coſta viri erat in potentia naturali, ſed tantùm obdientiali, ut ex ea formaretur Eva, & quæ hoc modo generantur, dicuntur miraculosè, ſupernaturaliter, vel etiam prodigioſe, ut hic loquitur, produci. Et qui iſta non credunt & ſimilia, quæ refert ſacra ſcriptura, non ſatis Dei virtutem intelligunt, eamq́ captu ſui ingenii metiuntur, tantùm aſſueti conſiderationi effectuum naturalium.*

CAP. XXVII.

In primo homine exortam fuiſſe omnem plenitudinem generis humani, in qua prævidit Deus, quæ pars honoranda eſſet præmio, quæ damnanda ſupplicio.

NUnc quoniam liber iſte claudendus eſt, in hoc primo homine, qui primitus factus eſt: nondum quidem ſecundum evidentiam, jam tamen ſecundum Dei præſcientiam exortas fuiſſe exiſtimemus in genere humano ſocietates tanquã civitates duas. Ex illo enim futuri erant homines: alii bonis in præmio ſociandi: quanvis occulto Dei judicio, ſed tamen juſto. Cùm enim ſcriptum ſit: Univerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas: nec injuſta ejus gratia, nec crudelis poteſt eſſe juſtitia.

FINIS.

EX TOMO PRIORI

INDEX LOCORUM SC. S. EXPLICATORUM.

VET. TESTAM.

GENESIS.

Cap.1 Luminaria cœli ſint in ſigna & tempora & dies & annos. p. 489.

1 Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas 1109.

6 Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ &c. 275.

19. Salva animam tuam, noli reſpicere retro. 902.

EXODUS.

Cap. 3. Ego ſum qui ſum. 760.

II. REG.

Cap. 7. Ipſe ædificabit domum nomini meo & ſtabiliam thronum ejus. 808.

PSALMI.

Pſ.11. Perdidiſti omnem qui fornicatur abs te. 974, 976.

Ejuſd. Defecit cor meum. 976.

17 Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. 892.

41. Ubi eſt Deus tuus. 105.

62. Semel locutus eſt Deus. 513, 508.

72. Imaginem illor. ad nihilum rediges &c. 976.

Ejuſd. Pedes mei penè ſunt commoti & effuſi in lapſum propemodum greſſus mei. 974.

Ejuſd. Defecit cor meum & caro mea &c. ib.

78. Poſuerunt mortalia ſervorum tuorum. 45.

88. Viſitabo in virga iniquitates eorum. 25.

93. In juſtitiam convertetur judicium. 2, 4.

95. Cantate Domino canticum novum. 808.

Ejuſd. Annunciate inter gentes gloriam ejus &c. 809.

118. Perdidiſti omnem qui fornicatur abs te. 923. 974. ſeq.

Ejuſd. oculos habent & non vident. 808.

PROV. SALOM.

Cap.6. Mulier captat pretioſas animas.

ESAIAS.

Cap.19. Et movebuntur manu facta Ægypti. 803.

2. Et erit in noviſſimis diebus &c. 1006.

EZECHIEL.

Cap.1. Rota in medio rotæ. 481.

HABACUC.

Cap. 2. Iuſtus ex fide. 2, 4.

LIB. SAP.

Cap.4. Morte raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus. 103.

NOV. TESTAM.

MATTHÆUS.

Cap.5. Deus facit oriri Solem ſuum. 27.

8. Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. 547

22. Diliges Dominum Deum tuum &c. 585. 588.

JOHANNES.

Cap. 1. *Et ſine eo factum eſt nihil.* 991.

Ejuſ. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Johannes &c. 881. *& ſeq.*

5. *Quomodo poteſtis credere gloriam ab invicem expectantes.* 533.

6 *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt.* 971.

8. *Diabolus ab initio homicida fuit* 1057.

Ejuſd. Quod in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo. 1054.

14. *Et erit in noviſſimis diebus &c.* 1006

EP. AD ROM.

Cap. 7. *De corpore mortis hujus cupio liberari.* 837.

8. *Scimus, quoniam dilig. DEUM omnia cooperantur &c.* 81.

11 *Quod notum eſt Dei manifeſtũ eſt in illis &c.* 754. *& ſeq.*

13. *Nox præceſſit, dies appropinquavit.* 263.

AD GALATAS.

Cap. 3. *Lex ordinata eſt per Angelos in manu Mediatoris.* 935.

AD PHILIP.

Cap. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ &c.* 990.

AD COLOSS.

Cap. 2: *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem &c.* 754.

AD THESSAL.

Cap. 1. *Myſterium abſconditum.* 987.

AD TIMOTH.

2. *Cap.* 3. *Semper diſcentes & ad unitatis &c.* 132.

IN-

A.

INDEX RERUM PRIMO VOLUMINE CONTENTARUM.

Abeona Dea. 447.
Abraham non fuit homicida, quod filium mactare voluit. 77.
Abrahæ gremium quid? 46.
Abraham gente Chaldæus. 1006.
Abrahæ promtitudo immolandi filium. 78
Academia quid? 766. 769.
Vetus & Nova. 787.
Academici unde dicti, 765.
Academici nihil certò poſſe ſciri opinantur. 1089. 472.
Nihil affirmant & omnia dicta refellunt. 230. 473.
Actores qui. 188.
Adamo quidam hic ſunt beatiores. 145.
Adamum in gratiâ creatum non fuiſſe falsò affingitur Auguſtino. 1050.
Adeona Dea. 447.
ᾍδης. 798.
Adoratio & Cultus quid differant. 878.
Adoratio etiam hominib. tribuitur. 889.
Adam etiam in ſtatu integritatis hortum coluit. 665.
Adeonis formoſiſſimus juvenis. 593.
Adulterium Cæſaris tempore Romæ puniri cœptum. 277.
Aer anima dictus. 1040.
Locus Dæmonum eſt. 476. 776.
Spiritus. 509.
Cur Junoni tribuatur. 416.
Aer & æther quid differant. 418.
Aerius cur in hæreſin prolapſus. 546.
Aedificia decora non tàm ornant urbem quàm inhabitantis virtutes. 226.
Aedilis curulis efficitur. 259.
Aeduca dea. 426.
Aegeria dea. 705.
Aegyptus cœli eſt imago. 800.
Aegyptiorum Dii belluini. 238
Aemulari illorum facta quos colimus ſolemus. 156. 159.
Aeneas Anchiſæ & Veneris filius. 272.
cum Achille pugnans à Neptuno liberatur. 267.
hoſtem ſuâ manu occiſũ doluit. 301.
Aeneades Romani dicti. 298.
Aenopolis quæ prius Saturnia. 626.
Aeſchines. 174.
Aeſculanus Deus. 447.
Aeſculapius peritiſſ. medicus. 193. ſ.
ab Epidauro Romam migrat. 292.
Ophiuchus creditur in cœlo. 942.
Aeſculapius Romam migrantem ſerpens ſequitur. 293. 940.
Aeſculapij tres. 293. 815.
Aeſculapius à Jove fulmine interemtus. 293.
Aetates hominum quinq;. 282.
Aeſtas ruſſo dicatur colori. 835.
Aeternum non continuo beatum. 1044.
Aeternitas quid diſtet à tempore. 1025.
Aethera cœlum vocant Platonici. 630.
Aetna mons Siciliæ & eius incendiũ. 373.
Aetnæ conflagratio prima. 385.
Aetna flammarum flumina evomit. 383.
Aetnæ incendij cauſa. 377.
Aerarium ab æreis nummis dictum. 451.

Saturno cur conſecratum. ibid.
Aether unde dicatur. 418.
Ægyptiorum Sapientia vetuſtiſſima. 752.
Aegyptij gens ſuperſtitioſiſſima. 241.
Aegyptiorum plaga per Moſen completa. 904.
Aeternitas eſt de ratione beatitudinis. 848.
Aeternitas & temp9 quid differant. 1026
Affectus unde ſint. 828.
Dæmones dicti. 843. 774.
in Chriſtianis non quærimus an ſint, ſed quare ſint. 831.
nec Deo nec angelis inſunt. ibid.
an cadant in bruta. 782.
in vita æterna nullos fore. ibid.
Affectuum frenum virtus. 824.
Affectuum variæ appellationes. 828.
Affectus omnes pravos eſſe Stoici ſentiunt. 829.
in ſe naturales eſſe & indifferentes Peripateticorum ſententia. ibid.
an in ſapientem cadant. 829.
Afflictionibus boni & mali obnoxij. 26. 134.
Afflictionum æqualitas non infert æqualitatem paſſorum. 26. 29.
Afflictionum juſtorum quæ cauſa. 32. 33.
Afflicti Romani ad Deos confugiebant. 105.
Affligi oportet genus humanum. 136. & ſeqq.
Agamemnon Iphigeniam filiam Dianæ ſacrificavit. 77.
Agenoria Dea. 423.
Ἀγοραῖος Mercurius dictus. 424.
Agricultũm quis primo invenerit. 663.
Agricultura prima humanarum artium. 665.
Agricola primus Adam. ibid.
Alba ab Aſcanio condita. 301. 303.
à Romanis everſa. 302. & ſeq.
Albæ civitates multæ. 302.
Albula qui Tyberis fluvius. 456.
Alba triginta civitatum mater. 304.
Alcibiades taxatus Eupolim Poetã ſubmergit. 162.
Alea ludus à Mercurio inventus. 813.
Alecto infernalis furia & eius officium. 297.
Alexander M. ſex annis Aſiæ imperat. 400.
felix prædo dictus, & feſtivum in illum piratæ cuiusdam dictum. 392. ſeq.
Deorum ſacra à ſacerdote Ægyptio accipiens comburit. 730.
Alexandri M. breve imperium. 401.
de eo vaticinium Danielis. 401.
Alexandri parvuli gloriæ cupido. 539.
Alexander Aphrod. Ariſtotelis interpres. 557.
Alexandriæ oppida multa. 1194.
Almus quid? 642.
Altare Dei cor noſtrum. 676.
Ambitionis malum ubi prævaleat. 112. 113.
Ambroſius Theodoſio ſacris interdicit. 586.
Amelita quid? 994.
Ammon Rex Ægypti qui Thamus. 813.
Amor quid. 1098.
circa pulchra verſatur. 868.
Amor ſanctus verum incenſum. 883.
Amorem an in nobis ſentiamus. 1095.
Amphiaras pyromantiæ autor. 704.
Amphitheatrum quid. 303. 306.
Amurca quid? 28.
ἀνάῤῥυσις, dies feſtus Athenienſium, 641.
Anaxagoras Philoſophus. 711.
Anaximander Philoſophus. ibid.
Anaximandri duo. 713.

Anaximenes Philoſophus. 711
Ἀνδρόγυνοι. 377.
Andromache Hectoris conjunx. 297.
undè dicta. 299.
angelorum miniſterio DEus frequenter utitur. 695.
angelos incorporeos Auguſtinum ſtatuiſſe probabiliùs. 738.
angelos naturam ſentientem eſſe, quomodo dicat Auguſtinus. ibid.
angelos eſſe corporeos Plato & Origenes docent. 778.
angelorum primum peccatum quod. 798.
nomen eſt officii non naturæ. 863.
angeli non omnia quæ futura in DEO vident. 870.
angelorum ſcientia qualis. 870.
angelus cur adorationem Johannis prohib. 953.
angelorum miniſterio Divina promiſſa antiquis innotuerunt. 975.
angeli fuere viatores. 1035.
à Deo creati. ibid.
angelorum creationem cur Moſes omiſerit. 1036.
à Moſe non omiſſam Auguſtini aſſertio refutata. ibid. 1067.
angeli an in gratia creati Scholaſticorum controv. 1044.
angeli in quâ beatitudine creati. 1052.
angelos malos caſum ſuum non præſciviſſe. ibid. & ſeq. 1014.
angeli quæ cognitione myſterium Trinit. perfectiùs nobis ſciant. 1100.
angelos antè mundum corporeum creatos eſſe qui exiſtimarint. 1107.
angelorum actiones quadruplices. 1165.
Angelos ad formationem Adami & Evæ miniſterium præbuiſſe Aug. autumat. 1195.
Angelorum locus empyreus ſec. Porphyr. 909.
Angelis quandò ſimiles erimus & propinqui. 809.
angelorum beatitudo firmata ut ab eâ nunquam excidant. 1050.
angelis an bona voluntas ſit concreata. 1139.
angeli propter ſuperbiam cœlò pulſi. 1131.
quando ſint creati. 1033. 1065
& quod ſint opus Dei. 1033.
quando inter bonos & malos ſit diſcretum 1065.
angelorum creatio, poſt creationem conditio. 1050. ſeq. 1045.
angelos ſemper fuiſſe quomodo intelligendum. 1160.
angeli quantum ſciant in cœlo. 868.
quomodo futura ſciant. 1098.
angelorum cognitio perfectiſſima. 198. & ſeq.
ſcientia quantum diſtet à ſcientiâ dæmonum. 867.
angelos non eſſe creatores rerum. 1190.
non poſſe eſſe mediatores noſtros. 850.
angeli nolunt ſibi ſacrificari. 898.
angelus nuncius dicitur. 863.
angeli ſine affectibus affectuum nomina habent. 821.
Angelis ſubditæ creaturæ naturales. 514.
angelos quidam dæmones vocant. 863.
Angerona Dea & eius ſimulacrum. 404.
Anguis cur dicatus Æſculapio. 942.
Anguitenens in cœlo Æſculapius eſt. 942.
Animæ partes tres & illarum ſedes. 676. 674.
gradus tres ſecundum Varronem. 674.
animas intellectuales à ſolo DEO illuſtrari Platonicorum ſententia. 880. 881.
anima corpore exuta quò migret ſec. Platonem. 992. 993.

quæ poſt exutum corpus habebit participatione accipiet. 1038.
primi hominis quandò creata. 1185.
animæ omnes ex ead. ſubſtantia cur non omnes eodem modo intelligant. 732.
anima & peſſima melior optimo corpore. 838.
non eſt Deo coæterna. 996.
animæ liberandæ univerſalis via eſt Chriſtiana religio. 999. *& ſeq.*
animarum purgatio vera. 961. *& ſeq.*
quæ ſec. Porphyrium. 908.
anima quid ſit variæ Philoſophorũ opin. 1040.
animam quidam DEO coæternam arbitrantur. 1017.
animam rationalem tria genera habent, Dii, dæmones & homines. 772.
in hunc mundum traditam ut mala cognoſcat dixit Porphyrius. 1171.
De anima Origenis error. 1077.
De animarum in corpore reditu opin. 1178.
animarum tranſmigratio ſec. Philoſophorum. 993.
animas propter peccata corporibus quaſi vinculis incluſas quidam dixere. 1077.
in dæmones converti Platonic. opinio. 841.
poſt mortem in beſtias migrare docuit Plato. 992. 994.
Animæ immortalitatem naturali lumine invenere Philoſophi. 128.
acerrimè propugnavit Plato. 83. 838.
anima proſtituta quæ dicatur. 679.
animam intelligentem de divinâ eſſentiâ eſſe quidam aſſerunt. 433.
anima in homine una & eadem intelligit ſentit &c. 623.
animas plures in homine eſſe repudianda ſententia. ibid.
in Synodo condemnata. 676.
anima hominis à Deo producta. 629.
animas creari quotidiè à Deo Eccleſiaſticum magis eſt dicere. 629.
animæ hominum priusq. ſuis inſpirantur corporibus non ſunt. 629.
animam ex Divinâ eſſe ſubſtantiâ hæretica ſententia. 629.
anima intelligens in quantum Deo ſimilis. 676.
anima & animus quid differunt. 692.
animam rationalem immediatè creando Deus producit. 692.
animarum creatarum lumen ſolus Deus. 742.
animæ origo cognitu difficilis Philoſophis 998.
animæ beatitudinem Auguſt. non dubiam fecit, ſed locum. 1145.
Anima hominis an ante formationem corporis producta, Origenis ſententia. 1186.
ſimul cum corpore creatam certum eſt ib.
Animum noſtrum de ſubſtantia aſtrorum deciſum putat Plato. 732.
ſolum hominem dicebat Plato. 49.
Animo parvo qui ſint. 481.
animus humanus proximè ad Dei naturam accedit 628.
Animum non eſſe corpus unde conſtet. 734.
animalia omnia domeſtica ſubitò Romæ efferata 345.
animalia ſuperfœtantia 499.
animalia bruta qualem habeant ſcientiam 1093.
quæ in igne victitant 1128.
animalium voluntas quæ 509.

crea-

creatores angelos eſſe dixit Plato. 1194.
annona præfectus primus Romæ creatus. 318.
annulus equeſtris ordinis inſigne 333. 336.
promiſcuus deinceps ejus uſus. ib.
anni Ægyptiorum breves 1146.
annis græcorum plus credendum ib.
annos diverſos diverſi habuere 1147
Anſeres Capitolini Iunoni ſacri 238
anſerum feſta & honor apud Rom. ib. & 241
Anticatones duos Cæſar ſcripſit 86
Antiphanes Lariſſæus Comicorũ primus 163
Antiſthenes Cynicæ ſectæ author 761
Antitheſis uſus 162
M. Antonius ab Octavio victus in Galliam fugit. 366
Antoniani belli hiſtoriam Cicero in Philipp. conſcripſit 366
Anubis Deus 190
Apex flaminis quid 199. 202
& quibus datus ſit à Romanis 119
Aphrica à locuſtis vaſtata 372 374
Apis in bovis ſpecie colitur 814
Apollo cur ſagittas habeat 655
Divinationis Deus 428. 657
Loomedonum conductus mercede 267 ſeq.
Ephebus viſitur 592
ejus ſimulacrum Deli 692
Apollinis Delphici oracula quomodo inventa 424
variæ poteſtates 428
qualia 271
Templi inſcriptio 761
Apollinis Cumani ſimulacrum quatriduo flevit. 289
Apoſtoli gloriæ hominum contemtores 533
Apoſtatæ deſertores Chriſti veritatis
cur dicti 555
Aprilis menſis Neroneus dictus 550
Veneri ſacer 456
Apuleius & Apollonius Chriſto abſurdè comparati 118
Apuleius magiæ accuſatus 792. 798
quando vixerit 769
Apuleij eloquentia 384
Gn. Apuleius Saturnius occiſus 351.
aqua mas & aqua fœmina quæ Ægyptiis 418.
aquæ ſupracœleſtes quid ſignificent 1116.
ab Origene angeli dicti ſunt 1113. 1115
aquas à Deo creatas quidam negarunt 1113. 1116.
aqua cur non totam ambiat terram. 1114.
aquam principium omnium rerum poſuit Thales Mileſ. 711.
aquæ ſintne ſuper cælos 1113.
quomodo ſuper cælos eſſe poſſint. 1113.
arbores vitam habent 74.
& naturæ vitam tuentur 1092.
Arca teſtimonij cur dicta 946. 948
& quæ per illam facta miracula. 946. & ſeq.
Arca an aliud quid præter tabulas legis incluſum fuerit 947.
Archelaus Philoſophus 711.
Ἀρχιατρος quid ſignificet 321.
Archimedes admirabilis ingenij 23.
Syracuſis captis in pulvere figuras mathematicas obſervat. 1099.
Archimimi qui 607.
Ἀρχὴν principium & principatum dicimus. 1065.
Arena quid ſignificet 306.
ſanguinea humus Martiali ib.
Argentinus Deus 447.
Argentũ quandò primò cœptum ſignari. 448.
Argentarij qui 624.

Arietes quales ſint generaturi fœtus præ- noſcere 1193.
Arimanius Deus Perſarum 554.
Arion methymnæus cytharoedus Delphino evectus 53.
Ariſta quid 405.
Ariſtoteles Platonis diſcipulus 765. 767.
δαίμων *dictus* 466.
Ariſtotel. libri quando cœperint legi. 757.
Ariſtotelis nativitas & parentes 767.
Ariſtodemus 755.
Ariſtippus Socratis diſcipulus 720.
Ariſto Platonis pater 727.
Ariſtocratia quid 231.
Ariſtonicus à Romanis victus 209.
Ariſtophanes veteris Comœdiæ Scriptor. 162.
Ariſtophanis nebulæ 167.
equites ib.
ἀρμοσταὶ *qui* 31.
arreptitij qui 140. 145
ars unde dicta 447.
in artificibus tria ſpectantur 1087.
Artemis Diana dicta 656.
Artes liberales unde dictæ 165.
Artes ingenio humano excogitatæ DEo tribuendæ 693.
Aruſpicina quid 704
Artarxerxes reſtaurator gloriæ Perſar. 401.
obſcuro loco natus. ib.
Ingentis Spiritus vir. 401.
Aſclepius, qui prius Æſculapius. 812.
Aſclepij pater medicinæ primus inventor pro Deo habitus. 811.
Aſinius Pollio. 980.
Aſperitas quid 153.
Aſſavacus avus Anchiſæ. 527.
Aſſyriorum reges, quot fuerint. 396.
Aſſyriorum regnum quamdiu durarit. 396. 398.
potentia maxima. 395. 398
Aſtra Deos qui putarint. 653.
Aſtronomiæ peritiſſimi Chaldæi. 704.
Aſtronomiam docuit Atlas. 748.
Aſtrologia à Maguſiis inventa. 910.
Aſtrologiam nauticam quis primus conſcripſerit. 713.
Aſtrologiæ judiciariæ vanitas. 485. *ſeqq.*
Aſtrologorū igitur prædictiones in ſe vanæ, quare interdum cum eventibus congruant. 503.
Aſtrologi ſi vera dicunt vel ex ſuggeſtione vel occulto Dæmonum inſtinctu fieri. 502. 503.
Aſtrologi magis cavendi qui vera, quam qui falſa dicunt. 503.
Aſtrologia inventum Dæmonum. 504.
Aſylum unde dictum & quando ſua illis authoritas adempta. 120. 121.
à Romulo & Romo conſtructum. 120.
Junonis in Troja. 17.
à prognatis Herculis primò inſtitutum. 121.
Aſylorum immunitas quæ ib.
Aſyli conſtituendi quæ cauſa Romulo. ib.
Athlas rex Mauritaniæ Aſtrologus primus. 752.
Athlantici Lybici qui ibid.
Athenæ & Lacedamō Græciæ lumina 305.
Athlantici Philoſophi qui 748.
Attalus Rex Aſiæ 290.
Attalenæ fabulæ 183.
Attyli reguli fides & mors 56.
Laus præclara 88.
Atys Deus 140.
quis & quid ſignificet 880
Avaritia idololatria. 644.
Avari ſemper pauperes. 643.
Aventinus mons Murcius dictus. 437.
Averruncus Deus. 405.
Augurum quinq; ſigna. 341.
Auguria quid. 704.

Etiam

Etiam pagani irrident. 255.343.
472.474.
Augurii diſciplina antiquiſſima. 581.
Augurium ab Hetruſcis ad Rom.commigravit. 474.
quid Ariſtoteli. ibid.
Auguriorum & Auſpicum vanitas. 255.
Auguſtinus ipſe ſpectaculis & eorum ſacris interfuit. 139.144.
Auguſtus Cereri ſacer. 456.
Auguſti Cæſaris tempora. 364.
geſta, ſub quo natus eſt CHriſtus. 366.
Αὐτοχειρία omnis prohibita. 62.63
idq; præcepto quinto. 74
eam immortalitatis conſequẽdæ deſiderio gymnoſophiſtæ exercuêre. 74
eſt abjecti & puſilli animi. 82
à Stoicis, Cicerone, Curtio, aliis laudata. 83
à ſanctis fœminis patrata quo loco habenda. 92
Axierus Deus. 687
Axiomantia quid. 704
Axiocerſa Dea. 687

B.

Bacchus unde dictus. 600
Bacchi feſtum & ceremoniæ. 600.598.
Bacchanalium turpitudo. 164.605
Baptiſmus lavacrum quare dicatur. 96. 97. *quomodo peccatorum remiſſionem conferat ex Pontificiorum ſententia.* 97. *omnem peccandi poteſtatem tollere Joviniani error.* 98. *non niſi adultis olim collatum eſſe Ludovici Vivis error.* 96.99
Baptizandi ritus vetuſtus. 96
Baſilicæ cur templa appellentur. 6
beatitudo quid ſecundum veteres. 1045. *ſecundum Platonem quid.* 743. *quæ hîc maxima.* 148. *vera non eſt, ac cujus æternitate dubitatur.* 1155.1181. *vera quæ.* 751.1050. *veram à ſolo Deo largiri Platonis ſententia.* 874
beatitudinis cauſa bonis eſt adhærere Deo. 1118
beatitudo in hac vita perfecta haberi nõ poteſt. 850.743
beatitudo noſtra quæ objectiva, quæ formalis. 743
beatus nemo eſſe poteſt, quamdiu mortalis eſt. 849.ſeq.
nemo poteſt eſſe ex ſeipſo. 1118.
beatum reddere ſolus Deus poteſt. 694
beatiores quidam in hac vita, quàm Adam in paradiſo. 1045
Bellona Dea. 427.447
Pallas dicta. 447.299
Bellonæ & Martis inſana ſacra. 483
bellorum mos & jura. 24
bellum primum Ægyptij & Aphri inter ſe habuêre. 396
bella primus Ninus finitimis intulit. 395
bellum an juſtum ſit nec ne, quod ſuſcipitur, prius conſulendum. 20
bella authore Deo geſta licita. 78. *Chriſtianis non interdicta.* 95. *Adverſari ſacris literis impudenter mentitur Eraſmus.* 95
bella civilia parricidalia. 254
bellorum cauſæ quæ optimæ & juſtiſſimæ. 289
bellorum eventus incerti. 398
bellorum ſola & vetus cauſa quæ. 398
bellum juſtum quo uſq; progrediatur victoria. 435
belli juſti cauſæ ſint neceſſariæ. 436
bellorum civilium malum. 107.251.367
bella civilia Rom. ordine recitata. 108.364 ſeq.
bellorum civilium ap. Rom. cauſa 107
belli leges victores aliqui remiſere 20
In bello quæ captis fieri ſoleant 19

Digitized by Google

bella qui gerunt nequaquam peccant Deo & magiſtratu jubente 77
bella nulla niſi per Chriſtianos geſta propter Dei nomen ullis pepercere 8
bellorum cauſam Chriſtianam religionē eſſe quidam dixerunt 132
bellorum tempora & exitus à Deo pendent 556
bellis Deus corruptos hominum mores emendat 27
bella Deorum exemplo exarſere 252
Beneficia Dei duplicia 696
beneficiorum Dei quod maximum ib.
benevolentia quid & quomodo ab amore differat 809. *ſeq.*
beneficentia quid ib.
benevolentia & beneficentia quomodo differant 809
benefactorib. olim Divini honores decreti 148. *ſeq.*
Beryzinthia mater Deum & Sacra 139. 146
βαίτυλος *quid* 457
bibliotheca prima ab Aſinio Pollione impublicata 578
bilis fervens venenum eſt 157
bonum eſt æquum 208
bonum quid 1075
bonum eſt, quod poſſidentem bonum reddit 36. 39
bonum ſimplex & incommutabile ſolus Deus 1037
bona triplicia ſecundum Platonicos 65
bonorum genera tria corporis, animi & externorum 742
boni finis quid 718
bonum ſummum quod dixere plerique 719. *eſſe veritatem* 743 *unde petend.* 742
bonum nullum eſſe externum dixerunt Stoici, ſed Solam virtutem 835
bona temporalia cur mali quæritant 107
bonorum temporalium omiſſio quid nos doceat 34
bonis temporalibus quomodo utendum ſit 24
bona temporalia ſunt adiaphora 27 *à Deo conferuntur* 28 *non tamen propter ea Deo ſerviend.* 28
boni ſummi notitiam nullus philoſophorum conſecutus eſt 723
bonum abſolute ſummum non niſi ex revelato Dei verbo cognoſci poteſt 743
de bono ſummo variæ opiniones unde ortæ 744
Platonis ſent. proximè ad Chriſtianam Philoſophiam accedit 751
bonus ſi ſervit, liber eſſe 388
boni & mali ſemper commixti 123
bonos ſolos beatos eſſe 817
bona cur malis contingant 25
Botanomantia quid 704
Brachmanæ Indorum Philoſophi 749
Bullæ aureæ uſus 336. 227

C

calamitates utriſq;, & ipſis qui ferunt & ſpectatoribus utiles 119
calamitates cur Deus immittat 120
calamitatum & afflictionum cauſæ peccata ſunt 32
calamitates Chriſtianæ religioni imputantibus quid reſpondend. 379
calumnia quid 722
Camena Dea, unde dicta 426
Caniphori virgines 868
canonica ſcriptura quæ dicatur 1015
canticum novum quod Deo canitur 805
Capitolium à Tarquino parricida ædificatum 208. 248
Capnomantia quid 704
capitis diminutio triplex 169
capite cenſi qui 321
Cartea 404. (497
cardines mundi ſecundùm mathematicos

Car-

Carmentes Dea 426.429
Carmena Dea 426
carnibus veſci an demum poſt diluvium licuerit 70
Carthago Romani Imp. terror à Tyriis condita 877
Carthaginis diruptio Romæ perditio 107 *ſeqq.*
Carthaginem Naſica deleri probibuit 107.214.
Caſtitas violentia non corrumpitur 59 *caſtitas & pudicitia veterum Roman. commendata* 91
caſtitatis amore ſanctæ fœminæ mortem ſibi acceleravere 92
caſtitas in bonis temporalibus non deputanda 100. 103. *ſuperbiens nihil prodeſt* 101
Caſtratio juvenum à quib. orta 609
caſtrati ſpadones unde dicti ib.
Catholica fides quare dicta 1003
Catius Deus 447
Cato quare ſe peremerit ib. Se ipſum occidens imprudenter fecit 84. *ejus vita* 85
Catones unde nati & quare ſic dicti 85 448
Catonum ſanctitas in proverbium abiit 85
cauſarum diverſa genera 509 *diſtinctio ſecundum Stoicos* 518
Cenſorum officium 167
cenſores primi quando creati & unde dicti 171 *quanta illius magiſtratus poteſtas* 10
cerevisiæ uſum quis invenerit 818
Ceres ipſa terra eſt 659
Ceritum tabula quid 186
Chaldæi Aſtronomiæ peritiſſimi 749
Charitas ſuprema lex Chriſtiana 885 *qua Deum & proximum diligimus ead. eſt* 881
Chiromantia quid 704
Chriſtus nulla cauſa malorum 371 *quale ſit principium* 970 *quomodo Dæmonibus innotuerit* 865 *ſeq. cur ſibi noluerit vivens ſacrificari* 950 *ut homo mediator noſter eſt* 1011
Chriſti humanitas Eccleſiæ caput, divinitas ipſa vita eſt 896 *incarnatio Dei gratiam maxime nobis commendat.* 984
Chriſtus unicus mediator noſter 850 *ſacerdos magnus,* 895 *totum hominem ſuſcepit, ut eum liberaret* 979 *ſeq. quo anno natus in Bethlehem* 366. 370
Chriſtum cur tentarit Diabolus? 866
Chriſtum Porphyrius contempſit, quod de fœmina natus ſit 981
Chriſti beneficia inæquali accipiuntur affectu. 27
Ante Chriſtum majorib. calamitatibus divexatus fuit mundus 138
Chriſti adventus ſignum eſt idolorum & oraculorum ceſſatio 470 *à dæmonum principe tentatus eſt* 867 *mediator noſter eſt ſecundum utramq; naturam* 855 *quomodo dicatur lumen omnem hominem illuminans* 880 *non niſi ratione humanitatis potuit eſſe ſacerdos & ſacrificium* 897.999
Chriſti humanam naturam ne poteſtate abſoluta quidem potuiſſe peccatum habere 663
Chriſti humana natura quare veſtimento aſſimiletur. 988. *Divinitatem ex Evangeliſtis omnium maximè intendit Johannes.* 990
Chriſtus cur non antè in carnem venerit, curioſa quæſtio, & quid ad illam reſpondendum. 1005
Chriſtianus quos Philoſophos potiſſimum ſequatur. 745
Chriſtiani familia Dei. 104. *ſeq. hoſtes publicæ*

blica fœlicitatis à gentilib. vocati. 227
Chriſtianorum DEus quis. 104. ſeq.
Sub Nerone perſecutio. 612
Chriſtianorum conventus quales olim fiebant. 260
Chriſtianis exprobrantibus præſentis vitæ adverſitates quid reſpondendum. 104
Chriſtianæ religionis vis. 19
Salubritas. 260. 379. 381
Chriſtiana religio brevi diffuſa. 138
Chriſtianæ religioni imputantibus quæ Deus immittit mala quid reſpondendum. 379. 387. 402
Chriſtianorum crudeliſſimi perſecutores qui. 609
Chriſtiana religio ex V. T. maximè firmatur. 698. pro crimine objecta fidelibus. 792
Chriſtianam religionem liberandæ animæ viam eſſe. 999. ſeqq.
Chriſtianorum afflictiones ad profectum valent. 29. Miſericordiæ Dei admonentis ſigna ſunt. 379
Chriſtianam religionem cauſam malorum omnium quidam dixére 132. ſeqq. cur plerique eam incuſent. 224
Chriſtiana religione ſola gentilium poſſe convinci errores. 699
Chriſtianam religionem eſſe antiquiſſimam. 127
Chriſtianorum conſtantia. 339
Chriſtianum qualis opum contemtus deceat. 545
Ciceronis eloquentia. 366. 364
interitus. 366. 371
Ciceronis error de præſcientia & libero arbitrio taxatur. 507. ſeqq.
Cinthia Dea. 601
Circe Marica dicta poſt Deificationem. 199. 244
Circenſium ludorum origo 212. 115. & ſeq.
Cives boni qui aliquando habiti Romæ. 319
Civilium bellorum æſtu an ſemper alterutri parti adhærendum. 283
Civitas eſt concors hominum multitudo. 56. 58. optime quæ ſit munita. 119
Civitatis regimen triplex. 228. 231
Civitati nihil tam inimicum, quàm injuſtitia. 228
Civitati concordia eſt, quod harmonia Muſica. 228
Civitatem non ornant ædificia, ſed virtutes civium. 226
Civitatum everſio eſt morum, non murorum caſus. 118
Civitas Dei quæ. 1009
pars eius major ſunt angeli. 1033
conditor Chriſtus. 210. 808
Civitates duas tantum eſſe bonorum ſcil. & malorum. 1117
Civitatis Dei ſ. Eccleſiæ duplex ſtatus. 3
Civitati Dei perpetuum bellum indicit civitas terrena. 6
Civitatis Dei inimici quadruplices. 381
perpetua libertas. 322.
Civitatis Dei firmitas, dignitas & divitiæ. 110
Civitatis æterna gloria. 140
Clavus latus quid? 427
Cleromantia quid. 704
Cloacina Dea. 404
Cloacinæ ſimulacrum à Tatio inventum.
Cocytus Deus. 676 (404
Cœlibatus conjugio perfectior ſtatus. 32
Cœmiteria undè dicta. 51
Cœnæ ſacræ myſterium religiosè antiquitùs abſconditum. 898
Colere non tantum Deum, D. & homines dicimur. 875
Collatina Dea. 403
Comitia magna centuriata dicta. 69
Comites qui. 498

Comœdia

Comœdia quid contineat. 164
Comœdiæ tres vetus, media & nova. 162
Comœdiarum origo. 162.170
Comœdiarũ licentiam deteſtati ſunt Romani. 166.ſeqq.
Comœdiarum actores infames Romanis. 174.182
Comœdiis crimina taxari cur paſſi ſint Græci. 174
Concionum ſacrarum è ſuggeſtu habitarum antiquiſſimus ritus. 155.260
Concordia ſine juſtitia eſſe non poteſt. 228
in unius hominis creatione commendata. 1184
in civitate eſt quod harmonia in Muſica. 228
Concordiæ ædes cur à Romanis exſtructæ. 350
Concubitus cum indebito ſexu peccatum eſt contra naturam. 597
Concupiſcentialis inobedientia absq; culpa eſt in corpore non conſentientis. 90. 91
Conditio in fœminis. 607
Conjugalis pudicitia bonum inferius virginitati. 102
Conſcientia mille teſtes. 70
Conſcientiæ gloria. 73.99
Conſentes qui. 454.ſeqq.
Conſere quid. 459
Conſiliorum ara ſub terra. 210
Conſtantini Imperatoris in hoc mundo fœlicitas. 562
Conſules unde dicti. 524
initio prætores & judices dicti. 579
cur creaverint Romani, & quod ſit illorum officium. 524.528
Conſulatus cur annuus magiſtratus conſtitutus. 316
Conſulatus inſtituendi ratio. 217
Conſtantinus religioſus & pius princeps. 564. *Conſtantinopolim exſtruxit, templa quot condiderit.* 564
Conſectaneus quis dicatur. 980
Conſus Deus conſilii. 210.ſeqq.427
Continentium corpora quare Deus permittat peccaſſe contra votum. 99.103.
Contraria alia mediata alia immediata. 847
Contumeliæ ab Athenienſibus ara ſacrata. 436.846
Contrariorum eund. eſſe ſenſum & diſciplinam. 1137
Conviviorum luxus ægrotæ Reip. indicium. 226
Corpus ſanctum ſit uſu ſanctæ voluntatis 59
Corpus ergaſtulum animæ ſecundum Platonicos 840
Corpus ſpirituale quibus rebus pinguefcat. 919
Corpus mortale quando fiat ſacrificium Dei. 895
Corporis bona propriè bona non eſſe. 827
Corpora noſtra quomodo ex elementis conflata 1115
Corpora omnia reſurgent quacunq; hic morte deceſſerint. 43.986
Corporum noſtrorum poſt reſurrectionem incorruptibilitas. 1038
Correptio fraterna ad ſpeculatores primariò pertinet. 33
Coſcinomantia quid. 704
Crane Dea. 405
Cranes Nympha quæ poſtea Carna. 626
Creator rerum unus & ſolus Deus. 192
De creatura tria nobis maximè ſcienda. 1064
Non creaturæ ſed eorum abuſus vituperandus. 1074
Creaturæ cuiusq; bonitas in quibus conſiſtat. 523
Creationem mundi quid in Deo præceſſerit.

rit, blaſphema quæſtio. 1020

Creationis rationem vid. p. 1025. *ſeqq. copioſè.*

Creatarum rerum omnium finis extrinſecus quis? 1073.

Creatæ res omnes ad huius univerſi decorem quomodo tendant. 1075. 1128. *ſeqq. Entia per participationem bona.* 1123

Creaturæ omnes in ſuo genere bonæ 1127 *quæ primo creatæ* 1034 *omnes ad laudem Dei tendunt* 1130

Creditoris jus in debitorem quale apud Romanos 216 218

Crocodilus ſerpens 812

Crudelitatis inſignia monſtra quæ 609

Crucem inſipientiam vocari 982 970

Crux Chriſti per lignum amaris aquis immiſſum præfigurata 903

Crucifixionis Chriſti Moſes manus extendens typus 906 *Serpens æneus figura* 908

Cuba Dea 426

Culpa abeſt, ſi abfuerit conſilium 65

Cultus verus & falſus 684 *ſeq. verus quis* 875 883 *qui Deo exhibetur non Deo, ſed ipſi homini prodeſt* 890 *Martyrib. exhibitus qualis* 819

Cunina Dea 404 4023

Cupiditas venerea nimium tenaciter viſceribus inhæret. 31

Cupiditas gloriæ & dominandi quid inter ſe differant 548

Curia quid; unde dicta 181 & 899

Curiarum numerus Romæ unde manarit 209

Cybele Dea, quas artes invenerit 139

Cynocephalus quid 190

Cyprianus martyr 818

D

Damnati an ſecundum rectam rationē ꝙ non eſſe eiecturi ſint. 1049 *damnatorum animas tandem conſumendas errat Arnobius* 614

Damnatorum pœna duplex damni & ſenſus 614

Dardanarij magicæ artis periti qui dicantur 791

Dæmones ſuperſtitionum authores extitere 16 *quæ futura præſciant & prædicant* 118 *Deorum nomine decipiunt* 148 & *ipſi & ſacratos & fideles ſuos tingunt* 257 *incentores fornicationis ſunt & omnis impuritatis* 157

Dæmon Dei ſimia divinos honores affectat 591 574

Dæmonum voce in ſcripturis ſemper diaboli intelliguntur 581

Dæmones Aeriæ poteſtates quo ſenſu in ſcripturis dicantur 781 *an miracula edere poſſint* 793 *Conſilio creatoris aerem ſortitos eſſe Philo Judæus cum Platone contra ſcripturam ſentit* 796 *futuram hominum ſalutem per Chriſtum præſciviſſe* 816 *Sine ſpe veniæ ſunt damnati* 849 *unde dicti* 865 *Sunt alij aliis ſuperiores* 913 *Angelorum imaginibus fallunt* 916 *an ullo modo à magis cogi poſſint ib. in orbes cœleſtes nullam habent poteſtatem* 924, 946 *eſſe corporeos non alienum ab Auguſtini mente* 1083 *Dicti tenebræ* 1109 *bona præcepta non niſi decipiendi animo nonnunquam dant* 255. *Non ſunt timendi propter bona aut mala terrena* 243 *Quibus mediis futura cognoſcant* 867 *Conjecturis tantum futura cognoſcunt* 250 *Quomodo vera prædicant* 250 *pleraq; quæ prædicunt, mentiuntur* 250 *Alios aliis eſſe pejores* 14 *Aerem inhabitare* 776 *animale habere animas rationales & hominibus eſſe ſuperiores* 772 *Non eſſe meliores hominibus* 776 *non eſſe ſuperiores hominibus propter lôci excellen-*

cellentiam 777 In quo hominib. miſeriores 8 9 ſeq. Quid cum diis & hominibus commune habeant 838 morbis homines affligere poſſunt 464 Dæmones immundos eſſe Spiritus ex eorum voluptatibus diſcitur 255 quibus armis à nobis vincantur 961 Ipſa humilitate potiſſimum vincuntur 864 Cur munera petant 783 Cur falſa crimina de ſe narrari velint 174 præ hominibus colendos ſe proponunt ib. vafros non ſapientes eſſe 1045 nihil aliud poſſe, quàm quod à Deo ſinuntur 243 704 imperita incantatione irritantur 982 ſeq. Platonici aëreos eſſe dicunt 329

Dæmon animus dicitur humanus 841

Dæmonis natura media quædam inter Deos & homines 573

Dæmonis vox apud Chriſtianos ſemper malè ſonat 776

Dæmonem eſſe multis modis dicitur 842

Dæmones quidam affectus vocant 843

Dæmonũ alij jam ſunt in inferno, alij in aere 798 natura tribus contrariis ab hominum diſtinguitur 845 Scire illorũ quantum ab angelorum 867 diſtributio & nomina 841 invidia & poteſtas maxima 289. 562. 1111. beneficia noxia 257 deceptiones & impoſturæ 279. 289. 914. Malitia 767 ſeqq. celeritas 251

Dæmonibus qua ratione innotuerit Chriſtus. 866. Pœna eſt æterna hominum fœlicitas. 262. 265. Cur tanta concedatur poteſtas. 956. ſeqq. Hic mundꝰ carcer iis eſt uſq; ad diem judicij. 1109

Dæmoniaci qui apud Gentiles. 774

Deus quid ſit ſecundum Varronem. 476 quorum Deorum Deus. 1009. cuius rei Dominus fuerit ante creationem. 1159

Deo inimici qui. 1123

Deum multi Philoſophorum per creaturas cognovêre. 750. non eſſe animam mundi. 431 636

De Deo ſatius eſt plerumq; ignorare, quam periculoſius ſcrutari. 1161

DEum unum eſſe eumq; in omnib. diffuſum dixêre gentiliũ quidam 422. nulla ſpecie aut forma poſſe effingi gentiles dixêre. 477. Eſſe incorporeum viderunt Philoſophi 733. unum ſapientiores gentiũ arbitrantur. 424. unum & ſolum eſſe, Platonem cognoviſſe. 576. eundem cur publice prædicari noluerit. ibid. habere corpus, quomodo Tertullianus aſſerat. 737. immediatè omnia producere erronea ſententia. 695. non eſſe corpus, quomodo probandum. 737. Corpus eſſe, qui hæretici exiſtimârint. ibid.

Deus eſt incomprehenſibilis. 694. 857, ubiq; præſens. 105. 694 ſæpe in aliena quæ ipſe non eſt, forma viſus. 929. immutabilis. 694. ſolus verè eſt. 760 ſolus, bonum ſimplex & incommutabile. 1037. quomodo futura præſciat. 511. non eſt niſi ſit futurorum præſcius. 510. 515. qualiter futura, præſentia & præterita videat. 1070. quomodo loquatur homini. 1011. 1012. verus ſexum non habet. 467. Curſui naturæ & ordini temporum non ſubditus. 480. ab effectis poteſt cognoſci. 739. quot modis ſe manifeſtet. 755. inviſibilis quot modis dicatur. 930. in hac vita per quaſdam imagines viſus eſt. 931. per ſe non locutus eſt Moyſi aut patribus, ſed per Angelos. 936. an ſit etiam in locis imaginariis extra mundum. 1024. ab operando quomodo ceſſârit. 1032. per eſſentiam eſſe habet. 1122. etiam infinitorum rationes apud ſe habet. 1172.

Deus

Digitized by Google

Deus quodammodo ſibi dicitur finitus. 1174
Dei poteſtas non minuitur, cum dicitur, quod mori non poſſit. 516. voluntas certa & rerum omnium fons ac origo. 868. ſeqq.
Dei poſteriora vident creaturæ. 930. operari & vacare quid. 1170. Permiſſio non infert factis bonitatem. 103. notitia naturaliter inſita. 453. veri cognitio adumbrata quædam apud multos gentiles. 462. potentia duplex ſecundum Thomam. 480. nomen quomodo etiam creaturis quibusdam ſit communicabile. 871. 873.
θεῦγνωςὸν diverſæ eſt rationis. 754
Deo uni cur plura in ſcripturis nomina aſſignentur. 642
Deo propter DEum ſerviendum. 28
In Deo actus quinq; ratione diſtincti. 928
Deo, Dominum eſſe & creatorem qua ratione ab æterno competat, qua non 1162. ſeqq.
De Deo rebusq; divinis errores unde oriuntur. 1172
De Deo præ cæteris Philoſophis melius ſenſit Plato. 735
Dij gentilium monſtroſi. 608
hominum opprobriis delectantur. 166.
Dij beneficia nulla dare poſſunt. 242. 245. nullas unquam leges cultoribus ſuis ad bene vivendum dederunt. 138. Flagitiorum ſunt patroni & authores, non ultores. 236. 271. quibus rebus ſe colendos eſſe perſvaſerint. 449. propter vitam æternam culti, quam dare non poſſunt. 573. 574. bella & calamitates excitantes dæmones eſſe, non deos. 834
Dii eſſe non poſſunt, quos ſexus diſcernit. 18. cultus obſcœnos & turpes ipſi imperant. 164
Dii Romæ in theatris publicè traducti. 181
Deorum multitudinem Philoſophi gentilium reprobârunt. 576
Deorum cultores nullo modo boni eſſe poſſunt. 117
Deorum falſa Deitas ex impuro cultu, quó délectantur, colligenda. 184
Deorum numero qua ratione homines aſſociati. 466.
ignoti & incerti Varronis. 659. 660
Deorum genera tria & ad quæ ordinata 465. 588. 911
Deorum duo ſunt principia. 686
Deorum Laban cum Palladio comparatio. 11
Deorum ordines. 189. evocationes. 238 240. ſexum quare excogitârit vetuſtas. 479. matrimonia & inceſta 605 adulteria. 271
Deorum dona qua ratione inter Deos colant gentiles. 460. 461
Deorum ad rationes Phyſicas detorſio non liberat gentes ab idololatriâ, 685
Deorum & dæmonum differentia. 821
Multitudo Romanis nihil profuit 293
Pluralitas una religione Chriſtianâ vinci poteſt. 699. impotentia & vanitas. 237. 240. 748
Deorum cultus turpiſſimus Romæ 139 147. 605. 156. Multitudo ap. Roman. 403. ſingulorum officia. 598. ſeqq.
Diis gentium meliores quidam homines 117. 118. 188. 193
Diis non Chriſto hujus mundi mala adſcribenda. 371
Diis exiſtimare ſe natum eſſe utile eſt. 274. 275. ſervilia miniſteria tribuunt gentes. 267. 270
Deos ſuos pagani dicunt eſſe dona Deorum 460. nihil unquam benè ſanxiſſe 151

131. cur veteres in animalium ſpecie coluerint? 814. nec dare nec tueri regna poſſe 399. annon pluſquàm 170. ſine ſimulacris Romani coluêre 710 476 478. omnes fuiſſe homines. 596. 661

Deos quare fecerint antiqui 804. ſemper fuiſſe & tamen factos eſſe Platonici dicunt. 996. ſeqq. cum hominibus miſceri poëtarum figmentum, 274 multos unum eundemq́; Jovem eſſe pagani defendunt. 422. ſingulos ſingulas in homine partes obtinere, antiqui finxêre. 522

Deorum reliquorum Dearumque gentilium nomina videat B. L. in propriis ſedibus ſub litt. cujusq; initiali.

Dii pueriles 483

Deliquii ſolis cauſas quis primus indagârit 717

Θεοποιίας gentilium adulatio invexit 198. 200

Deitati debitus cultus 875

Deitas Theologicum vocabulum non eſt novum & inuſitatum 617

Divinis in rebus cæca eſt mens humana ſine Deo 579

Diabolus in veritate non ſtetit, quomodo genere locutionis dictum 1054. Homicida ab initio 1051. Chriſtum cur tentârit 866. ab initio quomodo peccaſſe dicatur 1057. non per naturam, ſed per voluntatem malus eſt 926

Diaboli primum peccatum ſuperbia 1053. poteſtas à Deo coërcetur 1112

Dialectica inventor Zeno 741

Dialectica ſitne practica vel ſpeculativa 726

Dialecticam tanquam inutilem Epicurei repudiarunt 740

Diales flamines Jovi inſtituti 199

Diana Dea venationum 425. 428 Viarum Dea, & cur ſimulacrum ejus juvenile pingatur 655. ſeqq.

Dianam lunam eſſe 655. & cur virgo fingatur ibid.

Διαυλοδρόμοι 152

Dictatores Romæ in extremis creati periculis 529. 319

Dictatura qualis poteſtas 544. 548

Dictynna Luna cur & unde dicatur 658

Dies humanus quis 31

Dies tres hexaëmeri, qui Solis perductionem præceſſêre unde fuerint 1019

Dies primi ſex ſpiritualiter 1028. ſeptem primi quales fuerint, difficile eſt exponere 1027. ſeqq.

Diei ſeptimi ſanctificatio 1104

Dierum electio Mathematica ſtulta 501. ſeq.

Dieſpiter Deus 425

Dilectio inimicorum non eſt tantum in conſilio, ſed & præceptum Dei 785

Dilectionis utriusque præceptum 885

Diligere ſeipſum quomodo quisque debeat ib.

Dilemmatum ſolutio 70. 72

Diluvia 386

Diſputandi ratio Socratis qualis 723

Dis pro divite accipitur in Lingua Rom. 958

Diſputandum tot tantiſq; rationibus cum pleriſq; cur ſit 129

Diti qui Græcis πλȣ́τον divitiarũ poteſtas dicata 659

Dives ſolus ſapiens 645. verè Deus eſt ib. animus, non arca appellari ſolet ib. pauper qui 643

Divitiarum cupiditas, non facultas reprehenditur 34. 38

Divitiæ veræ 34. 36. ſeq. veterum fuêre pecora 644. aliud, aliud pecunia 643. 644 ab iniquitate nomen accepêre 38. naturales & artificiales 545 non conſtituunt beatitudinem hominis

nis 951 cur in bonis non numeranda 37
Divitiarum amiſſio Chriſtiano non eſt timenda aut deploranda 37
Divitias cõtemnere magni animi eſt 645
Diverra Dea 598
Divinationum nihil eſſe contendit Cicero 507
Divinationis authores Perſæ 706
Divinationes Dæmonum quomodo fiant 1008
Diviritas quid 1616
Doctrina ſecretior Rom. quæ erat 200
Δολιχοδρόμοι qui 152
Domiducus Deus 599
Domiduca Juno quæ 601
Dominandi libido Rom. immodica 524 beſtia peſſima 301. 549
Domitius Deus 399
Domus Dei ſpiritualis 805
dona Dei in nobis Deo reddenda 885
Dryades arborum Nymphæ 452
Druiſtæ Gallorum ſapientes 754. 749
Duumviri ſacrorum qui 581

E.

Ebræorum gens ſola cur ad verum Dei cognitionem ſubvecta fuerit. 266
extra Ebræorum ſynagogam nonnulli olim ſalvati. 267
Eccleſia eſt in univerſum una. 4 perſecutionibus infeſtata magis ſanctitate floruit. 109. ex bonis & malis mixta. 122. 125. aſylum à Chriſto conditum. 540. ſummâ animi pietate adeunda. 261. militans & triumphans quid differunt. 899
Eccleſia civitas una ex angelis & hominibus collecta. 898. 899
Eccleſiarum præpoſiti ad quid conſtituti. 50
Eccleſiæ nunquam ruituræ lapis primus. 801
Eccleſiæ militantis quis ſtatus, quis triumphantis. 4
Eccleſiæ Chriſtianorum communia olim fidelium & infidelium aſyla. 7. membra non omnia ſunt prædeſtinata. 123. civis homo duobus modis dici poteſt. ibid. Chriſti membrum eſſe ſumma nobilitas. 569. caput eſt Chriſtus. 898
Eccleſiæ cœtus olim ſec. rationem ſexus ſegregatus. 260. ſeq.
extra Eccleſiam non eſt ſalus. 546
Ecclipſium rationes olim ignoratæ. 309. 311
Ecclipſin paſſionis Chriſti tempore non fuiſſe naturalem. 311. 312. 307
Educatio proba quàm neceſſaria homini. 1185
Edulica Dea. 425
Electi boni fideles rectè nominantur. 615. ſimpliciter in ſcripturâ qui dicantur. 617. duplici modo dicuntur. 617
Electio Dei ab æterno facta ſecundum beneplacitum eius. 27
Eleemoſyna pietatis opera cur dicta. 876
Eleemoſynæ quanta ſit remuneratio. 49
Elementa mundi quatuor. 412. 417. 731 quomodo ſunt in miſto. 1115. ordo ut & quacunque ſe ambiant. 1113. ordo ſecundum quosdam. 630
Elementorum numerum quomodo collegerint Philoſophi. 417
Elementorum tranſmutatio. 1127
Ex elementis multæ ſunt hominibus pernicies. 383
Elyſius campus unde dictus. 995
emanatio quid. 998
Ἔννοιαι quid 740
Ennius poeta. 231
Entis varij ſunt gradus. 1059
Encratitarum error de nuptiis. 793
Epiſtola ad Ebræos Canonica & ratione autoris. 894
Epulas quo animo ad martyrum ſepulchra

cibra olim obtulerint. 817
Epulor. publicor. curatores. 592
Eraſmus notatus. 95
Eſſe naturas omnes appetere. 1098
Nihil eſt jucundius quàm eſſe. ibid. & ſeq.
Eſſentia ab eſſe deductum novum eſt nomen. 1121
Eterogenia quæ? 714
Ethologi qui. 607
Ethopei qui. ibid.
Eva cur de coſta viri creata. 1189
Evangelium omnibus gentibus datum. 1004. 1007
Eumolpidæ quæ. 669
Evangelij Joannis initium à Platonico quodam maximo loco habitum. 986
Εὐσέβεια quid. 876
Exactores qui. 221. 223
Exemplis non judicandum ſed legibus. 86
Exequiarum pompa magis vivorum ſolatium quàm mortuorum ſubſidium. 43
Exorciſmus quid. 962
illius ritus antiquiſſimus in Eccleſia. ibid.
Exorciſtæ qui? 961
externa in cenſum bonorum non admittenda. 744

F.

Fabulæ poetarum corruptiones ſunt ſcriptorum propheticorum. 419
fabularum varia genera. 163
fabularum theatri origo. 161
fabula palliata quæ? 163
Factio quid? 228. 231. 234
Facinoroſi non niſi in extremis Reip. mancipati. 334
Famã prodigere peccatum veniale eſt. 75
Famoſi libelli Romanis valdè exoſi. 137
authoribus eorundẽ quæ pœna dicata. ib
Fames gravis Romæ. 40. 318
Saguntinorum tolerãda. 337. 338
famis bona. 39
famoſa carmina Romæ lege prohibita. 180
Faſcinum quid. 602
Fatum quid formaliter. 484 ſeq. 488. 506
quid Stoicis. 504. & ſeq.
Fatum antiqui neceſſitatem ex ſyderum poſitione dicebant. 488
quatuor de fato veterum ſententiæ. 505
à fando dictum. 508. 510. 512. nonnulli Dei dicunt eſſe voluntatem. 14. 84. 488
fatũ & providentia quomod. diſtẽt. 511
Fati nomine fideles non liberè utuntur. 488
de fato Platonis opinio. 485
ſententiæ Philoſophorum duæ. 506
& quomodo fato omnia fieri dixerunt 517
fatalia quæ. 484
Fatua Fauni uxor. 427
Febris Dea. 190. 197
Februa. 634
Februarius unde dictus. 633
februarius à Numa anno additus. 632
februus Deus qui Pluto. 294. 633
felicitas vera imperantium. 560
felicitas Dea non eſt, ſed Dei donum; non igitur colenda, ſed à Deo petenda eſt. 484. Dea Gentil. 439. 440. nihil impeditur ab externis malis. 480. ubi habitet. 388. ſolis bonis dat Deus. 480 qualem habuere Angeli ante caſum. 1050. utrum propter felicitatem, quæ poſt mortem futura eſt, uni Deo an pluribus ſacra facere oporteat. 573.
Fercula quid. 141
Feſcenini. 163
Feſſonia Dea. 447
Feſta vera quæ domino celebramus. 883
feſtorum celebrandorum quæ cauſa. 887

Digitized by Google

Fœtus ſimiles naſci imaginibus ſub ipſo conceptu hauſtis 1193
Fides dea 442. ſeqq.
Fidei conſervatio & Regulum & Saguntinos perdidit 337
fide mens ante Dei cognitionem purganda eſt 1011
fides Theſaurus Chriſtianorum pretioſiſſima 36
fidei præſtantia 445
fide in Deum angelis appropinquamus 809
fide ſanantur animæ 129. in Chriſtum omni tempore homines juſtificati 974 1008
fidem ſine præveniente Dei gratia nemo accipiet 130 an liceat occultare & ore negare 534
fidei ad acquiſitionem ſalutis neceſſitas 520
Fides in partibus juſtitiæ comprehenditur 442. ſeq. 445
Fideles boni electi nominati 615
fideles templa Spiritus ſancti quomodo 886. Abrahæ filij promiſſionis 901
Flamines genus ſacerdotij 198. 201
Flora Dea 256. 405
Floralis floræ deæ flamen 119
Floralia flora meretrix inſtituit 995
floralium turpitudo, & à quibus celebrata 164. 256. 259
fœmina cur ex latere mariti facta 1195 & mas quomodo diſtinguantur 688
fœminæ in viros mutatæ. 372. ſeq. an ſemen ipſæ ad conceptionem conferant 605
fœtus formatio in utero admirabilis 196
Forculus Deus 404
formarum artificialium & naturalium diverſitas 1194
Fortitudo cur Dea non ſit 442
Fortis viri non eſt dicere: hoc non patiar ſed hoc non faciam 65
Fortuna unde dicta 439
Fortuna dea 423. 439 dearum ſelectiſſima 621
fortuna muliebris & ædes ejus 441
fortuna barbata dea in quibus rebus conſiſtat 486 in omni re dominatur 231
mutat fidem 369
fortuna maſcula 442
fortunæ cultoribus arte dæmonis res propè ſuccedebant. 441
fortuito quæ fiunt ſuas cauſas habent 508
Fortuitum quid 484. 486
Frons pudoris inſigne 626
Fructeſcea dea 447
Fructus propriè fruentis eſt 1087
Fruges magicis artibus translatæ 789
frui & uti quid differant 1088
frumenta quibus diis Romani dicarint 403
Fugia dea & illius feſta 152 vitula dicta 152
Fugalia feſta 151. 154
Fulgora dea vidua 605
fulgurum genera tria 458
funeris curatio, conditio ſepulturæ, & exequiarum pompa mortuis nihil proſunt 34. 46
Furinalis furidiæ flamen 119
Fuſtuarium ſupplicium autori carminũ infamium conſtitutum 169
Futura quomodo videat Deus 1069. & ſeq. quomodo ſciant dæmones & angeli 865. & ſeq. apud Deum ſunt præſentia 511

G

Ganymedes in ſignum cœleſte aquarium mutatus 683
Ganymedis raptus 462
Gaſtromantia quid 705

Gemi-

Gemini ſimul ambo naſci non poſſunt 497. Raro ſervantur in genere ſi altera mas ſit altera fœmina 499
Geminorum cauſa ſeminis copia 500. diverſitatis ſexus qua ratio 500
Geminos ſub uno conceptos horoſcopo diverſas habere naturas 485. 490. 491
De geniis vetus opinio ad Christianam veritatem quomodo accedat 647
Genius Deus quid 646. 841
Geomantia quid 704
Gentium ritus & cultus qua ratione culpandi 688
Gentium peſſimi mores à diis eorum non improbati 142
Gentes cur pagani dicti 864
Genethliacorum placita ſolidiſſimo argumento everſa 492. ſeq. prædictionum vanitas exemplo Jacobi & Eſaui oſtenſa 494.
Gingrire & gingrinæ quid 593
Gladiatorij ludi crudeles à Constantino interdicti 306
Gloria quid 550
gloria virtutis comes 530
gloriæ cupiditas vitioſa 530. ſtimulus eſt ad multa præclare agenda 531
Gloria Dei & hominum quantum pugnent ad invicem 533. Servorum Chriſti maxima 534
Gloriam fugientes plerumq; ſunt ejusdem ſitientiſſimi 551
gloriæ cupiditas pia fidei inimica 632 nonnunquam bona 531
gloriæ contemptus virtus maxima 549
Gluma quid 405
Goetia quid 909
Gratia divina digni quidam quomodo dicantur 267
Gratiæ nomen in duplici ſenſu uſurpatur 807
gratiam Dei in Chriſti incarnatione maximè commendari 985
gratiæ tres quomodo pingebantur 592
Gratianus Imperator 563
Græci facta Romana provincia 158. magna Italiæ pars 711. 715
Græciæ magnæ fines. 712
Græci leves, laſcivi. 7. 18. 19. 187
Græca lingua clariſſima. 711
Græcæ linguæ præſtantia. 715
Græcorum hiſtoria mendax. 396. ſeq.
Gymnaſia Athenis quot? 787
Gymnoſophiſtæ Indorum ſapientes. 753

H.

Hæreſis. 766
Hadrianus XIV. Rom. Imperator. 464. 471
Hamadryades arborum Nymphæ. 452
Hannibal ex cæde Cannenſi annulorum modios tres mittit Carthaginem. 332
Hannibalis ſævitia. 334
Hæreſis quid. 766. 768
Haſtæ in foro poſitæ apud Romanos ſignificatio. 362
Ad hæreſes plurimi propter repulſam dignitatum Eccleſ. à veritate deſcivêre. 545. ſeq.
Hæreticorum libri comburendi. 703
Hebe juventas dicta. 430
Hederæ ſpecies quadam inebrians & furorem inducens. 601
Herbas & frutices vivere. 74
Herbas reſecare vel evellere contra quintum præceptum eſſe qui docuerunt. 76
Heraclia victoria. 321
Hercules Deus cum Laurentina meretrice congreditur. 591

I.

Jacobi defuncti translatio & ſepultura in Canaan quid ſignificet. 51 (538
Jactantiam tolle & pares erimus omnes.
Janus deorum ſelectorum primus. 619

deorum vetuſtiſſimus. 425. initiorum omnium Deus. 428. 620. ipſe mundus eſt. 631. geminus quis. 635. bifrons & quadrifrons cur. ibid. 627
Janus à janua cur dictus. 623
Janum fuiſſe Noe fingit Beroſus. 626
Jani portæ bello patent. 285
Januarius à Numa anno additus. 632
Ibis apud Ægyptios cur colatur. 373
Ichthyomantia quid. 705
Ideæ Platonis, & unde dictæ. 687. 690
Ideas Platonis Minervam eſſe contendit Varro. 686
Idearum inventorem non veriſimile eſt Platonem eſſe. 689
Ideæ aliis ſunt formæ ſpecies & rationes rerum. ibid.
Idearum cognitionem ex Exod. 23. hauſiſſe Plato Juſtino videtur. 689
Ideas Platonicas perperam traducit Ariſtoteles. 690
Idolorum ceſſatio ſignum adventus Chriſti. 803
Idololatræ animas proſtituunt. 679
Idololatria quare fornicatio dicta. 974
Jephtha & Abrahami factorum diſparitas. 94. votum expenditur. 77. 79
Ignis ſacer in Eccleſia Judæorum unde dictus. 360. quam diligenter à ſacerdotibus cuſtoditus. ibid. horum religionem Romani ſuperſtitioſè imitati in Veſtæ templo. ibid.
Ignis multiplex uſus. 693
Ignem deum putaverunt Stoici. 734
Ignis caloris fons. 1129
dignitate cæteris elementis ſublimior. ibid. multa genera. 760. artium omnium eſt inſtrumentum. 415. commoditas & utilitas. 1127
animalia quædam in igne victitare. 1128
Ignispicina quid. 704
Ignoſcendo creſcere elogium. 21
Ilium civitas, Troja urbs. 276
Ilythia dea. 426
Imaginem Dei eſſe, & ad imaginem Dei eſſe, quid differant. 1090
Imaginis Dei in homine præſtantia. 1091
Imaginatio prægnantis fœtui ſpeciales qualitates inducit. 1196
Immortalitatis animæ acerrimus propugnator Plato. 83
Imperatores Rom. jus non habent in totum orbem. 563
Imperium habere parvum cum quiete, ſatius eſt quàm amplum irrequietum. 288
Imperatorum felicitas vera. 560. & ſeq.
Imperium eo ſecuriùs, quò meliores ſunt ſubditi. 226. non quò latius, eò melius. 288
ad Imperium ſtabiliendum quid maxime conducat. 389
Imperiorum momenta divinæ providentiæ ſubjecta. 395. viciſſitudines providentia Dei ordinantur. 400
Imperium non niſi fidelium legitimum. 468
Imperium non patitur duos. 561
Chriſtianorum patitur conſortes. 560
Imperio indignus, qui ſatis cupiditatibus imperare neſcit. 562
Imperans non fit dominus, ſed rector & ſervator. 226. magis amari, quàm timeri ſtudeat. ibid.
Imperantium mandatis quouſq; obtemperandum. 539
Imperanti non quodlibet, licet. 561
Impiorum felicitas tanquam ſomnium vigilantis. 976
Impiorum regna etiam Deus juvat. 128
Impudentiæ ara conſecrata apud Athenienſes. 436
Incenſum verum, amor ſanctus. 883
Increpitare quid. 381

Incarnationis myſterium ab initio ſtatim Angelis revelatum. 699. eiusdem Adamum aliqualem etiam in ſtatu innocentiæ habuiſſe cognitionem. ib.
Incarnatio τ̃ λόγȣ quomodo facta. 853 quomodo Angelis & dæmonibus innotuerit. 866
Incarnationis verbi apud Virgil. mentio. 981
Incarnatio verbi cur myſterium dicatur abſconditum. 987. gentibus abſurdiſſima habita. ibid.
Incarnationis vox ad unionem verbi cum humana natura exprimendam maximè accommoda. 988
Incarnationis myſterium quomodo antiqui contra infideles demonſtrarint. 999
Indoles quid ſignificet. 189. 194
Infamatio ſui ipſius non eſt peccatum mortale. 75
Infamium carminum autori qualis pœna conſtituta. 166. 169
Infantes de utero matris voces dediſſe. 372. 376
Infernalis ignis item bonus. 1127
Ingenioſum naſci eſt felicitatis. 447
Inimici Dei qui. 1123
Inimicos diligere an ſit Dei præceptum, an tantum in conſilio. 785. non tantum eſt legis Evangelicæ ſed etiam naturæ. ibid.
Injuriam pati, quàm facere meliùs eſt. 827
Ino dea facta & Matuta dicta. 199
Intelligibilia quæ. 735
Intelligentiæ lumen à ſolo Deo infundi tradunt Platonici. 880
Interfectiones ab homicidio exemtæ quæ. 77
Intercidona Dea. 598
Invidiâ nil miſeriùs. 649
Inviſibilium omniũ maximum Deus. 1016
Joannes ubi & quando Evangelium ſuum ſcripſerit. 992
Job vir ſanctus & patiens. 89
Jonæ hiſtoria diſcuſſa. 53. 54
Joves Philoſophis duo fabuloſus & naturalis. 633
Jovis metamorphoſis. 466. 467
Jovianus Imperator. 469. 472
Jovianus Pannonius. 470
Iphigenia à patre temerario voto Dianæ devota & immolata. 80
Iraſci poteſt Chriſtianus & quomodo. 831 *quæ ratione Deus probibeat.* 784
Iracundi & contentioſi plurimùm valent memoriâ. 622
Iſaac filius promiſſionis cur vocetur 901
Interduca dea 620
Ithyphallus quid 671. Deus Priapus 190 *ſeq.*
Iudæ ſuſpendium eſt homicidium 61
Iudæi cur diſperſi per omnes terras 482 482
Iudicium Dei impij non evadent 28
Iudicia Dei occulta 101
Iudicium humanum 31
Iudices Romani qui 270
Iugatinus deus 430. 424
Iulianus Imperator 470. *ſeq.*
Iulianus ſanctis Prophetis comparat Platonem, Socratem & hujuſmodi 194
Iulianus Apoſtata 554. ſeq. palam cultum idolorum reſtituit 382. quâ morte perierit 472
C. Julii Cæſaris clementia 364. 370. laus 524. genus 365. 273. mors 364. 366. 370
Iuno eſt aer 416. purgandorum & pariendorum omnium poteſtatem habet 620. Iovis uxor & ſoror & mater 17 410. 420. domiduca dicta 601. interduca pueris 620. opigena dicta 426 fluona quæ. 618

Iupiter

Jupiter quaſi juvans pater 633. ſummus deorum, & quod abbis idem coli creditur, qui deum ſine ſimulacris colunt 408. 431. inceſtus 416. Phyſicis eſt æther ſive ignis ib. anxurus cur dictus 594. an deos alios ut rex, mittat mortalibus. 438
Jupiter deus unus in diis omnibus 422 cur cælum habitare dictus 411. diverſa habet cognomina nec in ſe diverſus eſt 640. pecunia dicitur 643. deorum dearumq; omnium rex 408. ſeq. Lucejus 456. unde ſtator dictus 296. ſeqq. indiges Æneas dictus 199
Juramentum per Jovem lapidem ſanctiſſimum Romanis 264
Jurisjurandi apud Romanos religio 58
Juris varia ſignificata 211
Juriſprudentia per Budæum reſtitui cœpta, 209
Jus 12. tabularum tripartitum 204
Juſtinus & Trogus Pomp. notati 397
Juſtinus parum fidelis hiſtoricus 395. ſe.
Juſtificatio omni tempore nonniſi per fidem in Chriſtum contigit 574
Juſtificationem per opera legis nemo perſequitur 975
Juſtitia vera in quo conſiſtat 236. in ea tantum eſt Republ. ubi Chriſtus rector eſt 229
ſine Iuſtitia ne Jupiter quidem principē agere poteſt 230
Juſtitia ſolâ Reſpubl. ſuſtentatur 228. 392
Juſti non ut puniartur, ſed ut examinentur, affliguntur 388
Juſtorum merces quanta 537
Juventas dea 430. 423. 458

K

Κακίας vitium potiùs quàm malitiam Cicero interpretatur 807
Καταλήψεις quid 740
Κρόνος id eſt, Saturnus 412
Κρόνος Jupiter dictus 662
Κύλλας mutilos vocari Gracè 649

L

Lacedæmon alter Græciæ oculus 305
Lacheſis parcarum una, & quod illius ſit officium 486
Lacturcia dea 403. 405
Lacus Curtius unde dictus 443
Lætitia domus, lætantium in eadem eſt 1031
Laomedon diis negabat mercedem 267 ſeq. 270
Lar quid 842. ſeq.
Larva quid 842. ſeq.
Larvas fieri animas, ſi malæ ſint 442. & ſeq.
Latria quid 534. ſeq. 875. 878. (573. 546
λατρείας cultum eſſe uni Deo debitum 685
Latrocinia ſunt regna ſine juſtitia 392
Lecanomantia quid 705
Lectiſternium quid 180. 318. 320
Leda mulier, Nemeſis dicta, dea facta 199
Lemur quid 842. ſeq.
Lemures animas fieri, ſi malæ ſint ib.
Lemuria feſta 844
Lenarum pœna in Hiſpania 1127
Lepos deus nuptialis 448
Levana dea 423. 429
Leucothea dea 405
Lex nova 223
Lex promiſſionem habuit terrenam 935 an per Deum vel angelos ſit data 929
Lex Dei immutabilis quid 870
Lex unica homini Chriſtiano neceſſaria 885
Lex vetus quare per Angelos dari oportuerit 935
Legis veteris obſervationi cur bona temporalia propoſita 937
Lex in quantum habeat vim legis 169
Legum dignitas 71

Leges gentium multa peſtifera continent 169
Legis vis duplex 211
Legibus autoritatem à deorum traditione concitiabant gentiles 205
Legibus in principio rerum ſoluti erant populi 397
Legem gubernare meliùs, quam regem 397
Leges morales in utroq; Teſtamento vim obligandi habent 699
Leges Romanorum tàm Athenienſibus, quàm Lacedæmoniis mutuatæ 206. 173. 203
Lex Plautia, Sempronia, Aurelia, Cornelia 270 Voconia lata 340
Legis XII. tabularum autoritas quæ 173
Leges XII. tabularum quando latæ 203
Leges Agrariæ nunquam ſine tumultibus agitatæ 216. 347. *Lycurgi quales* 203. *ſeq.*
Lethe fluvius qualis 996. 9;7
Libentina dea 404
Liber ſolus bonus 391
Liber deus eò, quod vitem demonſtrarit 428. *unde dicatur* 605. *cur dictus Bacchus* 453
Liberus deus ſeminis humani 425. 620 *unde dictus* 429. 698
Libera Dea Luna dicta 425. 621
Libertas vera quæ 264. 545. 391. *ſeq. non eſt humana ſap.* 611
Liberti qui 335
Liberum arbitrium in homine 518
Liberum arbitrium Ciceroni quid 508 *& ſeq.*
Librorum de civitate Dei diſtinctio & ordo 1002
Libido dormientium abſq; culpa 90. *aliena ſi eſt, non polluit* 64. *ferventi tincta venero* 156
Limentinus deus 404
Linea recta quæ 199
Lipara Inſulæ Ætnæ incendio vaſtatio 373
Literatura ſecularis quæ & quæ liberalis verè. 587
Locuples & pecunioſus quid differant. 645
Locuſtarum multitudo infinita in Africa. 372, *peſtilentiæ cauſa.* 378
Loquatur Deus qualiter. 1011
Loth uxor in ſalis ſtatuam converſa quid ſignificet. 900
Lucifer Veneris ſtella fulgentiſſima. 654
Luciferi ſidus. 652
Luciferum quidam Junoni, quidam Veneri tribuunt. 651
Lucina dea. 425. 429
Lucretiæ ſtuprum. 308. 68 *factum eius examinatur.* 68
Lucretia non omninò expers culpæ adulterij. 72
Ludi Scenici quo fine inſtituti. 114
Ludi diverſi diis conſecrati 145
Ludi Circenſes 115. 210. *magni* 116. *ibid. Romani* 116. 210. *Scenici Libero* 381. *Circenſes Neptuno conſecrati* ib.
Ludorum gladiatoriorum crudelitas 306
Ludi gladiatorii à Conſtantino interdicti 306
Ludorum ſecularium origo, ritus & celebratio 328. 330
Ludi inferorum tauri dicti 329
Ludi ſacri inferis Romæ renovati 326 331. *ſcenici in divinis poſiti rebus* 380 *per miraculum dæmonum inſtaurati in rebus tantum divinis extant* 585
Ludi ſæculares Romæ inſtaurati 326. *ſ.*
Ludis in funebribus fabulæ actæ 812. 814
Lumen verum Deus unus 880
Lumen mentium ad diſcenda omnia eſt ipſe Deus 739
Luna varia nomina habuit 426

Lunæ deliquium quid 309

Lunaribus incrementis & decrementis variari plurima 408.500

Lux bona dicta 1068

Lucem primò creatam Angelos eſſe 1034.1069

Luxum & Angeli & ſancti dicuntur 1110

Lux cavere Naſica ſcipio docuit Romanos 112

Lycurgus juſtiſſimarum legum autor 205

Lacedæmoniis leges tradidit 203.930

Lycurgi leges quales 204

M

Macedonum regnum quanto durarit tempore 1146

Mænadas quæ 601

Magia quid 910. *ſuperſtitioſa Perſis autoribus tribuitur* 656

Magiæ variæ ſpecies 912

Magia quæ alba quæ nigra ibid.

Magicis artibus fruges & agri translati, 789

Magicæ artes ſeveriſſimè interdictæ à multis Imperatoribus 791. *dæmonum ſunt inventa* ib.

Magni Perſarum ſapientes in magno precio 753. *an miracula edere poſſunt* 793. *dæmones cogere non poſſunt* 922 *in ſidera nullam habent poteſtatem* 924. *in miraculis eludunt* 942

Magis Pharaonis cur ſit permiſſum facere miracula Moſis ſimilia 900.902

Magorum ſerpentes & ranæ an veræ fuerint. ib. *miracula & ſanctorum virorum quomodo differant* 903. *miracula habent cauſas naturales, & propterea non ſunt verè miracula* ib.

Magi cur non potuerint cyniphes producere 904

Magorum circuli & characteres nihil efficiunt 623

Magiſtratus etiam infidelis & impius legitimus eſt 551

Maguſis Aſtrologiæ & Magiæ inventores 910

Majus Apollini ſacer 456

Malefici qui vulgò dicti 908. *ſine differunt à Magis* 912

Mala Deus permittit, ut inde eliciat bona 101

Malis nemo eſt naturâ, ſed vitiis 144

Mali ea ſolum deputant mala, quæ non faciunt malos 265. *inter bona, quæ ipſi laudant, non erubeſcunt mali eſſe* 265

Malorum genera triplicia 385. *cauſa perditionis eſt non adhærere* DEO 1118

Malorum omniũ cauſa eſt mala voluntas 1131

Mala corporis & externorum non ſunt mala niſi ex opinione vulgi 385

Mala duplicia, morum, corporum 265 283. *quæ juſtis accidunt, non pœnæ criminis, ſed virtutis examen ſunt* 388. *Chriſtiana imputantibus religioni quid reſpondendum* 329.125

Malum quid. 1057 *non eſſe naturam, ſed boni amiſſionem* 1034. *eſt in bono tanq. in ſubjecto.* 1060 1126. *quid propriè ſit.* ibid.

Malus, etſi regnat, ſervus eſt. 388

Malos, quos futuros præſcivit, cur creaverit Deus. 1062.1063

Mali nulla eſt natura. 1037 *non ſolùm ferendi, ſed & diligendi.* 31

Malis cur benefaciat Deus. 25.119

Mammam veteres ruminam dixêre. 423. 430

Mammona Syra vox divitias ſignificat. 36.39

Mancipia quid, & unde dicta. 335

Manè primùm quale. 1028

Manes quid veteribus. 845

animæ dicuntur, cum incertum ſit, an bonæ malæne ſint. 841.844
Manichæorum hæreſis ſtatuentium duos deos non diſſimilis errori gentilium. 178.970. dii Oraſmas & Arimanes. 171. de præcepto V. error. 74
Manius deus quid. 844
Manubiæ quid. 458
Marcionitarum error circa quintũ præceptum. 76
Marcion hæret. cur in hæreſin declinarit. 546
Marica dea, quæ prius Circe. 244.199
Maris rubri diviſio miraculoſa. 904
Martis & Veneris adulterium. 415.422 & Bellonæ inſana ſacra. 483. officium. 648. ſydus. 487. ſtellæ natura. 652
Martiales flamines Marti inſtituti. 199
Martius Minervæ ſacer. 456
Martyres quomodo Chriſtiani honorent. 817. 818. 819. mortui non ſunt dicendi. 816
Martyrum loca quid. 6
ſanguis pro fratribus fundi quomodo dicatur. 547
Martyrum conſtantia. 533.790
templa, delubra paganorum ſecuta. 810. & ſeq.
Martyrium eſt beneficium gratiæ. 870
Martyribus non templa nec ſacrificia ſtatuuntur, ſed memoriæ ſicut hominibus mortuis. 817
Mas & fœmina in quo potiſſimum differant. 501.688
Mater magna terra dicta. 678
Mathematici olim figuras in pulvere delineabant. 199.1099
Mathematicæ artes à Mercurio inventæ. 813. rationes certiſſimæ. 199
Matrimonium propter mutuum adjutorium inſtitutum. 1188
Matrimonij adjutorium ad quam rem fieri oportuerit. ibid.
Matrimonia deorum inceſta. 605
Matuta dea. 403.405
unde dicta. 884. priùs Leucothea. 405
Matutinum tempus à Matuta dictum. ibid.
Maximinianus Chriſtianorum crudeliſſimus vaſtator. 609
Medi in Aſia regnant annis 350.400
Mediator verus unus Chriſtus eſt, & nemo alius. 850. per quid. 1111
Mediator Chriſtus dicitur ſecundum utramq; naturam. 855. noſter cur ſimul Deus & homo. 853
Mediatores ſive medij quomodo Angeli inter nos & Deum dici poſſint. 854
Medicinæ peritia res indifferens. 657
Medioximi dij qui. 189
Megaleſia ludi. 140
Melicerta Deus marinus. 405
prius Glaucus. 656
Memoria fœlix unde dependeat. 624
Memoriâ maximè qui valuerint. ibid.
Memoriam optimam iracundi & contentioſi habent pag. 622
Mena dea. 432.429
Menoles Bacchus dictus. 601
Mens dea. 443.448.450.624
quid propriè. 1012. etiam ſenſus dicitur. 1015. in homine optimum omnium. 727
Mens bona in rebus omnibus optima. 620
fide purganda priusquam Deo fruatur. 1011. an per ſe ad cupiditates moveatur, an alterius impulſu. 843
Mens & animus quid differant. 834
Mentis præſtantia. 624
Mendacium ſeipſum deſtruit. 666
nihil eſt in mente, quod non prius fuerit in ſenſu. 732
menſes duos anno addidit Numa. 632
menſes diis duodecim ſacri. 456
Menſtruum utilitas, & detrimentum. 621

Digitized by Google

Mercurius quis fuerit. 813. 650
ἀγοραῖος dictus. 424. Hermetis Trimegiſti avus. 811. mercium & lucis Deus. 422. 428. Deus ſermonis eſt. 424 qs. medius currens dicitur, medicurrius. 428. cur Cyllenius dictus. 649
Mercurij officium & cur alatus pingatur & nuncius. 648. 649
Mercurij furta. 466. 467
Stellæ natura. 652
Mergarides Bulli dicti. 616
Merula Dialis Flamen venas ſibi præſcidit. 355. 357
Meſſiam veniſſe ſignum eſt ceſſatio idololatriæ. 803
Metæ in circo quid. 152
Militum in bello ferocia. 24
militia immunes erant apud Romanos proletarij & capite cenſi. 317
Mimallonides quæ. 600
Mimi qui. 163. 453
planipedes unde dicti. 163. eorum licentia maxima. 164
Minerva è Jovis capite nata. 410. 412. 418
Dea artium & armorum. 408
Minervæ fabula quam ſpeciem veritatis contineat. 419
Minutularij qui. 625
miracula quæ veriora. 940
& quid de illis ſentiendum. ib. inviſibilium naturarum aſſiduitate viluiſſe, quæ tamen rariſſimis ſunt majora. 927. quæ Deus olim fecit ad comprobandas promiſſiones facta eſſe. 809
Miracula magorum & ſanctorum virorum quomodo differant. 903. Magorum cauſas habent naturales, & propterea non ſunt verè miracula. 903
Miraculi duplex ſumtio. 793
Miraculum propiè dictum quid. ibid.
Miracula divina à gentilibus ludibrio habita. 950
miracula Dei angelis & dæmonibus fuiſſe admirabiliora, quàm hominib. 866
miracula magorum, dæmonum operibus fieri. 790
Miſeria ſumma eſt ipſa ſtultitia. 1093
miſeri cur interire nolunt. 1092
Miſericordia divina cur ad impios perveniat. 25. bonis & malis nonnunqu. communis. 26. 27
Miſericordia quid ſit. 832
certa ratione virtus eſt. 833. & clementia quid differant Senecæ. 832
Miſericordiam tanq. vitium Stoici devitant. ib.
Miſericordia cur ſacrificiis præferatur. 794. verum ſacrificium eſt. 894. 895
miſericordiæ opera, cur pietatem vocamus. 876
Monarchia quid. 31
Monogramma quid. 223
Moralis philoſophia. 742 (721
Moralis Philoſophiæ author Socrates.
Morbos etiam Dæmones hominibus inferre poſſunt. 464
Mors duplex animalis & animæ. 1180
Licet homini ſit naturalis, tamen pœna peccati eſt. 971. Piis non eſt moleſta. 40
mors ſumma hominis. 614
an ad declinandum peccata mors ſpontanea ſit appetenda. 95
mortem ſibi conſciſcere, non eſſe magnanimi. 81. 82. metu pœnæ non excuſat ab homicidio. 61
in eos, qui ſibi mortem conſciſcunt, Platonis ſententia. 82
qui morte voluntaria interiêre, quomodo colat eccleſia pag. 91. 92
nihil intereſſe, quo mortis genere vita finiatur. 39
mortis voluntariæ jus nulla authoritas Chriſtianis concedit. 73

Mors nec fugienda, nec mala putanda, quam bona vita præceſſit. 40
mortem ſibi conſcivit Cleombrotus propter animæ immortalitatem. 81
mortis pœna ſceleratis inflictæ non ſunt contra quintum præceptum. 77
Morti ara ab Athenienſibus ſacrata. 436
Mortui qui lugendi. 41
Moriendi neceſſitate conſolabantur gentiles. 42
Moſes artis magicæ à Plinio accuſatus. 600
Mulier an ſemen coeundo emittat. 600
mulieribus quæ peperiſſent, tres olim dii cuſtodes aſſignabantur. 598
Mundus quid & unde dictus. 631
an ſit æternus. 155. ſeqq.
Mundi animam Deum eſſe qui philoſophorum docuerint. 630. ſeqq. *natales non niſi ex S. ſcriptura cognoſci poſſunt.* 1148. *ordinatiſſima mutabilitas.* 121
Mundum æternum eſſe exiſtimavit Ariſtoteles. 129. 1021. *condendi quæ cauſa Deo.* 1073. *unum à Deo eſſe productũ de fide eſt.* 1025. *alium, ante hunc fuiſſe & poſt alium futurum quomodo probet Origenes.* 1157. *habere initium, cur non potuerint aſſequi Philoſophi.* 1159. *eſſe unum tantum, non tam ratione, quàm revelatione conſtat.* 638
Mundos innumerabiles ſomniârunt Democritus & Epicurus. 1024
mundus omnium viſibilium maximum. 1016. *cum tempore non in tempore cœpit.* 1025. *cur tunc & non antea ſit conditus.* 1021
mundi partes quatuor, & animæ eorum. 630
mundi mens & animus ſol. 424
ante mundum conditum quæ fuerint ſecula. 1167
mundum factum eſſe ex ipſo DEo, diſcimus. 1017
mundum non eſſe corpus Dei. 431
mundum non poſſe totum perire. 1145. 1151
liber de mundo num ſit Ariſtotelis. 384
de æternitate opiniones variæ. 1018
mundum ſemper fuiſſe, ſed tamen factum eſſe dixit Plato. 997
mundo cur dederit animam Dominus ſecundum Platonem. 993 *eſſe animal beatiſſimum dicunt Platonici.* 985. *ab Angelis factum quidam dixêre.* 1190. *DEum eſſe & animum & mentem habere, nonnulli opinantur.* 424
quæ cauſa condendi mundum ſecundum Platonem. pag. 1071
mundum ex terra & igne effectum. 759
mundos innumeros naſci & interire dixit Anaximander. 711
Mundatur per cor caro. 973
Murcia Dea. 436. 437.
murcidus quid. 436
Mutinus deus, qui Græcis Priapus. 423. 427. 430
Myoparo navigij genus. 393
Μῦθος *& fabulam & verum ſermonem ſignificat.* 586
Myſteria quid & unde dicta. 478
Mythicon Theologiæ genus. 584

N.

Najades nymphæ fontium. 452
Napeæ florum nymphæ. 452
Natura vox communis quæ ſignificet. 597
Naturæ bonum non omnino per peccatum corruptum. 1125. *triplex eſt.* ib.
Natura quid ſecundum Zenonem. 732
ſua unde ſit rebus omnibus. 511. *non minus eſt in parvis, quàm magnis animalibus.* 1074
naturam nullam malam eſſe. ibid.
Neceſſitas non omnis tollit libertatem arbitrii. 519. *ex hypotheſi quæ.* 520

Neceſſi-

Neceſſitatis duæ ſpecies 519
Neceſſitas dicitur quæ in poteſtate noſtra non eſt 515. extrinſeca & naturalis 517
Necia ſacra quæ 812
Necromantia quid 707
Necyomantia quid 704
Nemeſis dea, quæ prius Lada dicebatur 199
Nænia dea 600. quid & unde dicta 602 ejus ſacellus 604
Neptunus equeſtris Conſus dictus 210 116. à Laomedonte mercede conductus 267 ſeq. Mercede infenſus fuit Trojanis 269
Neptuni officium 672. uxor Salacia dicta 410
Nereides nymphæ quæ 452
Neriene Martis 607
Neronis luxuria & ſævitia 549
Nerones à fortitudine dicti 607
Nympharum quæ humoribus proſunt varia genera 452
Nini regnum quanto durarit tempore 295. ſeq.
Nodotus deus 403
Noe Janum dictum fingit Beroſus 626
Noſſe ab omnibus amatur 1092
Noxia cur Deus crearit 1074
noxiorum ſupplicia Romæ 216
Numeria dea 423
Numerus natura infinitus 1018
Numerus perfectus qualis 13. Septenarius quare religioni fuerit apud Judæos 1105
Numeri ſenari perfectio 1103
par numerus quis 1105. primus impar trinus, par quatuor 1104
numeri ratio contemnenda non eſt in ſacris literis 1102. ſeq.
in numeris, pars quota, quæ ib.
numeris omnia conſtare; dixit Pythagoras 1102
nummus aſper quid 153
nummus aureus quando primò percuſſus 448
nummi argentei ſignatura prima ib.
nuptiarum dij deæq; ibid. 457. 599
nuptiis quinq; cerei nec plus nec minus cur accendebantur 448
Nuptias damnarunt Encratitæ 693
Nyctilena Bacchi ſacra dicta 671

O

Occidere filios non ideò gratum Deo, quia Abrahamo juſſit 92
Oceani æſtus 499. 500
Oceanum patrem rerum omnium dixit Homerus 713
Ocio perit Roma perdita Carthagine 107
C. Octavian. Aug. & ejus geſta 366
Oligarchia quid 231
Olympi montis altitudo 778
Omnipotens verè Deus dicitur etiamſi quædam non poteſt 516. ſeq. 519
Omogenia quæ 714
Ὢν quid Græcis 760
opes non eſſe bonas 36
opes faciles magis optandas eſſe quàm immodicas 153
opes Chriſtianorum 34. 37
ophiuchus cœleſte ſignum Æſculapius creditur 942
Opigena Juno dicta 426
Opinio quid 660. 828. 781. quomodo à ſcientia differat 660
Opis deus 423. 429
Opis terra cur dicta 680
Opum contemptus non ſufficit Chriſtiano 545
Optimates qui dicantur 231
Opera bona quæ vera ſecundum Auguſtinum 560. Miſericordiæ Deo ſacrificia 894

Opera

Opera Dei in ſex diebus cur ſint completa 1191
opera noſtra quomodo oſtendenda & celanda 532
opera bona malis mercede temporali repenſat Deus 554
Orandum quid potiſſimum 153
Oraculorum ambiguitate multi decepti 325
Oratio in Eccleſiis fuſa efficacior 155
Orationis genera quinq; ſecundum Platon. 739
Oratio funebris prima 316
Orcheſtea quid 593
Orcbus quietalis dictus 437
Orcus idem quod Pluto Græcis. 624 Varroni idem quod terra 677
Orcus deus 620
per ordinem quid intelligendum 1096
Oreades nymphæ 453
Origenes hominum animas in dæmones dixit mutari 842
Origenis de animarum creatione error 1078. eruditio & ſtudium ſacrarum literarum 1079
Oſiris ſacra 607
Oſiris Bacchus dictus 671. Serapis dictus 920
Oſtraciſmus Supplicium potentiæ moderandæ 171. ejus finis in Cleone cur factus ib.

P

Pegani qui 3. Gentiles unde dicti 864
Palatum Græci appellant ȣ̓ρανὸν 635
Palemon Melicerta dictus 405
Pallas Bellona & Duellona dicta 290 425
palliatæ fabulæ quæ 163
Pallor deus 455
Palmicum augurium quod 705
Pantomimi qui 667
Paranymphi qui 6.1
paraſitus 393. 486
Parcis omnia volvi docet Plato 997
Parentes vereri dictamen legis naturæ 1077
Parricidium quid 279
Partunda dea 599
Partus ſimiles imaginibus ſub conceptū inſpectis edi 1193
Paſſiones eſſe in Chriſtianis, ſed unde ſit multum intereſſe 831
paſſiones potius nobiſipſis facimus quàm ex affectibus accipimus 781
Paſſionibus boni & mali pariter obnoxij 26
ἀ θ © quid 780
Patientia Dei ad pœnitentiam nos vocat 24
Patientes pro Chriſto vitæ æternæ præmium reportant 35. 39
Patriæ amor ſæpe prævaluit naturali in liberos affectui 317
In Patriam fides Camilli Demiſtoclis & Epaminondæ commendatur 401
Pauli Apoſtoli Rhetorica 1063
Pauli Epiſtolæ ad Senecam ſuſpectæ 608
Paulinus Nolanus Epiſcopus 35. ſeq. 38
Pauper dives qui 643
paupertas Attilij Reguli 88. L. Valerij 343. Q. Cincinnati ib.
Pavor deus Paventia dea 423. 454
Pavorem deum Hoſtilius dedicavit 454 456
Pax, cum Bella ſub Sylla, de crudelitate certat & vincit 358
pacem cum ſolius veri Dei donum ſit, dij falſi dare non poſſunt 284. ſeq.
Pax indignis etiam confertur 284

Pecca-

Digitized by Google

Peccatis alienis parcere culpabile eſt 30 *ſeq.*
peccatum primum Angelorum quæ fuerit 778. 1133. *diaboli irregreſſibilis tranſgreſſio* 798. *& crimen quid differant* 1049. *quid ſit* 1134. *non tam eſt effectio quàm defectio* 1137. *in ſolum Deum cur cadere non poſſit* ib.
Peccatores docendi, admonendi, objurgandi 32
homines peccaturos Deus præſcivit 1148
non in eo peccat homo, quia præſcivit Deus 516. 518
peccatum per peccatum declinari non debet 89 *& ſeq.*
propter peccati declinationem non eſſe mortem ſpontaneam appetendam 90 95
à peccatis uno Chriſti ſacrificio liberati ſumus 695
peccatorum purgatio in hac vita tantùm fit miſericordia Dei 961
peccatores non Deo ſed ſibi peccando nocent 1124
Peculium unde dictum 644
Pecunia dea 380. 447. 451. 644
pecunia ærea, aurea, argentea Romæ quando percuſſa 451
pecunia primò ærea poſtea argentea excuſa 447. 451. *prima bigis & quadrigis ſignata* 448
pecuniæ nomine omnia ſignificari, quæ poſſidentur 644. *ejus gratia omnia fieri* 621
pecuniam nemo ſapiens concupiſcit 643
Pellonia dea 447
Penates qui unde dicti & qui cujusvis rei proprij 13
Penates dij 5. *& quam prudenter Rom. urbem ſuam illis tuendam commendarint* 12. 15. *ſeq.*
Penus omne eſt, quò veſcuntur homines 13
Pericles eloquentiſſimus 168. 171
Peripatetica ſecta à deambulando dicta 765
Perſephone dea quæ proſerpina 404
Perſecutio Chriſtianorum ſub Nerone 612
Perſecutionibus illuſtrior ſemper reddita eſt Eccleſia 959
Perſeverantia in fide non incerto perſpecta 1049
Perſonæ ratio in divinis ſignificari ſolet in genere maſculino 1041
Perſarum regnum quanto durarit tempore 400. 1146
Perſius morum præcepta ex Platone deſumſit 153
Perſica & Pertunda deæ nuptiales 430
Perturbatio quid & cur ſit in homine non in aliis animalibus 780
Peſtilentia ex locuſtarum multitudine orta 372. 378. *Romæ ſuborta, quod ædes ſacras privati tenerent* 320. *magna Romæ* 318. *ſeq.*
Phalangas ſudes vocant quibus pugnatur 396
Phallogogiæ feriæ 771
Phallus quid 671
Phallus Deus qui Priapus. 190
Phantaſia quid & unde dicta. 828
Phantaſias quid Stoici vocent. 830
Pharmacia quid propriè. 910
Phœnicum in Hiſpaniam tranſmigratio. 749
Φύλακες qui. 31
Philoſophia inventum deorum qt. dicendum. 158. *Maxima parte erroris eſt* 159
Philoſophia à Pythagora exortum habuit. 71. *cur tripartita.* 1087. *& quis eam primò invenerit. ibid. amor ſapientiæ.* 724.

724. 709. Mortis & meditatio. 719
Philoſophiæ partes tres ſecund. Platonicos & Stoicos. 156. 158
Philoſophiæ diviſio in contemplativam & activam quibus rationibus nitatur. 728
Philoſophi omnes ſuperbi. 156
Philoſophi multa bene nobiscum ſentiunt 157
Philoſophorum de Deo notitia obſcura eſt & umbratilis. 589
Philoſophorum dogmata quomodo amplectenda. 129
Philoſophiam, quam reprobet ſcriptum S. & patrum ſententia. 754
Philoſophiæ diviſio Platonica ab Hebræis derivata. 729
Partium Philoſophiæ ad Dei cognitionem applicatio activa Philoſophiæ pars. 725
Philoſophiæ ſtudium in actione & contemplatione conſiſtit. 724
quod partes eius tres ſint. ibid.
Partes ipſius Plato omnes conjungit. 726
Philoſophiam ſolus adit feliciter, qui libero eſt animo. pag. 719
verè philoſophari eſt amare Deum. 745
Philoſophi utilitatis cauſa ſcripſere. 598
qui Chriſtiano potiſſimum ſint ſequendi. 745
Philoſophorum libri purè & attentè legendi. 531
Phlegma cur ſuperiores hominis partes occupet. 1115
Phlegma in homine aquæ elementi vicem obtinet. 1117. in capite ſedem habere cur dicatur. ibid. etiam in ventriculo & hepate generari. ibid.
Phyſicon genus Theologiæ. 584
Phyſicus primus Thales Myleſius. 716
Phyſiognomia quid. 704
Phyſiologia quid. 685
Picus deus. 454
Picumnus Deus. 601
Saturni filius à Circe in avem mutatus. 465
Pietas quid. 456. 454. 459
Pietatis templum Romæ. 4 6
Pilumnus deus. 601
Pilum quid. 601
πειθὼ dea. 168. 448
Planetæ ab errore dicti. 653
Plato quando natus & quo vixerit tempore. 758. θεῖος dictus. 766. Moſes Atticiſſans. 759. an ſcripturas legerit Propheticas. 758. Poetas tanquam adverſarios urbe pellendos eſſe cenſuit. 187. animum noſtrum ex aſtrorum putat eſſe ſubſtantia. 732. cur mundum animam habere docuerit. pag. 993. animas ſine corporibus in æternum eſſe poſſe dixit. & quid ſenſerit de reſurrectione mundum aliquando interiturum dixit.
Platonis parentes & genus. 725
illius & illius ſtudiorum gratia peregrinatio. 191. 724. 727. & ſeq. ſcripta quando cœperint contemni. 757. eloquentia. 766. ænigma. 681. de diis opinio. 485. de animarum migratione error. 992
Platonem in gratiam Dei extra Ebræorum gentem receptum eſſe putat Sotus. 267
Plat. tria eſſe rerum principia. 687
Platonicos Philoſophos omnes in omnib. ſuperare. 724
Plauſtrum an ploſtrum ſit dicendum. 671
Plautus comicus lepidiſſimus. 168
Plautinæ comœdiæ palliatæ dictæ. 163
illarum ſelogium. 172
Plotinus philoſophus. 839. & ſeq.
Plotinus Ægyptius. 767
Pluto unde dictus, & quod illius domicilium. 688

Digitized by Google

Pollumo dictus. 676.413
Axiocerſus. 687
Pluiſſe terram cretam,lapides. 372.373. 377
Pluvia defecit, cauſa Chriſtiani, proverbium. 136
Pœnitentia ſalutaris quæ. 63
Judæ exitiabilis. 61
Poetæ Latinus primus Livius fuit. 108
Poetæ non utilitatis ſed delectationis cauſa ſcripſerunt. 589
*Poetas noluit in ſua civitate habere.Plato.*187.192.770
Poetarum figmenta de Diis rejiciunt Rom. 466
de Poetica licentia quid ſenſerint Romani. 166
Politiæ maxime neceſſaria religio. 581
Pomona dea. 199
Pomponii multi. 437
Pontificum Rom.in Flamines autoritas. 199
Populus quid. 228
olim magnus erroris magiſter diceba-tur. 81
Populonia dea vidua. 605
Porphyrius veritatis Chriſtianæ hoſtis infeſtiſſimus. 769
Porphyrius ex Chriſtiano factus Platonicus. 982
contra Porphyrium Platonicum diſputatio longa. 977.& ſeq.
Poſtverta & Proſa Dea partus. 429
Potentia ſoror Victoriæ. 434
Potina dea, quæ potionem præbet. 423
Præceptum quintum de non occidendo quouſq; valeat. 76
Prædeſtinatio quotupliciter ſumatur. 175
Prædeſtinationis certitudo in hac vita nulla. 1049
Præſcientia Dei lib. arb. non tollit. 508. 513.516.517
Præſcientia Dei nullo modo eſt cauſa peccati. 421 ſeq.
Præſciendi neceſſitas in Deo eſt ex hypotheſi. 519
Præſcientiam Dei negat Cicero. 507
Prægnantes mulieres variis deſideriis cur teneantur. 1193.1197
Prægnantis imaginatio ſpeciales in fœtũ transfundit qualitates. 1196
Prema dea. 599
Præterita quomodo videt Deus. 1070
Prætexta veſtis genus. 430.163.336.427
Prætextatæ fabulæ quæ. 163
Priapus hortorum cuſtos, & eius patria. 190.196.431
Mutinus dictus. 423.502
cur ſacris Bacchi interſit. 670
Priapi turpitudo. 431.602.& ſeq.
Primogenituræ apud veteres magnus honos. 494
Princeps bonus commoda non ſua, ſed ſubditorum ſpectat. 390
Principi non quod libet, licet. 300
Principes probris non ſunt afficiendi. 174
Principium quod eſt Chriſtus. 969
pro verbo Dei. 1106
notionaliter ſumtum Patri in divinis ſoli competit. 967. *eſſentialiter tribus perſonis commune.ibid.*
creationis quod ſit. 1027
de rerum principiis opiniones variæ. 711
Prodigia pugnantium copiarum unde ſint. 253
Profeſſionibus artium merces conſtituta. 221
Proletarij qui. 317.321.324
προλήψεις quid. 740
Prophetas non omnia, quæ prædixerunt, intellexiſſe. pag. 697
Prophetæ cur videntes dicti. 698
non ſolam viſionem habuerunt, ſed & intelligentiam myſteriorum. 698

Prophe-

Prophetia non eſt, ubi non eſt ſcientia. 698
Prophetarum ſcripta per dæmones & poetas corrupta. 419
Proſerpina Plutonis uxor. 404. 410
Axiocerſa. 687. hemiſphærium inferius. 414
Proſerpinæ raptus & nominis interpretatio. 412. nomina plura. 676
Proſcriptionis tabulæ quando primum Romæ inventæ. 359
Proſcriptos olim licebat occidere. ibid.
Providentia Dei ad minima quæq; ſeſe extendit. 522. ſeq.
Providentiæ divinæ tàm boni, quàm mali ſerviunt. 1065
Providentiâ divina ſublata ipſe Deus tollitur. 710. Dei omnia geruntur. 101. de hac variæ Philoſophorum ſententiæ. 121
Providentia quid & quomodo à fato differat. 511. 515
de Providentia Philoſophorum ſententiæ. 933
Prudentiæ in beſtiis ſimilitudines. 1095
Φρύκτος quid. 294
Ψυχὴ cur dicta anima. 1040
Pudicitia virtus animi eſt, & comitem habet fortitudinem. 64. 66
non corrumpitur aliena libidine. 64
violata non obeſt, niſi animus conſentiat. 59 65
Pudicitia Dea. 443
Pudicitiæ ædes. 444
Puer dæmonis ſpecie in Brabantia natus. 1193
pueri olim Saturno oblati. 662
puerperiorum dii deæq;. 617. & ſeq.
verè Pulchrum quod ſemper eſt, nunq. mutatur. 746. & ſeq.
Pulli olim in auſpicio. 341
Punicum bellum primum quando ceptum. 448. tertium intra tres annos perfectum. 557. ſecundum 17. duravit annos. 556. primum 22. an. 216. 329. 556
Punici belli ſecundi clades. 331. 333 334.
cauſa. 107
Punicis bellis quanta ſint paſſi Rom. 326
Pyromantia quid. 704
Pythagoras. 712
Pythagoram poſt Numam natum. 705
Pythia quid? 424
Sacerdos quæ. 424

Q.

Quadringenti nummi qui. 448
Qualitates quid ſint. 1127
Quaternarius numerus primus par totus 1105
Quæſtor primus dignitatis gradus. 107
Quies dea & illius templum Romæ. 436. 437.
Quies & tranquillitas quid differant. 438
Quindecimviri ſacrorum qui? 580
Quirinus Romulus dictus, undè? 198. 202
Quirinales flamines ipſi inſtituti. 199
Quiris olim haſta dicebatur. 200

R.

Ratio exemplis anteponenda. 84. 86
Rationalis naturæ ordines quatuor. 755
Redemptio per Chriſti ſanguinem longè antea prædicta. 696
non regnat, ſed ſervit, qui malus eſt. 388
regnandi cupido quibus gradibus apud Rom. aucta ſit. 111
a bonis procul abeſt. 4[illegible]4
ſola vetus cauſa belli. 398
peſtis peſſima. 661
quæ cauſa regnandi olim. 395
regna ſine juſtitia ſunt magna latrocinia, pag. 392
Regnorum tranſlationes, conſtitutiones & incrementa à Deo dependent. 128 400

Digitized by Google

regna Deus etiam impiis diſtribuit. 553
divina conſtituuntur providentia. 484.487.522
etiam malis concedit Deus. 479
à diis falſis non adminiſtrari. 399
Rex primus. 287
regis nomen imperij primum eſt. 286.395 396
reges primi ſingulis imperitabant familiis. 396
Reges qui olim electi. 397
fieri multi timuêre. 459
Rheni ripa duæ Barbara & Romana. 539
Rhetorica Paulus uſus eſt. 1063
Religio quid. 104
Maximè ad ſtabiliendum imperium conducit. 390.581
naturaliter eſt inſita. 453.582.686
à ſuperſtitione quid differat. 579
vera quid requirat. 686
non eſt diſſimulanda ſi noceat exemplum. 611
unde dicatur. 888
veram eſſe unam à Chriſto inſtitutam 686
Religiones falſas quo conſilio probârint & confirmârint principes gentium. 479
Religio Dei cultum ſignificat. 876
unde dicta. 885
pietas eſt erga Deum. 456
religioni deditus pulvillus, filij mortem contemnit. 542
religioſi qui. 473
Repudij verba apud Juriſc. 607
Requies Dei. 1031
Res factæ ex tribus ſunt dijudicandæ. 1087
Rerum proſperarum & adverſarum quis uſus. 25.26
Reſpubl. quid? 226.235
ſine injuria nulla eſſe poteſt. 228.250.233
Reſp. optime gubernatur per leges ac judices. 7
ruentibus moribus infælix. 180
non quo latior eò eſt melior. 288
corrupta moribus etiam ſtantibus urbibus perit. 203.207
Reip. peſtes quæ. 225. ſeq.
concordia eſt, quod harmonia Muſicæ. 228
adminiſtrandæ tres ſpecies. 228.241
oppoſitæ omninò nullæ ſunt reſp. ibid.
Remp. præſtat eſſe divitem, quàm privatos. 530
Rerum productionem immediatè à vero fieri erronea ſententia. 695
Reſurrectio communiter pertinet ad Dei providentiam. 852
juſtorum effectus eſt meriti Chriſti. 854
Reſurectioni nil obſtat, quacunq; quis morte perierit. 44
In reſurrectione quæ concurrent. 48
Robigus. 447
Roma quando ædificari cœpta. 269
ab Albanis condita. 17
magiſtra ſuperſtitionum. 184
Urbs fortium Virorum. 149.150
Neropolis dicta. 550
quo ſemper fuerit ſtatu. 214
quibus aucta & parta ſit laboribus. 135.286
Carthagine diruta otio periclitatur. 107
quibus temporibus & à quibus potiſſimum vaſtata. 362.& ſeq.
à Gallis capta. 238.240
quanta humanitate Chriſti beneficio à Gothis expugnata. 207.ſeq.363
quibus malis interius laborarit. 345
incendio perit. 318.327.331
peſtilentiis vaſtatur. 318.319
luxuria corrupta 339. fame confecta 318

318
Roma majoribus cladibus ante Chriſti tempora vexata 3,6
Romani imperij origo fœda 121
Romanorum Reſp. quib. modis fundata & propagata 229. 235
Romæ ordines tres 184
Romæ pars magna Tiberis inundatione perdit 227.331
Romani irreligioſi & ſuperni erga Deos adulatione magis quam ratione elegere 198
Romani quos civitate donarint 538.ſeq. à Trojanis ducunt origenem 17.ſeq. Chriſtiani nominis inſectatores 2.laudis avidi 70.73.524. leges ſuas ab Athenienſibus mutuarunt 203.318
Romanos Libertas & gloriæ cupiditas ad facta ſua compulere 541
Romanis ſuſcipiendi belli quæ cauſa potiſſima 286
Rom. Reſp. ante Chriſti adventum afflicta 136.138. corrupta 215. 221.229. 364
Rom. ſenatores multi Romam nunquã viderunt 359
diſceſſiones Rom. plebis à patribus 214 216. 218
Rom. Imp. cur Deus auxerit in fidelibus 523 ſeqq.
Rom. Imp. infauſtum Euphratem tranſire 470. quibus artibus regnum ſuum dilatarint 523. & ſeq
Romanorum regum vita qualis & exitus 307
Romulus ſemideus factus 198. ſeq. Augur fuit 581
Rubigo ſegetum quid 449.452. Dea gentilib. 447. 452
Rumam veteres mammam dixere 423 430
Rumina dea vidua 426. 605
Ruminus Jupiter dictus 640
Runcare i.e. evellere 405. 407
Runcina dea 403.
Ruſar deus 676
Ruſina ib.

S.

Sabbathi ſuperſtitioſa apud modernos Judæos obſervatio 613
Sabbathi lex quomodo interpretanda ib.
Saba thurifera regio 375
Sabæi populi unde dicti 372
Sabinarum raptus in quibus improbandus 212. exaggeratio hujus facti Romuli 211
Sabellij hæreſis qualis 968 quando exorta ib.
Sacerdos noſter magnus, Chriſtus ipſe 895
Sacerdotum munus regio proximum 177
Sacerdotum Ægyptior. juramentum. 921
Sacra gentilium ab orco manabant 222
Sacramentorum colligatione coadunantur membra Eccleſiæ 124
Sacramenta Judaica cur abrogata 613
Sacrati Dæmonis quis 257
Sacerdotium etiam apud gentiles in honore fuit 177. 375
Sacrificia gentilia Romæ à quibus abrogata 127. Dæmoniis immolata ib. V.T. an Deo verè grata fuerint 894 949. ſunt vel interna vel externa 896 interna ſunt præſtantiora & Deo gratiora ib. V.T. per ſe non erant grata Deo 949. V. T. cur Deus abrogarit 893
Sacrificium quid ſignificet 889.893. Soli DEo debetur 889. 890. ejus obligatio eſt de lege naturæ 889. res antiquiſſima 890. Deo gratiſſimum contritum cor 893
Sacrificio Deus non eget 892

Sacrificiis ſuis ignem adhibebant gentes 374
Sacrificia non ſanctis martyribus ſed uni Deo offerenda 617
Sacrificium Angelis non eſſe ſacrificandum 898. Chriſto viventi cur non ſit ſacrificatum 954
Sacrificia Deum non requirere, ſed quod ſacrificiis ſignificatur 890. & ſeq.
Sacrificia viſibilia cur Deo inviſibili offeramus 951
Sacrificia iſta, quæ ſint vera, cur Deo debemus 883
Sacrificium juge Eccleſiæ 954
Sacrificio Chriſti omnia noſtra peccata deleta eſſe 695
Sacrificiū unum tantum eſſe Chriſtianorum 617
Sacrificia vera, quibus delectatur Deus 891. & ſeq.
Sacrificiis quibus dij delectentur 771
Sacrificatum olim humanis victimis diis & quando prohibitum 664
Sacrificia triſtia 177. 179
Sacrificia veterum quid ſignificarint 890
Saccularij magi qui pecuniam ſubducunt 791
Salum mare unde dictum 824. ſignificat etiam perturbationes mentis ib.
Salacia quid 411. 672. Neptuni uxor 410
Salatio divinationis genus 705
Saluſtius nobilitate veritatis hiſtoricus 19
Saluſtij eloquentia 215. 217. 220. libri quidam amiſſi 215. 220
Salutationes inter magnos honores Romæ habebantur 224
Samſon ſeipſum interficiens non peccavit 77. 80
Sancti dij dicti 871. quæ ſciant & unde in cælo 8 9
Sanctis nihil perit in amiſſione temporalium 54
Sancti mortui quomodo honorandi 617
Sanctimoniales quæ 60. 104
Sanctitas quomodo à religione differat.
Sancti in cælis an noſtra curent 815
Sanctorum cultus & veneratio ib. & ſeq. & quod memoriam quidem illorum celebremus, non invocemus. ib.
Sanctos eſſe lumina 881
Sanctorum mors pretioſa 43
Sanctitas corporis non amittitur animi ſanctitate manente 64
Sapientia ipſe Deus eſt 708
Sapientiam veram Deus non reprobat 982
Sapientia ſpeciatim Chriſto tribuitur 710
Sapiens ſolus dives 645
Sapientis nomen in Pythagorâ abolitum 712
Sapienti an animi paſſiones accidant 825 quid in affectibus deceat 837
res decem eſſe in quibus ſapientes verſantur 329
Sapientes ſeptem Græciæ unde nomen hauſere 711. eorum nomina ib.
Sardanapalus Thonos concoleros dictus & ejus epitaphium 225. 227
Saronidæ qui 749
Saturnus homo ſummè impius 412. ſeminum omnium poteſtatem habet 596 quid ſit 646. a ſatu dictus 618. κρόνος vocatus 412. 662. Senex pingitur 592. & quæ illius natura falcem cur geſtet 665. temporis eſt longitudo 410 patrem ſuum dicitur caſtraſſe 681 cur filios proprios comedere dictus 413 419. 596
Saturni officium myſticè interpretatum 662. filij tres 411. 417. ſimulacrum aeneum in Africa 664
Saturno olim pueri oblati 663

Satur-

Saturnalium turpitudo, & à quibus celebrata 164
Satyri cur Liberi comites 425
Satyrarum origo 136
Satyra quid contineat 164
Scenarum armatus 163
Scenici magno olim dignati ap. Græcos honore 174. 176. 468. *apud Romanos infames* 174. 181. 185
Sceleribus non innocentia, ſed ſævitiæ magnitudo, impunitatem parit 392
Scênici ludi in divinis poſiti rebus 380 *propter peſtilentiam primitus inſtituti.* 323. 115. 161. *diabolicum inventum, & eorum vanitas* 115. 117
Scenicorum ludorum inſtauratio 463
Scenici ludi diu Romanis ignoti 182 184
Scenicorum ludorum turpitudo 256
Sceptrum quid ſignificet 409
Schiſmatici graviter à Deo puniti 906
Scientia Dei eſt etiam infinitorum 1174 *eſt invariabilis* 1072
Sciomantia necromantiæ ſpecies quomodo facta 707
Scipiones unde dicti 167. 169
Scipiones fratres duo belli fulmina 168 172
Scipio Africanus Imperator primus cui ex provincia nomen datum 340. 958
Scientiam ſine Charitate plurimum obeſſe 864
Scientia Angelorum 1098. *qualis inſit brutis* 1093
inter Angelorum & dæmonum ſcientiam quid interſit 867
ſcire omnes deſiderant 1092 & *ſeq.*
nihil poſſe certo ſciri dixere Academici 1089
Scorta in bene ordinatis Rebuſp. prohibita 226.
Scriptura S. morum directrix 222. *juſtitiæ doctrina* 263
Scripturæ S. ſenſus an à Spiritu S. an à ſcriptore petendus 1066. *fœcunditas* ib.
Scripturæ autoritas 1014
Scriptum in conventibus Chriſtianorum olim publicè legebatur 260
Scripturarum ſuarum qualem velit habere judicem Auguſtinus 130
Scripturæ obſcuritas ad quid utilis 1064
Scythæ philoſophantes genus hominum ſimplex 741
Seculum quid 328 1075
Secula ſeculorum quæ 1075. & *ſeq.*
Secula ſeculorum durationem quandam perfectiſſimam ſignificant 1171
Secularium ludorum ritus 328
Secundis rebus mala quæ exoriri ſoleant 214.
Securitas infirmis amicis hoſtis 107
Securitas luxuriæ & perniciei parens 107 109
Seditio quaſi ſeorſum itio quid 111. *quid differat à bello* ib.
Segetia dea 403
Segetibus quos deos præfecerint Romani 403
Semidei qui 188. 193. 975
Senarij numeri perfectio 1111
Seneca an Apoſtolorum contemporaneus 604
Seneca Apoſtolorum temporibus claruit 608
Seneca de Judæorum & Chriſtianorum ritib. ſententia 612
Senſus etiam de interioribus dicitur 1014 *qui & quomodo falluntur in homine* 1089
Senſus unus ſi fallit, non eſt ei amplius aſſentiendum ſecundum Epicurũ 740
Senſus externi hominum & brutorum non differunt ſpecie, ſed accidentaria perfectione 778

Sen-

Digitized by Google

ſenſuum perfectio duobus modis conſiderari poteſt ib.
Senſibilia quæ 636. unde dicta 1093
Sentia dea 427
Sentinus deus 620. ſepultura denegata nihil adimit 42
Sepeliendi ſanctorum corpora ratio habenda eſt 48
& quod ſepelitio fidem reſurrectionis aſtruat 49
Sepulcrorum religio vetuſtiſſima 701
Sepulturæ denegatio Ethica immanitas 45. pompa nihil refert ad animæ beatitudinem 47. honos inter prima pietatis officia ſemper numeratus 30
Chriſtianorum quæ intentio 53
Sepulturæ curam etiam Philoſophi contempſere 43. 47. nulla habebit Chriſtianus 42
inſepultos certi criminis reos abjici leges Rom. jubent 43
Sepulturam renuit Diogenes ib.
Sepulcrum eſt aſylum quoddam mortis 702
Sepulcra ſacra antiquis 30
Sepulcrorum violatio criminalis olim 702
Septenarius numerus ſuo modo perfectus 1104. & quid ſignificet 1105. ſeq.
Serpens quando ſuper pectus cœperit ambulare 1055
Serpentes igniti in Africa 907
Serpens æneus figura Chriſti crucifixi 908
Serpentem æneum cum magna laude contrivit Ezechias Rex 900
Serpentes quomodo ſenectutem exuant 777. 779
Serpentum ætas diuturna. 776
Servitus boni eſt libertas, 388
Servi unde dicti, 335. ſoli ſunt mali, 391 militia apud Romanos prohibiti. 335
Servitus vera quæ, 391. in ſtatu innocentiæ nulla fuiſſet, 481
Sexus fœmininus in maſculinum mutatus 373. 376
Sexus mutatio non eſt fabuloſa, 373
Sibyllæ libros adire nemini, niſi ordinatis licebat 580
Silvanus Deus rectivagus 598
Silentium ſentitur non audiendo, 1136
ſilveſcere quid, 217
ſimplex natura quæ, 1039
ſimulacra deorum quare primitus conſtituta, 627. deorum eſſe corpora dixit Trimegiſtus. 799. magica quomodo facienda, 867
ſimulacra dæmones in ſuam nos trahunt captivitatem, 805
ſimulacra non eſſe ipſos Deos, ſed veluti corpora ſpirituum, qui docuerint, 802. cur divinis honoribus afficienda, exiſtimarit Porphyrius, 807
ſimulacra reprehendit Seneca. 604
ſimulacrorum uſum etiam Pagani deteſtantur, 472. ab eorum deprædicatione abſtinuit Fabius, 21
ſimulacrorum uſus antiquiſſimus, 479
ſine ſimulacris deos ſuos diu coluere Romani, 476. & quod ſimulacrorum inventio mala multa attulerit. ibid.
ſimulacrorum uſus Romæ quando cœperit, 477
ſimulacrum ab hominibus ſervatur non homines à ſimulacro, 9
Socrates ſapientiſſimus ab oraculo judicatus nihil ſcripſit, 712. cur à ſublimiori Philoſophia abſtinuerit, 721. ejus lepos & feſtivitas commendata 712
Socrat. Philoſophia, 718. accuſatores tres, 720. & quod omnes ob damnatum Socratem multati ſint, ibid.
Sol cur Apollo cognominatus, 658. cur lu-

lucem reliquã aſtra ab illo mutuari Deus voluerit. 693
Solem bis occidiſſe, unde nunc oritur mentiuntur Ægyptii, 1147. non eſſe majorem quàm appareat, dixit Epicurus, 740. eſſe animal Platonicorum ſententia, 985
Solis defectus quid. 309
Solis deliquium regulare quando contingat, 307. tempore paſſionis Dominicæ præternaturale fuit, ibid.
Soliſtitium quid, 341
Solon legum & Reip. Athenienſium author quando floruerit. 104
Σωφροσύνη quid 896
Spadones unde dicti 609
Spectaculis deorum Auguſtinus juvenis interfuit 139.144
Speuſippus Philoſophus 766
Spinienſis Deus 447
Spiritus S. divinitas omnibus Philoſophis incognita, 967. nomen eſt commune certo modo toti Trinitati, 1040. quando notionale ſit tertiæ perſonæ Trinitatis? ibid.
Spiritum S. etiam à Filio procedere evincitur 1089
Spiritus pro aëre 509
Spiritus S. an rectè Patris & Filii bonitas dicatur 1082
Spiritus ſapientiæ quomodo multiplex dicatur 1039
Spiritus malignus falſis notari delectat criminibus 174
Statilinus Deus 447.
Statuæ Mercuriales quæ 658
Stellæ Dii antiquis Græcis habiti 653 fixæ cur aliquæ dicantur, cùm tamen moveantur, 654. Erraticæ cur aliæ, ibid. quorum rerum ſigna ſint 489
Stellarum virtutes & effectus, 652. poteſtas qualis & unde 485
Stellas non facere quidem ſed ſignificare tamen quidam docent 485.487.489
Stellas varia deorum nomina accepiſſe 651
Stellis ſacrificant gentes 423
Sterquilinus Deus 601
Stimula Dea 423
Stoici cujuſdam Philoſophi de perturbationibus animi reſponſio 825.826
Stoicorum principes Zenon & Cryſipp. 826. de affectibus opinio, ibid.
Stoicam ſectam Chriſtianæ ſimilimam religioni cenſet Hieronymus 389
Strenua dea 423
Stultitia ſumma & miſeria 1093
Stuprari cur Deus patiatur 99 103
Stupratæ violenter cur non ſeipſas exemplo Lucretiæ occidant 68 69
Stuprum violentum animum non commaculare. 59
Subigus Deus 599
Subhaſtare 359 361
Summanus deus 455 458
Superbia omnis peccati initium 5.1053. quid ſit, 1133. Angelorum malorum in quo conſiſtat, variant opiniones. ibid.
Superbia Angelos de cœlo ejecit 1131
Superbia ipſis ſuperbis inviſa. 3.5
Superbus ſpiritus quod Dei eſt affectat. 1
Superfœtantia animalia 499
Superfœtatio in homine an detur? 498 499
Superſtitioſi qui propriè. 473.475.579
Supplicia noxiorum Romæ. 216
Sydera quarto die facta. 1034. Jovis eſſe partes dicunt Pagani 423. animalia eſſe Platonicorum ſententia 985. omnia de terra eſſe nata dixit Anaximenes 713
an Syderum influxui res omnes ſubjiciantur. 501. 502. eorum vis 485

Syllæ crudelitas 238. 284. 361. vita perdita 220. 238. 236. 240. Sepultura 365 in Rom. cives ſævitia 359. 361. fata ejus dæmones ſibi aſcribebant 247.
Syllana victoria crudelitas 356
Syllogiſmi partes tres 184
Symphoniaci qui 140
Syracuſæ prius deletæ antequam victro expugnatæ ib. Urbs ornatiſſima, opulentiſſima 21.23. locũ dedit proverbio ib.

T

Tabernaculum templum erat portatile 934. *ſtatus vitæ præſentis per illud ſignificatus* ib.
Tabernaria comœdia 163
Tabulæ proſcriptionis quando primum Romæ viſæ 359. illarum immanitas 361
Taciti de Judæis ridicula commenta 612
Tarquinius cotem ſecuit novacula 940
Tarquinij quare ſuperbi cognominati 308
Tarq. priſci mors 215.309
Tatianus diſcipulus Martyris Encratitarum princeps 693
Tauri ludi, inferorum dicti 329
Teletæ ſacrificia 477
Τελῶναι *exactores dicti* 121
Tellumo Pluto dictus 413. 676
Temperantia cur non meruerit eſſe dea 442
Templum Dei nos ſumus 883
Templum Deorum & eò confugientibus varius pepercere hoſtes 10
Templa non niſi à piis & ſanctis Deus extrui ſibi vult 313. Conſtantinus quæ condiderit 564. Spiritus ſancti ſinguli ſunt fideles 886
templa primo hominibus bene meritis ædificata 652
templis duorum non pepercere hoſtes victores 19. *ſeq.* 23
Tempus quid 1026. 420. 1136 *duplex eſt 1165. ante mundum conditum non fuit 1025. potius à creatura cœpit, quàm creatura à tempore* 1026 *ſeq.*
tempus & æternitas in quo differant 1025 *ſeqq.*
tempora à motu ſyderum 1160 *quædam potuerunt exiſtere ante cœlum 1164. æterna quid Apoſtolo* 1161
temporum momenta qualia ſint ap. Angelos, ignoramus 1045. circuitus & revolutio ſecundum philoſophos 1155
temporalibus magis utendum, quam fruendum 1087
temporalia bona & mala cur bonis & malis communia 25
Temporalium rerum varietas ex Dei veri pendet judicio 242
Tenebræ dæmones dicti 1109
tenebræ ſunt aer carens luce 1038. non videndo videntur 136
Terentiana Comœdia palliata dicta 163
Terentianus Carthaginenſis poeta 578
Terminus deus & ejus ſacrificia 457
Termino deo Februarius dedicatus 460 632
Terra & tellus differunt 413. 420 *cur magna, ceres, & veſta appellata 421. mas & fœmina quid Ægyptiis 418. centrum eſt mundi 676. ad cœlũ comparata puncti indiviſibilis inſtar eſt ib. cur opis dicta* 680
Terræ motuum vaſtationes 386. hiatuum abſorptiones ib.
Terrenorum nomine quæ intelligi debeant ib.
Terra deorum mater 411. 420 *& ſi rerum omnium ſit mater, nullius tamen eſt creatrix 1192. cur non tota aqua circumdetur, ut reliqua elementa*

mentis reliquis 1113. & ſeq.
terræ nomina diverſa & ejus ſimulacri ſpecies 677
Terripavium quid 341
Tertullianus 616
Teſtamentum vet9 cur lex infirma dicatur 975. bona proponit temporalia 480. 934. novum pleniorem myſteriorum cognitionem tradit 934.
Teſtamenti N. Prophetia Teſtamentum Vetus eſt 481. tempus cur vocetur noviſſimum 1006
quicquid in V. T. dicitur futuri Chriſti eſt indicium 669. ſeq.
Teſtamenti v. & novi differentia 972
Teſt. V. & N. unde dicta ib.
Teſtimonium falſum contra ſeipſum dicere quis poteſt 37
Thalaſius nuptiarum Deus Romanis 451
Theatrum quid 303. Eccleſia eſt diaboli 124. in urbe ædificari Naſica prohibuit 112. 114.
Theatrum primum manſurum Romæ quis extruxerit ib.
Theatra & ludi publici Græcis authoribus tribuuntur 114. Dæmonum ſunt inventa 117. Chriſtiano adire non licitum 124
Theatralium ludorum turpitudo 383
Theobutus hæreticus quare ab Eccleſia defecerit 546
Theodoſius imper. 556
Theodoſii pœnitentia 566. 568
Theologia pietas quid 708. naturalis ib.
Theologiæ genera tria 584
civile genus theologiæ quod 585. magis improbandum quàm fabuloſum 595
θεότης quid 116
Theſaurus tam bonorum quam malorum congregatio eſt 26. Dæmonum arte & ope inventus pernitioſus 564
Theſpiodos dea, quæ carmentis 426
Theurgia quid 910
Theut Mercurius dictus 648
θεοπνευστία quid 876
Thus in ſacrificiis quid ſignificet 373. cur etiam Dæmon in ſuis ſacrificiis adhiberi voluerit ib.
Thymele & Thymelici quid 593. 596
Thyrſis quid 601
Tiberis à Tiberino nomen accepit prius Albula dictus 456. 459. glacie duratus 319
Tiberis inundatione fere Roma periit 327. 31
Tiberinam Deum Romulus dedicavit 454
Tibias invenit Cybele dea 140
Titanes qui 473
Toga Rom. indumentum 163. 57. 529
Togarum apud antiquos Rom. varia genera 529
Togati qui 529
Togata comœdia 161
Torquatus unde dictus Manlius 545
Trabeata comœdia à quo inventa 163
Tragœdia quid contineat 164
tragœdiæ unde dictæ, & quæ illarum origo 162
Tribuni unde dicti 219
Tribu moveri quid 185
Tribulationes præſentes objicientibus piis quid reſpondendum 104
tribulationibus erga bonos & malos utitur Deus 25
Traperitæ qui 625
tribunorum poteſtas & immunitas 216 219 220
tribus Rom. 35. 333.
Trinitas una ſimplex deitas 1037. in unitate probatur in operibus ſuis indicatur 183. unde dicta & ejus inſeparabilis unitas 1082
Trinitatis imago in homine 1088. 1098

Digitized by Google

Trinitatis veſtigia in reliquis etiam creaturis 1098
à Platonicis inſinuata 963. *myſteriū an norint Philoſophi* 964 966. *nemini citra revelationem fuit cognitum* ib.
de Trinitate liber non eſt Tertulliani. 969
Triſmegiſtus Hermes Ægyptius cur dictus 801. *falſo Jethro Moſis ſocer à quibuſdam creditur* ib.
Trogus non verax hiſtoricus 395. *ſeq.*
Trogus Pomp. græcus hiſtoricus quando claruerit 396
Troja cur à Græcis victa & capta ſit 267
non ideo periit, quia Minervam perdidit 9
Trojani belli initium fuit diſcordia 349
Tutanus deus 404
Tutilina dea 403. *ſeq.*
Typho quid 1110
Tyrannus quis 228. 231. 234
primus Nemrod. 288
tyranni nomen quando cœperit adduci in odium 231
tyranno omnes alij ſerviunt, ipſe verò ſuis libidinibus 3.2
tyrannos fortes vocabant veteres 549
Tyrannidem appetentem occidere licitum lege publicolæ 323

V.

Vadari & vadimonium quid. 607
Vagina in ſpicis quid. 405
Vagire, unde dictum. 404
Valens Imper. Arrianus. 568
Valentinus hæreticus cur ab Eccleſiâ deſciverit. 546
Vallonia dea. 403
Vanitas ubi habitet. 388
Vanum quid dicatur. 883
Varro cultûs Deorum inventor. 452
M. Varronis ſcripta. 580. 581
eruditio, doctrina, & quid de diis gentilium ſenſerit. 578. 382. 577
ejus ſtatua in bibliotheca poſita. 578
antiquitates periiſſe. 380
Vaticanus deus. 404. 423
Venenum quare DEus crearit, & quid commodet. pag. 1074
veneficij pœna. 909
de veneficiis quando quæſtio prima habita ſit. pag. 320. 323
Venetus color, i. e. cæruleus. 835
Venilia dea. 426
Venus verticordia quæ. 414
Venus unde dicta. 599
proſtituta adultera. 272. *ductrix adulterij.* 273. *Cur maximis ceremoniis culta.* 625. *luna putatur à quibusdam.* 652. *Libentina & libitina dicta.* 404. *Cluarina.* 404. *terræ hemiſpherium ſuperius dicitur.* 414. *ſimulacrum quale.* 414. 593. *ejus ſtella clariſſima omnium.* 651.
Veneres duæ, cœleſtis & inferior. 414
Veneris intemperantia ſæpiùs atrociſſimarum cladium cauſa. 71
Verbum quo facta ſunt omnia. 1031
Verbum in principio fuiſſe quid ſit Platonicorum ſententiâ. 967
Verbum quid ſuapte naturâ. 1084
in Scripturis non niſi filio tribuitur. ib.
Verbi divini auditio aliis in præmium, aliis in judicium vergit. 260. *ſeq.*
verba religioſa non facilè mutanda. 1039
Veritatis Veritas una eſt. 662
judicium in corporis ſenſu ponunt Epicurei. 739
Veritatem ſummum eſſe bonum Platonis ſententia 745
Veri ratio à duob. criteriis dependet. 741
Veſpaſiani ſuaviſſimi Principes. 554
Veſperum primum quale. 1028
Veſta Dea. 114
Veſtæ dea cur Virgines dicatæ. 413
in Veſtæ templo ignis cultus. 329
Veſtas multas eſſe & quid ſint. 13

Veſta-

Veſtalium caſtitas. 414
ſtupra morte vindicabant Romani. 276
de Veſtâ plura vide. 264. 421
Veſtigium & imago quid differant. 1098
Veteres una fide in Chriſtum ſalvati. 972
Victima humana Saturno immolari ſolita. 665
Victoria Dea gentilibus, quomodo antiquis picta. 434 *vitula dicta.* 447. *munus eſt non poteſtas. ibid. in veri Dei auxilio conſiſtit.* 439. *ſæpè magis noxia victori quàm victo.* 251. *de hoc mundo non noſtris adſcribenda viribus.* 434
Victoriæ lætitia ſolida quæ. 322
Videre ad omnes ſenſus tam interiores, quàm exteriores pertinet. 1015
viſione corporali Deus per nullam potentiam poteſt videri. 931
Viſiones ſpirituales quomodo ſe habeant. 1013
viſio Dei omnium pulcherrima. 940
vitium quid, & quam ſit multiplex. 1124
vitij vituperatio ſumma. 1118
vitia unde mala dicantur. 1124
quæ punienda. 1124
in vitia multis viis itur. 851
Victoriati nummorum Rom. ſpecies. 448.
Victorum in victos mos. 19
Vini authorem eſſe Noë, non Liberum. 672
Vir bonus quis. 1093
Virginem inſpiciens obſtetrix corrupit. 64
Virginitas per vim illatam non patitur diſpendium. 59. *ſeqq.*
Virgines per vim ſtupratæ quo loco habendæ. 61
Virginitatis ratio in quo conſiſtat. 67
violatione corporis non tollitur. ibid.
bonum præſtat conjugali. 102
Virginitas apud gentiles in ſummo honore habita. 277
virgines ante nuptias pro dotali pecunia proſtitutæ. 414. 421
olim faſciis cinctæ. 602
Veſtæ dea cur dicata 413
Virginum raptus ſeverè interdictus Romæ. 212
Virginenſis dea. 423. 430
Virtus dea. 442
virtutis ædes Romæ. 443. 461
definitio ſecundum veteres. 446
ſolam virtutem bonum eſſe dixerunt Stoici. 825
virtute præditi ſoli ſunt divites. 39
virtutes habenti virtus eſt maxima gloriam contemnere. 549
olim artes dictæ. 447
voluptati corporali ſervire philoſophi quidam pictum oſtendunt. 553
virtus, via vera ad regnandum. 526
virtus quæ optima. ibid.
virtus ex animi ſede corpori imperat. 59
Virtus Dei donum. 444
non temerè niſi in ingenioſo invenitur 448
Virtutis definitio Ariſtotelic. optima. 450
& honoris ædes apud Romanos conjunctiſſima. 525
ſubjectum an ſit voluntas vel appetitus ſenſitivus. 834
Virtutem unam qui habet, habet omnes, Philoſophorū, non Apoſtolorū eſt aſſertio. 86
Virtutum affinitas 66.
ſemina quædam nobis innaſcuntur. 262. *ſeq.*
intellectualium & moralium quod diſcrimen. 1097
ad virtutem unica & ſimplex eſt via. 851
virtutis ſpecies quatuor. 442. 445
Vitula dea. 152
Vitumnus deus. 619
Viventia cuncta fugere interitum. 1092
Vita potius mors dicenda. 117. 181

Digitized by Google

Vita propriè quæ. 1180
Christianis non debet eſſe tædio. 99
Vitæ æternæ promiſſis temporales calamitates levantur. 106
hujus vitæ malum primum quod. 1180
in vita hac quos vocemus beatos. 1045
vita beata non dicitur, niſi ſit æterna. 1044
vita æterna quæ. 614
ab uno vero Deo, non à diis multis quærenda eſt. 574
Vitium contra naturam. 1061
Volones ſervi ad bellum manu miſſi. 333
Volumnus deus. 447
Voluntas mala non ipſa facultas, ſed actio voluntatis dicitur. 1134
Voluntatis malæ nulla eſt cauſa. ibid.
Voluntatum non omnium, ſed tamen omnium poteſtatum author eſt Deus. 509. 514
voluntatem ſolis rationalib. tribuit Ariſt. 511
voluntas Dei omnium rerum fons & origo. 869
an voluntas noſtra ſubſit neceſſitati. 515
tantum valet quantum eam Deus valere voluit. pag. 510. 511
voluntas mala malorum omniũ eſt cauſa, ipſius autem cauſa nulla eſt. 1131
unde mala fiat. 1137
bona voluntate debitorum benevolentiã acquirimus. 809
Volupia dea. 404. 423
Volutina dea. 403
Votum Jephthæ de quibus interpretandum fuerit. 77
Votum Jephthæ taxatum. 79. 80
Urna quid. 44
Uti à frui quid differat. 1087
Vulcanus. 415. 421. 658
Vulgi judicium errore plenum. 81

X.

Xenocrates Chalcedonius Platonis diſcipulus. 766
Xenophanes Colophanius. 660
quando vixerit ibid.

Y.

ὑδρομαντία. 704. 706

Z.

Zalus victoriæ frater. 434
Zanele civitas Siciliæ. 693
Zeno Stoicorum princeps. 741
dialecticæ inventor, ibid.
Zephyrus Floræ Deæ maritus. 405
Zodiacus circulus in octavo cœlo. pag. 653
Zonæ ſolutio quando peracta. 605
Zoroaſter princeps magorum. 554

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google